Digitized by Google

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XLII
H
26
NAPOLI

XLII
H
26

EPISTOLARVM
D. ERASMI
ROTERODAMI
Libri XXXI.
ET
P. MELANCTHONIS
Libri IV.

Quibus adjiciuntur

TH. MORI & LVD. VIVIS
EPISTOLÆ.

Vnà cum INDICIBVS locupletiſsimis.



LONDINI

Excudebant M. FLESHER & R. YOUNG. M. DC. XLII.

Sumptibus ADRIANI VLACQ.

LECTORI.

AMICE LECTOR,

Operoſâ Præfatione te in limine morari nec volumus, nec opus eſt. Si enim (ut in more poſitum eſt Præfationibus) vel autores ipſos, vel opus commendare ſatageremus, ridiculi prorſus eſſe videremur, dum Soli meridiano facem prætendimus. Enimverò nequaquam indigent præconiis noſtris hi quos tibi præſentamus, heroes non ſolùm laude, ſed & invidiâ majores: Quorum vel nominibus adeò illuſtris eſt hujus libri titulus, ut neminem fore arbitremur, eorum ſaltem qui literarum amore flagrant, cujus oculos atq; animum non modò non invitabit, ſed attrahet protinus arripietque. Primùm tibi damus celeberrimum illum literarum parentem, eloquentiæ antiſtitem, barbariei hoſtem & profligatorem, veterum Patrum repurgatorem, Bataviæ *ſuæ decus, imò* Britanniæ *noſtræ ac nationum penè omnium amorem & delicias,* DESIDERIUM ERASMUM, *quo vix quicquam* ἰσομώτερον *vel mundus vidit uſpiam vel viſurus eſt. Huic proximè ſuccedit* PHILIPPUS MELANCHTHON, *vir acerrimo judicio, ingenio feliciſſimo, ſummâque eruditione ſuſpiciendus, nec tantùm bonarum literarum, verùm (quod longè divinius eſt) veræ etiam religionis vindex & inſtaurator. Poſtremo loco adjecimus* THOMAM MORUM & LUDOVICUM VIVEM, *ejuſdem ſeculi Viros doctiſsimos &* ERASMO *noſtro amicos familiariſsimos; de quibus hoc tantùm dicemus, Digniſſimi ſunt qui* ERASMO & MELANCHTHONI *comites adjungantur. Hos ſcilicet, amice Lector, tibi exhibemus, nec tamen totos, (quantum enim id eſſet?) at præcipuam eorum partem,* EPISTOLAS *nimirum univerſas, quibus ſcribendis haud minùs ſemetipſos videntur ſuperâſſe, quàm aliis ſcribendi generibus reliquos ferè mortales omnes præcelluerint. Hic præter maximam argumentorum varietatem, quæ te mirificè delectabit, præter elegantiam ſermonis ingeniiq; ubertatem, quæ in his potiſſimùm lucubrationibus elucent, iſtius tumultuoſiſſimi ſeculi imago ità clarè & fideliter tibi ob oculos proponitur, ut rerum tam publicè quàm privatim tunc temporis geſtarum notitiam puriorem ſinceriorémq; hinc haurire liceat, quàm ex ullis forſan hiſtoriographorum monumentis. Hi enim, dum commentationes ſuas publici juris futuras eſſe cogitarent, adeóq; omnium oculis & calculis ſubjiciendas, ſe plerunque vel invidiâ, vel odio, vel favore, vel metu, vel ſpe tranſverſos abripi patiebantur, id unum agentes, ut quæ omnibus ſcribebant, omnibus placerent, vel ſaltem quàm pauciſſimos offenderent:*

Verùm

Verùm hìc (quod in Epiſtolis privatis fieri ſolet) animi ſenſus & cogitata liberè & ingenuè panduntur, & nuda rerum recèns geſtarum veritas ſine fuco & fraude in amicorum ſinus effunditur.

Jam quid à nobis in hoc Opere præſtitum ſit, paucis accipe. Illis duodetriginta libris Epiſtolarum Eraſmi *à* Frobenio, *anno* CIↃ IↃXL. *excuſis, tres inſuper alios addidimus: Quorum primus, vigeſimus nonus videlicet, Epiſtolas nuncupatorias ſeu Præfationes complectitur: Trigeſimus eas continet quas Cl. Vir* Paulus Merula, *anno* CIↃIↃCVII. *&* Petrus Scriverius, *anno* CIↃIↃCXV. Lugduni Batavorum *evulgârunt: Trigeſimum primum librum ex ix. Tomo Operum* Eraſmi *deſumpſimus.*

Porrò Eraſmi *Vitam, quæ partim ab ipſomet* Eraſmo, *partim ab aliis conſcripta eſt, edendam curavimus. Deniq; nè quid huic noſtræ editioni deſit quod uſui tuo poſſit inſervire, Indicem totius operis congeſſimus, eúmq; adeò locupletem, ut non multa eſſe arbitremur obſervatu & memoratu digna quæ illic non indigitantur. Parem fidem & diligentiam in* Melanchthonis *ac reliquorum Epiſtolis congerendis edendiſq; præſtitimus. Tu Lector, utere, fruere noſtris laboribus: Nos interim eandem operam quam in Epiſtolis* Eraſmi *excudendis inſumpſimus, in Opuſculis ejus excudendis inſumemus. Vale.*

DES. ERASMVS ROTERODAMVS LECTORI S. D.

ANtehac teſtatus ſum, me nulli mearum lucubrationum minùs favere, quàm Epiſtolarum, & hujus animi mei cauſas recenſui, nec alia mihi nunc mens eſt quàm olim fuit. Attamen quum *Hieronymus Frobenius* aſſeveraret hoc opus totum jam biennium à ſtudioſis efflagitari, recognovi quod fuerat excuſum, & non mediocrem acceſsionem adjunxi. Sic ſum, optime lector, nihil negare poſſum his, quos ex animo charos habeo. Erant quidem inter evulgatas epiſtolas aliquot ad quoſdam, quos tum pro fidis amicis ducebam, amantiſsimè ſimul & honorificentiſsimè ſcriptæ, quos nunc patior improbiſsimos inimicos, ut nihil eſt tutum in rebus mortalium: nullas tamen ſubmovi, ſic exiſtimans, eas magis illis fore dedecori quàm honeſtamento. Nec ordinem mutare viſum eſt, tantùm univerſum opus in libros partitus ſum, quò lector faciliùs inveniat quod quærit. Erant amici qui per literas monuerunt; ſingulas juxta temporum ordinem digerendas eſſe; id etiam ſi fuiſſet in promptu, ob certas cauſas non eſt viſum conſultum: atque adeò nec argumentorum congruentiam ſequi placuit, quòd in hoc ſcripti genere primam gratiam habet varietas. Porrò, ſi quis aliquid tale deſiderat, diem & annum in calce ſingularum adjecimus: ad hæc, præfiximus Indicem, nominibus perſonarum, librorum ac epiſtolarum numeris adjectis, commonſtraturum quis ad quem ſcribat, & quoties ſcribat. Erant epiſtolæ complures, quas adjunctas cupiebam, ſi veniſſent ad manum: ſed migratio fuit in cauſa, ut multa perierint, quæ ſervata mallem: omnia verò ſic confuſa, ut magna pars fruſtra quæſita ſit. Hoc eò monere viſum eſt, ut ſi quis fortè, ubi viderit epiſtolas ad alios inferioris notæ amicos editas, doleat ad ipſum ſcriptas nuſquam extare, nè ſuſpicetur id malitioſo ſtudio factum. Hoc ſeculo neſcio quid ſcribi poſsit, quod non hunc aut illum offendat. Nos tamen pro viribus annixi ſumus, ut quæ mulſum haberent acrimoniæ, aut prætermitterentur, aut certè lenirentur. A nominibus traducendis libenter abſtinuimus, quod utinam in totum licuiſſet, verùm hoc non erat epiſtolas edere. Titulos ſolennes, non ſolùm ambitioſos, verùm etiam indoctos ac lectori moleſtos, omiſimus: quod obſecro nè quis ſiniſtrè interpretetur, quaſi contemptûs gratiâ ſit factum. Quis enim neſcit Reges eſſe invictiſsimos, ſereniſsimos; Abbates venerabiles, Epiſcopos reverendos, Cardinales reverendiſsimos, Pontifices ſanctiſsimos ac beatiſsimos? Hæc igitur, ut illa, invictiſsima majeſtas, reverendiſsima dominatio, gratioſiſsima celſitudo, & reverenda paternitas, non modò viciant *Latini* ſermonis puritatem, ſed Lectorem etiam ſupervacaneis ac moleſtis onerant. Benè vale. Datum *Friburgi Briſgoæ* ſeptimo Idus Auguſti. Anno M. D. XXIX.



DESIDERIUS ERASMUS ROTTERODAMUS.

Obijt Baſileæ. Ætatis ſuæ Anno 70. 30 die Iuly. Anno Domini 1536.

Ingens ingentem quem perſonat orbis ERASMUM.
Hæc tibi dimidium picta tabella refert
At cur non totum? Mirari deſine, Lector:
Integra nam totum terra nec ipſa capit.

Guil: Marſhall ſculpſit.

EPISTOLÆ DE COMITIIS AVGVSTANIS.

LIBER PRIMUS.

Doctori Martino Luthero Patri ſuo chariſſimo Philippus Melanthon S. D.

Epiſt.1. NOriberga non plus uno die ſubſtitimus,
ubi cognovimus Cæſarem poſtridie Pa-
ſcatis ex *Mantua* moviſſe, & properare
cum exiguis copiis in *Germaniam*. A
Turcis planè affirmant ſummum eſſe periculum.
Res Pontificiæ in *Italia* adhuc valdè impeditæ
ſunt. Nam obſidio *Florentina* infectâ re ſoluta eſt,
quia oppreſſo, & interfecto præſidio *Hiſpanico* ad
Piſtorium, exercitus qui in caſtris ad *Florentiam*
erat, properè contulit ſe ad *Piſtorium*, ut pœnam
ſumeret de perfidis ſociis, ita relicta eſt *Florentia*.
Feruntur hic & aliæ fabulæ, ſed indignæ quæ ſcri-
bantur, de *Afris*, qui totum mare Mediterrane-
um infeſtum reddunt, & Cæſari aliquot triremes
interceperunt, καὶ τὰ λοιπά. Valde prædicatur
conſtantia noſtri Principis, quòd non dubitavit ad
hunc conventum proficiſci, & id κατόρθωμα ſperant
aliquid momenti allaturum eſſe ad retinendam
pacem. Fuimus apud *Pirchamerum* hodie ego &
Jonas, qui de te, & cauſa honorificè ſentit, ſed eſt
paulò vehementiùs iratus τῷ [illegible]. Hodie per-
gimus, *Chriſtus* ſervet te; ora pro nobis omnibus.
Vale feliciter. *Noribergæ* die Jovis poſt *Quaſimo-
dogeniti*, Anno M.D.XXX.

D. Martino Luthero S.D.

Epiſt.2. IAm conduxeramus nuncium qui ad te, & deinde
Vvitebergam proficiſceretur; reſciverat enim
Jonas de filii morte ex literis *Viola* ſcribæ. Sed in-
ter ſcribendum ſunt nobis redditæ tuæ literæ po-
ſteriores per tabellarium D. *Apelli*. *Jonas* ſic ſatis
eſt æquo animo, poſtquam intellexit uxorem rectè
valere. Nam de illo tantùm erat ſolicitus, nec ego
nihil angebar. Et augebat ſuſpicionem, & curam
quod non miſeras *Pomerani* literas, quarum tamen
ille fecerat mentionem in literis ad te ſcriptis.
Cæſar nondum adeſt, ac mihi vix ante Pẽtecoſten
videtur affuturus. Non admiſit *Bavaros*, ὡς τὸν
γείτονα ad deliberationem de religionis cauſa,
vult enim ſe ſervare integrum. Feruntur duæ ſen-
tentiæ conſilii Cæſariani. Altera nè cognoſcat
cauſam, ſed propoſito edicto damnet: Altera ut co-
gnoſcat ordine, ac emẽdet vicia Eccleſiæ. In poſte-
riore ſententia dicitur eſſe *Mercurinus* ὁ ἀρχιγραμ-
ματεύς, vir ſummus & moderatiſſimus, quem
aiunt dicere, ſe in adverſa valetudine hac ſpe ſecu-
tum Cæſarem eſſe, quod arbitraretur fore, ut res
Eccleſiaſticæ rite cõſtituerentur, nolle ſe violentis
cõſiliis intereſſe. Nihil hic audivimus, quod magis
viderentur nobis dignũ memoratu. & certè dele-
ctor hâc voce & ſententiâ ſapientiſſimi viri. *Chri-
ſtus* reſpiciat, ac ſervet nos, & gubernet omnium
conſilia ad pacem, & utilitatem publicam. Addidit
Mercurinus hoc quoque: *Vvormaciæ* apparuiſſe,
quàm nihil proficiant violenta conſilia. Fuit enim
Vvormaciæ in comitatu, & conſilio Cæſaris. De
tua valetudine valdè ſoliciti ſum⁹ omnes, ac Prin-
ceps quoque. Rogamus igitur Deum ut te propter
Euangelium ſervet. A te quoque petimus, ut cures
C valetudinẽ. Doctor *Caſpar* miſit tibi per Principis
nuncium quædam remedia ad confirmandas cere-
bri vires, & cordis. Mirificè enim amat te. In *Apo-
logia* quotidie multa mutamus: locũ *De Votis*, quia
erat exilior juſto, exemi, ſuppoſitâ aliâ diſputatio-
ne eadem de re, paulò uberiore. Nunc de poteſtate
clavium etiam diſputo. Vellem percurriſſes articu-
los fidei, in quibus ſi nihil putaveris eſſe vitii, reli-
qua utcunq; tractabimus. Subinde enim mutandi
ſunt, atq; ad occaſiones accõmodandi. Nunc *Mace-*
D *do* agit, ut orationi noſtrorũ ſubſcribat, ac videtur
poſſe retrahi ad noſtros: ſed opus eſt tuis literis. Oro
igitur te quàm maximè, ut ad ipſum ſcribas, &
horteris eum, nè oneret ſuam conſcientiã alicujus
impii dogmatis defenſione. Nolo te ad juniorem
Principẽ reſcribere, nullum enim magis odit, quã
illum, quem antea magis quàm oculos ſuos amare
viſus eſt. Verùm eſt ingenium nòn tantum ætatis
vicio, ſed, ut mihi videtur, naturâ varium. *Sneppius*
E vir eſt optimus, & cõſtantiſſimus, ad quem vellem
te honoris ipſius cauſã, ſi quãdo poſſes commodè,
literas date. De *Friſiis*, juſſit Princeps D. *Pomera-
nus* iſtic *Saxonica* linguæ peritum hominem ido-
neum quærere, & mittere ad *Friſios*. In hanc ſen-
tentiam potes reſpõdere. Mitto tibi picturam ob-
ſeſſæ *Viennæ*. Per *Apelli* nuncium plura ſcribemus,
interim dabis huic nuncio noſtro literas ad tuam
uxorem honeſtiſſimam fœminã, poterit enim re-
ſponſum perferre. Vale feliciſſimè, & ora pro nobis
F *Chriſtum* Dominum noſtrum. Dominica *Vocem
Jucunditatis*.

D. Martino Luthero S. D.

CUm hodie ad te ſcripturi eſſemus per *Ionæ* ta- Epiſt.3.
bellarium, ecce præter opinionem noſtram,
ſed tamen optatiſſimè nobis afferuntur literæ tuæ.
Gratiſſimũ eſt nobis officium tuum, téq; rogam⁹,
ut de omnibus rebus tuis, quam ſæpiſſimè ad nos
G ſcribas. Ex *Norico* ad te dedimus literas, de quibus
etiam huic nuncio mandata dedi, ut ſi nondum eſ-
ſent tranſmiſſæ, tradi poſtularet. *Auguſtæ* certiora
cognovimus: heri enim rediit comitis *Alberti* pu-
er, qui miſſus erat ad exploranda Cæſaris itinera.
Is affert, Cæſarem Tridento moviſſe, &, ſi non
fallit nos ratio, jam pervenit ad *Inſpruk*.

Comes *Henricus Naſſaenſis* ſcripſit literas ple-

nas humanitatis & officii ad noſtrum Principem, hortantes ut maturè veniat ad conventum. Quanquam varient vulgi ſermones, tamen adhuc bene ſperamus de voluntate Cæſaris. Res tamen eſt, ut ſcis, ἐν γούνασι θεῶν. Orabis igitur quod ſcio te facere. Præter noſtrum nullus alius Princeps adeſt. Dux *Georgius* dicitur affuturus intra triduum, adducens ſecum *Cochlæum*, qui paucis literis mutatis fiet avis ἄλλος, de quo genere nobis ſcripſiſti, quàm ſuaviter in tua vicinia rhetoricentur. Et ut intelligas neutiquam vanum eſſe, *Eckius* qui geminatus, reddit vocem monedularum, *Ekekekel*, magnum acervum concluſionum congeſſit. Poſtulat a Principibus, ut inſtituatur diſputatio contra *Lutheranos*. Habet ſubſcriptorem meum veterem amicum *Billicanum*: is verò horribiliter minatur nobis. Sunt alii multi quos piget recenſere, verè κόλοιοι, καὶ κόρακες κοράζειν, καὶ ἴσα μετ᾽ ἀλλήλων γλῶττα. *Heſſi* Cancellarius *Ficulnus* ille heri venit, & affirmavit ſuum Principem in itinere eſſe. Venit unà *Sneppius* vir optimus, tuique amantiſſimus: qui nobis aliquam ſpem oſtendit, Principem ſuum in officio poſſe contineri, quanquam non diſſimulet magnum eſſe periculum. Narrat quantam dimicationem ſuſtineat cum illo περὶ δεύτης μεγάλης. Ait eum urgeri mirificè aſſiduis *Helvetiorum* literis, & *Surionem Sturni* ſingulis pene menſibus ad eum recurrere, ut τῷ σπεύδοντι ſtimulos ſubdat. Hæc me valde excruciant. Fortaſſe prodeſt te ad ipſum, aut certè ad noſtrum Principem juniorem literas mittere, ad confirmandum animum τοῦ μαλθακοῦ in ſacra doctrina. Videtur ſæpè levibus momentis impelli. Ego exordium noſtræ confeſſionis feci aliquanto ῥητορικώτερον, quàm *Coberga* ſcripſeram. Brevi autem ipſe afferam, aut ſi id non permittet Princeps, mittam.

Pene oblitus eram recenſere in monedulis *Cajetanum* tuum. Hunc enim aiunt adducere Cæſarem. *Norimberga* de *Campegio* audieram, ſed hic affirmant *Cajetanum* eſſe. Ego ſanè *Campegium* malim, ut virum peritum rerum civilium. Alter eſt homo ineptus, & incivilis, quo genere hominum nihil eſt intractabilius. Doctor *Caſper* miſit literas, & remedium; *Chriſtus* ſervet te. Literas tuæ cõjugis remitto tibi. *Caſparis* epiſtolam retinui, de quo ſi Deus dederit nobis pacatum reditum, videbimus ut habeat locupletiorem. Si iſtic eſſem, non gravarer te juvare. Vale feliciter.

D. Martino Luthero Phil. Melanthon S.D.

Epiſt. 4. PRidie *Corporis Chriſti*, quod fauſtũ ſit, felixque, Cæſar urbem *Auguſtam* veſperi circiter octavam horam eſt ingreſſus. Noſter Princeps de more prætulit enſem. Ibi cum ſerò admodum (nam pompa tardè procedebat) ventum eſſet in hoſpitium Cæſaris, mox petitum eſt, ut conciones intermitterentur. Hac de re poſtea diebus tribus diſputatum eſt. Neque enim ſtatim deſierunt noſtri concionari. Tandem poſt longam decertationem, decurſum eſt eò, ut Cæſar utriq; parti prohiberet conciones. Ipſe unum aliquem jubebat recitare Euangelium, & Epiſtolam ſine explicatione. Ita meo judicio futurum eſt, ut magis etiam ſuam partem Pontificii lædant. Multas cauſas pro tua prudentia facilè colligere poteris.

Sic ſe habent principia, nihil ſpei oſtenditur ex aula Cæſariana. Nam *Campegius* tantùm eſt au-

A tor, ut vi opprimamur. Neque quicquam in tota aula eſt mitius ipſo Cæſare. Nam ipſe mitigavit acerbiſſimas ſententias Principũ, ut mihi narravit Dux *Henricus Brunſvicẽſis*. Duo tantùm ſunt Principes, qui afficiuntur noſtro periculo, *Moguntinus*, & *Brunſvicenſis*. *Palatinus*, *Badenſis* Marchio non adſunt. *Bavari* mirabiliter inſolentes ſunt. Orabis igitur Deum pro nobis. *Cornelius* inquit, ſpem ſe habuiſſe pacis aliquam, vivo *Mercurino*. Hoc extincto neminem eſſe in aula affirmat, qui
B autoritate valeat, qui pacis autor ſit: ſed ludit ſuo more, ac videtur ſingulari diligentiâ cavere, nè veniat in ſuſpicionem noſtræ amicitiæ. Ideo nihil nos adjuvat. Eſt alius quidam *Hiſpanus* Secretarius, qui benignè pollicetur, & jam cum Cæſare & *Campegio*, de mea ſententia contulit. Sed tota res ἐν γούνασι θεῶν. Vale.

D. Martino Luthero S.D.

C ANte biduum dedimus *Cobergenſi* nuncio literas, quem quia heri hîc vidi, facilè anteverti. *Arnoldus* noſter ex aula *Megelburgenſi* domum redit. *Spalatinus* perſcripſit tibi *Hiſpanorum* procerum concilium de noſtra cauſa, quod meo judicio eſt honeſtiſſimum. ἡ ἀδελφὴ αὐτοκράτορος, mulier verè heroico ingenio, præcipuâ pietate, & modeſtiâ, ſtudet nobis placare fratrem, ſed cogitur id timidè & verecundè facere. Unus ruſticus mirum in modum furit, & incitat Imperatorem, Epiſt. 5.
D nè quid nobis permittatur, id quod ex ipſo intellexi legato *Campegio*: & mali ſolum valent, & in peſſima cauſa fortiores ſunt, quàm boni in optima. Videtur futurum, ut imperet Cæſar, ut omnia reſtituantur in integrum, donec ſynodus has controverſias judicaverit. Nondum adverſarii reſponderunt, quare certi nihil habemus. Hæc tantum conſuſurrant inter ſe inimici. Vale, & ora pro nobis, nihil opus eſt te ſingulis ſcribere, unâ enim epiſtolâ omnibus ſatisfeceris. X. Julii.

E

D. Martino Luthero S.D.

VErſamur hic in miſerrimis curis, & planè perpetuis lachrymis. ad has hodie mira conſternatio animorum noſtrorum acceſſit, lectis *Viti* literis, in quibus ſignificat, te nobis ita iraſci, ut noſtras literas nè legere quidem velis. Non exaggerabo, mi pater, dolorem meum verbis, ſed te quæſo ut repures, quo loco, quanto in periculo ſi- Epiſt. 6.
F mus, ubi præter tuam conſolationem nihil quicquam ſolatii habere poſſimus. Quotidie confluunt huc Sophiſtæ, ac Monachi, ut accendant odiũ Cæſaris adverſus nos. Amici, ſi qui antea fuerunt noſtri, abſunt. Nos hic ſoli ac deſpecti infinitis conflictamur periculis. Oro igitur te ut reſpicias vel nos qui certè autoritatẽ tuam in maximis rebus ſequimur, vel Rempub: & non recuſes legere noſtras literas, & reſpondere, tùm ut gubernes noſtras actiones, tùm ut conſoleris nos. Cæſari eſt ex-
G hibita defenſio noſtra, quam tibi mitto legendam. Satis eſt meo judicio vehemens. Nam Monachos hic ſatis depictos videbis. Nunc mihi videtur conſtituendum, priuſquam reſpondeant adverſarii, quid velimus concedere ipſis, *De utraq; ſpecie*, *De Conjugio*, *De privata Miſſa*, quam nullo modo videntur amiſſuri adverſarii. Hunc nuncium conduxi de meo, & nuper miſeram peculiarem nuncium.

um,qui à te rediit inanis. Adverſarii jam delibe- A
rant, quid velint reſpondere. Omnia igitur pen-
dent adhuc. Vale feliciter.

D. Martino Luthero S.D.

Epiſt.7. QUanquam heri miſimus tabellarium de no-
ſtro conductum, ut tibi nos purgaremus de
ſilentio: tamen cùm hodie iturus eſſet *Februarius*,
iterum ſcripſimus, nè quem vacuum hinc dimitte-
remus. Non poteſt dici quantum dolorem accepe- B
rimus lectis *Viti* literis,qui ſignificat,te implacabi-
liter iraſci, quòd parum aſſidui in ſcribendo viſi
ſumus. Nullo unquam tempore magis fuit nobis
opus conſilio,& conſolatione tuâ,quàm nunc,cùm
verſemur in periculoſiſſimis negotiis, & quidem
tuam hactenus ſecuti autoritatē. Itaq; te oro pro-
pter gloriam Evangelii, ut nos reſpicias, vel pro-
pter Rempub: quæ,niſi te gubernante,graviſſimas
tempeſtates ſubitura videtur. *Chriſtus* paſſus eſt
ſe excitari in navicula periclitante. Nos hic cer- C
tè multò cum majoribus periculis conflictamur,in
quibus nihil acerbius poſſit accidere nobis omni-
bus quàm ſi tu nos deſtituas. Non audeo hac de re
queri apud *Pontanum*, nè quam ei ſollicitudinem
graviorem injiciam. Adhuc is ſtatus fuit noſtra-
rum rerum,ut magnā partem temporis in lachry-
mis hîc conſumpſerimus. Quare noli putare nos
tanquam *Ulyſſis* ſocios voluptate aliquâ captos ob-
liviſci tui. Et quidem ſæpe ſcripſimus, quod verè
confirmare poſſumus. Noſtra cōfeſſio eſt exhibita D
Imperatori, exemplum etiam tibi miſimus, quod
apud te retinebis,nè emanet in publicum,vetat e-
nim Imperator edere. Scripſi tibi,ut mihi ſignifi-
ces,ſi ita res tulerit,quantū cedere adverſariis poſ-
ſimus. Res ſunt antea deliberatæ, ut ſcis,ſed ſem-
per aliter in acie ſe dant,quàm antè ſunt delibera-
tæ. De Miſſa privata ſuſpicor maximum fore cer-
tamen. Sed nihil adhuc habeo certi. *Faber*, *Eccius*,
imò etiam Principes aliquot nihil niſi vim,et bel-
lum meditantur. Deus diſſipet cogitationes popu- E
lorum,qui bella volunt. Vale,& pro nobis ora.

D. Martino Luthero S.D.

Epiſt.8. SCripſi tibi ſubinde novas deliberationes ha-
beri,id reipſa experimur. Heri in ſenatu Prin-
cipum decretum factūm eſt, ut Cæſar de conſenſu
univerſæ *Germania* oretur, ut cogi Synodum cu-
ret. Erat adjectum caput alterum, ut interim ea
ratio ſervetur,quæ paci nihil officeret. Noſtri pu- F
gnârunt, ut ſecundum caput omitterent, quod
quanquam ipſi fecerint, nonnullis adducti cauſis,
mihi tamen non admodum placet. Nimis cauti
volumus videri. Mitto tibi indicem ſcriptorum,
quæ ſunt exhibita Cæſari à noſtris adverſariis,ubi
videbis, ſcelerato conſilio ἀντιλογίας & alia addi
confutationi, ut irritent [illegible] manſuetiſſimum
Cæſaris pectus. His artibus pugnant ſycophantæ.
Si continget, ut reſpondendum ſit, ego profecto
remunerabor iſtos nefarios viros ſanguinum. Ali- G
quoties jam fui apud quoſdam inimicos ex illo
grege *Ecciano*, non poſſum dicere, quantam odii
Phariſaici acerbitatem deprehenderim. Nihil
agunt, nihil meditantur, niſi ut concitent adver-
ſus nos Principes, & impia arma induant optimo
Imperatori. Vale & ora pro nobis. Veneris poſt
Margareta.

D. Martino Luthero S. D.

HAbemus tibi maximas gratias, quòd non *Epiſt.9.*
gravatus es reſpōdere. Ac de aliis quidem re-
bus coràm. Brevi nunc perſcribam, quid hic fiat.
Exhibitâ noſtrâ cōfeſſione triplices ſententiæ ja-
ctatæ ſunt,in ſenatu Principum. Prima erat atro-
ciſſima, ut ſimpliciter cogeret Imperator omnes
Principes ac populos, edicto *Vvormacienſi* parere.
B Altera fuit mitior,ut noſtra confeſſio committere-
tur viris bonis,& eruditis, ac neutri parti addictis
judicanda,poſtea Cæſar pronunciaret. Hæc etiam
inducta eſt à Rege *Ferdinando*. Tertia nunc vide-
tur valitura, ut nobis recitetur confutatio noſtræ
confeſſionis. Deinde petit Cæſar, ut ipſius judicio
rem committamus,quod ſi nolumus facere, Cæſar
mandat nos omnia in integrum reſtituere, donec
Synodus cogatur. Hæc ſententia nondum promul-
gata eſt, nondum enim nobis reſponſum eſt, ſed
C exiſtimo futurū, ut proximo die Lunæ promulge-
tur. Nihil expecto mitius. Cognovi enim ſenſum
legati *Campegii*. *Moguntinus* ubi vidit, ſe diu pu-
gnando nihil perficere, poſtridie non venit in Se-
natum. Cum in hanc ſententiam irent Principes,
excluſi ſunt & Principum conſiliarii, ſi qui viſi
ſunt dicere ſententias æquiores. In his etiam fuit
ἀρχιγραμματεὺς *Dreſenſis*. Narravi tibi non modò
hiſtoriam rerum hactenus geſtarum, ſed etiam ea-
rum, quæ ſunt in expectatione, nihil exaggerans.
D Sentio enim quos motus,quàm miſerabilem Tra-
gœdiam paritura ſit ſententia adverſariorum.
Omnes unus meo judicio gubernat ruſticus,quem
nôſti,& ſubdunt ei faces quidam hypocritæ Theo-
logi. Nihil poſſum ſcribere amplius. Vale,& pro
nobis ora. Octavo Julii.

D. Martino Luthero S.D.

NOndum exhibita eſt nobis adverſariorum *Epiſt.10.*
E confutatio, & audio ejus moræ cauſam eſſe,
quia eam de Cæſaris conſilio emendânt, & de-
munt convicia. Sed hodie accepi ex *Campegio* in-
tra paucos dies prodituram. Ubi prodierit,conje-
cturam capiemus de diſceſſu. Nos enim petemus,
ut permittant nobis ἀνταπολογίας, quod ſi conceſ-
ſerint,non diu manebimus. *Eraſmus* reſcripſit Cæ-
ſari,apertè probans cauſam noſtrā, *De conjugio ſa-
cerdotū*, *De Votis*, *De utraq; ſpecie*. Hos enim Arti-
culos nominatim attigit. Tu videris in reſpōſionib⁹
F de *Traditionib*. nonnihil ſtomachari. Sed rogo te,ut
mihi ſic diſputanti ignoſcas. Magnæ res ſunt,et qui
adſunt,non multùm adjuvāt me. Satis certus ſum,
quòd non liceat Epiſcopis onerare eccleſiam,& ita
ſcripſi in confeſſione, neque id muto. Sed de aliis
rebus tecum συζητῶ. Obſecro te,ut mihi non de ef-
ficiente cauſa Traditionū,ſed illa finali reſponde-
as,quam ego poſui quintam,ſcilicet,Utrum obſer-
vationes electæ à piis poſſint eſſe λατρεῖαι, ut ſi
Bernardus jam rectè ſentiēs de Juſtificatione eli-
G gat certam obſervationē, an illa obſervatio poſſit
eſſe cultus,ſeu opus,quo propriè agantur gratiæ, &
laudetur Deus. Id eſt enim quod vocat *Thomas*
λατρείαν. Ego ſentio tale opus tantùm eſſe corpora-
le exercitium,non cultum, ut,ſi certis diebus jeju-
net, finem operis eſſe proprium corporis caſtigati-
onem,non cultum,ſed laudem Dei. Loquor enim
de fine immediato,& judico *Bernardum* falli,quod

id opus interpretatur eſſe cultum. Ita ſi *Petrus* conſtituat obſervationem diei Dominici, id opus judico non cultum eſſe: ſed habere utilitatem corporalem, ut certo die conveniat populus. Sed *Thomas* reclamat, faciat cultus ex his ἐθελοθρησκείας, idem de Votis ſcribit. Obſecro te nè gravere mecum de his rebus confabulari per literas. Non enim nihil adfert utilitatis hæc commemoratio. Vale feliciter. XXVII. Julii. *Auguſtæ*. M.D.XXX.

D. Martino Luthero S.D.

Epiſt. 11. HOdie putaverunt confutationem τῆς ἐξομολογήσεως ἡμετέρας publicandam eſſe, ſed rumor falſus fuit. Non exiſtimant tamen diutius dilaturos eſſe. Eam publicationem poſtea aiunt ſecutura eſſe horribilia edicta. Quanquam autem certi nihil habemus, tamen multæ ſunt conjecturæ, propter quas perſuadeor facilè, nihil æqui nos impetraturos. Tu tamen orare *Chriſtum* pergito, ut flectat animum Cæſaris ad pacem. Quidam ſignificant appellationem ad Synodum non obfuturam nobis; Sed poſt paucos dies omnia ſciemus. Ego tuſſi odioſiſſimâ laboro, quam ex paucarum noctium inſomnia contraxi. Cætera narrabit *Caſpar Aquila*, qui redit. Honorificè hic tractatus eſt, & ab amicis, & ab ipſo Epiſcopo *Auguſtano*. Hodiè in ſenatu Principum nihil diſſimulans, legit tuam παραίνεσιν. Conſtantiſſimè propugnat nos, ſed quantum proficiat non video. Vale. XX. Julii.

D. Martino Luthero S.D.

Epiſt. 12. RAriores habemus tabellarios, quàm utrique vellemus, hoc præſertim tempore, cum eſt ἐπίτασις noſtri negotii. Tandem audivimus confutationem tertiâ Auguſti, & ſententiam Cæſaris, quæ ſatis aſpera eſt. Nam priuſquam legeretur cõfutatio, Cæſar inquit, ſe in ea ſententia, quam ibi perſcribi curâſſet, manſurum eſſe, & petere, ut idem faciant Principes noſtri, quod ſi nolint facere, ſe cum ſit defenſor Eccleſiæ, nolle ſchiſma in *Germania* tolerare. Hæc fuit orationis ſumma, quæ quanquam eſſet atrox, tamen cum confutatio eſſet valde pueriliter ſcripta, mira gratulatio ſecuta eſt lectionem. Nullus *Fabri* liber extat tam ineptus, quo non ſit ineptior hæc confutatio. *De utraq; ſpecie* allegavit hiſtoriam de filiis *Heli* manducaturis panem, hinc argumẽtatus eſt ſolo pane decere Laicos contentos eſſe. *De Miſſa* mirabiliter frigida fuit defenſio. *Joachimus* rediẽs ab ea lectione, nam ego non interfui, mihi dixit, valde me errare, qui me uſque adeo variis diſputationibus cruciarem de cauſis Traditionũ. Nihil tale in mentem venire poſſe. Noſtri petiverunt exemplum confutationis, ſed Cæſar reſpondit ſe deliberaturum, utrum eſſet exhibiturus. Poſtridie accerſit Principes, iterum hortatur, ut in ſententiam eant, quæ ſcripta eſt in confutatione. De exemplo inquit, ſe eâ lege exhibere, nè edatur, vel tranſcribatur. De hac re diu tenuit contentio, tãdem dirimunt eam *Moguntinus*, & frater, & *Brunſvigius*. Hi accedunt ad noſtros Principes, & jubent omittere hoc certamen, ſe, nè Cæſar vehementiùs commoveatur, de tranſigendo toto negotio conſilia habituros eſſe. Itaq; confutationem illam nondum videre licuit, & expectamus hodiè quas conditiones Principes illi nobis propoſituri ſint. Habes noſtra omnia. Viri boni, & ſapi-

A entes omnes viſi ſunt mihi erectiore animo eſſe, auditâ illâ pueriliter ſcriptâ confutatione. Noſtri ἄρχοντες faciliùs poſſent impetrare pacem, ſi ambirent ipſum Cæſarem, & ſaniores Principes, ſed mira eſt negligentia, &, ut mihi videtur, tacita quædam indignatio, quæ ab iſtis officiis eos abducit. Res tota eſt ἐν γόνασι θεοῦ, nec regitur ullâ humanâ diligentiâ. Id interdum ſtomachor, interdum reputo Deum hæc præſidia nobis adimere, nè confidamus nobis. Tu igitur diligenter orabis, ut Deus
B ſervet nos, & det pacem Reipub. *Landgravius* valdè moderatè ſe gerit, mihi etiam apertè dixit, ſe pacis retinendæ cauſâ etiam duriores conditiones accepturum eſſe, quaſcunque ſine contumelia Euangelii accipere poſſit. Vale. VI. Auguſti.

D. Martino Luthero S. D.

POſtquam non deſtitit Cæſar petere, ut noſtri irent in ſententiam ſcriptam in *Fabrili* confu- Epiſt. 13.
C tatione, & noſtri contra contenderunt, ut exhiberetur nobis exemplum confutationis, neque finis apparuit ejus certaminis: quidam Principes hortati ſunt, ut omitteremus illud certamen, & polliciti ſunt ſe inituros rationem pacis faciendæ. Hæc ſignificavi proximis literis. Ecce poſtridiè *Landgravius* abit clam omnibus, reliquit tamen hìc mandata. Cæſar ſtatim acceſſit noſtros, & petit nè diſcedant, præſertim poſtquam Principibus permiſerit, ut de componendo negotio nobiſcum a-
D gant. Viſus eſt æquum poſtulare Cæſar. Quare noſtri reſpondent, ſe inconſulto Cæſare nunquam abituros eſſe. Ego de *Landgravii* conſilio nihil affirmare poſſum, ſed videtur commotus indignitate actionum, ſpem pacis abjeciſſe. Quanquam, ut dicam, quod ſentio, ſuſpecta mihi in eo ſimulatio moderationis in talibus negotiis hic fuit. Nunc Principes illi nihil adhuc egerunt, quod magnopere ad pacem facturum videatur. προοίμια fuerunt de Cæſaris voluntate petente feriò auxilia.
E *Marchio* omnia τραγικῶς exaggeravit, ad abſterrendos noſtros ab hoc doctrinæ genere. An præterea ad æquas conditiones deſcenſuri ſint, nondũ ſcimus. Monachorum *Spirenſium* σῆμα, de quo ſcribit *Iſlebius*, planè ſignificat horribilem tumultum. Vale feliciſſimè. VIII. Auguſti.

D. Martino Luthero S.D.

MIttitur tibi apologia noſtra, quanquam ve- Epiſt. 14.
F riùs confeſſio eſt. Neque enim vacat Cæſari audire prolixas diſputationes. Ego tamen ea dixi, quæ arbitrabar maximè vel prodeſſe, vel docere. Hoc conſilio omnes ferè articulos fidei complexus ſum, quia *Eckius* edidit δυσθεωρητάτας διαλέξεις contra nos. Adverſus has volui remedium opponere. Tu pro tuo ſpiritu de toto ſcripto ſtatues. Dux *Georgius*, & *Marchio Ioachimus* profecti ſunt ad Cæſarem. Ibi habentur de noſtris cervicibus comitia. Orabis igitur Deum, ut diſſipet con-
G ſilia gentium, quæ bella volunt. Refertur ad te quæſtio, de qua magnoperè peto ut reſpõdeas. Non dubium eſt, Cæſarem prohibiturũ eſſe *Cinglianas* conciones. Suſpicamur igitur fore, ut hoc prætextu noſtræ cõciones etiam prohibeantur, quia *Iſlebius* jam in publico templo concionatur. Quid igitur cenſes? Eſtnè relinquendus locus publicus, ſi Cæſar ita oſtendet hoc ſe petere, ut ſine motu *Cinglia-*

na

næ conciones etiam prohiberi poſſint? Ego reſpõdi cedendum eſſe voluntati Cæſaris, in cujus urbe jam ſumus hoſpites. Sed noſter ſenex difficilis eſt. Quid igitur tibi videatur, quæſo ut ſcribas *Germanicè* in peculiari charta. Amabo hac de re velis reſpondere. Cæſarem non arbitramur poſſe advenire intra dies quatuordecim. Nunc enim conventus agitur ditionum *Auſtriacarum* in *Salmis*. Nihil novi habemus præterea, neq; quid ſperandum ſit de conſiliis Cæſarianis exiſtimare poſſumus in tanta opinionum varietate, ſed expectamus auxilium à *Chriſto*. Vale feliciter.

D. Martino Luthero S. D.

Epiſt. 15. HEri finivimus Collationem, ſeu potius Contentionem, quæ fuit inſtituta coram arbitris. Arbitri fuerunt initio *Henricus Brunſvicenſis*, *Auguſtanus*, *Eccius*, *Cocleus*, poſtea *Henrico Brunſvicenſi* ſuffectus eſt Dux *Gregorius*. Nam *Brunſvigus* coactus erat abire ὡς τὸν μακαδῶνα, quem timent contrahere exercitum. De dogmatibus ſic ſe res habent. Cavillabatur *Eccius* nomen *Sola*, cum dicimus. *ſolà fide juſtificari homines*, neque tamen rem damnabat, ſed dicebat imperitos offendi. Nam coegi eum fateri, rectè tribui à nobis juſtitiam fidei. Voluit tamen nos ita ſcribere, *quòd juſtificemur per gratiam & fidem:* Non repugnavi, ſed ille ſtultus non intelligit vocabulum *gratiæ*. Altera rixa fuit De remiſſione pœnæ, et ſatisfactionibus. Tertia De meritis. In his duob⁹ locis nihil cõvenit, quanquam eſt exiguũ, quod merito tribuit, nos tamen nè illud quidem recepimus. Deinde ventum eſt ad utramq; ſpeciem. Hic maximâ cõtentione conatus eſt oſtẽdere, quòd non ſit præceptum ſumere utramq; ſpeciẽ. Sentit prorſus indifferens eſſe, ſumere unàm aut ambas. Et ſi hæc doceremus, libenter erat nobis conceſſurus utramq; ſpeciem. Ego non potui hæc recipere, & tamen excuſavi hos, qui hactenus errore unam ſumſerunt. vociferabantur enim totam à nobis Eccleſiã damnari. Quid tibi videtur? Ordinatio *Chriſti* juxtà ad Laicos & clericos pertinet, quare cum Sacramento uti cogamur, mentes formam integri ſacramenti retinere debent. Tu ſi ſic ſentis, ſcribe planè. De Miſſa, Votis. Conjugio nihil diſputatum eſt, tantum propoſitæ ſunt conditiones, quas tamen nos non accepimus; Non poſſum divinare de exitu. Quanquam enim adverſariis etiam pace opus ſit, tamen quidam videntur non expendere, quantum periculum futurum ſit, ſi res ad arma deducatur. Nos moderatiſſimas conditiones proponimus, reddimus obedientiam Epiſcopis et Juriſdictionẽ, & communes ceremonias pollicemur nos eſſe inſtauraturos. Hæc quantum habitura ſint momenti, ignoro. Tu orabis *Chriſtũ*, ut ſervet nos. 22. *Aug.*

D. Martino Luthero S.D.

Epiſt. 16. PEr *Cyriacum* plura ſcribemus, qui cras abiturus eſt. Mitto tibi quæſtiones quaſdam, de quibus rixamur cum adverſariis. Hujuſmodi argumenta captant, non quæ doctrinam pietatis contineant, ſed quæ plurimum valeant ad concitandam invidiam, & noſtra moderatio in talibus locis auget inſolentium hominum ferociam. Non poteſt dici quos agunt triumphos hic. Si meo nomine, non Principis, verſarer in his negotiis, nullo modo ferrem hanc ſuperbiam. Nunc me omnia diſſimulare cogunt Principum pericula, Reipublicæ diſcrimina, Voluntates noſtrorum mirabiliter aut imbecilles, aut parum in loco fortes. Nihil tamen, ut ſpero, faciemus contra Euangelium. *Pontanus* profectò declarat, ſe eſſe virum fortem & bonum. *Bucerus* ſcribit tibi περὶ δείπνου κυριακοῦ, & vult accedere ad noſtram ſententiam. Sentit adeſſe corpus *Chriſti* in pane. Hæc ſumma eſt. Scripſi ei propoſitiones, ſed certo conſilio miſit ſuas propoſitiones, plura non potui ſcribere. Mox reſponde. Vale. poſtridiè *Bartholomæi*.

Auguſtæ *delecti ſunt arbitri quatuordecim.*

A noſtra parte,

Georgius Marchio Brandeburgenſis.
Iohannes Fridericus Dux Saxoniæ.
D. Pontanus.
D. Heller.
Philippus Melanthon.
Johannes Brentius.
Sneppius.

Ab adverſa parte,

Henricus Dux Brunſvicenſis.
Epiſcopus Auguſtanus.
Cancellarius Badenſis.
Cancellarius Colonienſis.
Eccius.
Menſingerus.
Cochlea.

Inter hos cum minus conveniſſet, tandem electi ſunt,

Pontanus.	*Eccius.*
Hellor.	*Cancellarius Colonienſis.*
Philippus:	*Cancellarius Badenſis.*

D. Martino Luthero S.D.

TUum judicium de poſtulatis adverſariorum *Epiſt.* 17. nondum accepimus, cum quidem maximè interſit, nos id habere. Adhuc tota res poſita eſt in his negotiis. Volunt ut fateamur, neq; ſumentes, neque porrigentes alteram ſpeciem Sacramenti peccare. Nos excuſavimus ſumentes, de porrigentibus hæret res. Synodus *Baſilienſis* hac conditione conceſſit *Bohemis* integrum Sacramentum, ſi faterentur, rectè poſſe unam ſumi, ac dari. Hanc confeſſionem, & à nobis cupiunt extorquere. *Eccius* inquit, ſe ideo laborare, quia non poſſit vulgus retineri in officio, niſi & nos liberem⁹ vulgi cõſcientias de Sacramẽto. Tuam igitur ſententiam audire cupimus. Cauſam applicationis Miſſarũ ſuſpendũt ad Synodum, quã in re ſignificãt, ſe non imponere nobis hoc onus, ut impiam de Miſſa opinionẽ recipiamus, et tamen Canonem recipere nos jubẽt, ſed cum commoda et pia interpretatione. Video nobis inſidias ſtrui, & quid mihi in privata confeſſione faciendũ eſſet, facilè judicare poſſem. Sed hæc res eſt cõmunis omnium, ideo aliorum ſententias non reprehendendas eſſe cenſeo. Valde reprehendimur à noſtris, quòd juriſdictionem Epiſcopis reddimus. Nam vulgus aſſuefactum libertati, & ſemel

 excuſſo

excuſſo jugo Epiſcoporum, ægrè patitur ſibi rurſus A
imponi illa vetera onera,& maximè oderunt illam
dominationem civitates imperii. De doctrina religionis nihil laborant, tantum de regno & libertate ſunt ſoliciti. Mitto tibi exemplum noviſſimè
poſtulatorum, ut faciliùs reſpondere poſſis. Vale.
Poſtridie Auguſti.

D. Martino Luthero S.D.

*Epiſt.*18. NEque de privatis rebus, neque de publicis, B
quicquam ſcribere poſſum, tot jam dies colloquimur ſe ſarcienda concordia, neque tamen
expedimus quicquam. Urgent de Miſſa privata,
deq; aliis rebus proponunt conditiones, quas non
ſatis tutum videtur accipere. Exiſtimo ex prioribus noſtris literis illas te intellexiſſe. Interim addunt atrociſſimas minas,qua in re,etſi nihil moveor meo periculo,tamen interdum conſidero,quanta ſit imbecillitas animi in noſtris ἐγχωρίων. Fortaſſe prius confecta erunt omnia, quàm ad te per- C
veniant hæ literæ. Nam γραμματοφόρος eſt tardus. Quare nunc deliberare nihil poſſum. Hodiè
erat veniendum in colloquium,cum quidem neq;
ego neq; *Pontanus* ſciremus,quid eſſet agendum,et
quæ eſſet ſumma ſententiæ Principum. Omnino
hæc ἀηθία καὶ ἀτοπία videntur,non minus ſignificare aliquid, quàm portenta, quæ vulgus obſervat. *Chriſtus* liberet nos ex tantis periculis. Vale
feliciter. 26.Auguſti.

D. Martino Luthero S.D.

*Epiſt.*19. SCio tibi diuturnum hoc ſilentium moleſtiſſimum eſſe, præſertim hoc tempore quo maximè nos oportuit colloqui: Verùm ita mihi credas,nulla res æquè me offēdit in aula,atq; iſta negligētia, quòd non mittunt ad te crebriores tabellarios; Nos quidem impetrare non poſſumus ut
mittant.Has literas miſi ad *Ioachimū*.Non recepimus cōditiones ab adverſariis propoſitas,de utra- E
que ſpecie,de Conjugio,de Miſſa.Itaq; rurſus rejecta eſt res adCæſaris deliberationes.Is petivit ante
triduum,ut omnia in priſtinum ſtatum reſtituantur,quòd ſi tamen gravari videamur hac ſentētiā
ſuā, operam pollicetur ad tranſactionem. Noſtri
reſpondent, ſe nihil ſcire, quod largiri adverſariis
poſſent,præter ea, quæ jam largita ſunt. Ita hæret
res, & tamen hodie de quibuſdam pacis conditionibus deliberavimus, quas ſi urgebunt adverſarii,
Princeps prius ad te mittet, quàm aliquid cōſtitu- F
at. Noſtri ſocii planè videntur ἐλεατίζειν, hoc magis nobis puto pacem faciendam eſſe. Nihil moderati reſpondent Legati *Norici*,& *Heſſi*,& aſſentantur his *Luneburgici*. Noſtri judicant non eſſe
amittendam occaſionem faciendæ pacis,ſi qua fieri honeſtè poſſit.Impendet enim horribilis mutatio univerſi imperii, ac omnium rerum, ſi res ad
arma deducetur.Hodie intellexi ex quodam Principe viro,& amico Cæſaris,*Helvetios* mira conſilia habere de perturbanda publica pace. & *Turcas* G
certam & horribilem expeditionem parare. Vale
feliciter. IV.Septembris M.D.XXX.

D. Martino Luthero S. D.

*Epiſt.*20. ANte triduum finitum eſt colloquium noſtrum. Noluimus enim conditiones de altera

A Sacramenti parte,de Canone,de Miſſa privata accipere,item de Cœlibatu.Nunc res iterum ad Imperatorem relata eſt,ut,quid futurum ſit, divinare
non poſſim. Tantum oremus Deum,ut mentē Imperatoris flectat ad pacem retinendam, quâ nunc
maximè opus eſt,non tantùm nobis, ſed univerſæ
Germaniæ.Non credis quanto in odio ſim *Noricis*,
& neſcio quibus aliis,propter reſtitutam Epiſcopis
juriſdictionem,ita de ſuo regno non de Euangelio
dimicant ſocii noſtri. Amicus quidam ſcripſit,me,
B ſi quanta voluiſſem maxima pecunia à *Romano*
Pontifice conductus eſſem,non potuiſſe meliorem
rationem ſuſcipere reſtituendæ dominationis Pontificiæ, quàm hanc eſſe judicent homines, quam
inſtituimus. Ego nullum adhuc articulū deſerui,
aut abjeci,qui ad doctrinā pertineat, tantum ſtomachabantur de politicis rebus, quas non eſt noſtrum eripere Epiſcopis. Brevi, ut ſpero,ſciemus,
quid decernet Imperator.Vale feliciter.Die *Egidii*.

C *D. Martino Luthero* S. D.

HEri veſperi Principes fuerunt in Palatio Cæ- *Epiſt.*21.
ſaris uſque ad medium nonæ, & acceperunt
reſponſum,Cæſarem velle curare congregari concilium,ſed more antiquo *Romanæ* Eccleſiæ, & fortaſſe extra *Germaniam* propter negotia Cæſaris.
Interim reſtitui debere omnia Papiſtis, ſed hoc
adhuc non eſt planè decretum. Si quid adhuc velint contendere noſtri in illis articulis, de quibus
D controvertitur, velle Cæſarem adhuc per octo
dies præſidere. De hoc hodie agent noſtri Principes Cæſari gratias, & dicent ſe in nullo poſſe cedere. In ludis equeſtribus *Ferdinandi*(cum feudum
à Cæſare in campo pro portis,jure *Auſtriaco*, acciperet) ſex homines occiſi ſunt uno die. Duo perierant diſſiliente Bombarda, & bene ſalutante
omnes circumſtantes. Unus ex militib' à quodam
imprudenter dirigente Bombardam ictus, per os
& medium cerebri tranſeunte globulo,ſubitò cō-
E cidit, & in ceſpite ſepultus eſt. Quidam alius ab
irato *Hiſpano*, cui è conſpectu cedere noluit, confoſſus eſt. Sextus per ponticulum incedente turbâ
decidens ſubmerſus eſt. *Marchio à Baden* calce
equi percuſſus,ex illo ſpectaculo abiit. Rex ipſe in
conflictu ter proſtratus eſt, ut dicitur, tertio non
ſine læſione alterius lateris. *Vale*.

D. Martino Luthero S.D.

F TOto pectore ago gratias Deo Patri miſericor- *Epiſt.*22.
diarum,& Domino noſtro *Jeſu Chriſto*,Pontifici noſtro interpellanti pro nobis, συναντιλαμβάνοντι
ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν, quòd morbi nimii periculum
levare cœpit. Gaudeo enim ex animo, cùm tuo,
tum Reipub. nomine,te reviviſcere;& hanc lætitiam auget,quòd juvat exemplum vidiſſe,quo manifeſtè teſtatus eſt Deus, ſe hanc noſtram Eccleſiam reſpicere.Hîc omnium Principum, & aliorum
bonorum virorum vultus, atque congreſſus fue-
G runt hilariores, poſtquam allatæ ſunt literæ tuā
ſpem vitæ oſtendentes.Agnoſcunt tuo miniſterio
lucem Euangelii rurſus patefactam eſſe,ſeq; id debere tibi intelligūt,ſimul etiam proſpiciunt,quantum detrimentum acciperet Eccleſia, ſi nobis eripereris. Ideo optant communibus votis, ut diu ſis
ſuperſtes; agunt Deo gratias, quòd te velut è media morte revocavit in vitam. Ac ſpero gratam
eſſe

eſſe Deo hanc lætitiam, & gratiarum actionem.

Precor Deum per Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, ut te prorſus reſtituat, ac ſanet. Hic nondum finitæ ſunt deliberationes de reſponſo dando Cæſaris oratori, ad ipſius diſputationem, quam de priore reſponſo duriorem habuit. Itaque nondum etiam Pontificio nuncio reſponſum eſt. Dux *Uvirtebergenſis* laudat magnitudinem animi tui, quòd auſus ſis in tali morbo te committere itineri, & ex hoc antro evaſeris. Ait ſe tuum exemplum imitaturum eſſe, jam enim amplius octiduum ægrotat, & cras abire conſtituit. *Chriſtus* faciat, ut brevi te videam incolumem, & reſtitutum bonæ valetudini. Fui in maximis doloribus, & hos augebat indignitas, quod nihil opis afferre tibi hoc loco poteramus. Excruciabant me etiam errata quædam ἰατρικά, quibus animadverti morbum augeri. Itaque dici non poteſt, quantis doloribus conflictatus ſim. Solicitudine nondum prorſus liberatus ſum. Sed ſi fuit δυσουρία ex oppilatione, jam depulſum ſpero omne periculum. ſin ex calculi mole, tamen levjus fore ſpero, & habebis medicum Dei beneficio prudentem & fidum, quem ut deus adjuvet opto. Vale. *Smalcaldiæ*, M. D. XXXVII.

D. Martino Luthero Philippus Melanthon S. D.

Acta conventus Smalcaldenſis 1540.

Epiſt. 23. SCripſerat *Lundenſis* rediens ex *Hiſpania*, Imperatorem *Carolum* venturum in *Germaniam*, non ut bellum civile moveret, ſed ut de concordia Eccleſiarum deliberaret, ſarcienda moderatis rationibus. Ideò hortatus eſt *Lundenſis* noſtros Principes, ut & ipſi deliberarent, quid defenſuri eſſent, aut largituri adverſariis. Hanc ob cauſam indictus eſt conventus *Smalcaldenſis*. Allatæ ſunt deliberationes, quarum conſenſus ſummus fuit, non poſſe abjici eos articulos, quos in *Confeſſione* & *Apologia* confitemur. Conſtituto doctrinæ conſenſu, de Adiaphoris non odiosè pugnandum eſſe. Deliberatio noſtra, cui cæteri ſubſcripſerunt, accuratè & eruditè videtur ſcripta, ut *Paulus* narrare poterit. Hæc dum aguntur in conventu, allatum eſt reſponſum Imperatoris *Caroli*, in quo narrat Imperator, ſe in *Germaniam* veniſſe non hoſtili animo, ſed acturum eſſe de concordia Eccleſiarum, & ſpem oſtendit, ſe daturum pacem, eáque de re dixit, ſe paulò pòſt reſponſurum eſſe. Hoc dictum ſatis quidē αἰνιγματῶδες eſt, ſed nos tamen interpretamur eſſe εἰρωνικόν. Aliquanto poſt venit comes *Nova Aquila*, is adfert deliberationem de concordia, cui additæ erant quædam Imperatoris expoſtulationes. Erat Legatio quadam aulicâ Ironiâ inſtructa, Comites *Manderſchid*, & *Nova Aquila* præ ſe ferebant, ſe non eſſe miſſos ab Imperatore, ſed tamen conſilium ſuum Imperatori placere. Summa conſilii hæc erat. Cùm malit Imperator publicas controverſias componi ſine majore tumultu, *Granvellano*, & his duobus Comitibus videri conſultum ut peramus hanc rem privatim peti ab Imperatore, eum quaſi arbitrum faciamus harum controverſiarum privatim. Quod ſi faceremus, Imperatorem adhibiturum eſſe *Granvellanum*, & paucos alios, & delecturum utrinque eruditos, qui dogmata judicarent, & mo-

A derarentur. Contentiones verò de prædiis Eccleſiarum Imperatoris judicio permittendas eſſe: petitum & hoc eſt, ut diſertè & planè dicamus, quid largiri aut defendere ad extremum velimus. Erant adjectæ ſatis duræ expoſtulationes. Nam Imperator ait ſe ægrè ferre, quòd hactenus ſimulantes concordiæ ſtudium hoc egerimus, ut rem extraheremus, ut paulatim noſtræ partes confirmarentur, non vere voluiſſe nos diſcordias tolli, quòd nihil conceſſimus adverſariis. Narrat quàm dili-

B genter *Auguſtæ* egerit de concordia. Ac tota querela eò ſpectat, non videre nos appetere concordiam, niſi abjiciamus totum doctrinæ genus, quod profitemur. Nos verecunde & verè reſpondimus de noſtra voluntate erga Rempub. & ſtudio pacis; Purgavimus objecta crimina, & ingenuè diximus, non velle nos conciliationem intelligi confirmationem veterum errorum, & projectionem piæ doctrinæ, oſtendimus clarè, quos articulos non poſſe abjici cenſeamus, & petivi-

C mus, ut res non privatim, ſed in publico conventu ageretur, ut anno ſuperiori promiſit Imperatoris legatus *Francofordiæ*, oſtendimus etiam nos nequaquam de prædiis Eccleſiarum pugnare. Exempla reſponſionis habent Principum & civitatum legati. Fortaſſis erunt varia judicia de noſtra reſponſione. Non multa ſunt φιλονείκως, cætera verecundè, ingenuè, graviter, ac ſine ſophiſtica ſcripta ſunt. Et ſi vult Imperator piè conſulere Eccleſiis, occaſionem aliquam præbuiſſe videmur.

D Utinam Deus excitet animum Imperatoris, ut verè velit inquiſitis fontibus, & fundamentis de doctrina agi, ſicut toties in hac narratione ſcriptum eſt. Habes hiſtoriam hujus conventus præcipuam, Nam cætera ſunt communia, in quibus & pleraque ſunt quæ *Demoſthenes* nominat, κοινὰ [illegible] ἁμαρτήματα, de quibus coràm loquemur. Vale.

D. Martino Luthero Philippus Melanthon S. D.

E

De conventu Ratisbonenſi, Anno 1541. *menſe Martio.*

INitio conventus, poſtquam Imperator *Carolus* expoſuit, ſe deliberationes inſtituere velle de controverſiis Eccleſiaſticis dirimendis: conjuncti *Auguſtanæ* confeſſioni petiverunt pertexi diſputationem *Uvormacienſem*, ut ex ea explicatione Epiſt. 24.

F Imperator & Principes cognoſcere poſſent, & quæ res veniant in controverſiam, & qui ſint fontes. Quomodo enim eligi veræ ſententiæ à Principibus poſſunt, niſi res hoc modo collatæ, & diſertè explicatæ eis proponantur? Sed hoc conſilio repudiato, oſtendit Imperator, ſe paucos quoſdā delecturum eſſe, non ut ſententiæ inter ſe pugnantes defenderentur, ſed ut quæreretur, quæ dogmata conciliari poſſint. Ac nè quid periculi eſſet ex hac deliberatione partibus, præfatus eſt, velle ſe, non

G teneri quenquam his deliberatis, nec ea vim præjudicii habere, ſed omnia rurſus ad conſilia Principum referenda eſſe. Poſtulavit item, ut ſibi permitteretur, ut ſuo judicio quos vellet, deligeret. Nihil enim mirum eſſe, in re tanta diſſimiles eſſe hominum voluntates, diſſimilia ſtudia & judicia, Sed erant quidam, qui ab hoc toto conſilio conciliationum abhorrebant, propter magnitudinem periculi.

periculi. Multa enim ſunt & vetera & recentia exempla, quæ admonent, in talibus conciliationibus plerunque decurri ad âmbiguos, flexiloquos, fucoſos & fallaces articulos, quibus veritas obruitur, & non ſanantur Eccleſiæ, ſed diſſipantur. Alii contra diſputabant, hanc viam etiam profuturam eſſe ad declarandas ſententias, quas profiterentur Eccleſiæ, quæ amplexæ ſunt *Auguſtanam* confeſſionem: præſertim ſi interfuturi eſſent boni viri, qui Imperatori recitarent, ut res poſceret, diſputationum ſummas. Et imperator dixerat, velle ſe inquiri veritatem. Futurum autem animum Imperatoris mitiorem, ſi intelligeret non tam abſurda eſſe dogmata Eccleſiarum noſtrarum, ut à Pontificibus, Monachis, & aliis ſycophantis traducuntur. Addeb..nt item, ſi colloquii hujus deliberata referrentur ad Principes quoſdam, dicturos eos liberas & honeſtas ſententias. Tandem igitur eò decurritur: aſſentimur Imperatori, ut hoc loco colloquium inſtituatur; ſed ita, nè condantur flexiloqui articuli, ſed ut ſimplex veritas patefiat. Et teſtatus eſt Imperator, velle ſe inquiri veritatem: ac in delectu uſus eſt hac æquitate. Ex Pontificiis tres delegit, *Julium*, *Eccium*, & *Gropperum*. His addidit ex altera parte *Philippum*, *Bucerum*, & *Nidanum* paſtorem. Petitum eſt, ut addantur principes ſeu gubernatores colloquii, & aliqui auditores ſeu teſtes, ut acta cùm Imperatori, tum aliis Principibus fideliùs recitari poſſint. Delecti ſunt gubernatores, Dux *Fridericus*, *Palatinus*, & *Granvellus*. Adjuncti auditores, Comes de *Manderſcheit*, *Eberhardus Ruede*, conſiliarius *Moguntini*: Cancellarius *Palatini Electoris*, *Saxonicus* cancellarius, cancellarius *Haſſicus*, *Jacobus Sturmius Argentinenſis*.

Initio congreſſus Dux *Fridericus* rurſus adhortatur delectos, ut ſedatos ac pios animos ad tantam deliberationem adferant, & dirimere controverſias ſtudeant. Narrat, ipſi Imperatori tot jam annos eam rem maximè curæ fuiſſe, eóque multorum doctorum, & bonorum exploràſſe ſententias. Cùm igitur quidam exhibuerint ipſi ſcriptum, quod propter aliorum moderationem conſiliis durioribus antetulerint: velle Imperatorem, ut delectis liber ille proponatur, qui quaſi viam monſtret ad dirimendas controverſias. Liber eſt exhibitus æquiſſimâ conditione, ut quæ non probarentur, nobis dicere liceret, & cenſuram adderemus. Etſi autem tutius videbatur nonnullis ex delectis, percurrere *Auguſtanam* confeſſionem: tamen cum alii librum anteferrent, & incivile videretur, nolle inſpicere ſcriptum propoſitum ab Imperatore ſine iniquis conditionibus: convenit, ut liber legeretur, & ordine dicerentur ſententiæ. Initia non habebant controverſias, *De conditione hominis*, *De lapſu*, *De libero arbitrio*, *De cauſa peccati*, *De vitio originis*. De his locis tunc quidem rixæ nullæ fuerunt. Secutus eſt locus *De reconciliatione hominis*, ſeu *juſtificatione*, de quo farrago illa neutri parti ſatisfaciebat, & quia novas quaſdam ſententias continebat, & pleraque erant obſcura, impropria & flexiloqua: ut alias videretur rectè dicere, Fide propter *Chriſtum* juſti ſumus: aliàs contra, propter donatas virtutes ſumus juſti: ut *Thomas*, ſeu ut *Plato* loquitur.

Sepoſito igitur libro, de ſumma rei liberè diſputatum eſt: & tandem ad formulam reverſum, in qua recepta & explicata ſententia eſt, *Fide*

A *propter Chriſtum* [*Gratis*] *juſtificamur*, *non propter virtutes noſtras*. Cum de hoc loco convenisſet redire ad librum juſſi ſumus. Lectus eſt locus ſequens *De Eccleſia*, ut faciliùs obtineri ſequentia poſſent: inſidioſè addita eſt hypotheſis, *communem conſenſum & ſynodos legitimas non errare*. Hic magnum certamen ortum eſt. Cúmque per aliquot dies de hoc loco diligenter diſputâſſemus, juſſi ſumus rejicere hanc partem in aliud tempus. Lectus eſt locus *De Sacramentis*, in quo cum ventum eſſet ad B *Cœnam Domini*, ortæ ſunt rixæ *De converſione ſubſtantiæ panis*. Rejecta eſt & hæc diſputatio in aliud tempus. Poſtea acerrima contentio de re non magna ſecuta eſt, *An in confeſſione*, ut vocant, *ſit neceſſaria delictorum enumeratio*. Defendebatur regnum confeſſionis à nonnullis, vel propter autoritatem ordinis ſacerdotum, vel propter culinas Monachorum; Sed ab aliis exhibita eſt contraria ſententia, explicata copioſè. Agitata eſt & quæſtio *De Satisfactionibus*, de quibus formula C propoſita eſt à Pontificiis brevis: & ut moderata videretur, ambigua. Sed conceſſum eſt, ut & altera pars ſuâm exhiberet ſententiam. Ventum eſt ad locum *De gradibus & poteſtate Epiſcoporum*, ubi aliquid *De poteſtate Romani Pontificis* ſignificatum fuit. Adjecta erant & alia quæ vocabantur in quæſtionē. Tribuebat enim ſcriptum autoritatem Epiſcopis ceremonias divinitùs conſtitutas mutandi. Id quidam interpretabantur de parte Cœnæ Domini ademptâ populo. Secuta ſunt certa- D mina *De Invocatione Divorum, qui ex hac vita diſceſſerunt*, *De applicatione Miſſæ*, *De privata Miſſa*, *De uſu integræ Cœnæ Domini*. In his materiis cum ii, qui *Auguſtanam* confeſſionem amplectuntur, diſſiderent à libro illo, & à Pontificiis; conceſſum eſt, ut contrariæ ſententiæ exhiberentur. Reliqua erat in libro longa recitatio veterum Canonum, *De conjugio Sacerdotum*. Etſi autem liber eam cauſam rejiciebat ad deliberationem ſummorum gubernatorum: tamen ſignificabat, E conjugium ſacerdotibus concedendum eſſe juxta normam veterum Canonum. Hic adjecta eſt liberior ſententia à nobis. Tandem igitur percurſo libro, juſſi ſumus acta referre Imperatori; ac reddito libro oſtendere, de quibus locis convenerit, & quæ controverſiæ non ſint diremptæ. Etſi fuimus delecti, ut inquiſitâ veritate, diſſidia tolleremus: tamen ut ſtudium concordiæ oſtenderent hi, qui *Auguſtanam* confeſſionem amplectuntur, de libro non acerbam cenſuram egerunt, multa im- F propriè dicta diſſimulârunt, quædam donârunt adverſariis, quæ tamen digna erant reprehenſione; Sed ſemper ita ſenſimus, non propter leves cauſas alenda eſſe diſſidia: tantum de magnis & neceſſariis rebus pugnandum eſſe duximus. Poſtquam Imperatori liber redditus eſt, tentatæ ſunt per *Marchionem Joachimum* & compoſitiones reliquarum controverſiarum, de quibus articuli à nobis exhibiti erant. Cúmque cætera communia de utilitate concordiæ & pacis, de ingentibus malis, G quæ civile bellum comitarentur, longa oratione commemorata eſſent: illud tandem adjectum eſt, moliri Imperatorem novam Eccleſiæ reformationem, & doctrinam *De juſtitia fidei* propagaturum etiam eſſe in cæteras regiones. Hæc tanta bona impediri, ſi cæteros articulos mordicus retineremus, nec regrederemur aliquantulum, ceſſuri non hoſtium improbitati, ſed piorum in a-

liis

liis regionibus utilitati. Multi priore ratione movebantur: bellum civile, quo nihil injuſtius in hac vita cogitari poteſt, non ſtultè formidantes: nonnulli & alterâ parte orationis moveri ſe ſignificabant, & cenſebant noſtrâ moderatione invitandam & confirmandam eſſe voluntatem Imperatoris, univerſo orbi conſulere cupientis, & quaſi quoddam aureum ſeculum promittentis. Ac diſputabant, cùm ſinguli quædam diſſimulemus amicorum vitiis, cum celebratiſſimis autoribus *Auguſtino* & aliis, errores quoſdam condonemus: poſſe etiam hoc tempore aliqua ſeu remitti, ſeu involvi ac tegi, cum propter noſtras civitates & Eccleſias, in quibus vaſtitas futura eſſet: tum propter gentium, quæ tanquam infirmæ invitandæ eſſent, utilitatem. Nec leve fuit, cum de re tanta ſententiæ dicerentur. Nam alii contra: Etſi publica Eccleſiarum & ſcholarum excidia metuerent, ipſi tamen doctrinæ corruptelas fugiendas eſſe ſentiebant. Nec hi tantum eò movebantur, quòd omnibus periculis anteferenda ſit veritas: ſed etiam hoc conſiderabant. Primùm moderatores pacem, quam oſtendebant, non impetraturos eſſe, niſi totum puræ doctrinæ genus abjiceremus. Deinde domeſticum conſenſum tuendum eſſe, cum conſtet pleroſque domi pacificationem hanc, vel cum paucorum articulorum corruptelis conjunctam aſperrimè reprehenſuros & improbaturos eſſe. Poſtremò, ſecuturas eſſe magnas in noſtris Eccleſiis diſcordias. Illa verò promiſſa de aureo ſeculo, & de reformatione, non magni faciebant: quòd viderentur eſſe, ut inquit *Thucydides*, [illegible]. Tandem igitur *Marchioni* reſpondetur verecundè has de reliquis controverſiis deliberationes differendas eſſe, donec à Principibus in utraque parte ſententiæ de prioribus articulis dictæ eſſent, de quibus fortaſſis collocutorum judicium neutris ſatisfaciet. Etſi autem multæ controverſiæ nondum erant diremptæ, tamen Cæſar jubet in ſenatu Principum ſententias dici de libro. Hic dux *Bavariæ Guilhelmus*, recitat de ſcripto longam criminationem eorum, qui amplexi ſunt *Auguſtanam* confeſſionem; Deinde & hunc librum à Cæſare oblatum prorſus rejicit. Cenſet nullam ullius opinionis correctionem aut moderationem, nullam legum Pontificiarum mitigationem admittendam eſſe: nihil concedendum adverſariis, quod diſcrepet ab uſitatis opinionibus aut ceremoniis cæterarum nationum. Hæc ſumma fuit orationis *Bavarice*, cui aſſentiebantur plerique Epiſcoporum. Hos ut confirmaret *Eccius*, miſit ad ſenatum Principum brevem epiſtolam, in quâ improbat librum: ac teſtatur nunquam ſibi placuiſſe, propterea quòd errores non ferendos contineret, nec in loquendo ſequeretur Theologorum phraſin & conſuetudinem. Dicuntur ſententiæ moderatiores à legatis *Colonienſis* Epiſcopi, à legatis *Palatini*, & à *Marchione Brandenburg.* Electoris: ut conciliati articuli comprobentur. Cæteri rejiciantur ad ſynodum aut alium conventum. Hi enim diſputabant, paulatim coituras in concordiam Eccleſias, ſi æquitas adhiberetur: & conſcientiis piorum, quæ deſiderent quorundam rituum vitioſorum emendationem, conſulendum eſſe. Tertia fuit ſententia noſtrorum, Non reprehendi articulos conciliatos, ſi tamen in his quædam ambigua diſertè explicarentur. Addebant & de controverſiis non diremptis: ſe judicare arti-

A culos à noſtris in colloquio exhibitos, veros, & ita moderatè ſcriptos eſſe, ut ſperent ſanis judiciis ſatisfacturos eſſe. Et quia juſſerat Imperator exhiberi deliberationem de reformatione Eccleſiæ, adjecti ſunt libelli *De gubernatione Eccleſiarum.* Cùm verò Principum ſententiæ inter ſe non congruerent, Imperator, nè de ſumma rei ipſe ſtatuere videretur, Cardinalem *Contarenum* adhibet. Hic ut honeſto prætextu certamina finirentur, proponit ſcriptam ſententiam, in qua jubet to-

B tam vel integram cauſam ſervari *Romano* Pontifici, ac vetat in conventu de his rebus iterum diſputari. Et quia fuerat contentio de conciliatis articulis recipiendis, quos viſus eſt antea *Contarenus* non improbare: adductus eſt importunitate *Eccii*, ut alterum ſcriptum proponeret, in quo diſertè inquit, ſe de conciliatione non pronunciare, nec probare eos, ſed relinquere judicium *Romano* Pontifici. Mirabantur multi *Contarenum*, cùm & doctrinæ *Chriſtianæ* peritiſſimus eſſe diceretur, &

C ſingulari gravitate & virtute præditus, non liberè profiteri quod ſentiret. Nam cùm omnes *Chriſtiani* & intelligere communem Euangelii doctrinam debent: tùm verò maximè illis, qui primas in Eccleſia tenent, & gubernatores doctrinæ eſſe volunt, convenit apertè ſuam ſententiam oſtendere. Nec continent articuli conciliati inanes argutias, ſed res magnas, & Eccleſiæ neceſſarias: ut: *De morbo originis*, *De libertate voluntatis humanæ*, & *fide juſtificante propter Chriſtum*, *De retinendis*

D *officiis Epiſcoporum & aliorum graduum Eccleſiaſticorum.* Sed quo conſilio ſuam ſententiam *Contarenus* occultârit, nihil ad nos attinet: ſed eventus ſatis oſtendit, eos qui ſperârunt initiò adverſarios noſtros aliquam moderationem aut emendationem ſuarum opinionum admiſſuros, non ſatis perſpexiſſe eorum voluntates, tentandos putârunt animos noſtros, ut ſeu inclinatio quædam, ſeu diſtractio fieret, poſteaquam ſuum odium declararent. Alii meliores, qui ſeriò moderatio-

E nem aliquam expetunt, cum viderent nec animorum concordiam verè coituram eſſe, nec ſemina odiorum tolli, etſi receptæ eſſent hæ moderationes, minus ſuccenſebant nobis quòd repugnaveramus. Audio & 'cum videret fruſtra tentatas eſſe has conciliationes, dixiſſe. Deum fortaſſis hos conatus impediviſſe, qui arcano & mirabili conſilio regit Eccleſiam: quòd his moderationibus receptis, mala quædam confirmata fuiſſent: & eorum ſtabilita potentia, qui errores præcipuè defen-

F dunt. Deum verò orandum eſſe, ut ipſe Eccleſiæ opem ferat, & pios cultus ac veram doctrinam reſtituat.

Ad Imperatorem Carolum V. Ratisbonæ 1541.
Menſe Martio S. D.

INvictiſſime Imperator Auguſte, Domine clementiſſime: Audivimus narrationem eorum, *Epiſt.* 25?
qui ex noſtris ad colloquium delecti fuerunt, ex

G qua intelleximus, quæ controverſiæ agitatæ ſint, quæ in Libro mutata, quæ comprobata, & quæ non recepta ſint. Et animadvertimus in quibuſdam articulis aditum ad concordiam factum eſſe. Quare & *C.M.V.* gratias agimus, quòd doctorum collatione, & quadam moderatione, quæ decet Eccleſiam, dirimi controverſias Eccleſiaſticas mavult: & precamur Deum, ut has actiones ita gubernet,

bernet, ut veritas & doctrina ſalutatis Eccleſiæ A *Chriſti* magis illuſtretur. Dolendum eſt autem, tantam eſſe temporum inſelicitatem, ut non potuerit de omnibus articulis rectè conveniri. Loci quidam relicti ſunt ambigui, quorum explicatio tamen neceſſaria eſt Eccleſiis. Hæc fortaſſis eò acciderunt, quia difficile eſt vetuſtos abuſus tollere, quos alii propter diuturnitatem temporis & exempla, alii propter alias cauſas defendunt. Neque enim negari poteſt, ante aliquot ſecula irrepiſſe in Eccleſiam multos abuſus, qui confirmarentur, ſi B noſtrum teſtimonium opponeretur piis rectè ſentietinbus, etiam ad poſteritatẽ. Quale vinculum injiceretur Eccleſiæ, ſi fateremur protſus nullum ullius ſynodi lapſum reprehendi poſſe? Ita & reliquæ materiæ ad univerſam Eccleſiam pertinent, cui omnia membra hoc debent officium præcipuum, curæ videlicet conſervandæ veritatis; Ut *Paulus* lætari ſe dicit, quòd immoletur, hanc ob cauſam, ut alii Deum verâ fide colant. Quid in Eccleſiis noſtrarum gentium & urbium C fieret, imò domeſticis? quot piæ mentes imbutæ puriore doctrinâ ſauciarentur, ſi nunc ad approbandos abuſus retraherentur? Quam multi pii juſtè nos increparent hac ipſâ *Pauli* voce: *Cur nos à gratia Chriſti abducitis ad aliud doctrinæ genus?* Poſtremo, noſtrorum articuli ita moderatè ſcripti ſunt, ut cum proferentur, ſaniores ubique intellecturi ſint, noſtras ſententias nec abſurdas, nec immoderatas eſſe. Quanquam enim Liber, ut videatur moderatior, quædam nimis horridè pro- D ponit, & alicubi manifeſta vitia jubet tolli, tamen interim in pleriſque articulis abuſuum ſemina retinet, de quibus admoneri Eccleſias neceſſe eſt. Cæterum de articulis conciliatis maximè quidem optamus, ut hi propagentur in omnibus Eccleſiis; modò ut rectè intelligantur. Videmus autem collocutores noſtræ partis, ſpe & ſtudio concordiæ quædam breviùs & impropriè dicta præteriiſſe, quoſdam etiam articulos non pertexuiſſe, & quædam ambigua reliquiſſe. Jam cum conſtet, am- E biguis & flexiloquis articulis non ſedari, ſed potius accendi certamina, ſicut quarundam veterum ſynodorum eventus oſtendunt, opus erit in his juſtâ, propriâ & perſpicuâ explicatione. Nos enim ſic intelligimus eos, ut in noſtra *Confeſſione & Apologia* res eædem traduntur. Sed ſi aliam diverſam interpretationem adderent, reclamare neceſſe eſſet. Nec ſunt obſcuræ, aut intricatæ, aut perplexæ, aut abſurdæ noſtræ ſententiæ. Totum enim hoc genus doctrinæ, quod in Eccleſiis no- F ſtris proponitur, & quod extat in *Confeſſione* noſtra & *Apologia*, doctrina eſt tradita in Euangelio & conſenſu Catholicæ Eccleſiæ *Chriſti*, habétque eruditorum patrum vera teſtimonia, nec ab ea confeſſione diſcedimus. Quare ſi qui aſtutè hos breves articulos in libro transformarent in falſas opiniones, & à nobis taxatas, cum his non eſſet concordia. Denique indigniſſimum eſt Eccleſiæ, ludere ambiguè dictis, & condere articulos, qui opus habeant novis articulis condientibus prio- G res: ſicut piſces ſale opus habent, ut de legibus ambiguis *Ariſtoteles* dixit. Juſſimus igitur noſtros concionatores, qui adſunt, addere huic noſtræ reſponſioni eas particulas in conciliatis, quæ præcipuè opus habent explicatione. Oramus autem cum debita reverentia C. *M. V.* ut hanc noſtram reſponſionem, profectam ex bona conſcientia & optimo ſtudio erga Eccleſiam *Chriſti* & communem tranquillitatem, clementer accipiat. Diximus bonâ fide, ut in re tanta fieri decet, quod ſentimus. Magna res eſt Eccleſias gubernare, in qua conſcientiarum ratio habenda eſt. Quæ cùm auctoritate humana ſine veris rationibus coguntur, iis non tolluntur, ſed augentur certamina. Ideo Deum oramus, ut veris modis aliquando concordia perficiatur.

Henrico octavo Regi Angliæ S. D.

SEreniſſime Rex, & domine clementiſſime, etſi me quædam graviſſimæ cauſæ hortabantur, ut literas ad R. M. T. darem, & nota mihi eſſet publica omnium doctorum opinio de tua bonitate atque clementia: tamen me à ſcribendo pudor meus deterruiſſet, niſi me confirmâſſet *D. Antonius* doctor, amicus meus, qui me etſi inſpicientem heroicas virtutes tuas, tamen ita nunc accendit commemoratione laudum tuarum, ut in ſpem venerim, R. M. T. pro excellenti ſapientia atque humanitate tua literas boni conſulturam eſſe, præſertim in quibus non ſolùm de meo officio, ſed nonnihil de republica ſcripturus eſſem. At de me quidem dicam breviùs. Quid in hac mea & ingenii tenuitate & fortuna præſtare poſſum, quo meum ſtudium erga R. M. T. declarare queam? Cæterùm ita ſemper judicavi: cum bono & ſalutari Principe nihil ſit amabilius, nihil divinius; R. M. T. ab omnibus bonis viris propter excellentem in ſumma poteſtate moderationem ac juſtitiam meritò amandam eſſe. Plurimum verò deberi R. M. T. à noſtro ordine, & à literarum ſtudioſis, quod in ornandis excitandiſque honeſtis diſciplinis R.M.T. longè Regum aliorum ac Principum hujus ætatis ſtudium vicerit. Quâ in re & felicitatem & ſapientiam tuam admirari ſoleo. Quòd enim R. M. T. judicavit curam literarum dignam eſſe magno Principe, vidit profectò quantum Reipublicæ decus ſint, quantum afferant momenti ſtudia ad conſociationem generis humani & conſenſum de religione. Felicitas verò magna fuit, quòd eodem tempore tam multa egregia lumina ingeniorum tulit *Anglia* tua, ut numerare in his multos poſſimus, conferendos cum ſummis viris, qui unquam doctrinæ laude floruerunt. *Epiſt.* 16.

Ac ſæpè cogitanti mihi de R. M. T. venit in mentem, tale nunc aureum ſeculum eſſe tuæ *Britanniæ*, quale fuit olim *Ægypti*, regnante *Ptolemæo Philadelpho*, qui etſi opibus antecelluit omnes ſuæ ætatis Reges, & res geſſit bello egregias, tamen omnium gentium ac poſteritatis etiam amorem hoc nomine præcipuè meruit, quo literarum ſtudia fovit ac provexit. Itaque ut *Ptolemæo* & cæteris Regibus, quorum beneficio conſervatæ ſunt honeſtæ artes; ita R. M. T. hoc nomine plurimum debebit univerſum genus humanum. Hæc ſunt eruditorum omnium in *Germania* judicia. Cum igitur erga ſtudioſos ſit tanta benevolentia R. M. T. non dubitavi ad R. M. T. ſcribere, ut oſtenderem, quantum cupiam tali Regi commendatus eſſe. Scio R. M. T. fide ac ſtudiis homines metiri, non fortuna. Ideo me commendo R. M. T. tanquam præcipuo ac penè unico literarum patrono, & omne meum ſtudium atque operam, quantum quidem in hac ingenii mediocritate præſtare poſſum, ad R. M. T. defero. Sed non tam

meam

meam cauſam agere inſtitui, quàm publicam literarum, quarum ut hoc tempore periculum R. M. T. conſideret, vehementer oro. Non ſolùm in cæteris regnis, ſed etiam in ipſa *Germania* literæ contemtæ ſunt iniquis hominum judiciis, & vocantur in odium propter religionis controverſias. Erit igitur ſapientiæ tuæ eò majore benignitate recta ſtudia excitare, & pulſis Muſis hoſpitium præbere. Scimus, & olim cùm propter arma *Gotica* penè extinctæ eſſent in *Europa* literæ, ex inſula tua rurſus in totum orbem propagatas eſſe. Hac re de univerſa poſteritate & de Eccleſia bene mereri R.M.T. poterit. Nec verò dubito, quin & ipſæ religionum controverſiæ mitigarentur, ſi R. M. T. cùm autoritatem ſuam conferret ad Reges cæteros ad moderationem flectendos, tùm verò cum doctis hominibus de genere doctrinæ deliberaret. Nam & illud minimè obſcurum eſt, in Eccleſiam abuſus quoſdam non diſſimulandos irrepſiſſe: neque tamen operam dare Reges, ut extet aliqua ſimplex & certa doctrinæ forma. Diſcordia publica præbet locum interdum etiam indoctis & malis, qui Regum iracundiam accendunt. Sed tamen erat adhibenda diligentia, nè interim ſimul bonæ res & utiles Eccleſiæ opprimerentur: neve in bonos exerceretur crudelitas. Graviſſimè Poëta inquit, cùm de ſedandis populi motibus loquitur:

Tum pietate gravem, ac meritis ſi fortè virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus aſtant:
Ille regit dictis animos, ac pectora mulcet.

Virum enim pietate gravem, ac meritis, ad componenda diſſidia vult accedere: qualis eſt R. M. T. quæ cùm ætate, ſapientiâ, doctrinâ antecellat cæteris Regibus, tantum adferet ad hanc cauſam autoritatis, quantum alius nemo.

Illâ autem oratione apud R. M. T. non eſt opus, quàm glorioſum ſit Regi, de univerſa Eccleſia, de toto genere humano bene mereri. Intelligit enim R. M. T. pro ſua excellenti ſapientia, & hanc curam divinitùs eſſe Regibus mandatam, quódque æternam ac veram gloriam apud omnes gentes hoc beneficium pariturum ſit. Quare R. M. T. propter *Chriſtum* oro, ut hanc cogitationem ſuſcipere velit, & curam de Regum voluntatibus flectendis ad moderationem, nè pariter boni & mali ſine diſcrimine trucidentur, & de Dei gloria ornanda. Poſtremò oro, ut R. M. T. meas haſce literas, ſimplici animo ac bono ſtudio ſcriptas, boni conſulat. *D. Antonius*, ſummâ fide & diligentiâ, de certis articulis nobiſcum diſputavit, de quibus meum judicium ipſi perſcriptum dedi. De quo hoc teſtatum volò, me non ita amare meum judicium, quin ſi quid reprehenderent aliquot boni viri & docti, re communiter deliberatâ, ipſorum ſententiam meæ anteferre velim. *Chriſtus* ſervet R. M. T. incolumem, ad ſalutem plurimarum gentium. Ex Academia *Vuitebergenſi*, die decimo tertio Martii, An. M.D.XXXV.

Henrico octavo Regi Angliæ S. D.

Epiſt. 27. Inclyte & clementiſſime Rex, quòd Regia Majeſtas tua non ſolùm ampliſſimo munere, ſed etiam literis, in quibus illuſtre teſtimonium eſt benevolentiæ R. M. T. erga me, declarat, ſibi officium meum in dedicando placuiſſe, multis de cauſis lætor. Primùm enim, quid mihi privatim A accidere poteſt honorificentius, quàm quòd graviſſimo judicio ſapientiſſimi Regis ornatus ſum? Deindè hoc nomine gaudeo R. M. T. non abhorrere à meis ſcriptis, quod ſpero, poſtquam intellexerit, ea quæ docemus Eccleſiæ neceſſaria eſſe, magnum momentum allatum eſſe ad ornandam gloriam *Chriſti*, & allectandos ad moderationem cæteros Reges, quorum iracundia ſine modo adverſus ſtudioſos puræ doctrinæ exarſit. Atque hanc ſpem meam valde confirmârunt literæ R. B M. T. in quibus planè teſtatur R. M. T. ſe nunquam defuturam iis conſiliis, quæ ad gloriam *Chriſti* illuſtrandam ſuſcipimus. Quæ verba cum legeremus ego & plerique alii, hunc animum R. M. T. maximis de cauſis gratulati ſumus univerſæ Eccleſiæ *Chriſti*. Scio R. M. T. pro ſua excellenti ſapientia intelligere quam glorioſum ſit, & dignum ſummis heroibus, veram religionem propagare, & publicis vitiis mederi. Ideo non puto hac in re meâ adhortatione opus eſſe. Tantùm agam C gratias R. M. T. & quod meum officium probat, & ſignificationem oſtendit minimè obſcuram ſingularis benevolentiæ erga me, quam tanti facio, ut libenter profitear me viciſſim R. M. T. debere omnia ſtudia mea, & (ſi quæ ſunt) ingenii vires omnes. Utinam verò mihi tantum ingenii & doctrinæ eſſet, ut aliquo officio amorem erga R. M. T. & gratitudinem meam declarare poſſem. Illud certè efficiam, ut intelligi poſſit, non deeſſe mihi voluntatem ac ſtudium declarandæ gratitudinis D R. M. T. tanquam optimo Principi, & cupido juvandæ univerſæ Eccleſiæ. De cæteris rebus ſcripſi ad clariſſimum D. Secretarium ſupremum. *Alexandrum Aleſium* R. M. T. propter egregiam ipſius fidem & doctrinam, & in omni officio diligentiam commendo. Bene & feliciter valeat R. M. T. Ex receſſu ſcholæ *Vuitebergenſis*, Cal. Decembris, Anno M. D.XXXV.

Henrico octavo Regi Angliæ S. D.

E Inclyte & ſereniſſime Rex, Clementer acceperunt aliquot *Romani* Imperatores *Adrianus*, *Pius*, & deinde fratres *Verus* & *Marcus*, apologias *Chriſtianorum*; quæ quidem tantum apud illos moderatos Principes valuerunt, ut eorum iracundiam adverſus *Chriſtianos* lenirent, & atrocium delictorum mitigationem impetrarent. Itaque poſtquam edictum iſtic contra piam Doctrinam & Eccleſiæ neceſſariam, quam profitemur, F editum eſt, rogo ut R. M. T. benignè hanc noſtram querelam & legat & conſideret, præſertim cùm non ſolùm noſtra cauſa, ſed multo magis propter publicam Eccleſiæ ſalutem, hoc ad te ſcriptum inſtituerim. Cum enim illi Ethnici Principes defenſiones noſtrorum & admiſerint, & approbaverint, quanto magis Regi *Chriſtianæ* profeſſionis & verſato in ſtudiis ſacrarum literarum, decorum eſt & te audire piorum in Eccleſia querelas & admonitiones? Scribo autem eò ad te G libentiùs, quia antea cum ſingulari benevolentiæ ſignificatione meas literas accepiſti. Et in hac cauſa ſpem aliquam mihi facit, te non gravatim hæc lecturum eſſe; quòd phraſis oſtendit, Epiſcopos haud dubiè autores eſſe articulorum iſtic editorum, non te. Etſi ut ſæpè accidit laudatiſſimis Principibus, Sophiſtica ſua perfecerunt, ut tua ſuffragatio accederet: ut *Darium* Regem ſapientem *Epiſt.* 28.

&

& juſtum, impulerunt tamen Satrapæ, ut *Danielem* Leonibus objicerêt. Nunquam autem indecorum fuit bonis Principibus, corrigere injuſtam aſperitatem, (ut dicitur) habere δευτέρας φροντίδας, hoc eſt, ſecundas deliberationes. Sapientiſſima civitas *Attica* decretum fecerat, recuperatâ *Mitylene*, quæ defecerat, ut civibus omnibus interfectis, funditùs urbs deleretur. Navis miſſa eſt, quæ ad exercitum hæc mandata adferebat. Poſtridie iterum relato negotio ad eoſdem Judices, fit contrarium decretum, nè pœna vagaretur per omnes: ſed ut pauci autores defectionis plecterentur, & civitas ſervaretur. Miſſa eſt igitur altera navis, quæ properare juſſa eſt, ut priorem anteverteret: ſicut accidit. Nec puduit civitatem tunc quidem latè regnantem, publicè corrigere prius decretum. Multa hujus generis exempla extant, quorum pleraque nota eſſe tibi non dubito. Ac de Eccleſia ſæpiſſimè Principes correxerunt edicta: ut *Nabuchodonoſor*, *Darius*. *Aſſueri* nomine editum fuerat decretum de interficiendis *Judæis*: id poſtea retractatum eſt. Ita ſua edicta *Adrianus* & *Antonini* correxerunt. Quanquam igitur extat edictum in *Anglia* factum, quod ſupplicia minatur aliena à conſuetudine veræ Eccleſiæ, aliena à Canonibus: tamen exiſtimavi adhuc licere nobis deprecari hanc aſperitatem. Eaque in re non tantùm periculo eorum qui nobiſcum ſentiunt moveor: ſed doleo te alienæ ſævitiæ atque impietatis miniſtrum fieri. Doleo etiam *Chriſti* doctrinam arceri, ſtabiliri vicioſos ritus, confirmari libidines. Audio viros excellenti doctrinâ & pietate præditos, *Latimerum*, *Saxtonum*, *Cranmerum*, & alios teneri in cuſtodiis: quibus opto animum ac robur dignum *Chriſtianis*. Etſi autem ipſis quidem nihil melius accidere, aut glorioſius poteſt, quàm ut in tam manifeſtæ veritatis confeſſione mortem oppetant: tamen nollem R. M. T. ſanguine talium virorum reſpergi, nollem hæc Eccleſiæ veſtræ lumina extingui, nollem impietati & virulentis ac Phariſaicis odiis inimicorum *Chriſti* morem geri, nollem præberi voluptatem *Antichriſto*, qui gaudet in ſinum, te jam adverſus nos pro ipſo arma gerere: ac ſperat Epiſcoporum opera facilè poſſeſſionem, ex qua honeſtis & piis conſiliis deturbatus eſt, aliquando recuperaturum eſſe. Videt Epiſcopos ad tempus morem gerere voluntati tuæ, ſed æterno & perpetuo fœdere cum *Romano* Pontifice conjunctos eſſe. Nôrunt has artes *Romani* Pontifices. Ex multis ſæviſſimis tempeſtatibus eluctati ſunt, ante hæc ſecula, cunctando. Meminerunt vim eſſe maximam temporum: cogitant illud,

Multa dies, variuſque labor mortalibus ævi
Rettulit in melius. ———

Multi boni & docti viri in *Germania* ſpem conceperunt, fore ut autoritas tua etiam cæteros Reges mutaret, ut tandem indignam crudelitatem Principes *Germaniæ* deponerent, & de emendandis erroribus deliberarent. Hujus ſanctiſſimi & pulcherrimi conſilii ducem atque autorem te fore ſtatuebant. Sed nunc præjudicio tuo nos non leve vulnus accepimus. Confirmatur cæterorum Regum iracundia, augetur pertinacia impiorum, ſtabiliuntur veteres errores ingentes. Sed illud haud dubiè contendunt Epiſcopi, ſe non errores, ſed veras ſententias & jus divinum tueri. Et quanquam non ignorant, ſe re ipſa cum jure divino &

A Apoſtolica Eccleſia pugnare, tamen homines aſtuti
poſſunt invenire bellas interpretationes, & ut vocat *Euripides*, σοφὰ φάρμακα, quæ in ſpeciem excuſare errores & abuſus videntur. Hæc ſophiſtica nunc non tantùm in *Anglia* habet admirationem ſapientiæ, ſed *Romæ* dominatur: ubi Cardinalis *Contarenus*, *Sadoletus*, *Polus*, novis fucis pingunt abuſus. In *Germania* etiam multorum nobilium animos hæc ſophiſtica depravat. Itaque nil miror, his præſtigiis illuc moveri plurimos. Et quanquam
B tibi nec eruditio, nec judicium deeſt, tamen etiam
ſapientes ſpecioſis perſuaſionibus interdum à veritate abducuntur. Laudatur illud *Simonidis*, qui ſummis viris ſuæ ætatis, *Themiſtocli* & aliis, familiaris fuit: Opinio ſæpè vim adfert veritati. Sæpè magis ſpecioſa eſt falſa opinio, quàm veritas. Idq; maximè in religionis controverſiis accidit, ubi Diabolus ſe in angelum lucis transformat, ornat, quibus poteſt fucis, falſas opiniones. Quàm concinna eſt *Samoſateni* cavillatio de dicto *Johannis*, *In prin-*
C *cipio erat Verbum*? Et tamen plena eſt impietatis.
Sed omitto aliena exempla. In ipſo decreto, quàm multa ſophiſticè & inſidioſè poſita ſunt? *Confeſſio* (inquit articulus) *neceſſaria eſt, & retinenda*. Cur non disertè dicit, *neceſſaria eſt jure divino enumeratio delictorum*? Sciebant Epiſcopi hanc ſententiam falſam eſſe: ideo generaliter verba poſita ſunt, ut offundatur caligo plebi. Cum audit *neceſſariam eſſe confeſſionem*, intelligit *enumerationem jure divino neceſſariam eſſe*. Similes præſtigiæ ſunt
D in articulo de privatis Miſſis. Etſi initium planè
falſum eſt, *Neceſſe eſt retinere privatas miſſas*. Quis ſic ſenſit annis amplius quadringentis poſt Apoſtolos, cùm nullæ eſſent privatæ miſſæ? Sed poſtea ſequuntur ſophiſmata. *Ut populus per eas recipiat divinas conſolationes, & beneficia.* Cur non addunt, quas conſolationes, quæ beneficia? Non nominant Epiſcopi applicationem & meritum; quia ſciunt defendi non poſſe. Ludunt verbis, ut elabi poſſint, ſi applicatio vituperetur. Et tamen à populo
E applicationem intelligi volunt. Volunt confirmari
perſuaſionem idolatricam, mereri hoc ſacrificium aliis remiſſionem culpæ, pœnæ, levationem omnium calamitatum, denique lucra in negotiis, & quicquid affinxit hominum ſolicitudo. Similis eſt Sophiſtica, cum dicunt, *conjugium ſacerdotum pugnare cum jure divino*. Non ignorant *Pauli locum*: *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum*. Quare ſciunt, ſacerdotibus concedi conjugium jure divino. Sed quia nunc aiunt acceſſiſſe votum,
F ludunt verbis, non dicunt *voto impediri conjugium*,
ſed ſimpliciter ponunt articulum, *pugnare conjugium ſacerdotum cum jure divino*. Deinde quantum impudentiæ & Phalariſmi addunt, cum jubent diſſolvi conjugia: cum jubent interfici eos, qui illa conjugia nolint diſſolvi, cùm tamen votum ſacerdotum, etiam ſi quod eſſet, aut ſi valeret, tantum eatenus eos obligaret, nè in miniſterio manerent, ſi ducerent uxores. Hanc eſſe Synodorum & Canonum ſententiam, manifeſtum eſt. O ſcele-
G ratos Epiſcopos! ô impudentem *Uvintonienſem*,
qui his fucis arbitratur ſe oculos *Chriſti*, & omnium piorum judicia toto orbe terrarum fallere!

Hæc recitavi ut deprehenſa Sophiſtica judices de voluntate & conſilio Epiſcoporum. Nam ſi candidè & ex animo veritatem quærerent, non his fucis & impoſturis uterentur. Eſt autem cùm

in

inc æteris negotiis illiberalis, & digna odio ſophi- A
ſtica, tùm verò maximè fugienda in religionibus,
in quibus impietas eſt ſumma corrumpere & con-
taminare cœleſtia dicta. Itaq; ab hoc artificio Di-
abolus nomen habet, qui cavillationibus & præ-
ſtigiis excutit hominibus verbum Dei. Cur Epi-
ſcopi non ingenuè fatentur ſe doctrinæ & cultu-
um emendationem nullam permiſſuros, quia ſit la-
befactatura ipſorum dignitatē, opes & voluptates?
Cur cæteri quos habent ſuffragantes non apertè
dicunt, ſe retinere præſentem formam Eccleſiæ B
propter utilitatem, tranquillitatem & ſplendorem.
Hæc fateri, eſſet ingenuitas. Nunc dum ſimulant
ſtudium veritatis & pietatis, affingunt inepta ſo-
phiſmata, & tamen voluntatem produnt. Nec
ſophiſmata illa tegunt errores, ſunt enim falſi &
impii Articuli in illo edicto, quantumvis ſpecioſè
propoſiti. Quare optandum erat, Epiſcopo memi-
niſſe cœleſtem comminationem apud *Eſaiam, Væ
vobis, qui leges iniquas conditis. Quid facietis in
die Viſitationis, & calamitatis venturæ, &c. Væ qui* C
dicitis malum bonum &c.

Accedo igitur ad res ipſas. Negari non poteſt,
diuturnas & horribiles tenebras in Eccleſia fuiſſe.
Traditiones humanæ non tantùm fuerunt carni-
ficina piarum mentium, ſed, quod eſt indignius,
fuerunt cultus multipliciter vitioſi. Erant vota,
donaria templorum, veſtitus, ciborum delectus,
battologiæ precum, indulgentiæ, honos ſtatuarum,
colebātur ſancti manifeſta idololatria, ignorabā-
tur veri cultus Dei, & vera opera. Denique magna D
ſimilitudo erat Ethnicarum religionum. Et *Romæ*
adhuc eſt. Erat ignota doctrina vera De pœni-
tentia, De remiſſione peccatorum, quæ fide in
Chriſtum contingit, De juſtitia fidei, De diſcrimine
Legis & Euangelii, De uſu Sacramentorum. Cla-
ves tranſlatæ erant ad Tyrannidem Pontificiam
conſtituendam, longè anteferebantur politicis of-
ficiis ceremoniæ humanæ. Ad hos errores accede-
bat vita contaminata libidinibus propter legem
de cœlibatu. Ex his tenebris Deus nonnihil evol- E
vit Eccleſiam repurgata doctrina: fatendum eſt
enim non humanâ diligentiâ deprehenſos eſſe
tam inveteratos errores, ſed Dei donum eſt hæc
Euangelii lux, quæ Eccleſiis rurſus oſtenſa eſt.
Nam Spiritus ſanctus vaticinatur poſtremis tem-
poribus certamina vehementiora piis fore cum
Antichriſto, vaticinatur & *Antichriſtum* ſtipatum
ſatellitio ingenti Epiſcoporum, hypocritarum,
Principum, adverſaturum eſſe veritati, interfe-
cturum pios. F

Hæc fieri nunc res loquitur ipſa. *Romani* Epi-
ſcopi tyrannis partim invexit errores in Eccleſi-
am, partim confirmavit, & nunc tuetur viribus, ut
prædixit *Daniel*. Gaudebamus autem te ab eo ſe-
junctum eſſe, ac ſperabamus fore, ut Anglica Ec-
cleſia refloreſceret: Sed Epiſcopi tui non ſunt a-
vulſi à *Romano Antichriſto*, illius Idololatriam, er-
rores, vitia, tuentur. Nam articuli nunc editi aſtutè
delecti ſunt: confirmant omnes humanas traditi-
ones cum ſtabiliunt præcipuè Vota, Cœlibatum G
& Confeſſionem. Muniunt non ſolùm autorita-
tem, ſed omnes errores, cum retinent privatam
Miſſam. Ita arte caverunt nulla ut emendatio inſti-
tui poſſit, dignitas & opes in tuto ſint. Hoc egiſſe
Epiſcopos res oſtendit ipſa. Quis autem non doleat
ſic opprimi gloriam *Chriſti*? Etenim, ut dixi, non
tantum de his articulis, quorum ibi ſit mentio, a-

A gitur: opprimuntur Articuli cæteri quoque purio-
ris doctrinæ omnes: Si cultus humani neceſſarii,
& retinendi ſunt, *Cur*, inquit *Chriſtus*, *Fruſtra co-
lunt me mandatis hominum*? Cur toties deteſtatur
Paulus humanas traditiones?

Non eſt leve peccatum inſtituere cultus ſine
mandato Dei, aut tales cultus defendere. Hanc au-
daciam Deus horribiliter deteſtatur, qui vult ag-
noſci in verbo ſuo, non vult fingi religiones huma-
no arbitrio, alioqui omnes omnium gentium reli-
B giones eſſent probandæ. Non innitaris, inquit,
prudentiæ tuæ, ſed *Chriſtum* miſit, hunc jubet au-
dire, non hominum aſtutorum inventa, qui reli-
giones attemperant ſuis utilitatibus.

Porrò, privatæ Miſſæ, Vota, Cœlibatus, Enu-
meratio delictorum in Confeſſione, ut conſtat,
ſunt cultus ab hominibus inſtituti. Etſi enim Cœna
Domini à *Chriſto* inſtituta eſt, tamen privata Miſ-
ſa eſt impia prophanatio Cœnæ Domini. Nam in
Canone quantum eſt ſceleris, qui inquit, hic offerri
C *Chriſtum*, & hoc opus ſacrificium eſſe, quod redi-
mat vivos & mortuos? Hæc non ſunt inſtituta à
Chriſto, imò multipliciter pugnant cum Euange-
lio, non vult ſe offerri *Chriſtus* à ſacrificulis, nec o-
pus illud offerentis aut ſumentis ſacrificium pro
aliis ullo modo eſſe poteſt. Idololatria manifeſta
eſt, & opprimit doctrinam de Fide, & de vero uſu
Sacramentorum: fide in *Chriſtum* juſtificamur, non
opere ſacrificuli; & Cœna inſtituta eſt ut miniſter
aliis porrigat, quo agentes pœnitentiam admone-
D antur, ut credant verè ad ſe pertinere promiſſiones
Euangelii, cum hîc proponatur teſtimoniū nos fie-
ti membra *Chriſti*, & ablutos eſſe ſanguine *Chriſti*.

Ab hoc uſu, qui inſtitutus eſt in Euangelio, &
obſervatus in veteri Eccleſia annis amplius tre-
centis, non licet diſcedere. Impietas eſt enim tranſ-
ferre ritum divinum ad alios uſus, juxta ſecundum
præceptum Decalogi. Quare Miſſæ privatæ, cum
multis modis oblatione, ſacrificio, applicatione de-
nique aliis modis longiſſimè diſceſſerint ab inſti-
E tuto *Chriſti*, non retinendæ, ſed abolendæ ſunt. *Fu-
gite*, inquit *Paulus*, *Idololatriam*; Eſt autem multi-
plex idololatria in privatis Miſſis, quam quidem
tueri Pontifices non eſt mirum, quia poſtremis
temporibus ait ſcriptura, inſignem idololatriam
regnaturam eſſe in loco Eccleſiæ. Sicut *Chriſtus*
ſignificat, inquiens: *Cum videbitis abominationem
deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem
in loco ſancto, qui legit intelligat*. Et *Daniel. cap. 11. Et
Deum Maoſim in loco ſuo venerabitur, & Deum*
F *quem neſcierunt patres ejus colet, auro, argento, & lapi-
dibus precioſis*: uterque locus de Miſſa concionatur.
Hunc cultum, hanc tetram prophanationem Sa-
cramentorum abominatur Deus.

Quàm multa ſunt enim manifeſta flagitia in
hoc ritu, confertur ad quæſtum, coguntur indi-
gni ſumere, vel ſi nolint, applicant pro vivis &
mortuis, promittunt aliis fauſtam navigatio-
nem, aliis alia. Hæc ſunt apertè flagitia, ſed alia
non minùs reprehendenda ſunt, quæ imperiti
G non perinde cernunt. Non ſunt humano arbi-
trio inſtituendi cultus ſine mandato Dei. Quare
errant homines, cum offerunt ſine mandato Dei,
cum ex hoc opere faciunt ſacrificium, imaginan-
tur privatas Miſſas faciendas eſſe, quia hoc ritu
Deus coli velit. Et videmus auro & argento, ap-
paratu, ſumptu ingenti Miſſas emi, Sacramen-
tum circumferri adorandum in auro & argento,

cùm in hunc uſum non ſit inſtitutum Sacramentum.

Quare cùm mandatum Dei jubeat fugere idololatriam, non erunt retinendæ privatæ Miſſæ, ac miror cur dixerint, *neceſſariò* eſſe retinendas, cum conſtet olim nullas fuiſſe. An deerant puriori Eccleſiæ annis trecentis poſt Apoſtolos, res neceſſariæ in cultu Dei? Quid poteſt dici abſurdius?

Videmus acerrimis ſtudiis defendi privatas Miſſas, quòd ſit magis ab aliis, quia quæſtui metuunt, ab aliis, quia inſerviunt vulgi affectibus, quod ægrè ſibi eripi hoc præſidium, ut exiſtimat, patitur, quàm verâ aliquâ ratione; ſed tamen firma & perſpicua cauſa eſt cur abrogari debeant. Primùm enim applicatio haud dubiè eſt impia, non meretur alteri gratiam opus ſacrificuli, ſed ſuâ quiſque fide juſtus eſt. Nec vult Deus confidere quenquam ceremoniâ ullâ, ſed tantum *Chriſti* beneficio. Et certè applicatio pro mortuis plena eſt erroris. Ac fruſtrà hìc finguntur ſophiſmata ad excuſandam applicationem. Nemo ex univerſo populo aliter ſentit, quàm hoc opus prodeſſe univerſæ Eccleſiæ. Ipſe etiam canon Miſſæ hoc profitetur. Quid ludunt verbis quidam aſtuti, qui negant ſe applicare Miſſas, cùm ſciant ſuo facto confirmari populi errorem, etiamſi ipſi aliter ſentiant. Quanquam quotus quiſque aliter ſentit?

Abſit ſimulatio à divinis ritibus; utamur eis, ut docent ſacræ literæ, & ut mos fuit primæ Eccleſiæ aliquot ſeculis. Cur hominum audacia diſceſſit à veteri more? cur nunc defenditur aliorum erratum, qui mutaverunt *Chriſti* inſtitutum?

Jam etiamſi fingat aliquis, ſe non applicare, tamen ita ceremoniam ſeorſum facit, ut exiſtimet hanc oblationem eſſe cultum quem Deus requirat, id quoq; improbandum eſt. Quia non ſunt inſtituendi cultus humano arbitrio ſine mandato Dei.

Quare obſecro per gloriam *Chriſti*, ut de Miſſa non defendas articulum decreti illius, ſed ſinas rem diligentiùs à piis & doctis deliberari? Noſtra habent evidens & firmum teſtimonium primæ Eccleſiæ, quod non dubito omnium poſteriorum judiciis opponere, qui veterem doctrinam, veteres ritus multis erroribus contaminârunt.

Reliqui articuli non habent opus longâ diſputatione: vota impia, fictitia, impoſſibilia non ſunt ſervanda.

Non dubium eſt omnium de Votis hanc eſſe perſuaſionem, hæc opera ab hominibus inſtituta, eſſe cultus Dei. Sic ſentiunt etiam qui modeſtiſſimè loquuntur? Alii plus errorum addunt: Hæc opera eſſe perfectiones, mereri vitam æternam. Porrò has opiniones omnes ſæpe taxant divinæ literæ. *Chriſtus* inquit: *Fruſtra colunt me mandatis hominum*. Et *Paulus* ait, *Has ipſas obſervationes eſſe doctrinam Dæmoniorum*, quia tribuunt humanis ritibus falſum honorem, quòd ſint cultus, obſcurant fidem, & veros cultus. Item ad *Coloſſ.* ait: *Nemo vos decipiat ſimulatâ humilitate*, &c. Quare decreta facitis. Ergò hæc vitia humanarum traditionum ſunt reipſâ impii cultus.

Accedunt deinde multa alia vitia. Totum genus vitæ monaſticæ, quantum habet ſuperſtitionum, prophanationes Miſſarum, invocationes Sanctorum, veſtitus, ciborum delectus, ſuperſtitioſas preces ſine modo? Hæ cauſæ ſingulæ ſufficiunt quare vota ſint irrita. Quid quòd maxima pars hominum invitatur ad hoc

A genus vitæ, propter culinas, poſteà prætexitur Voti religio.

Præterea Votum Cœlibatus non omnibus eſt poſſibile, ut *Chriſtus* ipſe inquit: *Non omnes capiunt hoc*. Reſcindenda autem ſunt vota, quæ ſine peccato præſtari non poſſunt; ſed hæc ſatis alibi à nobis explicata ſunt.

Valdè autem miratus ſum, Votum Sacerdotum in *Anglico* decreto etiam arctiùs adſtringi, quàm Votum Monachorum, cùm Canones ipſi tantùm B eatenus velint obligatum eſſe presbyterum, ſi ſit in miniſterio; planéque cohorrui, legens hunc articulum, prohibet matrimonia, & contracta diſſolvit, & addit pœnam capitalem. Etſi autem alicubi interfecti ſunt ſacerdotes pii propter conjugium, tamen legem hanc ſcribere nemo adhuc auſus eſt. Videbant enim pleriq; omnes ſanos & moderatos hanc crudelitatem deteſtaturos eſſe, verebantur etiam judicia poſteritatis. Quis credat in Eccleſia, in qua lenitas præcipuè erga pios eſſe debet, tan- C tam exiſtere poſſe ſæviciam, ut capitales pœnæ conſtituantur in homines pios propter Conjugium.

At violant Votum. Id enim opinor allaturos Epiſcopos. Primùm id votum, ut dixi, irritum eſt, cum ſit falſus cultus, & ſit impoſſibile. Deinde etiamſi valeret, tamen non obligaret diſcedentes à miniſterio. Poſtremò, ſi hìc vellent Epiſcopi conſultum conſcientiis, deinde ordinarent presbyteros ſine votis, ſicut conſtat ex veteribus Canonibus, olim multos ſine voto ordinatos eſſe, & hos D cùm poſtea ducerent uxores, manſiſſe in miniſterio, ut teſtatur *cap. Diaconi diſt.* 28.

Profectò quid querar dubito. Non in hoc articulo inſcitiam accuſare poſſum. Nemo ignorat mandatum Dei, *Propter fornicationem habeat unuſquiſque uxorem ſuam*. Nemo non videt qualis ſit vita cœlibum, bonorum querelæ notæ ſunt, malorum turpitudo manifeſta eſt. Sed fortaſſis Epiſcopi iſthic Epicureas opiniones habent, judicant Deum non offendi libidinibus, quod ſi ſentiunt, E difficilem nos quidem cauſam agimus apud tales Judices.

Scio cœlibatum aptiorem eſſe ad ſplendorem Epiſcoporum, & collegiorum conſervandum, & ad opes tuendas. Hanc, opinor, quibuſdam eſſe cauſam, cur tantopere abhorreant à conjugio Sacerdotum. Sed ô miſeram Eccleſiam, ſi ſervire leges non veritati, non voluntati Dei, ſed injuſtis utilitatibus coguntur! Errant qui putant licere ſibi leges condere pugnantes cum mandato Dei, cum F jure naturæ, modò ſint utiles ad opes tuendas.

Ac profectò ex animo doleo, & tuam vicem, Rex inclyte, & vicem Eccleſiæ *Chriſti*. Oſtendis te *Romani* Epiſcopi tyrannidem improbare, & verè eum vocas *Antichriſtum*; interea eas leges *Romani Antichriſti*, quæ ſunt nervi potentiæ ipſius, defendis, Miſſas privatas, Cœlibatum, & cæteras ſuperſtitiones. Minaris atrociſſima ſupplicia viris bonis & membris *Chriſti*, opprimis illuceſcentem in Eccleſiis tuis veritatem Euangelii. Hoc non eſt G *Antichriſtum* tollere, ſed confirmare.

Obteſtor igitur te propter Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, ne conſcientiam tuam horum articulorum defenſione polluas, quos Epiſcopi de privatis Miſſis, de Confeſſione, de Votis, de Cœlibatu Sacerdotum, de Prohibitione integri Sacramenti, ediderunt. Non eſt leve peccatum, idololatriam, errores, crudelitatem, libidines *Antichriſti*

chriſti ſtabilire. Si nunc haberet *Romanus* Epiſcopus Synodum, quos alios articulos præcipuos conderet, & orbi terrarum imponeret, niſi illos, quos recenſent Epiſcopi tui.

Agnoſce quæſo Diaboli inſidias, qui quidem, inprimis gubernatores adoriri, ac tentare ſolet. Et cum ſit hoſtis *Chriſti* ab initio mundi, præcipuè hoc molitur omni vaſricie, ut *Chriſtum* contumeliâ afficiat ſparſis impiis opinionibus, & excitatâ idololatriâ. Deinde ut injuſtis cædibus & libidinibus polluatur humanum genus. Ad has res abutitur hypocritarum ingeniis & potentum viribus, ut hiſtoriæ omnium temporum oſtendunt, Magna imperia ſævisſe in Eccleſiam.

Sed tamen aliquos Principes Deus ab illo Gigantum exercitu traduxit ad Eccleſiam, & agnoſcere veram doctrinam & veros cultus voluit, ut *Abraham* erudiit *Abimelech*, *Joſeph Ægyptios* Reges. Poſtea *David*, *Ioſaphat*, *Ezechias*, *Ioſias* excelluerunt pietate. *Daniel* flexit ad agnitionem Dei Reges *Chaldæos* & *Perſicos*. Dedit & *Britannia* pium Principem orbi terrarum *Conſtantium*. In hoc te cœtu potiùs optarim eſſe, quàm inter hoſtes *Chriſti*, contaminatos idololatria, & reſperſos ſanguine piorum, de quibus Deus pœnas ſumet, ut ſæpè concionatur, & oſtendunt multa exempla.

Rurſus igitur te propter Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum* obteſtor, ut decretum Epiſcoporum lenias & emendes. Eaque in re gloriæ *Chriſti* ſervias, & conſulas tuæ, & Eccleſiarum tuarum ſaluti. Moveare votis multorum piorum toto orbe terrarum, qui optant ut aliqui Reges conferant autoritatem ſuam ad veram Eccleſiæ emendationem, & ad tollendos impios cultus, ac propagandum Euangelium. Reſpicias & illos pios viros vinctos propter Euangelium, qui ſunt vera *Chriſti* membra.

Et ſi non mutabitur decretum, ſine fine graſſabitur in Eccleſia ſævitia Epiſcoporum. Hos enim habet Diabolus odii ſui adverſus *Chriſtum* & furoris adminiſtros, hos impellit ad *Chriſti* membra trucidanda. Horum impias & crudeles ſententias, & ſophiſticas cavillationes, noſtræ veræ & juſtiſſimæ deprecationi, ut non anteferas, omnes pii te orant & obteſtantur. Quod ſi impetrabunt, haud dubiè Deus ingentia præmia tibi pro pietate reddet, & piorum literis, & voce, virtus tua celebrabitur. *Chriſtus* enim judicaturus eſt benè & malè meritos de Eccleſia. Et dum vivent literæ, extabit ad poſteritatem memoria rerum tantarum. Et cùm *Chriſti* gloriæ ſerviamus, & Eccleſiæ noſtræ ſint *Chriſti* Eccleſiæ, non deerunt qui piæ cauſæ patrocinari, qui benè meritos debitâ laude ornare, & crudelitatem vituperare poterunt. Circumit *Chriſtus* eſuriens, ſitiens, nudus, vinctus, conquerens de Pontificum rabie, de multorum Regum injuſtiſſima ſævitia, petens nè lacerentur corporis ſui membra, ſed ut defendantur veræ Eccleſiæ, ornetur Euangelium. Hunc agnoſcere, excipere, fovere pii Regis eſt officium, & cultus Deo gratiſſimus. Bene vale, primo Novembris, Anno M.D.XXIX.

Franciſcus Dei gratia Francorum Rex, dilecto noſtro Philippo Melanthoni S. D.

Epiſt. 29. SIngulare tuum ad ſedandas eas, quæ in doctrinam *Chriſtianã* invectæ ſunt altercationes,

A ſtudium intellexeram, antea quidem ex *Guilhelmo Bellaio Langio*, cubiculario atque conſiliario noſtro, quo ego præcipuè ſum uſus ad eam rem adminiſtro & interprete. Nunc verò ex literis ad eum tuis, & ſermone redeuntis à te *Barnabæ Vocei Foſſæ* intellexi, te etiam hoc laboris perlibenti animo ſuſcepturum, ut ad nos primo quoque tempore te conferas, deque unione doctrinarum cum ſelectis aliquot noſtratibus Doctoribus hic apud nos coràm diſſeras, atque rationes ineas, quò reB ſarciri poſſit pulcherrima illa Eccleſiaſticæ politiæ harmonia, qua una re cum ego mihi nihil unquam quicquam majori cura, ſtudio & ſollicitudine animi complectendum eſſe duxerim, committere nolui, quin hunc ſtatim *Voceum Foſſam* ad te dimitterem, cum his velut publicæ fidei obſidibus literis: Obteſtarer etiam abduci te ullius perſuaſione, ut nè ſinas ab hoc pio ſanctóque inſtituto. Venies omnino mihi gratiſſimus ſeu privato tuo, ſeu publico veſtrorum nomine C adveneris, meque re ipſa experieris, & privatim veſtræ *Germaniæ* dignitatis, & publicæ in univerſum quietis, ante omnia eſſe, atque adhuc ſemper fuiſſe, ſtudioſiſſimum. Vale. Ex oppido *Gulſi*, die vigeſimo octavo Junii, Anno milleſimo quingenteſimo quinto.

Franciſco Regi Galliæ Philippus Melanthon S. D.

D CHriſtianiſſime & potentiſſime Rex, cùm aliis multis ornamentis pulcherrimum *Franciæ* regnum longè antecellit omnibus regnis totius orbis terrarum; tùm hæc laus inter præcipuas ducenda eſt, quòd doctrinæ ſtudiis cæteras nationes ſemper vicit, & pro religionis *Chriſtianæ* defenſione præcipuè velut in ſtatione perpetuò fuit. Quas ob cauſas meritò titulum habet auſpicatiſſimum *Chriſtianiſſimi*, quo nullum in terris præconium majus, aut auguſtius dici poteſt. Qua- Epiſt. 30.
E re gratulor R. M. T. quod etiam hoc tempore ſuſcipit curam ſervandæ Eccleſiæ, non tamen violentis remediis, ſed verâ ratione, & digna Rege optimo & *Chriſtianiſſimo*. Et in his diſſenſionibus utriuſque partis impetus ita moderari ſtudet, ut explicata doctrina *Chriſtiana*, & repurgata ſimul gloria *Chriſti*, dignitati ordinis Eccleſiaſtici & tranquillitati Reipublicam conſulatur. Profectò hac voluntate & his conſiliis nihil glorioſius, nihil Rege dignius excogitari poF teſt. Itaque R. M. T. oro, ut non deſinat in hanc curam cogitationemque incumbere. Etſi enim publica diſſenſio alicubi immoderatis, vel etiam malis doctoribus locum tribuit, tamen à bonis viris pleraque pateſacta ſunt, quæ extare in Eccleſia plurimum refert. Quanquam igitur coercenda eſt in malis petulantia, tamen oro R. M. T. nè aſperioribus judiciis aut ſcriptis quorundam ſinat ſe adduci, ut etiam res bonas & Eccleſiæ utiles deleri patiatur. Mihi quidem nullæ immoderatæ opiniG ones, aut quæ labefactârunt pulcherrimum & ſanctiſſimum Eccleſiæ ordinem, unquam placuerunt. Quo quidem nihil in terris carius, nihil antiquius eſſe omnibus debet: Atque ita ſcio apud nos affectos omnes bonos viros, qui in hoc ipſo doctrinæ genere verſantur, in quo & ego verſor. Itaque cùm accepiſſem literas R. M. T. Deum teſtor, me quantum potui, conatum eſſe & contendiſſe,

A ut ſtatim ad R. M. T. accurrerem. Nam mihi nihil optatius eſt, quàm ut pro mea tenuitate aliquid operis adferre poſſim Eccleſiæ, ac in ſpem optimam veni, poſtquam cognovi eam pietatem & moderationem eſſe R. M. T. ut in commune gloriæ *Chriſti* conſultum cupiat. Sed quantæ me difficultates paulìſper adhuc remorentur, intelliget R. M. T. ex *Verao*: quæ quidem licet moram attulerint huic itineri, tamen animum meum neq; à profectione, neq; à conſiliis aut ſtudio tantarum controverſiarum averterunt. B Sed hæc exponet omnia copioſiùs *Veram*. Poſtremò me R. M. T. commendo, ac polliceor me judicium meum perpetuò ad doctorum & bonorum virorum in Eccleſia ſententiam aggregaturum eſſe. *Chriſtus* ſervet R. M. T. florentem & incolumem, & gubernet ad communem orbis terrarum ſalutem, & illuſtrandam ac ornandam gloriam Dei. Datæ in *Saxonia*, V. Calendas Septembris, Anno Domini M. D. XXXV.

C

Ioachimo II. Marchioni Brandenburgenſi, Electori, paranti expeditionem in Hungariam.

Epiſt. 31. ET Reipub. gratulor, V. C. mitti ad patriæ atque hujus Reipub. defenſionem, & V. C. gratulor hanc mentem, quod à Deo auxilium & ſalutem petit. *Chriſtus* ait, *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. His freti promiſſis oremus Deum propter *Chriſtum* & gloriam ſui nominis, ut C. V. D gubernet, tueatur, ac defendat, & feliciter reducat victores, rejectis ac deletis immaniſſimis hoſtibus. Id precari, id orare & pro noſtro Imperatore clementiſſimo atque optimo Principe, & pro V. C. & univerſo noſtro exercitu convenit. Etenim cum omnes omnium gentium hiſtorias, populorum mores, militiam, domeſticam aut caſtrenſem diſciplinam, res geſtas atque imperia colligo & conſidero, invenio nullam nationem extitiſſe, in qua plus fuerit impietatis, crudelitatis, flagitioſarum libidinum, denique E immanitatis in omni genere, quàm in *Turcis*. Alii Reges ac populi ita geſſerunt bella, ut poſtea Reſpub. legibus, moribus & religione ornarent. At *Turca* nullis juſtis de cauſis bella movent, gerunt crudeliſſimè, poſtquam vicerunt, religiones, bonos mores, & totam civilem diſciplinam tollunt, & devictas nationes ad miſerrimam & fœdam ſervitutem redigunt. Itaque ſciat Celſ. V. bellum jure & mandato Dei, tanquam adverſus ſæviſſimos homines, gerendum eſſe. F Ipſi enim jam inferunt bellum tot ſeculis, & in lege ſua *Mahometica* id profitentur, ſe hoſtes eſſe omnium gentium. Itaque tanquam latrones depelli debent. Magna conſolatio eſt, quòd mandato Dei cogamur illos depellere. Hac conſolatione confirmet ſe C. V. & meminerit Deum adjuvare nos, cum ea gerimus quæ juſſit nos, ut ait *David: Revela Domino viam tuam, & ipſe faciet*. Sed nolo eſſe prolixior. Extant enim libelli de hac re diligenter & accuratè ſcripti & lectu utiles. G Si C. V. venerit ad patruum principem *Moguntinum*, quæſo ut me ei commendet, eique meis verbis gratias agat pro navata opera in pacificatione ſummo conſilio, & ſummâ fide, ac polliceatur ei, me, quod antea etiam feci ſummâ diligentiâ, ubicunque erit occaſio, Eccleſiæ concordiam quæſiturum & diſſenſiones mitigaturum eſſe. Anno M. D. XLII.

Principi Palatino S. D.

Epiſt. 32. FOrtaſſis hoc genus literarum quod ad Principes mittimus, putant quidam ambitione tantùm ſcribi: Ego profectò veriſſimo animi dolore cogito de Principibus, pro eis vota facio, & adoleſcentes ad gubernationem rerum acceſſuros, incitare vero ſtudio ad virtutem cupio. Etſi enim in tanta confuſione rerum humanarum ſemper pauci boni Principes fuerunt, tamen etiam pauci generi humano ſalutares eſſe ſolent. Poſſem omnium ætatum exempla recitare. Cùm *Romanum* Imperium dilacerarent *Antonius Lepidus*, *Dolobella* & alii multi, tandem moderatio *Augusti* reddidit orbi terrarum quietem. Sed præſentia videamus. Quoties jam tumultuantibus cæteris *Germanicis* Ducibus, exitiales motus ſedati ſunt moderatione fratrum *Palatinorum Ludovici & Friderici*? Gaudeo autem ex animo laudari indolem tuam, virtutis ſtudia, & mores honeſtiſſimos, ac precor Deum æternum Patrem liberatoris noſtri *Jeſu Chriſti*, gubernatorem bonorum Principum, ut te ſervet incolumem, ac efficiat, ut olim Reipub. feliciter præſis, ut Eccleſiam *Chriſti* ornes. Quanquam autem hortatores tibi non deſunt, tamen & ego cum non poſſem non adfici cura patriæ, hortandum te eſſe duxi, ut hunc curſum virtutis, quem Deo duce inchoâſti, urgeas. Divina res eſt gubernare cæteros. Ad hoc tantum munus magnâ curâ animus præparandus, & ingentia præmia Deus gubernatoribus pollicetur. Rurſus quam horribiliter iraſcatur cum ignavis, tum ſceleratis Principibus, hiſtoriarum exempla oſtendunt, quas quidem legere jam te hac ætate prodeſt, ut videas quantum decus ſit imitari bonos. Sæpè audivi narrantem *Capnionem*, adeo fuiſſe avidum hiſtoriarum *Palatinum Philippum*, ut contexi ſibi integram ſeriem Monarchiarum à *Rudolpho Agricola* curârit, qui aulam *Heidelbergenſem* diu ſecutus eſt. Tunc enim Monarchias deſcriptas ab *Herodoto* pauciſſimi norant. Te verò adhortor præcipuè ad ſacræ hiſtoriæ lectionem, quæ doctrinam maximè utilem gubernatoribus continet, nec ulla pars eſt vitæ, cujus non imago aliqua propoſita ſit in conſiliis, actionibus & eventibus Principum, quos ſacri libri recitant. Hac de re copioſius aliàs ad te ſcribam, ſi literas meas tibi non ingratas fuiſſe intellexero. Bene & feliciter vale. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto.

Magno, Duci Megapolenſi.

Epiſt. 33. ET ex literis tuis amantiſſimè ſcriptis, & ex graviſſimo *Arnoldi* ſermone, qui tuarum literarum humanitatē verbis ſubſecutus eſt, benevolentiam erga me tuam ſingularem cognovi. Quanquàm autem nihil mihi accidere gratius ac honorificentius tali tuo vel ſtudio vel judicio poteſt, tamen hanc tuam voluntatem magis Reipub. literariæ, quàm mihi privatim gratulor. Nam cum his ferreis temporibus, literæ publico tumultu quaſi conterritæ interituræ videantur, niſi ſtudia earum rurſus excitent iſti, qui rerum potiuntur, maximæ mihi voluptati eſt, exiſtere aliquem veſtri ordinis, qui ſtudioſos homines, & ut Poëtæ verbis utar, *triſtes hac tēpeſtate Camenas*, reſpiciat. Neq; enī dubito quī ſtudiis noſtris ea tribuas, quæ mihi

mihi tribuenda eſſe duxiſti. Proinde etſi mihi in
hac miſera fortuna literarum gratum eſt habere
veluti aliquem *Mecænatem*, tamen hoc multò ju-
cundius eſt, quòd publicum honeſtarum artium ac
ſtudiorum patrocinium ſuſcipere mihi videaris.
Atq; hanc meam de te opinionem literæ tuæ nunc
confirmârunt. Pepererunt autem anno ſuperiore
doctiſſimi ſermones tui, cum me ad colloquium
familiariſſimè accerſiviſſes, ubi facilè intelligebam
te hæc ſtudia literarum, non adductum inani am-
bitione, complexum eſſe: ſed quia ſtatueres nemi-
nem ſine hoc inſtrumento ad Rempub. benè ge-
rendam idoneum eſſe. Ego igitur hactenus tuo-
rum ſtudiorum libenter memini, eáque publicè
prædicavi. Nam ut extaret hujus mei de te judicii
teſtimonium, dedicavi tibi commentarium in ſen-
tentias *Salomonis* ſcriptum, qui propediem in lu-
cem edetur. Tu verò quod facis, omnibus ingenii
atque animi viribus in hæc ſtudia, ad quæ ſapi-
entiſſimo patris conſilio adhibitus es, incumbe.
Nullum enim ornamentum veſtræ nobilitati ho-
neſtius eſt, quam perfecta doctrina; Etſi verum
eſt, quod ſcribit *Plato*, naturâ inter ſe cohærere &
cognatas eſſe, magnam potentiam & ſapientiam;
profectò potentiam ſine ſapientia retinere nemo
poteſt, neque ſapientia ſine harum artium cogni-
tione, in quibus verſaris, perfecta eſſe ulla poteſt.
Quare hanc doctrinam exiſtimes ad regendam
Rempub. non modò utilem, ſed etiam neceſſari-
am futuram eſſe. Hæc, quanquam mihi tua & vo-
luntas & aſſiduitas nota eſt, ſcripſi tamen, ut cur-
rentem hortarer, perindè atque ille apud *Home-
rum* ait: ὀτρύνειν σπεύδοντα. Nihil autem in omni
ratione diſcendi utilius eſt ſtyli exercitio. Hic eſt,
ut inquit *Cicero*, optimus ac præſtantiſſimus dicen-
di effector & magiſter. Neque verò tantum ad lo-
cupletandam ſermonis copiam conducit, ſed habet
aliam longè majorem utilitatem, quòd judicium
acuit ac format, mentemque excitat, ut multò al-
tiùs introſpiciat omnia, quàm ſolent iſti, qui ſtyli
uſum nullum habent. Non conſilia autorum, quos
legis plurimos atque optimos, non ſententias peni-
tùs intelliges, niſi ſcribendi exercitium ad lectio-
nem adhibueris. In exemplo tuo lineamenta quæ-
dam comparent, ex quibus conjecturam facio, plu-
rimum te facere poſſe, ſi hanc exercitationem non
remittas. Eſt enim ſana oratio tua, nihil habens in-
eptiarum, ut ferè poſſit *Attica* dici, quo ego genere
orationis plurimum delector. Sed hæc convenit
Arnoldum domi monere. Ego adductus magnitu-
dine amoris, ulterius provehor quàm decet. Quare
te rogo, mihi ut ignoſcas, ſi videor juſto loquacior,
& ut pro tua ſumma humanitate conſtantiáq; be-
nevolentiam, quâ me complexus es, retineas, neq;
mei amorem abjicias. Vale feliciter. Ex *Vviteber-
ga*; poſtridie *Bartholomæi*, Anno M. D. XLVIII.

*Franciſco Othoni & fratribus ejus tribus, Du-
cibus Brunſvicenſibus & Luneburgen-
ſibus, &c.* S. D.

Epiſt. 34. PUlcherrima res eſt hic ordo cœleſtium motu-
um, qui vices efficit gratiſſimas animantibus
omnibus, die Solem reducens, nocte quietem con-
cedens; Vere terram rigans, ut ſemina accipiat, ac
fœcunda fiat. Æſtate calorem augens, ut matureſce-
re fruges poſſint. Sed non minus miranda eſt pul-
chritudo ordinis politici, ſi quãdo bonus Princeps
A eum moderatur. Nam hic cœtus hominum conci-
liat, & aſſuefacit, ut Deum celebrent, virtutem co-
lant, ament caſtos mores, erudiant juventutem, de-
fendant, ac juvent juſtos, reprimant malorum fu-
rores. Talis gubernator & imago Dei eſt in terris,
& ab ipſo æterno Deo cuſtoditur ac juvatur. Hic
ſatellites habet, non hos torvos *Cares*, qui ſectan-
tur vulgus Principum, ſed angelos Dei miniſtros.
Horum agminibus ſtipatos eſſe pios Principes cer-
tum eſt. Etſi autem tales Principes rari ſunt, ut ille
B dixit, *omnium bonorum Principum imagines in uno
annulo ſculpi poſſe*, tamen aliquos exiſtere ſeu ſum-
mos ſeu mediocres neceſſe eſt. Ac fuiſſe in Heroi-
co genere veſtro tales credo *Othones*, *Lotharium*
natum in agris veſtris, & alios quoſdam. Sed hodie
quanta eſt paucitas? Eò majori laude dignus eſt
Pater veſter, qui virtute, pietate, modeſtiâ, conti-
nentiâ cæteris Principibus antecellit. Ad id decus
& filios educat ac inſtituit. Quare eniti vos omni
contentione decet, ut voluntati patris obtempere-
C tis, & efficiatis, ut olim ingenia veſtra, mores, ex-
empla luceant in gubernatione, & vos & totam
ſocietatem civilem ornent. Cogitate è regione
quam tetra & execranda res ſit Princeps talis, qua-
les fuerunt *Caligula*, *Nero* & ſimiles contaminati
parricidiis & omni genere turpitudinis, qui inter
homines, non ut *Icones* Dei, ſed ut furiæ Diabo-
licæ verſati ſunt, & totam rerum naturam ſuis ſce-
leribus polluerunt. Oro autem Deum Patrem li-
beratoris noſtri *Jeſu Chriſti*, maximè amantem
D bonos Principes, ut vos gubernet, & efficiat ut ve-
ſtra virtus ſalutaris ſit olim Eccleſiæ ac patriæ. In-
genti gaudio adficior, cum audio verè celebrari a-
liquem Principem, ac rurſus nullum mihi triſtius
eſt ſpectaculum, quàm videre quoſdam malis mo-
ribus præditos, qui ſunt peſtes Eccleſiæ & rerum
humanarum. Ideo verè & ex animo opto, ut Deus
perpetuò vobis adſit, vos regat ac ſervet. Bene
valete.

E *Illuſtriſsimo & Reverendiſsimo Principi ac
Domino, Domino Georgio Principi in An-
halt, Comiti Aſcaniæ &c. Præpoſito Eccleſiæ
Magdeburgenſis, & Coadjutori in Eccleſia-
ſtica gubernatione Merſeburgenſi, Domino
ſuo clementiſsimo* S. D.

ILluſtriſſime, & Reverendiſſime Princeps, Extát *Epiſt.* 35.
apud *Platonem* ſententia, cujus cogitationem
cùm aliis viris ſapientibus, tùm verò bonis Prin-
F cipibus, gratam eſſe non dubito. Eſt enim do-
ctrina de cauſis gubernationis, ſúntque hæc ver-
ba: *Deus quidem & cum Deo temporum momenta
res humanas, quod ad univerſum corpus attinet, gu-
bernant.* Minus horridum eſt tamen adſentiri, ad
has principales cauſas adjungi oportere artem
ſeu diligentiam humanam. Poſtquam igitur De-
us hoc tempore, ut cupiditates noſtras frenaret,
caſtigavit bonam *Germaniæ* partem, & aliquam
in gubernatione mutationem fecit, accedat
G hoc etiam, ut boni & ſapientes viri, qui auto-
ritate antecellunt, diligentiâ ſuâ iſtos quaſi flu-
ctus moderentur, & curent inter tumultus impe-
riorum reſtitui ſtudia veræ Invocationis Dei,
Leges, Judicia, & omnia diſciplinæ vincula.
Audivi autem ex narratione, quam mihi Celſ.
T. ſignificavit, Ducem ipſum victorem Deo guber-
nante ejus pectus, ſuâ ſponte adfirmâſſe, has res

 ſaluta-

ſalutares vitæ hominum, & propter quas præcipuè Deus Imperia conſtituit, ſibi curæ fore.

Scio & Celſ. T. anniti, ut Eccleſiis rectè conſulatur, & diſciplina ſanciatur. Hac igitur conſolatione meus dolor aliquantulum lenitur, quòd cum video non negligi has res neceſſarias, ſpero Deum prohibiturum eſſe barbaricam vaſtationem, & ſervaturum aliquod ſemen ſanctum etiam in his terris, & ut ſervet toto cum pectore oro. Ingentem dolorem multos annos etiam ante bellum in animo meo circumtuli, propter multa publica mala, quæ nunc *Nemeſis* ſecuta eſt. Atque utinam commonefacti tam triſti ſpectaculo, emendaremus errores noſtros & vicia; quod ut fiat, orandus eſt Deus, ut Principum & Doctorum mentes exuſcitet, ut veras deliberationes ſuſcipiant. De his rebus brevi Deo juvante coràm cum C. T. colloquar. Nunc expecto *Noribergenſes* literas, in quibus ſi quid erit dignum narratu, Celſ. T. ſignificabo. Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* ſervet & regat Celſ. T. & fratres Principes, virtute & pietate ornantes Nobilitatem. Quare etiamſi in hac communi tempeſtate ſocii ærumnarum viciniæ fuerunt, tamen Deo curæ eſſe & ipſos, & veſtras regiones vidiſtis, pro quo beneficio ei gratias agamus. Bene valeat Celſ. T. Die viceſimo Junii, Anno M. D. XLVII.

Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Principi ac Domino, Domino Georgio Principi in Anhalt, Comiti Aſcaniæ &c.

Epiſt. 36. QUòd haſtenus ad Celſ. T. nihil dedi literarum, fatebor potius parum officioſè à me factum eſſe, quàm utar aliquâ ineptâ excuſatione. Quæſo autem, ut Celſ. T. meam in hoc genere procraſtinationem boni conſulat. Ego enim C. T. benevolentiam erga me facio plurimi, non ſolùm meæ utilitatis cauſâ: ſed multò magis, quòd tanta virtus & doctrina in Principe viro præcipuè merentur admirationem atque amorem. Utinam haberemus multos tales Eccleſiæ gubernatores. Sed & de pulcherrimis virtutibus Celſ. T. & de Eccleſiarum conditione alias plura. Nunc mitto C. T. *Aleſii* libellum, in quo collectæ ſunt quædam conſolationes, quas ipſe mihi inculcare ſoleo, adverſus eos, qui nobis atrox ſchiſmatis crimen objiciunt. Satis enim excuſat nos iſtorum horribilis crudelitas, quam profectò neque adjuvare neque approbare debemus. Spero hanc conſolationem & T. Celſ. gratam futuram eſſe. Commendo autem me Celſ. T. tanquam præcipuo patrono, ac polliceor ſemper autoritatem Celſ. T. plurimum apud me valituram eſſe. Commendo etiam Celſ. T. *M. Franciſcum*, quocum mihi, propter ipſius ſummam humanitatem ac fidem, vetus eſt amicitia. Præcipuè autem cupit Celſ. T. eſſe commendatus propter excellentem virtutem & doctrinam Celſ. T. Bene & feliciter valeat Celſ. T.

Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Principi ac Domino, Domino Georgio Principi in Anhalt, Comiti Aſcaniæ &c.

Epiſt. 37. NEc oblivione accidit, nec propter itinera mea, ut tardius mittam concionem: Sed partim aliæ lucubrationes me remoratæ ſunt, partim dubitatio de argumento. Tandem diu quæ-
A ſita materia, ſumpſi dictum *Pauli ad Timotheum*: Attende lectioni, conſolationi & doctrinæ. Eſt enim eruditiſſima partitio. Et quanquam magis idonea materia ſcholæ videtur, quàm templo, tamen in ſacerdotum cœtu decet non ineruditas orationes haberi. Atque utinam diu ſonent in Synodis eruditæ conciones. Quid enim moliantur hoſtes doctrinæ videtis. Sed Deum oremus, ut Eccleſiæ ſuæ reliquias ſervet, nec ſinat extingui doctrinæ lucem. Brevior eſt & minus ſplendida
B enarratio dicti *Paulini*: Sed nec domi, nec animo tranquillo ſcripſi; ac Celſ. T. permitto judicium de ſcripto. Significari etiam mihi per Doctorem *Georgium* Celſ. T. curet, an pagellas rectè cuſtoditas tabellarius veſter exhibuerit. Mitto tres hiſtorias admodum inſignes; Scio multa cogitatu tam eſſe de tota *Germania*, ubi leget Celſ. T. narrationem de Electore *Palatino*. Deus reprimat conſilia eorum, qui delere vocem Evangelii conantur. Acta conſilii *Tridentini*, hoc eſt, articuli
C aliquot cum refutatione editi ſunt, quorum exemplum heri dedi Comiti *Stolbergio Henrico*. Cum venero *Vuitebergam*, ſi aliud exemplar invenero, mittam Celſ. T. Iter Deo juvante intra triduum ingrediar. Bene valeat Celſ. T. Die ſexto Octob.

Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Principi ac Domino, Domino Georgio Principi in Anhalt, Comiti Aſcaniæ &c.

D ILluſtriſſime Princeps, quòd Celſ. T. clementer ac benignè oſtendit, ſe nobis in hâc annonæ anguſtia non defuturam eſſe, agimus gratias, & omnia noſtra officia cum ſumma obſervantia Celſ. T. deferimus, ac precamur Deum ut pro hoc beneficio viciſſim ſervet, defendat, & adjuvet Celſ. T. ſicut inquit: *Benedictio vendenti frumentum*. Etſi autem de precio intellexi ſententiam veſtram, nec ego quicquam alienum à conditione hujus temporis peto, tamen rogo ut benignitate veſtra Epiſt. 38.
E precium moderemini. Creſcunt exemplis interdum etiam immoderatè precia. *Baſilius* curavit frumentum aliquot civitatibus, Idque factum in primis laudatur. Habet autem Celſ. T. in Eccleſia gradum ut *Baſilius*: Sed hoc ſuperat Celſ. T. quod etiam Princeps eſt Reipub. Pietate verò ac doctrinâ cum *Baſilio* conferri Celſ. T. poſſe ſtatuo. Quare cum tam multæ cauſæ concurrant, magis laudari tuum beneficium debebit, quàm *Baſilii*. Nam Principes, ut vocantur, ita eſſe Paſtores po-
F pulorum, qui civibus benefaciant, debent. Nomen etiam tuum admonet Celſ. T. de juvandis populis. Nam γεωργὸς eſt, qui colit & ornat terram, hoc eſt, qui ut alii homines poſſint, eos adjuvat. Bene valeat Celſ. T. 29. Octob. Anno M.D.XXXVIII.

Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Principi ac Domino, Domino Georgio Principi in Anhalt, Comiti Aſcaniæ &c.

G ILluſtriſſime Princeps, non dubito, quin ut quiſque Princeps optimus eſt, & Eccleſiæ *Chriſtianæ* amantiſſimus: ita maximè cupiat adjuvare & tueri ſtudia literarum. Porro Celſ. T. non ſolum amore pietatis antecellit aliis multis, ſed eruditionem etiam tantam ad cæteras virtutes adjunxit, ut certare cum doctis & claris Profeſſoribus in præcipuis artibus poſſit. Quare ſciò Epiſt. 39.

Celſ.

Celſ. T. ex animo literis favere, eaſque libenter
provehere ut ad Eccleſiæ utilitatem conſerven-
tur. Sic cum de te ſentiant ſtudioſi paſſim, erit
humanitatis tuæ eorum officia non aſpernari, quæ
tibi monumenta & labores ſuos dedicant. *Plinius*
inquit, *Scriptores ſui temporis non fuiſſe in admirati-
one apud Principes, quia Principes deſiiſſent laudanda
facere.* Sed cum tui mores ſint ſanctiſſimi, cum vi-
ta tota ad *Chriſti* gloriam deſtinata ſit, non gra-
vatim permittes nomen tuum celebrari. Pertinet
enim ad exemplum honeſtos Principes duraturis
ſcriptis ornari. Dedicavit igitur Celſ. T. *Georgius
Æmylius* eruditum & pium Poema, quod cum
leges, Celſ. T. magnopere rogo, ut oſtendas offici-
um ipſius tibi gratum eſſe. Spero & genus ver-
ſuum te probaturum. Digni laude ſunt, qui con-
ferunt ingenii venam ad ornandum gloriam Dei,
qui eſt ingeniorum autor. Tales ſunt Principum
liberalitate adjuvandi, ut alii etiam ad ſcribendum
invitentur. Quare rogo Celſ. T. ut ſpecimen volun-
tatis ſuæ erga literas hoc tempore huic *Æmylio* o-
ſtendat. Ego quicquid in eum contuleris, in me
collatum judicabo. Bene valeat Celſ. T. Die Maii
XXII. Anno M.D.XXX.

*Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Principi ac
Domino, Domino Georgio Principi in Anhalt,
Comiti Aſcaniæ, &c.*

Epiſt. 40. ETſi deerat mihi argumentum, quod quidē li-
teris dignum videretur, tamen petenti Domi-
no *Nicolao* dedi hanc epiſtolam, qui affirmabat
hoc meum officium Celſitudini tuæ, præſertim in
hac valetudine, gratam fore. Quanquam enim C.
tua nequaquam frangeretur animo, & valetudinis
imbecillitatem, cæteráſque difficultates ſummâ
conſtantiâ perferret: tamen aiebat D. *Nicolaus*
interdum C. tuam oblectationem aliquam etiam
ex ſtudioſorum ſermonibus aut literis quærere.
Ego verò non dubitabam, quin C. tua magno
robore animi præſentes difficultates ſuſtineret.
Tenet enim ea quæ ad conſolationem & in do-
ctrina *Chriſtiana* & in aliis literis graviſſimè pro-
ponuntur, quæ a me colligi hoc loco nihil opus eſt.
Una illa eſt efficaciſſima conſolatio, quod ſcimus
Eccleſiam eſſe ſubjectam afflictioni, cúmq; hanc
Diabolus immaniter oderit, nullis non ſcandalis
ac injuriis nos oppugnat. Ergo erigamus nos, &
meminerimus non eſſe cedendum Diabolo. Vin-
cet tandem *Chriſtus*, & interim nos luctantes, in-
ter tot mala ſervabit & gubernabit, ſi ab ipſo
opem implorabimus. Ac verè exiſtimo plurimos
pios ubique terrarum eſſe, qui & ipſi exercentur
variis caſibus. Horum omnium gemitus exau-
diri & reſpici à *Chriſto* ſtatuamus, noſque ad hos
aggregemus, ac ſimul petamus, nè ſinat nos oppri-
mi rabie ac furore Diaboli, nè perire nos obrutos
ſcandalis ſinat. Magna, ut mihi videtur, conſola-
tio eſt, intelligere unde tam ſævi impetus in nos
fiant, & ſcire hunc verum eſſe Dei cultum, con-
fugere ad auxilium Domini noſtri *Ieſu Chriſti*,
qui vult in infirmis vincere: Hæc ſapientia ignota
eſt Philoſophiæ; quæ tamen & ipſa colligit pluri-
ma, quæ ſi non remedium, tamen oblectationem
aliquam adferunt; ſed utriuſq; generis argumenta
veriora ſcit C. tua, quàm ut a me recitari opus ſit.
De Synodo eſt ſilentium. Cæſar dicitur redire in
Hiſpanias, etſi nondum hoc affirmare poſſim. Nam
A literæ *Norica* erant ambiguè ſcriptæ. Sed de
Subaudienſi affirmabant, *Subaudienſem* ducem ita
tranſegiſſe cum *Gallo*. Cedit Regi *Gallico* ducatum
Subaudienſem, pro quo viciſſim dat ei *Gallus* duca-
tum *Burbonienſem*. Ita *Gallus* aditum in *Italiam* re-
tinet. Fuerunt unà Cæſar & Papa. Sed *Gallus* ad
eos non venit, excuſans valetudinem. D. *Nicolaus*
vocatur ab Eccleſia *Fribergenſi*, ſed niſi te vobiſ-
cum deliberatâ &c nihil ſtatuet. Bene valeat C. T.
XXVII. Junii P.M.

B

*Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Principi ac
Domino, Domino Georgio Principi in Anhalt,
Comiti Aſcaniæ, &c.*

INaditu *Bavariæ* dextra mihi, cum everteretur Epiſt. 41.
currus quo vehebar, adeò duriter quâſſata eſt,
ut oſſa ἐν ἀνάρθρω, ut Medici vocant, luxata ſint.
Ideo nunc ſine cruciatu literas pingere non poſ-
ſum. Sed tamen quoquo modo ſignificandum eſſe
C C. tuæ duxi, *Ratisbonæ* mihi redditum eſſe mu-
nus argenteum, quod in menſa nos quotidiè de
egregiis virtutibus tuis admonet. Morès mei tibi
noti ſunt, & ut ſpero etiā probati. Certè parſimo-
niam ita amo, ut etiam alios non libenter onerem
ſumptu. Filius Dei inter ſe devinctos eſſe vult
omnes, qui ipſum agnoſcunt, & Deum verè co-
lunt. Jure igitur amo C. tuam, quæ toto pectore
amplectitur *Chriſti* doctrinam, & ornat Eccleſias
ſuæ ditionis magnâ ſedulitate. Sunt & cæteræ
D virtutes, Juſtitia in gubernatione, conſtantia ani-
mi, caſtitas in moribus, eruditio eximia, digna
amore & laude. Propter has cauſas ſimplici ani-
mo colo C. tuam, non propter munera, ſed tamen
hac benevolentiâ tuâ valdè delector, & pro mune-
re ago gratias. Hiſtoriam conventûs adjeci in
alia pagella. Nec aliud adhuc actum eſt. Certo
conſilio ita breviter ſummam narravi, quæ inter
amicos ſpargi ſine periculo poteſt. Noſtri omnes
oſtendunt ſe manſuros eſſe in ſententia Confeſſio-
E nis. Sed tamen quidam languidiores videntur non
abhorrere à fucoſis conciliationibus. Illos cothur-
nos metuo, de quibus fortaſſis & tui fratres ſcri-
bent. Arbitror breve colloquium fore. Elector
Marchio ſperat, adverſarios non refragaturos do-
ctrinæ, ſi nos Epiſcopis tribuamus uſitatum
ἀρχὴν. Sed *Contarenus* Cardinalis multò eſt duri-
or. Nullâ in re diſcedi vult à conſuetudine *Roma-
na*. Ideo impedire has deliberationes de concordia
ſedulò conatur. Imperatoris voluntatem judico
F propenſam eſſe ad pia & moderata conſilia. Quid
ſpei eſſe poſſit, cum adeo diſſimiles ſint voluntates,
non difficile eſt judicare. Deum Patrem Domini
noſtri *Jeſu Chriſti* oremus, ut Eccleſiam ſanguine
Filii redemptam & ſanctificatam ſervet & nos
gubernet. Bene valete. *Ratisbonæ*. Die Marci, An.
M.D.XLI.

D. Georgio Principi Anhaldino S. D.

G EX multorum literis & ſermone intelligo, in ea Epiſt. 42.
ora *Myſia*, cujus Eccleſias gubernaturus es,
publicam piorum omnium lætitiam eſſe, quòd
audiunt te non ſolùm eruditione, & pietate præ-
ſtantem, ſed etiam optimâ voluntate & autoritate
præditum ad hoc faſtigium Eccleſiæ evectum eſſe,
ac ſperant tuam gubernationem multis modis
Eccleſiæ, & his totis regionibus ſalutarem fore.
Quare

Quare & Reipub. gratulantur hanc electionem, A
& optant ardentibus votis, ut à Deo adjuveris.
Sciunt multos eſſe doctrinæ puræ inimicos, magnam ignaviam paſtorum, poſtremò & magnam
ingeniorum levitatem & petulantiam, quæ crebra
diſſidia excitant. His malis autoritas tua reſiſtere,
& cùm doctrinæ puritatem, tùm verò concordiam munire & retinere, Deo juvante, poterit. Deinde diu jam pub: omnium ſanorum querelis deſiderata ſunt judicia Eccleſiaſtica, quæ mores regerent, & diſciplinam, quantum in hac ſenecta & B
his deliriis mundi fieri poteſt, tuerentur. Talis eſt
autem vita tua domeſtica, ut vel tacente te, cenſura eſſe poſſit: & tanta prudentia, ut ſcias gubernatori hanc partem muneris non omittendam eſſe,
ſed ſeverè exercendam, videlicet correctionem
viciorum & delictorum: ut quidam ex *Atticis*
oratoribus dixit, quem *Demoſthenes* citat, ὡς ὅλως
καὶ ἐσμὸς πόλεως ὅτις μὴ παρὰ ὅτι τοὺς ἀδικοῦντας ἔχει.
Meritò igitur gaudemus, te tali virtute, ſapientia, C
& autoritate præditum, ſuſcipere curam regendæ
Eccleſiæ, ac precamur Deum æternum Patrem
Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, ut te adjuvet ſuo Spiritu, ut tua gubernatio verè congruat dicto *Chriſti*:
Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris
cœleſtis qui in vobis eſt. Hæc ſæpè precatus ſum
hoc menſe, & precor aſſiduè, ut Deus ornamenta
ingentia, quæ contulit his regionibus, tueatur:
Evangelii lucem, magnam omnium literarum
atque artium doctrinam, tranquillas politias, &
diſciplinam mediocrem. Hæc bona utinam & D
Principes moderatione conſiliorum retinere ſtuderent. Etſi autem ſcio te tuo conſilio delecturum
eſſe homines idoneos ad exercenda judicia Eccleſiaſtica, tamen indicari tibi aliquos velle te arbitror. Eſt in Academia noſtra gener *Lucæ Pictoris*, *Georgius Daſchius Wirceburgenſis*, qui & diu
audivit Juriſconſultos, & mediocrem habet *Latinè* dicendi & ſcribendi facultatem, & ingenio
placido, & honeſtis moribus præditus eſt: quem
quidem Epiſcopus ſuus multò ante in aulam ac- E
cerſivit, ſed ipſe à noſtris Eccleſiis diſcedere noluit.
Hujus & induſtriam & fidem probaturum te eſſe
non dubito, ſi ejus operâ uteris. Nam & ſatis eruditus eſt, & imprimis integer & incorruptus, &
ſtudioſus tuendæ concordiæ, cum iis, cum quibus
vel privata neceſſitudine, vel publicâ aliquâ adminiſtratione cõjunctus eſt. Quare te magnopere
oro, ut locum ei tribuas inter eos, quos cognitionibus illis præficies. Judico ejus naturam, juſtitiæ
& tranquillitatis pub: amantem, & placidam eſſe. F
Tales judiciis Eccleſiarum præfici utile eſt, non
quales plerique ſunt in foro, homines audaces,
cupidi, veteratores, *Phormiones*, *Eurybatæ*, & qualem vos habetis in vicinia *Coracem*. Immenſâ
miſericordiâ ſuâ promittit Deus manſuram Eccleſiam eſſe: ſed ibi tantum manſura eſt, ubi ſtudia
literarum & doctrinæ cœleſtis coluntur, & diſciplina mediocriter regitur. Hæc cauſa profectò
omnes omnium ordinum mediocres homines accendere debet, ut ſtudia literarum, & diſciplinam G
tueantur, & conferant conſilia & operas ad earum
rerum defenſionem. Ego quidem meam operam,
ſi quid uſquam potero, præſtare etiam veſtris Eccleſiis bonâ fide polliceor. Deus æternus Pater
D.N. *I.C.* ſervet te, ac regat ad Eccleſiæ ſuæ ſalutem. *Witebergæ*, die *Johannis Baptiſtæ* monſtratoris Agni, M.D.XLIV. P.M.

D. Georgio Principi Anhaldino S.D.

Cum filius Dei Dominus noſter *Jeſus Chriſtus* *Epiſt.43.*
dixerit, ſe in medio eorum adfuturum eſſe,
qui conveniunt ipſo invocato, & ut Evangelii
propagationem adjuvent, oro eum, ut jam & veſtro congreſſui interſit. Spero nihil uſquam diſſidiorum eſſe in veſtris Eccleſiis de doctrina Evangelii, & nè qua exoriantur, ſummâ vigilantiâ
providendum eſt. Hæc ſit prima inquiſitio.

De ceremoniis adiaphoris ego quidem etſi amo
ſimilitudinem & convenientiam ordinis, tamen
non valdè pugnare ſoleo cum aliis, qui videntur
acriores, & videri volunt libertatis propugnatores. Etiam crebræ mutationes offendunt voluntates hominum. Ideo ubi jam aliquæ factæ ſunt
mutationes, & utcunque inſtituti ritus, malim
non ſubitò rurſus fieri mutationes. Sed ego in
neutram partem de talibus rebus adiaphoris litigari optarim. De Senatu Eccleſiæ, omnino
nollem alium ſenatum conſtitui quàm conſiſtorium, cui in cauſis difficilioribus Princeps ex aula
& Academia viros optimos & eruditiſſimos adjungere poteſt. Non eſt politicum multas novas
poteſtates, multa collegia, multa concilia, inſtituere. Rectius eſt hæc ad Epiſcopi & gubernatorum
ordinariorum & aſſiduorum autoritatem, quantum fieri poteſt, revocari. Miſiſſem ante quatriduum has literas, niſi adveniſſet quiſpiam iſtic
ordinatus, qui pollicebatur ſe nuncium fore, & me
fefellit. Mitto exempla Teſtimoniorum, & peculiare compoſui, quod veſtro arbitrio mutabitis.
Bene & feliciter valete. Die Auguſti XXII. Anno
M.D.XLIV.

D. Georgio Principi Anhaldino S.D.

Cum hîc nunciata eſt mors viri optimi *Georgii* *Epiſt.44.*
Helti, ſubitâ conſternatione penè exanimatus
ſum, ac ſtatim poſtea comperi publicum eſſe luctum omnium honeſtorum noſtri ordinis hominum, quòd nemo non dilexerit eum propter eximiam virtutem. Meus verò dolor eo major eſt,
quod & amicitia inter nos fuit dulciſſima, & cum
mihi familiariùs notus fuerit, magis intelligo,
quantam ejus interitu jacturam fecerit Reſpub.
Tuo etiam luctu moveor, qui illum & propter
amorem, quo eum complexus es, & propter Rempublicam deſideras. Quoties jam in deliberationibus rerum magnarum ſedens, ac locum in quo
reſpondere ac conferre ſententiam ſolebat, intuens eum requires? Etſi autem dolorem tuum adeò
non reprehendo, ut probem etiam & inſigne ſpecimen eſſe pietatis ducam: tamen præcepta eadem quæ in cæteris magnis ærumnis nobis proponimus, hîc cogitemus. Deſiderio nos adfici noſtrorum vult Deus, vult nos angi & dolere: nec
illam torvitatem, ſeu immanitatem potiùs, quæ
nihil movetur aſperis rebus ſeu propriis ſeu amicorum, probat. Ac Filius Dei ſæpè expavit ipſe,
lacrymavit & acerbiſſimis doloribus conflictatus
eſt: Sed ſimul præcipit Deus, ut cogitatione voluntatis ſuæ & æternorum bonorum, quæ promiſit ſuis, quos ex hac vita evocat, mœſtitiam moderemur, & paulatim animos erigamus, ac illis
potiùs hæc bona gratulemur, quam noſtrâ jacturâ angamur. Non ſumus ii, qui homines, ut pecu-

des

des naſci & extingui tantum, ut ferunt vices materiæ, nec reſtare nobis aliam civitatem meliorem arbitremur. Sed ut in Eccleſia vox Dei nos erudiit, ſcimus iis qui Euangelium amplexi ſunt, æterna præmia propoſita eſſe. Ardebat autem pectus *Georgii* amore Filii Dei Domini noſtri *IeſuChriſti*, ita ut cætera in vita omnia duceret longè inferiora, Et Euangelii propagationem ſtudioſe adjuvabat, & ad hoc decus adjungebat omnes alias virtutes, quæ in membris *Chriſti* eſſe debent. Cumque eſſet in dando conſilio non ſolùm prudens & fidelis, ſed etiam felix, non dubito ei Deum adfuiſſe gubernatorem conſiliorum & actionum. Nunc igitur evocatus hinc ad conſuetudinem cœleſtium, fruitur dulciſſimis colloquiis *Dei*, *Chriſti*, Prophetarum, Apoſtolorum, imò & matris tuæ, & agit gratias pro omnibus beneficiis, & non modò vitam tuam, ſed etiam univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac vita ingentibus periculis exercetur, Deo commendat. Quare gratulemur ei hunc portum, in quo lætus acquieſcit, & deſiderium ejus leniamus recordatione virtutum ipſius, præſertim cum brevi eum complexuri ſimus. Quoties de eo cogitabimus, gratias agamus Deo, quod Eccleſiæ tale ornamentum dedit, & ipſum celebremus, quòd Dei dona, ſuâ diligentiâ bene collocavit, & morum moderatione ornavit, & virtutes ejus imitemur. His verò cogitationibus animum meum à luctu abduco, quas recenſui, quòd hoc tempore, etiamſi te eadem remedia & nôſſe & colligere ſcio, tamen hæc quaſi commonefactio non inutilis eſt. Si exempla etiam quærim', *Davidi* ereptus eſt amicus *Ionathas*, & multò ereptus eſt atrociùs. Feramus igitur & nos amicum à nobis aliquanto citiùs, quàm vellemus abductum eſſe, præſertim cum placidè in complexu amiciſſimorum hominum iter illud ingreſſus ſit. Et ut *David* petebat à Deo, dari ſucceſſorem idoneum *Ionathæ* in Republica: ita & nos petamus, ut *Deus* alium in *Georgii* ſtationem collocet, cujus & virtus & autoritas Eccleſiæ ſit ſalutaris. Nam hac curâ in hac paucitate bonorum gubernatorum valdè nos affici decet. Et Filius Dei ſedens ad dextram æterni Patris inter dona quæ dat hominibus, etiam pollicetur ſe daturum bonos Paſtores & Doctores. Hunc oro toto pectore, ut te ſervet incolumem, & accendat multorum pectora, ut feliciter ſerviant Eccleſiæ. IX. Martii. Anno M.D.XLV.

D Georgio Principi Anhaldino S.D.

*Epiſt.*45. VT initium Eccleſia exorſa eſt promiſſio in Paradiſo de Semine ſalutari edita, ita rectè nobis annum orditur tempus, quo Semen illud ſalutare ex Virgine natum eſt, quod toto pectore oro ut faciat, ut hic veniens annus Eccleſiæ & hoſpitiis piæ doctrinæ & Celſ. T. fauſtus, felix, & tranquillus ſit. Ad congreſſum Principum nè accederem, multæ fuerunt cauſæ. Mea omnis oratio futura erat deprecatio, quæ apud ardentē ira nihil profutura erat, cum alter diceretur de Jure diſputaturus. Dolore etiam retentus ſum. Quid enim ſperem, cum tantam ſævitiam audiam in vicinia exerceri, quæ non convenire videtur ei, qui ſe defenſorem patriæ vult perhiberi? Nec exiſtimavi ullas de Eccleſiis futuras eſſe deliberationes. Utinam noſtra conſilia antea non aſpernati eſſent hi, cum quibus nunc nos quoque in miſeriis ſu-

A mus. Confugio igitur ad unum hoc præſidium, videlicet ad Semen ſalutare, natum ex *Virgine*. Non ſum *Epicureus*, ſed ſpero noſtros gemitus Deum exauditurum eſſe, & mitigaturum publicas & privatas calamitates. Non libenter me ingero Principum deliberationibus, quorum nec ſenſus cum noſtra Philoſophia congruunt, nec negotia penitus novi. Et nunquam unum agunt negotium, ſed ſemper multa involuta ſunt in uno, quæ res & his bellis cauſam præbent, quibus ſe-
B datis utinam Deus pacem reſtituat. *Pancratium* Celſ. T. reverenter commendo; Vir bonus eſt & doctus. Bene & feliciter valeat Celſ. T. die Natali Filii Dei. Anno M.D.XLVII.

D.Georgio Principo Anhaldino S.D.

VEtus præceptum eſt, ut *res communes & tritæ dicantur novo modo*; E contra verò, ut *res novæ & procul extra conſpectum poſitæ, dicantur com-* *Epiſt.* 46
C *muni & facili forma orationis.* Τὰ μὲν κοινὰ καινῶς, τὰ δὲ καινὰ κοινῶς. Magna hæc ars eſt. Sed utinam ego communia & nota poſſim communi & facili genere ſermonis explicare. Id quoque magnum decus eſt. Scripſi qualemcunque conciunculam, & libenter Typum Agni ex *Moſe* enarrâſſem: ſed vidi nimis prolixam fore concionem. Celſ. T. poterit hac conciunculâ uti, aut eam abjicere. Res tamen bonæ propoſitæ ſunt. Nec curo reprehenſiones eorum, qui dicunt, nos eadem ſubinde repe-
D tere. Utinam unam Euangelii vocem incorruptam, ſemper iiſdem verbis, etiam delectis optimis & propriis maximè, omnes ſonarent ubique. Scripſi hæc in luctu recenti, in quo propter filiæ mortem, quæ fuit mihi meâ vitâ carior, magno dolore excrucior. Deus mitiget publicas & privatas miſerias. Bene valeat Celſ. T. Die reſuſcitati *Lazari*.

D.Georgio Principi Anhaldino S.D.

E

MEmini virum excellentem ingenio & virtute *Albertum Durerum* pictorem dicere, *Epiſt.*47. ſe juvenem floridas & maximè varias picturas amâſſe, ſéque admiratorem ſuorum operum valdè lætatum eſſe, contemplantem hanc varietatem in ſua aliqua pictura. Poſtea ſe ſenem cœpiſſe intueri naturam, & illius nativam faciem intueri conatum eſſe, eamque ſimplicitatem tunc intellexiſſe ſummum artis decus eſſe. Quam cum non prorſus
F adſequi poſſet, dicebat ſe jam non eſſe admiratorem operum ſuorum ut olim, ſed ſæpè gemere intuentem ſuas tabulas, ac cogitantem de infirmitate ſua. Tantum cùm fuerit illius viri ſtudium in arte non ſumma, ſæpè doleo & indignor, non eſſe ſimilem diligentiam noſtri ordinis in quærenda ſimpliciſſima explicatione doctrinæ cœleſtis. Equidem amo ſimplicitatem, & propriè dicere de his rebus ſtudeo, quæ mirando conſilio Dei Eccleſiæ propoſitæ ſunt. Sed tamen ipſe mihi diſpli-
G ceo. Scripſi jam Celſ. T. duas conciunculas, quarum etſi priorem rejeci, tamen vobis exemplum mitto, quia fortaſſis erudito non diſplicebit enarratio hymni Angelici: *Gloria in excelſis Deo*: Sed populi auribus non eſt accommodata. Arbitror Celſ. T. utiliùs propoſituram populo alteram planiorem, cujus & ordo eſt melior, & res ad quotidiana exercitia Invocationis magis accommodatæ

modatæ ſunt. Bene & feliciter valeat Celſ. T. die
XVII. Decemb.

D. Georgio Principi Anhaldino S. D.

Epiſt.48. DOctrinæ ſtudia lætis temporibus jucunda
ſunt, ut ludi, quia naturale eſt homini diſcere
& inquirere aliquid, ut apibus mella facere, ſed
hæ in mœſtitia omittunt operas. Nos in mœſti-
tia magis appetere doctrinam convenit, ut ibi cau-
ſas miſeriarum conſideremus, & remedia patefa-
cta divinitùs inde ſumamus. Acceſſit ad nos Filius
Dei, non ut ocioſis animis de eo philoſophemur, ut
Philoſophi oblectationis cauſâ quærunt, An piſces
antecellant prudentiâ, an verò pecudes & feræ in
terra naſcentes. Ideò Filius Dei aſſumſit huma-
nam naturam, quia miſeri ſumus, ut noſtra onera
in ſe derivaret & nos ſanet. Non igitur abjicia-
mus doctrinæ ipſius meditationem hoc triſti tem-
pore. Imò fides in calamitatibus magis accendi po-
teſt, quàm in ocio & in luxu. Scripſi igitur liben-
ter concionem, & veſtram pietatem laudo, quòd
voce veſtrâ & exemplo alios ad cogitationem do-
ctrinæ excitetis. Repetivi autem argumentum an-
no ſuperiore tractatum, quod ſimpliciſſimum eſt, &
auditoribus utiliſſimum eſſe judico. Nec deformi-
tas eſt, res eaſdem rectè expoſitas in Eccleſia repe-
tere, & ſæpè inculcare iiſdem verbis. Imò optan-
dum eſſet, ut ubique tota doctrina prorſus iiſdem
verbis propriè recitaretur. Ante annos viginti au-
divi Doctorem *Hieronymum Schurff* dicere, muta-
tionem doctrinæ initiò ex hac ambitione fuiſſe
ortam, quòd multi putârunt deforme eſſe res eaſ-
dem ſæpe repetere, ideoque novam doctrinam eos
genuiſſe. Feci mentionem Synodi *Tridentinæ* in
concione. Et optarim in pub. edi hanc concionem,
tanquam confeſſionem C. T. Ego quoque nunc re-
futationem Synodi inſtitui. Bene valeat C. tua.
Die XIX. Decemb. Anno M.D XLVII.

D. Georgio Principi Anhaldino S. D.

Epiſt.49. SCio C. T. ſæpè de tumultibus horum tempo-
rum gementem cogitare, & imprimis Eccleſiæ
vaſtationes & interitum literarum metuere. Ag-
noſcamus autem hos motus, pœnas eſſe mundi fa-
tales, nóſque hac conſolatione ſuſtentemus, quòd
certum eſt Deum, ut in mari rubro, ſuum cœtum
ſervaturum eſſe. Quare interim & nos, quibus ad-
huc concedit otium, vult ſedulò in propagationem
literarum & ſalutaris doctrinæ incumbere, & ju-
ventutis ſtudia accendere, & ad poſteros quaſi Pa-
trimonium, bonas artes illuſtratas tranſmittere,
quod ut faciamus, certè mediocriter annitimur.
Sed Principes decet hujus pulcherrimi laboris *ἐγερ-
ταὶ* eſſe, excitare & provehere ingenia. Quo in
genere tua liberalitas non deeſt ſcholaſticis. Etſi
autem ſcio horum temporum difficultatibus &
Principum & privatorum œconomias conturbari,
tamen ipſis temporibus condonabis, quòd noſtri
ordinis homines plures ad te confugiunt. Pauci
enim ſunt alii qui literas reſpiciunt. Cum autem
Stigelius præclarè juvet & ornet literarum ſtudia,
viciſſim a Repub. ornandus erat. Etſi enim *Italia*
una videtur ſuavia & venuſta ingenia gignere ta-
men ferè adfirmari poteſt, nondum poſt *Ovidii* æ-
tatem cujuſquam in *Italia* venam fuiſſe dulciorem
& elegantiorem *Stigeliana*. Et in *Germania* arbi-
tror *Micyllum* & alios, qui carmen feliciſſimè ſcri-
bunt, libenter *Stigelio* proximum ab *Eobano* locum

A tribuere. Tale ingenium & propter literarum di-
gnitatem, & quia Patriæ ornamento eſt, patronos
habere debebat. Scripſit autem ad te præcipuè ad-
miratione & amore virtutis tuæ inductus. Nec
dubitamus te hoc poëmatum genere delectari, quo
laudes *Chriſti* canit. Nec extant alia cujuſquam
carmina, in quib. tantâ luce, & tanto nitore dog-
mata Eccleſiæ intertexta ſint ut in hoc carmine.
Cum autem hæc exempla juventuti proſint, C. T.
oro, ut etiam tuâ liberalitate hoc ingenium ad ſi-
B milia ſcribenda excites. *Honos alit artes*, ut ille in-
quit; Et profectò magnos viros decet honeſtarum
artium, in quibus, ut *Plato* ait, grata de Deo fama
ſparſa eſt, dignitatem intelligere, & ſuum judici-
um populo ſignificare. Bene vale. Die meo natali
XVI. Februarii.

D. Georgio Principi Anhaldino S. D.

SI genus humanum caſu aut tantum naturæ le- *Epiſt.50.*
gibus ſine Dei gubernatione regeretur, nec ſer-
C vata eſſet Eccleſia antea, nec deinceps ſervaretur
in tam horrendis confuſionibus, ſed firmiſſimâ fide
ſtatuamus, ſemper Filium Dei colligere, & inter in-
gentes procellas ac tumultus Imperiorum ſervare
aliquem cœtum, in quo lucet agnitio Dei, & ibi
quidem ſervare, ubi mediocria ſunt ſtudia doctri-
næ à Deo traditæ: ſic inquit ipſe Filius Dei, *Ero
vobiſcum uſq; ad conſummationem ſeculi*. Et *Irenæus*
inquit: *Semper adfuit generi humano Filius Dei*. Hic
ſervabit & deinceps aliquot cœtus & doctrinæ ſtu-
D dia. Hac ſpe & alia multa communis vitæ officia
facio, & hortator ſum junioribus, ut non defugi-
ant piam & Deo placentem conjugii ſervitutem,
& cogitans de communibus periculis toto pectore
precor, ut Filius Dei cuſtodiat hanc ſocietatem, &
ſervet publicas & domeſticas Eccleſias. Hæc vota
etiam huc adfero ad ſacrum nuptiale filiæ *Ioachimi
Camerarii*, & ſponſi, adoleſcentis eruditiſſimi, &
& ſanctiſſimis moribus ornati, quos ut ſervet &
regat Deus æternus Pater Domini noſtri *Ieſu
E Chriſti*, conditor generis humani & Eccleſiæ ſuæ,
toto eum pectore oro. Si valetudo firmior eſſet, i-
ter iſtuc facerem. Neceſſe eſt enim nos colloqui.
Saxoniæ civitates tandem decreverunt, ſe prorſus
non recepturos eſſe librum *Auguſtanum*. Rex *Fer-
dinandus* in *Pannonia* propoſuit Eccleſiis quæ no-
biſcum ſentiunt, eundem librum: ſed nequaquam
receptus eſt. Diſceſſit igitur Rex iratus, & minitans
atrocia. De *Lipſico* conventu querelas & crimina-
tiones multorum audio, quas quidem lenire ſtu-
F deo. Bene & feliciter valeat C. T. Die Janua-
rii XV.

D. Georgio Principi Anhaldino S. D.

NOndum abſolvi ſcriptum de *Stancari* con- *Epiſt.51.*
troverſia: Nam editionem locorum *Germa-
nicam* abſolvere cupio ante Mercatum *Francofor-
dienſem*, & abfui his diebus *Lipſiæ*. De ordinatio-
ne miniſtrorum Euangelii ſcribam aliquid ple-
G niùs, ſtatim poſt editionem locorum, Deo juvan-
te. *Abdiam* adferet D. Doctor *Milichius*, etſi video
non eſſe veterem & incorruptam Hiſtoriam. De
cauſis mirandi fœderis divinæ & humanæ naturæ
in *Chriſto* Filio Dei nato ex Virgine piè cogitan-
dū eſt, & prodeſt extare commonefactiones rectè
ſcriptas. Legi *Anſelmi* ſcriptum, *Cur Deus homo*;
quod etſi tenuius & obſcurius eſt, tamen non ſit

ignotum

ignotum ſtudioſis. Illud autem in *Germanica* pa-
gella C.T. durius dicitur, quòd oportuerit ſic re-
dimi homines, nos non quærimus neceſſitatis cau-
ſas, ſed quòd ita congruerit. Ideo ſi vult C.T. edi
talem aliquam commonefactionem, ſcribam ple-
niorem, & quædam verba dariosa omittam. De
cenſu prorſus ſic ſtatuo: Cenſum nihil ad gravi-
das nec ad fœtum in utero pertinere, quia erat
conſcriptio virorum & facultatum, ut in Imperio
ſciretur, unde milites ſumi poſſent, & ubi exerci-
tus ali poſſent. Nec textus ſic in *Luca* intelligendus
B eſt, fœtum cenſeri, ſed particula σὺν μαρίᾳ τῇ
μεμνηστευμένῃ referatur ad verbum ἀνέβη, non ad
verbum ἀπογράψασθαι. Hoc narrat *Lucas*, *Joſeph* vi-
rum ſanctum & ſcientem jam conjugem eſſe gra-
vidam divinitus, & parituram eſſe *Meſſiam*, non
voluiſſe relinquere ſolam domi, cum ipſum neceſ-
ſe eſſet proficiſci ad locum ſui cenſus, quia voluit
puerperæ præſtare officia neceſſaria. Et Spiritus
ſanctus movit ejus pectus, propter prædictionem
C in *Michea* ſcriptam. Alia quæſtio eruditior eſt,
*An oportuerit Joſeph pendere quinque Siclos pro pri-
mogenito, cum Nazaræus fuerit?* Sed exiſtimo de-
buiſſe *Ioſeph* pendere illos quinque *Siclos*, id eſt,
duos *Ioachimicos* cum dimidio, quia *Chriſtus* non
fuit *Nazaræus* politico illo more, nec attributus
templo, ut *Samuel*. Bene & feliciter valeat C.T. &
C.T. frater Illuſtriſ. die XIX. Febr.

D. Georgio Principi Anhaldino S. D.

D *Epiſt. 52.* Multa accidunt ſingulis hominibus inextri-
cabilia humano conſilio. Plura verò Impe-
riis & Eccleſiæ. Quare *Ieremias* clamitat: *Scio Do-
mine, viam hominis non poſſe regi tantum humanis
conſiliis.* Sed ideo Deus nos ita exercet, quia vult
nos, non tantum à noſtris conſiliis pendere, ſed
ab ipſo. Faciamus igitur quod docuit, Humiliemur
ſub potenti manu Dei, quæ potens eſt, non ſolum
ad premendum, ſed etiam ad liberandos invocan-
E tes ipſum. Etiamſi puniet, tamen in ira miſericor-
diæ recordabitur. Miſi jam Typographo pagellas,
in quibus collegi argumenta conſolationum, quas
C.T. mittam, cum primum editæ erunt. Mitiga-
bit Deus ærumnas invocantibus ipſum, ut ſæpè
ipſi experti ſumus, & vult peti & expectari mitiga-
tionem, non vult nos irâ & indignatione & deſpe-
ratione contabeſcere. Literas dedi gubernatori
Scholæ, Servo *Mane*, qui offert ſe ad miniſterium
Euangelicum. Bene & feliciter valeat C.T.

F *Gratulatoria de conjugio, ad Illuſtriſſimum
Principem ac Dominum, D. Albertum Mar-
chionem Brandenburgenſem, Ducem Pruſſiæ,
&c.* S.D.

Epiſt. 53. Illuſtriſſime & clementiſſime Princeps, Ideò
cõdidit Deus intelligentes naturas, ut eſſet cre-
atura cui ſuam ſapientiam & bonitatem commu-
nicaret, & à qua viciſſim agnoſceretur ac celebra-
G retur in omni æternitate. Et ut agnoſci poſſit, ac à
malis rebus diſcerni, multa de ſe teſtimonia uni-
verſo mundi opificio, præcipuè verò hominis na-
turæ impreſſit. Transfudit enim in hominum
mentes radios ſuæ lucis, videlicet notitiam, quâ
agnoſcimus eſſe Deum, & diſcernimus condito-
rem à rebus conditis. Addidit & notitias virtu-
tum, non ſolùm ut vitæ hominum inter ipſos re-

A ctrices eſſent, ſed etiam ut diſcernerent Deum à
rebus malis. Vult ſe agnoſci conditor ſapientem,
beneficum, veracem, juſtum, caſtum, judicem &
vindicem eſſe. Hæc in omni invocatione cogi-
tanda ſunt. Non enim brachiis amplectimur De-
um, ſed mente intuendus eſt, & cogitandus quis
ſit, & qualis, & ubi patefactus ſit, an & cur exau-
diat. Facit autem illuſtre diſcrimen hæc virtus,
quæ nominatur caſtitas, id eſt, quæ deteſtatur &
vitat vagas libidines, & ordinem ac metas à Deo
B inſtitutas tuetur. Vult igitur intelligi à nobis, verè
placere ſibi hunc ordinem, & ſe horribiliter iraſci
hujus ordinis confuſionibus, ſicut & atrociſſimæ
pœnæ contaminationum omnib^9 ætatibus oſten-
dunt, excidia *Troiæ*, *Sibaris*, *Spartæ*, *Thebarum*, &
aliarum innumerabilium urbium.

Contrà verò diabolus, odio Dei delectatur or-
dinis confuſione, & imbecillem hominum natu-
ram impellit, ut extra metas à Deo inſtitutas furen-
ter ruat. Cùm igitur in invocatione diſcernimus
C Deum à diabolis, & aliis immundis naturis, allo-
qui nos cogitemus ſapiens, beneficum, verax, ju-
ſtum, caſtum numen, quod ſe patefecit miſſo Filio
veraci & caſto.

Non igitur tyrannica vincula ſunt leges caſti
conjugii, ut Ethnici furenter imaginati ſunt, ſed
ordo eſt ſapientiæ divinæ, in ipſâ mente Dei im-
motus, & magno conſilio propter multas cauſas
humano generi traditus, inter quas cauſas il-
lam eſſe non dubium eſt, ut diſcrimen ſit illuſtri-
D us inter Deum & diabolos.

Cùm igitur in *Moſe* ſcriptum eſt *Dixit De-
us*, ſignificatur mirandâ ſapiẽtiâ decretum & ſan-
citum eſſe, talis ut conderetur hominum natura,
ut mas unicus cum fœmina unica copularetur, &
intelligerent divinæ ſapientiæ repugnare hujus
ordinis conturbationem. Significantur & alia mul-
ta. Qualis eſt verus amor, vera στοργὴ in ſponſo
erga ſponſam, talis eſt amor in Filio verus erga
humanam naturam, quam aſſumſit. Denique ar-
E canæ ſignificationes multæ huic decreto involu-
tæ ſunt, de quibus Celſitudinem tuam pro ſua ſa-
pientia ſæpè cogitare exiſtimo. Ac ſimus attenti in
conſideranda majeſtate horum verborum, *Dixit
Deus*. Cedere autem dicenti Deo, creaturæ om-
nes reverenter debebant. Sed hic vel præcipuè de-
clarat diabolus ardens odium adverſus Deum,
nec ſolùm impellit homines, ut variè contami-
nentur, ſed etiam inquinatos Pontifices, & mul-
tos fanaticos homines incitat, ut decreta cum vo-
F ce divina pugnantia, ad contumeliam Dei propo-
nant. Dicit & præcipit Papa, nè legitima conju-
gia contrahantur, & addit multos tetros errores,
καὶ βδελύγματα. Hæc audacia Pontificum non eſt
humana, ſed eſt furor à diabolo ortus. Hunc fu-
rorem intelligere & execrari omnes bonæ men-
tes debent.

Itaque pietas tua laudanda eſt, quòd dicenti
Deo obtemperas, & in tota gubernatione tua or-
dinis à Deo inſtituti confuſionem ſeverè prohi-
G bes, & in domeſtica conſuetudine conjugii fœdus
ſemper ſanctè ſervâſti, & nunc rurſus in conjugio
legitimo vivere mavis, quàm in periculis vitæ
cœlibis, quæ invocationem Dei ſæpe impediunt.
Adeſt autem Deus ſuo ordini, & juvat obtẽperan-
tes ſuæ voci, & bonâ cõſcientiâ ipſum invocantes.

Quare æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu
Chriſti*, conditorem generis humani, et autorem

fœderis

fœderis conjugum & generationis, oro, ut Celſitudinem tuam, & generis nobilitate & pudicitiâ præſtantem ſponſam tuam, ſervet incolumes, & ut tota gubernatio ſit Eccleſiæ & Celſitudini tuæ ſalutaris. Certiſſimum eſt enim, divinitùs & conjugia & Eccleſias protegi, ſicut & vox divina & exempla teſtantur. Cùm in *Judæa* vagarentur peſſimarum gentium exercitus, *Syriaci, Arabici, Parthi, Ægyptii, Romani*, tamen Deus hæc honeſtiſſima conjugia *Zachariæ* & *Elizabeth, Ioſeph* & *Mariæ*, & ſimilium, qui erant Eccleſia Dei, regebat. Nec dubium eſt, *Mariam* & ejus ſororem, & alias multas caſtas matronas & virgines excelluiſſe forma, ingeniis, ſapientiâ, virtute, nec ignotas ducibus fuiſſe. Fuit igitur manifeſtum Dei beneficium, conjugiorum illorum protectio. Quare & ſperamus nobis quoque adjuturum eſſe, & ut nos regat & defendat, ardentibus eum votis oremus. Bene & feliciter valeat Celſitudo T. Calendis Januariis, Anno M.D.L.

Epiſtola ad Henricum II. Regem Franciæ, ſcripta nomine Theologorum, qui convenerant Wormaciæ, Anno 157. S.D.

Epiſt. 54. INclyte, potentiſſime, & *Chriſtianiſſime* Rex, & Domine clementiſſime: Multa & magna beneficia & verè regia multis ſeculis, cùm aliæ partes *Europæ* ab inclytis *Franciæ* Regibus acceperunt, tùm verò præcipuè *Germanici* Principes, & grati meminimus Patres noſtros eximiâ beneficentiâ majorum Regiæ dignitatis veſtræ, & nos ipſos recens à Regia dignitate veſtra defenſos eſſe; propter quæ beneficia & debere nos perpetuam gratitudinem profitemur, & gratiam Regiæ dignitati veſtræ habemus. Nunc quoque freti benevolentiâ Regiæ dignitatis veſtræ erga nos, ſumus ſupplices Regiæ dignitatis veſtræ pro ſuis, non ut Regni tanti conſiliis nos ingeramus, ſed quia & miſericordia adficimur in tanta calamitate veſtrorum, ſicut ſcriptum eſt: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*: & inter Regias virtutes veſtras bonitatem, clementiam, & miſericordiam erga homines modeſtos, non ſeditioſos, non petulanter delinquentes eminere non dubitamus.

Intelligimus aliquot nobiles matronas & virgines, & alios modeſtos homines in vinculis eſſe, propterea, quòd conciones ſeu audiverunt, ſeu probant, in quibus taxantur quædam ſuperſtitiones, quæ irrepſerunt in Eccleſiam, & cumulatæ ſunt propter inſcitiam & avaritiam Monachorum. Neque enim negari poteſt, multos abuſus, alios errores, alios quæſtûs causâ receptos eſſe, quorum emendationem etiam ſuperioribus ſeculis flagitârunt docti & boni viri in illo ipſo doctiſſimorum cœtu *Lutetiæ*, quæ eſt præcipuum domicilium doctrinarum toto orbe terrarum, *Guilhelmus Pariſienſis, Iohannes Gerſon, Weſſelus*, & alii. Eoſque abuſus fatemur & à nobis taxari & tolli, ut oſtendunt noſtræ Confeſſiones.

Itaque ſupplices ſumus, ac propter Deum & propter Filium ejus Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum* oramus Regiam dignitatem veſtram, ut vitæ illorum captivorum clementer & propter Deum parcat. Si aut ſeditioſas opiniones haberent, aut diſſentirent à Symbolis, aut reciperent turpitudines in moribus, nequaquam pro eis de- A precaremur. Nam & nos contumelias Dei ſummâ curâ prohibemus, & magnis noſtris periculis hoc agimus, ut rectè Deus invocetur, & retineatur Catholicæ Eccleſiæ Domini noſtri *Jeſu Chriſti* conſenſus, expreſſus in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, & in Symbolis & probatis ſcriptoribus veteris Eccleſiæ purioris. Severè etiam morum turpitudines punimus, ac teſtamur Deum, nos non cupiditate inhoneſta ullâ, ſed tantùm ut Deo obtemperemus, nos amplecti hanc doctrinam, quæ B extat in noſtris confeſſionibus, quia agnitæ veritati adverſari non licet. Studemus igitur & cives eſſe veræ Dei Eccleſiæ, & gubernatoris honeſti, & ſpe non dubiâ in hac invocatione Dei expectamus cœleſtis Eccleſiæ conſuetudinem. Ideo nec nunc deprecatores eſſe voluimus, niſi cognitâ confeſſione illorum, qui nobis calamitatem captivorum expoſuerunt.

Comperimus autem illorum Confeſſionem & congruere cum Symbolis, & alienam eſſe à fanati- C cis & ſeditioſis furoribus, & ſcimus multos excellentes eruditione & virtute, amantes Eccleſiam, ſcientes ordinem in Imperiis Dei opus eſſe, & illuſtrantes veram doctrinam de dignitate Politici ordinis, & magnâ curâ tuentes nervos honeſtæ gubernationis, de ea Confeſſione conſentire. Quare & captivos exiſtimamus à ſeditioſis conſiliis & à fanaticis opinionibus alienos eſſe. Ac mittimus exemplum Confeſſionis, quæ in omnibus articulis cum noſtra congruit. In uno aliquid eſt obſcu- D ritatis, de quo conciliatio fieri poſſet eruditorum collatione. Neque enim dubitamus toto orbe terrarum omnes timentes Deum adſiduis gemitibus petere à Deo Eccleſiarum concordiam, & Deum orare, ut flectat ſummorum Regum animos, ut rectè dijudicari controverſias curent, eámque cogitationem ante annos viginti ſuſcipere patrem Regiæ dignitatis veſtræ, Regem *Franciſcum* excellentem ſapientiâ & virtute meminimus, ſicut & veteribus ſeculis Inclyti Reges *Franciæ* dijudicari E Eccleſiæ controverſias ſæpè curaverunt. Hoc & Inclyti patris & majorum exemplum imitari malit R. D. V. quam aliorum injuſtam aſperitatem. Magna cum laude Regia dignitas veſtra adverſata eſt Synodo *Tridentinæ*, quæ malo conſilio ad oppreſſionem veritatis collecta fuerat. Ut autem propter gloriam Dei veritas illuſtretur & conſulatur concordiæ communi, Regia dignitas veſtra deliberationem aliquando de controverſiis explicandis per homines idoneos inſtituat, ad F quam & noſtros mittere non recuſamus. Nam violentis conſiliis nec ſanari mentes nec tranquillitas Eccleſiæ reſtitui unquam poterit. Et triſtiſſimum eſt ſine fine tantam aſperitatem in Eccleſia exercere, & à Regia bonitate alienum.

Quare reverenter oramus Regiam dignitatem veſtram, ut propter Deum parcat vitæ captivorum. Hæc miſericordia Deo grata erit, qui hac promiſſione omnes invitat, ut modeſtis leniantur pœnæ: *Beati miſericordes, quia miſericordiam conſe-* G *quentur*. Viciſſim igitur Regiæ dignitati veſtræ Deus benefaciet, idque multi rectè invocantes Deum in omnibus terris ardentibus votis petent. Et nos Regiæ dignitati veſtræ offerimus noſtra officia cum perpetua gratitudine. Datæ Calend. Decembr. Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo.

Marchionis

Marchionis Brandeburgenſis Electoris ad Sigiſmundum Poloniæ Regem Epiſtola.

Epiſt. 55. SEreniſſ. atque inclyte Rex, & cariſſime pater, cum ſcirem Regiam dignitatem veſtram ut cæteris heroicis virtutibus, ita & amore *Chriſtianæ* pietatis ac veritatis excellere: non dubitavi ad eam de mea voluntate ſcribere, me pio conſilio, & ea moderatiòne, quæ *Chriſtianum* Principem decet, in Eccleſiis meæ ditionis quædam manifeſta vitia correcturum eſſe. Quâ in re non populi affectibus aut alienis exemplis moveor, ſed exiſtimo ad eorum officium pertinere, qui præſunt, inſpicere Eccleſiam, præſertim tali tempore, cum diſſenſionibus motis præfici idoneos doctores neceſſe eſt: & ratio ineunda eſt, ut veris modis autoritas religionis & diſciplinæ retineatur. Eâq; moderatione uti decrevi, ut non ſolùm nihil contra Catholicam Eccleſiæ *Chriſti* ſententiam recipiam, à qua nulla unquam vis me avellet, ſed etiam nè quid autoritati Epiſcoporum detraham.

In hanc ſententiam cum *Germanicè* ad R.V.D. nuper ſcripſerim, fortaſſe quidam duriùs interpretati ſunt literas, nec ſatis expoſuerunt R.V.D. conſilii mei rationem: Quare accidiſſe judico, ut paulò aliter quàm expectâram reſpōderetur. Cùm autem R.V.D. eâ pietate amare & colere perpetuò decreverim, quam filius optimo debet patri, maximè cupio cùm reliquam vitam meam, tùm verò & conſilia mea in Repub. R. V. D. probari: Itaque duxi copioſiùs R. V. D. exponendam eſſe meam mentem, & purgandam inconſtantiæ aut mutati judicii ſuſpicionem. Proinde rogo, ut hanc meam Epiſtolam paterno animo R. V. D. legat, ſibiq; perſuadeat, me ab officio filii nunquam diſceſſurum eſſe. Semper ita ſenſi, nullum eſſe majus decus, quàm in vera religione, veróque cultu Dei conſtantiam. Quæ ſententia ſic eſt infixa animo meo, ut non ſimulatis aut fucoſis officiis, ſed verè colendam eſſe *Chriſtianam* pietatem ſemper ſtatuerim. Quare non raro deploro Eccleſiæ morbos cùm veteres, tùm novos, & ardentiſſimis votis emendationem optavi.

Nec enim negari poteſt, quoſdam etiam veteres morbos in Eccleſia hærere. Diſciplina vetus laxata eſt, multæ ſuperſtitiones in tanta Pontificum negligentia & Paſtorum inſcitia receptæ ſunt. Nonnihil etiam præſentes diſcordiæ concuſſerunt Eccleſiam. Ego igitur hactenus eam gravitatem præſtiti, ut nec abuſus probarim, aut crudeliter defenderim, ut faciunt alii: nec fanaticis opinionibus in meâ ditione locum præbuerim. Habeo utriuſque rei honeſtam, gravem & piam cauſam, nec muto hoc judicium. Cúmque videam opus eſſe, ut ſanciatur diſciplina, & præficiantur Eccleſiis boni Doctores, ſuſcepi eam curam, ut ſciat populus in tantis diſcordiis, quid amplecti, quid fugere debeat. Quâ in re quædam in utraq; parte ita moderor, ut à Catholica eccleſia *Chriſti* non diſcedam, nec de autoritate Epiſcoporum quidquam detraham. Nam ſi aliquid moderari velim, manifeſta flagitia probanda eſſent, & injuſta ſævitia exercenda: quorum utrumque ab iis alieniſſimum eſſe debet, qui verè, non ſimulatis aut fucoſis officiis religionem colunt. Hæc cum ita ſint, ſpero me conſtantiam præſtare dignam bonis viris, & verè amantibus religionem. Nuſquam enim diſcedam à ſcopo, videlicet a ſententia Catholicæ Eccleſiæ *Chriſti.*

Quòd verò mihi exempla quorundam vicinorum Principum proponit R.V.D. qui nullam mutationem admiſerunt: ſæpè cum illis ipſis de tota religione collocutus ſum. Idemq; uterq; optabat, ut æquitate Pontificia reſtitueretur Eccleſiarum concordia, emendatis quibuſdam abuſibus. Socer meus etiam paulò ante mortem graviſſ. de ea re deliberationes habuit. Videbat enim ſolitudinem fieri in Eccleſiis ſuis, niſi vellet injuſtam ſævitiam exerceri: à qua abhorrere eum, ut erat juſtitiæ amans, animadverti. Nec moderationem illam judicabat eſſe aut ſeceſſionem ab Eccleſia, aut ſejunctionem ab iis qui præſunt, aut à reliquo nomine *Chriſtiano.* Quare exiſtimet R.V.D. me non ita in hanc cauſam ingreſſum eſſe, ut aliorum bonorum Principum judicia aut exempla non attenderim. Si qui autem fortaſſe aſperiores ſunt, ut eſſe non multos videmus, qui ſine diſcrimine omnes abuſus, omnia errata immanitate ſuppliciorum ſtabiliunt: horum exempla nec antè ſecutus ſum, nec unquam imitanda eſſe duxi. Nec profectò conſenſum Eccleſiæ conſpirationem eſſe, ad injuſtam ſævitiam exercendam, unquam exiſtimavi. Quare etiamſi lenior alicubi videor, non propterea vel ab Eccleſia, vel à reliquo nomine *Chriſtiano* disjunctus ſum. Nam & verum conſenſum Catholicæ Eccleſiæ *Chriſti* amplector, qui extat in ſcripturis Apoſtolicis, in veteribus canonibus & probatæ fidei ſcriptoribus, & pollicitus ſum me Synodo, ſi quando ritè conveniret, non defuturum eſſe. Nec deſunt mea officia ulla in re communi tranquillitati. Nec fortunas tantùm meas ad ſocietatem defenſionis *Chriſtiani* orbis, ſed etiam operam in re militari contuli antea, & adhuc offero. Nec à me ipſe diſcedam, neque unquam voluntatem hanc mutabo. Quare ſi voluptati fuit R. V. D. antea mea conjunctio & affinitas, quam quidem mihi dulciſſ. & honorificam eſſe profiteor; ſpero hanc quoque meam voluntatem perpetuò jucundam R. V. D. eſſe debere, quæ ſemper habebit (Deo dante) generum amantem *Chriſtianæ* religionis, & concordiæ Eccleſiaſticæ, tuentem conſenſum Catholicæ Eccleſiæ *Chriſti*, Synodis aſſentientem, abhorrentem toto pectore à fanaticis opinionibus, damnatis judicio Eccleſiæ Catholicæ *Chriſti*, gerentem arma pro communi nomine *Chriſtiano.* An qui ſic affectus eſt, accuſari poterit deſertionis Eccleſiæ? Aut illi videntur potiùs conjuncti Eccleſiæ, qui ſine ulla veteri autoritate receptos abuſus defendunt, ignotos veteri Eccleſiæ: qui *Neronianam* ſævitiam in pios exercent? Nos non videmur, qui nonnullo cum periculo tuemur verum Eccleſiæ conſenſum: qui populo veros cultus proponi curamus, & ab injuſta ſævitia abſtinemus. Spero planè judicium & R. V. D. & Synodi nobis æquius fore, quàm ut moderationes & lenitatem noſtram improbet. Quod verò hortatur R. V. D. ut expectem Synodum, fateor me hæc conſilia aliquandiu Synodi expectatione diſtuliſſe. Quid enim communi concordiâ optatius eſſet? Sed hanc moram Eccleſiæ expectare non poſſunt, quæ interea diſſiparentur, & in ſolitudinem ac vaſtitatem redigerentur, ſi eas non conſtitueremus. Explorata mihi eſt voluntas Caroli Imperatoris, Domini noſtri clementiſſimi,

quem ſcio magnâ contentione à *Clemente* & *Paulo*
III. petiiſſe, ut quam primùm Synodus haberetur,
et ritè cognitis rebus concordia conſtitueretur. Sed
Pontifices non valde appetunt Synodos, & fortaſſe
Regum judicia non ſine cauſa metuunt, ſed
tamen ſi qua erit alicubi Synodus, non deerit ei
meum officium. Habet R.V.D. meam purgationē
& perpetuæ voluntatis teſtimonium. Illa pars Epiſtolæ
majorem etiam dolorem nobis attulit,
quæ queritur nos rem indignam à R V.D. petiiſſe,
ac videmus eam partem non in eam ſententiā
intellectam eſſe, in quam à nobis ſcripta eſt. Nos
ſemper etiam ante hanc noſtram affinitatem, laudare
magnitudinem animi & conſtātiam R.V.D.
ſoliti ſumus, quam poſtea multò magis prædicavimus.
Sed ſcio etiam R.V.D. ad hanc virtutem
adjunxiſſe alias multas, bono Principe dignas,
amorem virtutis, *Chriſtianam* pietatem, juſtitiam,
clementiam: propter has virtutes libenter meum
conſilium ſignificavi R. V. D. ac ſpero, eam non
improbaturam eſſe hanc meam voluntatem in
moderandis abuſibus quibuſdam, ob illam graviſſimam
cauſam, nè diſſipentur Eccleſiæ noſtræ,
quod futurum eſſet, ſi manifeſta vitia defenderentur.
Cum autem cupiam conſuetudinem cariſſimæ
conjugis meæ mecum ſuaviſſimam eſſe ipſi, quæ
ſemper fuit & Deo dante futura eſt perpetua, petivi
ut ei conſilium noſtrum exponeretur, quæ quidem
ita mores meos habet perſpectos, ut ſciat me
& religionis ſtudioſum eſſe, & abhorrere ab injuſtis
conſiliis. Cúmq; in hoc noſtro conjugio celebrari
etiam Deum cupiamus, ſæpè preces conjungimus,
ſæpè de divinis mandatis, de ſpe vitæ
æternæ, de beneficiis *Chriſti* colloquimur: in his
ſermonibus etiam pietas ipſius mihi magno ſolatio
eſt. Si quos autem amet ritus, his ſuo arbitrio
uti poteſt: nam mihi maximæ curæ eſt, ut noſtrum
conjugium utriq; jucundum ſit, & ſalutare:
& Deum oro, ut utriuſque mentem gubernet ad
ſuam laudem. Oro autem & obteſtor R.V.D. ut
hanc noſtram commemorationem boni conſulat:
& ut paterno amore nos complexa eſt, ita nunquam
ſinat animum ſuum abalienari. Nos viciſſim
pietatem, quam filius optimo patri debet, ſummâ
fide præſtabimus: ac valde rogamus, ut R.V.D.
mittat aliquem huc, cum quo copioſiùs de his rebus
colloqui poſſim, qui exponant conjugi meæ
cariſſ. benevolentiam R.V.D. erga me nihil mutatam
eſſe. Bene valeat R. V.D. quam Deus diu
ſervet incolumem. D.M.XXX.IX. Menſe Octobri.

Reſponſum ſcriptum à Philippo Melanthone nomine Principum Iohannis Friderici Ducis Saxoniæ Electoris, & Philippi Landgravii Haſſiæ, ac reliquorum cum his conjunctorum in negotio religionis, & datum Legatis Caroli V. Imperatoris, comitibus Theodorico de Manderſchid, et Guil. de Nova Aquila. S.D.

Epiſt 56. EXiſtimamus & Illuſtrem Dominum *Granvelum*
& generoſos Comites bono ſtudio has deliberationes
de pace, quas huc attulit D. *Sibertus* à
Lovenburg nomine Comitum, & poſtea Comes
Nova Aquila coràm nobis expoſuit, inſtituiſſe.
Quare eis amanter agimus gratias & publico nomine
& noſtro. Verè enim & ex animo hoc affirmamus,
nobis nullā rem humanam optatiorē eſſe
benevolentiâ Invictiſſ. Imperatoris *Auguſti* Dom.

A noſtri clementiſſimi, & pace publica *Germaniæ*.
Imprimis autem agimus gratias Illuſtri Domino
Granvelo, quòd oſtendit, ſe & hactenus fuiſſe hortatorem,
nè de his negotiis decertaretur armis, &
ſuam autoritatem libenter conferre ad conſilia retinendæ
pacis. Hanc voluntatem ipſius egregiam
& dignam eo viro, qui maximarum rerum conſiliis
in gubernatione orbis terrarum intereſt, non
dubitamus Deo gratam eſſe, quem quidem precamur,
ut confirmet & gubernet hunc animum, ad
B illuſtrandā gloriam *Chriſti*, & ad cōmunem tranquillitatem.
Rogamus etiam quantum poſſumus
ipſum Dominum *Granvelum*, ut in hanc curam
cogitationémq; incumbat, nè Eccleſiæ violentis
conſiliis diſſipentur potiùs quam juventur. Quæ
gloria magno viro magis expetenda eſt, quàm ut
civiles diſſenſiones ſine civili ſanguine componat?
Illud autem initiò petimus, nè exiſtimet nos delectari
his diſcordiis Eccleſiaſticis, aut cupiditate
aliquâ injuſtâ diſſentire ab aliis gentibus, & à tot
C ſeculorum conſuetudine. Non acceſſimus nobis
odia, labores, ſumtus, pericula tot jam annos tantū
errore & moroſitate aliquâ. Sed poſtquam inciderunt
diſſenſiones in Eccleſia de doctrina, ut ſæpè
alias accidit, non eſt abjicienda profeſſio veritatis,
nec adjuvanda injuſta crudelitas, quæ in homines
pios & innocentes paſſim exercetur. Has habemus
juſtas, graves, veras & magnas cauſas diſſentiendi
à cæteris, ut Illuſtris Dominus *Granvelus* pro ſua
ſapientia ipſe judicare poteſt. Conſtat enim multos
D magnos & non diſſimulandos abuſus ab adverſariis
defendi quadam novâ aſperitate, quæ
non decet Eccleſiam, ut monet *Pſalmus: Beatus qui
intelligit ſuper egenum & pauperem. In die mala liberabit
eum Dominus.*
Et quoniam intelligimus Invictiſſ. Imperatori
inſtillari quaſdam ſuſpiciones adverſus nos, ut nos
non de gloria Dei, de emendatione Eccleſiarum, de
ſalute animarum contendere putet, ſed quærere vel
opes Eccleſiaſticas vel alia, magnopere oramus, ut
E Illuſtriſſ. Dominus *Granvelus* Invictiſſ. Imperatori
Domino noſtro clementiſſ. nos purget & excuſet.
Scimus tales fabellas ſeri in populo a malevolis,
ad deformandam cauſam quam agimus. Sed
tamen in conſilio ſummi Principis dominetur
veritas, non ſit locus calumniis. Cùm enim adverſarii
diffiſi ſuæ cauſæ non poſſint doctrinam, quæ
in Eccleſiis noſtris traditur, veris argumentis labefactare,
decurrunt ad has querelas, clamitant
occupari facultates Monaſteriorum aut aliarum
F Eccleſiarum. Quàm indignum eſt autem flagitare
eos opum defenſionem, non flagitare emendationem
in Eccleſia maximorum vitiorum, quæ &
ipſi agnoſcunt? Prima enim cura debebat eſſe
doctrinæ divinitùs traditæ. At iſtis prima cura eſt
Imperiorum, opum, voluptatum.
Non dubium eſt autem ſatis perſpectum eſſe
ipſis adverſariis, nos non litigare de opibus, nec
appetere Eccleſiaſticas facultates. Sed hic prætextus
fingitur, ut Regum animos incendant ad delē
G dam doctrinam, & ad explendam crudelitatem.
Conſtat enim neminem ex nobis ullam partē alieni
territorii abſtuliſſe cuiquā, aut auferre conatū
eſſe. Nemo ex nobis in *Germania* ademit ulli Epiſcopo
partem aliquam ditionis. Juriſdictionem
Eccleſiaſticam, poſtquam deſiit eſſe quæſtuoſa, ipſi
abjecerunt, ac nè poſſunt quidem hanc exercere.
Collegia Epiſcopalia fruuntur adhuc ſuis opibus.

E con-

E contra, adverſarii occupaūt multa bona no- A ſtrarum Eccleſiarum, & rēditus debitos noſtris Eccleſiis ſolvi prohibent: Et collegia Epiſcopalia cum antea ſolerent aliquid decidere de ſuo, ad alendos paſtores & gubernatores ſcholarum in civitatibus, jam multæ civitates ex ſuo ærario ſolvunt ſtipendia miniſtris Eccleſiarum & ſcholarum. Ac tantum abeſt, ut his civitatibus quicquam acceſſerit, ut etiam vetera commoda amiſerint. Interea quantum periculorum & ſumtuum adfert eis hæc cauſa? Quare videri non B poſſunt aut avaritia, aut cupiditate libertatis amplecti hoc genus doctrinæ.

At malevoli odioſè traducunt Principes propter Monaſteria. Hanc totam rem notiſſ. eſſe & Invictiſſ. Imperatori & Illuſtriſſ. Domino *Granvelo* optamus, quare in Monaſteriis adminiſtratio mutata ſit, quomodo bona partim ad uſus Eccleſiaſticos tranſlata ſint, partim adhuc à nobis teneantur, quæ ſit noſtra de his voluntas? Deinde quibus expilationibus adverſarii exhauriant non ſolùm C Monaſteria, ſed etiam cæteras Eccleſias & Parochias, quâ ex re, in eorum ditionibus ethnica barbaries ſecutura eſt. Rogamus Illuſtrem Dominum *Granvelum*, ut pro ſua excellenti ſapientia hoc conſideret.

Etiamſi quas acceſſiones haberent Principes, quæ aut ſunt exiguæ, aut certè multò minores quàm dicuntur, tamē propter has nequaquam ſibi tanta odia, labores, curas, ſumtus, & pericula accerſerent, quanta adfert hæc cauſa. Nam ut nihil de odiis & D laboribus dicamus, conferantur annui ſumtus noſtri cum his reditibus Monaſteriorum. Et apparebit ſumtus longè majores eſſe, quos jam annos amplius ſedecim facimus propter hoc negotium, & hi nobis cum ipſis difficultatibus creſcunt.

Deinde conferantur pericula. Quis Princeps in diſcrimen adducere vellet omnes ſuas fortunas & dignitatem propter talem acceſſionem? Hæc ſunt perſpicua & evidentia argumenta voluntatis noſtræ. E

Quare maximè oramus Invictiſſ. Imperatorem, nè ſuſpicetur nos ulla cupiditate moveri in defenſione hujus cauſæ. Omnibus humanis commodis benevolentiam ipſius & patriæ concordiam anteponimus. Nec dubitamus etiam adverſarios noſtros, quibus notæ ſunt noſtræ ditiones & tota noſtra gubernatio, liberare nos in hac re ſuſpicione avaritiæ. Itaque non aliam ob cauſam ſuſtinemus tam difficile onus profitendæ hujus doctrinæ, niſi quia Deus præcepit Euangelii confeſſionem, ut F inquit *Chriſtus: Quiſquis me confitebitur coram hominibus, confitebor eum coram Patre cœleſti.* Præcipit etiam ut fugiamus impios cultus, juxta illud 1 *Fugite Idolatriam.* Præcipit item, nè ſocii ſimus injuſtæ ſævitiæ, quæ adverſus pios exercetur.

Nunc redimus ad querelam de Monaſteriis, de quibus primùm exponemus cauſam, quare mutata ſit adminiſtratio. Poſtquam his regionibus illuxit Euangelii doctrina de veris cultibus Dei, multi ſponte deſeruerunt hypocriſin Monaſticā, G multi diſceſſuri ex Monaſteriis, ut aut redirent ad ſtudia, aut aliud vitæ genus honeſtum amplecterentur, ac poſſent œconomias inſtituere, petiverunt aliquid pecuniæ. Cùm igitur tempora ipſa flagitarent mutationem, ubicunque reliqui erant Monachi, addidimus pios Concionatores, & juſſimus abolere impios cultus, & eos qui manere

A malebant in illis ſodalitiis, liberaliter ali, quanquam prorſus otioſos, ac præcipuè voluimus ſenectuti pauperum proſpectum. Et adhuc talia ſodalitia in quibuſdam Monaſteriis aluntur.

Fuit autem utrunque officii noſtri, curare ut pia doctrina propoſita in illis locis ſuperſtitiones abolerentur, & proſpicere nè publica bona dilaberentur, quæ jam ab ipſis Monachis vel deſerebantur, vel negligebantur, vel diripiebantur. Conſtat enim Principes debere cuſtodes eſſe publicorum B bonorum. Nec erāt jam in Monaſteriis, qui familias regere poſſent. Quare præfecimus œconomos, qui familias gubernarent, & curarent agriculturam, & colerent œconomica officia. Sic mutata eſt adminiſtratio Monaſteriorum.

Quis autem non videt cauſas mutationis probabiles eſſe? nec enim peregrinos Monachos accerſere voluimus, qui turbarent Eccleſias noſtras. Nam multæ Parochiæ pertinent ad Monaſteria. Statim igitur initiò de bonis Monaſteriorum re- C ditus conſtituendi fuerunt vicinis Parochiis. Paulatim & cæteris Eccleſiis, quæ acceſſione opus habebant, multa adjecimus. Conſtituimus & Hoſpitalia quædam. Attribuimus aliquid ſcholis. His neceſſariis officiis mutilati ſunt jam reditus Monaſteriorum, quæ tamen alibi fuerunt magis, alibi minus locupletia.

Reliquum adhuc eſt in poteſtate Principum, quod in pleriſq; regionibus exiguum eſt. Et tamen adhuc inde ſunt augendæ Parochiæ, ac nunc quoq; D ex his facultatibus ſæpè juvantur pauperes Sacerdotes, dantur & ſtipendia aliqua pauperibus ſcholaſticis, alibi plura, alibi pauciora. Ac tempora poſtulabunt, ut conſervandorum ſtudiorum cauſâ ineatur ratio, ut ex Eccleſiaſticis facultatibus plures ſcholaſtici ali poſſint.

Quare de his facultatibus quæ reliquæ ſunt offerimus nos, ſi in aliqua pia Synodo aut conventu concordia Eccleſiarum conſtituetur, nos ea bona ad Eccleſiæ, ſcholarū, & cæteras publicas utilitates E in noſtris territoriis non gravatim tranſlaturos eſſe, ut tunc Synodus aut cōventus conſtituet. Nam facultates Eccleſiarum pertinent ad conſervationem miniſterii Euangelii, ſcholarum, & alios uſus Eccleſiaſticos & publicos, ut teſtantur dicta divini Juris, & vetuſtæ Synodi ac veteres Canones.

Quod cum ita ſit, viciſſim petimus, ut adverſarii nunc ſinant bona eccleſiaſtica, quæ ipſi tenēt, transferri ad veros uſus Eccleſiæ, hoc eſt, ut Parochiis, Scholis & Pauperibus conſulatur, ubi opus F eſt acceſſione. Nunc enim multæ ſunt civitates, ubi aut nulli aut prorſus exigui ſunt reditus parochiarum. Interea nec Epiſcopi nec Canonici obeunt officia Eccleſiaſtica, negliguntur ſtudia literarum.

Neceſſe eſt igitur inire rationem, ut conſervari religio *Chriſtiana* & literæ poſſint. Harum rerum cauſa cum præcipuè politias Deus conſtituerit, earum conſervationem maximè curare ſummos gubernatores oportet. Offerimus etiam nos tunc da- G turos eſſe cautionem, ut Eccleſiaſticæ facultates in noſtris ditionibus transferantur ad tales uſus, ut dictum eſt, ſi viciſſim & adverſarii cautionem dederint. Videmus enim in tāta multitudine collegiorum Eccleſiaſticorum infinitum numerum ſacerdotiorum prædæ eſſe indoctis, helluonibus, ſcortatoribus, qui non ſolùm uſui eſſe Eccleſiis & Reipub. non poſſint, ſed etiam oneri ſunt.

Jam hoc tempore quid ſit? In ducatibus Principum qui adverſantur piæ doctrinæ, ea quæ noſtris Eccleſiis debentur, in ipſorum ditionibus paſſim ipſi occupant, ac prohibent nè nobis ſolvantur. Cumq; nos poſcimus debita, nóſq; offerimus ipſorum Eccleſiis ſoluturos eſſe, quæ ſolent eis pendi ex noſtris ditionibus, illi mutuam vicem non reddunt, & adjuvat hos judicium Cameræ, cogit ut illis ſolvamus. Ita noſtris Eccleſiis ipſi impunè eripiunt quæ volunt. Vulgare proverbium eſt, *Æqualitas non parit bellum.* Quare ſi adverſarii cuperent *Germaniam* eſſe tranquillam, profectò tam inſignem inæqualitatem non exercerent erga noſtras Eccleſias, quâ etiam defraudant, parochias & pauperes. Sed adeò non curãt pia officia, ut nec ſuis Eccleſiis parcant, indicunt intolerabilia tributa parochiis & cæteris Eccleſiis. Et quia ſævitiam exercent in pios Paſtores, paſſim deſeruntur Parochiæ. Ibi deſertarum Parochiarum reditus transferuntur ad præfecturas. Exhauriuntur Monaſteria adeò, ut in multis locis dicant Monachi, nihil ſibi reliquum eſſe niſi campanarum ſonum & ſuos cantûs; paſſim non ſolùm pagi; ſed etiam oppida ſunt ſine Paſtoribus, quæ res mirum in modum animos bonorum offendit, & parit in moribus vulgi Ethnicam feritatem, ac ad poſteros oblivionem religionis & barbariem.

Ac profectò optaremus Invictiſſ. Imperatorem verè inquirere, in quibus locis benignius tractentur Paſtores, diligentiùs ornentur Eccleſiæ, majore curâ ſtudia Eccleſiæ neceſſaria colantur apud adverſarios, an apud nos. Ita res ipſa nobis eum placaret, et excitaret, ut emendationem inſtitueret, ac conſuleret Parochiis. Nam donec ſævitia exercetur in pios Doctores, deerunt Paſtores in utraque parte.

Hanc totam Narrationem comperiet Invictiſſ. Imperator veriſſimam eſſe, quæ quidem ſatis oſtendit, nos non propter avaritiam huic doctrinæ favere, quæ nobis auget ſumptus & pericula, cùm interim adverſarii tutò rapiant ex bonis Eccleſiaſticis quantum volunt, & habeant alias amplas mercedes, quibus conducti ſunt ab Epiſcopis ad delendã piam doctrinam. Deinde ſperamus nos Invictiſſ. Imperatori ſatis excuſatos fore, quòd offerimus nos etiam de reliquis bonis Monaſteriorum, tranſlaturos eſſe ad uſus publicos, quod ſupereſt, ex ſententia piæ Synodi aut conventus, in quo concordia conſtituetur. Hæc arbitramur ſatisfactura eſſe æquis & rectis judiciis de prima querela.

Altera accuſatio, multò majorem dolorem nobis attulit, quòd Invictiſſ. Imperator ſuſpicatur nos, cùm offerimus nos ad veram & piam collocutionem cum aliis, ſimulare ſtudium concordiæ, ut negotium extrahamus, & re ipſâ tergiverſari & defugere veram dijudicationem: Et allegantur actiones ſuperiorum conventuum, in quibus quia non abjecimus doctrinam, dicimur tergiverſati eſſe. Valdè dolemus clementiſſ. Imperatoris animo tam graves ſuſpiciones adverſus nos inſeri. Eſt enim odioſa & turpis ſimulatio, maximè in cauſis religionis. Igitur magnoperè rogamus, ut invictiſſ. Imperator noſtram purgationem veram & ingenuam audiat.

Cùm adverſarii ſparſiſſent in ipſo conventu *Auguſtano* infinitas calumnias adverſus Eccleſias noſtras, nóſque juſſi eſſemus dicere de doctrina & ritibus Eccleſiarum noſtrarum, nihil occultavi-
A mus, ſed ingenuè & ſimpliciter totum doctrinæ genus complexi ſumus, ut intelligi poſſet, nos Apoſtolicæ & Catholicæ Eccleſiæ *Chriſti* conſenſum verè ſequi ac retinere Symbola, & congruere doctrinam & uſum Sacramentorum cum vetere ac puriore Eccleſia.

Habuimus multas & graves cauſas noſtri conſilii, & ſperamus bonos viros plurimos tunc quoq; placatiores factos eſſe, cum viderent nos veterem Apoſtolicæ & Catholicæ Eccleſiæ conſenſum tue-
B ri, & abuſus atq; errores, qui poſterioribus ſeculis in Eccleſiam irrepſerunt, taxare. Neq; enim negari poteſt multa non toleranda vitia irrepſiſſe. *De Pænitentia & Remiſſione peccatorum* fuit ſumma confuſio doctrinæ. *Sacramentum in Miſſa*, ad quos abuſus tranſlatum fuit, cum certum ſit privatas Miſſas ignotas fuiſſe veteri Eccleſiæ? In *Cælibatu* quantum eſt turpitudinis?

Doctrina *de poteſtate Clavium* plena fuit vanitatis & ambitionis, & tranſlata ad augendam
C *Romani* Pontificis dominationem. Quantum fuit onus Traditionum ſuperſtitioſarum, quam nullus delectus miniſtrorum Evangelii? De his materiis profeſſi ſumus, qui errores taxati ſint apud nos. Et extant ſcripta noſtrorum, ac multi pii ubique terrarum fatentur, ſe ex illis piè & utiliter admonitos eſſe, ut rectiùs de doctrina *Chriſti*, & de veris cultibus Dei ſentiant.

Non igitur fugimus lucem. Cúmque *Auguſta* compoſitio tentaretur, nihil prorſus aſtutè fecimus,
D oſtendimus nos expetere concordiam, ſi neceſſaria reciperentur, diximus nos de uſu indifferentium non litigaturos eſſe.

Propoſuimus moderatam viam, ſed quâ æquitate nobiſcum actum ſit, optaremus penitus ſcire clementiſſ. Imperatorem. Delecti ad eam diſputationem ab adverſariis, expreſſè præfati ſunt, ſe nihil mutaturos eſſe de ſua ſententia, tantum nobiſcum diſputaturos, ut nos retraherent ad ſuas opiniones. Incipiebant defendere Invocationem ſan-
E ctorũ, Miſſarum abuſus & ſatisfactiones. Hæc non erat dijudicatio vera quæſitis fontibus & fundamentis, ſed erat veterum errorum confirmatio.

Nunc quia non ſumus aſſenſi, nec abjecimus veritatem, adverſarii calumniantur nos apud Invictiſſ. Imperatorẽ, & fingunt nos ſimulaſſe ſtudiũ concordiæ, ut negotium extraheremus. Nec aliud vocant conciliationem, niſi defectionem à veritate, nec poſtea ulla fuit de doctrina diſputatio in ullo conventu, & nunquam defugimus tales con-
F greſſus, in quibus piè & verè de doctrina deliberaretur, & maximè optamus, ut piis & doctis liceat de rebus tantis, quæ ſunt Eccleſiæ neceſſariæ, tandem liberè colloqui, maximè optamus veros fon- & fundamenta doctrinæ cognoſci.

Quare perſuaſum eſſe Invictiſſ. Imperatori cupimus, nos nec effugia nec ambages quærere. Si nos puderet cauſæ, poſſemus eam plauſibiliter abjicere. Sed quia ſcimus eſſe piam & Eccleſiæ neceſſariam, ſuſtinemus ingens onus confeſſionis
G propter mandatum Dei, ut ſupra diximus. Nec agimus aſtutè, cupimus propagare & conſervare piam doctrinam propter gloriam Dei, & nihil optabilius eſt bonis, quam pia concordia Eccleſiarum: Ideo ſicut in conventu *Francofurdiano* & aliàs nos obtulimus, ita & adhuc offerimus nos, ad piam & veram collocutionem cum aliis Principibus & ſtatibus Imperii, in qua patefactis fontibus
&

& fundamentis doctrinæ *Chriſtianæ* pia conci-
liatio inſtituatur.

Et nè quid ſuſpicionis pariat ambiguitas, voca-
mus piam conciliationem, in qua patefacta veri-
tate, conſulatur Eccleſiæ, emendentur veteres er-
rores, & reſtituantur veri cultus Dei. Cùm enim
toties jam dictum ſit, velle Invictiſſ. Imperato-
rem, ut verè componantur controverſiæ patefa-
ctis fontibus & fundamentis, conciliationem
non intelligimus confirmationem veterum erro-
rum, aut defectionem à veritate.

Non exiſtimamus unquam Invictiſſ. Imperato-
ri verè narratam eſſe ſeriem diſputationis *Augu-
ſtanæ*, in quâ expreſſâ præfatione adverſarii noſtri
teſtati ſunt, ſe nihil mutaturos eſſe de ſua ſenten-
tia, ſed hoc tantùm acturos, ut nos ad ſua deliria
inflecterent, quæ apertè pugnant cum Euangelio.
Si hoc modo res iterum ageretur, id non eſſet re-
vocare cauſam ad fontes & fundamenta ſeu veri-
tatem quærere, ſed *Pythagoricum* illud nobis pro-
ponere, *Ipſe dixit*, quod de autoritate humana in
Eccleſia nequaquam recipiendū eſt. Nam volun-
tas Dei non poteſt cognoſci ex humanis opinioni-
bus; Sed, ut *Iohannes* inquit, *Filius qui eſt in ſinu
Patris, ipſe enarravit nobis.* Hunc Doctorem jubeat
arbitrum eſſe controverſiarum Invictiſſ. Impera-
tor. Jubeat quæri veritatem, ut illuſtretur gloria
Chriſti, & conſulatur ſaluti hominum. Ea res erit
digna pio Imperatore.

Et quia vitandæ ſunt ambages, & Invictiſſ. Im-
perator petit, ut prorſus & penitus evolutâ noſtrâ
voluntate proferamus quos articulos abjici non
poſſe ſtatuamus. Extat *Confeſſio* noſtra cum Apo-
logia, in qua ſatis apparet, quos articulos tanquam
neceſſarios defendamus, nec dubitamus quin hoc
ipſum genus doctrinæ, quod in Eccleſiis noſtris
traditur, ſit ipſe conſenſus Apoſtolicæ & Catholicæ
Eccleſiæ *Chriſti*, quia & in Propheticis & Apoſto-
licis ſcriptis hæc ipſa doctrina proponitur, & con-
gruunt veteris Eccleſiæ teſtimonia de rebus ne-
ceſſariis, videlicet de dogmatibus, de legitimo uſu
Sacramentorum, de poteſtate Clavium, de officio
miniſtrorum Eccleſiæ, quod prorſus diſſimile eſt
dominationi *Romani* Pontificis, & de libero uſu
traditionum humanarum.

Quare ſi abjiceremus confeſſionem noſtram,
diſſentiremus ab Apoſtolica & Catholica Eccleſia,
nóſq; ipſi ſejungeremus ab illa vera Eccleſia om-
nium temporum, in qua primi Patres, Prophetæ,
Apoſtoli & reliqui ſancti eâdem fide, quam præ-
dicamus, invocaverunt Deum, & Filium Dei ſal-
vatorem, ſicut inquit *Petrus*: *Huic omnes Prophetæ
teſtimonium perhibent.* Ab hac Eccleſia diſſentire
non licet, à qua divelleremur ſi abjectâ noſtrâ
confeſſione, veteres errores & horribilem abuſum
Sacramentorum reſtitueremus.

Sunt autem præter articulos neceſſarios alii
quidam indifferentes ritus humani, qui ut in tem-
plis ſit ordo aliquis, inſtituti ſunt. De his ritibus,
de Juriſdictione Eccleſiaſtica, de inſtitutione, de
ordinatione miniſtrorum, de cæteris inſpecto-
ribus Eccleſiarum, & de bonis Eccleſiaſticis, de
judiciis controverſiarum matrimonialium con-
veniri poſſet, conſtituto conſenſu principalis do-
ctrinæ. Quorſum enim prodeſſet, aliquid paciſci
de ritibus aut de Juriſdictione cum iis, qui adhuc
revera in articulis principalibus doctrinæ diſſide-
rent? Tolli diſſidium non poteſt ſi alii pergent

A errores defendere, & interficere pios.

Quòd autem aliqui objiciunt, errores admixtos
eſſe doctrinæ Eccleſiarum noſtrarum, etſi non
dubitamus, doctrinam Eccleſiarum noſtrarum,
quam confeſſi ſumus, verè eſſe conſenſum Apoſto-
licæ & Catholicæ Eccleſiæ *Chriſti*, tamen ſi quid
reprehendunt adverſarii, proferant tunc in con-
ventu; ibi de ſingulis articulis copioſè reſponde-
bimus, & ſperamus nos omnibus piis & amanti-
bus veritatem ſatisfacturos eſſe. Si quid etiam ob-
B ſcurius & brevius eſſe dictum in *Confeſſione* & *Apo-
logia*, quantum opus eſt, declarabimus. Si alioqui
ſparſæ eſſent opiniones ab aliquibus ſcriptoribus
noſtris, ut ſunt humana, quas corrigi opus eſſet, illi
admoniti non repugnabunt veris judiciis.

Scimus etiam humanorum rituum diſſimilitu-
dine in noſtris Eccleſiis indoctos offendi, etſi ſimi-
litudo in his non eſt neceſſaria, ubi de doctrina
rectè convenit, tamen propter communem con-
cordiam ea de re etiam in conventu agi poſſet.
C Nam, Dei beneficio, omnes noſtræ Eccleſiæ unum
hoc doctrinæ genus, quod extat in *Confeſſione* &
Apologia, profitentur. Hæc etiam cauſa eſt, cur
nos quidem arbitremur, in publico conventu po-
tiùs de communi concordia agendum eſſe, quia
de uſu indifferentium nihil agi poteſt, niſi prius
de doctrina neceſſaria conveniat, quam ad rem
opus eſt quadam collocutione, ut declarari reſtan-
tæ poſſint. Deinde hoc conſenſu conſtituto com-
muni conſilio, de Juriſdictione Eccleſiaſtica, &
D de gubernatione Eccleſiarum, multa deliberanda
erunt, quæ ſeorſim quomodo agi poſſint, non in-
telligimus.

Poſtquam voluntatem noſtram declaravimus,
iterum rogamus Illuſtrem Dominum *Granvelum*,
ut ſit hortator Invictiſſ. Imperatori & ad pacem
faciendam, & ad Eccleſiæ reformationem ſuſcipi-
endam, ut firma & durabilis concordia fieri poſſit.
Nam ſi vitia manifeſta ſtabiliantur, ſemper erunt
qui reclament, & injuſtum eſt reprehenſionem vi-
E tiorum & errorum velle armis prohibere. Talia
imperia non decent in Eccleſia.

Imperator *Conſtantinus* bis dederat Judices *Do-
natiſtis*, quanquam apertè delirantibus. Tertiò
ipſe eos audivit, nè prius edicta duriora propone-
ret, quàm res ſatis diſputata & cognita eſſet, nè
autor eſſet exempli in Eccleſia aſperioris. Spera-
mus autem Invictiſſ. Imperatorem ea Juſtitia &
bonitate præditum eſſe, ut cum tam multæ cõtro-
verſiæ de rebus maximis exortæ ſint, non ſit ante
F veram & juſtam cognitionem aliquid violenter
acturus.

Oramus igitur, ut quemadmodum in *Francofor-
diano* conventu per Oratorem promiſit collocu-
tionem publicam, clementer eam collocutionem
inſtituat, ut ſicut toties jam dictum eſt, curet pate-
fieri veritatem ex fundamentis, quæ inſpici præ-
cipuè in Eccleſia debent, videlicet ex verbo Dei,
quod in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis tradi-
tum eſt, cum quo etiam vetus & purior Eccleſia
G congruit.

Quicquid autem accidet, tota poſteritas judi-
cabit, nos æqua & pia petiviſſe, ac profutura non
tantum nobis, ſed univerſæ Eccleſiæ, cui conſulere
Invictiſſ. Imperator debet, præſertim cum Ponti-
fices ardentes ambitione & crudelitate tantum
ſint hortatores, ad trucidandos innocentes & pios
ſacerdotes, & vaſtandas Eccleſias. Ac profectò

magna laus eſt Invictiſſ. Imperatoris, quod hactenus non geſſit morem his atrocibus conſiliis, quia Deus vult imprimis exerceri pietatem & lenitatem erga miſeros Euangelii miniſtros.

Poſtremò & hoc valdè oramus, nè invictiſſ. Imperator fidem habeat atroci calumniæ, quâ aliqui ex nobis dicuntur adjuviſſe hoſtes, cum quibus Imperator Invictiſſ. bellum palàm indictum geſſit. Conſtat enim nos eo tempore certis officiis quoſdam *Capitaneos* Invictiſſ. Imperatoris adjuviſſe, miſiſſe bombardarios & pulveris tormentarii mediocrem copiam, libenter etiam noſtris ſubditis conceſſiſſe, ut in militiam ad Invictiſſ. Imperatorem proficiſcerentur. Conſtat & illud, nos tunc quædam non vulgaria commoda oblata repudiâſſe, non aliam ob cauſam, niſi ut fidem & obſervantiam noſtram erga Invictiſſ. Imperatorem majore ſtudio declararemus. Quare nos purgatos eſſe Invictiſſ. Imperatori cupimus, & ſi quis ex nobis nominatim delatus eſt, ejus reſponſionem ſperamus ſatisfacturam eſſe Invictiſſ. Imperatori.

Hanc noſtram reſponſionem in ſingulis articulis. veram ſimplicem & ingenuam, rogamus, ut Illuſtris Dominus *Granvelus* non gravatim legat, & Invictiſſ. Imperatori reverenter commemoret, nóſque ei commendet, ac oret, ut veram conciliationem, ſicut ſupra dictum eſt, Eccleſiarũ inſtituat, quæ quidem adeo neceſſaria eſt, ut ſi ſævitio non ceſſaverit, metuenda ſit ad poſteros horribilis vaſtitas Eccleſiarum. Nam pontifices malunt extingui totam Religionem, quàm aliquam reformationem admittere.

Maximè autem oramus, ut Illuſtris Dominus *Granvelus* exponat etiam Invictiſſ. Imperatori Domino noſtro clementiſſ. querelam noſtram juſtiſſ. de Judicio Cameræ, in quo nobis conjuncti iniquiſſimè vexantur contra jus & contra prohibitionem Imperatoriam. Et quidem in cauſis levibus non ſolùm injuſtè, ſed etiam atroces ſententiæ feruntur, ut in cauſa *Mindenſi* apparet, in quâ lis eſt de ſexaginta florenis aut circiter, quos civitas egena attribuit Parochiæ, ut & antea pertinebant ad Eccleſiam. Sed adverſarii malunt eos ab ocioſis conſumi, cum interea magnas opes Eccleſiaſticas habeat ibi collegium Sacerdotum ocioſorum, qui prorſus non ſerviunt Eccleſiæ. Et tam exiguam partem noluerunt decidi ad uſus Parochiæ. Propter tam levem cauſam in Judicio Cameræ lata eſt ſententia proſcriptionis contra civitatem *Mindenſem*.

Hanc petulantiam judicii Cameræ coerceri, & prohiberi omnes tales proceſſus magnopere oramus juxta petitionem noſtram, & formulam, de qua in conventu *Francofordienſi* cum duobus Electoribus *Palatino* & *Marchione* actum eſt.

Invictiſſ. Imperator vult *Germaniam* tranquillam eſſe, ut oſtendit, profectò proceſſus illi Judicii Cameræ prohibendi ſunt. Nam tales ſententiæ quid ſunt niſi claſſica ingentium tumultuum, adverſus quæ jure naturæ conceſſa eſt defenſio. Ac ſi non aboleantur hi proceſſus, & fortè accideret, ut aliqui contraherent militum copias, non poſſemus non ſuſpicari contra nos eas colligi. Quâ ex re poſſent ſubiti tumultus oriri, quod minimè vellemus. Nos enim maximè cupimus tranquillam eſſe *Germaniam*, & magnopere oramus Illuſtrem Dominum *Granvelum*, ut Invictiſſ. Impe-

A ratori Domino noſtro clementiſſ. ſit hortator, ut nobis pacem concedat, & proceſſus contra nos injuſtos in cauſa religionis prohibeat. Rogamus etiam generoſos Comites, ut nos amanter Illuſtri Domino *Granvelo* commendent. Nos viciſſim & ipſi & Generoſis Comitibus noſtra officia deferimus.

Iohanni Oberburgio, Secretario Caroli V. Imperatoris Romani, S. D.

B

ETſi exempla moderationis & clementiæ in victoria recitari ex veteribus hiſtoriis multa poſſint: Tamen ingrati eſſemus, ſi aliorum potiùs, quam Imperatoris *Caroli* Auguſti manſuetudinem ac lenitatem commemoraremus, qui cum antea captis Regibus & domitis Principibus magna cum laude pepercit: tùm verò jam inſigni exemplo, victoriam moderatus eſt, collocatis captivi Ducis *Saxoniæ* filiis, in amiſſa hæreditate. *Epiſt. 57.*

C Hæc bonitas Deo grata eſt, & maximè conveniens ſummo faſtigio. Exiſtimo autem præcipuos viros in aula, intueri in Domini exempla, & conſilia ad ſalutem generis humani referre. Te certè & naturâ placidum ac beneficum eſſe animadverti, & ſapientia doctrinæque ſtudiis ita confirmatum, ut & ad Juſtitiæ normam omnia conſilia dirigas, ac hanc lenire æquitate & miſericordia ſtudeas, ut ſerves homines non malos, quorum in Repub. uſus eſſe poteſt. Quare ad te ſcribere auſus ſum, manſuetudine & ſapientiâ fretus tua.

D Etſi enim in Academia oppidi *Saxonici*, quod oppugnâſtis, fuiſſe mi confiteor, tamen cum arma non geſſerim, & doctrinam neceſſariam vitæ, quæcunque erunt in Repub. imperiorum converſiones, Juventuti bonâ fide tradiderim, aliquâ me ſpe veniæ ſuſtento, ac minus mihi iraſcerentur boni & ſapientes, ſi nôſſent, qui dolores, qui ſenſus, quæ voluntas ſemper fuerit, & initio belli, & multò antè, cum ſemina belli ſpargi viderem. Nunquam

E opes aut potentiam ullam vel ſperavi vel captavi.

Nunc igitur ſupplex ad te venio, téque propter religionem & jus ſupplicum, quod quale fuerit in illa meliore antiquitate, cum ſcriptum eſt:

Μὴ δ' ἀδικεῖν ἱκέτας, ἱκέται ἱεροί τε καὶ ἁγνοί

non ignoras, Oro ut bonis & doctis viris, qui ſemper alieni fuerunt ab omnibus contentionibus publicis, & artes vitæ utiles docuerunt, *Mathemata*, ac *Phyſicen*, aut enarrârunt ſcriptores *Græcæ* & *Latinæ* linguæ, opem feras, ut redire eis in oppi-

F dum, unde initio belli exire juſſi ſunt, & ſuas ædes tenere concedatur. Æquiſſimum eſt horum cauſam ſejungi à cæteris, qui in odio ſunt propter dogmatum certamina: non enim opinor vos bellum gerere cum artibus. Rex *Demetrius* cum *Rhodum* obſideret, murúmque eo in loco, ubi tabula erat *Protogenis* magnâ arte picta, quaſſaturus eſſet, cum rogaretur à *Rhodiis* ut monumento illi *Protogenis* parceret, revocavit ille milites, inquiens, *Se non gerere bellum cum artibus*, eáque initia

G fuerunt fac endæ pacis cum *Rhodiis*. Quantò erit glorioſius Imperatori *Carolo*, ſervare tot bonos & doctos viros, quorum eruditio Reipub. utilis eſſe poterit, quàm *Demetrio* fuit ſervâſſe mutam tabulam? De me non audeo ſcribere, etſi ſapientibus & non duris Judicibus de mea voluntate & de meis actionibus ſatisfacere me poſſe arbitror, ſed amicorum cauſam tibi commendo, quorum

eruditio

eruditio & virtus tanta eſt, ut non dubitem ultro te eos detenſurum eſſe, ſi tibi noti eſſent. Scripſi brevius propter tuas occupationes, teque oro, ut meam epiſtolam boni conſulas, ac mihi per hunc integerrimum conterraneum tuum, Dominum *Michaelem* ſignifices, quid ſpei noſtris amicis eſſe poſſit; Nomina eorum perſcripſi in charta, quam huic epiſtolæ addidi. Bene vale. *Embace*, XXIV. Maii. M. D. XLVII.

Epiſtola eorundem Principum nomine ſcripta ad Ducem Lotharingiæ S. D.

Epiſt. 58. ILluſtriſſime Princeps, & conſanguinee dilecte, etſi non ignoramus, apud exteras nationes interdum de nobis judicari durius, propterea quòd iis, qui Eccleſiaſticos abuſus pio ſtudio & veris rationibus taxârunt, non adverſati ſumus, tamen cùm ſciamus D. T. ſingulari prudentiâ & gravitate præditam eſſe, arbitramur eam de nobis quidem judicium ſuſpendere, donec hæ controverſiæ aliquando legitimâ ratione audiantur & cognoſcantur, præſertim cum manifeſtum ſit, multos eſſe veteres morbos Eccleſiæ, de quibus neceſſe eſt tandem pios gubernatores populi *Chriſtiani* deliberare. Verè enim hoc affirmare poſſumus, nos ex animo ſemper optâſſe, ut piè cognitis rebus gloria Dei illuſtraretur, ſaluti hominum conſuleretur & communi concordiæ, & Eccleſiæ pax conſervaretur. Nam cum profeſſio nobis ingentia pericula, labores, ſumptus adferat, non eſt exiſtimandum, nos privatâ cupiditate huic negotio favere. Non enim ob alias cauſas abuſus corrigi permiſimus, niſi propter gloriam Dei. Quare cum cognitionem Eccleſiæ ſemper flagitaverimus, nequaquam accuſari poſſumus tanquam ſejuncti ab Eccleſia. Et omnes ſapientes Principes ubique oramus, nè quid de nobis ſtatuant, ſine cognitione, quæ decet Dei Eccleſiam. Hæc petitio cum ſit æquiſſima, impetret à D. T. nè gravatim has noſtras literas accipiat, quas de tranquillitate civitatis *Metenſis* ſcribendas eſſe duximus. Cùm enim nuper eò Legatos noſtros miſiſſemus, nullius privatæ utilitatis cauſâ, ſed tantum ut cives ad concordiam hortaremur, & viam oſtenderemus piam & ſalutarem, intelleximus, quoſdam inimicos iis, qui doctrinam puriorem expetunt, moliri, ut ad ſua odia adjungant D. T. & auxilio D. T. perterrefaciant aut opprimant honeſtos homines nobiles & plebeios, qui & ſunt tranquilli & fideles in omnibus civilibus officiis præſtandis, nec aliud petunt, niſi ut habeant in aliquibus Eccleſiis doctrinam puram, & uſum Sacramentorum ſincerum. Scimus autem D.T. naturæ bonitate & voluntate ab injuſta aſperitate abhorrere, ſed tamen calumnioſis delationibus interdum optimi & mitiſſimi gubernatores incenduntur, ut non ſuæ moderationi, ſed alienis affectibus morem gerant. Promittunt cives *Metenſes*, pro quibus ſcribimus, ſe in omnibus civilibus officiis omnia libenter facturos, ſe nulla in re paci defuturos, tantùm ſuas Eccleſias rectè conſtitui volunt. Id ſi impedietur, primùm gloria Dei læditur, deinde multa animarum & civitatis pericula ſequuntur.

Poſtquam ſparſa eſt aliqua Euangelii lux, multos abuſus jam intelligit populus. Hos ſi cogitur obſervare contra conſcientiam, excutitur eis vera invocatio Dei. Nam cum perturbatio hæret in conſcientia, quæ deponi non poteſt, fugit mens, non invocat Deum. Quid eſt autem triſtius & deteſtabilius, quàm impedire veram invocationem Dei? Accidit etiam interdum, ut in tali perturbatione animorum concipiantur, vel ab erroribus oriantur falſæ opiniones, ubi deſunt boni concionatores, qui publicè doceant. Nocent autem privatæ opiniones & animabus & paci publicæ. E contrà verò pia & ſalutaris doctrina etiam pacem civitatum munit. Conſtat enim doctrinam de omnibus civilibus officiis, in hac ipſa luce Euangelii magis illuſtratam eſſe, quàm antea unquam. Et quanquam optandum eſt, omnes vera invocatione & piis moribus Deum colere, tamen hi, qui doctrinam puriorem expetunt, non ſunt impedituri ceremonias cæterorum qui ſecus ſentiunt. Viciſſim æquum eſt non labefactari conſcientias horum, qui abuſus intelligunt, & vitare cupiunt. Rogamus igitur D. T, & amanter & diligenter, nè ſe incitari ſinat contra partem civitatis, quæ Eccleſias rectè conſtitui cupit, nec adjuvet iracundiam eorum, qui civilem ſanguinem haurire cupiunt. Nam hæc cauſa qualiſcunque videtur, non poteſt nec debet promiſcuis & multis civium cædibus dijudicari. Nec verò dubitamus, quin D. T. pro ſua virtute digna Principe bono maximè deteſtetur civilem crudelitatem, & velit vicinam civitatem tranquillam eſſe. Sic autem retineri tranquillitas poteſt, ſi neutra pars alteram vi impediat. Hæc mutua moderatio, & maximè civilis eſt, & multis civitatibus in *Germania* ſalutaris fuit, in quibus paulatim veritate clarius illucente, & diſſenſio mitigata eſt, & ſanatæ ſunt voluntates. In his locis ſi violenta conſilia initiò tentata eſſent, omnia funditùs periiſſent. Semper enim in civium diſſenſionibus magis ſalutaria fuerunt mitia conſilia, quàm violenta. Quare D. T. pro ſua bonitate ac ſapientiâ annitatur, ut tali moderatione conſulatur ſaluti civitatis *Metenſis*. Hæc ut ſcriberemus ad D. T. non privato affectu, ſed honeſtiſſimis & publicis cauſis adducti ſumus, ut honeſti & innocentes homines, quorum multi propter virtutes & facultates patriæ magno præſidio atque ornamento ſunt, & vero timore Dei moventur, ad quærendam de *Chriſto* Salvatore puram doctrinam, ſint in tuto. Tales Principum benevolentia tuendi ſunt. Ideo rogamus, ut has noſtras literas D. T. in optimam partem accipiat, nóſque noſtra officia D. T. ſummâ cum benevolentiâ deferimus. Bene & feliciter valeat D.T. Datæ VII. Novemb. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo.

Magnifico viro, nobilitate generis, ſapientiâ, & virtute præſtanti, Sebaſtiano ab Alba ſpina, Oratori inclyti Regis Franciæ in aula Imperatoris &c. Patrono ſuo colendo S. D.

NE fieri quidem poteſt, quin mediocres homines intuentes tantam generis humani diſſipationem, magno in dolore ſint, ſed tamen lenitur mœſtitia, cum aliquam Eccleſiam Dei & eſſe, & ſervari divinitùs cogitamus. In qua neceſſe eſt eſſe multos, quorum rectæ ſunt voluntates, & qui doctrinarum ſtudia colunt, & conjunctionem amant. Itaque valdè delectatus ſum oratione *Huberti* noſtri, quem ſcio eſſe virum prudentem, eruditum, *Epiſt.* 59.

ditum, integrum, & conſiderantem communem vitam, cum mihi narraret, te ſapienter judicare de omnibus vitæ officiis, & doctrinas intelligere, & earum cultoribus bene velle. Fuit autem pergratum mihi, quòd ſingularem eſſe tuam erga me benevolentiam commemorabat. Dedi igitur iſthuc redeunti hanc epiſtolam, & ut *Huberto* teſtis eſſem, de ſua erga te voluntate, & ut oſtenderem ſignificationem grati erga te animi. Cum autem ſciamus, præſertim in hac ultima ſenecta mundi, majores fore & Imperiorum, & Eccleſiarum dilacerationes, quàm fuerint antea, ſapienter hæc fatalia mala feramus, & ſuo loco ſinguli honeſtis ſtudiis opitulemur. Hâc re quid fieri melius poteſt in tantis miſeriis humanis. De me vero tibi & debeo, & habeo gratiam, quòd me quoque inter literarum cultores complecteris. Poteris autem præclarè mihi benevolentiam tuam oſtendere, ſi, cum *Hubertum* graviſſimo judicio complexus ſis, meâ cauſâ etiam magis diliges atque ornabis. Fuit annos aliquot amicitia, & deinde familiaritas ei mecum, & quò diutius prudentiam, & fidem ejus conſideravi, eò magis eum dilexi, & diligam ubicunque erit. Scio eum talem eſſe, quales in veteri verſu deſcribuntur viri boni, ἅπερ τὸ χρυσὸν τ' ἴσον ἴχνευον. Bene vale. 1556. Die quo celebratur memoria *Auguſtini*, qui mortuus eſt anno ætatis ſuæ 76. anno à natali *Chriſti* 430. cum decennio ante mortuus eſſet *Hieronymus*, anno à Natali *Chriſti* 420 ætatis autem ſuæ nonageſimo primo. Horum virorum memoria te quoque delectari arbitror.

Inſtitutio Iohannis Friderici, Ducis Stetini, Pomeraniæ, &c. S. D.

Epiſt. 60. ASſiduè repetenda eſt cogitatio de præſentia Dei in genere humano, & de cauſis, cur Deus imperia & gradus hominum ordinaverit, & quales velit eſſe gubernatores. Vult Deus in tota æternitate ſeſe nobis communicare, id ut fieri poſſit, vult ſe à nobis rectè agnoſci, & hoc modo tantum, non aliter colligit æternam Eccleſiam, voce videlicet Euangelii ſui. Hanc vult audiri & rectè cognoſci, & in hac ipſa Filius nos alloquitur, & mentes ad æternum Patrem flectit, & in his qui obediunt, accendit initia vitæ æternæ, ſapientiæ, & juſtitiæ. Neceſſe eſt igitur omnes homines diſcere doctrinam de Deo, & de Filio ejus Domino noſtro *Jeſu Chriſto*, pateſactam in Eccleſia, & ejus ſtudii gubernatores & agnothetas eſſe vult Deus ipſos Reges & Principes. Sicut *Pſalmus* inquit: *Et nunc Reges intelligite.* Item, *Ut conveniant Reges & populi in unum, & ſerviant Domino.* Et *Pſalm.* 46. inquit, *Quando Principes Populorum congregantur cum Deo Abraham, exaltatur Deus valde.* Tribuit Deus ſocietatem ſui nominis Principibus inquiens, *Ego dixi, Dii eſtis*, non ut ſint tantum cuſtodes corporum populi, ſed etiam, ut doctrinam de Deo in genere humano, propagari curent. Primùm igitur ac præcipuè diſcant Principes doctrinam de Deo, & Filio ejus Domino noſtro *Jeſu Chriſto*, & ita diſcant, ut fontes quærant, non ut illiterati ſummam tantum excerpant: ſed ut mente complectantur totum doctrinæ corpus, & ſciant, quæ præcipuè fuerint ſemper in Eccleſia controverſiæ, quæ certamina, quæ piorum judicia: quæ veræ doctrinæ forma & immota teſtimonia

A tradita ſint, qui refutati ſint errores. Atque ita ſe præparent, ut cogitent Principem pium oportere Judicem eſſe tantarum rerum, quia ſubinde certamina piorum ſimilia moventur. Ideo & Deus præcipit *Deut.* 17. ut Rex legat divinos libros, & eis obtemperet, & ſit cuſtos ejus doctrinæ, nè ab ullo mutetur, néve corruptelæ miſceantur. Et *David* moriturus ſeveriſſimè filio præcipit, ut Legis divinæ cuſtos ſit.

Legendi ſunt igitur libri Prophetici & Apoſto-B lici, & cognoſcenda eſt Eccleſiæ Hiſtoria, quantum cognoſci poteſt, diſcenda & Symbola, conſiderandæ ſingulorum ſeculorum controverſiæ & judicia piorum. Et quia Deus vult eſſe miniſterium docendi in Eccleſia, ut juniores erudiantur ſermone ſanctorum librorum, & de rerum ordine, ſapienter eligendæ ſunt aliquæ interpretationes propiores fontibus, quæ in materiis obſcuris adjuvent legentem, & ſummas rerum ordine monſtrent.

C Neceſſe eſt igitur rectè diſcere *Grammaticen*, *Dialecticen*, & Elementa *Rhetorices*. Nam ſine his artibus de genere ſermonis, & de difficilibus controverſiis nemo judicare poteſt. Et ut hæ artes intelligantur, exercenda eſt *Latina* lingua, & formanda ſtylo oratio. Hic labor ei & neceſſarius eſt, quia Principes ſæpè cum exterarum gentium hominibus arcana colloquia habere oportet de ſummis rebus, ubi linguæ *Latinæ* uſus neceſſarius eſt. In conventu *Colonienſi*, poſtquam *Carolus* co-D ronatus erat, Dux *Saxoniæ Fridericus*, cujus tunc ſumma erat autoritas, ſæpè arcanis deliberationibus intererat, ubi Principes tantùm *Latinè* colloquebantur. Aliquoties igitur domum reverſus, hortabatur Comites & alios nobiles viros, ut curarent filios doceri *Latinam* linguam, quia uſus ejus in graviſſimis deliberationibus neceſſarius eſſet. Multæ etiam diſputationes Eccleſiaſticæ & olim ſcriptæ ſunt, et ſcribuntur quotidiè, quarum plurimas Principes ſcire neceſſe eſt. Nec Forenſes E controverſias ſine lingua *Latina* intelligere poſſunt, quas cum judicare debeant, linguam ſcire neceſſe eſt. Quare Princeps linguæ *Latinæ* ſtudium non omittet. Vellem autem et *Græcè* eum tantum diſcere, ut Hiſtorias *Græcas* et novi Teſtamenti fontes intelligere poſſet. Ad hæc omnia neceſſaria eſt *Hiſtoriæ* cognitio, quâ in re primùm complecti omnes homines non ſtolidos oportet ſeriem omnium temporum mundi, inde uſque à prima rerum creatione, quam recitat *Hiſtoria* tradita Eccleſiæ, F uſque ad hanc noſtram ætatem, et conferenda ſunt hujus ætatis certamina ad vetera. Conſideranda eſt etiam ſeries Monarchiarum, et cogitandum de periculis hujus ultimæ ſenectæ mundi, in qua cum creſcant confuſiones, majore cura Principes ita foveant Eccleſias, ut ad poſteros conſerventur, nè tales tenebræ ſequantur in his regionibus, quales nunc ſunt in magna parte orbis terrarum, in *Aſia*, *Africa*, et multis *Europæ* partibus. Diſtribuant etiam Hiſtorias negotiorum civilium G in Decalogi membra, et in ſingulis conſiderent, quæ facta ſint imitanda, quæ fugienda, ubi teſtimonia mandentur divinæ providentiæ, pœnæ et liberationes, ubi conſilia gubernationis proponantur in fugiendis diſſimilium fœderibus, in vitandis bellis non neceſſariis, in arcendis ſeminibus pernicioſarum mutationum, in retinenda conjunctione cum ordinario domino, cum vicinis,

nis, & fugienda ſocietate peregrinorum, qui tantum ideo ſimulant ſe conjunctionem cum *Germanicis* Principibus adpetere, quia exiſtimant ſibi utile eſſe *Germaniam* turbare. Cum in his doctrinis, de quibus dixi, Princeps ſe mediocriter exercuerit, valdè prodeſt diſcere eum, & initia doctrinæ juriſconſultorum, ut ſciat juſtitiam certas normas habere, quarum fons eſt Decalogus, & deinde ex eo doctrina legum extructa eſt: & eximenda eſt pernicioſa imaginatio, quæ fingit leges eſſe potentum arbitria, ſine metis divinis, aut jus eſſe quicquid placet Principibus, aut Juſtitiæ ordinem intelligi a quolibet ſine doctrina & ſine his fontibus, ex quibus leges oriuntur. Prodeſt igitur Decalogum ſapienter enarrari Principi, & hinc duci legum demonſtrationes, & inſeri animis hanc veram ſententiam, Juſtitiam habere metas divinitùs ordinatas, & Deum vindicem eſſe audaciæ contemnentis illas metas. Sicut ſcriptum eſt *Eſaia* 10. *Væ his, qui condunt leges iniquas, & injuſta decreta, ut opprimant in judicio pauperem.* Ac bonæ menti valdè utile eſt & jucundum, intelligere illas Juſtitiæ metas, & agnoſcere eas eſſe Dei ſapientiam & juſtitiam, & conſiderare præſentiam Dei, etiam in politica gubernatione.

Utile erit ad hanc inſtitutionem tradere elementa *Ethica.* Manè quotidiè legatur *caput in Veteri teſtamento* & *Pſalmus* ordine, & addantur *precatio ad Deum,* & *gratiarum actio*: nec refert etiamſi non omnia mox intelliget: neceſſe eſt enim ſeriem *Hiſtoriæ* diſcere, quæ utcunque intelligi poteſt.

Veſperi legatur *caput in Novo teſtamento,* & *Pſalmus* ordinè, & addantur *precatio ad Deum,* & *gratiarum actio.*

Una hora manè biduo in ſeptimana tribuatur enarrationi Epiſtolarum *Ciceronis,* aut *Terentii,* aut *Virgilii,* aut *Livii.*

Deinde ex ea lectione *Declinationes* & *Conjugationes* aliquæ exerceantur, & quærantur *Regulæ Syntaxeos.*

A meridie corpus exercendum eſt, & aliquid temporis *Muſica* tribuatur.

Poſtea pars *Gram.* aut alia repetantur, & poteſt addi ſeu enarratio *Officiorum Ciceronis,* ſeu de *Amicitia,* ſeu Hiſtorici ſcripti *Saluſtii,* aut *Comnæi* de *Carolo Burgundo,* aut *Julii Cæſaris.*

Die *Mercurii* repetatur *Catecheſis.* & totum reliquum tempus *Stylo* tribuatur: & ad judicandum de oratione ſoluta velim etiam Principem diſcere rationem faciendorum Verſuum.

Die *Jovis* & *Veneris* matutina hora tribuatur *Dialectica,* hora poſt meridiem *Rhetorica.*

Dies *Saturni* tribuatur lectioni Theologiæ, & enarretur Principi aliqua *Pauli Epiſtola* aut ſententiæ *Salomonis,* interdum & *Pſalmus* miſceatur.

Dies feſti tribuantur *Hiſtoriis,* ſæpe repetat *Chronicon.*

Eſt omnino Sapientia donum Dei, & ardenti precatione à Deo petendum eſt: Sicut ſcriptum eſt: *Quantò magis Pater cæleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus?* Et *Daniel* inquit: *Deus dat ſapientiam ſapientibus.* Sed ſicut per ſemina & culturam agrorum tribuit fruges, ita per doctrinam ſpargit lucem ſuam, vult doceri & commonefieri homines, & ob hanc cauſam inſtituit & conſervat miniſterium pub. docendi. Ac neceſſe eſt

A gubernatores inſtructiores eſſe doctrinâ, quàm ſunt alii in populo. Ideo de ordine ſtudiorum quædam dixi, longè tenuiora hac amplitudine ſapientiæ, quæ neceſſaria eſt, non ſolum gubernatoribus, ſed etiam cæteris mediocribus hominibus, qui volunt eſſe membra Eccleſiæ non ignava.

Valdè prodeſt etiam, ubi didicerit Princeps *Dialecticen,* deinde anni metas & cauſas oſtendere, ac monere propter quas utilitates Deus an-
B nos diſtingui voluerit, cur velit temporum ſeriem notam eſſe; videlicet ut initia mundi ſciamus. Item, ut conſideremus, quæ ſit prima de Deo doctrina, per quos, quibus teſtimoniis propagata ſit. Item, ut ſciamus aliquantò poſt finem fore generationis hominum, & harum calamitatum humanarum, & poſtea Eccleſiam ſimul victuram eſſe in conſuetudine Dei manifeſta; Ac ut anni diſtinctio teneatur, diſcat *Zodiaci* ſigna, & Ortus & Occaſus inſignium ſiderum & ſtellarum, *Orionis,* *Pleja-*
C *dum,* *Sirii,* *Arcturi,* & aliarum quarundam ſtellarum. Indicetur & utilitas, quomodo ad vices æſtatis & hyemis, & ad rigationem terræ & ſiccitatem congruant itinera Solis peragrantis *Zodiacum.* Diſcat autem & teſtimonia de Deo eſſe hanc ipſam opificii mundi pulcritudinem, & ordinem corporum & motuum, & cum omnia ad utilitatem hominum ſapienter condita ſint, agnoſcamus Dei providentiam, & eum grati celebremus.

Ad hujus doctrinæ initia cognoſcenda, ena-
D rrari poteſt *Heſiodi* liber, & lector non rudis multa monere poteſt, de præceptis moralibus, quæ ibi continentur, & de anni circuitu, & de ortu & occaſu ſtellarum. Oſtendantur & *Coſmographiæ* initia, ut mens cogitet terrarum metas, & regionum poſitus & intervalla; Ubi ſemper fuerit Eccleſia, ubi ſe Deus & quibus teſtimoniis patefecerit, ubi Filius Dei concionatus ſit, ediderit teſtimonia, & Sacrificium obtulerit, ubi fuerint ordinè faſtigia Monarchiarum, quæ diverſarum
E gentium leges, quibus occaſionibus & cauſis Imperia mutata ſint, quomodo familiæ Excellentes deletæ ſint, cum poſteri ſummorum hominum libidinibus et crudelitate pœnas attraxiſſent, ut *Xerxes,* *Ochus,* *Antiochi,* *Ptolemæi.* Harum maximarum rerum conſideratio digna eſt bonis mentibus, et utilis moribus. Semper etiam decus fuit, Principem ſcire aliquid de doctrina *Phyſica* et *Medica,* ut *Achilles* dicitur Herbarum vires et artem *Medicam* à *Chirone* didiciſſe, et Illuſtriſſ. Pa-
F ter tuus vidit avunculum *Palatinum Ludovicum* optimum Principem manu ſuâ et magna volumina remediorum ſcribere, et apparare remedia. Fecit idem avus tuus maternus, Princeps optimus, *Johannes* Dux *Saxoniæ* Elector.

Præcipuè verò neceſſaria eſt omnibus hominibus cognitio partium hominis, et diſtinctio potentiarum animæ, quantum in hac caligine adſequi poſſumus: Neceſſe eſt enim conſiderare diſcrimen inter potentiam cognoſcentem et adpe-
G tentem, et radios divinæ lucis in humanâ mente agnoſcere, qui adhuc reliqui ſunt in hac infirma natura, et ſunt præcipuum de Deo teſtimonium. Deinde neceſſe eſt videre, quæ pars illis notitiis ſit contumax, et quâ parte tamen frænentur affectus, et quomodo externi geſtus regantur, quid ſit externa diſciplina, quid vera virtus, quæ eſt divinus motus in corde.

Denique

Denique propter multas maximas cauſas prodeſt aſpicere artem ſabricationis humanæ naturæ. Ideo velim uſitatum libellum de anima Principi enarrari, & monſtrari picturas Anatomicas, aut etiam majorum membrorum poſitus, cum videt ſecari cervos & apros. Hanc puerilem doctrinam de diſtinctione potentiarum animæ & membrorum in Eccleſia neceſſariam eſſe manifeſtum eſt, & moribus prodeſt nôſſe potentiarum officia, & ſcire quæ regi poſſint, & quomodo regantur, & cernere triſte diſſidium virium humanarum, ut petamus auxilium à Filio Dei Domino noſtro *Jeſu Chriſto*, crucifixo pro nobis & reſuſcitato, ac regnante ut colligat æternam Eccleſiam, quem oro, ut ſervet *Pomeraniæ* Duces, & regat ſtudia & totum vitæ curſum Principis *Johannis Friderici*, *Pomeraniæ* Ducis &c. & faciat eum σκεῦος ἐκλογῆς, & Principem ſalutarem Eccleſiæ & patriæ, Amen. M. D. LIV.

Ad Illuſtrem & Magnificum Petrum Perenium Vngarum, &c. S. D.

Epiſt. 61. ILluſtris & magnifice Domine, Multorum animos hæ miſerabiles ruinæ regnorum movent, ut dubitent an Deo curæ ſit Eccleſia: Sed non ſolùm monet Deus diſcernendam eſſe ſuam Eccleſiam à mundi Imperiis, ſed etiam inter regnorum ruinas mirandis modis eam ſervet. Sic ſervavit eam deletâ *Hierosolymâ* à *Chaldæis*; ſic poſtea ſervavit eam, cum poſt *Cyrum* interfectum dominarentur Reges inimici doctrinæ Propheticæ. Speremus igitur & inter nos manſuram eſſe Eccleſiam perpetuò, etiamſi regna mutantur, & hac ſpe moveantur pii Doctores de omnibus Eccleſiæ membris, ſicut & *Eſaias* precatur. Et quanquam magnæ tenebræ paulò poſt ſecuturæ ſunt, tamen Deus ſeminaria aliqua ſervabit, nè doctrina penitùs extinguatur. Obſigna, inquit, legem in diſcipulis meis, id eſt, mentes confirma, ut doctrina de hominum ſalute ad poſteros perveniat. Hoc votum decet primum & præcipuum eſſe in omnium hominum pectoribus, maximè verò gubernatorum. Cùm autem audiam te etiam inter claſſica & armorum fragorem cum invocatione Filii Dei conjungere Evangelii ſtudium, quod fieri neceſſe eſt, ſcripſi ad te tanquam ignotus, ac te obteſtor, ut hunc *Sigiſmundum* virum honeſtiſſimum, non ſolùm in lingua *Latina* & *Græca*, ſed etiam in doctrina Eccleſiaſtica præclarè eruditum complectaris. Simul autem precor, ut in tantis tumultibus Eccleſias & ſtudia gentis tuæ omnibus officiis ſoveas, ut *Danielem* & alios Adoleſcentes doctrinæ deditos ſoverunt aliqui Principes in excidio *Hieroſolymæ*, ut poſtea illorum virtute (ſicut accidit) Eccleſia inſtauraretur. Non dubito autem paulò poſt repreſſâ *Turcicâ* barbarie Deum in *Pannonia* Eccleſias & ſtudia doctrinæ & virtutis inſtauraturum eſſe. Id ut fiat, jam curandum eſt, nè deſint ſeminaria. Et quicunque erunt eventus, bonæ menti magna levatio eſt mœſtitiæ tali tempore bene voluiſſe Eccleſiæ. Et tamen affirmo, Deo juvante hoc ſtudium & hos conatus Eccleſiæ utiles fore, ut *Pſalmus* inquit: *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua; Venientes autem venient portantes manipulos ſuos.* Labores tui Deo placebunt, etiamſi hoc luctuoſo tempore fructus nondum conſpicitur. Nec *Hieremias* vidit

A ſuorum laborum fructum, ſed poſteritas ab ipſo ſervata vidit, & videbit ipſe cum univerſa Eccleſia in æterna vita. Idem de fructu noſtrorum laborum jam ſperemus. Oro autem ducem Eccleſiæ Dei *Chriſtum*, ut protegat te, regat & juvet. Bene et feliciter vale vir doctiſſime. Anno 1545. Die 27. Martii. quo Filius Dei reviviſcens ex morte, oſtendit ſe æterna vita et gloria Eccleſiam ornaturum eſſe.

B *Adamo Carolo Inclyti Regis Ferdinandi, &c. Conſiliario &c.* S. D.

Epiſt. 62. PRiuſquam iter ingrederer, ad conventum *Haganoenſem* profecturus, aliquoties me hortatus eſt *Severus* vir optimus, ac publicæ pacis et Eccleſiaſticæ concordiæ cupidiſſimus, te ut in Comitatu Regio ſalutarem, ac pollicebatur te autoritatem tuam ad eam rem, quam unam præcipuè in votis habeo, videlicet ad Eccleſiarum

C tranquillitatem et diſciplinam conſtituendam, ſingulari ſtudio collaturum eſſe. Ego verò gaudebam quaſi fauſtum omen mihi oſtendi, cum audirem te et quoſdam alios præſtantes viros non abhorrere à piis conſiliis; Sed me in itinere oppreſſit ſæviſſimus morbus, quo cum retentus ſim, accidit, ut prius ad te *Severus* literas noſtras adferat, quàm ipſi te videre potuerimus, et veras coram audire et reddere voces. Cùm enim antea me *Severi* oratio accendiſſet amore tui, rogavi diſceden-

D tem, ut tibi narraret me amicitiæ tuæ cupidiſſimum eſſe. Equidem non ignoro, quo in loco, in qua cauſa verſer: Sed profectò in his noſtris certaminibus ſemper et expetivi prudentem dijudicationem, et eò direxi quaſi manum, ut ſi unquam aliqua de pace actio inſtitueretur, viam moderandarum controverſiarum oſtenderem. Res neceſſarias et colligere et ſimpliciſſimè explicare conatus ſum, ſemotis aliis quibuſdam horridioribus quæſtionibus. Hanc voluntatem et hoc ſtudium

E Deo placere non dubito. Spero etiam alicubi bonos viros hoc meum conſilium vidiſſe, et tacitâ ſuffragatione comprobâſſe. Tuam verò cenſuram adeò non defugio, ut maximè optem tibi penitùs intimos ſinus pectoris mei introſpectos eſſe, quos quidem ingenuè tibi aperiam, ſi quando colloqui res concedet. Interim et me et hunc amicum noſtrum *Severum* tibi commendo, teque rogo, ut in aula eum adjuves et tuearis. O ferream ætatem, in qua talibus viris non patet aditus ad Principes!

F Eruditio tanta eſt *Severi* in optimis diſciplinis, ut magno uſui ejus induſtria eſſe poſſit. Ad hanc adjunxit excellentem virtutem, diligentiam in omni officio, ac planè Senatoriam gravitatem, cujus tantum decus eſt, ut ei reverentiam apud homines honeſtos ubique pariat. Dicam verè quod ſentio: Sæpè intuens eum quoad unà fuimus, ingemui, dolens, talis viri virtuti non reſpondere fortunæ benignitatem, etſi ipſe quidem magnâ æquabilitate animi has difficultates perfert. Sed cum ha-

G beat opus valetudinis præſidiis, magnopere te adhortor, ne ei deſis. Quàm ſit honeſtum et dignum eo loco quem tenes juvare bonos et doctos viros, optimè perſpicis ipſe. Etſi autem ſcio te virtute ad benefaciendum impelli, tamen jucundum eſt aliquem ex ejus ingenio fructum percipere, cui benefeceris. Scis autem ſcripta *Severi*, nervis et puritate eximiâ conſtare. Quare ejus ingenium vo-

luptati

luptati tibi fore non dubito. Leges ſcripta de iis rebus quæ geruntur a ſummis Principibus, in quibus & tui nominis memoriam complectitur. Meminiſti autem illud *Pindaricum*, *Creſcere virtutem prædicatione eorum qui res geſtas ſcribunt, ut arbores creſcunt verno rore.* Ac præcipuè à doctis fovendi ſunt hi, qui in hoc genere valent. Quare amabis, defendes & juvare ſtudebis *Severum* virum optimum, ingenio & eruditione excellentem, eáque in re judicabis te gratum factum eſſe non tantum ipſi *Severo*, ſed multis doctis & bonis viris in *Germania*, *Ioachimo Camerario*, et plerjſque aliis, qui ea beneficia, quæ in hunc conferes, ad ſeſe pertinere judicabunt. Bene vale. 20. Septemb. Anno M.D.XL.

Reverendiſſimo Domino Cardinali Iohanni Bellaio, Epiſcopo Pariſienſi, ſapientia & virtute præſtanti S. D.

Epiſt.63. REverendiſſime Domine. Sæpè te intuentem confuſiones generis humani in tanta ſapientiæ & virtutis præſtantia, & deplorare communes miſerias exiſtimo, & cogitare quo pacto multis prodeſſe queas. Potes autem, ut de Imperiis non dicam, quæ ſuas habent fatales converſiones, juvandis doctrinæ ſtudiis, & tegendis doctis & moderatis viris. Nam ſi erunt literæ, manebunt aliqua Reipub: ornamenta, & moderatorum virorum judiciis multorum animi ad pacem flectentur. Cùm igitur hic *Hubertus Languedus Burgundus* in *Italiam* rediret, ut Bibliothecas inſpiceret, potiſſimùm ei literas ad te dedi, quem ſciebam viros bonos, doctos & moderatos libenter complecti. Nec vero plus ei meum teſtimonium, quàm ſuam virtutem apud te virum excellentem ſapientia prodeſſe volo: ubi audies, ſtatim intelliges & [illegible] eſſe & virum prudentem, modeſtum, pacis & concordiæ publicæ amantem, integrum, ac dignum benevolentiâ bonorum virorum. Quare tuo eum judicio tueberis & ornabis. Alienus eſt à factionibus, nec circumfert negotia periculoſa paci: Sed hiſtoriarum monumenta in Bibliothecis quærit, quâ in re ipſi non defutura eſſe doctorum officia ſpero. Tuam verò benevolentiam non ſolùm propter cauſam peregrinationis, ſed propter ipſius prudentiam, integritatem, morum ſuavitatem, & eruditiſſimos ſermones ſpero erga ipſum fore eximiam. Bene & feliciter vale. Calend. Iunii, Anno M.D.LV.

Reverendiſſimo Domino Cardinali Iohanni Bellaio, Epiſcopo Pariſienſi, &c.

Epiſt.64. REverendiſſ. Domine, Et memini viri ſapientis & boni tui fratris conſilia, & doleo ſpretis & moderatis ſententiis bella mota eſſe, quibus jam toto decennio ardet *Germania*, quæ ſi nobis *Turcos* attraherent, non dubitandum eſt in *Italiam* inde proceſſuros eſſe. Erat autem veſtræ ſapientiæ, omnium gentium ſaluti conſulere, idq; fieri poterat, ſi ut multi ſapientes gubernatores ſæpè fecerunt, quædam ut in ſenili corpore, leniretis. Sed agnoſco & deploro hæc triſtia fata, poſtremæ & deliræ mundi ſenectæ: Ruunt ut vides imperia in ſuas pœnas. Cùm autem non dubitemus, Deum verè colligere æternam Eccleſiam, ſperemus eum alicubi reliquias piorum cœtuum &

A doctrinæ & hoſpitia eorum ſervaturum eſſe. Hac unâ me ſpe ſuſtento, & rectà diſcere Juniores hortor: violenta conſilia nihil profutura eſſe ulli parti ſemper exiſtimavi. Quòd *Hubertum* amanter audiviſti, & debeo & habeo tibi gratiam, ac ſcio te virum excellentem ſapientiâ & virtute non ſolum colloquio bonorum & doctorum delectari, ſed libenter eis etiam benefacere. Bene & feliciter vale. Calend. Febr. M.D.LVI.

B *Ad Epiſcopum Anguſtenſem tempore conventûs Auguſtani* S. D.

Epiſt.65. MUltò antè intellexi te in deliberationibus de Eccleſiaſticis controverſiis moderatiſſime loqui. Quanquam autem cupiebam tibi cauſam noſtram commendare, & meam de tota re ſententiam exponere, ut meliùs intelligi poſſit, me inprimis cupidum eſſe pacis, tamen habui certas cauſas, quare non ambiverim colloquium tuum, C quòd fama noſtri congreſſus videbatur aliquid incommodi habitura, & ſic ſtatuebam magnos & ſapientes viros, inter quos meritò te numeramus, ſuâ ſponte ad benefaciendum eſſe accenſos. Nunc tamen duxi ad te ſcribendum eſſe, primùm ut intelligeres beneficium tuum apud gratos homines collocari. Deindè, ut cognitis noſtris voluntatibus, negotium fiat facilius, præſertim cum jam in extremo quaſi agone maximè ſit laborandum bonis viris, ut exitum habeat tranquillum. Prin- D cipiò autem habeo tibi gratiam, quantam animo concipere poſſum, maximam, quòd hactenus in dicenda ſententia violenta conſilia repudiâſti, & hac voce meâ exiſtimabis tibi gratias agere omnes bonos viros in his partibus. Non enim ſunt omnes perditi aut improbi judicandi, qui amplexi ſunt hoc doctrinæ genus, in quo nos verſamur. Deinde, velim hoc tibi perſuadeas de me déque multis aliis, nos optare, ut pace conſtitutâ Epiſcoporum poteſtas ſit incolumis, & hanc plurimum E prodeſſe Eccleſiis judicamus. Erit igitur clementiæ Epiſcopalis, ut nos qui parere non recuſamus, ſervemur; Atque iis rebus relaxatis, quæ neque fidem lædunt neque bonos mores, & quas jam natura rerum non patitur mutari, noſtri non gravatim parebunt, ac providendum eſt, nè hi, qui jam ſunt ſanabiles, conjungantur cum deterioribus, ſi res ad arma deducatur; Quòd ſi accidet, non ſolùm infinitum bellum erit, ſed etiam orientur hæreſes, quæ ſi excitatæ fuerint, nunquam F ad omnem poſteritatem coire Eccleſiæ concordia poterit. Scio quas opiniones, quàm pernicioſa dogmata nonnulli intra parietes ſuos contineant, ut per occaſionem proferant. Et multum licet improbis tempore belli, præſertim ſi dux contingat audax, & furioſo ingenio præditus. Meminiſti ſcriptum eſſe, *Obturans aurem ſuam à clamore pauperum, & ipſe clamabit, & non exaudietur.* Hæc res meritò commovere debet bonos viros nè hominum miſerorum preces in tali cauſa aſpernentur. G Vobis verò *Christus* veſtræ pietatis & clementiæ præmia reddet ampliſſima: Quemadmodum pollicitus eſt, *Qui dederit potum aquæ &c.* Hæc mala tranquillis temporibus caveri poſſunt, præſertim ſi Epiſcoporum autoritas valeat, & Eccleſia ſuarum rerum curam ſuſceperit. Quòd ſi pacem impetrabimus, ego de me déque multis aliis bonis viris polliceor, nos omne ſtudium noſtrum ad illuſtrandam

luſtrandam doctrinam *Chriſtianam* collaturos eſſe. Tale ſeculum impendet, ut niſi tranſmittatur doctrina religionis diligenter & prudenter collecta & munita ad poſteros, major confuſio religionum ſecutura videatur, neque leves habeo cauſas, cur hoc metuam. Et hæc cura decet Epiſcopos, puram doctrinam propagandi ad poſteros. Oro igitur propter Deum, qui vobis commiſit hoc officium in terris erudiendi alios, ut quod facitis, à violentis conſiliis dehortemini Principes. Bene vale.

Thomæ Epiſcopo Cantuarienſi in Anglia, S. D.

Epiſt. 66. REverende domine, literis quas *Ionæ* filius de ſermone tuo mihi ſcripſit, ante menſem reſpondi. Quò diutiùs autem de veſtra deliberatione, quâ nulla gravior & magis neceſſaria in genere humano inſtitui poteſt, cogito, eò magis & opto, & vos adhortandos eſſe cenſeo, ut de univerſo doctrinæ corpore edatis confeſſionem veram & perſpicuam, collatis judiciis eruditorum, quorum & nomina adſcribantur, ut apud omnes gentes extet illuſtre teſtimonium de doctrina gravi autoritate traditum, & ut poſteritas normam habeat, quam ſequatur. Nec verò multum diſſimilis ea confeſſio noſtræ erit futura, ſed paucos quoſdam articulos velim extare ad poſteritatem magis explicatos, nè ambiguitates poſtea occaſionem præbeant novis diſſidiis. Nunc & à *Carolo* Imperatore propoſita eſt moderatio controverſiarum, quam fortaſſis editurus eſt, ſed quia conjungere diſſidentes conatur, idque eo modo fieri poſſe exiſtimat, poſitâ aliquâ generali ſententiâ, quam nemo propter generalitatem rejicere poſſit, cothurnos facit, qui novas diſcordias excitabunt, & quædam intexit confirmatura abuſus. In Eccleſia rectiùs eſt, ſcapham, ſcapham dicere, nec objicere poſteris ambigua dicta, ut in fabulis dicitur, pomum ἔριδος objectum eſſe deabus in convivio ſedentibus. Si in *Germania* noſtrarum Eccleſiarum conſenſus integer fuiſſet, in has miſerias non incidiſſemus. Magnopere igitur te hortor, ut incumbas in hanc curam & cogitationem, ut Eccleſiis verè conſulatur. Si meum judicium ac ſuffragium etiam flagitabitis, libenter & audiam alios doctos viros, & dicam ipſe ſententiam meo loco, et ſententiæ cauſas oſtendam, τὰ μὲν αἰτέων, τὰ δὲ πειθόμενος, ut decet in colloquio piorum. Vincant autem ſemper veritas, gloria Dei, et ſalus Eccleſiæ, non privati affectus ulli.

Hanc Epiſtolam dedi *Euſebio Menio*, filio *Iuſti Menii*, qui Eccleſias in ditione Ducis *Saxoniæ Iohannis Friderici* diu piè rexit, & adhuc regit, & præclarè doctus eſt in cæleſti doctrina & Philoſophia, & multa ſcripſit utilia Eccleſiæ, cumque viciniam habebat, in qua multi idola Papæ defendebant, & venena *Anabaptiſtarum* ſpargebant, piè & diligenter lupos repreſſit. Filius ut oſis, ita animi paterni effigies eſt, & eruditionem ad bonos mores adjunxit, patrémque hac parte ſuperat, quòd Mathematica ſtudioſe didicit, quæ in Academia frequenti magna cum laude docere poteſt. Et habebat locum honeſtum in his regionibus, ſed tam triſti tempore ſpectator eſſe calamitatum patriæ noluit. Ut autem *Gotthicis* temporibus Eccleſiæ, & doctrinarum reliquiæ in

A inſula veſtra ſervatæ ſunt, ita nunc quoque tumultuante *Europâ* optandum eſt, ut aliqua maneant tranquilla hoſpitia literarum. Et *Britanniæ* veſtræ tranquillitatem opto. Hunc autem *Euſebium* tibi reverenter commendo, téque oro, ut eum complectaris. Poterit in Academia Mathemata aliis tradere, & ſpero Eccleſiæ uſui, atque ornamento futurum eſſe ubicunque erit. Non dubito multos iſtuc accedere, ſed tamen bonitatis & pietatis eſt tuæ, ut tales adoleſcentes præſtantium virorum,
B & bene meritorum de Eccleſia filios, ingeniis & eruditione excellentes adjuves. Bene & feliciter vale. Calendis Maii, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo.

Ad Legatum Pontificium, in conventu Wormacienſi, Anno 1540. S. D.

INſtat dies, in quo celebratur hiſtoria de nato Filio Dei liberatore noſtro, cui prodeunti in Epiſt. 67.
C mundum pii angeli hymnum canunt, quo beneficia prædicant naſcentis *Chriſti*, qui patefacturus ſit gloriam Dei, facturus pacem in terra, & lætitiâ ſempiternâ cumulaturus homines. Ideò verò præcinunt Angeli, ut nos admoneant de noſtro officio, ac maximè gubernatores. Hi ſunt illius chori ſocii, cum gloriam Deo canunt, id eſt, cum veram doctrinam illuſtrant, cum Eccleſiis pacem concedunt, & inter homines diſciplinam tuentur, non cum oppreſſâ veritate ſævitiam in Eccleſiis
D exercent, & vaſtitatem efficiunt. Erant ſocii chori cæleſtis *Theodoſius*, *Conſtantinus*, & alii pii Principes, cum doctrinam cæleſtem de vero Dei cultu propagabant, & tollebant impiorum Principum edicta atrocia, conſtituebant Eccleſias. Ita invictiſſimi Imp. *Caroli* Auguſti voluntas laudanda eſt, quòd hunc conventum indixit, ut patefactâ veritate pax conſtituatur. Ac nos quidem & ipſi & ejus commiſſario gratiam habemus, ac reverenter oramus, ut ita res conſtituat, ac patefiat
E veritas, quâ gloria Dei celebratur; ita & concordia feliciter conſtitui poterit. Audivimus autem jam Pontificii Legati orationem, in qua etſi erat communis adhortatio, tamen aculei quidam ad nos propriè pertinebant. Etſi ſcimus genus hoc reſponſionum odioſum eſſe, tamen nè crimina nobis objecta videamur agnoſcere, magna nobis imponitur neceſſitas, ut nos purgemus, quod quidem verecundè ac breviter faciemus. Atrox crimen eſt Eccleſiæ deſertio, multò atrocius eſt ſedi-
F tionem excitare in Eccleſia ſparſis falſis dogmatibus. Dicam igitur pauca de utroque crimine: Non adeò rudes omnium rerum ſumus, ut ignoremus potentum judicia de his diſcordiis; nec adeò ſine ſenſu communi, ut ſoli pericula noſtra non videamus; nec adeò ferrei, ut ærumnis noſtris, quas ſuſtinemus non exiguas, nihil adficiamur. Quid nobis optatius eſt, quàm ut liberati periculis & ærumnis, præſertim tot jam annos experti varias difficultates, tranquillitate fruamur?
G Sed hanc cauſam in qua verſamur, non poſſumus ſine ſcelere abjicere. Ideo ſemper expetivimus veram cognitionem cùm ut Eccleſiæ conſuleretur, tùm ut nos quoque periculis liberaremur. Scimus etiam plauſibilem eſſe orationem, dicere de concordia civium, de pace, execrari ſeditiones, vituperare contumaciam. Scimus ex his fontibus multa ſpecioſè contra nos dici. Nec leviter moventur

ventur animi mediocres hoc genere objurgationum. Sed tamen videndum eſt, in quibus culpa bæreat. Non ſumus Eccleſiæ *Chriſti* deſertores, non ſumus avulſi à corpore *Chriſti*. Nam qui veram Euangelii doctrinam retinent, & ei obtemperant, manent membra *Chriſti*, etiamſi Pontifices eos ex ſuo cœtu expulerint. Non propterea *Jeremias* avulſus fuit ab Eccleſia, etiamſi ſacerdotes eum ex ſuo cœtu ejecerant. Prædicit *Chriſtus* fore ut pii ejiciantur è Synagogis, ac vetat frangi animis propter eam injuriam. Natum eſt hoc diſſidium initio ex reprehenſione turpiſſimæ nundinationis Indulgentiarum. Hinc Pontifex & ejus ſatellites concurrerunt. Editum eſt fulmen excommunicationis. An propter illa injuſta decreta dicimur avulſi ab Eccleſia? Sed pergo ad alterum crimen. Jure ejicimur, ſi genus doctrinæ, quod profitemur, diſſentit ab Euangelio. Hic conſtanter aſſeveramus. hanc ipſam doctrinam, quam profitemur, verè eſſe conſenſum Catholicæ Eccleſiæ *Chriſti*, ut teſtantur Prophetica & Apoſtolica ſcripta, & tota Eccleſiæ antiquitas, veteres Synodi, & ſcriptores ſaniores. Sed hoc non diſſimulamus, nos improbare quaſdam ſuperſtitiones & opiniones pugnantes cum Euangelio, quæ paulatim ante hæc tempora in Eccleſiam irrepſerunt Nec deterremur illorum ſapientum judiciis, qui diſputant: ut in amicitiis quædam vicia amicorum ferenda ſunt: ita eſſe in Eccleſia quædam errata diſſimulanda. Habent hæc præcepta ſuum locum, ſed non ubique valent. Regula *Pauli* tenenda eſt; *Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema ſit*. Doctrinæ & cultuum peccata non ſunt probanda. Quis eſt autem paululum modò amans religionis, quem non res ipſa fateri cogat, plurimum ſuperſtitionum irrepſiſſe in Eccleſiam? Traditiones, ut vocantur, qualis carnificina piarum mentium diu fuerunt? quantos tumultus ſæpè excitârunt? Quantum eſt vanitatis & tenebrarum in illa diſputatrice Theologia? An non aliud genus doctrinæ ſaniores Theologi etiam multò antè flagitârunt? Quantum flagitium eſt in invocatione mortuorum? Monaſteria emendanda eſſe nemo opinor, negat. Nihil nè offendi Deum putatis horribilibus profanationibus Cœnæ Domini, quæ ad quæſtum collata eſt? Sed nolo omnia perſequi. Nota ſunt vaticinia, quæ præſertim concionantur de præſenti ætate Eccleſiæ, in qua futurum prædicunt, ut ſuperſtitione & avaritia cumulentur falſi cultus, & monent acceſſuras eſſe tyrannides & ambitionem. Cùm igitur negari non poſſit multos non leves morbos hærere in Eccleſia, cur iraſcuntur potentes iis, qui initiò pio ſtudio meliora & quæſiverunt, & pleraque monſtraverunt? Dedit Deus imperia potentibus, ſed vult etiam locum eſſe ſuo Filio, vult hunc quoque regnare. Nec poſſunt pii doctores ocio potentum ſemper parcere. Sed tamen videtint, ut vera, recta & neceſſaria Eccleſiæ doceant. In hanc curam incubuiſſe aliquos ex noſtris. Deus teſtis erit. Et ſemper oſtendimus, nos non defugere vera Eccleſiæ judicia, nec unquam defugiemus. Sed iniquum eſt ea tantum colligere, quæ contra nos dici poſſunt, & diſſimulare alterius partis vicia. Ac propemodum ut in apologo, lupus queritur turbari aquam ab ove bibente ex inferiore fluminis parte: ita adverſarii obliti ſua vicia, nos tantùm accuſant, quos ſciunt ſemper expetiviſſe pacem atque ocium, &

A propter Rempub. & propter privatas difficultates. Interea cum nulla ſit hactenus inſtituta legitima dijudicatio, multa vera dogmata & Eccleſiæ neceſſaria opprimuntur, ſtabiliuntur vicioſi cultus, trucidantur ſacerdotes, paſſim fit Eccleſiarum vaſtitas. Hæc etiam agnoſcant adverſarii emendanda eſſe, nec tantùm in nos cenſuram agant. Nec nos noſtra vicia vel errata defendemus, ſed in hoc ipſo colloquio libenter emendabimus, admoniti veris & rectis judiciis, ſicubi, ut ſunt humana, lapſi ſu- B mus. Nunquàm certè voluimus ab Eccleſia *Chriſti* diſſentire, etſi fatemur nos quædam injuſta decreta Pontificia non probare. Cumque profiteatur Pontifex ipſe ſe hoſtem eſſe noſtrarum Eccleſiarum, non poſſumus eum facere Judicem, nec tribuere ejus Legatis autoritatem gubernandi hujus colloquii aut ſimilium Synodorum, etſi nos quidem facilè patiemur intereſſe quoſcunque. Atque utinam exaudiri noſtra explicatio à bonis viris ubique gentium poſſet. Excuſavi hactenus Docto- C res & Eccleſias amplexas doctrinæ genus, quod noſtra Confeſſio continet De Principibus & civitatibus eſt brevis reſponſio. Cum ideò accuſantur, quòd hoſpitium præbent ſacerdotibus & piæ doctrinæ, quid reprehenduntur, niſi quoddam pium officium, de quo *Chriſtus* in extremo judicio concionaturus eſt: *Eſurivi & paviſtis me*? Quid facerent magiſtratus? An trucidarent & tollerent ſacerdotes, aut pudicas & pias matronas eorum conjuges, cum parvis liberis extorres agerent? Cùm omnis D injuſta aſperitas deteſtanda eſt, tùm maximè ea quæ in ſacerdotes, honeſtas matronas & pueros exercetur. Et nondum ulla facta eſt legitima dijudicatio. Quare non ſunt accuſandi noſtri magiſtratus, quòd duriores eſſe in ſacerdotes noluerunt. Hæc præcipua laus eſt politiarum, præbere hoſpitium piæ doctrinæ. Hæc breviter reſpondimus ad diluenda crimina nobis objecta, ac ſumma reverentia obteſtamur omnes bonos viros, ut boni conſulant hanc noſtram purgationem, quam niſi E arbitrati eſſemus neceſſariam eſſe, intermittere maluiſſemus, ac rurſus petimus, ut quærantur vera remedia publicarum diſcordiarum. Nos quoque pollicemur non defuturas eſſe noſtras voluntates piis conſiliis concordiæ inſtituendæ.

Epiſtola ad Lectorem, de Colloquio Wormacienſi, 1540. S. D.

RENovat mihi colloquii *Wormacienſis* recordatio acerbum luctum & verum dolorem, *Epiſt. 68.* F quem cepi ex interitu duorum, quorum ibi recens conſuetudo mihi dulciſſima fuit, D. *Capitonis* videlicet & *Simonis Grynæi*, qui cùm ambo propter excellentem eruditionem, virtutem, & pietatem magno ornamento Eccleſiæ *Chriſti* fuerint, publica jactura & agnoſcenda & deploranda eſt. Nihil enim dicam hoc loco de privata noſtra amicitia, quâ fruemur aliquantò pòſt multò ſuavius, cùm unà cum *Chriſto*, Prophetis & Apoſtolis converſabimur. *Grynæus* cùm videret magnum decus eſſe G Eccleſiæ eruditionem, magno labore accendere omnium honeſtarum artium ſtudia conabatur, optimos autores veteres edebat ac enarrabat. Erat ingenium capax omniū bonarum artium, ſed hæc major laus eſt, quòd non faſtidiit doctrinam Eccleſiæ, ſed ſemper ad philoſophica ſtudia lectionem adjunxit Prophetarum & Apoſtolorum. *Capito* Eccleſiam & voce & perpetuis monumentis erudiit.

Sed ut de *Wormacienſibus* congreſſibus dicam. Eramus eò miſſi ut amanter & placidè, ſed tamen, ſicut præſertim in Eccleſia decet, publicè de controverſiis inquiſitâ veritate dirimendis conferremus. Ac ſperabamus adfuturos gubernatores colloquii & βραβευτὰς, non mutos, ſed qui contentionem moderarentur, & eligerent ſententias veras ac concordiæ utiles. Sed dum adverſarii defugiunt publicam collationem, & inter ſe aliquot inſulſos & flexiloquos articulos componunt, nobis poſtea obtrudendos, nos ocioſi ferè quotidiè conveniebamus omnes, ac de ſingulis controverſiis ſummo candore acerrimè diſſerebamus. Ibi memini multa ſingulorum piè dicta, quæ à multis in commentarios relata ſunt. Sed ut cætera omittam: Ventum erat ad controverſiam de autoritate Epiſcoporum & legibus, quæ in Eccleſia humana autoritate conditæ ſunt. Ibi cùm mentio fieret decreti Apoſtolici, quod eſt in *Actis capite* 15. audiebamus & D. *Andream Oſiandrum* & D. *Capitonem* hiſtorica quædam recitantes ex *Judæorum* monumentis, quæ, quia nonnihil lucis addunt decreto Apoſtolico, duxi hic commemoranda eſſe. Scio prudentibus omnibus hiſtorica grata eſſe. Et narratio illa continet exemplum plenum eruditionis, ortum haud dubiè à ſummis Prophetis; Itaq; magno me munere judicabam ab utroque ab *Oſiandro* & à *Capitone* donari, cùm veterem illum ritum nobis ignotum exponerent, dicebant enim *Judæos* veteres florente adhuc eorum politiâ, ſi quando vicinam aliquam civitatem Ethnicam bello ceperant, aut fœdere ſibi adjunxerant, non ſolitos imponere victis Legem *Moſaicam*, aut circumciſionem; ſed tantùm hæc in conditionibus pacis, ſeu formula fœderis præcipere, ut deletis Idolis, unum ac verum Deum conditorem omnium rerum, qui ſe patefecit in verbo dato populo *Iſrael* colerent; deinde, quia ethnici ſcortationem non ſolebant prohibere, & nimium laxarent frenum vagæ libidini, addebatur hoc, ut prohiberent ſcortationem. Addebantur & reliqua capita, quæ in decreto Apoſtolico recenſentur, nè rebus immolatis idolo, nè ſanguine & ſuffocatis veſcerentur. Nec obſcura eſt ratio de immolatis, noluerunt enim, pios ad convivia & pompas feſtis diebus eorum, qui idola colebant, accedere, nè ſocietate ſuâ confirmarent impia ſacrificia, quæ tunc fiebant. De ſanguine & ſuffocato ſumptum eſt præceptum ex hiſtoria *Noha*. Nam hunc ritum vetuſtiorē *Moiſe* tradi vicinis *Judæi* victores voluerunt, ut eſſet monumentum ſeveriſſimi præcepti, quod Deus *Noha* commendavit, de privata cæde. Ergo etiam veteres gubernatores populi *Judaici* intellexerunt ceremonias *Moſaicas* ad ſuam tantùm politiam pertinere, nec eſſe juſtitiam, promiſſionem verè ſalutis pertinere etiam ad Gentes, & has ita placere Deo & juſtas eſſe, ſi verum Deum, qui promiſerat Semen, in quo benedicendæ eſſent omnes Gentes, agnoſcerent, & fide invocarent, & in moribus his legibus obtemperarent, quas omnium hominum mentibus Deus impreſſit. Quare Apoſtoli, quod proprium erat muneris ipſorum, initiò pronunciârunt de ceremoniarum abrogatione, & *Judæos* ac *Gentes* hoc onere levaverunt. Deinde præcepta de idolis & de ſcortatione adjici neceſſe fuit, ut facilè intelligi poteſt, quæ cùm eſſent addenda, uſi ſunt formulâ uſitatâ veterum gubernatorum ejus populi, à qua minus ab-

A horrebant vicini. Hæc ſi quis expendet, intelliget longè diſcrepare exemplum Apoſtolorum, à conſilio Epiſcoporum, qui poſtea a ſe excogitatas ceremonias, cœlibatum, & ciborum diſcrimina, & quidem tanquam cultus Eccleſiæ impoſuerunt. Hæc hiſtoriola oſtendit hanc partem in decreto, nec novam nec ingratam fuiſſe vicinis. Hæc ut recenſerem, admonitus ſum recordatione *Capitonis*, cujus memoria ſtudioſis commendanda eſt, ut talis viri mores, pietatem, & ſtudia imiten-

B tur. Nec profectò quicquam habeo, quod de eo conventu relatu dignius judico. Nam publicæ tridui declamationes, veriùs quàm diſputationes, quales fuerint, lector ex hac editione cognoſcet. Fortaſſe prodeſt extare ἀλαζονείαν *Eccianam* eò, ut boni & graves palàm videant, Sophiſtas illos nec candorem nec ſtudium veritatis ad has tantas deliberationes adferre. Audivi *Eccium* glorioſè jactitantem, poſſe ſe utranque partem tueri. Putat de laude ingenii certari, non quæ-

C rit veritatem, non ſtudet conſulere Eccleſiæ; denique, in hac cauſa deploranda erat omnium lacrymis humani generis miſeria, quòd propter malum originis, hæc præſtans natura, primùm horribili irâ Dei, deinde ingenti mole calamitatum hujus vitæ, & morte ipſâ oppreſſa eſt. Præterea, imagine Dei in nobis deformatâ, nunc in tenebris & contumacia perpetua contra legem Dei verſatur. Hoc tantum malum iſti *Epicurei* extenuant. Sed hæc relinquo cogitanda pio le-

D ctori, cùm conferet utriuſque conciones. Non arbitror autem quenquam pium adeò lentum eſſe, καὶ ἄχολον, ut ſine fremitu *Eccii* Sophiſmata & ineptas verborum præſtigias legere poſſit. Ludit vocabulis *criminis*, *culpæ*, *peccati capitalis*, convertit teſtimonia, quæ ſcit nihil contra nos facere, denique *Socraticus* diſputator eſt, perpetuò ſuam ſententiam occultat, tantùm hoc agit, ut oppugnet adverſarium. Ingenuè dicam quod ſentio, Sæpè mihi & ſtomachum & bilem hæ inſi-

E dioſæ tergiverſationes, captiones [illegible] moverunt, quæ *Phormionem* aut *Pſeudolum* in Comœdiis, non Theologum in explicatione doctrinæ decent. Hæc eò commemoro, ut cogitent ſtudioſi, quantum ſit periculi cum his Sycophantis congredi, ſeque ad ſimilia certamina majore curâ præparent, ac primùm quidem vera & ſalutaria Eccleſiæ dicere ſtudeant, deinde luceat in oratione, tanquam in vultu ingenuitas dicentis, ſitque propria & ſimplex orationis for-

F ma, qualis *Apelleis* eſt color in tabulis. Hæc ut efficiam, conniti me non exiguâ animi contentione multi nôrunt. *Eccii* verò voluntatem longè aliam in hoc ipſo congreſſu fuiſſe, ipſius declamationes oſtendunt, qui de induſtria quædam involvit, deinde apertè falſa & impia attexit. Nam in poſtrema peroratione, cùm multa inſulſa cumulâſſet, quæ indigna erant reſponſione, tandem *Stentoreâ* voce clamitans, confirmabat vulgatam ſui gregis opinionem, quæ agentes pœ-

G nitentiam jubet dubitare, an Deo reconcilientur, jubet hos invocantes Deum dubitare an placeant, an Deus eorum preces accipiat, ac detorquebat eò dictum *Salomonis*: *Neſcit homo an amore vel odio dignus ſit*. Illi verò Doctores odio digni ſunt, qui *Salomonis* dicto affingunt ethnicam ſententiam. Sic *Epicurei* aut *Pyrrhonii* loquuntur, odium & amorem Dei incertum eſſe. Eſt nè incertum

diſplicere

diſplicere Deo *Neronem*? Sic in Eccleſia loqui fu- A
ror eſt, in qua & conſcius ſibi ſceleris expaveſcere
iram Dei debet, & agens pœnitentiam certò ſta-
tuere ſe in gratiam recipi & exandiri propter Fi-
lium Dei. Extat vox Euangelii, quæ eſt promiſſio
condonationis.. Additum eſt jusjurandum: *Vivo
ego, inquit Deus, nolo mortem peccatoris.* Extat
mandatum ut promiſſiooi credamus. Et nomina-
tim fides toties poſtulatur. Hæc omnia ſimul ob-
ruit & delet opinio *Ecciana*, quæ jubet dubitare.
Quid dicat & velit *Salomon* non eſt obſcurum, B
modò dextrè accipiatur ejus dictum. De variis
eventibus in hac vita diſſerit, ut doceat nos nec
efferri blandienre fortunâ, nec frangi animis in
rebus adverſis, ac de voluntate Dei non ex his
eventibus, ſed ex aliis teſtimoniis judicare. Erudi-
tiſſimum & plenum pietatis præceptum eſt, ſed ac-
cidit *Salomoni* idem quod ille dicebat: dextrâ ſe
præcepta tradere, ſed quoſdam auditores ſiniſtrâ
accipere. Hæc eò recito, ut qui legent has [illegible]*cii* pa-
gellas, admoniti citiùs deprehendant errorem, ac C
ſimul deplorent Eccleſiæ tenebras, in qua tales
Pyrrhonia ſententiæ ab adverſariis noſtris defen-
duntur & confirmantur, quæ Filium Dei manife-
ſtâ contumeliâ adficiunt. Cogitent etiam omnes
pios & ex animo debere execrari tam abſurdos
errores, & quærere melius doctrinæ genus. Hoc
ſtudium etiamſi in odio eſt, tamen & Deo, & Ec-
cleſiæ, & nobis ipſis debemus. Scio fruſtra hæc
dici iis, qui religiones judicant fabuloſas eſſe, &
Eccleſiæ certamina tanquam facem diſſidiorum D
publicorum execrantur. Et hac ultimâ ætate
mundi videmus hanc cyclopicam Philoſophiam
latè vagari, & multos habere adplauſores. Sed ut
Maccabaeorum tempore non deleta eſt Eccleſia
funditùs, ita ſcimus & nunc, quanquam atrociter
graſſantibus *Turcis* & domeſticis hoſtibus, reli-
quias Eccleſiæ Deum ſervaturum eſſe, apud quas
has pias cohortationes de puritate Euangelii in-
quirenda & propaganda valere ſperamus. Erat ex-
igua Eccleſia cum Filius Dei penderet in cruce, & E
ſubitæ tenebræ medio die cœlum ac terras iovol-
verent; Nec tamen funditus deleta eſt. Sed jam
& Latro & Centurio agnoſcunt & prædicant
Chriſtum. Ita nos in hac mundi ſenecta, cum pro-
pter ἰδωλομανίας & alia ſcelera mundum oppreſſit
ira Dei, tamen clamore noſtro adverſus [illegible] lau-
des Dei & Filii ejus *Jeſu Chriſti* ſonemus. Iraſca-
mur *Epicureis* ſapientibus, qui derident nomen
Dei: dimicemus cum *Turcis*, qui Filio Dei maledi-
cunt: refutemus impios ſacrificulos & Monachos, F
qui Idola colunt, nec tribuunt Filio Dei. juſtos
honores, non agnoſcunt eſſe Mediatorem, non vo-
lunt eum fide invocari. Magnum & multiplex
bellum jam Eccleſia Dei gerit. Sed ſcriptum eſt de
hoc tempore: *Tunc ſtabit pro filiis populi ſui Dux
magnus, qui eſt Filius Dei Victor & Triumphator.*
Huic nos piis & ardentibus votis commendemus,
& ab eo auxilium & ſalutem perpetuam expecte-
mus. Ego hac me conſolatione & aliàs ſæpè, &
adhuc ſuſtento, *Quod ex Deo eſt, non delebitur.* Nec G
verò dubito divinitùs patefactum eſſe genus do-
ctrinæ, quod fulget in noſtris Eccleſiis; Nec ſum
adeo ferreus, ut ſolus non adficiar, vel publi-
cis *Germania* periculis, cui jam adverſus exter-
num hoſtem conſenſu Principum opus eſt, vel
domeſticis vulneribus noſtrarum Eccleſiarum,
quæ regi melius tranquillis temporibus poſſent;
nam diſcordia etiam in parte ſaniore diſcipli-
nam impedit. Hæret autem diſcordia in republi-
ca adverſariorum culpâ, quorum duritie aſperrimos
a-
ſperrimos ſcopulos. & *Caucaſi* rupes vincit. Ne-
gant enim pacem fore, niſi oppreſſerint verita-
tem. Noſtras verò ſententias fuiſſe moderatas,
acta publica ad omnem poſteritatem teſtabun-
tur: toties flagitavimus veram dijudicationem;
toties ipſe ſupplex oravi Potentes, ut ſaluti Ec-
cleſiæ conſulerent; ſed planè viſus ſum, ut in *Græ-
co* verſu, ut Navis quaſſata procellis ſupplicare
ſcopulis. Quare Eccleſias noſtras Deo commen-
demus, & noſtrum officium bonâ conſcientiâ fa-
ciamus, ac precemur Deum, ut & Principum
mentes gubernet, qui utrumque curare debent,
ut & de Deo ac Filio ejus *Jeſu Chriſto*, rectè do-
ceantur homines, & armis Patria adverſus bar-
barum hoſtem defendatur, qui ſævitiam ſuam
non tantùm in vulgus exercet, ſed multo crude-
lius in ipſos Principes. Neque tamen ſinet Deus
hac barbarie deleri funditùs Eccleſias, nec quin-
ta Monarchia futura eſt. Bene vale.

Epiſtola ad Lectorem de Ratisbonenſibus actionibus, Anno 1541. S. D.

Etſi non prorſus novi, quibus conſiliis inſti- *Epiſt. 69.*
tutæ ſint actiones *Ratisbonenſes*, tamen &
moderatio Invictiſſimi Imperatoris *Caroli* Au-
guſti grata Eccleſiis & bonis omnibus eſſe debet,
& exemplum memoriâ digniſſimum eſt, ac ad
omnem poſteritatem pertinet. Conſtat enim non
paucas eſſe *Erinnyas*, quæ civile bellum accendere,
delere Eccleſias noſtras, trucidare *Chriſti* mem-
bra & pios Euangelii miniſtros, extinguere li-
terarum ſtudia, barbariem & vaſtitatem in pa-
tria efficere conantur. Hos impetus cum repri-
mat Imperator *Carolus*, agnoſcendum eſt Dei be-
neficium, qui ejus animum ad mitia conſilia fle-
ctit; & ipſi Imperatori habenda eſt gratia, quòd
ſuæ potiùs bonitati, quàm alienis odiis, morem
gerit, quòd vetat arma inferri Patriæ & Eccle-
ſiis, denique quòd de his controverſiis Eccleſia-
ſtico more deliberationes inſtituit. Hæc modera-
tio cùm in præſentia ſalutaris eſt, cùm verò mag-
nis Principibus ad poſteritatem exemplo erit, ut
motis controverſijs, inquirant fontes, audiant bo-
norum & moderatorum judicia, non ſtatim ob-
temperent Pontificum iracundiæ, qui dimicant
non de Euangelio Filii Dei, non de ſalute Ec-
cleſiarum, ſed de ſua potentia, de ſuis opibus &
ſua tranquillitate. Moderatè Imperator & hoc
fecit, quòd cum librum propoſuiſſet, qui videre-
tur ad concordiam iter monſtrare, tamen æquam
conditionem adjecit, ut liberum eſſet dicere quod
quiſque ſentiret, eáque quæ in libro deſideraret,
bonâ conſcientiâ indicare. Præclarè *Ambroſius*,
inquiens, ad *Theodoſium* Imperatorem: *Nihil
tam in Imperatore amabile eſſe, quàm ſi liberta-
tem dicendæ ſententiæ concedat; & hoc inter bonos
& malos Principes diſcrimen eſſe, quod boni liber-
tatem ament, ſervitutem improbi.* Addit idem, *Ni-
hil tam in Sacerdote turpe eſſe, quàm non dicere quod
ſentiat.*

Contulimus igitur inter nos de libro, non ſo-
lùm placidè, ſed etiam ingenuè. Et ad ingenuita-
tem candor pertinet. Autor libri ita attempera-
verat ſcriptum ad judicia Pontificiæ partis, ut ſi

quid nobis largiebatur, obſcurè id ſignificaret, quædam verò palam eripiebat, quædam etiam involvit ambiguis ſententiis velut ænigmatibus. Quanquam igitur quædam in materiis utilibus, de quibus noſtræ Eccleſiæ neceſſariò pugnant, breviùs, aut obſcuriùs dicta erant, quàm opus erat, tamen in judicando candorem adhibui, pleraque præterii, ut aditus ad concordiam fieret. Sed cum poſtea graviter nos lædi in quibuſdam libri partibus in loco *De Eccleſia, De humanis cultibus, De applicatione Cœnæ Domini*, & aliis quibuſdam animadvertiſſem, cœpi, ut dicam quod ſentio, metuere inſidias. Et manifeſtas ineptias adverſarii adeò duriter defendebant, non ut veritas quæri ab ipſis, ſed noſtræ ſententiæ palinodia videretur. De me dicam, nec reprehenſionem ſeu ſtultitiæ ſeu ineptæ moroſitatis metuo, incandui & ipſe, & labefactare quædam abſurda cœpi, de quibus articuli ſequentes exhibiti ſunt, communi judicio trium, qui eramus delecti ex noſtra parte.

Videram pingi Eccleſiam velut regnum politicum. Et erant in deſcriptionibus quædam, quæ quanquam fremens, præteribam tamen. Cùm ventum eſſet ad locum de poteſtate interpretandæ ſcripturæ, vidi quæ fundamenta jacerentur ſtabiliendorum maximorum errorum. Tria enim complectitur articulus. Primùm humano more conſtituit in Eccleſia poteſtatem interpretationis, propemodum ut de prætoria poteſtate interpretandarum legum Juriſconſulti loquuntur: deinde addit amplius, non licere privatis, non paucioribus reprehendere judicia majoris partis, ſeu diſſentire à ſuffragiis plurimorum. Hinc efficit poſtremò majorum Synodorum ſententiis & decretis parendum eſſe. Inde etiam contendebat *Eccius*, Synodos quæ vocantur legitimæ, non poſſe errare. Semper ita accidit, ut de Eccleſia homines politici cogitantes, imaginem conceperint humanæ politiæ, ſeu Regni. In Regno poteſtas eſt interpretandæ legis, ſeu regia, ſeu prætoria, quæ tribuitur certis perſonis, quæ funguntur publicis muneribus, hoc eſt, vel Principi ipſi, vel præcipuæ Judicum curiæ. Et huic interpretationi obtemperandum eſt propter autoritatem magiſtratûs; valent enim magiſtratuum leges ac ſententiæ, partim propter probabilem rationem, partem propter autoritatem, quam Deus attribuit ordini, Vult inferiores horum judicia, modò non ſint abſurda, privatis judiciis anteferre. In Eccleſia longè alia res eſt. Deponamus pauliſper illam imaginem humanæ politiæ, & cogitemus cœtum diſperſum, qui verè Deum invocat, gubernatur à Spiritu ſancto, circumfert puram Euangelii doctrinam, & inter pericula admirandis Dei operibus defenditur. In hoc cœtu non poteſtas eſt alligata certis perſonis aut certæ multitudini, ſed donum eſt aliquorum piorum, id eſt, lumen divinum, quo intelligunt ſapientiam in Euangelio traditam, quæ eſt ſupra rationis humanæ judicium poſita. Ac ingens intervallum eſt inter donum, & illam prætoriam poteſtatem, quæ Epiſcopis aut Synodis tribuitur. Porrò ſæpè accidit in inſtauratione Eccleſiæ, ut unus aut pauci privati renovârint doctrinam, & reprehenderint falſas perſuaſiones Pontificum, & reliquæ multitudinis, quæ dominabatur, ut *Elias, Eſaias, Jeremias, Johannes Baptiſta*, ab ordinaria poteſtate, & à multitudine diſſenſerunt. Et quidem mandatum Dei de confeſſione doctrinæ cogit ſingulos rectè ſentientes teſtari quod ſentiunt, & ubi vocatio requirit contradicere multitudini, & gubernatoribus errantibus.

Sed liber longè aliter pingebat Eccleſiæ politiam. Nec aliud erat comprobare hanc formam, niſi traducere equum *Trojanum* in mœnia. Primùm enim errores quidam non leves recentium Synodorum ſtabiliti eſſent, ſi autoritas eis tribueretur ἀνυπευθύνως, eamque ob cauſam fatebatur *Eccius*, ſe autoritatem Synodorum propugnare, ut articuli ſequentes, de quibus ſunt controverſiæ, ſine certamine obtineri poſſent. Deinde & hoc aſtutè agebatur, ſi adſenſi eſſemus, non licere privatis aut paucioribus diſſentire à ſuperioribus ac pluribus, jam noſtrâ voce & noſtris ſuffragiis nos ipſos condemnâſſemus. Cur enim *Lutherus* unus errores Pontificum & ſcholarum attingere auſus eſt? cur noſtræ Eccleſiæ eum ſequuntur, ac non potiùs tot ſeculorum, Pontificum & ſcholarum conſenſum? Poſtremò, pertinebat hoc præjudicium ad externas nationes, & ad poſteritatem, quæ jure levitatem noſtram reprehenſura fuiſſet, ſi tantâ tyrannide armâſſemus Pontifices. Quanquam igitur video tempora domeſticam pacem flagitare, & naturâ minus ſum pugnax quàm opus eſt, tamen cum non agam privatam cauſam, ſed publicam Eccleſiæ, quid facerem? Ego verò nè quidem in tauro *Phalaridis* adſentiendum eſſe duco. Hæc eò commemoro, nè quis petulantiæ aut contumaciæ tribuat, quòd repugnavi, etſi id verecundè feci. Et vident me hæc non tragicè narrare, qui ſciunt, quàm artificioſè res inſtructa fuerit. Nec propterea veteribus & probatis Synodis autoritatem detrahimus. Semper enim conſtanter defendimus *Nicenum Symbolum*, quia & Apoſtolicæ ſcripturæ firma teſtimonia habet, & perſpicuè ſuffragantur vetuſtiores ſcriptores, qui teſtes ſunt primæ ſententiæ in Eccleſia.

Secutum eſt certamen de abjectione panis in Cœna Domini, ſeu ut novo ipſorum vocabulo utamur, quod verè eſt ἀρτολατρεία, de tranſubſtantiatione. Hic error confirmat falſas perſuaſiones de oblatione, inanem fiduciam & adorationem ſpectantium panem in pompis theatricis, extra uſum inſtitutum. Et tota Eccleſia veris gemitibus optare debet, ut tandem *Elias* aliquis hanc horribilem Sacramenti profanationem aboleat. Sæpè mihi cogitanti de *Turcica* tyrannide, & tantis ſucceſſibus impiæ & obſcœnæ gentis, venit in mentem temporum. Decretum de illa panis abjectione factum eſt in magna *Europa* perturbatione, Anno poſt *Chriſti* natalem milleſimo trigeſimo decimo quinto. Eo ipſo tempore in *Aſia* dominari hæc *Othomannorum* familia cœpit, ac propemodum initia monent, hanc *Turcicam* rabiem ac crudelitatem, peculiarem pœnam eſſe multiplicium delictorum, quæ decretum illud peperit, quod nervus eſt oblationis, quæſtus Miſſarum, & opulentiæ ac luxus ſacerdotum. Præcedebat Reges *Perſicos* equus gerens parvam aram, in qua erant cineres & flammula ſacri ignis, quem ceu numen colebant & adorabant *Perſæ*, ut igitur Rex videretur auguſtior, & unà cum ſuo numine adoraretur, cum hac pompa prodibat in publicum. Ita nunc Pontifices *Romanos* antecedit equus gerens panem conſecratum, qui ibi vicioſè adoratur. Sed hæc aliàs copioſiùs.

copioſiùs. Nunc breviter recenſeo, nos illam *ἀρτολατρείαν*, de panis abjectione, & profanationem Sacramenti inde ortam, non voluiſſe confirmare.

De Pœnitentia, quales labyrinthi, quæ tenebræ ſint in quæſtionibus Monachorum, quarum Ethnicarum ſuperſtitionum adhuc ſit in ſatisfactionibus multarum gentium, conſtat. Cùm verò depulſa illa caligine Deus reddiderit noſtris Eccleſiis Euangelii lucem, noluimus recipere novas corruptelas rerum rectè traditarum, ut facilè judicabit Lector, collatis noſtris & libri ſententiis.

Sed ut in acie duces arte diſtribuunt copias, ita materiæ libri ſingulari conſilio variè diſpoſitæ ſunt. In titulo *De Eccleſia* liber horribiliter execratur eos qui deſerunt Eccleſiam. Et hanc deſcribit quibuſdam verborum involucris, ut non ſtatim adpareat, quid moliatur. His fundamentis jactis, quæ ſunt ſpecioſa, poſt longum intervallum imponit illam ſuam *ἱεραρχίαν*, id eſt, Regnum Pontificium. Hic primum oſtendit, quid vocet Eccleſiam. Alligat enim eam ad ordinariam ſucceſſionem Epiſcoporum, & ad leges eorum. Ait eſſe *cœtum, in quo unus ſit Monarcha Romanus antiſtes, dans poteſtatem docendi & adminiſtrandi Sacramenta cæteris per gradus*, hoc eſt, *Epiſcopis, & deinde inferioribus Sacerdotibus, & condens leges*, ut liber loquitur, *ad excitandam pietatem, & fulciendam fidem*. Et addit, *vinculum dilectionis à Paulo vocari obedientiam præſtandam Epiſcopis ordinariâ ſucceſſione regnantibus, & eorum legibus*. Negat eſſe Eccleſiam, cœtum non obtemperantem huic Monarchæ, & cæteris ordinariâ ſucceſſione regnantibus, negat eſſe miniſterium Euangelii & remiſſionis peccatorum, ſine autoritate talium Epiſcoporum ordinariâ ſucceſſione regnantium. Hæc eſt *ἱεραρχία*, quam pingit, & faſtigium Eccleſiæ, quam extruit: Et ut *Virgilii* verbis utar,

Hic labor ille domus, & inextricabilis error.

In hanc *Dædaleam* domum introducere nos, quid erat aliud, quam poſtulare confirmationem errorum Pontificiorum, & condemnationem noſtrarum Eccleſiarum, in quibus cum luceat vera doctrina Euangelii, certum eſt eas extructas eſſe ſuper lapidem angularem, Filium Dei, &, ut *Paulus* loquitur, *ſupra fundamentum Apoſtolorum*, & eſſe Eccleſiam Dei, in qua Deus pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* verè invocatur, & perpetuò celebrabitur; Quæ eſſet impietas, condemnare has Eccleſias?

Removeantur illæ humanarum politiarum imagines. Regna alligata ſunt ad ordinariam ſucceſſionem, ut *Cambyſi* obeditur tanquam legitimo ſucceſſori patris *Cyri*, etſi filius diſſimilis eſt patri. In Eccleſia alia res eſt. Hæc regitur luce Euangelii, quod cum non retinetur in ordinaria ſucceſſione, ubicunque fulget ibi amplectendum & ſequendum eſt, ut *Chriſtus* ait, *Oves meæ vocem meam audiunt*. Deinde in illa *Dædalea* domo tribuitur poteſtas Epiſcopis condendi leges, proponuntur Legum tabulæ de Cœlibatu miniſtrorum, de Votis, de Miſſarum applicatione, de invocandis mortuis, de cæteris ſuperſtitioſis ceremoniis. His qui obtemperat, ducitur eſſe civis hujus Eccleſiæ, cæteros liber execratur, & detrahit eis miniſterium Euangelii & remiſſionis peccatorum. Nolo in hoc ſcripto indulgere meo dolori, qui qui-

A dem à multis bonis viris, ipſis etiam architectis hujus ædificii, conſpectus eſt. Quo enim eſſe animo debebam, cum viderem ſtabiliri veteres errores, & nobiſcum minimè eo candore agi, quem pios præſtare decet? Habeant ſibi ſuam *Dædaleam* domum, regna, injuſtas leges, ſuperſtitioſos cultus *ἐθελοθρησκείας*, aucupia pecuniæ, luxum. Quid attinet à nobis petere earum rerum adprobationem?

Etſi autem toties jam audimus & legimus multorum orationes ſpecioſe & plauſibiliter concio-
B nantes de ordine, de vinculis bonæ gubernationis & diſciplinæ, & colligentes incommoda quæ ſequuntur; ſi leges Epiſcoporum negligantur, ſi non coërceant Epiſcopi judiciis & pœnis Eccleſiaſticis hominum petulantiam; tamen honeſtiſſimè ſemper & graviſſimè, & eodem modo reſpondimus, non belligerari nos cum Eccleſiaſtica politia. Sed cum Epiſcopi ſinceram Euangelii doctrinam improbent, cum interficiant noſtros Sacerdotes, homines pios & eruditos, neceſſe eſt nos regulæ *Pau-*
C *lina* obtemperare, *Si quis aliud Euangelium docet, anathema ſit*. Deinde quid de judiciis & moribus nunc declamitant? Quas Synodos habent tot jam ſeculis de doctrina? Quando concedunt piis & doctis libertatem dicendæ ſententiæ? Quæ judicia exercent de moribus? Quales ſunt in collegiis mores Canonicorum? Cur ibi ſilent ipſorum leges & judicia? Sed illæ magnificæ conciones, de ordine & de diſciplina ſunt, ut vocat *Thucydides*, *σχῆμα πολιτικὸν τῶ λόγω*, hoc eſt, honeſti prætextus pravo-
D rum conſiliorum. Non enim de vera autoritate Epiſcoporum, hoc eſt, de miniſterii dignitate, & de cura retinendæ puritatis Euangelii, non de emendandis moribus, & diſciplina omnium ordinum, ſed de ſtabiliendis erroribus, & injuſtis legibus dimicant, quæ ſunt nervi potentiæ & opum. Memini multorum ſapientum ſermones de Eccleſiæ vulneribus, qui agnoſcebant doctrinæ fontes turbatos, & invectum à Monachis doctrinæ genus in Eccleſiam, partim ſumptum ex inerudita
E Philoſophia, partim ex Phariſaicis ſuperſtitionibus, deplorabant Liturgiæ vicia plurima, deteſtabantur & Regiam dominationem Epiſcoporum, & luxum collegiorum. Sed hæc mala potiùs toleranda eſſe dicebant, quàm faciendam *ἀναρχίαν*, quæ ſit omnium malorum extremum.

Scio hæc magnificè dici, & gratam eſſe hanc orationem Regibus. Sed hæc ſapientia nihil ad Eccleſiam pertinet, in qua neceſſe eſt taxari *εἰδωλομανίας*, vel ſi fractus illabatur orbis. Deinde er-
F rant illi de *ἀναρχίᾳ*. Nunc verè eſt in ipſorum Eccleſiis *ἀναρχία*. Titulus eſt ſplendidus, *ἱεραρχία* Eccleſiæ, in qua fingitur eſſe unus gubernator, qui cuſtos ſit doctrinæ, legum & morum; deinde attribuuntur Epiſcopi, velut ephori, nunquam ab hac ſpecula tuendi Euangelii dejicientes oculos. Hæc ita fieri optaremus, & ſi fierent jam illam *ἱεραρχίαν* ſeu politiam Eccleſiæ toto pectore veneraremur. Sed conſtat totam illam *ἱεραρχίαν* nunc quidem apud ipſos, inane nomen eſſe, revera eſt *ἀναρχία*.
G Dominari Pontifices, Epiſcopos, prælatos, tenere opes, dignitates, intereſſe Regum conſiliis, aut frui otio videmus. Sed hæc nihilo plus ad miniſterium Euangelii, cui ſervire debebant, pertinent, quam *Lycurgi* politia.

Noſtris literis magis ornata eſt miniſterii dignitas quàm ullis ſcriptis adverſariorum. Ideo maximè prohibemus *ἀναρχίαν*. Regnet in Eccleſia

vox *Chriſti*, præeant gregi paſtores, & miniſtri Euangelii induti juſtitia, ut *Pſalmus* loquitur, hoc eſt, doctrinâ, pietate, virtute, ſapientiâ antecellentes, & munere ſuo diligenter fungentes. In his rebus vera eſt dignitas. Tales Paſtores etiam Canonicam politiam, ut vocatur, facilè tuebuntur & ſapienter moderari poterunt, ita ut conſcientiis piis non injiciantur laquei, & tamen diſciplina retineatur. Illa verò vincula de ſucceſſione ordinaria non injiciant Eccleſiæ. Inde enim poſtea multa ſequuntur: hunc ordinem Epiſcoporum ἀναμάρτητον eſſe: ea quæ communi conſenſu probant aut conſtituunt hi qui titulum gerunt Epiſcoporum, amplectenda eſſe tanquam firma dogmata, & κυρίας δόξας Eccleſiæ. Denique hæc perſuaſio, præcipuum vallum eſt legum injuſtarum, & regiæ dominationis ipſorum. Ideo neceſſe fuit, nos de hoc circumſpectiùs reſpondere.

Reliqua eſt extrema pars, quæ invocationem mortuorum, & applicationes Cœnæ Domini non diſſimulanter confirmat, quam partem ſi quis noſtra ſuffragatione judicat comprobandam fuiſſe, is conſideret quantam εἰδωλομανίας toto orbe terrarum confirmaturi fuiſſemus. Magnum Eccleſiæ probrum eſt impurus cœlibatus ſacerdotum. Sed multò plus mali eſt in Invocatione mortuorum, & commentitiâ oblatione & applicatione Miſſarum, ut vocant. Nec dubito, quin præcipuè propter has εἰδωλομανίας Deus iratus tam crudeli & fœda Tyrannide *Turcica* Eccleſiam puniri ſinat. Nec ego nunc augere certamina volo. Scio hæc incommoda extenuari, mitigari, tegi, inflecti verbis. Non adeò ſum illiteratus, ut ignorem hæc in malis cauſis fieri ſolere. Hæc ſunt illa κοινὰ φάρμακα, & ut *Paulus* vocat πιθανολογίας, quæ ſemper inde uſque ab initio mundi, veritati tenebras offuderunt, & paulò pòſt rurſus offundent. Clamant opus eſſe concordia, pace. Agnoſco, & ſemper vota feci, ut rebus tantis verè judicatis, concordia conſtitueretur; dedi etiam operam, ut disertè explicatis ſententiis noſtris faciliùs coiret concordia, & fuiſſe meas ſententias moderatas puto multos teſtari poſſe. Sed nulla ſunt humana pericula tanta, propter quæ confirmari vicioſi cultus debeant; video quid diſſenſio noceat patriæ, & doleo eorum, qui communi animo defendere patriam debebant, voluntates diſtractas eſſe. Sed non minus doleo, conferri cauſam omnium calamitatum in hoc donum Dei, videlicet in Evangelii lucem, cum revera aliæ ſint odiorum cauſæ.

Hiſtoria Colloquii Wormaciæ inſtituti Anno 1557. S. D.

Epiſt. 70. ANno 1557. menſe Auguſto, poſtquam in urbem *Vangionum* venimus, antequam inchoarentur congreſſus cum Pontificiis; legati Principum noſtrorum vocaverunt concionatores miſſos ad doctrinæ explicationem, & juſſerunt paratos eſſe, cum à præſide ad congreſſum cum Pontificiis vocarentur, & hortati ſunt, ut perſpicuè & modeſtè doctrinam Eccleſiarum noſtrarum exponerent. Hac communi adhortatione propoſitâ, Legatus ducum *Saxoniæ* fratrum *Baſilius*, longam orationem habuit, cum multi poſt bellum doctrinæ corruptelas recepiſſent: Primùm rurſus conſtituendam eſſe concordiam inter noſtros congruentem ad Confeſſionem *Auguſtanam*, & articulos *Smalcaldicos*. Deinde *Sneppius* prodiit, dixit ſe mandata habere à ſuis Principibus, ut de articulis communi conſenſu condemnationes fiant.

Primùm, *damnandos eſſe Cinglianos.*

Secundò, *Oſiandri doctrinam.*

Tertiò, *Propoſitionem, quæ dicit, Bona opera neceſſaria eſſe ad ſalutem.*

Quartò, *Lapſum eorum, qui Adiaphora recepiſſent.*

Reſpondit *Philippus*, ſi condemnationes faciendæ eſſent, articulos ſcribendos eſſe, qui de tantis rebus explicatè dicant quid aſſeverandum, quid improbandum ſit. Nec in primo articulo *Cinglianos* damnandos eſſe, ſed etiam Pontificios, qui horribilia idola in Eccleſiam invexerunt, & adhuc ſtabiliunt in depravatione Sacramenti. De ſecundo articulo extare noſtra ſcripta, quibus perſpicuè refutatur *Oſiandri* doctrina. De tertio, non refragari ſe ipſis dixit, ſed tamen articulum ſcribendum eſſe, ut ſciatur, quæ forma loquendi retinenda ſit. Etſi enim placet omitti formulam, *Ad ſalutem*: tamen retinendas eſſe has propoſitiones, *Nova obedientia neceſſaria eſt eo ipſo, quia Creatori rationalis creatura debet obedientiam.* Item, *Clamores Antinomorum impios eſſe, qui vociferantur renatos retinere Spiritum ſanctum, & juſtos eſſe fide, etiamſi perſeverent in ſceleribus contra conſcientiam.* De quarto dixit, crimen falſi ab *Illyrico* commiſſum eſſe in editione ſcripti *Lipſici*, & ſe judicium præſentibus legatis de toto illo negotio permittere. Fateri ſe dediſſe conſilium, ne Eccleſiæ desererentur propter veſtem lineam, & feſtorum & lectionum ordinem. Sed alia multa affingere falſa *Illyricum*. Libenter etiam ſe abiturum eſſe dixit ab ipſorum congreſſibus, ſi fuerit rejectus à *Flacianis*.

Deinde dixit etiam, cum veniſſent ad faciendas condemnationes, articulos formatos fuiſſe adferendos, ut cæteri de eis deliberari poſſent. Addidit etiam nos paucos eſſe, & magnum periculum eſſe ſi nos pauci conderemus articulos, cum tanta ſit multorum rabies in reprehendendis aliis. Idem poſtea *Sneppius* dixit, nos paucos eſſe, nec ſine periculo articulos ſcribi poſſe.

Brentius plura de *Oſiandri* controverſia dixit, ſe de doctrina prorſus nobiſcum ſentire. Sed *Oſiandrum* à ſe non condemnari, quia aliter intelligeretur, quàm ſenſiſſet. His reſponſionibus auditis, Legati re deliberatâ reſponderunt: Quia miſſi eſſemus ad defenſionem Eccleſiarum noſtrarum adverſus Pontificios, nunc nos debere in communi cauſa conjunctos eſſe, nec faciendam eſſe diſtractionem. Illas igitur controverſias inter nos differendas eſſe ad Synodum noſtrorum. Idem Elector *Palatinus* ſcriptis literis ad omnes legatos petivit, ad quem tamen acceſſerant aliqui antea, ut eum contra nos incenderent. Hæc inter nos acta ſunt, antequam Præſes nos vocavit. Non multò poſt à Præſide vocati ſunt collocutores utriuſque partis. Hic rurſus mota eſt contentio de condemnationibus faciendis initiò congreſſuum. Petiverunt legati, ne initia communis colloquii hac re turbarent, quia poſtea in ſingulis articulis, & quidem rebus explicatis, liberum ſingulis futurum eſſet dicere ſuas ſententias, & addere condemnationes ut videretur. Poſt longam altercationem decurſum eſt eò, ut condemnationes iſti exhiberent legatis noſtrorum Principum.

Ita

Ita videri ſatisfactum mandatis, quæ haberent. A
Dictum etiam fuit Illuſtriſſimum Ducem *Iohannem Fridericum* hac exhibitione contentum eſſe.
Quia cum eo cæteri Principes ea de re locuti erant,
cum eſſet in vicinia. Exhibitæ ſunt igitur legatis
noſtrorum Principum illæ cōdemnationes. Deinde
ſimul ad colloquium cum Pontificiis acceſſimus,
& videbatur inter noſtros omnes dulcis concordia
eſſe. In publicis congreſſibus exordia erant placida.
Hortabatur nos Præſes, ut modeſtè conferremus
ſententias, & ad concordiam mentes & volun- B
tates flecteremus. Deinde promiſſio facta eſt, nè
diſputata ſpargerentur in publicum. Deinde, de
modo procedendi deliberatum eſt. Ibi nos propo-
ſuimus duas vias: Priorem, quæ inter doctos &
bonos utiliſſima & expeditiſſima eſſet, ut candidè
& placidè conferremus voce ſententias, & argu-
menta, & cum de aliqua materia inter nos conſti-
tutus eſſet conſenſus, mox articulus unicus de ea re
ſcriberetur; ubi non conveniret, duo articuli ſcri-
berentur. Ita Senatum Imperii facilè poſſe agno- C
ſcere de quibus rebus conſenſus eſſet, & de quibus
reliquæ eſſent controverſiæ. Hac viâ ſi non vel-
lent uti, ſed mallent certare ſcriptis, nos non gra-
vatim etiam ſcriptis acturos eſſe, etiamſi tale cer-
tamen futurum eſſet multò longius collatione,
quæ voce fieret. Placuit & Præſidi via prior. Sed
Pontificii contenderunt, ut ſcriptis certaretur.
Non recuſavimus & quidem beneficium nobis
tribui diximus. Ventum eſt igitur ad certaminis
initium, quod fuit ſplendidum & jucundum. Pri- D
ma diſputatio hæc fuit. Cùm neceſſe ſit in Eccleſia
judicia eſſe, oportere & normam judicii eſſe cer-
tam & non ambiguam. Hanc normam Pontificii
conſtituebant perpetuum Eccleſiæ conſenſum.
Nos in reſponſione primum repetivimus uſita-
tam hanc commemorationem. Nos amplecti
ſcripta Prophetica & Apoſtolica, & Symbola, &
ſentire eam doctrinam comprehenſam eſſe in
Confeſſione noſtra *Auguſta* exhibita *Carolo* V.
Imperatori Anno M.D.XXX. & ab ea Confeſſio- E
ne nos nec diſcedere, nec diſceſſuros eſſe, & rejice-
re omnes ſectas, & opiniones, pugnantes cum ea
Confeſſione. & nominatim *Anabaptiſticas*, Sacra-
mentorum depravatores, *Servetum*, *Stenckfeldium*,
& *Thammerum*. Rejicere etiam Synodi *Tridentinæ* decreta & Interim, denique omnes corrupte-
las cum confeſſione illa pugnantes. Affirmavimus
nos Dei beneficio & eſſe Eccleſiæ membra, et Deo
juvante, ſemper Eccleſiæ cives manſuros eſſe. De-
inde ad diſputationem acceſſimus. Sentimus nos F
quoque oportere in Eccleſia judicia eſſe. Sed non
admittimus judicem conſenſum illum, de quo ipſi
loquuntur, qui non eſt perpetuus, ſed eſt cōſuetudo
Pontificia, in qua multa contraria vetuſtati re-
cepta ſunt. Volumus autem normam eſſe judicii
ſcripta Prophetica & Apoſtolica, & Symbola. Illi
contrà contendebant cùm ſcripta Prophetica &
Apoſtolica ſint ambigua, anteferendum eſſe con-
ſenſum illum, tanquam interpretem non ambiguè
loquentem. Hic refutatio à nobis inſtituta eſt, & G
dictum de utraq; parte, de certitudine Prophetici
& Apoſtolici ſermonis. Deinde de hoc argumen-
to, perpetuus conſenſus ſit norma. Conſuetudo
Pontificia eſt perpetuus conſenſus. Igitur conſue-
tudo, quam ipſi nominabant perpetuum conſen-
ſum, ſit norma. Plura hic de minore diximus,
quia eſt magis perſpicuum ψεῦδος. Certum eſt

multas opiniones contra veterem doctrinam, &
multa decreta contraria veteri Eccleſiæ recepta
eſſe à Pontificiis. Manifeſtum eſt igitur, conſue-
tudinem Pontificiam non eſſe perpetuum conſen-
ſum. Decretum de cœlibatu, invocatio mortuorum
hominum, circumgeſtatio panis ſunt ignota ve-
tuſtati. Si veterem Eccleſiam ſequerentur, ſtatim
abolituros eſſe multos vicioſos cultus. Anteferen-
dam igitur normam certam, ſcilicet, ſcripta Pro-
phetica & Apoſtolica, & Symbola. Sicut & in
ſingulis piis fides nititur, non conſuetudine, aut
Synodorum decretis, ſed nititur verbo Dei, juxta
dictum: *Lucerna pedibus meis verbum tuum*. Idem
fiat & in dijudicatione doctrinarum. Cavillatio
de ambiguitate Deum contumeliâ afficit, quaſi
doctrina ab eo tradita ſit præſtigiatrix. Plerumq;
τὸ ῥητὸν expreſſè dicit, quid ſit ſentiendum. Sicubi
eſt obſcuritas, ſumitur ex collatione membro-
rum διάνοια firma & conſentiens Decalogo &
Symbolis. Nec nos aſpernamur veteres ſcriptores,
ſed dicimus, Eccleſiam audiendam eſſe ut doctri-
cem: Fidem verò niti verbo Dei, & conſiderare,
an Eccleſia docens retineat verbum Dei. Citatum
eſt etiam à nobis *Epiphanii* dictum: Τὰ θεῖα ῥήματα
οὐ πάντα δεῖται ἀλληγορίας, ἀλλὰ ὡς ἔχει, θεωρίας δὲ
δεῖται καὶ αἰσθήσεως εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστου ὑποθέσεως
δύναμιν. Denique manifeſtiſſimum eſt, anteferri
oportere dicta divina non ambigua & conſuetu-
dini & ſcriptis omnium hominum. Eſſe autem in
Monachorum doctrina & Pontificiis decretis
multa palam pugnantia cum dictis divinis, in
quibus nulla eſt ambiguitas. Cùm autem iniquum
ſit adverſarium conſtituere Judicem, nos eo ipſo
conſuetudinem Pontificiam nolle Judicem eſſe,
quia eam tanquam adverſariam præcipuè accu-
ſamus. Contrà, illi ad convicia delapſi ſunt, nos
arrogantes eſſe, quia anteferremus noſtras ſenten-
tias vetuſtati, & tamen inter nos quoque diſſen-
ſiones eſſe. Hæc fuit prima συμπλοκή. Poſtea in-
choata eſt diſputatio de peccato originis, ubi cum
manifeſtè abſurda dixiſſent, excogitatum eſt ab eis
conſilium abrumpendi colloquii. Ut apud *Xenophontem* quidam de *Lacedæmoniis* dixit, ſic cum eis
bellum gerendum eſſe, ut domi diſſipentur, ſicut
apes fumo facto ſub alveolis facilè & tuto diſſi-
pantur; Sic illi, etiamſi *Xenophontem* non legunt,
tamen hoc conſilium invenerunt, petunt fieri
tunc ſtatim multas condemnationes, *Cinglianorum*, *Oſiandri*, *Illyrici*. Reſpondi modeſtè, In his
materiis opus eſſe explicatione, & explicatione
factâ in ſingulis articulis, ordinè nos adituros eſſe
condemnationes, quia nudæ futuræ eſſent ambi-
guæ. Hac excuſatione rejectâ, illi non deſinunt
petere condemnationes. Hic collegæ noſtri, qui
antea condemnationes exhibuerant legatis no-
ſtrorum Principum, illas ipſas etiam volunt ad-
verſariis publicè recitari. Dehortantur eos noſtri.
Scripſeram tamen ego condemnationes, in quibus
expreſſè comprehenderam omnes iſtas, quas col-
legæ iſti proponi voluerant. Condemnaveram
etiam adiaphoriſtica, ut nominant, nè impediviſ-
ſe me meâ cauſâ dicerent, quæ flagitabant illi,
cui hæc proponebant, cùm tamen mendacia ab
Illyrico ſparſa de me & aliis præſtantibus viris,
quorum aliqui mortui ſunt, minimè agnoſcam;
Sed fateor hoc me conſilium dediſſe noſtris &
Francicis Eccleſiis, nè propter mutationem rituum
non impiorum ſuo genere, deſererent Eccleſias.
Malui

Malui enim banc plagam accipere pacis ſtudio, quanquam innocens, quàm videre defuiſſe publicæ cauſæ contra adverſarios, cum à mandatis, quæ adſerebant, ſibi diſcedere non licere toties quererentur. & teſtatus hoc eſſem antea, ac tunc quoque teſtarer. Sed *Brentius Oſiandrum* nominatim taxari noluit. Hic collegæ noſtri ſuas condemnationes adferunt ad Pontificios, quia noſtri eas publicè ab eis recitari noluerant, ac poſtea domum redeunt. Hac diſtractione factâ nolunt Pontificii collocutores procedere. Nos petimus ut procedatur. Interrogato Rege *Ferdinando*, mandata mittuntur, ut procedamus, & ſcribit Rex, ſatis eſſe, ſi ordinè in ſingulis articulis re explicatâ addamus condemnationes. Sed Pontificii collocutores, nè quidem jubente Rege, & hortante Præſide procedere voluerunt. Nos oppoſitâ proteſtatione confeſſionem repetivimus, ut conſenſus eorum conſpiceretur qui manſerant, & petivimus, ut procederetur. Permiſimus etiam, ut à quo vellent articulo rurſus initium facerent. Sed cum Pontificii manerent in ſua ſententia, & aliqui diſcederent, & Præſes diceret, ſe non poſſe eos cogere, nos Præſidi gratias egimus, quem fuiſſe æqualem fatemur, ac aliquantò poſt etiam ex urbe *Vangionum* diſceſſimus. Hanc ſimplicem narrationem veram eſſe multi nôrunt, qui deliberationibus interfuere.

Epiſtola de Synodis ad Lectorem. S. D.

Epiſt.71. ETſi multi diſputant, utrum expediat Synodum cogere, & pericula atque incommoda colligunt, quæ videatur allatura, tamen cùm in tot conventibus Principes *Germaniæ*, re diligenter deliberatâ, Synodum expetiverint, cúmque inviċtiſſimus Imperator *Carolus* Auguſtus, cenſeat Synodum habendam eſſe, quæ fuerit arrogantia à talibus judiciis diſſentire? Nam hi quoque expenderunt & contulerunt inter ſe commoda & incommoda. Nulla enim conſilia magnarum rerum vacant periculis, quæ cum ingens aliqua utilitas petitur, non ſemper recuſanda ſunt. Et pleraque ratione regi ac mitigari poſſunt. Certè id quod de Synodo metuunt, Imperatoris ac cæterorum Principum conſilio & fide caveri poteſt. Neque verò non vidit incommoda Synodorum vetus Eccleſia, quæ tamen ſanctè conſtituit, ut in qualibet diœceſi bis quotannis Doctores Eccleſiarum convenirent. Præterea, quoties extiterunt in Eccleſia diſſenſiones de dogmatibus, inde uſq; ab ultimis temporibus Synodos coegerunt, primùm Apoſtoli, poſtea Principes optimi ac ſapientiſſimi, *Conſtantinus*, *Theodoſius*, & alii. Neque verò aut Apoſtoli, aut illi ſapientiſſimi Principes Synodos habituri erant, ſi exiſtimâſſent eas ſemper magis ad diſſipandas quàm ad conciliandas Eccleſias facere. Cum igitur hoc tempore multæ ac difficiles controverſiæ de maximis rebus in Eccleſia motæ ſint, optandum eſt, ut exemplum & Apoſtolorum & laudatiſſimorum Principum imitetur hæc ætas. Idque videmus Imperatorem pio ſtudio conari. Nam quod alii diſputant, nihil opus eſſe Synodo, ſed armis concordiam reſtituendam eſſe, non valde vituperandum conſilium videretur, ſi de rebus profanis aut levibus certamen eſſet. Nunc ejuſmodi cauſa eſt, ut concordia nè armis quidem conſti-

A tui poſſit unquam, niſi prius conſulatur conſcientiis: nulla enim poteſt eſſe durabilis concordia, ſi animorum judicia diſſentiant. Nam aliquot articuli eorum qui repurgârunt Eccleſiaſticam doctrinam, ita certi & perſpicui ſunt, ut nemo ſanus eos in dubium vocet. Tantum Sycophantæ quidam, ventris cauſâ, calumniantur eos; Et continent res neceſſarias ad pietatem. Tales articuli non poterunt extorqueri bonis ulla ſævitia. Et fac extorqueri poſſe, quid minus decet in Eccle-
B ſia, quàm cum manifeſta veritate belligerari? *Plato* enim ait eas demum Reſpublicas beatas eſſe, quæ ſuum nomen ſonantes ipſæ, conſentanea appellationi faciant. Vocant autem ſcripturæ Eccleſiam columnam veritatis. Illa verò Eccleſia minimè ſonat id nomen, quæ manifeſtam veritatem delere conatur. Deinde ſunt articuli quidam non omnibus pariter perſpicui, ſed ſunt multi boni apud omnes gentes, quorum cùm de tantis rebus conſcientiæ ambigant, acerbiſſimè cruciantur hac
C dubitatione: His profectò debent conſulere paſtores Eccleſiarum, ſiquidem volunt eſſe Paſtores, non Tyranni. Quid enim fuerit crudelius, quid Eccleſia indignius, quam tales interficere potiùs, quam ſanare? Itaque ſi unquam antea, nunc maximè opus eſt Synodo, cum res multæ & magnæ controvertuntur, quarum explicatio & neceſſaria eſt Eccleſiæ, & flagitatur à bonis omnibus apud omnes gentes. Nec ratio eſt alia ulla, quâ Eccleſiis conſuli poſſit. Quòd autem *Epicurei* quidam rident
D hæc negotia, alii ſecuri negant quidquam eſſe vicii in uſitata doctrina, quam & pepererunt, & defendunt Monachi, horum judiciis impiis & crudelibus reclamant omnes boni. Non enim ſunt obſcura vota bonorum apud omnes gentes, quorum exaudire gemitus, affici lacrymis flagitantium Synodum, Pontifices decebat. Quàm horribiliter accuſat Deus hos qui ita regnant in Eccleſia, ut veritate oppreſſâ, bonas mentes excrucient, & gloriam *Chriſti* obruant, nec ſtudeant ſummis ca-
E lamitatibus Eccleſiæ mederi? Plena eſt comminationibus in hanc ſententiam ſcriptura. Quare & laudanda voluntas eſt optimi Imperatoris, qui remedia publicis malis quærit; & orandus eſt *Chriſtus*, ut gubernet mentes omnium Principum & Pontificum, ad illuſtrandam Dei gloriam, & ad revocandam Eccleſiam ad veram pietatem. Sæpe antea ſuperioribus ſeculis Synodi coactæ ſunt non de doctrina, ſed de opibus Pontificum, quæ etiamſi fuerunt cauſæ ad publicam concordiam Ec-
F cleſiarum retinendam neceſſariæ, non enim repugnamus, nec politiam Eccleſiaſticam improbamus, tamen quanto magis nunc opus eſt Synodo, cum non de paucorum opibus, ſed de doctrina, quæ ad omnes pertinet, diſſenſiones ortæ ſunt inexplicabiles, quarum ut nunc Eccleſiæ communibus votis expetunt cognitionem ac dijudicationem, ita palàm etiam flagitare aliquando incipient. Ac Cæſaris quidem voluntas optima ſatis cognita eſt univerſæ *Europæ*, & poterit in his ſe-
G quentibus narrationibus perſpici; nec defuturi ſunt utilitati publicæ in Synodo noſtri Principes, ut eorum reſponſio teſtatur. Sed in multis locis ſævitia tanta nunc exercetur in pios, quæ quidem quotidie exaſperatur, ut vix quidquam moderati Eccleſiæ expectare auſint. Verùm res eſt, ut dici ſolet, in Dei genibus. Ab hoc petant omnes pii ardentibus votis, ut ſuam Eccleſiam reſpiciat ac

re-

[A] reſtituat, & ſanctificet eam verbo ſuo. Hæc cum precamur, Pontificem habemus *Chriſtum*, idem pro ſua Eccleſia rogantem à Patre; Sic enim inquit, *Sanctifica eos in veritate*: Sermo tuus veritas eſt. Cum hujus Pontificis votis, noſtra vota, noſtras preces conjungamus. Neque verò dubium eſt, quin hujuſmodi precibus Deus faveat. Bene vale, *Chriſtiane* Lector.

Reverendo & optimo viro D. Martino Luthero Doctori Theologiæ, & purioris doctrinæ Euangelii inſtauratori, patri ſuo cariſſ. S.D. [B]

Epiſt. 72. PRæter meum morem literas ad te alienâ manu ſcriptas mitto. Nam cum in aditu *Bavariæ* currus everteretur, dextra alliſa tigillo adeò duriter quaſſata eſt, ut eâ nondum uti poſſim: nec mediocres cruciatus ſecuti ſunt nervorum concuſſionem, non omittam tamen officium mittendarũ literarum. [C] De conventu nihil adhuc niſi quorundam incertas divinationes ſcribere poſſum. Nam publicæ deliberationes nondũ inchoatæ ſunt, ac moræ cauſam eſſe arbitror, non tam quòd Principes nonnulli adhuc expectantur, quàm quòd illi ipſi, cujus vox præire cæteris debet; &, ut *Homerus* inquit, οἱ δ' ἔχον βουλάς, deeſt conſilium. Res poſcit ut exercitus opponatur *Turcis* in *Pannonia* graſſantibus, qui non ex jure manu conſertum, ſed mage ferro provocant, ut *Ennius* inquit. Et recens occupato quodam oppido fœdam ſtragem ediderunt; [D] ſed ut occurratur, opus eſt *Germanorum* concordiâ, quam aliqui ita conſtituendam cenſent, prius ut noſtri deleantur. Ab his diſſentit Imperator, qui vetat patriæ manus adferre, & componere civium controverſias civili modo cuperet, ſi qua oſtenderetur ejus rei perficiendæ via. Forma *Wormacienſis* dicitur diſplicere. Fatentur enim adhibitos eſſe ab adverſariis homines nec ad veritatis inquiſitionem idoneos, nec expetentes tranquillitatem. [E] Diſputant rurſus de *Francofordienſi* formula, ut delecti & Imperatoris & partiũ judicio amanter colloquantur, & deliberata ad Imperatorem & Principes deferantur. Narrantur & alii modi. Sed de tota re paulò pòſt certiora habebimus. Nos ſi, ut ſpero, firmus erit noſtrorum conſenſus, minus laborabimus. Eruditorum ſententia & voluntates congruere non dubito. *Macedonici* concionatores de ſuo domino etiam benè promittunt. *Nidanus* nobis heri narravit, in hoc itinere [F] *Macedonem* dixiſſe, ſe nec à confeſſione diſceſſurum eſſe, nec paſſurum ut abſtrahatur à fœderatis. Nos quidem tueri conſenſum ſtudebimus. Et tamen ἐπιχάρμειον illud non obliviſcemur, μέμνασο ἀπιστεῖν, nè nimium obſequamur. Oremus autem Deum, ut has actiones periculorũ & inſidiarum plenas gubernet, & mentes noſtras regat ad illuſtrandam Euangelii gloriam. Imperator apertè nihil oſtendit hoſtile, ut alioqui ejus admiranda eſt in omni apparatu modeſtia, & in reſpondendo lenitas. [G] Heri apud eum fuit *Macedo* in colloquio non arcano, ſed in quadam hominum frequentia. Mirabantur aulici Imperatoris τὴν παῤῥησίαν αὐτοῦ. Erat enim *Macedo* acerrimâ oratione invectus in adverſarium ſuum, nec aliud ibi actum eſt. Habetis ea quæ nunc quidem maximè videbantur ἀξιόλογα de prœmiis conventûs, quæ utinam Deus fauſta & felicia eſſe velit.

[A] In itinere D. *Caſpar* in oppidis *Bavaricis* aliquoties concionatus eſt frequentibus auditoriis, & hoſpitum erga nos ſingularis comitas fuit propter Euangelii ſtudium. Tantum enim attigimus oppida *Palatinis* noſtris, & *Ruperti* filiis obedientia. *Philippus Palatinus Anhaltinum* cum toto Comitatu traduxit in arcem ſuam, & amanter tractavit. Bene & feliciter vale. Deus ſervet te & honeſtiſſimam conjugem & dulciſſimos liberos. Die Martii 29. Ex veteri Rhetorum Colonia.

[B]

D. Martino Luthero S.D.

Epiſt. 73.

——*Pax optima rerum,*
Quas homini noviſſe datum eſt, pax una triumphis
Innumeris potior.——

Itaque Deo gratias agamus, quòd autoritate Cæſaris mandatum & imperatum eſt, ut nemo bellum moveat, & pax ſancita *Noribergæ* rurſus [C] confirmata eſt ac renovata. Nec ſine magnis certaminibus res acta eſt, quæ coràm exponam. Præcipua contentio fuit, ut pax omnibus daretur iis, qui in futurum amplexuri ſunt doctrinam Euangelii. Legatus Cæſaris nonnihil ſe difficilem ibi præbuit. Ergo cùm noſtri nollent excludi à pacificatione cæteros, decurſum eſt eò, ut ſint factæ induciæ certi temporis. Interea de eo articulo pacificatores ſcribent ad Cæſarem, poſt eas inducias tamen volunt pacem *Noribergenſem* ratam ac fir- [D] mam eſſe. Hæc renovatio pacis *Noribergenſis* meo judicio non aſpernanda eſt. Inciderunt inter noſtros & aliæ contentiones. Petebant civitates illud etiam poſtulari, ut concederetur ex reditibus Eccleſiaſticis tantum, quantum opus eſt ad alendos Eccleſiarum & ſcholarum miniſtros. Diſputatum eſt etiam de auxilio contra *Turcam*: ſed altera cauſa in aliud tempus rejecta eſt. Auxilia contra *Turcam* promiſſa ſunt, & indicetur conventus reliquorum Principum *Wormaciæ*, ut deliberetur de juſto [E] exercitu, vel in *Auſtriam*, vel in *Dacorum* fines mittendo. Scripſit Rex *Poloniæ* graviſſimè ad *Marchionem*. Adhortatur ut cum cæteris *Germaniæ* Principibus agat, ut auxilia ſi ſit opus comparentur; Fuitq; noſtrorum honeſtiſſima oratio, ſe periculis patriæ nequaquam defuturos eſſe. Legatus pollicitus eſt ſe mandaturum, ut legiones quæ vagatæ ſunt in ducatu *Luneburgenſi* diſſipentur. Id niſi promiſiſſet, ingens bellum ſubitò exarſiſſet, ſed noſtri ut hoc tempore cupidiores eſſent pacis, [F] duabus rebus moti ſunt, [illegible] ſed magis difficultate annonæ. Itaq; ut pax conſtitueretur, diligenter à Principibus utrinq; actum eſt. Poſitum eſt in conditionibus, ut *Noribergæ* conveniant, ex eruditis utriuſque partis delecti, acturi de concordia Eccleſiarum totius *Germaniæ*. Magna res promittitur ut video, quæ ſi ſeriò ſuſcipitur, ut quidem affirmat orator Cæſareus de Cæſaris voluntate, exemplum novum erit & memorabile. Nam Cæſareus Orator ait Cæſarem etiam diſſentiente [G] Pontifice tamen comprobaturum eſſe vera judicia *Germanorum*, ſi inter eos convenire poterit. Habes ſummam hiſtoriæ conventus, quam amicis noſtris etiam impertias. Tempora flagitant pacem, & teneras Eccleſias armis diſſipari nollem. Arbitror etiam tuis operis opus eſſe pace. Agamus itaque Deo gratias, & precemur, ut nos gubernet, & ſervet propter Filium ſuum *Jeſum Chriſtum*.

Chriſtum. Bene vale. Die *Georgii*, *Alveldiæ*,
Anno M.D.XXXIX.

D. Martino Luthero S. D.

Epiſt.74. POſtquam veni *Bonnam*, intellexi Epiſcopum
dediſſe mandatum, ut forma doctrinæ & ritu-
um proponenda Eccleſiis conſcribatur, & quidem
ad exemplum *Norbergenſis* formæ. Ac juſſus ſum
inchoatum opus inſpicere. Id hoc triduo feci,
Epiſcopus vult purè tradi doctrinam, & tolli ritus
publicos pugnantes cum doctrina, ſed adverſari
non deſinunt Canonici, etſi in his quoque ſunt
qui aliorum violentiam impediunt. Fuerunt mi-
nitati quidam ferociores, ſe excuſſuros eſſe Epi-
ſcopum. Quare *Landgravius* ad Collegium ſcri-
pſit, ac palàm affirmat ſe & cæteros fœderatos ſu-
ſcepturos eſſe defenſionem Epiſcopi, ſi opus ſit.
Reliquæ civitates præter *Coloniam* & præcipua
pars nobilitatis expetit piam Eccleſiarum conſti-
tutionem, quam vident profectò neceſſariam eſſe.
Vix enim alibi in *Germania* tantum arbitror fu-
iſſe, aut eſſe ſuperſtitionis barbaricæ & planè
Ethnicæ, quantum fuit in his regionibus, ut adhuc
exempla currentium ad ſtatuas oſtendunt. Sed
video nunc conciones magnâ frequentiâ audiri
Buceri & *Piſtorii*, & animadverto utrumque purè
& rectè docere. Sunt & alii in vicinis aliquot op-
pidis & pagis, qui rectè docent, & Sacramenta piè
adminiſtrant. His initiis ut Deus faveat oremus,
eáque provehat. In ditione *Juliacenſi* prorſus neg-
liguntur Eccleſiæ, quod belli tempore ſolet acci-
dere. Interim verò & illi, qui in illa regione ode-
runt puram doctrinam, hac occaſione ſævitiam
exercent, ut ex literis, quas adjeci, videbitur, quas
quidam ex *Juliacenſi* ditione ſcripſit. Deum æter-
num Patrem domini noſtri *Ieſu Chriſti* oro, ut
te ſervet incolumem, tibique diu ad Eccleſiæ ſuæ
utilitatem vitam proroget. Salutem opto honeſtiſ-
ſimæ matronæ conjugi tuæ & dulciſſimis liberis.
Bonnæ XIX. Maii. Anno M.D.XLIII.

D. Martino Luthero S.D.

Epiſt.75. DEus Pater liberatoris noſtri *Jeſu Chriſti*, qui
pro nobis factus eſt victima, det Eccleſiæ,
tibi & familiæ tuæ, annum felicem. Hîc nondum
ſunt inchoatæ publicæ diſputationes. In mora no-
bis ſunt adverſarii, qui habent inter ſe privatos
congreſſus inſtitutos, ut vel explorent ſuorum
animos, ac ſuffragia præripiant, vel ut articulos
cudant nobis poſtea proponendos, qui videantur
controverſias moderari. De his articulis cùm verè
totum menſem deliberâſſent, altercante *Scoto*
cum *Pelargo* Monacho & *Menſingero* (nam hi
ſunt anteſignani) tandem *Eccius* formulam com-
poſuit de duobus locis, *De peccato Originis*, & *De
Iuſtificatione*, glorians non poſſe ex *India* aptiorem
formulam ad concordiam adferri, eámque propo-
ſuit ſuis, ac jubet ire in ſuffragia, quæ conatur
extorquere. Sed tamen Deus aliquorum mentes
rexit & confirmavit, nè Sophiſticis illis articulis
aſſentirentur. Repudiata eſt formula *Eccii* à trium
Principum Legatis, *Palatini*, *Marchionis*, & *Juli-
acenſis*. Hi modeſtè, ſed rectè tamen profeſſi ſunt,
ſe probare noſtram ſententiam, quæ in *Confeſſione*
& *Apologia* continetur & declaratur. Fremunt re-
liqui, & de excludendis illis trium Principum le-
A gatis deliberant. Sed tamen cum id facere non
audeant, decurritur eò, ut *Eccius* exhibeat ſuam
ſententiam ſcriptam Præſidentibus. Item ut re-
liqui tres etiam ſententiam exhibeant ſcriptam,
quam dixiſſent. Id heri, hoc eſt, XV. die Decem-
bris factum eſt. Sunt igitur ab adverſariis trium
Principum legati aliquo modo ſejuncti, qui an
poſtea interſuturi ſint eorum colloquiis, nondum
ſcio. Nobis pugnandum eſt, ut & publica diſputa-
tio inſtituatur, & nè fiat ſuffragatio, antequam res
B explicatæ ſint. Utrinque miris technis adverſarii
vel impedire diſputationem, vel irretire nos ſuis
ſententiis conantur. Sed nos articulos ab adver-
ſariis non accipiemus. Congrediamur palàm, &
collatis ſententiis Judicem faciamus Filium Dei,
de quo Pater cœleſtis inquit: *Hunc audite*. Etſi
hactenus occultaverint illas ſuas ſophiſticas for-
mulas, tamen eas vidi. Eſt omnino puerilis ludus:
ineruditis amphibologiis offundere nebulas rudi-
bus conantur. Sum & ego invitatus, ut formu-
C lam aliquam componerem. Sed reſpondi, me
publicè dicturum eſſe quid videatur. Intelligo &
aliorum tentari voluntates: ſperabamus *Coloni-
enſes* etiam probaturos eſſe veram ſententiam dè
Iuſtificatione, & repudiaturos formulam *Eccianam*;
ſed hi non modò fefellerunt nos, ſed etiam augent
periculum trium illorum, qui diſſenſerunt. Refor-
mationis *Colonienſis* autor voluit initio valde
æquus videri, & vult ita conciliari repugnantes
ſententias, ut exiſtimentur hactenus tantum λογο-
D μαχίας fuiſſe. Has ineptias cum liberiùs refutâſ-
ſem, dixit mirari ſe meam vehementiam, me re-
movendum eſſe à diſputatione. Rogavi ut hoc
mihi impetraret: daturum me ipſi pro tanto be-
neficio non contemnendum munus. Legatus
Pontificius habuit oratiunculam ſatis tolerabi-
lem. Dixit ſe ab Imperatore vocatum eſſe. Dè
ſua poteſtate in hac Synodo nihil dixit. Eram ta-
men ſtans reſponſurus, ſed impediit *Granvellus*, cui
cum diceret *Franciſcus*, me modeſtè reſponſurum
E eſſe; reſpondit: Scio modeſtum eſſe cum vult.
Cum eſſet contentio *Scoto* de *Fide*, & de *Dubita-
tione*, inquit Monachus *Pelargus*, Rectum eſſe du-
bitare, & citavit dictum *Pauli*: *Nihil mihi con-
ſcius ſum, ſed in hoc non juſtificatus ſum*. Sic volebat
dubitationi patrocinari. Tales *Sphingas* adverſarii
delegerunt, ut viderentur non abhorrere à con-
cordia. Imperatorem regreſſum eſſe in *Brabanti-
am* aiunt, propter *Gallicam* legationem. Sed has
fabulas nec inquiro, nec moror.
F *Corvinum* vivere ſperamus. Etſi conſtat fuiſſe
inſidiatores ad eum interficiendum miſſos. Sed
Deus excubat pro nobis. Bene & feliciter vale.
Deus Pater Domini noſtri *Ieſu Chriſti* ſervet te,
& honeſtiſſimam conjugem tuam, & dulciſſimos
liberos, & totam familiam. Datæ *Wormaciæ*.
Habes veram & integram hiſtoriam, quam
etiam D. *Pontano* Cancellario exhibebis: cui reve-
renter ſalutem dicas meis verbis.

G *D. Wenceſlao Linco Doctori, D. Andreæ Oſian-
dro, D. Thomæ Venatorio, D. Vito Theodoro,
& aliis eorum collegis docentibus Evangeli-
um in Eccleſia Norbergenſi, fratribus ſuis
in Chriſto cariſſimis*, S. D.

Epiſt.76. UTinam ſimilis conſenſus eſſet Eccleſiarum
ubique de vera doctrina Evangelii, ut ve-
ſtra

ſtra Eccleſia multos jam annos, Dei beneficio, nobiſcum tãquam unâ voce *Chriſtum* prædicat. Nec verò dubitamus hunc conſenſum multis piis mentibus ſalutarem fuiſſe, & quibuſdam Eccleſiis profuiſſe exemplum. Quid eſt autem optabilius? quid pio pectori dulcius, quàm videre florentes Eccleſias? in quibus rectè colitur Deus, & traditur doctrina ſalutaris, & quarum exempla [illegible], ut *Pauli* verbo utamur, ornant gloriam *Chriſti*. Cum igitur maximè tueri concordiam perpetuò cupiamus, duximus hoc tempore vobiſcum communicanda eſſe conſilia, cum impendere deliberationes exiſtimantur de mitigandis publicis diſſidiis. Scripſit enim *Lundenſis* ad Principes noſtros, venire Cæſarem in *Germaniam*, non ut bellum civile moveat, nec ut ſanguinem piorum propinet exorbendum Pontificibus, ſed ut deliberet de Concordia moderatis rationibus ſarcienda, ac hortatus eſt noſtros, ut & ipſi diligenter cogitent quarum rerum mitigatio ad firmam & durabilem tranquillitatem profutura ſit. Magna laus eſt Imperatoris *Caroli*, ſi hoc verè agitur, ut *Chriſti* gloria illuſtretur, & ſaluti totius Eccleſiæ conſulatur. Præclarè enim illud in Tragœdia dicitur de excellenti Imperatore: *Conſulere patriæ, parcere civibus, fera cade abſtinere, mores regere, reddere orbi quietem, ſeculo pacem ſuo.* Hæc ſumma virtus, petitur hâc cœlum viâ. Sed nos multa movent, ut ſuſpicemur vel omnino falſò ſpargi hanc famam, ut pulcherrimæ rei ſimulatione benevolentiam & plauſus ſibi colligant adverſarii apud populum, vel inſidias ſtrui prætextu pacificationum. Primùm enim quomodo conſentaneum eſt de concordia acturos eſſe, cum impetrari non poſſit ut proſcriptio *Mindenſis* aboleatur, cum parari ad bellum omnia conſtet, cum Reges invitentur ad ſocietatem impii & turpiſſimi fœderis, quod in veſtra urbe factum eſt? Denique, cum ferreæ mentes Pontificum nihilo magis ad æquitatem flecti poſſint, quam *Pharao* poterat? Solet enim comitari talis pertinacia blaſphemias & parricidia. Sed quia nobis voluntas *Caroli* ignota eſt, credamus ſanè *Lundenſi*, non falſò promitti deliberationes de concordia. Nè hæ quidem vacant periculo. Ut optandum eſt, *Carolum* verè & ex animo velle Euangelio ſuam lucem reſtitui, & divinæ voci parere, quæ Regibus concionatur, Inquiens; *Et nunc Reges intelligite:* Ita metuendum eſt nè, ut nunc aulæ ſunt plenæ ſophiſtices, hoc agatur, ut arte obruatur vera doctrina novis præſtigiis. In Synodo *Syrmienſi*, cum *Conſtantius* diſſidentes Eccleſias conciliare ſtuderet, non errore ſublato, ſed fucato, Symbolum *Nicenum* mutatum eſt, & quæſita vox ambigua cõmunis, quam neutra pars repudiaret, placuit poni pro ὁμοούσιος, ὅμοιον, ſed paulò pòſt erupit malum rurſus multò violentius, & hæc ipſa ambiguitas peperit nova certamina; Eadem prorſus jam fient, ſi agetur de concordia. Vidiſtis haud dubiè *Colonienſe* ſcriptum, in quo affinguntur abuſibus commodiores interpretationes. Et laus ingenii putatur, has ſophiſticas gloſſas excogitare. Itaque *Romæ* jam & in *Galliis* in admiratione ſunt artifices harum gloſſarum. Huc ergò decurretur, Articuli proponentur, ut errores & abuſus picti fucis quibuſdam reſtituantur. Fortaſſis ut eſca aliqua deliniti aſſentiamur, nobis quoque donabunt aliquos noſtros articulos. Deinde jubebunt nos conſulere non nobis tantùm, ſed

A etiam cæteris nationibus, quæ deterreantur à meliore doctrina, ſi horridiùs omnia noſtra defendere velimus. Dicent de periculis civilium bellorum, ſatius eſſe mediocres Eccleſias quàm nullas habere. Has voces in conventibus dici ſcimus etiam à noſtris, & valent hæc argumenta apud homines prophanos, metuentes ſuis opibus aut voluptatibus, quorum eſt ubique magna multitudo. Fortaſſis & inſidiæ ſpectant eò, ut diſiungantur noſtri, quos adverſarii alioqui non optimè
B cohærere vident. Erunt ergo aliqui qui levari curâ ſumtibus, periculis volent, eam ob cauſam boni conſulent munus Cæſaris, dicent ſe de cæteris non pugnaturos eſſe, fugiendum eſſe civile bellum: Tam varia pericula cum illæ inſidioſæ compoſitiones allaturæ ſint, profectò piis opus eſt adferre animos bene paratos ac confirmatos, opus eſt etiam eis firmo conſenſu inter ſeſe. Quare ut conſilia communicemus, duximus vobis ſignificandum eſſe ſummam noſtræ ſententiæ, ac noſtri
C conſilii, ac petimus viciſſim, ut veſtram ſententiam nobis ſignificetis. Etſi enim fortaſſis ſunt apud nos ut alibi homines prophani, qui hæc certamina judicant eſſe inanes λογομαχίας, inutiles civitatibus & vitæ hominum, ideóque dant operam, ut quoquo modo evolvant ſeſe, ſicut labrax piſcis poſtquam voravit hamum, tamen evadit ſibi ipſi os lacerans, ut ab hamo ſe avellat: tamen horum judicium nihil ad nos & Eccleſiam pertinet, veſtram ſuffragationem quærimus, & vobiſcum
D congruere voluntates Eccleſiæ veſtræ non dubitamus. Maximè autem optandum eſt, ut concordia, quæ fuit hactenus inter noſtram & veſtram Eccleſiam, ſit perpetua.

Totam autem deliberationem nos quidem in tria membra partiti ſumus, Aut petent in *doctrina* aliquid mutari, Aut *in externis rebus neceſſariis*, Aut *in externis prorſus adiaphoris*. De *doctrina* planè ſic decrevimus, nos prorſus nullam mutationem ullius articuli *Confeſſionis* & *Apologiæ* admiſſuros
E eſſe, quocunque prætextu. *Auguſtæ* rem eò adduxerant, ut ſimul articulos cõderemus ambiguos flexiloquos; Res erat ſimilis *Syrmienſis* illius exempli. Sunt autem res noſtræ aliquanto pluribus lucubrationibus ita jam patefactæ atque illuſtratæ, ut quid verè ſentiamus ſatis liqueat. Et ſi quid requirent, coràm declarabimus noſtras ſententias & oratione & ſcriptis. Sed cum ipſis articulos novos nequaquam condemus, nè veritas antea illuſtrata, nunc novis ambagibus obruatur. Si veri-
F tatem quærunt, ut jactitant, aſſentiantur rectè explicatis dogmatibus, ſi tantum illud agunt, ut cavillationibus novis decerpant aliquid de autoritate doctrinæ noſtræ, fugiamus eos ut ſycophantas dignos odio. Diſcit ſenex in Comœdia, quomodo eludendus ſit fœnerator captiuncula de die ἕνῃ καὶ νέᾳ. Ab Eccleſia procul explodantur tales cavillationes, abſitque illud *Sinonium*,

Aut verſare dolos, aut certè occumbere morti.

Nos Tyrannis potiùs cervices feriendas præbe-
G re decet, quàm Euangelium Filii Dei corrumpere. Extant Catecheſes veſtræ & noſtræ Eccleſiæ, in quibus doctrinæ ſumma traditur, quæ non obſcurè teſtantur, nos verè cõſenſum Catholicæ Eccleſiæ *Chriſti* de doctrina amplecti & tueri. Retinemus Symbola, repurgamus ſententiam totius Propheticæ & Apoſtolicæ ſcripturæ de Pœnitentia & de Fide. Reſtituimus legitimum uſum Sacramentorum.

mentorum. Monſtramus quid ſentiendum ſit de ſuperſtitioſis ritibus, revocamus pios ad verè bona opera, oſtendimus dignitatem officiorum civilium, diſcrimen Legis & Promiſſionum. Denique multis articulis doctrinæ *Chriſtianæ* lucem attulimus. Id negare non poſſunt adverſarii, & ſi ſine calumnia volent judicare, fateri coguntur, nos pia & utilia docere. Quare ſi volent, aſſentiantur; ſi non volent, ſequenda nobis erit regula *Pauli*: *Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema ſit.*

Secunda pars deliberationis noſtræ eſt *de rebus externis neceſſariis*, Has vocamus abrogationem omnium Miſſarum, in quibus deſunt, qui unà utantur Sacramento, Abrogationem Canonis, qui jubet offerre illam Ceremoniam pro aliis vivis & mortuis, Abrogationem univerſæ Invocationis mortuorum, directæ vel indirectæ. Abrogationem votorum & Monachatûs. Reſtitutionem conjugii Sacerdotum & integræ Synaxeos. Abrogationem Magicorum rituum, conſecrandæ aquæ, herbarum, nolarum, & ſimilium rerum. Item funebrium ſacrificiorum.

Minus curant Reges dogmata, quàm Externam formam Eccleſiarum, ideo dimicabũt acerrimè de retinendis privatis Liturgiis, de uſu unius partis Sacramenti, de Invocatione Divorum. Fortaſſis & de Cœlibatu litigabunt, qui quia eſt commodus tuendis opibus Eccleſiaſticis & ſplendori Sacerdotum, intelligimus Pontifices & Reges magnopere à conjugio ſacerdotum abhorrere, nec monaſticam omnino aboleri volent; denique proponent nobis moderationes *Moſhemicas* aut *Vicelianas*, quæ retinent nervos impietatis. Cæterùm quædam vulgaria vicia jubebunt corrigi, quæ tamen tolli non poſſunt, ſi radices maneant. Quanquam autem non arbitramur de Miſſa, & applicatione quicquam nobis conceſſuros eſſe, tamen fingamus aliquos decurſuros eſſe ad *Gallicum* conſilium, ut quotidiè in Parochiis una Miſſa fiat, etiamſi deſint communicantes. Diſputant enim hanc Ceremoniam eſſe opus & ſpectaculum, quo gratiæ aguntur, quo memoria retinetur mortis *Chriſti*. Poteſt igitur à ſingulis fieri, inquiunt, ut ſinguli poſſunt vel recordationis cauſâ, vel, ut gratias agant, legere hiſtoriam de morte *Chriſti*, vel *Pſalmum* aliquem eodem argumento. Hæc ſpecioſè diſputantur à prophanis, qui inſtructi ſunt literis & eloquentiâ, & conferunt hos ritus ad ſpectacula *Romana* aut *Attica*, memoriæ cauſâ inſtituta. Videmus enim delabi ingenia ad prophanas opiniones. Sed nos ſimpliciter decrevimus, non recepturos nos ullam Liturgiam ſine communicantibus. Quia nemini licet inſtituere cultus ſine mandato Dei. Tale autem ſpectaculum haberetur pro cultu neceſſario Eccleſiæ, & diſcernendo à manducatione populi. Quare prorſus non recipiendum eſt. Repullularent omnes abuſus Cœnæ Domini hâc formâ receptâ, ſtatim enim diceretur id ſpectaculum cultus eſſe ex opere operato: Sicut ethnici ſentiebant ſuas mactationes eſſe cultus ex opere operato. Nec adferendum eſt huc exemplum *Leviticarum* Ceremoniarum. Hæ erant Pædagogia populi, & ob eam cauſam ſervandæ erant, non ut cultus. At in Novo Teſtamento nullæ ceremoniæ ſine fide placent. Liber ſit uſus hujus ceremoniæ, ut *Paulus* inquit, *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat.* Et maneat forma miniſterii à *Chriſto*

A inſtituta & obſervata aliquot ſeculis in prima Eccleſia. Nec queri poſſunt adverſarii, nos ab Eccleſia diſſentire, ſi illud ſpectaculum nolumus recipere; Ipſi potius à vera & veteri Eccleſia diſſentiunt, quia morem amplectuntur ignotum veteri Eccleſiæ. Poſtulabunt & illud, ut approbemus uſum unius partis Sacramenti, ſed aſſentiri non poſſumus, non enim licet nobis abolere inſtitutum *Chriſti*. Senſimus eos admodũ graviter ferre, cum propter mortuorum Invocationem dicuntur idola colere.

B Ideo quærent novum prætextum, dicent licere dici, *Ora pro nobis ſancte Petre.* Nec hanc formam recipiemus: Nam omnis Invocatio abſentis tribuit illi omnipotentiam. Denique varias arbitramur præſtigias excogitaturos eſſe, ad excuſandam & retinendam radicem impietatis, & ut *Proteus*, omnia verſuros ſeſe in miracula rerum. Sed omnino decrevimus, nec de illis rebus externis, quas recenſuimus, quidquam adverſariis largiri. Ad has adjungimus hoc quoque, *Nunquam probaturi*

C *ſumus Pontificis Romani poteſtatem, quam ſibi ſumit ſupra cæteros Epiſcopos.* Qui etiamſi volet fortaſſe aliquid largiri nobis barbaris, ut nos vocat, tamen in cæteris regnis eadem prohibebit, jubebit pios interfici. Nec deſinet eſſe *Antechriſtus*, ut *Paulus* ſignificat. Quare ſtabilire ejus Tyrannidem non licet.

Tertia pars deliberationis eſt *de rebus adiaphoris*, ut ſunt aliquæ in templis lectiones piæ, veſtitus & ſimilia. Item de Epiſcoporum autoritate, juriſ-

D dictione & ordinatione. De his rebus agi nihil poteſt, niſi prius verè conveniat de doctrinâ & de rebus neceſſariis. Si Epiſcopi mordicus retinebunt errores & impias ceremonias, neceſſe eſt *Paulinæ* regulæ obtemperare, *Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema ſit.* Nec illi noſtras Eccleſias ornaturi, ſed vaſtaturi potiùs eſſent. Sed ſi qui eſſent Epiſcopi, qui ut *Raab* vererentur judicium Dei, & reſpicere miſeras Eccleſias ac patriam, amplecti Evangelium propter gloriam *Chriſti*, & ſuum

E officium rectè facere vellent, cum his de adiaphoris facilè foret convenire, ut nunc quoque diſſimilitudines in ritibus adiaphoris paſſim boni conſulimus, modò ut abſit impietas, & retineatur doctrinæ puritas.

Meminiſtis *Attali Pergameni* hiſtoriam, cum quiſpiam *Alcibiades* quodam inconſulto ſtudio pietatis novam & duriorem victûs rationem ſibi præſcriberet, ac quotidiè tantum pane & ſale veſceretur, & pauxillum aquæ biberet, *Attalus* Mar-

F tyr miſſus in carcerem divinitùs, juſſus eſt *Alcibiadi* dicere, ut communibus cibis veſcatur. Et ratio adjecta eſt, nè ſcandalo ſit fratribus, hoc eſt, ne alii rudiores admirantes hanc novam & prodigioſam conſuetudinem, arbitrentur talia opera cultus eſſe, & obliviſcantur doctrinam de veris cultibus.

Laudamus igitur & nos eos, qui etiam in adiaphoris abolent ritus ineptos, ut jejunia, quæ aliquid erroris offundunt imperitis. Sed tamen de

G tota forma politiæ Eccleſiaſticæ inter pios tunc deliberandum erit, ſi qui erunt qui amplectentur Evangelium. Nam & forma ordinationis corrigenda eſt, & tollendi Canones de Digamia, & emendandæ erunt leges Pontificiæ de Divortiis. Nè poſſunt quidem durabiles eſſe leges, quæ non ſunt divinitùs traditæ. Hortandi etiam erunt illi, ut Ceremonias theatricas & indignas *Chriſtianâ* gra-

gravitate tollant etiam ex templis, quales ſunt ſtatuarum geſtationes, & aliæ ſimiles. Sequamur non Ethnica ſed Apoſtolica exempla, & amemus divinitùs traditas Ceremonias, quarum ſumma eſt gravitas & utilitas, ſonent in templis piæ & eruditæ conciones, habeat populus cantilenas, ex quibus diſcat, fiant precationes ſeriæ, celebretur Synaxis, quoties pii Sacramentum petunt. Sed antecedat privata abſolutio, quæ multis de cauſis retinenda & reſtituenda eſt. Reſtituatur & excommunicatio, non ut antè in litibus rerum prophanarum, ſed de flagitiis manifeſtis, adhibitis in hoc judicium ſenioribus in qualibet Eccleſia. Hæ ſunt graves & neceſſariæ Ceremoniæ ad ſanciendam diſciplinam, de quibus cum adverſariis nondum agere poſſumus, Quibus tantiſper dum oppugnant Evangelium, nihil autoritatis in Eccleſia tribuere poſſumus.

Habetis ſummam noſtræ ſententiæ, in qua, Deo dante, nihil mutaturi ſumus: Nec profana judicia veremur illorum qui clamitant, Pertinaciam paucorum incendere bellum civile, vociferantur quædam condonanda eſſe publicæ tranquillitati, ſatius eſſe habere qualeſcunq; quàm nullas Eccleſias, debere nos his controverſiis anteferre concordiam, ut *Turcicum* bellum ſuſcipi poſſit. Denique multa à ſapientibus colligi ſcimus ad nos reprehendendos. Nec nos adeò ſine ſenſu communi ſumus, ut ſoli non videamus pericula noſtra & communia: Sed mandato Dei obtemperandum eſt, qui poſtulat confeſſionem veræ doctrinæ, & reprehenſionem impiorum cultuum, & exitum vult ſibi commendari. Etſi autem non dubitamus, quin vos, ut hactenus, cum Eccleſia noſtra veſtram ſententiam conjuncturi ſitis: tamen vos etiam atque etiam rogamus, ut nobis voluntatem veſtram ſignificetis, & ſperamus Eccleſiam veſtram ſecuturam eſſe veſtra ſuffragia. Etſi ſcimus alios quoſdam iſtic eſſe oligarchicos homines, qui ut Eccleſiæ, ita Ariſtocratiæ pulcherrimæ urbis non ſunt æqui, qui dum novo & immodico ſtudio aucupantur gratiam hoſtium Evangelii, quos execrari propter parricidia debebant, ſatis ſignificant, ſe vos quoque libenter excuſſuros, ſi poſſent. Quantò eis honeſtius eſſet συναγωνίζεσθαι τῷ εὐαγγελίῳ, quàm confirmare in adverſariis odium veræ doctrinæ, & ſpem defectionis aliorum?

Nihil igitur ad illos Oligarchicos ſcribimus, vobiſcum tantum deliberamus, ut veſtram ſententiā nobis ſignificetis. Deus gubernabit eventus, nec deſeret veſtram Eccleſiam, ſed etiamſi ſubeunda erit crudelitas adverſariorum propter Evangelii confeſſionem, tamen illud malumus, quàm abjicere piam doctrinam, & contumeliâ adficere Chriſtum. Cur deſugeremus hæc glorioſa certamina, cum videamus Filium Dei pro nobis miſerabile ſupplicium perpeſſum eſſe? Si verè colimus Deum, meminerimus præcipuè poſtulari, ut victimæ fiamus, quales fuerunt plurimi Patres, Prophetæ & Apoſtoli, & Martyres omnium temporum, qui maluerunt interfici quàm abjicere veræ doctrinæ confeſſionem. Senex *Eſaias*, cum annos fere octoginta rexiſſet Eccleſiam, & patriam ingentibus bellis liberâſſet, tandem ſerra ſcinditur. *Jeremias* cum quadraginta annis gubernâſſet regnum *Juda*, & reliquias ſervâſſet, tandem lapidibus obruitur. Illis tantis viris ſic meritis fuit ſubeunda crudelitas. Nos pudeat eſſe tam delicatos, ut

A injuſtè nobiſcum agi à Deo putemus, ſi nos adfligi ſinat. Sed hanc Philoſophiam iſti Oligarchici viri non curant; quorum mollitiem & cupiditates vos imprimis deteſtari ſcimus. Videmus ſeneſcente mundo creſcere impietatem & *Epicureas* opiniones. Eò majore contentione veros honores Dei tueri omnes pii debebant, non ſolùm doctores Eccleſiarum, ſed etiam cæteri qui præſunt civitatibus, quos etiam ſuam autoritatem ad gloriam *Chriſti* conferre oportuit. Aſtutè hoc ſemper

B egerunt adverſarii, & ſi quas proponent moderationes, præcipuè hoc acturi videntur, ut noſtros diſtrahant, non ignari concionis *Eumenis* de *Antigono*, in qua ille narrabat Apologum: Leo quiſpiam amans paſtoris filiam puellam, petivit ſibi eam dari uxorem, narrat amorem ſuum, ideóque promittit puellæ nihil fore periculi, ſed victuram tutò & ſuaviter apud ipſum. Paſtor reſpondet initia amoris ardentiora eſſe, poſtea ſæpè incidere rixas inter amantes. Quod ſi inter ipſum & puel-

C lam accideret, metuere ſe ungues & dentes leonis. Abit igitur leo, ac dentes eximi ſibi ac truncari ungues curat, poſtea ad paſtorem redit, iterum petens puellæ nuptias. Paſtor ut vidit leonem exarmatum eſſe unguibus & dentibus, fuſte eum mulctat. Ita videris adverſarios id agere, ut ſingulos nudatos præſidiis opprimant. Verùm id viderint illi ad quos hæc cura pertinet; Noſtrum eſt conſtantiam in dicenda vera ſententia præſtare, & cruciatus pro *Chriſti* gloria non deſugere, ſi rabies

D adverſariorum nos ad ſupplicia rapiet. Hæc ſcripſimus ad vos optimo & amiciſſimo animo, ac petimus ut epiſtolam noſtram boni conſulatis, ac nobis quàm primùm reſpondeatis. Bene valete.

Martinus Lutherus.
Juſtus Jonas.
Johannes Bugenhagius.
Philippus Melanthon.

E *Reverendis viris, eruditione & pietate præſtantibus D. Paulo Rhodio, Paſtori Eccleſiæ Stetinenſis, & inſpectori vicinarum Eccleſiarum, & collegis ejus, fratribus noſtris colendis,* S.D.

REverendi viri & chariſſimi fratres, Nulla vox neque in cœlo neque in terris ardentior unquam audita eſt, voce Filii Dei, quâ in agone ſuo precatus eſt, ut æternus Pater & ſanctificet Eccle- *Epiſt. 77.*

F ſiam in veritate, videlicet, in Evangelii doctrina incorrupta, & ut faciat, ut unum in ipſo ſimus. Veritatem & concordiam in Eccleſia Filius Dei vult & intelligi & retineri, ut in aliqua parte generis humani rectè colatur Deus: ad hujus ſummi Sacerdotis Filii Dei precationem & noſtros gemitus adjungimus, & oramus Deum ut in veſtris & noſtris Eccleſiis ſervet & veritatem & concordiam; Et exiſtimamus, vos in controverſiis aliquot annorum cognoviſſe & voluntatem & labores no-

G ſtros. Nunc quoque de controverſia, quam movit *Balticus Gorgias*, extant noſtræ reſponſiones moderatè ſcriptæ, quas tamen & veras eſſe, & cum veſtris judiciis congruere non dubitamus. Conſiliis & laboribus meis & Doctoris *Bugenhagii* conſtitutæ ſunt Eccleſiæ veſtræ, quare & doctrinæ vocem in eis initio traditam, & benevolentiam erga nos tueri

 cupio,

cupio, & cupiunt idem cæteri. Cumque viderimus diſputationes cum *Artopæo* habitas, rectè ſentire vos judicamus. Nec ab ea ſententia diſcedemus, nec quicquam contra illam veſtram ſententiam unquàm acturi & perituri ſumus. Optamus enim æternam harum Eccleſiarum concordiam eſſe, ut ſimul Deo gratias agamus in conſuetudine cœleſti in tota æternitate. Hoſpes eſt apud nos ſenex *Artopæus*, ac de dogmate ſemel omnino collocuti ſumus, non ſine contentione, poſtquam exhibuit nobis hanc confeſſionem quam mittimus. Etſi autem longiorem fortaſſis deſideratis, tamen cum domi non fuerimus, nondum prolixè colloqui potuimus. Illud oramus, ut Illuſtriſſ. Principis piam voluntatem in eo juvando in hoc exilio confirmetis. Scitis enim quàm triſte ſit ſenem habentem infantum turbam abeſſe a ſuis, aut vagari à tali grege. Hæc etſi ſunt triſtia & nobis magnum dolorem adferunt, tamen anteferri veritatem, & Eccleſiæ veſtræ tranquillitatem neceſſe eſt. Piè tamen faciet Illuſtriſſ. Princeps, ſi has ærumnas ei leniet, & vel ſumtus dabit, vel collocabit eum in alio loco, ſic tamen, nè à vobis diſſentiat. Ipſe quidem adfirmat, ſe non velle à vobis diſſentire, nec defenſurum aut excuſaturum eſſe *Oſiandri* dogma. Hæc ad literas veſtras nunc reſpondimus, ut, lectâ hâc *Artopæi* confeſſione, veſtrum conſilium cognoſceremus. Bene & feliciter valete. Die verni Æquinoctii, Anno M.D.L.

Paſtoribus docentibus incorruptam Euangelii doctrinam in finibus Bohemiæ, & Luſatiæ, S.D.

Epiſt. 78. VTrumq; prædixit vox divina, In hac languida & delira mundi ſenecta, & confuſiones generis humani majores fore, quàm fuerunt antea: Et tamen Filium Dei inter Imperiorum ruinas, donec mortuos in vitam revocabit, collecturum eſſe æternam Eccleſiam voce Euangelii, & non aliter. Hæc ideo prædicta ſunt, & ut præparemus animos ad ferendas communes ærumnas, & non abjiciamus doctrinæ propagationem, cum hic labor non ſit irritus. Intelleximus autem magno cum dolore, odio puræ doctrinæ, Paſtores iſtic ex Eccleſiis ejici, & vagari jam in exiliis viros honeſtos, & innocentes, & pias conjuges eorum, & parvos greges puerorum. Hac in re & veſtrâ cauſâ, & propter orbitatem Eccleſiarum veſtrarum valdè dolemus; Et Filium Dei, qui dixit, *non relinquam vos orphanos*, precamur, ut hæc mala leniat, & vobis omnibus opem ferat. Cùm autem fontes conſolationum vobis notos eſſe ſciamus, brevius nunc ad vos ſcribimus, ac tantum vos hortamur, ut donec alloqui Eccleſias veſtras poteſtis, eas confirmetis, nè propter veſtram calamitatem de fide dubitent. Nihil efficaciùs erigit animos, quàm ipſius doctrinæ intellectus. Fiat igitur illuſtris antitheſis utriuſque generis dogmatum. Papæ factio defendit multa idola manifeſta, invocationem mortuorum, & multas monſtroſas ſuperſtitiones, quæ inde oriuntur. Impiè transfert Cœnam Domini ad quæſtum, & horribili ſpectaculo in circumgeſtatione panem adorat, cum extra uſum inſtitutum nihil habeat rationem Sacramenti. Tollit vocē Euangelii de vera pœnitentia, fingit ſtultas ſatisfactiones, & excruciat pias mentes carnificina enumerationis, delet conſolationem, quæ

A proponitur in agnitione Filii Dei Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, denique multos commentitios cultus propugnat. De tantis rebus cum diſſenſio ſit, non exiſtimet populus nos certamina non neceſſaria movere. Sæpè igitur repetatur ſumma doctrinæ, & proponantur ſeveriſſima dicta, *Fugite idola.* Item, *Si quis aliud Euangelium docet, Anathema ſit.* Item, *Si quis dixerit blaſphemiam adverſus Spiritum ſanctum, non remittetur ei.* Hæc fulmina nihil movent hoſtes Euangelii, quorum multi ſcientes op-
B pugnant veritatem. Interea blandiuntur ſibi, & prætextus fingunt, aſtutè diſſimulant ſe hoc agere, ut ſtabiliant idola, dicunt ſe ordinem in Eccleſia tueri, non poſſe Cœnam Domini adminiſtrare tales, qui non ſint initiati ab his, qui titulum habent Epiſcoporum. Item qui ſunt mariti. Etſi hi prætextus per ſe ſunt injuſti, tamen hoc injuſtius eſt, quòd hac ementitâ ſpecie ſtruunt malum majus, ſcilicet, oppreſſionem veræ doctrinæ, et veræ invocationis. De his inſidiis populus monendus
C eſt. Sed de ipſis prætextibus dicamus. Manifeſta tyrannis eſt, quòd volunt maritos adminiſtrare Cœnam Domini, cum certiſſimum ſit, in veteri Eccleſia maritos eo munere functos eſſe, & adeò perſpicuè in multis ſcriptis defenſum eſt conjugium Sacerdotum, ut hic non ſit opus longâ diſputatione. Et cum *Paulus* dicat, prohibitionem conjugii oriri à Diabolis, vos alienos eſſe à Diabolicis conſiliis lætamini, & non dubitate Deum defenſorem fore conjugii veſtri contra Diabolos.

D Alterum prætextum de ordinatione petenda ab Epiſcopis manifeſtè refutat *Paulus*, inquiens, *Si quis aliud Euangelium docet, anathema ſit.* Non igitur peti ordinationis ritus ab iis poteſt, qui quanquam Epiſcoporum titulo, & ordinariæ ſucceſſionis, ut vocant, prærogativâ dominantur, tamen palàm ſunt hoſtes Euangelii, & Idola defendunt. Tantum cœtus veram doctrinam ſonans Eccleſia eſt, & in hac miniſterium eſt Euangelii, ut ad *Epheſios* ſcriptum eſt, *In hac verè ſunt claves regni*
E *cœlorum*, quas ſic nominat Filius Dei. Quare & in eo ipſo cœtu jus eſt vocandi, & ordinandi miniſtros Euangelii; quia hoſtes Euangelii vitare neceſſe eſt tanquam anathemata. Deinde etiamſi peteremus ab ipſis ritum ordinationis, non tribuerent, niſi obligaremus nos ad abjiciendam veram doctrinam, & alia impia vincula nobis injicerent. Nec ideo Eccleſiæ veræ ſine paſtoribus, ſine clavibus, ſine voce Euangelii, ſine remiſſione peccatorum eſſe debent, quia tyrannis Epiſcoporum
F idoneos miniſtros pellit, aut præficere recuſat. Nec turbamus ordinem, eò quòd à tyrannis, qui ſunt extra Eccleſiam, non petimus miniſtros Euangelii. Nam ordinis confuſio eſſet à lupis paſtores petere. Semper hoc jus Eccleſiæ veræ fuit, vocare, & eligere ex ſuo cœtu idoneos Euangelii miniſtros, ut expreſſe ſcribit Synodus *Nicena*. Et electos judicio Eccleſiæ approbant, & confirmabant, non Ethnici tyranni, ſed illi qui præerant in orthodoxis Eccleſiis. Hic mos vetus & pius cum
G apud nos ſervetur, falſiſſimum crimen eſt, quòd dicunt à nobis turbari ordinem. Cùm igitur & ad veſtram conſolationem, & ad confirmandos auditores veſtros proſit conſiderare, quas ob cauſas in vos ſævitia exerceatur, & quibus prætextibus id fiat, univerſum doctrinæ corpus, & vobis, & populo ſæpè proponite. Vos ipſi ærumnas majore animorum tranquillitate perferetis,

retis, cum cogitabitis in vos injuſtam ſævitiam exerceri, non propter privatas cauſas, ſed quia doctrinam veram & neceſſariam de Deo, piè vocati ab Eccleſiis docuiſtis, & quæri falſos prætextus ad eam opprimendam. Multos etiam in populo conſideratio harum cauſarum movebit, & confirmabit, & ut doctrinam conſtanter amplectantur, & Eccleſias fovere & tueri ſtudeant. Hæc ad vos breviter ſcripſimus, ut adfici nos, & veſtro, & Eccleſiarum veſtrarum dolore, intelligeretis; Et oramus Filium Dei, ut cum ſit λόγος æterni Patris, ſervet in multis regionibus Euangelii miniſterium, & nos, & vos doceat, gubernet, & protegat. Ubi etiam hoſpitalibus officiis lenire vobis exilii ærumnas poterimus, non defuturæ ſunt vobis hæ vicinarum regionum Eccleſiæ. Bene valete. *Dreſdæ*, Idibus Februarii. M.D.LV.

Paſtoribus Eccleſiæ Hamburgenſis S.D.

Epiſt.79. Reverendi viri & amici cariſſ. Non ægrè ferimus, nos amanter à vobis vel moneri vel reprehendi. Sunt enim & hæc officia in amicitia, præſertim in Eccleſia, neceſſaria. Sed tamen oramus vos, ut in judicando, pro veſtra prudentia, gravitate, & erga nos benevolentiâ candorem adhibeatis, nec veteres amicos, qui amplius viginti annis magnos labores & varia certamina ſuſtinuimus, & adhuc ſuſtinemus, damnetis, ſicut alii quidam, qui falſis criminationibus rabioſè nos inſectantur: quibus ideo nondum reſpondimus, nè tam triſti tempore odia & diſſidia magis inflammentur. Primum autem vobis ſignificamus, Dei beneficio, vocem doctrinæ eandem in Eccleſiis noſtris & Academiis ſonare, quam tot annorum conſenſu vobiſcum profitemur, & quam nunc in veſtra confeſſione propugnatis. Cumque ſciamus hanc doctrinam æternum Dei decretum eſſe, & perpetuam veræ Eccleſiæ ſententiam, nihil in ea unquam mutaturi ſumus, ac nè quid mutaretur in doctrina & Liturgia, acerrimæ contentiones nobis hoc ipſo anno cum aliquibus fuerunt, qui ingeniis, eruditione & autoritate in his regionibus excellunt. Quod cum ita ſit, extant non obſcura teſtimonia noſtræ confeſſionis, ac aliquanto majora odia & pericula ſubimus in tali confeſſione, quàm illi, qui inter adplanſores ſuos in tuto nobis conviciantur, quos optaremus intereſſe iis diſputationibus, in quibus argumenta aſtutiſſimè excogitata, magno labore refutamus. Eduntur apud nos & libri iidem, qui ante bellum editi ſunt; Nec ritus alii ſunt in Eccleſiis noſtris, quam quos vidiſtis. Et quanquam non magna diſſimilitudo eſt, tamen alibi plures, alibi pauciores ſunt, de qua diſſimilitudine nec antea rixati ſumus, nec nunc rixamur. Nam & eſſe publicos congreſſus honeſtos, & ritus non barbaricos in illis congreſſibus, imò & quædam diſciplinæ ſigna eſſe neceſſe eſt, in quibus ſi nihil contra mandata Dei inſtitutum eſt, de geſtibus ipſis non eſſe pugnandum vos ipſi ſcitis. Sed metuitis in generali verbo inſidias, cum dicimus nos de Adiaphoris non pugnare. Veniunt eadem nobis in mentem, quæ vos prudenter proſpicitis. Et voluntates multorum eò ſpectant, ut inclinationem ad totam politiam Pontificiam faciant. Sed tamen cum occupati majoribus certaminibus de rebus neceſſariis, omittimus rixas de Adiaphoris, decet bonos viros, qui talia legunt, adhibere dexteritatem in judicando. Vocamus Adiaphora, non magicas conſecrationes, non ſtatuarum adorationes, non circumgeſtationes panis aut ſimilia, quæ apertè damnantur voce noſtrâ & ſcriptis, imò nè ineptias quidem, ut excubias ad ſepulcrum. Talia qui vel odioſè coacervant, ut nos exagitent, vel aſtutè colligunt, ut Paſtoribus duriora onera imponant, injuriam nobis faciunt, & ſuis affectibus morem gerunt. Alia multa ſunt Adiaphora, quæ & antiquiſſima Eccleſia inſtituit, & ad concinnum ordinem, & ad docendos ſeu commonefaciendos rudiores conducunt, ut ordo Feſtorum, lectionum, publici congreſſus, Examen & abſolutio ante ſumtionem Sacramenti, ritus aliquis publicæ pœnitentiæ, examen in confirmatione, publica ordinatio ad miniſterium Euangelicum, publicæ deſponſationes, & precationes in nuptiis honeſti comitatus, aut etiam conciones in funeribus.

Hæc cum pleraque in uſu ſint apud nos, & bono conſilio retenta ſint, quâ fronte dicere poteramus, nos nulla Adiaphora, nihil uſitatum admiſſuros eſſe? An ut ſit in factionibus & ſtudiis partium, odio adverſariorum etiam iſtos vetuſtos mores congruentes cum Eccleſia Dei inde uſque à primis parentibus abjiceremus? Sicut *Cineſias* quidam *Athenis* feſtos dies contrarios populi conſuetudini celebrabat. Et *Aſiani* ſues mactârunt, & contrarium anni initium conſtituerunt, ut oſtenderent ſe prorſus alienos eſſe ab *Iſraelitis*. Scimus nè vos quidem probare talem novitatem, & reverenter tueri vetuſtæ Eccleſiæ ordinem, qui bono conſilio inſtitutus eſt. Ac præcipui ritus in veſtris & noſtris Eccleſiis congruunt ad veterem formam, quæ extat in ſcriptoribus, qui ante *Gregorium* fuerunt. Diſciplinæ ſeveritas aliquantò major fuit, & exercitia temperantiæ majora fuerunt, quas duas res nunc quoque optamus curæ eſſe gubernatoribus, qui Ceremonias, & umbras diſciplinæ in ſpeciem reſtituere conantur, non res ipſas.

Sed reprehenſio veſtra, non de hac honeſta conſuetudine Eccleſiarum noſtrarum loquitur, ſed de quorundam ineptorum rituum inſtauratione, quæ fieri à potentibus videtur ut paulatim reſtituantur omnes abuſus Pontificii. Hìc mollities noſtra accuſatur, quòd non vehementiùs adverſamur, quòd alicubi damus conſilium Paſtoribus, nè deſerant Eccleſias propter hanc novam ſervitutem...

In ditione *Marchionis Alberti* aula primum petivit, ut Paſtores totum librum *Auguſtanum* amplecterentur ac ſequerentur. Pio conſenſu Nobilitatis, Civium & Paſtorum modeſtè facta eſt recuſatio. Decurrit ergo aula ad aliud conſilium, proponit articulos, qui doctrinam & Liturgiam non mutant, ſed plus rituum imponunt, qui utcunq; tolerari poſſunt. Additur comminatio, ut qui hanc normam ſequi nolint, diſcedant. Etſi multi Paſtores diſcedere malebant, tamen Eccleſiæ petebant, nè desererentur. Tali tempore quid conſilii dandũ fuit? Reſpondent aliqui vehementiores, atroci ſcripto perterrefaciendam fuiſſe aulam metu ſeditionis, & hac *Gorgone* reprimendam, nè quid in Eccleſiis mutaretur. Id cur facere nolimus, multæ cauſæ ſunt. Et fortaſſis magis irritarentur inimici, qui nolunt ſibi leges à nobis ferri: dicerent etiam attrahi exercitus Cæſaris: talia ſcripta eſſe claſſica bellorum exitialium patriæ. Nec voluimus

deſeri Eccleſias, ut in *Suevia* accidit, ubi in multis templis jam prorſus ſolitudo eſt, ut lupi jam præſunt, qui doctrinam impiam & falſas invocationes reſtituunt. Si tali tempore hoc noſtrum conſilium reprehenditis, ignoſci nobis petimus, nec propterea nos damnari, qui vocem Euangelii eandem vobiſcum ſonamus, & aliquantò propiores periculo ſumus, quam vos, qui habetis auditores æquiores. Et coram plures graves cauſas dicere poſſemus, cur hoc moderatius conſilium utilius eſſe judicemus.

Quæ res adverſarios armaverit contra nos, & audaciam ac potentiam eorum confirmaverit, longum eſſet dicere, & non eſt [illegible], ut *Ariſtoteles* dicere ſolebat, ſed tamen diſſenſiones & diſſimilitudo Eccleſiarum noſtrarum videretur ἀναγκαῖον fuiſſe gubernatoribus, ut novam normam proponerent.

Ut igitur clarè cerni poſſit, nos non cupiditate libertatis, non ſtudio novitatis, non odio diſſidere ab adverſariis, de magnis rebus pugnamus, in quibus evidentia veritatis convincit ſaniores etiam inter inimicos. Id judicamus utilius eſſe, quàm de veſtitu aut re ſimili rixari, ubi ſapientes clamitant, nos tantùm ſtultâ moroſitate ac contumaciâ adverſari gubernatoribus, alere diſſidia, attrahere peregrinas gentes. Talia multa cùm audiamus, opponi non leves cauſas neceſſe eſt. Vobis in auditorio veſtro omnia faciliora ſunt, & veſtram libertatem vobis gratulamur. Semper autem aliqua eſt Eccleſiæ ſervitus, alibi mitior, alibi durior, ac leniri ærumnas ſervitutis conſolatione veſtrâ decet, non augeri condemnatione, dum fundamentum tenemus.

Concordiam igitur inter nos, & mutuam benevolentiam tueamur, nè invocatio in nobis, aut in populo turbetur, néve triſtes & pernicioſæ dubitationes oriantur ex quæſtionibus non neceſſariis, ut olim de Paſchate accidit. Illi quibus ea libertas minus impedita eſt, agant Deo gratias, & piè utantur eâ ad illuſtrandam doctrinam, nec diſciplinæ frenos propterea magis laxent. Alii in ſervitute agnoſcant caſtigari nos divinitùs, & veram Dei invocationem corrumpi non ſinant, ſicut ſcriptum eſt: *Hac omnia venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te.* Nos non ſumus ſuaſores, ut Eccleſiæ turbentur, nec in minore dolore & periculo ſumus quam vos, ſed ubi nova onera imponuntur, prudenter judicandum eſſe ſentimus, an relinquendæ ſint Eccleſiæ lupis, aut facienda ſolitudo, an verò ſervitus toleranda ſit. Nam neque nos impias Ceremonias recipi volumus, neque ſine graviſſimis cauſis deſeri Eccleſias, ſicut ſcriptum eſt: *Non deſerentes congregationem veſtram.*

Hanc reſponſionem vobis ſatisfacturam eſſe ſperamus, & optamus, ut æterna ſit inter nos concordia, & animorum conjunctio in Deo, ſicut Filius Dei in agone ſuo precatur, ut Pater mentes omnium in Eccleſia copulet, ut unum ſint in Deo. Bene valete. XVI. April. Anno M. D. XLIX.

Ad paſtores Eccleſiæ Dei in Marchia. S. D.

Epiſt. 80. VEnerandi viri, ſicut ipſe Filius Dei ante agonem oravit, ut Eccleſia ſit unum in Deo, ita maximè oremus ipſum, ut conſenſum harum Eccleſiarum, in quibus ſonat vox Euangelii incor-

A rupta, & in quibus vera ſit invocatio Dei, tueatur. Principes etiam Electores cum unà eſſent, longâ commemoratione exponens, qualis ſit diſſipatio in aliis regionibus, hortatus eſt *Anhaltinus*, nè ſinant diſtrahi harum regionum Eccleſias, jam rectè ſentientes. Ac nos quidem doctrinam in Eccleſia noſtra ſonantem, quæ quidem & cum *Marchionis* Electoris ſcripto congruit, quod ante annos VIII. ſuis Eccleſiis propoſuit, non mutabimus, nec reſtituemus vicioſos cultus, quos hactenus improbavimus.

B Quod verò de articulis factis in *Juterbach* interrogatis, ſcitote nos non interfuiſſe illi arcanæ deliberationi, in qua Principum facta eſt ſubſcriptio, nec exempla illorum articulorum habemus, nec conſecrationes oleorum aut ſalis inter Adiaphora recenſemus, ac ſemper improbavimus illas oleorum conſecrationes, & adhuc improbabimus, ſi qua in illis articulis mentio facta eſt unctionis: illud etiam additum fuit, reſtare Articulos non

C conciliatos, de quibus neceſſe ſit ab Epiſcopis judicari quid deſideretur. Poſtremò quod interrogatis, ſi liber *Auguſtanus* vobis ſimul cum articulis proponeretur, quid ſit reſpondendum? Simplex eſt veritatis oratio. Reſpondete vos normam doctrinæ quam Elector ante annos aliquot publico ſcripto Eccleſiis *Marchicis* commendavit, fideliter ſervaturos eſſe, nec eam normam mutaturos. Si autem Princeps ſic interpretetur librum *Auguſtanum* aut alios articulos, quaſi cum hac doctrina

D ſui ſcripti congruant, ac velit ita reſpondere Imperatori, de ea interpretatione aut reſponſione ad Imperatorem, dicite: Vos Principi nihil præſcribere, ſed vos teſtari, quòd normam hactenus ſervatam ſecuturi ſitis; Hac reſponſione fortaſſis Elector contentus erit. Scimus fieri ſolitudinem in multis Eccleſiis, pulſi ſunt paſtores plures quadringentis in *Suevia*, & ad *Rhenum*. *Tubingæ* nunc pulſis Paſtoribus & Concionatoribus, unicus eſt Sacrificulus, qui ut libro *Auguſtano* ſatisfiat, obla-

E tionem reſtituit. Mirum eſt igitur, cur adhuc ætatem auream promittat *Iſlebius*, cum manifeſtè videat vaſtari tam multas Eccleſias, pios & doctos viros exulare cum totis familiis. Tantæ calamitates cum alibi fiant, nos etiam duram ſervitutem, modò ſit ſine impietate, tolerandam potiùs eſſe exiſtimamus, quam diſcedendum ab Eccleſiis.

F *Paſtoribus Eccleſiæ Dei in Comitatu Mansfeldenſi*, S.D.

REverendi viri & amici cariſſ. Orat Filius Dei in agone ſuo, ut æternus Pater conſenſum Epiſt. 81.
Eccleſiæ tueatur, ut ſimus unum in ipſo, ut verba quæ extant in ea narratione, recitem. Nec eſt irrita illa Filii Dei precatio, Semper erit aliquis cœtus cuſtos veræ doctrinæ conſentiens. Legi veſtram deliberationem, quam judico & piam eſſe, & cum noſtris ſententiis congruere. Etſi autem

G multa Eccleſiis noſtris minitantur, & profectò horribilis crudelitas in *Suevia* exercetur, tamẽ nec veræ doctrinæ corruptelas unquam recipiemus, nec vicioſos cultus adprobabimus. In aliis rebus Adiaphoris ſervitutem quamlibet duram tolerabimus; nec propter leves cauſas occaſionem præbendam cenſemus iis, qui pellere paſtores conantur: quâ de re, cum à multis interrogati

ſumus,

ſimus, ſcripſi quid mihi videretur. Quanquam autem ſcio quibuſdam horridiores ſententias magis probari, tamen hæc magna cauſa eſt, cur ſervitutem toleremus, nè fiat in Eccleſiis ſolitudo, qualis jam in multis locis eſt ad *Rhenum* & in *Suevia.* Nulli ſunt congreſſus, templa clauſa ſunt, nec Baptiſmus quidem in templis adminiſtratur, pelluntur Paſtores, aliqui etiam trucidantur, rapiuntur aliquorum conjuges & filiæ. Nec Magiſtratus ulli opem ferunt ſuis paſtoribus, quidam etiam gaudent eos excuti. Cum igitur videamus, quomodo in periculo ſint non tantùm docentes, ſed etiam ipſæ Eccleſiæ, hoc eſt, pii cœtus, tantiſper, donec piè poſſumus, manere apud Eccleſias ſtudeamus, etiamſi toleranda ſit aliqua ſervitus, quæ tamen ſit ſine impietate. Oramus autem Filium Dei, ut ipſe nos gubernet & pœnas mitiget. Non humanis conſiliis aut viribus retineri lux Evangelii in humano genere poteſt, ſed Dei opus & beneficium eſt tanti boni conſervatio. Ab ipſo igitur petamus & expectemus auxilium: Bene valete. Die XXI. Januarii. M.D.XLIX.

Epiſtola ſcripta Eccleſiæ Dei in urbe Françofurto ad ripas Meni. S.D.

Epiſt. 82. IN tanta Eccleſiarum diſſipatione & mœſtitia optârim quàm minimùm fieri mutationum. Semper enim, etiam tranquillis temporibus, aliquid eſt in mutatione incommodi. Nunc multò magis dolore afficiuntur bonæ mentes, cum vident tales mutationes inſtitui, quæ ſignificant inclinationem ad inimicos noſtros, quos certum eſt defendere vicioſos cultus. Propter hanc inclinationis opinionem triumphant & confirmantur inimici, & inter nos multi languefiunt, & in dubitationem adducuntur. Quare ſuaſores mutationis graviter accuſantur, & judicantur ſcandalorum inſignium autores eſſe, videlicet languefactionis in ea parte, quæ rectè ſentit, et confirmationis errantium, denique & obſcurationis veritatis & gloriæ Dei. Hæc non ſunt exigua mala, de quibus poſtea rurſus dicendum eſt, cum fiet collatio ſcandalorum, quæ ex durioribus & mollioribus ſentẽtiis ſequuntur. Prius autem diſcernenda eſt privata confeſſio à conſilio, quod aliis infirmis & diſſimilibus datur.

Laurentius rectè fecit, quòd mortem prætulit edicto *Decii* de pecunia. Fuit enim in ea occaſione confeſſio ejus illuſtrior, & talis celſitudo animi ſingulari motu Spiritûs ſancti juvabatur. Alius timidior cenſuiſſet pecuniam potiùs amittendam eſſe, quàm vitam, & fuiſſet hujus infirmitas excuſabilis. Nihil igitur hîc præſcribam fortibus, qui etiam levi occaſione confeſſionem illuſtrem ſuo periculo edere volunt. Sed videant ut veras ſententias profiteantur, earum fontes nôrint, & non ſint θρασύδειλοι, audaces ante pugnam, poſtea in pugna dubitare, trepidare & deficere incipiant, quales vidimus multos uſque ad ancillæ vocem fortes, ut in *Petri* hiſtoria exemplum propoſitum eſt.

Nunc autem non de privata confeſſione diſputo, ſed de conſilio dando aliis diſſimilibus & infirmis, ut hoc tempore multi gubernatores petunt, ut paſtores reſtituant aliquos veteres ritus ἀδιάφορα, eamque moderationem ſperant profuturam, ut plus non poſtuletur, nec turbentur Ec-

A cleſiæ propter alias res majores. Fortaſſis autem hæc ſpes una eſt. Hîc tamen ſentio petentibus tali moderatione gratificandum eſſe. Nec ignoro multa ſtoicè & horridè dici contra hanc ſententiam ſeu timidiorem ſeu æquiorem, cùm initia mutationis confirment adverſarios, nè quidem hæc parva ducenda eſſe ἀδιάφορα. Hanc duriorem opinionem ſi qui amplectuntur, amplectantur ſuo, non alieno periculo.

Cum *Petrus* dicit, *patiendum eſſe ubi opus eſt*,
B præcipit, ut confeſſio ſit de rebus veris & neceſſariis, & occaſio ſit honeſta adeundi periculi, ut cum Magiſtratus interrogant de doctrina, vel præcipiunt, ut facto ipſo abjiciamus doctrinam, ſicut Ethnici præcipiebant, ut milites ſacrificarent Idolis. Itaque non ſolùm privatim docti & fortes, ſed etiam populus anteferre debet veritatis confeſſionem vitæ, & paci in rebus veris, quarum cognitio omnibus neceſſaria eſt: ut cum præcipitur de corruptelis doctrinæ recipiendis, aut de mani-
C feſto abuſu Miſſarum, aut de Invocatione mortuorum. Et erudiendus eſt populus, ut diſcrimen intelligat inter neceſſaria, & non neceſſaria. Sed cum petitur, ut ſervetur ordo veterum cantionum, Feriarum & veſtitus, hîc non judico populum onerandum eſſe periculis, cum *Petri* regula dicat, *Patientes ubi opus eſt.* Ut meminimus in loco vicino *Baſilea* igne crematum eſſe quendam propter eſum carnium. Etſi crudelitatem Judicum juſtiſſimè execramur, & conſtantiam boni
D hominis in confeſſione laudamus, tamen & ipſe nequaquam malè feciſſet, ſi hoc periculum vitâſſet; & certe alios onerare nemo debet, ut tali occaſione pericula ſibi acceſſant. Secundò, Non tantum metu moveor, ut pias, elegantes & ſimiles ceremonias optem in Eccleſiis noſtris eſſe. Sæpè ante multos annos non ego tantum, ſed etiam alii multi gubernatores Eccleſiarum hortatores fuerunt, ut in Eccleſiis pia & ſimilis forma rituum inſtitueretur. Nec propterea doctrinam de libertate
E Evangelica abolemus, quæ de rebus multo majoribus concionatur; Sed omnes ſani intelligunt, naturæ hominis convenire ordinis elegantiam in publicis congreſſibus, ſicut & *Paulus* dicit: *Fiant omnia decòrè & bono ordine.* Ac dolemus in multis locis etiam utiles ceremonias, abſolutionis, cantionum, à cæteris abolitas eſſe.

Sed ſcandalum eſt confirmare adverſarios hac ſpecie inclinationis. Ad hoc reſpondeo: Si conſtantia erit confeſſionis in rebus neceſſariis, ut eſſe de-
F bet, non poterit defectio nobis verè objici. Volo enim & deinceps ſemper eandem vocem veræ doctrinæ ſervari, & nullos recepi impios cultus. In cæteris autem rebus oſtendamus modeſtiam & tolerantiam noſtram in ſervitute. Hæc ipſa ſubmiſſio ſi fieret retinendi Evangelii cauſâ, honeſtior eſſet, quàm ſuperbia in deſerendis Eccleſiis; Præterea majus eſt ſcandalum deſerere Eccleſias propter cauſas non maximas, aut præbere cauſam judiciis populi, qui diceret, nos
G propter parvas res pertinaciâ noſtrâ attrahere bella, quàm præbere adverſariis qualemcunque occaſionem calumniandi noſtram moderationem. Et cogita, uter malè faciat, an ille durus & horridus, qui ut retineat laudem conſtantiæ, mavult Eccleſiam deſerere, quàm veſtem mutare; an verò patientior ſervitutis, qui ut proſit Eccleſiæ, ſuſtinet onera quamvis ingrata, ſed

ſine impietate, ut interea maneat Eccleſia in rebus principalibus in eodem ſtatu, & non tollatur miniſterium Evangelii, & non turbetur invocatio in populo. Sæpe fit etiam, ut illi ipſi duri & vehementes majora negligant, imò etiam impediant, & interea de rebus minutis tumultuentur, ſicut ſcriptum eſt de colantibus culicem, & devorantibus Camelum. Pugnant aliqui de veſte, & interea prorſus tacent de diſciplina, imò magis eam axant, tacent & de excommunicatione, & aliis nervis vicioſorum cultuum. Sed confirmas, inquiunt, adverſarios.

Si erit conſtantia in rebus neceſſariis, non confirmamus adverſarios, ſed declaramus modeſtiam noſtram, & ſtudium juvandæ Eccleſiæ, quod etiam ſervitutem duriorem toleramus, & quidem ideo toleramus, nè Eccleſiæ deſerantur, item ut intelligant omnes, nos non de noſtra libertate, ſed de neceſſariis articulis diſciplinæ dimicare. Ac ſervitutem eò modeſtiùs feramus, quia prætextu libertatis nimium abuſi ſumus omnes. Fatendum eſt. non vulgarem fuiſſe petulantiam multorum in turbanda doctrina. Nec populus tantùm, ſed etiam gubernatores & ſeniores nimium neglexerunt exercitia temperantiæ, utilia invocationi. Magna fuit in diſcendo, in inquiſitione, & explicatione veritatis negligentia, nemo curavit inſpici Eccleſias & rudiores Paſtores erudiri. Multi doctores affectibus ſuis nimium indulſerunt. Aliqui etiam miſcuerunt intempeſtivè cauſam Eccleſiæ & alia negotia. Hæc noſtra peccata & alia multa commonefacti jam præſentibus ærumnis deploremus, & ita feramus ſervitutem, ut donec poſſumus prodeſſe Eccleſiis, non diſcedamus.

Nec propterea amittitur libertas *Chriſtiana*, ſi rectè docebimus. Nam corda ſcient tales ritus non eſſe cultus Dei, ſed alia majora opera, veram fidem, invocationem, dilectionem, ſpem, patientiam, veritatem, confeſſionem, caſtitatem, juſtitiam erga proximos, & alias virtutes veros cultus Dei eſſe. Sine hac doctrina, & ſine his virtutibus, libertas externa in cibis, veſtitu, & ſimilibus Adiaphoris non eſt libertas *Chriſtiana*, ſed nova politia, gratior fortaſſe populo, quia pauciora vincula habet. Objiciunt autem aliqui dictum *Pauli*: *Si qua deſtruxi, ea reſtituo, prævaricator ſio.* Non erravit *Paulus* in deſtruendo. At in hac noſtra infirmitate, cùm primùm veteres ritus aboliti ſunt, magna fuit & docentium, & opinionum & locorum diſſimilitudo. Aliqui privatam abſolutionem prorſus aboleverant, quod cum non ſit rectè factum, etiam ante hoc tempus reſtitui eam optavi. Fateamur nos homines eſſe, & potuiſſe quædam temerè & incircumſpectè dicere & facere. Talia ſi qua ſunt, non gravatim emendemus. Nec reſtitutio aliorum rituum mediorum prævaricatio eſt, cum doctrinæ puritas retinetur. Nam qui *Paulo* objiciebant reſtitutionem illam, volebant eum doctrinæ genus mutare, & aliis imponere legem *Moſaicam* tanquam neceſſariam. Hîc repugnat *Paulus*: alibi in uſu attemperat ſe ad mores eorum, cum quibus verſatur, & propter Eccleſiæ utilitatem ſuâ libertate non utitur.

Etſi autem ſcio multos de hac quæſtione duriorem ſententiam magis probare, tamen ſi profutura eſt ſervitus ad hoc, nè amittant Eccleſiæ vocem doctrinæ, nec onerentur vicioſis cultibus,
A pia & gravis cauſa eſt, cur ſervitutem quamvis duram anteferamus aliis conſiliis, in qua tamen nec conſcientiæ vulnerentur, nec invocatio piorum turbetur. Et quia non leviter antea nobis diſſidia noſtra nocuerunt, non moveamus nunc inter nos ipſos certamina non neceſſaria, ſed ſinguli in aliis quædam boni conſulamus, & communi tranquillitati condonemus, & leniamus Eccleſiæ mœſtitiam noſtra æquitate, quantum poſſumus. Ac Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*
B oremus, nè ſinat extingui lucem veræ doctrinæ & veram invocationem. XXIX Januarii, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono.

Iohanni Bugenhagio Pomerano, Paſtori Eccleſiæ Witebergenſis, S. D.

DEum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſto* oro, ut honeſtiſſimæ filiæ tuæ det felix, fauſtum, & fœcundum conjugium, ut & tu *Epiſt. 83.*
C tranquillo animo Eccleſiæ Dei diu ſervire poſſis, & videas in eadem ſtatione aliquantò pòſt tuam poſteritatem. Initia emendationis Eccleſiarum in his regionibus Dei beneficio mediocria ſunt. Ipſe quidem Princeps cupit rectè conſuli Eccleſiis, ſed collegium *Colonienſe* adeò atrociter adverſatur, ut nuper *Landgravius* ad collegium ſcripſerit, ſe & cæteros fœderatos eum defenſuros eſſe, ſi eum excutere conentur, ut minati fuerant. Videris in his regionibus deplorandam inſcitiam paſtorum, &
D ſingularem vulgi amentiam, quod ſummam religionem in ſolis ſtatuis adorandis collocat. Et tamen *Gropperus*, & alii docti *Coloniæ* hæc portenta tueri ſtudent. Profectò neceſſariam eſſe his locis emendationem facilè judicari poteſt. Ideo Deo commendabitis has Eccleſias, & totam Eccleſiam diſſipatam toto orbe. *Gallia*, & *Belgicum* magis ſæviunt, quàm unquàm. Cætera ex literis ſcriptis ad Reverendum D. Doctorem *Martinum*, & ad *Crucigerum* cognoſces. Commendo tibi
E familiam meam. Bene vale. *Bonnæ*, M. D. XLIII. Maii IX.

Caſparo Crucigero D. Theologiæ, de Eccleſiis in Epiſcopatu Colonienſi, S. D.

NOn poſſes harum Eccleſiarum labes ſine lacrymis videre. Paſtores aut nulli ſunt, aut indoctiſſimi. Tota religio populi eſt in adorandis ſtatuis. Quare fatetur Princeps neceſſariam eſſe *Epiſt. 84.*
F emendationem, ac adfirmat, ſe eam rectè & verò inſtituere cupere, nec defugere pericula. *Coloniæ* nunc fit veſtis ſtatuæ, quam æſtimant centum aureis. Hæc *Gropperus* defendit, quem aiunt circiter tria millia aureorum quotannis habere. Etſi magna eſt confuſio Imperiorum, & dolendum eſt diſtrahi *Germaniam*, tamen tantæ ſunt tenebræ, ut nos juſtiſſimis & neceſſariis cauſis urgeri intelligere poſſimus, ut doctrinæ puritatem adſeramus. Legi hîc *Eccii* rabioſiſſimum ſcriptum; Allatrat
G nos, quod dicimus, imputari juſtitiam. Nihil contendit dici à *Paulo* juſtitiam, niſi noſtras qualitates, eáque de re prolixè declamitat. Quid agatur hîc, ſcripſi D. Doctori *Martino*. Tantum inchoatum eſt ſcriptum de forma rituum, & doctrinæ, & ſequitur formam *Norsbergenſem*. Legi quædam, & ipſe articulum intertexui, περὶ [illegible]. Commendo tibi familiam meam.

Mitto

Mitto Epiſtolam Pontificis ad Senatum *Colonienſem. Bucerum* & *Piſtorium* video omnia fideliter agere. Die nono Maii, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo tertio.

Caſparo Crucigero D. Theologiæ, S. D.

Epiſt.85. CUm in ſchola ſine mediocri animi tranquillitate, vel ſine hilaritate potiùs nihil decenter fieri poſſit, totum conſilium eorum qui nos in vicinam *Parthenopen* ablegârunt, reprehendo. Vobiſcum eſſe malim, ubi etſi mei uſus exiguus eſſet, tamen quia turpe mihi duco, ab illis veſtris aris tali tempore diſceſſiſſe, minor eſſet dolor, & expecto reditum tabellarii, quem heri ad vos miſi. D. *Joachimus* adeſt, qui doloris ſocietate optimam & ſanctiſſimam voluntatem ſuam erga nos perſpicuè declarat. Si conſilio aut officio aliquo etiam juvare illam verè patriam poſſemus, non defugeremus & labores & pericula. Impedimur, ut ſcis, ſuſpicionibus ἢ ἀνθείας τῷ ἐν τέλει, ἢ γάμων ἐλπίδων. conſilia ὄνομα καλά proponunt, quæ utinam ſint ſalutaria. Bene & feliciter vale. Die XVII. Novemb. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto.

Caſparo Crucigero D. Theologiæ, S. D.

Epiſt.86. VTinam, ut anni initio aliquid laxamenti vobis contingit, avocato hoſtili exercitu ex veſtra vicinia, ita hic annus veniens totus ſit fauſtus & felix noſtro oppido, quod fuit hoſpitium optimorum ſtudiorum, & adhuc eſt Eccleſiæ Dei alveolus. Flectere animum *Caroli* Imperatoris ad pacem nonnulli conantur. Sed humana ſapientia, quàm certa habeat conſilia, ſæpè jam experti ſumus. Nec de nihilo eſt, quod inquit *Xenophon*, ἐγὼ ἀνθρωπίνην σοφίαν, οὐδὲν μᾶλλον οἶδα τὸ ἄριστον αἱρεῖσθαι, ἢ εἰ κληρούμενος ὅτι λάχοι τοῦτο τις πράττοι, quod certè verum eſt de iis conſiliis, in quibus non neceſſaria ſuſcipiuntur, quod utinam aulæ conſiderarent. Sed hæc aliàs. Mitto reliquas paginas *Meniani* ſcripti, quarum cenſores vos eſſe volo, ſunt πάρεργα ut videbis. Reverendo D. Paſtori & collegis ſalutem opto. Die XXIX. Decemb.

Caſparo Crucigero D. Theologiæ, S.D.

Epiſt.87. IN Tragœdia *Æſchyli* ſervus, cum monens *Eteoclem* objurgatur, reprimit ſeſe, inquiens, σὺν ἄλλοις πείσομαι τὸ μόρσιμον. Id non nunc primum cogito. Sed tamen ſæpè dolor vicit, ut pro meo captu dixerim, quod videbatur illis ipſis qui dominantur utilius. Nunc magnitudo periculi communis, tanquam in incendio magis nos hortatur, ut ſi quid quiſquam poteſt moneat. Sed omnia ignoramus. Ego nec quâ ſpe ducant bellum, nec quæ habeant auxilia ac συμμαχίαν ſcio. Illud video, cum antea videretur non contemnenda potentia fœderis eſſe, tamen noſtros expertos eſſe ſociorum infidelitatem. Sed omitto querelas. Nos, quicunque erunt exitus, conſolemur nos hâc verâ & firmâ conſolatione divinitùs traditâ, quòd non ſit à Deo deficiendum, etiam inter has ærumnas: deinde levationem doloris adfert conſcientia rectæ voluntatis. Nam veritatem ſimplici ſtudio quæſivimus, & multa utiliter patefacta ſunt. Si propter hoc ſtudium interficimur, ſumus in numero iſtorum, qui in Pſalmo dicunt: *Propter te mortificamur totâ die.* Servabit tamen Deus cœtum aliquem harum Eccleſiarum, & aliqua domicilia. Pagellam mitto Narrationis exhibendam D. *Pontano.* Nam me reverſum ſtatim accerſivit *Aſcanius*, & dolorem ſuum commemorans, & pericula noſtra deplorans: Eratque finis orationis, ut de pace petenda cogitaretur. Poſſe flecti Imperatorem, ſi noſter fieret ſupplex. Et hæc me ſignificare aulæ voluit. Fuerunt antea ſupplices *Othoni* frater & deinde filius. *Henrico* quinto *Lotharius*, qui poſtea factus eſt Imperator. *Sigiſmundo*, *Fridericus Auſtriacus*. *Maximiliano*, *Philippus Palatinus*. *Carolo*, *Veneti*, *Iuliacenſis*, & nunc alii. Sed ἐκδότους arbitrantur permittere, ut Imperator mutet Eccleſiarum doctrinam. Si ſic ſentiunt, nimis ſegniter gerunt bellum. Deus pater Domini noſtri *Ieſu Chriſti* ſervet & defendat Ducem Electorem *Saxonicum*, propterea quòd primus & præ cæteris ſtudia doctrinæ fovit, & noſtros gemitus propter ſuam gloriam exaudiat. Bene vale. Die tertio Martii.

Caſparo Crucigero D. Theologiæ, S. D.

ET dilexi filiam στοργῇ divinitùs inſitâ humanæ naturæ, & ſenſum amoris acuit miſericordia, poſtquam in triſtiſſimam ſervitutem venit, præſertim cum viderem multas in ea virtutes adumbratas eſſe. Quare poſtquam ad cæteras calamitates mors immatura acceſſit, non poſſum non dolere. Auget etiam mœſtitiam recordatio mei errati. Non enim ſuâ culpâ, ſed meâ negligentiâ in tantas miſerias inciderat. Cum autem quotidie eam veris gemitibus Deo commendaverim annos decem, & mihi perſpicuo teſtimonio ſignificatum ſit, curæ Deo futuram eſſe, judico divinitùs ex hac vita evocatam eſſe, ut iis calamitatibus, in quibus fuit, liberaretur. Hæc cogitatio paternum dolorem quaſi hebetiorem effecit. Itaque & Deo æterno patri Domini noſtri *Ieſu Chriſti* gratias ago, quòd oſtendit ſe gemitus noſtros exaudire, & iſtam miſeram in tranquilliorem vitam evocavit. De morbo & ſermone morituræ fortaſſis ſcribet aliquis, qui planè nondū oblitus eſt noſtrorum officiorum, ac mittere tabellarium ad *N.* meo ſumptu decrevi. Tibi verò gratias ago, quod & noſtro dolore afficeris, & lenire eum ſtudes, à quo tamen me etiam cogitatio publicorum malorum abducit. Nec me tantùm excruciant publica belli mala, quæ ſunt innumerabilia, ſed etiam doctrinæ confuſiones, & interitus literarum. Synodus telam exorſa eſt ad ſtabilienda impia dogmata, & habebit applauſores Principes & theologos ἐπαμφοτερίζοντας. In his tantis periculis cum ſit Eccleſia, & manifeſtum ſit ſine ope divinâ non poſſe doctrinæ lucem retineri, hac me ſpe ſuſtento, quòd nunc cum deſtituitur Eccleſia omnibus humanis auxiliis, Deus præſentiam ſuam oſtendit mirandis liberationibus, quod ut nunc faciat, toto eum pectore oro. De refutatione Synodi valdè prodeſſet nos amanter colloqui. Bene vale. Die XXIX. Martii, M. D. XLVII. *Serveſtæ.* *Epiſt.88.*

Caſparo Crucigero D. Theologiæ, S. D.

Q*Uicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt,* *Epiſt.89.*

inquit ille ſatis glorioſè, nos addamus, ἀνδρεῖον γὰρ

εἶν-

Nam ſine divina ope, nè quidem ſuſtineri tanti fluctus poſſunt, quantis jam cymba noſtra concutitur. Ideo conſolationem hanc Deus toties tradidit, domicilium ſuum afflictos eſſe, qui ipſum invocant. Tria certè ſigna propria Eccleſiæ Dei conſpiciuntur in noſtro cœtu, Sonat apud nos vox Euangelii, invocamus veris gemitibus, & hoſtium rabies extrema minitatur: E contra hoſtes manifeſtè conantur extinguere lucem Evangelii, perfidioſi amici arte opprimunt. Invocatio horum quæ eſſe poteſt? Poſtremò ſecuri triumphant, aut ex periculis ſe extricant, ut λάβραξ ruptis maxillis hamo ſe eripit. Oremus igitur Deum, ut adſit nobis, & ſervet Eccleſiæ reliquias. Mitto tibi Epiſtolas, partim Reverendo D. *Paſtori*, partim mihi inſcriptas. Exhibebis igitur *Paſtori* ſuas, & cæteras ei leges. Bene & feliciter vale. Die, quâ memoria celebratur pompæ triumphalis, quâ Filius Dei *Jeroſolymam* ingreſſus eſt, vectus mulâ, ubi multi eum excipientes, magnificas ſpes habuerunt, qui poſtea eo pendente in cruce defecerunt: ſimilia nunc fiunt.

Ad amicum quendam initio belli Germanici. S. D.

Epiſt. 90. E*Untes ibant & flebant mittentes ſemina ſua,* inquit *Pſalmus*, Significans pios Doctores in magnis & variis periculis circumferre Euangelium ſæpè lacrymantes. Sed fontes nôſti unde vera remedia haurienda ſunt. Ex iis conſolationem petito. Ferendæ ſunt omnino aliquæ injuriæ, & hac ſpe ferendæ, quia exitum Deus gubernaturus eſt, & de cauſa & voluntate noſtra aliquantò pôſt teſtificaturus, quâ de re etiam mea aliqua exempla recitare poſſem. Sed nunc magis à me conſilium, quàm conſolationem expectas. Primùm igitur hoc rectum eſſe judico, non deſeri à te Eccleſiam, ad quam ritè vocatus es. Ejus vocationis ſanctitate plus moveri te velim, quàm dolore injuriarum, quæ ab iis oriuntur, qui hoc ipſum agunt, ut te extruſo aliquem inveniant aſtutè ſe inflectentem ad doctrinæ corruptelas. Deinde cenſeo te, Principi tuo adſentientem, qui toties adſeveras à *Carolo* Imperatore non quæri oppreſſionem doctrinæ, in Eccleſia tua receptæ, poſſe tacere de Imperatoris voluntate. Etſi enim eventus monſtrabit, quid agatur: tamen interea dum tali teſte probatur voluntas Imperatoris, non repugnes. Nihil enim opus eſt judicare de ignota cujuſquam voluntate &c. Nos juſtam cauſam habuimus quærendi de voluntate Imperatoris: nobis enim bellum denunciavit, ac nominatim mentionem fecit quorundam negotiorum, quæ verè ad doctrinam pertinent, nec interea oſtendit noſtris, ſe toleraturum eſſe ſententias publ. receptas apud nos, ut veſtro oſtendit. Etſi autem video quarundam maximarum rerum oppreſſionem quæri: tamen nunc quidem te de illis pugnare non velim. Mihi ipſi magna contentio fuit *Auguſtæ* cum multis, nè insereretur Confeſſioni, quæſtio, *An Romanus Epiſcopus antecellat aliis*, diſplicent enim mihi in Eccleſia omnes de principatu rixæ. Et magno cum dolore vidi aliquos ſibi ſumere poteſtatem majorem, quàm ipſe *Romanus* Epiſcopus ſibi ſumit. Verùm hoc agi volui, ut extaret doctrina neceſſaria rectè explicata, quod ipſum impediebant aliqui, qui ſibi Principes

A devinciebant illecebris diſputationum de potentia. Potes igitur de Imperatoris voluntate, & de re obſcura, politica, & aliena à tuo munere, tantiſper ſilere, donec tempus veritatem in lucem proferet. Sæpè ſpecioſis involucris aliquandiu veritas tegitur, quæ tamen Deus poſtea retegit. Omiſſâ igitur mentione harum rerum ambiguarum aliquantiſper, interea tamen ſtationem tuebere, in qua te Deus collocavit, & in eodem veſtigio propugnabis neceſſariam & ſalutarem do-
B ctrinam. Expones cauſas harum miſeriarum eſſe non tantùm Principum adſectus, ſed potiùs populi & Principum multiplicia delicta, ut omnium politiarum converſiones calamitoſæ pœnæ fuerunt, & ſunt, & erunt communium ſcelerum. Dices de pœnitentia, de fide, de petenda mitigatione miſeriarum. Objurgabis maledicos, qui odia in utraque parte irritant. Flectes animos auditorum ad miſericordiam erga calamitoſos, hortaberis eos qui valent autoritate, ut conſilia reſtitu-
C endæ pacis in patria inter cognatos quærant. Denique, donec poſſumus, Eccleſiarum concordiam & mutuam benevolentiam alamus, quæ etiam aliquando profutura eſt ad pacem inter Principes reſtituendam. Et Deo grata eſt, etiamſi lacerantur Imperia, quod fit multis de cauſis, quarum ſeries tota nunc non perſpicitur. Interim tamen etiam ruentibus Imperiis, vult Deus manere Eccleſiam. Hanc igitur omnibus officiis pietatis foveamus, & oremus Deum, ut ipſe inter nos Fi-
D lio ſuo Domino noſtro *Ieſu Chriſto* hæreditatem æternam colligat, nec ſinat extingui ſtudia doctrinæ: ſed concedat mediocria hoſpitia Eccleſiis, & diſciplinam & pacem tueatur. Bene vale. Die XXIII. Novemb. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto.

Viro optimo Georgio Spalatino, amico ſuo cariſſimo S. D.

E QUòd inſpiciendum mihi dediſti *Hiſtoricum Merſburgenſem*, gratiam tibi habeo. Nam Epiſt. 91.
humanitate tuâ delector. *Hiſtoricus* ipſe minus me delectavit; miror homines aulicos nè vidiſſe quidem, quæ res eſſent mandandæ literis. Nugas ceremoniarum recenſet, res graviores prætermittit. Eram tibi codicem nuper hic redditurus, ac mane juſſeram ut tibi portaretur. Sed tu jam abieras. Expectabimus ergo tuum reditum. Hic *Vitus* ſic ſatis intelligit doctrinam *Chriſtianam*,
F & facundus eſt: Poterit etiam uſu proficere. Quare optârim ei aliquam majorem & fructuoſiorem Eccleſiam commendari. Scio deſiderari Diaconum in oppido vicino *Friberga*, *Aldenburg*, & opinor aliis locis pluribus in vicinia *Dreſda*, ei poſſe conſuli: ſed ſi in veſtra vicinia ei locus eſſe poteſt, quæſo ut ejus rationem habeas. Videtur mihi idoneus eſſe, quia & doctrina & facundia inſtructus eſt. Poſſet honeſtè tueri locum in oppido aliquo. Bene vale. II. Decemb. Anno mil-
G leſimo quingenteſimo triceſimo nono.

Georgio Spalatino S. D.

DE libris ſcribam cum à compactoribus nobis exhibiti erunt, & curabo rem ita, non Epiſt. 92.
ut tuam diligentiam aſſequar, quæ eſt incomparabilis, ſed ut in contractibus bonæ fidei requiritur.

tur, nè quid dolo fiat, aut affectatâ negligentiâ. Novi nihil habebam, præter fabulas de his qui ſupplicio affecti ſunt à Cæſare, quod dicuntur eam *Venetis* prodituri fuiſſe. Puto tibi omnia nota eſſe. De loco *Pauli*, Sermo Sapientiæ, eſt ſpiritualis doctrina, de notitia Dei, de fide ac ſpe, qualia ſunt quæ *Lutherus* tractat plerunque: Huic enim propriè datus eſt ſermo ſapientiæ. Sermo ſcientiæ eſt gradus inferioris, de uſu rerum exteriorum, de politicis rebus, propemodum ut Philoſophi prudentiam appellant, dijudicationem τ̃ πρακτῶν, agendorum, ut vocant, ut cum docet *Lutherus* de variis Vitæ generibus, de Magiſtratibus, de cavendis technis fanaticorum ſpirituum &c. Genera linguarum ſignificant notitiam multarum linguarum: ἑρμηνεία γλωσσῶν, ſignificat eloquentiam veram, qualis eſt *Pontani* aut *Lutheri*. Librum recens à te miſſum perlegi totum, neque quidquam inveni, quod ad hæc tempora propriè pertineat. Habet imagines quaſdam naſcentis Eccleſiæ, & quòd gentium Eccleſia iterum diſſipanda fuerit, ſive per hæreticos, ſive per alias peſtes. Hæc eſt ſumma operis. Puerile ſcriptum eſt & inane. Bene vale.

Georgio Spalatino S. D.

Epiſt. 93. MUlta Dircæum levat aura Cygnum, inquit *Horatius* de *Pindari* carmine. Habet enim amplificationes & interſperſas ſententias jucundiſſimas. Dictum de quo interrogas, eſt in *penultima Oda in Pythiis*, ubi de *Clytemneſtra* adulterio loquitur: Verſiculi hi ſunt:

Τὸ δὲ νέαις ἀλόχοις
Ἔχθιστον ἀμπλάκιον
Καλύψαι τε ἀμάχανον
Ἀλλοτρίαισι γλώσσαις,
Κακολόγοι δὲ πολῖται.

Id eſt:
Juvenculis nuptis
Turpiſſimum crimen
Et quod celari nequit
Alienas linguas,
Maledici autem ſunt cives. Id eſt, Populus delectatur fabellis, quæ aliorum famam lædunt.

Affinem ſententiam continet in *Nemeis* de talibus fabellis,

Ὄψον λόγοι φθονεροῖσιν,
Ἅπτεται ἐσλῶν ἀεί,
Χειρόνεσσι δ' οὐκ ἐρίζει.
Obſonium ſunt fabellæ invidis,
Attingunt autem bonos ſemper.
Cum malis autem non certant.

Vide quàm ſit lepida figura, quod dicit, invidis pro cibo ac pro obſonio eſſe tales fabulas, quibus detrahunt de aliorum exiſtimatione. Mihi crede, nihil dulcius eſt *Lyricis* illis verſiculis *Pindari*. Et quanquam non ſum in ſcribendo carmine felix, tamen ſi mihi plus eſſet ocii, interdum Odas aliquas verterem, vel oblectandorum amicorum cauſâ. Nequaquam enim putes eſſe horridum, ut eſt *Horatius*. Sed deſino. *Plinii* editionem *Baſilienſem* ſcito longè emendatiorem eſſe *Colonienſi*. Bene vale.

A

Georgio Spalatino S. D.

Epiſt. 94. MAgnum à te munus mihi judico miſſum eſſe, cum proximam epiſtolam miſiſti. Nam & de tua benevolentia amantiſſimè ſcripta eſt, & de coërcenda juventutis petulantia graviſſimè. Et additæ ſunt *Ambroſii* ſententiæ memorabiles, tanquam auctarium. Quare tibi & habeo gratiam, & referam ἀτῷ τῷ μέτρῳ, viciſſim aliquid B ſcriptorum mittam, cum habebimus editiones, quas arbitrabor tibi voluptati fore. De Juventutis petulantia, & vitiis Reipubl. non quidem omittendæ ſunt querelæ, ſed dolor animi moderandus eſt. Si adjuvarentur concionatores & gubernatores ſcholarum à Principibus, frenari Juventus melius poſſet. Sed ſæpè ſenſi, voluptati eſſe aulis hoc ſpectaculum, cum vident nos, tanquam in arena luctari. Feramus igitur ingenti Philoſophico & *Chriſtiano* animo injurias, nec propterea C nos abduci ab officio noſtro ſinamus, repugnemus mediocriter furori hominum, & ſi quos poſſimus, flectamus ad virtutem. Hic mihi ſcopus propoſitus eſt, hic finis meorum conſiliorum & meæ Philoſophiæ. Meminiſti dictum ſapientiſſimum *Friderici* Ducis, *Tantum, quantum poſſum*. Idem nos in noſtro munere ſequamur. Proſimus Reipub. & poſteritati, quantum poſſumus; præſidia, gratiam, præmia à Deo expectemus: Humana nulla ſunt. Hic ſcholaſticus *Liſnicenſis* ſcribit ſolutam D orationem, & verſus ſatis eruditè. Nunc orat, qui præficiatur ſcholæ *Bornenſi*. Nam is qui fuerat acceſſitus mortuus eſt. Videtur autem hic *Chilianus* modeſto & bono ingenio præditus. Et pollicetur ſe non fore contumacem adverſus te & concionatores. Ideo eum tibi commendo. Ad Epiſcopum *Cicenſem* aliàs ſcribam. Bene vale. Die viceſimo octavo Septemb.

E *D. Caſparo Aquilæ, Paſtori Eccleſiæ Dei in oppido Salfeld*, S. D.

Epiſt. 95. CUm ſpes oſtenſa eſſet inſtaurationis Academiæ, méque vehementer obteſtarentur collegæ, ut rediſem, moverunt me Academiæ nomen, conjunctio collegarum, ſolitudo & mæſtitia hujus Eccleſiæ, in quam antea multæ gentes intuebantur, ut huc accederem. Videbam etiam ſingulare beneficium Dei eſſe, quòd oppidulum noſtrum non funditus deletum eſſet, judicabamque F alterum Dei beneficium fore, ſi etiam alveoli ſcholæ reſtituerentur. Cum autem ſciam, mihi atrociter maledici à multis, propter hunc meum reditum, nihil reſpondeo, niſi precari me, ut meo dolori venia detur. *Æger animus ſemper errat*, inquit *Ennius*. Fuit igitur in hac tanta mœſtitia mea, fortaſſis animus meus avidior conjunctionis veterum amicorum, quibus cum in ſocietate honeſtiſſimi laboris tamdiu vixi. Fieri etiam potuit, ut ſpei plus habuerim, quàm pro temporum con- G ditione ſperandum erat, de inſtauratione Academiæ, quæ an proceſſura ſit, adhuc dubium eſt. Certè nec voluptates nec opes quæſivi. Vivo hîc meo ſumptu, & verſor in communi luctu & precatione. Nec mihi dies ulla ſine lacrymis abit. Si procedet inſtauratio, ſpero profuturam Eccleſiis harum regionum. Si non procedet, tum demum in nova exilia diſtrahemur. Nec mirum eſt nos, ut amantes,

amantes, huic diſtractioni moram aliquam quæſiviſſe. Qui hoc meum erratum ſic exaggerant, tanquam doctrinam abjecerim, ſuo more calumniis delectantur. Qui utinam ſua etiam errata cogitarent. Amicos autem oro, ut vel propter amicitiam judices ſint mitiores, præſertim cum hoc iter meum nihil nocuerit Reipubl. Edo hic libellum puerilem, ſed, ut ſpero, profuturum diſcentibus. Nam ita retexui Dialecticen, ut penè integram complexus ſim, & illuſtravi exemplis, quæ in Eccleſia extare utile eſt. Nunc ad tuam Epiſtolam venio, quam ad Reverendum virum D. *Pomeranum* ſcripſiſti: *Pindarus* inquit, *Maledicta obſonium eſſe in conviviis*. Adeò vetus conſuetudo eſt maledicendi. Sed nec ſpargere calumnias, nec eis credere, re non exploratâ juſtum eſt: Deinde multò triſtius eſt, totam Eccleſiam contumeliâ afficere, quàm paucos. Quod autem illi, de quibus ſcribis, aiunt, hîc diſſentire concionatores, hanc Eccleſiam, quæ alioqui in magno luctu eſt, manifeſtâ injuriâ afficiunt. Una & conſentiens vox Euangelii in hac Eccleſia, in oppido *Witeberga*, Dei beneficio, ſonat, ut ſonabat ante bellum. Et fere ſingulis ſeptimanis miniſtri Euangelii hîc publicâ ordinatione confirmati mittuntur ad vicinas regiones: Hâc ſeptimanâ ſex pii & docti viri hinc ad vicinas regiones miſſi ſunt, qui omnes, ut olim, profitentur, ſe vocem Euangelii puram tradituros eſſe ſuis auditoribus. Et antè exploratur eorum eruditio, ut antea. Res ipſa oſtendit, in nobis nec mentem, nec ſententiam de doctrina mutatam eſſe. Publicè etiam & privatim fiunt precationes pro captivo Principe. Nec audimus hîc quenquam malè loqui de captivo Principe, nec paterentur id hujus oppidi Magiſtratus. Valde igitur te oro, nè credas iis, qui nos, aut Eccleſiam hujus oppidi, calumniis deformare ſtudent, quarum quidem ſpero refutatorem etiam Deum fore, qui liberabit nos à venenatis linguis. Conſtanter docet *Jonas* in Eccleſia *Hallenſi*, & nihil ad quenquam ſcripſit inhoneſtum. Ego verò pietate & reverentiâ colo Principem captivum, & quotidianis lacrymis & precibus eum Deo commendo, ac Deum oro, ut liberetur ac regatur. Hæc cum ſint veriſſima, miratus ſum vanitatem illius, quiſquis fuit, qui mihi tantam crudelitatem tribuit, ut dixerit, me etiam precationem prohibere: Sed Deum oro, ut Eccleſiam ſuam ſervet ubique, & nos alioqui afflictiſſimos liberet à talibus calumniis. Benè vale. Die XXIX. Auguſti, quo die celebratur memoria necis *Johannis Baptiſtæ*, quæ nos commonefacit de docentium ærumnis. Feramus, ut ille tulit miſerias, & Deo nos commendemus. Novi à quibus oriantur hæ fabulæ. Hæc ſcripſi meo & D. *Paſtoris* & *Crucigeri* nomine, qui tibi ſalutem optant.

D. Iohanni Aepino, Epiſcopo Eccleſiæ Dei in inclyta Hamburga, Philippus Melanthon S. D.

Epiſt. 96. REverende vir, & amice cariſſime, Quanquam publica mœſtitia facit, ut ſenſus in privatis doloribus ſit hebetior, tamen in omnibus bonis ingeniis nativa στοργὴ minimè lentos motus ciet. Quare non dubitamus te propter mortem honeſtiſſimæ conjugis tuæ magno in dolore eſſe. Nos quoq; cum ex literis venerandi viri Magiſtri *Johannis Garcæi* intellexiſſemus, eam ſuperatam doloribus partus extinctam eſſe, valdè augeri mœſtitiam noſtram propter tantum cariſſimi amici vulnus ſenſimus. Cùm enim & virtutibus omnibus quæ piæ matronæ conveniunt excelluerit, & concordia inter vos perpetua, & conſuetudo plena pietatis & ſuavitatis fuerit, & jam communi curâ & amore liberi educandi eſſent, & tua ætas & valetudo jam hanc vitæ ſociam neceſſariò requireret, magnas doloris & deſiderii cauſas te habere cogitavimus. Miſerabilior etiam hic interitus eò videtur, quòd partus laboribus oppreſſa eſt. Itaque etſi conjugis tuæ cauſâ etiam dolemus, eam à te & à liberis avulſam eſſe, tamen vulnus tuum intuentes, ſingulari dolore adficimur. Cúmque abſentes non poſſimus aliis officiis tibi mederi, decurrimus ad hoc remedium, quod omnium efficaciſſimum eſt, Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, fontem & inſtauratorem vitæ oramus, ut te Spiritu ſuo ſancto conſoletur, & ſervet incolumem Eccleſiæ tuæ domeſticæ & publicæ. Oramus etiam, ut tibi liberos ſervet incolumes. Scimus autem te non ſolùm nôſſe omnia, quæ divinitùs ad conſolandam Eccleſiam tradita ſunt, ſed etiam verâ fide amplecti. Cum igitur certiſſimè ſtatuas, nec naſci nec extingui nos caſu, & tuam conjugem jam frui cœleſtis Eccleſiæ conſuetudine, in quâ rurſus eam complecteris, & cum ea de ſapientia Dei colloqueris, cujus elementa à te didicit, habes mœſtitiæ vera remedia. Vult Deus ut & doleamus, & ut deſiderio noſtrorum adficiamur; Sed vult ſimul, ut moderemur dolorem, & flectamus animos ad obedientiam Ipſi debitam, præſertim cum lætiſſimos exitus Eccleſiæ propoſuerit. Meminimus quendam amicum, qui mortuo filio, cùm in magno dolore eſſet, fortè in itinere, in recenti luctu incidit in Pſalmi locum, *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos*: hæc ipſa commonefactio de providentia ita penetravit in animum ejus, ut diceret, fuiſſe in corde ſuo divinam quandam flammam ſubitò accenſam, cùm hoc dictum legeret, ac poſtea mediocriter quievit. Nec verò dubitamus, quin tibi exercitia fidei talia & nota & uſitata ſint. Quare ſperamus, te intuentem in univerſam doctrinam cœleſtem, repugnare dolori: Et tecum & cum tuis liberis Deum oramus, ut tibi adſit, & te regat & ſervet incolumem. De aliis diſputationibus nihil nunc ſcribendum eſſe duximus, & quidam inclementiùs nobiſcum agunt, cum quidem injuriam noſtris Eccleſiis faciant, & non ignorent nos de rebus magnis certamina ſuſtinere acerrima. Bene vale. Die X. Julii, Anno M. D. XLIX.

Conſolatoria ad D. Iohannem Pfeffingerum, de morte filii S. D.

IDeo Deus humano generi στοργὰς indidit, ut ſint commonefactiones de ingenti amore ſuo erga Filium & erga nos, & ut ſint vincula ſocietatis humanæ: Vult igitur adfici nos deſiderio noſtrorum, & in luctu pietatem probat. Sunt autem in optimis naturis στοργαὶ expreſſiores. Quare non dubito te, amiſſo filio (tali præſertim viro, in quo non tantùm indoles laudabatur, ſed qui & omnium artium doctrina excultus erat, & non ſolùm naturâ ad virtutem incitabatur, ſed etiam divino ſpiritu regebatur, & jam in hoc ſtudium ingreſſus erat, ubi ingenium ejus ad artium propagationem Epiſt. 97.

profuturum

profuturum erat) magno in dolore eſſe. Quâ in re non equidem accuſo mollitiem animi tui, ac pietatem potius agnoſco & probo, & tecum ipſe valdè doleo, cùm tua, tùm Reipublicæ cauſâ, præſertim cùm videam in hac paucitate rectè diſcentium, Eccleſiæ defutura eſſe ſeminaria doctorum. Sed tamen pro ſapientia tua ſcis utrunque à Deo præcipi, & ut lugeamus, & ut ſit modus mœſtitiæ. Ac primùm ſtatuamus, cùm hos eventus regi divino conſilio certum ſit, flectendos eſſe animos ad obedientiam Deo debitam, ut etiam in adverſis rebus ei placidè obtemperemus.

Non jam de Phyſicis cauſis mortis dicam, Etſi natura fuit obnoxia multis morbis. tamen & voluntatem Dei intueamur, & non quid nobis acciderit incommodi, ſed ad quæ bona, ex hac miſera vita, & quidem triſtiſſimis temporibus evocatus ſit, conſideremus. Nam ſi ipſum verè dileximus. favendum eſt ejus bonis. Imò ſi ſentimus veram eſſe Eccleſiæ doctrinam, gratulari ipſi cœleſtis Academiæ conſuetudinem debemus, in qua non jam dilutos rivulos ſapientiæ, ut in hac vita, bibit: ſed coràm fruitur immenſo ac puriſſimo fonte ſapientiæ, audit Filium Dei, Prophetas & Apoſtolos, & inenarrabili lætitiâ Deo gratias agit, quòd citò in hunc cœtum & in hanc pulcherrimam Academiam abductus ſit, de qua cogitantes nos quoque mox evolare ex hoc carcere mallemus.

Auget fortaſſe dolorem tuum, cogitatio de ipſius ingenio, eruditione, virtute, & dulciſſimam talis filii conſuetudinem deſideras. Sed hoc ipſum decus minuere luctum debet. Quia & his virtutibus ſcis eum in hoc brevi curriculo multis profuiſſe, nec fuiſſe inutile onus terræ. Vidiſti teſtimonia pietatis lucentis in vita. & in hoc agone, quæ oſtenderunt initia cœleſtis vitæ in ea accenſa fuiſſe, & hanc ejus migrationem fuiſſe iter ad cœleſtis Eccleſiæ conſuetudinem. Imò quoties hæc filii ornamenta cogitabis, gratias ages Deo, qui declaravit ſe & tibi & ipſi favere, cùm hæc in eum contulit munera, quæ ſint ómnium ſumma. Eſt enim gratæ mentis, non tantùm adverſa, ſed etiam beneficia recordari.

Cùm igitur ſcias, & voluntati Dei obtemperandum eſſe, qui jubet moderari dolores, & filio nihil mali accidiſſe judicandum ſit, harum cauſarum cogitatione paulatim te erigito, & mœroti repugnato. Moventur etiam animi hominum exemplis. Quia juſtum videtur, non defugere communia onera, quæ quaſi communi legi generi humano impoſita ſunt. Quanto triſtius ſpectaculum fuit primis parentibus interitus *Abel*, quo interfecto, ſimul viderunt Eccleſiam virilem in ſua familia extinctam eſſe: Quanto hi graviores dolendi cauſas habuerunt in illa prima ſolitudine generis humani, quàm vos, qui reliquam habetis familiam, in qua ſigna ſunt pietatis non obſcura? Et in illis gemina vulnera fuerunt. Nam ſcelere impii fratris magis excruciabantur, quàm alterius morte.

Innumera exempla ex omnium temporum hiſtoriis repeti poſſent. Sed ſenem *Babylam* epiſcopum *Antiochenum* intueamur, cui tres filii à Tyranno *Decio* trucidati ſunt, cum quidem aſtarent pater & mater, nec tantùm oculis crudelitatem aſpicerent, ſed etiam adoleſcentes ſuâ voce confirmarent. Poſtea mater ſpectatrix fuit necis conjugis, & complexa filiorum & mari-

A ti corpora, pio ritu ea in terram condidit.

Meminiſti & Imperatoris *Mauricii* hiſtoriam, qui tacitus ſpectator fuit necis filii & filiæ, cumque ad conjugem ventum eſſet, luctans cum dolore, inquit, *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum*.

Semper ſapientes mirati ſunt, cur tantâ mole ærumnarum onerata ſit imbecilla hominum natura. Sed nos. qui ſcimus cauſas divinitùs patefactas, obtemperemus divino conſilio, & remedia B divinitùs monſtrata teneamus. Hæc autem cùm colliges, & hoc domeſticum exemplum tibi proponito.

Si quando evocatus menſes aliquot peregrè à familia abes apud inſuaves homines, leniuntur moleſtia & deſiderium ſpe reditus ad tuos. Ita nunc deſiderium feras modeſtius, quia aliquantò pòſt in illa pulcherrima Academia cœleſti filium rutſus complectêris, & quidem ornatum honore ſplendidiore, quàm ſunt hi gradus, videlicet luce C divinâ & collocatum in agmen Prophetarum, Apoſtolorum, & cæterorum, qui laude doctrinæ floruerunt. Ibi unà vivetis in omni æternitate, fruentes conſpectu Dei, & dulciſſimis ſermonibus *Chriſti*, Prophetarum & Apoſtolorum. Hanc æternitatem intueamur in hac ærumnoſa peregrinatione, tanquam metam, & fortiùs has miſerias feramus, quia & breve curriculum eſt, & ad illam æternitatem, in qua ſapientia & juſtitia Dei fruemur, non ad fugacia hujus vitæ bona con- D diti ſumus.

Quæ cùm tibi viro docto & bono nota ſint, breviùs ad te ſcripſi, ac Deum oro, ut & animi & corporis vires tibi augeat; Meminiſti enim dictum, *In ipſo ſumus, vivimus & movemur.* Vale.

D. Andreæ Oſiandro S. D.

EX literis *Viti* intelleximus, honeſtiſſimam matronam conjugem tuam, exemptam eſſe re- *Epiſt.98.* E bus humanis. Hi caſus multis bonis & doctis viris magnum dolorem in urbe noſtra attulit, qui tuo luctu adficiuntur. Sed ego magis hoc doleo, non ſolùm quòd familiaritas & benevolentia inter nos major eſt, quodque eſt quædam ſtudiorum & ſententiarum ſocietas, ſed etiam quia vidi conjugem tuam, cum memini quæ illius virtus fuerit, in omni officio, vidi & parvos liberos. Hæc mihi omnia in oculos incurrebant, *Viti* literas le- F genti. Itaque & tuo mœrore moveor, & illud decus matronarum ferè in ipſo flore extinctum eſſe valde doleo. Etſi autem te ad gravitatem & moderationem natura finxit, tibique nota ſunt omnia quæ ad conſolationem à doctis viris colliguntur, tamen ut in bonis naturis στοργαὶ ſunt expreſſiſſimæ, arbitror illas in te magnopere dolorem augere. Quare non dubito. quin tecum vehementer lucteris, & dolori difficulter repugnes. Precor igitur Dominum noſtrum *Jeſum Chri-* G *ſtum*, qui noſtris ærumnis ſe adfici teſtatur, ut te adjuvet atque erigat. Nam Stoica illa præcepta, ut nè doleas, non ſolùm inania ſunt, ſed etiam auditu crudelia atque injuſta. & ab ea Philoſophia quam nos probamus, rejecta & damnata *Chriſtianis* ſententiis. Odit enim Deus τοὺς ἀστόργους. Quare quod luges, hominis eſt à natura bene inſtituti. Et piè itaque moderare luctum, & repugna do-

lori.

A loti. Quod quidem facies, cum cogitabis Dei vo-
luntate univerſum genus humanum ingentibus
calamitatibus ſubjectum eſſe, & conjugem tuam
non caſu extinctam, ſed Dei conſilio ad immor-
talitatem evocatam eſſe, & à te aliquantiſper
avulſam, & quod paulò pòſt Deus conſuetudinem
veſtram vobis longè meliore conditione redditu-
rus ſit, ubi una fruentes æterna luce, de Deo ſua-
viſſimè colloquemini, ac longè vincet præſentem
ſuavitatem & conſuetudinem illa futura piorum
B conjugum εὐζυγία. Sed cum ſciam te omnia quæ
huc pertinent, ſine monitore colligere, nolui eſſe
prolixior. Hæc tamen breviter ſcripſi, quòd arbi-
trabar ad amici officium pertinere, tali tempore
oſtendere ſe amici caſu affici. Ego verò ex animo
adficior, téq; oro, ut has literas boni conſulas. Ad-
ſcribam etiam remedium ἄτεχνον, quod mihi in
ſummis animi perturbationibus in primis opem
tulit, Onerandus eſt animus occupationibus qui-
bus abducatur à cogitationibus de interitu con-
C jugis, & puto tibi non deeſſe negotia. *Sacoleti* epi-
ſtolam ad me ſcriptam, te vidiſſe arbitror, miſi
enim *Vito* exemplum. De noſtris ſtudiis & de Re-
publica ſcribemus aliàs. Bene vale.

Ad amicum quendam hærentem in diſputatione, mota ab Oſiandro, in articulo de Iuſtificatione, S. D.

Epiſt. 99. TUam Epiſtolam longiuſculam accepi, quæ fuit
D mihi jucundiſſima, téque oro ut ſæpè & mul-
tum ſcribas. De fide teneo, quid te exerceat. Tu
adhuc hæres in *Auguſtini* imaginatione, qui eò
pervenit, ut neget noſtram juſtitiam coram Deo
reputari pro juſtitia, & rectè ſentit. Deinde imagi-
natur nos juſtos reputari propter hanc impletio-
nem Legis, quam efficit in nobis Spiritus ſanctus.
Sic tu imaginaris, fide juſtificari homines, quia
fide accipimus Spiritum ſanctum, ut poſtea juſti
eſſe poſſimus impletione Legis, quam efficit Spi-
E ritus ſanctus. Hæc imaginatio collocat noſtram
juſtitiam in impletionem, in noſtram munditiem
ſive perſectionem, etſi fidem ſequi debet hæc re-
novatio. Sed tu rejice oculos ab iſta renovatione,
& à lege in totum ad promiſſionem & *Chriſtum*,
quod propter ipſum juſti, hoc eſt, accepti Deo ſi-
mus, & pacem conſcientiæ inveniamus, non pro-
pter illam renovationem. Nam hæc ipſa novitas
non ſufficit. Imò ſolâ fide ſumus juſti, non quia
ſit radix, ut tu ſcribis, ſed quia apprehendit *Chri-*
F *ſtum*, propter quem accepti ſumus, qualis qualis ſit
illa novitas, etſi neceſſariò ſequi debet, ſed non
pacificat conſcientiam, Imò non dilectio quæ eſt
impletio Legis, juſtificat: ſed ſolâ fide, non quia eſt
perfectio in nobis, ſed tantum quia apprehendit
Chriſtum, juſti ſumus, non propter dilectionē, non
propter legis impletionem, non propter novitatem
noſtram, etſi ſunt dona Spiritus ſancti, ſed propter
Chriſtum, & hunc tantùm fide apprehendimus.
Auguſtinus non (per omnia) ſatisfacit *Pauli* ſen-
G tentiæ, etſi propiùs accedat quàm ſcholaſtici. Et
ego cito *Auguſtinum* propter publicam de eo per-
ſuaſionem, cum tamen non ſatis explicet fidei Ju-
ſtitiam. Crede mihi, magna & obſcura contro-
verſia eſt de Juſtitia fidei, quam tu ita rectè intel-
liges, ſi in totum removeris oculos à lege & ab
imaginatione *Auguſtini* de impletione legis, &
defixeris animum prorſus in gratuitam promiſſio-
A nem, ut ſentias quod ex promiſſione propter *Chri-*
ſtum juſti, hoc eſt, accepti ſimus, & pacem inveni-
amus. Hæc ſententia eſt vera, & illuſtrat gloriam
Chriſti, & mirificè erigit conſcientiam. Ego cona-
tus ſum eam in apologia explicare, ſed ibi propter
adverſariorum calumnias non ſic loqui licet, ut
nunc tecum loquor, etſi reipſa idem dico. Quomo-
do haberent conſcientiæ pacem & certam ſpem,
ſi deberent ſentire, quòd tunc demum juſti repute-
mur cùm illa novitas in nobis perfecta eſſet? Quid
B eſt hoc aliud, quàm ex lege, & non ex promiſſione
gratuita juſtificari? In diſputatione illa dixi, quòd
tribuere juſtificationem dilectioni, ſit tribuere ju-
ſtificationem noſtro operi. Ibi intelligo opus fa-
ctum a Spiritu ſancto in nobis. Fides autem juſti-
ficat, non quia eſt novum opus Spiritus ſancti in
nobis, ſed quia apprehendit *Chriſtum*, propter
quem ſumus accepti, non propter dona Spiritûs
ſancti in nobis. Sic cogitabis animum revocan-
dum eſſe ab *Auguſtini* imaginatione, facilè intel-
C liges cauſam, & ſpero te ex *Apologia* noſtra aliquo
modo adjuvari, etſi de tantis rebus cautè loquor,
quæ tamen non intelliguntur, niſi in certaminibus
conſcientiæ. Populus omnino debet audire præ-
dicationem Legis & Pœnitentiæ. Sed interim
hæc vera Evangelii ſententia non eſt prætereun-
da. Quæſo ut reſcribas, an tibi ſatisfactum ſit in
hac epiſtola de tua quæſtione.

Iohanni Fredero, Eccleſiarum Rugiæ Gubernatori, S. D.

REverende vir & amice colende, Nulla un- *Ep. 100.*
quam vox in cœlo & in terra ardentior au-
dita eſt precatione Filii Dei, quam in agone recita-
vit. In qua orat æternum Patrem, ut faciat, ut in
ipſo unum ſimus. Idem nos adjuncti ſummo Sa-
cerdoti noſtro ſemper veris gemitibus petamus,
ut cum manifeſtum ſit, diſcordias exitiales eſſe,
ipſe hujus ægri corporis languida membra & fo-
veat & conjungat. Quod cum petimus, ſit in no-
E bis etiam ſtudium concordiæ, & offenſiones quaſ-
dam noſtrâ æquitate ſanemus. Legimus autem
certamen iſtic motum de ritu ordinationis, in quo
cum nulla ſit de doctrina diſſenſio, valdè dolemus
te tam acerbè de ritu pugnare, ut nomines laque-
um conſcientiæ, morem, qui ſervatur in veſtris &
multis piis Eccleſiis bono conſilio, & ſine doctri-
næ corruptela. Nec jam diſputationem inſtitui-
mus, & veniam damus tuæ iracundiæ: Sed te pro-
pter Eccleſiæ & Patriæ tranquillitatem amanter
F oramus, ut omiſſo illo tot annorum non neceſſario
bello, te ad conſenſum veſtræ Synodi adjungas.
Scimus eruditionem, pietatem, moderationem in
iis, qui in Synodo convenerunt, tantam eſſe, ut aſ-
ſentiri his honeſtè & piè poſſis. Et cum non ſit de
doctrina diſſenſio, rectè hoc *Thucydideum* uſurpa-
mus, [illegible]. Impeditur
Invocatio Dei, in te & in multis aliis, cum ſtudia
diſſenſionum incenduntur ſine neceſſariis cauſis,
dum vides quàm neceſſarium ſit nobis tueri con-
G cordiam Eccleſiarum noſtrarum contra varios
hoſtes. Quare te propter Deum, & propter Eccle-
ſiam, & propter patriam tuam oramus, nè Sy-
nodo veſtrarum Eccleſiarum adverſeris, quæ ni-
hil injuſtum decernet. Amanter & honorificè
de te apud nos locutus eſt *Iacobus*, qui nihil pro-
nunciat [illegible], ſed totam rem Synodo per-
mittit, idque facturum reverendum ſenem vi-
rum

rum honeſtum & benè meritum *Knipſtrophium* affirmat. Cogita igitur, quod judicaturi ſint multi boni viri alibi, ſi unus tot doctorum & piorum ſententiæ adverſeris. Si exiſtimas majus decus eſſe certare ſubtilitate & acerbitate diſputationum, nimium indulges iracundiæ. Et ſi alii provocati reſpondebunt, nova fient Eccleſiæ vulnera, & ut vincas, erit *Cadmea* victoria. Propter hanc cauſam & nos aliquando laceſſiti tacere maluimus, quàm diſſidia inflammare. Fortaſſis reprehendes nos, ſi dicimus te etiam illuſtriſſimo Principi
B *Philippo* in hac cauſa gratificari debere, ſed tamen cum eximia ſit ejus ſapientia & pietas, & magnas curas Eccleſiæ & Reipublicæ cauſa ſuſtineat, decet nos ipſius voluntatem intueri. Huic gratiſſimum erit, ſi viderit, te Synodo aſſentiri, & concordiam eſſe omnium eruditorum in patria. Hæc ad te pio ſtudio ſcripſimus, & ubi prodeſſe tibi poterimus, perficiemus ut intelligas te verè à nobis diligi. Bene vale. Calend. Novemb. Anno
C M. D. LV.

D. Iacobo Rungio S. D.

Ep. 101. REverende vir, & chariſs. frater, Heri huc allatæ ſunt *Freders* literæ, quas ſcripſit ad *Eberum*, cum reſpondeat ad communem epiſtolam, à collegio noſtro placidiſſimè ſcriptam, in qua cum ſimus eum hortati, nè Synodum aſpernetur, narrat ſe non acceſſiſſe ad Synodum veſtram, nec
D poſſe piè adſentiri, & editurum ſe eſſe *Apologiam*, in qua refutet falſo objecta crimina. Etſi doleo Eccleſiæ cauſa inflammari diſſidia & odia, tamen στέργειν ὡς παλαὶ μοι καὶ ὁ μακρὸς χρόνος διδάσκει, ut apud *Sophoclem* ſenex ærumnoſus inquit. Rurſus igitur trahet in partes *Polyphemi* filios. Nec mihi difficile erit tandem abrumpere hæc certamina, & diſcedere ex his regionibus, & alibi conſtituere, Deo juvante, pium conſenſum, de qua re tibi meum conſilium exponam. Ante duos menſes ſcripſit
E ad me rabioſè *Frederus*, te & me præcipuè lacerans acerbitate orationis non vulgari. Uſus ſum meâ Philoſophiâ, in qua non jam ſum rudis tyro, hoc eſt, tacui. Nunc ſcire cupio, quid apud vos actum ſit, & quæ ſint veſtra conſilia. Oro autem Deum, ut reprimat τὴν ἄτην, paſſim accendentem diſcordias, & contriſtantē τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐν τοῖς ὄντως εὐσεβῶν ἀγαπώντων. Hanc epiſtolam dedi viro docto & erudito in Jure, doctrinâ Eccleſiæ, & *Latinâ* & *Græcâ* linguâ, nato in *Repinenſi* regione, *Ertmanno*
F *Copernico*, qui gubernavit ſcholam *Brandeburgenſem* annos octo. Poſtea hìc cum conjuge honeſta & duabus filiabus modeſtiſſimè vixit, & jus civile didicit ac alios docuit. Et cum ſtudia doctrinæ amet, mallet in Academia vivere, quàm tantum in rixis forenſibus conſumere ætatem. Meo igitur conſilio ad vos proficiſcitur, & petit locum docendi Inſtitutiones Legum in veſtra Academia, quem relinquet *Joachimus*, qui hactenus apud vos lector fuit. Scio eſſe hunc *Ertmannum* virum honeſtum, minimeque factioſum, & opinor
G poſſe eum prodeſſe diſcentibus, eò etiam, quia & ingenio valet, & aliis doctrinis excultus eſt, quæ interpretes adjuvant. Valdè te oro, ut eum Illuſtriſſimo Principi veſtro & D. Cancellario commendes, ut, ſi fieri poteſt, ei tradant eam lectionem. Scio vos ipſius eruditionem, modeſtiam & diligentiam in omni officio probaturos eſſe. Be-
A ne & feliciter vale. Die XXV. Martii, quo Filius Dei ante annos M. D. XXII. in cruce victima factus eſt, & quo die ſcribitur *Adam* & *Evam* creatos eſſe ante annos M. D. XVIII. Hodie hinc rurſus diſcedit nuncius, qui noſtram reſponſionem adfert, πρὸς τὸ σχῆμα ἐν ὀνόματι εἰς δόξαν τοῦ κυρίου.

Leonhardo Beyer Eccleſiæ Cygnenſis Paſtori, & Chriſtophoro Eringio, docenti Evan-
B *gelium in eadem Eccleſia,* S. D.

MAgna levatio eſt animorum in omnibus *Ep.* 102.
doloribus publicis & privatis videre Eccleſiam oppidi ſui tranquillam, quia præcipuè acquieſcunt animi in Invocatione Dei, quæ, cum diſcordiæ in conſpectu ſunt, valdè turbatur & impeditur. Cumque hoc tempore multi propter calamitates magno in mœrore ſint, maximè curandum eſt ſingulis docentibus, ut ſua ipſis Ec-
C cleſia velut portus ſit, in quam mœſti cives confugientes Invocatione Dei erigantur. Audivimus autem de re non maxima inter vos diſſenſionem ortam eſſe periculoſam, propter quam facta eſt magna acceſſio ad graviſſimos dolores, quos alioqui, propter multas calamitates publicas ſuſtinemus. Etſi autem nihil autoritatis nobis ſumimus adverſus vos, nec imperare quicquam vobis volumus aut poſſumus, tamen & dolorem noſtrum vobis ſignificamus, & vos oramus propter Deum
D & propter ingentes omnium dolores, ut quod vos in hac ſenecta & gravitate, & in divino miniſterio maximè decet, hoc certamen omittatis. Et quanquam uterque jure ſe contendere exiſtimat, tamen juri veſtro utilitatem Eccleſiæ anteferatis, & paſtor deſinat plus oneris imponere collegæ, & collega ultrò offerat ſeſe propter Eccleſiam ſubiturum eſſe plus laboris. Aut ſi non cedit uterque, cedat alter, nec exiſtimetis turpe eſſe vinci. Nulla victoria, nulli triumphi ſunt magis digni laude
E in Eccleſia, quàm in talibus certaminibus anteferre publicam concordiam privato affectui, quod cum vobis notiſſimum ſit, non eſt opus longâ commemoratione. Exiſtimamus vos ipſos ſæpiſſimè cogitare de Filio Dei, qui adeò ſe abjecit infra omnes homines, ut coram æterno Patre jacuerit proſtratus, & ſupplex pro nobis, derivatâ in ſeſe verâ & horribili irâ adverſus noſtra peccata, perinde ac ſi ipſe ſe noſtris ſceleribus polluiſſet. Hanc tantam humilitatem in Filio Dei cogitantes
F nos quidem expaveſcimus, ac dolemus vos & alios interdum vehementius pugnare de autoritate veſtra. Cedamus potiùs de jure noſtro, ut ceſſit Filius Dei de ſuo, & ut ipſe propter Eccleſiam aliqua onera in nos derivemus, non exiſtimemus probrum eſſe videri inferiorem, cum ſe Filius Dei infra nos abjecerit. Hac imagine moveri omnium piorum pectora, non dubitamus. Deinde & tempora cogitate, obruat publica mœſtitia omnes parvarum rerũ contentiones, nec dolores aliis augea-
G mus, nec impediamus noſtram & aliorum invocationem his rixis, quæ variè vulnerant animos. Poſtremò & hoc cogitate, nequaquã oſtendendã eſſe voluntatem Illuſtriſſ. Principis Electoris Ducis *Saxoniæ* talibus contẽtionibus, qui non vult civitates in factiones diſtrahi. Noſtro etiã dolori ut parcatis, vos etiam atq; etiam rogamus, qui cum etiam aliis temporib. nullâ de re, niſi de doctrina pugnandum

eſſe judicaverimus, nunc in hac mœſtitia omnium piorum, multo magis ita ſentimus, ne in tantis vulneribus Reipub. plus mali oriatur. Quare vos iterum propter Deum, pacis autorem, & cujus hæc vox eſt, *Beati pacifici, quia filii Dei vocabuntur*, obteſtamur, ut toto hoc certamine omiſſo tranquillitatem Eccleſiæ veſtræ tueamini. Bene valete. Die XXII. Januarii.

Andreæ Muſculo in Academia Francofordenſi ad Oderam. S. D.

Ep. 103. CUm ante duos menſes Illuſtriſſ. Princeps *Marchio* Elector peteret à venerando ſene *Cordato*, ut gradu Doctorum ornaret te & paſtorem Eccleſiæ veſtræ, dubitantem *Cordatum* præcipuè hoc argumento confirmavi, ut promitteret officium Principi & vobis quòd ſcirem te & paſtorem viros bonos, eruditos & candidos eſſe, & rectè ſentire de doctrina Eccleſiæ *Chriſti*. Ex iis meis literis ad *Cordatum* apparet, me de utroque benè & rectè ſentire, de te & paſtore. Quod cum veriſſimum ſit, magnum accepi dolorem, poſtquam nunc ex tuis literis intellexi, vos & ſententiis & voluntatibus diſſidere. Cúmque in Propoſitionibus tuis tam atrociter reprehendas totum cœtum concionantium in Eccleſiis noſtris, quòd non dicant de Jejunio Ceremoniali, ſed tantùm de Temperantia; cumque de baptiſmo *Joannis* diſſentire te oſtendis à mea qualicunque explicatione, nihil reſcripturus eram, niſi id petiiſſes, nè viderer aut iracundiâ, aut amore mearum opinionum rixari. Sed quoniam à me petis reſponſionem, Primùm de negotio dicam. Etſi judico vera eſſe quæ ſcripſi, tamen tecum litigare nunc quidem non volo: Nolo enim augere publicas diſcordias, & piis lectoribus permitto judicium ubicunq; ſunt. Quanquam enim citas *Ambroſium* & *Auguſtinum*, tamen certum eſt, prædicationem pœnitentiæ in Eccleſia Dei, non tantùm augere peccata ſed ſimul annunciare remiſſionem peccatorum. Verùm nolo copioſius perſequi meam diſputationem, non ſum adeò moroſus aut φίλαυτος, neminem ut à me diſſentire velim. Ego quæ collegi de doctrina tunc, cum magnæ & multæ controverſiæ motæ eſſent, & multa ambiguè & nimis confuſè dicerentur, ſimplici & pio ſtudio collegi, ac judicium Eccleſiæ permitto. Te verò etiam hactenus dilexi, & adhuc diligo. Nam omnes in hoc dicendi munere conjunctos, qui de ſumma doctrinæ conſentiunt, amicos inter ſe eſſe oportere ſtatuo, etiamſi in explicatione alicujus rei non planè eadem dicunt. Nam alius alio dexteriùs aut commodiùs aliquid dicit, & bonâ fide, & quâdam Philoſophicâ moderatione amicitias colui & colo, nè a me Eccleſiarum noſtrarum concordia turbetur. Quod verò attinet ad quæſtionem de Jejunio Ceremoniali, nè hanc quidem cauſam ſatis juſtam aut dignam eſſe judico, ut propterea bellum inferendum eſſe putes toti agmini docentium in noſtris Eccleſiis. Non jam de re ipſa dicam, ſed de parergis quæ admiſces, quæ cui theatro grata ſint, non obſcurum eſt. Plaudit in ſinum vicinus veſter *Lebuſianus*, cum audit te penè univerſum agmen concionatorum hujus ætatis tam atrociter reprehendere. Non docentur homines de Pœnitentia. Credo eſſe aliquos, qui nec de Pœnitentia, nec de Fide ſatis diligenter & eruditè docent: Nam pauci doctrinam de Fide & vera Invocatione intelligunt, quæ multò obſcurior eſt, quàm doctrina de Jejunio: ſed ſcias tamen præcipuos & plurimos in ſcriptis & concionibus complecti integram doctrinam, nec de Fide tantùm, ſed etiam de omnibus neceſſariis virtutibus dicere, quos ſi tu omnes damnas, & vocas deteriores Idolorum cultoribus, nimis duriter pronuncias, ut nihil aliud dicam. Illud in quæſtione eſt, an per biduum aut triduum, ut dicis, neceſſe ſit à cibo abſtinere. Hoc ne te quidem puto facere. Ut ſecedere ex turba precandi cauſâ interdum commodum eſt, ita judico illa jejunia & inediam alicujus diei ſuſcipi poſſe, ut ad precationem vel cogitationé magis idonei ſimus, ſed non neceſſariam rem eſſe; Cæterùm temperantia omni tempore neceſſaria eſt. Aut igitur explicato, an dicas illam inediam, hoc eſt, in univerſum à cibo & potu abſtinere rem neceſſariam eſſe, aut placidiùs nobiſcum agito. Poteras omnino totam rem agere verbis mitioribus. Citas ex *Auguſtino* laudes Jejunii, in quibus vides hyperbolas prudenter intelligendas eſſe, nec tamen *Auguſtinus* de tua illa inedia loquitur, ſed tantùm de Temperantia. Hæc ſcripſi bono & ſimplici ſtudio, teque oro, ut ſi has Eccleſias, in quibus ſonat doctrina quam profitemur, amas, te nobis potiùs adjungas, quàm inimicis, & quâdam animi moderatione concordiam tuearis. Satis multos habemus hoſtes foris, nec parva res eſt confirmare mentes veris ſententiis. Adverſus illos Filius Dei præcipit, ut concordiam amemus. Orat etiam æternum Patrem in illo ultimo agone, ut regat mentes docentium & auditorum ad concordiam, dicens: *Ut ſint unum in nobis*. Quare te iterum atque iterum oro & obteſtor propter Filium Dei & propter Eccleſiam, ut communem doctrinæ conſenſum tuearis, aut certè ut leniter & placidè cum amicis de tuo conſilio diſputes. Favebat ſtudiis tuis *Lutherus*, & ego ei tuum ingenium laudavi, cum unà legeremus propoſitiones de duabus naturis in *Chriſto* Mediatore, quas maximè probo. Nunc te arma ſumere adverſus illos non velim. Mitto tibi pagellas teſtes meæ erga te benevolentiæ. Bene vale. Menſe Aprili, Anno M. D. XLV.

Honeſtiſſimis Viris, Prudentia, & Virtute præſtantibus, Senatoribus Inclytæ urbis Eperienſis, amicis ſuis colendis S. D.

HOneſtiſſimi viri, Utrumque prædixit vox divina illuſtribus & non fallentibus teſtimoniis, In hac languida & delira mundi ſenecta, & futuras eſſe majores generis humani confuſiones, quàm fuerunt antea, & tamen Filium Dei etiam inter Imperiorum ruinas æternam Eccleſiam voce Euangelii, & non aliter collecturum eſſe, donec mortuos in vitam revocabit, qui quidem & aliqua Eccleſiæ hoſpitia ſervabit. Hanc vos conſolationem in dilaceratione regni *Pannonici* tenere neceſſe eſt. Eſt autem dulcior hæc conſolatio, ubi non impeditur invocatio Dei diſſenſionibus dogmatum. Quare valdè dolemus, iſtic accendi diſſidia opinionum, & Filium Dei oramus, ut mentes omnium ad veritatem & concordiam flectat. Miſimus etiam dijudicationem veram & perſpicuam, de qua gratum nobis erit etiam aliarum Eccleſiarum judicia audire. Ep. 104.

Dileximus *Mathiam Lauterwaldt*, ut ipſe, & multi

multi graves viri teſtari poſſunt; Nec conſilium veſtrum de evocando probâſſemus, ſi exiſtimâſſemus eum à nobis diſſentire. Hec ſciebamus, naturam amantem eſſe argutiarum, & pugnacem. Quare ſæpè monuimus, nè res rectè traditas, inani ſubtilitate obſcuraret. Poſtea iſtic magis cœpit indulgere ingenio, & Propoſitiones edidit, in quibus palàm oppugnat conſenſum Eccleſiarum noſtrarum. Eramus igitur admonitionem ad vos miſſuri, etiamſi non petita eſſet dijudicatio. Eſt autem laudanda pietas veſtra, quòd ipſi judicia aliorum audire decreviſtis. Vóſque hortamur, ut citò extinguatis initia diſſidii. Poteſtis & vicinæ Eccleſiæ *Coronenſis* ſententiam audire. Ac ſi *Matthias* non adſentietur piorum judiciis, erit pietatis, & gravitatis veſtræ removere eum à miniſterio Euangelii. Hæc non ſine dolore ſcribimus, ſed neceſſe eſt nos omnes & veritati, & piæ concordiæ Eccleſiarum conſulere. Bene valete. Die Octobris tertio, Anno M. D. LIV.

Reſponſio Eccleſiæ & Academiæ Witebergenſis de controverſia Matthiæ Lauterwaldt.

Ep. 105. ITa judicamus de controverſia *Eperienſia*, ut non defugiamus judicia omnium piorum in omnibus Eccleſiis inſtauratis in tota *Germania, Pannonia*, & *Dania*; ac ſperamus *Matthiam* ita memorem eſſe noſtræ benevolentiæ erga ipſum, ut nè ipſe quidem queri poſſit, odio nos moveri in hac dijudicatione. Si dicet nos nimium amare noſtra ſcripta, aut hebetiores eſſe, quàm ut ſubtilitates ſuas intelligamus, permittimus hanc noſtram reſponſionem etiam aliarum Eccleſiarum judiciis, ut antea diximus. Certè vult Deus eſſe aliqua Eccleſiæ judicia, & ſervat aliquos doctrinæ teſtes. Primùm autem precamur Filium Dei, Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, qui in agone utrumque petivit, & ut ſanctificet æternus Pater Eccleſiam in veritate ſuâ, & ut faciat ut unum ſimus in ipſo, ut & noſtra judicia regat, & flectat noſtra pectora, & *Matthiam* ad piam concordiam. Ac ſcit *Matthias* ſæpè nos valdè oraſſe ipſum, ut ſe ad conſenſum Eccleſiarum in *Pannonia* adjungeret, ſed natura eſt nimis amans argutiarum, & plus periculi eſt judicantibus, quando homines arguti ſine fine quærunt diſputationum præſtigias. Sed ſimplici & candido animo, & piè reſpondemus, Probare nos ſententiã *Bartphenſis* Eccleſiæ, quæ retinet nativum intellectum propoſitionis, *Solâ fide juſtificamur*, ſicut tota Prophetica & Apoſtolica ſcriptura affirmat, Solâ miſericordiâ propter Mediatorẽ recipi, reconciliari, & vivificari Spiritu ſancto verè credentes, id eſt, fiduciâ Filii Dei ſeſe conſolantes; ſicut *Paulus* inquit, *Juſtificati fide pacem habemus*. Etſi autem hæc fides ſeu fiducia non eſt in his, qui ſecuri perſeverant in ſceleribus, & ſunt ſine contritione, tamen contritio, & nova obedientia non ſunt res applicantes promiſſionem gratiæ, ut dicit *Matthias Lauterwaldt*, & ſatis commodè reſpondit *Cadaſchinus*, contritionem eſſe quiddam antecedens neceſſariò. Cumque interrogat *Matthias*, utrum antecedat ut cauſa, an ut medium, Reſpondemus, nequaquam antecedere contritionem, ut cauſam remiſſionis, ſeu meritum; nec ut medium applicans promiſſionem, ſed ſicut vulnus, aut vulneris ſenſus antecedit curationem. Totum genus humanum reum eſt horrendæ iræ Dei, Et

A ſenſu divini judicii per miniſterium vocis divinæ arguentis peccata, & per pœnas, & aliàs aliter commonefit. In his terroribus multi pereunt iraſcentes Deo, aut *Epicureo* contemptu magis ruentes contra Deum. Alii non repugnantes Deo, ſed quærentes conſolationem in voce Euangelii accipiunt remiſſionem peccatorum, reconciliationem, ac juſtificationem, & vivificationem per Spiritum ſanctum, ac fit apprehenſio promiſſionis, & applicatio ſolâ fide, id eſt, fiduciâ Mediatoris, non

B propter contritionem, neque propter ſequentes virtutes, ſed nititur fides ſolo Mediatore, ſeu miſericordiâ propter Mediatorem promiſſâ, & acquieſcit cor, quia ſcit promiſſionem ratam eſſe propter Mediatorem. Hanc eſſe doctrinam ſimplicem & incorruptam, traditam in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis manifeſtum eſt, ut in *Pſalmo* dicitur: *Salvum me fac propter miſericordiam tuam*. Et *Daniel* inquit: *Non in juſtitia noſtra, ſed in miſericordia tua, propter Dominum exaudi*

C *nos*. Et *Paulus* inquit: *Ideo ex fide gratis, ut ſit firma promiſſio*. Hæc ut intelligantur, non ocioſas ſpeculationes, ſed veros pavores, & veram conſolationem in converſione, & quotidiana invocatione conſideremus. Docemus non inanes λογολογίας, ſed vocem divinam, & res in vita maximè neceſſarias, & quæ à piis intelligi poſſunt. Dicimus voce divinâ argui peccatum, & omnes homines debere expaveſcere agnitione iræ Dei, & expaveſcentes fide ad Mediatorem confugere:

D Eáque fide gratis, non propter antecedentia, aut ſequentia opera accipi remiſſionem peccatorum, reconciliationem & juſtificationem, ac vivificari credentes per ipſum Filium Dei dicentem conſolationem in corde, & liberantem cor ex doloribus inferorum, dato Spiritu ſancto, atque ita inchoari novam obedientiam. Hæc ſic fieri in vera converſione omnes pii experiuntur; Nunquam dicit *David* ſe habere remiſſionem peccatorum propter ſua bona opera in præſenti facta

E partialiter, vel totaliter. Removeamus has corruptelas, nec ſinamus veram conſolationem piis mentibus eripi. In veris doloribus experimur, nullam eſſe firmam conſolationem, niſi hanc, de qua *Paulus* inquit, *Ideo ex fide gratis, ut ſit firma promiſſio.*

Quia igitur *Matthias Lauterwaldt* damnat doctrinam Eccleſiæ noſtræ, & contendit non ſolâ fide, ſed contritione, & aliis operibus fieri applicationem remiſſionis peccatorum, & juſtificationis,

F Judicamus eum docere corruptelas veræ doctrinæ. Nec reipſa differt hæc corruptela à Synecdoche Monachorum, qui dicunt, *Fide juſtificamur, quia inchoat dilectionem & alia bona opera*. Verbum ſeu promiſſio ſola fide apprehenditur. Nam hac re differunt fides & cætera opera, quòd fides apprehendit promiſſionem, & accipit non ut meritum: Cætera verò opera Deo aliquid offerunt; nec applicatio per opera intelligi alia poteſt, niſi ratione meriti. Nomen igitur meriti abjicit *Matthias*, rem

G retinet, & ſibi blanditur ocioſis ſpeculationibus. Quòd autem clamat, toti pœnitentiæ promitti gratiam, id ſi ita intelligit, ut non ſervet diſtinctionem partium, & ſuam cujuſq; proprietatem, non recipimus ipſius dictum. Contritioni promittitur, ut vulneri curatio. Deindè fide fit applicatio remedii, & nullo modo poteſt dici, quòd propter ſequentia opera detur remiſſio. Etiam cum ſic

breviter dicitur, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, tamen partibus ſuæ proprietates tribuendæ ſunt. Veterem cantilenam, inquiet, repetitis; Verum eſt nos eandem ſententiam repetere, quia hæc unica ſententia in hac quæſtione vera eſt, & exiſtimamus totam cauſam alibi ſæpè & perſpicuè declaratam eſſe, non à nobis tantùm, ſed etiam ab aliis, qui hoc ipſo quadriennio refutârunt *Interim*, & *Oſiandrum*.

Cognovimus autem ex ejus diſputatione, planè diſſentire eum à toto genere doctrinæ. Fidem intelligit de notitia Hiſtoriæ, & legis. Deinde addit, *Fidem poſſe eſſe ſine dilectione*. Dicit, falsò nos docere has propoſitiones æquipollentes eſſe, *Sola gratia juſtificamur*, &, *Sola fide juſtificamur*. Aliud igitur intelligit *gratiam*, quàm nos.

Cùm igitur judicemus *Matthiam Lauterwalde* corruptelas veræ doctrinæ in ſua diſputatione proponere, hâc noſtrâ commonefactione hortamur eum, nè ſe à conſenſu piè docentium in Eccleſiis *Germanicis* & *Pannonicis* disjungat, ac ſi hoc noſtro judicio non eſt contentus, placet nobis ipſius diſputationem, & alia ſcripta, & hanc noſtram reſponſionem ad plures mitti Eccleſias inſtauratas. Nihil in hac tota re fit à nobis privato affectu ullo. Scit ipſe *Matthias*, fuiſſe nobis dulcem cum eo amicitiam, quam nunc diſtrahi dolemus, ſed magis dolemus Eccleſias turbari ipſius [illegible].

Audimus etiam eum contumelioſè loqui de Propoſitione uſitata, *Sola fide juſtificamur*, & nuncupari eam ab ipſo cloacam *Antichriſti*. Extant noſtræ declarationes, ideo nunc breviùs reſpondemus, ſed ſi nec noſtro judicio, nec aliarum Eccleſiarum ſententiis flecti volet ad communem conſenſum, hortamur Senatum *Eperienſem*, ut eum à miniſterio Euangelico removeat.

Defenſio Philippi Melanthonis contra Iohannem Eccium, Theologiæ Profeſſorem.

Philippus Melanthon candido Lectori S.

Ep. 106. EVulgata eſt ſuperioribus diebus fortè fortunà Epiſtola quædam ad N. mea, in qua amico & integerrimo viro, & veri amantiſſimo paucis tantùm capita quædam *Lipſica* Diſputationis adumbravi, magis quàm deſcripſi, neque enim à neceſſariis operis vacare id temporis diutiùs dabatur, & pleraq; ejus certaminis ejuſmodi fuerant, quæ citra invidiam perſequi non licebat. Jam & quædam leviora videbantur, quàm ut iis amicum longè feliciùs occupatum onerarem. Atq; in his præſente animo cavi, nè quenquam offenderem, qui in omni curſu vitæ meæ nihil habeo prius, nihil duco antiquius, bonorum gratiâ. Et ut *Chriſtianum* non eſt malè merito par referre, ita inhumanum cenſeo, nil malè merentem lædere, quo nomine cùm culpâ tum ſuſpicione culpæ liberari facilè ſpero. Nam & perſpecta eorum, qui diſputaverunt, virtus ac eruditio admonere mei me potuit, ac perſuadere, nè quenquam inciviliùs perſtringerem; neque enim tam ſtupidus ſum, ut non intelligam, quanto id meo periculo fieret. Breviter, ſanctiore apud me loco *N.* eſt, quam ut ejus nomine ad calumniandum quemcunque abuti velim.

Proinde quæcunque complectitur Epiſtola ad illum mea, ſimpliciter & fide hiſtoricâ, ita me A Deus amet, ſcripſi, nihil minùs futurum putans, quàm gravatim laturos omninò, quicunque eſſent lecturi. Verùm hanc iniquo fert animo *Eccius*, qui adeo non læſus eſt, ut graviùs multò queant ſuccenſere mihi, D. *Caroloſtadius* & D. *Martinus Lutherus*, ſi noſtra malignè velint interpretari, ad quos non minùs quàm ad *Eccium* pertinet, quod de toto hoc genere diſputandi, imò de pleriſq; quæ in diſceptatione intempeſtivè acciderunt, dixi. Neq; arbitror *Eccium* ipſum adeò perfricta fronte eſſe, B ut neget multa hujus diſceptationis *Lapithas* iſtos *Lucianicos*, quam Theologos propriùs retuliſſe.

Fateor, de *Eccio* paulò plura à me commemorantur, nempe, quòd ipſius in hac tota fabula primæ partes per omnia fuerint, ut qui unus cum duobus animo pluſquam *Herculano* congreſſus ſit. Atque ea vel ob hoc à me accuratiùs obſervata ſunt, quòd ferè aut egregiè arguta ſunt & vafra, aut tale quiddam præ ſe ferunt, quod neſcio quomodo, viſum eſt mihi à Theologica majeſtate nonnihil C abludere. Quid enim referebat vulgaria notare? inſignia quædam utcunque inter differendum excepta commemini. *Eccium* tantum abeſt ut carpere voluerim, ut non parum argutiarum etiam bellè mihi arriſerit. In quaſdam fortaſſe liberiùs luſi, quod ut facerem, magis impulit, ſtudium, & anxia quædam religio, quâ videor mihi ſacris literis obnoxius eſſe, quàm morbus animi, cùm audaciùs illas nonnunquam interpretaretur *Eccius*, quàm patitur ratio. Neque enim refert, quòd D magnis ſe Autoribus tuetur, quorum ſententiam ſequi tutum ſit; Nam & hos quâ fide ſecutus ſit, poſtea docebimus, & non ſtatim probare nos neceſſe eſt, ſi quid quacunque ratione *Ambroſius* aut *Hieronymus* dixere. Planè eo ſum in ſanctas literas animo, ut nihil indignius cenſeam, quàm ipſas pro more humanarum fabularum in varios ſenſus dilacerari, imò ut *Penelopes* telam texi & retexi, ut ſua cujuſque fert libido, ut interim taceam, quam ſit impium, Scripturam rapi ad humanos E affectus, & ſancta ſanctorum profanis manibus, imò Idolothytis violari; quo nomine ipſe ſcit *Eccius*, quid deploratæ quæſtionum Theologiæ debeamus, quæ tam clementer affectibus indulget humanis, quanquam hujus ſe patronum & aſſertorem velit haberi.

Habes, candide Lector, Epiſtolæ meæ conſilium & rationem, in qua ſi quid peccavi, veniam merebitur vel imprudentia vel caſus, certè fraudi dare non licet, quando ipſe mihi conſcius ſum non maF lignitate, non odio, id quidquid eſt, à me ſcriptum eſſe, vehementérque doleo in hanc rapi aleam, & in ea arena, ut *Pauli* verbo utar, [illegible], in qua ut cauſſam fortiter tuear, autoritate tamen adverſarii premor, & ut omnia alia feliciter cedant, tamen id quod longè infeſtiſſimum eſt, ſubinde calumnias alias aliæ ferunt, & perpetuò, quod Græci dicunt, [illegible].

Proinde conſultum mihi videbatur ſurdâ aure, nempe [illegible] calumnias *Eccianas* præterire, G cum quod ejuſmodi fere ſint, quas ſi conferas cum Epiſtola mea, facilè videas reſponderi quid poſſit, tum quod ipſe liber actorum publicus ſatis nobis patrocinetur; tamen, quia ſic eſt amicis quibuſdam viſum, purgabo paucis falſi crimen, quod diſſimulare, ut putant, non eſt ſatis pium. Interim ita temperabo argumentum, nè quid uſpiam petulanter, aut immodeſtè in *Eccium* dictum videri poſſit.

poſſit. Omnino enim pluris eſt *Chriſtus* mihi, quàm hæc tam frivola calumnia.

1. Præter officium cauſatur *Eccius* factum, quod publicârim capita quædam diſputationis, quod *inter partes convenerit, nè evulgetur Diſputatio, priusquam de ſumma Judices decreverint.* Primùm, *quòd inter partes convenit*, vides ad me non pertinere. Neque enim quidquam mihi cùm *Eccio* rerum unquam fuit, & *Lipſicæ* pugnæ ocioſus ſpectator in reliquo vulgo ſedi. Deinde *de evulganda Diſputatione* cautum eſt, at ego obiter & paucúlas rantùm ſententias decerpſi, è quibus magis argumenta Diſputationis cognoſcerentur, quàm vel æſtimaretur eventus, vel judicaretur cauſa. Obſecro, de victoria pronuncio, cùm dico non actum eſſe inter *Eccium* & *Caroleſtadium* de humana juſtitia, ſed de merito congrui? Sed, an voluntas bonum opus tantum recipiat? Quid controvertatur indico, non pronuncio uter vicerit: Jam quòd ait, *Judicis officio me defunctum*, ſatis me liberat Epiſtola, in qua hæc inſunt, *quorſum inclinârint res, mihi ſanè non eſt in proclivi judicare.*

2. Voluiſſe *Eccium*, nè dictaretur, teſtes ſunt graviſſimi & integerrimi viri, qui coram deſignatis eam cauſam partim ipſi egerunt, partim ſtudio factionum præſentes agi viderunt. Jam ut dem apud deſignatos non id actum eſſe, palam eſt, diſplicuiſſe conſilium excipiendi. Porrò, quid oportuit detrectare univerſi orbis judicium, idque in paucos, neſcio quos, rejicere, ſi fidei cauſam, ut vocat, obſcurari noluit?

3. Suſceperat *Caroleſtadius* defendendam concluſionem ſuam undecimam, *Liberum arbitrium ante gratiam non valere, niſi ad precandum*: Hanc oppugnabat *Eccius*, quam vides de humanis viribus propoſitam, atque adeo de juſtitia humana, ſeu merito congrui: neque jam diſputo, Accedat peculiare auxilium, nec nè, variant enim & ipſi Quæſtionum Magiſtri. Certè magno conſenſu Scholæ id peculiare auxilium gratiam *Jeſu Chriſti* eſſe non permittunt. Atque id erat, quòd avidi auditores expectabamus. Quòd Lectorem ad ſuam concluſionem relegat, nemo tam ſtupidus eſt, qui putet *Caroloſtadium Eccianam* Concluſionem defendendam ſuſcepiſſe. Ab illo inſtituto in anguſtias quaſdam, *An recipiat voluntas tantùm*, cauſa ſenſim tracta eſt, cùm in *Caroloſtadii* Concluſionibus unica eſt, quæ obiter cauſatur, *totum opus bonum à Deo eſſe*, atque eam ipſam *Eccius* largitus eſt, modò non ſit opus divinitùs *totaliter*. Ego verò certum habeo, *Caroloſtadio* nunquam in mentem veniſſe, cauſam in has *Symplegadas* cogere; Credo, permovit eum, ut diceret, atque id rectè, *totum opus bonum à Deo eſſe* propter *Eccii* profanam ſcholam, quæ gratiæ & naturæ opera non diſtinguit, niſi reſpectu rationis, ut vocant, planéque eâdem ſpecie cenſet actus, quos cùm natura gratiam, tum voluntas & gratia efficiunt. Hic verò tutandus ſeu excuſandus erat *Barbarus* ille *Heraclitus*, *Scotus*, quem meminiſtis in rapſodiis ſuis, quàm *Chriſtiana* hac de re doceat.

Quòd ſubjecit de D. *Eraſmo*, principe ſtudiorum pietatis, vides, mi Lector, non aliò pertinere, niſi ut optimo viro, deinde bonis omnibus invidioſus reddat. Valeat & *Eccius*, & traducat nos & triumphos agat de parvulis. Ad id genus calumniarum ſatis animi præſtabit *Chriſtus*. Ipſe agnoſco, quantum *Eraſmo* debeant, cùm ſtudioſi omnes, tum maximè ego, tot beneficiis privatim ac publicè ab eo affectus, quæ poſtquam intelligere cœpi, cœpi autem *Chriſto* duce, ſcio, quàm grato pectore complexus ſim.

4. Non diſplicuit argutia de *toto* & *totaliter*, nempe feſtiva, eoque ipſo gratior, quòd nova eſt & digna *Eccii* profeſſione, penes quam hodie cum rerum, tum verborum arbitrium eſt. Jam quod docet, inter illa quid interſit, non eſt ingratum amici ſtudium, quanquam jam olim *Porphyrium* didicimus, & nunc ad id genus nugalia theoremata revocari moleſtum eſt. Porrò, quid neceſſe erat, novis gloſſematis & plane fictitiis aſſerere vim liberi arbitrii, quâ bonum efficiat, cum receptiſſimum ſit & apud Scholaſticos, vel ſummæ notæ, nempe *Occamicos*, quoſdam voluntatis actus tantùm recipi.

5. *Lutherus Oecumenici* Pontificis autoritatem veneratur ac tuetur. De jure divino diſputari voluit, quod in eo probat *Eccius* ex *Matthæo*, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* Quem locum, quandoquidem de *Petri* primatu expoſuerunt S. Patres, Academiæ & Concilia, valere ad autoritatem *Oecumenici* Pontificis conſtituendam *Eccius* cenſet. Sed hæc quâ modeſtiâ & quâ fide diluerit *Lutherus*, res ipſa declarabit olim. Tamen quando *Eccius* ſanctorum Patrum autoritatem tam fortiter jactat, & in eis ſpem omnem ponit victoriæ, vide quid efficiat.

Primùm non eſt cordi mihi cujuſquam autoritati quidquam derogare, veneror & adoro tot Eccleſiæ lumina, celeberrimos vindices *Chriſtianæ* doctrinæ; Deinde, puto non temerè fieri, ſicubi ſententiis ſancti Patres variant, quemadmodum ſolet, ut Judice ſcriptura recipiantur, non ipſorum, nempe variantibus judiciis, Scriptura vim patiatur. Quandoquidem unus aliquis & ſimplex Scripturæ ſenſus eſt, ut & cœleſtis veritas ſimpliciſſima eſt, quem collatis Scripturis è filo ductúque orationis licet aſſequi. In hoc enim jubemur diſcere Scripturas divinas, ut hominum ſententias, decretáque ad ipſas, ceu ad *Lydium* lapidem exigamus. Deinde ut omnino ad judicandas Scripturas adhibendi ſint ſancti Patres, ſatius eſt ex his locis, Scripturæ ſententiam colligere, ubi hoc ipſum agunt, ut enarrent, quàm iis, ubi vel rhetoricantur, vel affectibus ſuis quocunque modo indulgent. Quemadmodum hoc & ipſi verè experimur variè nos Scripturam intelligere, quia variè afficimur, jam hic, jam ille arridet ſenſus, quia quo quenque rapit affectus, in id incumbit, in eo ſe multiplici animi cogitatione oblectat; & ut polypus cuicunq; petræ adhæſerit, ejus colorem imitatur, ita nos quorſum propenſum animi ſtudium rapit, id omnibus viribus effigiare ſtudemus. Jam quoties evenit, ut excipiat vim alicujus ſententiæ propriam & ſinceram mens noſtra, oblectérque in ea ſe paulisper, mirabili quodam modo, quem revocare poſtea elapſum prorſus nequit? In eum modum S. Patres & affectu quodam rapti in ſenſum non malum quidem, ſed impertinentem; ſæpenumero Scripturâ ſunt abuſi. Quod ut non damno, ſic tamen recipio, ut in controverſia parum valere arbitrer. Nam ut *Græci* dicunt, καλῶς τρέχουσιν, ἀλλὰ ἐκτὸς ὁδοῦ. imò auſim & hoc dicere, nonnunquam ſenſu quodam S. Patres interpretatos eſſe Scripturas, quem ſuggerebat & inſpirabat vivax

aliquis affectus, qui ſenſus & verus ſit, & non impertinens, quem tamen nos homunculi ad literam quadrare non videmus, nempe alio nos noſtra mediocritas rapit. Eſt enim ejuſmodi quædam tacitæ mentis alimonia, & manna quoddam, quod puto *Paulum* intellectum ſpiritualem vocare, quæ facilius ſit percipere, quam verbis delineare.

Jam verò quis non videt veteres liberrimè Scripturis abuſos pleraque temporibus, pleraque diſſenſionibus hæreticorum data ſunt, quod genus exempla liceat innumera producere. Neque raro accidit, præſertim in recentioribus, ut pugnet cum origine ſua expoſitio quæpiam. De Scholaſticis non eſt ut multis agam, quibus divinæ literæ quidvis ſunt potiùs, quam ſimplices. imò neſcio quem *Proteum* fingunt, dum eas in allegoricos, Tropologicos, anagogicos, literales, grammaticales, hiſtoricos ſenſus transformant, & transfundunt in neſcio quas lacunas.

Ad veteres redeo, quos hactenus dixi Scripturâ abuti: Jam verò & errare ſæpenumero dico. Quæſo, quoties lapſus eſt *Hieronymus*? quoties *Auguſtinus*? quoties *Ambroſius*? Nec enim tam ignoti mihi ſunt, ut non hoc liberè auſim dicere, imò fortaſſe notiores aliquanto ſunt mihi, quam *Eccio* ſuus *Ariſtoteles*. Quoties ipſi inter ſe diſſentiunt? quoties ſuos errores retractant? Et quid multis? una eſt Scriptura cœleſtis ſpiritûs, pura, & per omnia verax, quam *Canonicam* vocant.

Proinde, quid piaculi eſt, ſi *Lutherus* alicubi à quibuſdam ambiguis veterum expoſitionibus diſſentit? & cur non diſſentiat? Locum *Matth. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, Lutherus* enarrans ſequitur *Origenem*, qui unus pro multis eſt, idque eo loco, ubi hoc ipſum agit *Origenes*, ut enarret? *Auguſtinum* in homilia videlicet, Euangelium exegeſi, *Ambroſium* in lib. 6. in *Lucam*, reliquos prætereo. Eſto muniit *Eccius* ſententiam ſuam aliquot Patrum autoritatibus, *Hieronymi* & *Cypriani*, quibus maxime nititur; Nam *Bernardo* & *Leoni* parum juris in hoc negotio erit. Vides & diverſam S. Patrum autoritatibus munitam. Quid igitur? Ipſi ſecum pugnant? Quid mirum? Inde conſentaneum eſt, S. Patres non probare locum *Matthæi* ad *Oecumenici* autoritatem pertinere; Patribus enim credo, quia Scripturæ credo, cui vim fieri non licet propter varias illorum ſententias. Itaque ex ipſo Scripturæ ductu, ex argumenti ordine colligenda fuit *Luthero* firma & ſtabilis ſententia, quam adjuvant optimi quique qui eum ipſum locum integrum enarrant.

Jam vero vides, à qua parte ſtent copiæ S. Patrum inſtructiores, à *Luthero* ſtant qui integrum locum enarrant, ab *Eccio* qui utcunque alieno argumento *Matthæi* loco abuſi ſunt. Et hæc ſi libet oculatiùs videre, cernes in dubium vocari ab ipſis Autoribus. *Hieronymus* caſtigatione quâdam ſententiam ſuam temperat, ſic inquiens: *At dicis, Super Petrum fundatur Eccleſia, licet idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut ſchiſmatis tollatur occaſio.* Vides interpolatam caſtigatione *Hieronymi* ſententiam. Doceat ergo *Eccius*, quomodo ex æquo ſuper omnes Eccleſias fortitudo ſolidetur, & tamen unus eligitur ſchiſmatis causâ. Et huic unico *Hieronymi* loco,

A quot liceat alios ejuſdem opponere? *Cypriani* lo-
cus ad *Pupianum* planè huc pertinet, *Oportere u-
num eſſe, cui audiat populus, non quidem totius or-
bis, ſed ſingulorum diœceſium*; Epiſtolam qui vo-
let diligenter excutere, ni fallor, non aliter ju-
dicabit.

6. Non eſt in Epiſtola noſtra, *Chriſtum, quum
Petro dixiſſet, Paſce oves meas, poſt hoc Apoſtolis
parem poteſtatem traditam &c.* Sed ſic, *poſt parem
poteſtatem traditam*, id eſt, *poſtquam par poteſtas tra-*
B *dita eſt, Accipite &c.* Deinde dictum *Petro:
Paſce oves meas &c.* Hic ſi vel Grammatiſtas,
quos dicit, conſuluiſſet *Eccius*, Epiſtolam noſtram
non corripuiſſet. Vides, *Ecci*, redire me ad crepi-
dam; Neque periculum eſt ullum, nè hoc loco
Luthero invidioſi per te reddamur, qui tam probè
de noſtris judicaveris.

7. *Maccabæorum* libris *tantum eſſe autoritatis, quantum eſt Evangelico*, palàm dixit, nec eſt,
ut inficiari poſſit, quanquam neſcio cur diſſimulat,
C & nemini obſcurum eſt, quàm rectè id dictum ſit,
qui modo *Hieronymum* viderit, qui ſic ait: *Sicut
ergo Judith & Tobiæ & Maccabæorum libros legit
quidem Eccleſia, ſed inter Canonicas ſcripturas non
recipit, ſic & hæc duo volumina, ſcilicet, Sapientiam
& Eccleſiaſticum, ad ædificationem plebis, non ad au-
toritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam.*
Eſt ergo inter libros Eccleſiæ diſcrimen, quæ ali-
os libros aliter recipit, ut non ſit conſentaneum;
Hic liber eſt in numero noſtrorum, igitur eſt ſcri-
D ptura Spiritus ſancti.

8. Temerè nos *Ambroſium* invadere accuſat
Eccius, ſanè hoc loco dignus, quem paulò duriùs
tractarem. Equidem de *Matthæi* loco dixi, cum
quem ille interpretatur *Lucæ* eſt. At verò pri-
mum conſtat alium eſſe adverſarium apud *Lucam*,
nempe à quo curandum eſt ut liberemur, aliud a-
pud *Matthæum*, qui cum convenire nos oportet, in
quem aſperiùs dixi propter eos, quibus placabile,
& ut dicunt, veniale videtur negare inimico be-
E nevolum animum. In ſumma, in eos, qui ita no-
bis præcepta conſiliis temperârunt, ut longè infe-
rius ſit *Chriſtianum* eſſe, quam probum Ethnicum;
quanquam & ille apud *Matth.* locus amplius quid-
dam præ ſe ferre mihi videtur, eo quod ſit in *Græ-
cis* ἀντίδικος. Deinde carcerem, per tenebras exte-
riores apud *Matthæum* exponit *Ambroſius*, quæ
inferorum procul dubio deſcriptio eſt. Denique
quod videtur patrocinari *Eccio*, ſimpliciter figurâ
quadrantis ſignificari vult culpæ compenſatio-
F nem, & ſicut textus dicens: *Donec reddas extremum
quadrantem*, non ait, *aliquando reddes extremum qua-
drantem*. Ita *Ambroſius* dicens, *figurâ quadrantis
ſignificari culpæ compenſationem*, non addit, *fieri eam
in mortuis compenſationem*, imò refragantur quæ-
dam apertè, ſi ad compenſationem pœnarum in
mortuis trahere velis. Breviùs expediero locum, ſi
juxta crebram figuram cùm *Græci*, tùm *Ebraici*
ſermonis verbi *donec*, exponam, *id quod oportet*.
Ambroſio nihil, ut vides, adimo. Quanquam ab eo,
G ſicubi à germano ſenſu variat, diſſentire, credo
non eſt flagitium. Porro & in eo apud *Lucam* ca-
pite *de quadrante* multa philoſophatur, cum in *Græ-
cis* non ſit niſi λεπτὰ δύο, quod *partem quadran-
tis* dicunt. Quid, quod ille de Diabolo diſſerit, nè
ipſi quidem *Hieronymo* probatur: *Hic*, quod ait,
obſcurari me, bene habet. Nam non ingratum eſt
ſub umbra *Ecciani* nominis deliteſcere.

9. Obiter

9. Obiter ad pauca reſpondimus, ſunt & alia in *Eccii* libello, quæ ut verbis excuſem, puto non magnopere referre, nempe quæ res ipſa in Notariorum commentariis deſcripta declarabit; Nam & hæc, ſi licuiſſet, ſilens malueram præterire. Immodeſtè à me in illum nè verbum quidem ullum dictum eſt; Proinde viciſſim obteſtor, cauſa pugnet non contumeliis; debemus enim caritati, quam cupio, ita me Deus amet, ex animo inviolatam illæſamque.

Quòd vero craſſiores nos putat, quàm ut de ſublimibus Theologorum quæſtionibus aliquid attingamus, non diſplicet. Modò permittat ut vulgus *Chriſtianum*, de piis nonnunquam quæſtionibus colloqui, atque adeò nos, qui à Theologiæ ſtudiis non omnino abhorremus, id genus ſacris deliciis animum nonnunquam paſcere. Quantò ſatius erat Parvulos, in quibus nos quoque ſumus, favore ac ſtudio animare ad pias literas, imò etiam, ſi quid delinquerent per imprudentiam, connivere, quàm hujuſmodi tragicis vocibus deterrere?

Vale, mi Lector, & defenſionem noſtram boni conſule, Nam & ipſe teſtis erit *Eccius*, potuiſſe me hanc cauſam pleriſque locis invidioſiùs agere, ſi animo liberiùs indulſiſſem. Iterum vale.

Ex inclyta *Saxoniæ Witeberga.* Anno M.D.XIX.

Defenſio contra Flacium. Phil. Mel. candido Lectori S. D.

Ep. 107, VT præcipua cura omnium hominum eſſe debet, ut rectè agnoſcere & invocare Deum diſcant: ita cùm in Eccleſia ſe Deus patefecerit, & velit ibi ſuam vocem audiri, ac velit ſingulos fieri cives ejus cœtus, & ad vexillum Domini noſtri *Jeſu Chriſti* concurrere, ut apud *Eſaiam* dicitur: *Erit ſignum populis:* omnino neceſſaria eſt & hæc cura, circumſpicere mente, & in tanta confuſione generis humani ſapienter quærere, quæ & ubi ſit vera Eccleſia, ut in eam nos fidei ſocietate, invocatione & confeſſione includamus, ubicunque ſumus. Sparſa eſt enim in diverſa imperia. Sed à profana & impia parte generis humani diſtincta eſt ſignis non fallentibus, ut ſciamus verè Dei Eccleſiam eſſe cœtum, ubicunq; eſt, qui vocem Euangelii ſonat incorruptam, & legitimum Sacramentorum uſum retinet, nec Idola pertinaciter defendit. Hæc cùm ab iis, qui doctrinam Propheticam & Apoſtolicam didicerunt, & non fabuloſam eſſe ſentiunt, mente, oculis atque auribus judicari poſſint, agnoſci certè Eccleſia poteſt.

Et in tantis Imperiorum ruinis, ac hominum diſſipationibus, hanc conſolationem bonæ mentes teneant, ubi vocem veræ doctrinæ incorruptam audiunt, & legitimum Sacramentorum uſum cernunt, & vident non defendi pertinaciter Idola, & errores pugnantes cum voce Filii Dei, ibi ſe in ſocietate Eccleſiæ eſſe certiſſimè ſciant, nec dubitent, tales cœtus Dei domicilia eſſe, ibi miniſterio Euangelii adeſſe Deum, ibi exaudiri invocantes, ibi rectè coli Deum, ex eo cœtu colligi æternam hæreditatem Filio Dei, juxta illud: *Ubicunque ſunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.*

Hac conſolatione ſæpè in diſſenſionibus publicis opus eſt, quam quidem eò recito, quia nunc quoque clamoribus quorundam non leviter perturbantur noſtræ Eccleſiæ, quæ hanc veram & firmam conſolationem teneant, de qua ſuos oculos & ſuas aures ſinguli teſtes faciant. Sonat eadem vox doctrinæ univerſæ, quam in libris noſtris, qui extant, ſonamus. Uſus Sacramentorum manet idem, qui fuit ante proximum bellum. Taxantur errores, & Idola, ut libri à nobis ſcripti oſtendunt.

Quòd verò clamitat *Flacius Illyricus*, & *doctrinam mutari, & reſtitui ceremonias quaſdam antea abolitas*; primùm de doctrina reſpondebo. Palam refutat hanc calumniam vox omnium docentium in Eccleſiis noſtris & in Scholis. Ac, ne longa aut obſcura ſit reſponſio. De univerſa doctrina ſentio quod ſcripſi in eo libro, qui in multorum manibus eſt, titulo *Locorum Theologicorum*, in quo non volui novum doctrinæ genus conſtituere, ſed fideliter collegi doctrinam communem harum Eccleſiarum, quæ amplexæ ſunt confeſſionem exhibitam Imperatori Anno M.D.XXX. quam ſententiam judico eſſe perpetuam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, ac volo dextrè & ſine Sophiſtica & ſine calumniis intelligi id ſcriptum.

Et quantum mihi conſcius ſum, non ſtudio diſſentiendi ab aliis, non amore novitatis, non *φιλονεικίᾳ*, aut aliâ ullâ pravâ cupiditate impulſus ſum, ut illam Epitomen colligerem. Sed tempora occaſionem præbuerunt. Cum in prima inſpectione Eccleſiarum comperiſſemus admodum diſſonos clamores eſſe ineruditorum de multis rebus, Summam doctrinæ, quam *Lutherus* in diverſis & interpretationum & concionum voluminibus tradiderat, tanquam in unum corpus redactam edidi, & quæſivi genus verborum, quo ad proprietatem, quæ ad perſpicuitatem & concordiam utilis eſt, diſcentes aſſueſcerent, ac ſemper omnia ſcripta judicio Eccleſiæ noſtræ & ipſius *Lutheri* permiſi: de multis quæſtionibus etiam disertè ſciſcitatus ſum *Lutherum*, quid ſentiret, ac multi pagellarum illarum exempla adhuc habent. In ejus doctrinæ profeſſione, quam, ut dixi, ſcio perpetuum eſſe conſenſum Eccleſiæ Catholicæ Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, & nunc Deum invoco, & juvante ipſo hanc confeſſionem ad æternæ Eccleſiæ conſuetudinem adferam. Hæc recito, nè quis criminetur, me aliorum fidem dubitatione aliquâ meâ langueſacere.

Jam *de rituum mutatione*, quæ alicubi facta eſt, pauca reſpondebo. Optârim certè in hac præſertim tanta mœſtitia nulla prorſus mutatione has Eccleſias turbari, ac ſi quæ factæ ſunt, non ſunt à me ortæ. Sed fateor me ſuaſiſſe & *Francis* & aliis, nè desererent Eccleſias propter ſervitutem, quæ ſine impietate ſuſtineri poſſet. Nam quòd *Illyricus* vociferatur, potiùs vaſtitatem fuiſſe faciendam in templis, & metu ſeditionum terrendos Principes, ego nè nunc quidem tam triſtis ſententiæ autor eſſe velim. Alia onera multò duriora quàm linea veſtis eſt, ſuſtinere nos ſtudiorum & Eccleſiæ cauſa, manifeſtum eſt, odia potentum, contumaciam populi, malevolentiam in fucatis amicis, diſcordias docentium, inopiam, injurias, & alia multa mala, quæ etiam tranquillam gubernationem comitantur. Nunc vero turbulentis temporibus multa accedunt atrociora.

Cùm autem propter tales miſerias non diſcedendum ſit à ſtatione, toleretur etiam ſervitus in re leviore, quæ tamen ſine impietate eſt. Mihi quidem

dem ingens mœſtitia hujus temporis, in tanta diſtractione voluntatum & opinionum poſcere videtur ut adflictas Eccleſias conſolemur & foveamus, quantum piè fieri poteſt, & curemus ut rerum neceſſariarum omnium doctrina fideliter explicata, ad poſteritatem propagetur, & Scholæ conſerventur, quæ cuſtodes ſint omnium honeſtarum artium.

Quòd autem narrat *Flacius*, alium neſcio quem, dixiſſe, me dixiſſe, *Non diſcedendum eſſe ab Eccleſiis, etiamſi omnes veteres abuſus reſtituerentur*, manifeſtum mendacium eſt.

Ac videte artificem, ut odia accendat, & ſuſpiciones cumulet, multa profert ex familiaribus colloquiis, quæ etiam calumnioſè interpretatur, alicubi perſonis aliis ſermones falſos attribuit, ut habere non ſolum teſtes, ſed etiam adſtipulatores videatur. Neque ſenſi, neque dixi unquam, quod ille in me falſo confert, manendum eſſe in iis Eccleſiis, in quibus reſtituuntur errores, & oblatio Miſſarum, & invocatio ſanctorum, & ſimiles impii cultus, qui noſtris ſcriptis taxati ſunt. Imò palàm profiteor, nec recipiendos eſſe illos Idolorum cultus, nec tolerandos. Et ut diſcentes in ſingulis materiis eſſent inſtructiores, magnâ curâ & magno labore fontes controverſiarum expoſui.

Hic ſi dolori meo indulgere vellem, poſſem & de *Flacio* juſtè queri, qui adverſus me talia mendacia ſpargit, & commemorare ex alto repetitas cauſas harum ærumnarum, quibus nunc Eccleſia totius orbis terrarum oppreſſa eſt, & exponere, quæ res armaverit audaciam adverſariorum contra veritatem, & confirmaverit potentiam. Sed hæc vulnera nunc attingere nolo, & iſtos libertatis vindices oro, ut ſinant me & alios multos tacitos circumferre noſtros dolores, nec accendant atrociora diſſidia.

Gloriatur ſe defenſorem fore priſtini ſtatus. Si ſtatum imperia certa & politias intelligit, & Eccleſiam ſuis tantùm mœnibus includit, non rectè ſentit. Sparſa eſt etiam in alias politias Eccleſia ſonans vocem Euangelii incorruptam, & verâ invocatione, veris gemitibus & lacrymis Deum invocans. Cumque tanta fuerit familiaritas ei mecum, quantum ſignificat, teſtis eſſe poteſt ipſe meorum dolorum, gemituum, & aſſiduitatis. Nos imperiorum & ſtatûs publici concuſſionem deploramus, nec quærimus arces aut præſidia; ſed in his ipſis Eccleſiis, in quibus ſumus, eandem vocem Euangelii ſonàmus invocantes Deum in vera agnitione & fide Filii Dei, & mediocri labore ſtudia literarum, inſtitutionem juventutis & diſciplinæ conſervationem adjuvamus. Si poteſt Eccleſiis ille defenſor ſtatus aureum ſeculum reſtituere, triumphet ut volet.

Cur me delegerit, cùm nulla in re unquam à me læſus ſit, quem in iſta defenſione ſtatus, ut vocat, primum opprimat, ut *Marius Antonium*, neſcio, cùm ſciat mihi ſemper diſplicuiſſe corruptelas doctrinæ, & à me errores præcipuos taxatos eſſe. Nunc ſcribit me promovere, hoc enim utitur vocabulo, quia ſuaſi, nè in templis fieret ſolitudo, propter lineam veſtem, aut res ſimiles.

Etiamſi qua eſſet diſſenſio de re tali, non obliviſcenda erant in Eccleſia præcepta de dilectione, præſertim cum ſciat nos in magno luctu eſſe, & nec regna, nec opes quærere: non erant imitanda

A exempla civilium diſſenſionum, in quibus qui ſint animorum impetus, proverbio ſignificatum eſt: ἔρις ἂν μὴ φύγῃ ἔριν, μήποτε φύσεται ὄφελον. Ille verò mihi non tantum ſtylum, ſed alia minatur atrociora. Optârim nos conſerre operas potiùs ad illuſtrandas res neceſſarias, ſatis enim certaminum reſtat, propter quæ inter nos paciſci inducias & velut ſyncretiſmum non modò nobis, ſed toti Eccleſiæ utilius eſſet, nè accideret illud, quod *Paulus* inquit, βλέπετε μὴ ὑπὸ ἀλλήλων ἀναλωθῆτε. Ego reſpõ-

B ſiones moderabor ex utilitate, ac ſpero me & ſcriptis, & multorum honeſtorum judiciis adverſus calumnias ſatis defendi. Nam & alii pii & docti viri in multis regionibus non leviter dolent, has Eccleſias condemnari.

Sed & *Flacium* & alios adhortor, ut cogitent, quid futurum ſit, ſi utrinque accenſi, hiſtoriam annorum triginta repetemus. Qualis hæc erit tela?

Quòd toties profert obiter dicta in familiaribus colloquiis, imò & ſomnia recitat, oſtendit, quâ

C fide amicitiæ & familiaritatis jura colat. Sæpè in dolore familiares querelæ liberiores ſunt, ſæpè diſputandi cauſâ ego ipſe vehementiùs ſententiam, quam amplector, oppugno, non ludens, ſed diſcendi cauſâ, ut aliorum cogitationibus erudiar.

Poſtremò, natura mea multis nota eſt, non adpeto laudem torvitatis; ſed mediocris eſt comitas, quâ jocor interdum etiam in doloribus. Talia dicta poſtea calumnioſè ſpargere, ut iſte facit, ἄκαιρον eſt, non officioſum, ut nihil dicam

D aſperiùs. Sin autem, ut in quadam parte ſuæ Epiſtolæ ſignificat, ubi mihi gladios etiam minatur, caſus aliquis me oppreſſerit, quorumcunque gladiis præbenda erit hæc miſera cervix, commendabo me Filio Dei Domino noſtro *Jeſu Chriſto*, crucifixo pro nobis & reſuſcitato, qui inſpector eſt cordium, & ſcit me ſimplici ſtudio quæſiviſſe veritatem, non factiones aut regna conſtituere, non laxare frenos curioſitati voluiſſe, nec ſine magna difficultate diligenter conſideratâ univer-

E ſâ antiquitate, multas intricatas quæſtiones evolviſſe, méque juventuti ad diſciplinam & ad colenda rectiſſima ſtudia hortatorem fuiſſe.

Sed de me jam nihil dicam. Scio in diſſenſionibus civilibus, omnes caſus omnibus expectandos eſſe, ſcio rabiem animorum variis modis accendi. Et habere *Flacium* ſuas quaſdam faces animadverto, ſed & vitam meam Deo commendo, & Eccleſiam Dei veram in his regionibus & alibi, de qua multò magis quàm de mea vita ſolli-

F citus ſum. Sed hac me conſolatione ſuſtento, quòd promiſit *Deus*, ſe etiam ſeneſcenti Eccleſiæ adfuturum eſſe. Et Filius Dei inquit, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi*. Servabit Deus aliquos cœtus cuſtodes doctrinæ Euangelii, & rectè ipſum invocantes, & ut in his regionibus etiam ſervet, toto cum pectore, & veris gemitibus oro.

Hanc brevem reſponſionem oppoſui clamoribus *Flacii*, non tàm meâ cauſâ, quàm earum Ec-

G cleſiarum cauſâ, ubicunque ſunt, in quibus multorum piorum animi ſcriptis *Flacii* vulnerantur: Hi teneant hanc conſolationem, quòd certum eſt, fundamentum in his Eccleſiis fideliter retineri, videlicet incorruptam vocem Euangelii, omnes articulos fidei, & uſum Sacramentorum ſine corruptelis. Tali miniſterio adeſſe Filium Dei, & in tali cœtu exaudire invocantes certiſſimum eſt,

ſupra

ſupra quoque dixi. Bene vale, candide Lector. Calend. Octobris. M.D.XLIX.

Epiſtola de diſſidiis præſentium temporum.

Ep. 108. IN tanta confuſione, non opinionum tantum, ſed etiam eventuum & fortunæ in genere humano ſemper quæſiverunt & quærunt multi, ſit ne Eccleſia Dei aliqua diſtincta à cæteris gentibus, & quæ & ubi ſit, præſertim cum maxima pars generis humani, cum florerent ordinè quatuor Monarchiæ, ignara fuerit ejus doctrinæ quæ propria eſt Eccleſiæ, & nunc *Mahometica* barbaries complectatur magnam partem orbis terrarum, & præcipuam potentiam in genere humano teneat. Quomodo autem conſentaneum eſt pauculos & miſeros errones & velut ſeditioſos, Deo caros eſſe; illos verò florentes ſapientiâ, virtute, imperiis à Deo abjectos eſſe, cum quidem fateri neceſſe ſit, Imperia divinitùs conſtitui?

Deinde in eo ipſo cœtu, qui nomen Eccleſiæ ſibi tribuit, quàm horrenda ſunt exempla licentiæ in moribus, & in fingendis monſtroſis deliramentis? Quales fuerunt *Manichei* furores, qui latè vagati ſunt in Oriente & in *Aphrica*, duos eſſe coæternos creatores, inter ſeſe prælianres, alterum cauſam boni, alterum cauſam mali. Nihil eſſe libertatem voluntatis humanæ, Non poſſe converti ad bonum homines χοϊκούς, ortos à mala cauſa, Nihil eſſe diligentiam regendi mores, nullam eſſe electionē, ſed quo cœci impetus unumquemque impellerent, eo præcipitem neceſſariò ruere. Hoc faſcinati errore, nullam adhibebant diligentiam regendi mores, quia nihil profutura videbatur, ſed laxabant frenos cupiditatibus alii aliis. Ipſe *Marcion*, qui in ea colluvie præcipua ſeditionum tuba fuerat, à Diacono uxorem abduxit, quæ poſt annos aliquot reverſa, narravit hiſtoriam illius factionis plenam ſpurciſſimorum exemplorum. Et ſingulæ ætates vident multa triſtia ſpectacula, quæ ita turbant mentes, vix ut eluctari ex his dubitationibus poſſimus: An & quæ ſit Eccleſia Dei. Sed propter hanc ipſam luctam animi, quotidiè in Symbolo jubemur adfirmare eſſe Dei Eccleſiam; quod cum recitamus, ſimul cogitemus patefactiones divinas, & teſtimonia quæ nos docent, & eſſe & manſuram eſſe Dei Eccleſiam, & ſciamus mandatum Dei eſſe, ut nos ei adjungamus, & cives ejus fiamus. Sicut in *Pſalmo* ſcriptum eſt, *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri florebunt*. Sed excuſant ſe multi dubitatione. Cum tot diverſa agmina ſibi titulum Eccleſiæ tribuant, ad quam jubemur accedere? Tot ſeculorum conſenſus Pontificiam turbam nominavit Eccleſiam. Nunc alii alios cœtus monſtrant. Illa velut lacerata navis & fatiſcens relinquitur, alii in alias Scaphas deſiliunt, Vos quam nobis firmam navim oſtenditis?

Non difficilis reſponſio eſt, ſi normam judicii ſequaris, quam Deus propoſuit. Sunt ſigna veræ Eccleſiæ non fallentia, ſcilicet ſcripta Prophetica & Apoſtolica, & Symbola. Hæc qui ſine corruptelis amplectuntur, hi ſunt vera Dei Eccleſia, juxta hæc dicta, *Oves meæ vocem meam audiunt: Fundamentum aliud poni non poteſt, præter id, quod poſitum eſt, quod Chriſtus Jeſus: Si quis aliud Evangelium docet, anathema ſit*. Nec dubium eſt hoſtes Eccleſiæ Dei eſſe univerſam illam generis humani

A multitudinem, quæ Prophetica & Apoſtolica ſcripta & Symbola palàm abjicit, videlicet Ethnicos, *Mahometicos*, feces *Iudaicas*. Et his annumerandi ſunt, qui manifeſta Idola defendunt, videlicet Sacrificuli & Monachi, & horum ſatellites, qui Idola Papæ tuentur, Invocationes hominum mortuorum, Adorationem panis in circumgeſtatione hiſtrionica, venales Miſſas, Monachorum dubitationem in invocatione, Fiduciam propriorum meritorum, Vagas libidines. Hæc Ethnica

B exempla cum incurrant in oculos, manifeſtè oſtendunt eorum defenſores non eſſe Eccleſiam Dei.

Etſi enim jactitant ſe retinere ſcripta Prophetica & Apoſtolica, tamen aut palàm contraria decreta illis anteferunt, aut affingunt falſas interpretationes, & prorſus ut dicitur, ἀντίχαλκον χρυσίον populo exhibent. Idem faciunt & qui nunc *Anabaptiſtæ* dicuntur. Loquimur enim de hujus temporis impoſtoribus. Excerpunt hi quoque mutila

C dicta ex ſcriptis Apoſtolicis: *Non vindicantes voſmet ipſi*. Item, *Et habebant omnia communia*. Hæc omiſſâ collatione aliorum dictorum, non rectè intellecta detorquent ad everſionem judiciorum & conturbationem Dominiorum, denique ad infinitas confuſiones, ſicut olim *Carpocrates* & alii quidam lacerârunt Eccleſiam ſimilibus furoribus. Nec difficile eſt judicare modeſtis hominibus & rectè inſtitutis in Eccleſia, qui diſcedant à ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, & à Symbolis.

D Hanc normam intuentes ſciamus noſtros cœtus eſſe veram Dei Eccleſiam, & læti Deo gratias agamus, quòd & ſervat in genere humano ſuas reliquias, & nos ad hujus ſui agminis ſocietatem vocavit, & in his caſtris conſtanter maneamus. At objiciunt nobis multi, inter nos quoque diſſidia eſſe. His reſpondeo, congruere omnes eruditos & dextrè judicantes de Fundamento, Sed, ut in magno exercitu nec Ducum eſt, nec militum virtus ſimilis, etiamſi voluntates congruunt, ita in mul-

E titudine piorum alii magis, alii minus eruditi ſunt; alii aurum, alii ſtipulas ſupra fundamentum extruunt. Sed de Fundamento conſenſus ſit. Et cives ſunt Eccleſiæ, qui quanquam ſunt infirmi, tamen ſunt dociles, ut de puerili agmine dicit Filius Dei, *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem*. Non ſunt cives ubicunque ſunt, qui aut monſtroſas opiniones pertinaciter retinēt, aut rectè tradita præſtigiis Sophiſmatum & Sycophanticè corrumpunt. Ut autem regantur & emendentur ju-

F dicia, vult Deus ſtudia doctrinæ eſſe, vult legi ſcripta Prophetica & Apoſtolica, vult dicta omnia prudenter conferri, ut *Paulus* inquit, *Sermo Dei habitet in vobis opulenter, cum omni ſapientia*. Non ſtolidè accipiantur dicta, ut accipiebant ἀνθρωπομορφῖται, aut ut *Anabaptiſtæ* ſine diſtinctione damnant vindictam, quam magiſtratus exercet mandato divino, & privatam, aut ut Pontificii ex dicto *Petri*, *Ecce duo gladii hic*, extruunt dogma, Pontifices tenere poteſtatem regiam. Quid inſul-

G ſius eſt, quàm fingere Sacramentum eſſe panem qui circumgeſtatur, cum Sacramenta ſint actiones inſtitutæ, ut fiant certo modo? Sed exempla inſulſarum interpretationum nimis multa paſſim obvia ſunt, nec dubium eſt multos tetros errores ab iis ortos eſſe, qui cum eſſent indocti, continuas diſputationes *Pauli* & ſermonem ejus non intellexerunt, ideóque mutila membra excerpſerunt, & iis

indoerunt

A induerunt ſententias natas in ipſis, non traditas in
ſermone Prophetico & Apoſtolico. Poſtea con-
firmati ſunt errores conſenſu multitudinis, quâ
deinceps ſtipati indocti & mali exercuerunt &
exercent magnam tyrannidem contra pios, ut di-
ctum eſt in *Euripide*, σὺν ὄχλῳ ἀμαθίᾳ, μέγιστον κακόν.
Quæ litera eſt in Propheticis & Apoſtolicis ſcri-
ptis, quæ invocationi mortuorum hominum pa-
trocinetur? Et tamen præſtigiatores quidam in-
de ſumunt teſtimonia contra conſcientiam, &
B muniti vulgi aut Principum ſatellitio audaciſſi-
mè propugnant ea, quæ illis grata ſunt. Hæc fiunt
nunc cum adhuc mediocria ſunt literarum ſtudia,
& multi ſunt rectè eruditi, qui refutare errores,
& impudentiam oſtendere aliis poſſunt, qui non
ſunt ἄθεοι. Quid fiet aliquanto pòſt, cum inſcitia
barbaricam feritatem augebit? Hæc cogitare ſa-
pientes & bonos Principes decet, ut majore curâ
literis & diſciplinæ opem ferant. Cum intereunt
literæ, ſimul efferari animos videmus, ut dicitur,
C ἀμαθία θράσος ἀπεργάζεται. Contrà qui procedunt
in doctrinis magis vident, quanta moles ſit rerum
quæ diſcendæ ſunt, & quantum onus ſit perſpicua
explicatio difficilium controverſiarum. Creſcunt
igitur ſimul & diſcendi cura, & modeſtia, & invo-
catio Dei.

Recens *Stenckfeldianus* ſatelles edidit librum
contra me & *Paulum Eberum*, in quo valdè vitu-
perat ſtudia doctrinarum, ut hoc perſuadeat, Eccle-
ſiam non colligi miniſterio lectæ, ſeu auditæ &
D cogitatæ doctrinæ, ſed prius rapi mentes Enthu-
ſiaſmis, poſtea lectionem ſeu cogitationẽ ſcriptæ
doctrinæ accedere, quæ aliis oſtendat illos adfla-
tus. Ita invertitur ordo, quem *Paulus* tradidit,
Quomodo credent, niſi audiant? Coacervat autem
ille *Stenckfeldianus* longam Rhapſodiam teſtimo-
niorum ex Scriptoribus veteribus & recentibus,
quæ dicunt, à Deo mentes illuſtrari: Id & fate-
mur, & ſemper nos profeſſos eſſe, & ſcripta noſtra
oſtendunt, & oſtendimus in quotidiana Invoca-
E tione. Agimus gratias æterno Patri, quòd miſit
Filium, qui proferret Euangelium ex arcano con-
ſilio divinitatis. Sed is vult notam eſſe hanc vo-
cem doctrinæ, per hanc eſt efficax in cordibus,
ſicut planiſſimè dicitur de externo miniſterio:
Quomodo audient, niſi prædicatum fuerit? Et de ſcri-
pta doctrina *Eſaias* inquit, *Ad Legem & ad Teſti-
monium*. Delent fanatici conſolationem neceſſari-
am, cum in dubitationibus & doloribus abducunt
nos à ſcriptis promiſſionibus. Nec docent in eis
F agnoſcendam eſſe voluntatem Dei, & earum co-
gitatione fidem erigendam. Sed de hac contro-
verſia rurſus alibi dicemus.

Nunc obiter hæc intexui, ut confirmem hæc
legentes contra doctrinæ vituperatores. Oro au-
tem pios Principes, ut & ipſi ſuâ autoritate peſtes
illas Eccleſiæ, quæ doctrinam & miniſterium in
contemtum adducunt, reprimant, & propagatio-
nem doctrinæ, & miniſterii publici conſervatio-
nem adjuvent, ſicut eis præceptum eſt cum dici-
G tur, *Et nunc Reges intelligite: Oſculamini Filium.
Aperite portas Principes veſtras*. Item, *Reges erunt
nutritores tui*. Te quidem illuſtriſſime Dux, cum
fontes doctrinæ Eccleſiæ ipſe legas, & doctrina-
rum initia feliciter didiceris, & intelligas neceſſa-
riam eſſe Eccleſiæ linguarum & honeſtarum arti-
um cognitionem, ſpero non defuturum eſſe di-
ſcentibus, & Deum oro, ut te ſervet & gubernet.

A Oro etiam meos commilitones, ut concordiam
ament, quæ & Deo grata eſt, & omnibus nobis
neceſſaria, & Principum beneficentiam invitat.
Et videmus quàm multi hoſtes undique Eccleſi-
am oppugnent: Adverſus hos conjunctione nobis
opus eſt. *Beſſarion* cum Principes ad concordiam
hortatur, ut reprimere *Turcas* poſſint, narrat
hunc Apologum: *Bellum erat*, inquit, *inter lupos &
canes; Cumq; nunciatum eſſet lupis, venire ingentem
exercitum canum ad lacerandos lupos, miſſus eſt ſpe-
B culator unus ex vetulis lupis. Hic diligenter conſide-
rato hoſtili agmine redit, eis renunciat, eſſe quidem
multitudinem canum longè majorem, quam ſit lupo-
rum: Sed benè ſperandum eſſe, quia viderit multas eſſe
diſſimilitudines colorum in canibus. Hâc voce confir-
mati lupi non cedebant, ſed diſſimiles facilè pelli poſſe
ſperabant.*

Eodem modo nunc de nobis triumphos agunt
Staphilus, *Caniſius*, & alii in factione *Papiſtica*.
Oro autem Filium Dei Dominum noſtrum *Je-
C ſum Chriſtum*, ut nos gubernet, & faciat ut omnes
in noſtris Eccleſiis unum ſimus in ipſo. Sit autem
& in nobis ſtudium tuendæ conjunctionis. Hæc
ad te ſcripſi, Illuſtriſſime Dux, ut publica ſtudia
tibi commendarem. Bene vale, Illuſtriſſime
Princeps. *Witebergæ* Calend. Septemb. Anno
M.D.LVIII.

Epiſtola de editione locorum Theologicorum, & de neceſſitate & utilitate Methodi.

D CUm in docendo magnopere proſit, tenere Ep. 109.
ſummas rerum ordine & ratione diſtribu-
tas, & in Methodum contractas, collegi & ego
præcipuos locos doctrinæ *Chriſtianæ*, eóſque quos
arbitrabar maximè ad pietatem alendam condu-
cere, & in vita & exercitiis piorum uſum habere,
denique qui extare in Eccleſiis & in concionibus
inculcari maximè debent. Ac non ſolùm curio-
ſas & inutiles quæſtiones præcidi ac fugi, ſed
E etiam in reliquis locis, quos explicandos eſſe pu-
tavi, optimâ fide ac ſimplicitate ſine Sophiſtica,
res ipſas, quantum potui, expoſui. Nam & ipſe
abhorreo, ut qui maximè à præſtigiis illis diſputa-
tionum, quæ cum multa colligunt inextricabilia,
perplexa, paradoxa, abſurda, prodigioſa, tantum
perturbant conſcientias, non docent.

Etſi autem hoc unum fuit meum conſilium, ut
de rebus neceſſariis colligerem doctrinam Catho-
licæ Eccleſiæ *Chriſti*, videlicet quæ traditur in A-
F poſtolicis literis & receptis ſcriptoribus Eccleſia-
ſticis; Tamen hîc præfandum duxi, me libenter Ec-
cleſiæ Catholicæ, hoc eſt, piis, doctis & peritis
omnibus permittere judicium de omnibus lucu-
brationibus meis; quemadmodum enim *Paulus*
præcipit, ut unuſquiſque norit modum fidei ſibi
datum à Deo, ita cum mea mihi imbecillitas non
planè ſit ignota, neq; antea ſine autoribus de ullo
dogmate pronunciavi, neque Eccleſiæ judicium
unquam aſpernabor.

G Nec vero novum eſt exemplum, methodos do-
ctrinæ *Chriſtianæ* informare. Nam & apud *Græ-
cos Damaſcenus*, & apud noſtros *Longobardus* hu-
juſmodi ſcripta reliquerunt: quibus gratiam &
celebritatem ſummam hoc unum peperit, quòd
methodi magno ſtudio ſequuntur; Itaque vide-
mus eos vel primæ claſſis ſcriptoribus annumera-
tos eſſe. Extiterunt & ante hos hujus generis li-
belli,

belli, enarrationes *Cypriani* & aliorum in Symbolum. Et nonnulli non inconcinnè *Auguſtini* ſententias collegerunt de ſingulis, in libello cui titulus eſt, *De fide ad Petrum.* Extat & vetus ſcriptum *Origenis*, περὶ ἀρχῶν, cui hunc titulum fecit, propterea quòd præcipuos locos *Chriſtianæ* doctrinæ ibi ſerie quadam diſponit & explicare conatur. Ad hæc *Paulus* quaſi methodum quandam informat in *Romanis*, accuratiſſimè diſputans. De cauſa peccati, De uſu legis, & De beneficio *Chriſti*: quod ſit proprium *Chriſti* beneficium, quomodo conſequamur remiſſionem peccatorum & reconciliationem. Sunt initiò & ſymbola hoc conſilio condita, ut extaret brevis quædam ſumma doctrinæ *Chriſtianæ*, in qua locos ad pietatem neceſſarios, tanquam ſimul in una tabula propoſitos, conſpicere & complecti homines poſſent: nam hæc una eſt ratio utiliter docendi. Quare non ſum autor novi exempli in Eccleſia.

Sed illud valdè angit animum meum, quò magis opus eſt methodo, quò avidiùs omnes ſtudioſi omnibus ætatibus has εἰσαγωγάς & expetiverunt & exceperunt, eo majore conſilio & religione ſcribi debebant. Quid enim difficilius eſt, quàm explicare dilucidè graviſſimas religionis controverſias? Quid periculoſius, quam in tanta judiciorum varietate rectiſſima deligere? Quid proclivius, quid tam homini proprium quàm labi & hallucinari, & non raro ſpecie recti decipi? Quid quod ſæpè etiam rectè ſentientes, tamen in explicando quaſi ſui obliviſcuntur, nec ſatis commodè dicunt quod volunt. Sæpe concedunt oneri, nec poſſunt quod ſentiunt exponere. Inde cum poſtea imperiti opiniones parum commodas hauriunt, plurimum oritur ſcandalorum in Eccleſia. Hæc ſciunt me non fruſtra queri, qui cum judicio veteres ſcriptores legunt, quorum vix ullus eſt, in quo non interdum vel perſpicuitas, vel diligentia deſideretur. Quàm multi occurrunt loci, de quibus cum ipſis autoribus, ſi liceret, colloqui cuperemus, & coram diſertè ſciſcitari, quid ſenſerint, quos habuerint autores? Præſertim autem in hoc ſcripti genere in methodis, quàm multa non obſcurè taxantur? Quoties jugulatur *Origenes* in libro περὶ ἀρχῶν; *Longobarbardo* nè quidem ipſius alumni pepercerunt, & quædam jure reprehenduntur.

Itaque cum tantum & difficultatis & periculi ſit, componere methodum, ſæpè mihi venit in mentem, id non unius hominis opus eſſe debere, ſed Synodi, in qua doctiſſimi & optimi viri, re communiter deliberatâ, de omnibus iis articulis, de quibus ſæpè oriuntur controverſiæ, & quædam in ipſis diſſimilitudo eſt, diligenter judicarent, & integram doctrinam religionis ederent.

Quod *Plato* inquit, *Principes rerum publicarum præcipuè hoc efficere debere, ut cives & beati ſint, & inter ſe amici:* Ad hunc optimum Eccleſiæ ſtatum nulla res afferret plus momenti, quàm ſi telis aliqua pia ac ſimplex extaret forma doctrinæ, gravi autoritate ſcripta: hæc enim & ambigentes animos ſanare, & concordiam ac tranquillitatem Eccleſiæ reſtituere, & in poſterum munire poſſet. Hujus ſummi inter homines beneficii autores, non ſolùm Epiſcopos, ſed etiam ſummos Principes eſſe decet, ut & gloriam Dei ornent, & omnium gentium ſaluti conſulant, præſertim cum ſine ope ipſorum res tanta perfici nequeat. Nec verò dubito, quin ut quiſque Princeps prudentiſſimus atque

A optimus eſt, ita vehementiſſimè afficiatur Eccleſiæ cladibus: neque enim ſunt aut obſcuræ, aut ita leves, ut ſine ſumma acerbitate doloris conſiderari poſſint.

Veteres quidem morbi hærent in Eccleſia non diſſimulandi. Conſtat enim quoſdam inſignes articulos doctrinæ Chriſtianæ diu jacuiſſe obrutos denſiſſimâ caligine, ex quâ poſtquam evolvi cœperunt opera quorundam doctorum & bonorum virorum, ſtatim ſuſcepta eſt paſſim inuſitata ſævi-

B tia, & indigna lenitate Eccleſiaſticâ. Neque tantùm trucidantur boni & docti viri, confirmatur abuſus, ſed omnino extinguuntur ſtudia doctrinæ *Chriſtianæ*. Hinc orta diſſenſio, cùm alia infinita parit incommoda, tùm hoc præcipuè, quod locum præbet, ut fit, alicubi indoctis, ſeditioſis & fanaticis hominibus, qui & nefarias θεομαχίας ſpargunt in Eccleſia, & de rebus civilibus, falſas ſerunt opiniones, & pernicioſas religioni ac civilium hominum ſocietati, planéque transformant religionem

C in quandam horribilem barbariem. His tantis malis profectò decet bonos & ſapientes Principes idonea remedia quærere. Quid quod etiam poſteris præſtare Eccleſiam debent? Quæ quidem, niſi ratio ineatur, ut pia & certa doctrinæ forma ad poſteros propagetur, infinitis modis dilacerabitur.

Extat apud *Xenophontem* brevis quædam ac plena gravitatis atq; animi *Laconici* concio *Archidami*, qui collapſam ac penè deploratam *Spartam* vir-

D tute ſuâ reſtituit. Hic ante id prælium, quo maximè iterum erexit patriam, cum inſtructa acie jam ſigna canere juberet, his verbis adhortatur exercitũ: ἄνδρες πολῖται, νῦν ἀγαθοὶ γενόμενοι, ἀναβλέψωμεν ὀρθοῖς ὄμμασιν, ἀποδῶμεν τοῖς ἐπιγιγνομένοις τὴν πατρίδα. O generoſam vocem, & dignam Rege *Spartano* & *Ageſilai* filio, quâ teſtatur magnos & fortes viros debere maximas dimicationes ſuſcipere, ut poſteris ſalvam Rempublicam tanquam certam ſedem relinquant! Quantò magis decet ſic af-

E fectos eſſe *Chriſtianos*, & Principes, & doctores, ut cupiant poſteris relinquere Eccleſiam rectè conſtitutam ac tranquillam. Nec verò ullius rei cura potior & antiquior eſſe magnis viris debet, præſertim iis, qui ſedent ad gubernacula, qui utinam in tantis Eccleſiæ calamitatibus aliquando ſibi hanc honeſtiſſimam vocem ſubjiciant; ἀναβλέψωμεν ὀρθοῖς ὄμμασιν, ἀποδῶμεν τοῖς ἐπιγιγνομένοις τὴν ἐκκλησίαν. Id vero non poteſt effici, niſi ritè explicatâ doctrinâ: nam violenta conſilia nec

F ſanant ambigẽtes animos, nec proſunt ad conſtituendam durabilem tranquillitatem. Et quanquam coercenda eſt petulantia, & ſeveris exemplis puniendi ſunt, qui ſerunt aut amant impia dogmata, aut ſeditiones excitant: tamen videndum eſt, nè pariter ſine diſcrimine exerceatur ſævitia in bonos & malos.

Sed ut redeam unde digreſſus ſum. Equidem maximè opto ut de aliqua integra methodo Synodus aliquando deliberet. Sed cum hoc tempo-

G re viderem in tanta varietate diſputationum atq; opinionum, imperitis quaſi regiones monſtrandas eſſe doctrinæ *Chriſtianæ*, eóſque præmuniendos eſſe contra pernicioſas atque impias opiniones, coegi hos locos in compendium, bono ſtudio, & quantum potui dedi operam, ut ordinem & viam ad docendum accommodatam adhiberem, méque intra ipſa methodi ſepta diligenter incluſi.

Quod

A Quod ut faciam, etſi etiam ingenii infirmitas me cogit, tamen habeo aliquam conſilii mei rationem. Quanquam enim ſunt nonnulli excellentibus ingeniis præditi, qui velut *Phidias* tribuit ſtatuis, non ſolùm aptam harmoniam membrorum, ſed etiam dignitatem et amplitudinem: ita et ipſi ad methodum adjungunt ſplendorem & lumen orationis, ad illuſtrandam rerum magnitudinem: tamen hæc felicitas perpaucorum eſt. Ego meo me pede metior, ac ſatis agnoſco me, B divinam illam *Phidiæ* formam atque ideam effingere non poſſe, ac facilè patior me inter κοροπλάθας & minutorum operum figulos numerari. Quare majori curâ ac ſtudio illa artis veſtigia conſector. Scio multos alios delectari liberis declamationibus, & has anguſtias methodi fugere. Sed plerique dum ſibi indulgent, ſæpè à ſcopo deerrant. Et dum multa extra cauſam magnâ voce ſonant, manuque totâ, nihil certi lectorem docent. Illam verò licentiam Academico more diſputandi, maximè C odi, quam ſibi ſumunt nonnulli, qui & rectè tradita ab aliis calumnioſe depravant ac evertunt, & ſine lege, ſine delectu, ſine autoritate veteri, quicquid libet, dicunt; Quod de *Tantalo* inquit *Euripides:* ἀκόλαστον ἔσχε γλῶσσαν, αἰσχίστην νόσον, profectò in Theologo turpiſſimus eſt morbus linguæ petulantia. Meminiſſe nos decet, quo in theatro verſemur, judicem habemus *Chriſtum*, ſpectatores Angelos, auditores infirmos, quorum animi facilè ſauciantur.

D Ideo & religionem ac fidem, quam debemus rebus ſacris, præſtare ſtudui; & nè res alioqui intricatas magis etiam involverem, adhibui proprietatem in explicando, quantum potui; eamque ob cauſam uſitatis in Eccleſia verbis uſus ſum, & interdum à ſcholis verba quædam mutuatus ſum, quæ ſunt condonanda temporibus. Cæterum dedi operam, ut ſermo eſſet perſpicuus, non admiſcui peregrinas diſputationes. Etſi enim ita ſtatuo, eos qui non ſunt inſtructi liberali eruditione, non ſa- E tis idoneos eſſe ad exponendam religionis doctrinam, & in pleriſque locis quædam ex aliis literis aſſumenda ſunt, interdum conferendæ quædam ſententiæ religionis cum Philoſophia. Tamen ut in aliis rebus, ita hìc quoque τρόπος gratiſſimus eſt. Adjuvamur ab aliis artibus in his ipſis rebus illuſtrandis, in inſtituenda œconomia, ſeu, ut ita dicam, in ipſa ædificii forma delineanda. Nam indocti nè poſſunt quidem res intricatas aptè diſtribuere, ſed ſæpè miſcent non cohærentia, aut di- F vellunt conjuncta: nec ſemper vident, quid ſit in controverſia, ubi confligendum ſit. Ad hæc plerique collatione Philoſophiæ fiunt illuſtriores. Necne tamen confundenda ſunt artium genera, non obruenda eſt doctrina *Chriſtiana* alienis diſputationibus. Ego etiam, nè prolixior eſſem, parciùs quàm licuit, delibavi quædam ex literis. *Paulus* vult eos, qui tradunt doctrinam religionis, eſſe διδακτικούς, quod profectò nemo præſtare poteſt rudis aliarum literarum. Itaque etſi ſunt G aliæ præſtantiores virtutes, pietas, uſus vitæ, experientia certaminum ſpiritualium, prudentia; tamen impudentes ſunt hi quoque, qui cum ſe interpretes doctrinæ *Chriſtianæ* eſſe profiteantur, non dant operam ut adjungant liberalem eruditionem, quæ non ſolùm ornamentum eſt Eccleſiæ *Chriſtianæ*, ſed aliquid ipſi doctrinæ lucis addit.

Ac planè dignos odio eſſe cenſeo *Anabaptiſtas*, A & ſi qui ſimiles ſunt, qui ineruditam quandam & barbaricam Theologiam in Eccleſiam invehere conantur, & contendunt nullis literis opus eſſe. Quare omnia confuſè ſine arte dicunt, nullam adhibent antiquitatis notitiam, nullam collationem ex aliis diſciplinis. Atque hi ſuum habent theatrum: vulgus enim quia naturâ odit artes, gaudet earum dignitatem elevari. Verùm hæc perſuaſio non ſolùm officit ſtudiis literarum, & civili vitæ, quam tuentur cæteræ artes, ſed etiam nocet reli- B gioni. Nam eruditio non ſolùm hoc nomine prodeſt, quòd acuit judicia, quòd vivendi formam monſtrat, ſed conducit etiam moribus: nam ut quiſque eruditiſſimus eſt, ita diligentiſſimè magnitudinem rerum animo metitur, quod curam & ſolicitudinem rectè docendi auget. Contrà inſcitia negligentiam in bonis alit, confirmat in malis audaciam, quâ nulla major eſt Eccleſiæ peſtis. Multo enim confidentiùs vociferantur & C pronunciant mali, ubi autoritatem ſibi arrogare ſine doctrina poſſunt. Quare omni contentione cenſeo incitandos eſſe ad juſtam diſcendi rationem, & ad vera ſtudia cùm religionis tùm aliarum optimarum artium, omnes qui utiliter ſervire Eccleſiæ cupiunt. Invitantur autem ingenia exemplis, juxta illud *Heſiodicum*,

——ζηλοῖ δέ τε γείτονα γείτων.

Itaque etſi mea ſcripta non ſunt perpolita, tamen ut nihil aliud præſtem, certè methodus monere lectores poteſt ad res tantas exponendas, aliis D etiam literis atque artibus opus eſſe. Vale.

Epiſtola Philippi Melanthonis de ſeipſo, & de editione prima ſuorum ſcriptorum.

Excuſatione ſtultitiæ nihil eſt ineptius. Sed eſt ingenui animi, præſertim in artibus, agnoſcere errata, & fateri vel ingenii imbecillitatem, vel negligentiam, ut alienis exemplis admonita juventus, diligentiùs conſideret, in ſtudiis, quò quaſi E manus dirigenda ſit. Addam igitur ipſe cenſuram huic editioni ſcriptorum meorum, in qua non ſolùm puerilia ſtudia recitabo, ſed etiam exponam quædam de mea voluntate in Republica, & quo conſilio ediderim libellos Theologicos. *Ep. 110.*

Poſtquam utcunque didici Grammaticen *Latinam* à *Johanne Hungaro Phorcenſi*, viro docto & honeſto, *Græcam* à *Georgio Simlero*, qui poſtea Jus civile magna cum laude profeſſus eſt, miſſus ſum puer adhuc in Academiam, ubi cùm adoleſcenti- F bus nihil publicè traderetur præter illam garrulam Dialecticen, & particulam Phyſices; quia didiceram verſiculos connectere, quâdam aviditate puerili cœpi legere Poetas, & ut poſtulat res, adjunxi hiſtoriarum & fabularum lectionem. Hæc me conſuetudo paulatim deduxit ad autores veteres. Ab his cum ſumerem verba, & tamen de ſtylo nemo quicquam moneret, & nos adoleſcentuli ſine delectu omnia evolveremus, imò magis recentia, ut *Politiani* & ſimilia quædam amare- G mus, oratio mea quaſi colorem inde ducens, magis hos refert duriores & horridiores ſcriptores, quàm veterum venuſtatem & nitorem; Ideò etiam fiebat, quia non intermiſi illa qualiacunque φιλοσοφούμενα, quæ cùm celeriter percepiſſem, vel exhauſiſſem potiùs, viderémque ab iis qui tradebant non intelligi, propterea quòd ocioſi in ſcholis & in umbra, non Rempublicam, non forum, non

Eccle-

Eccleſiaſticas pugnas ullas viderant, nec legerant oratorum prælia, cœpi ipſe mecum animo quærere de uſu præceptionum.

Eo ipſo tempore primùm editi ſunt libri Dialectici tres *Rodolphi Agricolæ*, quos mihi recens excuſos *Oecolampadius*, quem doctrinâ, prudentiâ & pietate excellentem, non ſecùs ac patrem colebam, donavit. Horum lectione non erudiebar tantùm, ſed etiam excitabar, ut in orationibus *Ciceronis* & *Demoſthenis* argumentorum formas diligentiùs conſiderarem, ac diſtinguerem. Quâ ex re utrunque aſſequebar, ut & orationes illas meliùs intelligerem ac legerem libentiùs, & uſum præceptionum perſpicerem.

Cúmq; ſeu naturâ, ſeu fato aliquo ad hanc ſcholaſticam militiam traherer, & docere prius alios cœpiſſem, quàm ipſe didiciſſem, impulſus ſum à commilitonibus, ut ea quæ in familiaribus colloquiis diſſerentem audierant, ederem. Ita nati ſunt libelli Dialectici & Rhetorici, caſu magis & quodam juvenili ſtudio, quam re ſatis cogitatâ. Si quis autem meminit, quales labyrinthi ac tricæ fuerint in Dialecticis, qui tunc ſoli legebantur, quanta inſcitia non ſolùm linguarum & hiſtoriarum, ſed etiam earum artium, quarum titulis erant ornati Præceptores, is, ſi de ſtudiis rectè judicat, fatebitur tunc quidem emendationem ſcholarum fuiſſe neceſſariam, quam utinam illi ipſi cenſores noſtri, qui nunc nos accuſant, aut inſtituiſſent ipſi, aut meliùs gubernâſſent.

Ac ſi illa aurea ætas, quam tunc refloreſcentibus utcunq; literis ſperabamus, ſecuta fuiſſet, fortaſſis lætiora, nitidiora, & ſcholis gratiora ſcripſiſſemus. Sed fatalis diſcordia, quæ poſtea ſecuta eſt, & mea ſtudia conterruit, & ut fert temporum mæſtitia, triſtiorem, & quaſi lugubrem habitum orationi noſtræ circumdedit. Nec verò nunc de fontibus Eccleſiaſticorum diſſidiorum dicam. Scio nos ab inimicis accuſari, adverſus quos mihi quidem perfacilis eſt & ſimplex defenſio. Fateor extortis diſſenſionibus me comitem & fuiſſe & eſſe ejus partis, quæ res veras & Eccleſiæ neceſſarias patefaciebat. Dux eſſe, nè quidem per ætatem potui. Sed adverſari piis & ſalutaria docentibus non volebam, nec jam aliter ſentio. Legimus *Dionyſium* Tyrannum petiiſſe in conjugium Principis viri *Locrenſis Ariſtidæ* filiam, quam cum pater negaret ſe Tyranno daturum eſſe, aliquanto pòſt *Dionyſium* conficto crimine, interfectis *Ariſtidæ* liberis, interrogat, an nondum pœniteat eum conſilii, cùm filiam ipſi deſpondere noluit. Hic *Ariſtides* ingenti robore animi, Etſi, inquit, magno dolore afficior, crudeliter necatis liberis, tamen me recti conſilii non pœnitet. Ita etſi vidimus, quantam ruinam etiam quarundam bonarum rerum traxerit civilis diſcordia, tamen mei me conſilii non pœnitet. Hæret diſcordia, non noſtrâ culpâ, ſed ſcelere illorum, qui illuceſcentem veritatem ferre nequeunt. Deinde illos ipſos rogo, ut de fontibus non diſputem, ut cogitent, ſolere fatales mutationes omnibus rebus humanis accidere, quæ humanis conſiliis caveri non poſſunt. Satis benè nobiſcum agi putemus, ſi ſapientiâ & moderatione mitigari poſſunt, cùmque non contingit ὁ ἐξ οὐρίας πλοῦς, ut dicitur, decebat illos ſapientes, non iracundiâ, odiis, pertinaciâ augere pub. difficultates, ſed tentare δεύτερον πλοῦν, & ſuâ æquitate lenire incommoda, & ſanare

A Rempub. Cur, cùm Eccleſiæ fuerit opus emendatione, deinde cùm jam aliqua ex parte mutatio inciderit, non dant operam, ut ſaluti omnium gentium rectè conſulatur? Sed deſino de aliorum voluntatibus diſputare, de me dicam.

Me nec opum, nec honorum cupiditas ad ſocietatem horum certaminum in Eccleſia impulit. Et me in his tantis motibus, cùm honeſtæ voluntatis, tum verò etiam actionum, conſiliorum & ſcriptorum rectorum, atque utilium conſcientiâ

B conſolor. Collegi in duobus libellis in *Locis Theologicis*, & in commentario Epiſtolæ ad *Romanos* doctrinam Eccleſiarum noſtrarum, quam profectò optârim ſinceram & incorruptam ad poſteros propagari. Nec judicia *Epicurea* moror illorum, qui quia Evangelium arbitrantur eſſe fabuloſum, nolunt errata Eccleſiarum reprehendi, nolunt inquiri doctrinæ fontes. Nam *Cyclopum* ſapientiam toto pectore & odi, & abominor. Judico unam eſſe de Deo & voluntate divina veram do

C ctrinam, quæ in Eccleſia Dei extitit, inde uſque ab initio conſervatam in libris Propheticis & Apoſtolicis, & probatis teſtimoniis Eccleſiæ proximè poſt Apoſtolos. Hanc doctrinam colendam, diſcendam & propagandam eſſe ſentio. Sentio item multa eſſe in recenti Monachorum doctrina non diſſimulanda errata. Quare cum partem ſcholaſtici laboris ſuſtinerem, collegi non ſolùm magnâ ſedulitate, ſed etiam curâ & fide rerum ſummas, quas incluſi his libellis, in quibus mihi non volo

D ignoſci, ſi quid ineſt erroris. Uſus autem ſum Dialectico quodam filo in explicandis dogmatibus, non eò tantùm, quòd hæc forma expeditior eſt, & faciliùs res comprehenſæ talibus metis intelliguntur, ſed etiam quia quæ propriè & perſpicuè dicuntur, moderatiſſimè dicuntur. Sperabam autem fore, ut aliquando rerum optimarum perſpicuitas & evidentia ϗ ἐνάργεια, & moderatio aditum ad communem concordiam patefacerent. Durabiliora ſunt & etiam certiora, quæ propriè

E dicuntur, ſi modò vera ſunt, quàm ambigua & intricata. Prodeſſe igitur noſtros libellos propriè ſcriptos piis judico, nec ſtudium *Hervagii* amici noſtri improbo, qui edendos eſſe putavit.

Nè tamen arrogantiùs vel de his, vel de aliis meis lucubrationibus ſentire videar, hic iterum teſtor, ut ſæpè aliàs teſtatus ſum, me non defugere judicia piorum & eruditorum toto orbe terrarum: deinde me Eccleſiis noſtris candidè permittere judicium de omnibus meis ſententiis &

F actionibus. Ac ſentio Eccleſiam *Chriſti* eſſe noſtras Eccleſias, & pios ubicunque terrarum judicio & voluntate cum noſtris Eccleſiis conjunctos. Quædam ſunt breviora, in his, de quibus dixi, quam res poſtulat, quæ, ſi vita erit longior, explicabimus. In cæteris Theologicis quid probem, ex eo libro cui titulum feci *Locorum*, æſtimari poteſt. Quædam enim ſi adfuiſſem editioni ſummoviſſem. Nihil dubium eſt librum *Geneſeos* omnium ſcriptorum Propheticorum eruditiſſi

G mum eſſe. In hunc vix ſunt inchoatæ enarrationes, in quibus tum quidem etiam ſenibus placebat diſcrimen Legis & promiſſionis Evangelicæ, ſed paucæ ſunt & exiguæ pagellæ, cùm hic liber multò copioſiorem enarrationem flagitet. In *Johannis* Evangelium, quam tenuis eſt lucubratio? Sunt & ſententiæ recentes collectæ αἱ δόξαι κυριαὶ, quarum aliquæ in illis autoribus qui

H citantur,

citantur, ſunt ſuppoſititiæ. Hæc & ſimilia quædam mallem omiſſa eſſe. Memini olim *Tubingæ Lempum* nobis pingere in tabula Tranſubſtantiationem, ut vocant. Mirabar inſulſitatem hominis tum quoque, neque jam velim citatis nothis ſententiis, titulo *Cypriani*, aut *Ambroſii*, aut *Theophylacti*, confirmari abuſus Sacramenti. Comperi miram fuiſſe audaciam & impudentiam deſcribentium veteres libros, qui ut imponerent indoctis, multa de ſuo adſcripſerunt pugnantia cum autoribus.

Quod autem ſæpè optavi, ut aliquando autoritate ſeu Regum ſeu aliorum piorum Principum convocati viri docti de controverſiis omnibus liberè colloquerentur, & relinquerent poſteris firmam & perſpicuam doctrinam, idem adhuc opto. Meas ſententias fuiſſe moderatas, & conſilia *συμβιβαστικὰ*, ad communem concordiam accommodata, multi nôrunt. Sed tamen idem nolim ambiguis & fucoſis moderationibus reſtitui errores, & confirmari ſævitiam noſtra ſuffragatione. Quæratur concordia ſalutaris Eccleſiæ, non ut ille, qui conditiones flexiloquas *Antiocho* ſcripſerat, ut dimidium navium ei relinqueretur, poſtea diſſectis navibus acervum dimidiatum reliquit. Nec adeò vel hiſtoriarum, vel vitæ communis ignarus ſum, ut non cogitem, qui fuerint exitus multorum præſtantium virorum in diſſenſionibus civilibus, aut in imperiis tyrannorum. Scio ſævitum eſſe in Prophetas, in Filium Dei, & Apoſtolos; ſæpè etiam exempla extra Eccleſiam conſidero, *Theramenis*, *Demoſthenis*, *Demadis*, *Phocionis*, *Calliſthenis*, *Ciceronis*, & aliorum innumerabilium, qui in boniscauſis oppreſſi ſunt. Verùm hujus noſtræ militiæ hoc proprium eſt munus, non ſolùm ſuſcipere honeſta & neceſſaria certamina ad cœleſtem doctrinam patefaciendam, ſed etiam habere paratos animos ad perferendas ærumnas, quæ hanc militiam comitantur. Sit cauſa honeſta & Eccleſiæ neceſſaria, exitus verò Deo commendentur.

Hæc pauca, cùm dicendum eſſet, quos libellos probem, adjeci de mea voluntate, quam quidem ſpero multis cognitam & perſpectam eſſe. Altera pars eſt ſcriptorum, quæ Philoſophicas materias continet; quam ſatis apparet non oſtentationis cauſâ editam eſſe. Nullus enim libellus eſt integer aut abſolutus. Quidam amici ex *Italia* ad me ſcripſerunt, quoſdam doctos viros mirari, cur tales nugas publicari ſinam. His reſpondere ſoleo, non in Typographos culpam derivans, nè quidem in ingenii imbecillitatem, etſi hos verſiculos de me ſæpè recito:

Invida me ſpaciis natura coercuit arctis,
Ingenio vires exiguaſq; dedit:

Sed alia cauſa eſt, cur has ſcholaſticas materias agito, quia qui in ſcholis regunt juventutis ſtudia, hos neceſſe eſt has diſputationes proponere. Non eſt nobis hic finis noſtrarum commentationum propoſitus, ut velut olim panegyrici audiente tota *Græcia* in publicis cōventib⁹ recitabantur, ita nos ad oſtentationem eloquentiæ, aut doctrinæ noſtras lucubrationes edamus, ſed utilitati ſcholaſticorum ſervimus, ac fui, quantum potui, & hortator & adjutor, ut adjungeret juventus ad doctrinam *Chriſti* Philoſophiæ ſtudia, non illius garrulæ & lutulentæ, ſed purioris, videlicet Mathemata, Phyſicen & Ethicen, & ſine eloquentiæ exercitiis, & A linguarum cognitione lumen habere hæc tam multiplex doctrina non poteſt. Ideò vetuſtos ſcriptores utriuſque linguæ multos enarravimus, multa decerpſimus, quæ videbantur ad excolendos & erudiendos ingenioſos prodeſſe. Id feciſſem accuratiùs, ſi plus eſſet ocii. Nec ſuccenſebo, ſi quis ea, quæ deſiderat, deeſſe arbitratur propter ingenii mei tarditatem, quod etiam injuriis fortunæ & aularum debilitatum eſt. Sed tamen res ipſa oſtendit, quædam Phyſica nitidiùs & Ethica re- B ctiùs à nobis explicata eſſe, quàm olim tradebantur. Me quoque paulatim uſus, ut fit, erudiit. Diu & conſilium *Ariſtotelis*, & accommodationem Geometricæ proportionis ad juſtitiam diſtributivam in *quinto Ethicorum* ignoravi, donec viderem eandem à *Platone* aliquantò illuſtriùs traditam eſſe in *quinto de legibus*. Solet enim *Ariſtoteles* multas venuſtas figuras à *Platone* mutuari. In eo loco *Ariſtotelis* etiam *Græci* commentarii conſilium autoris non exponunt, non vident eum C partiri omnem in vita communicationem in duo genera; in rerum commutationem, in qua quærenda eſt ſumma æqualitas Arithmetica proportione, & in ſocietatem cum hominibus ſeu perſonis. In hac ſocietate, in legendis magiſtratibus, in diſcernendis omnium hominum gradibus privatim & publicè, tuenda eſt proportio Geometrica. Nec ſine labore dijudicavi ſectas, & oſtendi quomodo ad doctrinam Eccleſiaſticam hæc Philoſophica conſerenda ſint. Quanquam autem D aſpiciens interdum editos libellos ipſe, multa deſidero, tamen minus me pœnitet horum laborum, cùm cogito inſcitiam & ignaviam ſuperiorum annorum. Memini cùm legeremus una *Oecolampadius* & ego *Heſiodum*, méque admodum adhuc adoleſcentulum invaſiſſet mirifica quædam cupiditas intelligendi cùm cæteros locos de ortu & occaſu ſtellarum, tùm verò eos verſiculos in quibus ait, *Quadraginta dies latere Pleiades*, neminem fuiſſe in magna frequentia, præter E unum *Stoflerum*, qui nos adjuvare poſſet. Nunc cùm adoleſcentia ad veteres autores, ad veram Philoſophiam revocatur, hæc omnibus ſcholaſticis nota & decantata ſunt. Magnum decus eſt Eccleſiæ eruditio. Deinde nè poſſunt quidem ab ineruditis explicari difficiliores controverſiæ, in quibus non ſatis eſt res ipſas mediocriter tenere, ſed etiam formâ quâdam & methodo, genere verborum & dexteritate quadam in explicando opus eſt. Hæc cum deſunt, ſæpè optimæ ſententiæ F corrumpuntur aut obruuntur. Nec rarò accidit illud, quod eſt in *Horatii* admonitione:

——— Amphora cœpit
Inſtitui, currente rotâ, cur urceus exit?

Nec illud de nihilo eſt, quod ſeu *Plato*, ſeu *Socrates* ait, *ſe ſi quem nactus ſit, qui rectè partiri, diſtribuere, & coagmentare membra cauſarum poſſit, ejus ſe veluti ceu Dei veſtigia aſſectaturum eſſe.* Significabat enim *Plato* in gravibus cauſis maximè neceſſariam eſſe illam eruditam explicandi rationem, quam G profectò ſine vera Philoſophia nemo aſſequi poteſt.

Cùm autem Eccleſiaſticarum controverſiarum magna ſit varietas & difficultas, optandum eſt, ut hæc ſtudia floreant, & cœleſti doctrinæ prudenter adjungantur. Et gubernatores Reipub. ſuis conſiliis & autoritate ſuâ juventutem ad hæc ſtudia conjungenda adigere debebant. Quantulum

enim

enim nos in ſcholis, niſi à ſuperioribus ordinibus adjuvemur, efficere poſſumus: Magna etiam paucitas eſt doctorum, qui in utroque genere elaborant.

Hæc ſcribenti mihi dolor acerbiſſimus renovatus eſt, quem ex interitu *Simonis Grynæi* viri optimi & doctiſſimi accepi. Hic enim feliciſſimè copulârat cum toto orbe artium, non ſolùm doctrinam *Chriſti*, ſed ipſam etiam pietatem, quâ accenſus ardebat ſtudio juvandæ Eccleſiæ & rei literariæ, eruditiſſimè diſſerebat, & de rebus divinis, & de omnibus Philoſophiæ partibus, docebat & accendebat ad eadem ſtudia alios, inſtruebat nos libris optimis, ac fontibus artium. Tali viro, tali gubernatore ſtudiorum amiſſo, ingens detrimentum Eccleſia accepit.

Precor autem Deum Patrem liberatoris noſtri *Jeſu Chriſti*, conditorem rerum omnium, ut publica optimarum artium ſtudia ipſe gubernet ac provehat, cùm verè ſint ipſius munus, & ſint ſupellex Eccleſiæ neceſſaria, donet idem ac ſervet idoneos doctores. Cum autem certum ſit verè diligi Eccleſiam à ſponſo *Chriſto*, à Patre cœleſti, qui Filium pro nobis victimam fieri voluit, non dubitemus favere Deum laboribus eorum, qui artes Eccleſiæ utiles excolunt. Et hac confirmati ſententiâ majore animorum impetu in hæc ſtudia incumbamus, ac à Deo auxilium ac defenſionem expectemus, etiamſi Monarchæ & Principes hæc tanta ornamenta vitæ, Eccleſias ipſas & doctores negligunt. Fortitudo & animi magnitudo cuſtos eſt cæterarum virtutum. Quare nobis quoque in optimarum artium ſtudiis & hoc curriculo veræ virtutis, opus eſt fortitudine, nè frangi animos temporum difficultatibus ſinamus. Minatur Eccleſiis noſtris & huic toti nationi excidium & vaſtitatem *Turcica* barbaries, quæ jam in aditu *Germaniæ* ingens bellum parat, & prorſus, ut *Daniel* prædixit, *publicis edictis maledicit Filio Dei*, & molitur cædem ſanctorum. Difficile eſt in tanto terrore, in tanto periculo communi, aliquid ſpei retinere: verùm me conſolatur id, quod idem *Daniel* inquit, de hoc ipſo extremo tempore, *Stabit magnus Dux*, videlicet Filius Dei, *pro filiis populi ſui*. Nunc etſi jam puniri ἰδωλομανίας ſinit, tamen ſervaturum eſſe veræ Eccleſiæ reliquias non dubito, ad quas, ut propagentur bonæ artes, nobis omnibus eò magis nunc annitendum eſt, quò atrocius illa barbaries minatur ſe veram religionem & noſtra ſtudia deleturam eſſe. Utinam Deus Monarchas etiam noſtros exuſcitet ad reprimendos immaniſſimos hoſtes, ac ut *Pſalmi* verbis utar, *doceat digitos eorum ad prælium*, & ad liberandam patriam. *Witebergæ* Anno M.D.XLII.

An pater pius & verè amplexus Evangelium, poſſit petere reditus ex Sacerdotio collegii Canonicorum, pro ſtudiis filii; Et an fruens talibus reditibus peccet.

PRimùm, ſi filius obligatur ut pro ipſo alius celebret uſitatas ipſis Miſſas, aut additur alia impia obligatio, manifeſtum eſt nequaquam tales obligationes recipiendas eſſe, & fugienda collegia & reditus, ſi requirant ullam impiam obligationem, juxta regulam, *Fugite Idola*. Secundò, ſi nulla addatur impia obligatio, petere eos reditus, &
A frui illis reditibus, res licita & conceſſa eſt. Imò hæc ipſa bona ſunt initiò à Regibus ad hunc principalem uſum ordinata, ut ſint docentium & diſcentium ſtipendia ſeu alimenta. Hoc certiſſimum eſt. Nec ideo reditus ipſi, frumenta, pecuniæ ſunt res malæ, quia antea tenuerunt impii, Sicut vaſa *Ægyptiorum* non erant res malæ, etiamſi *Ægyptii* fuerant impii. Ac piè *Iſraelitis* licuit uti illis vaſis. Ita univerſa rerum natura condita eſt ad uſus piorum & propter eos. Quanquam igitur
B ſæpè impii plurimis rebus magis fruuntur, tamen ubi conceditur, licet piis frui eiſdem rebus. Sicut videmus emtionibus, venditionibus, donationibus, locationibus & aliis contractibus res ipſas & earum uſum transferri. Vehitur *Paulus* in manibus impiorum. *David* prædam ingentem captam ex *Syria* jubet ad ædificationem templi comparci &c. Nota eſt Regula: *Omnis creatura Dei bona eſt, & cum gratiarum actione ſumenda*. Item, *Sanctificatur cibus per verbum & per precationem*, Id eſt, uſus
C ſit ſanctus amplectenti Evangelium, & utenti ſicut Deus ordinavit, non furanti, non rapienti, ſed habenti legitimo modo, & ad finem bonum, & Deum invocanti &c. Item ſicut licet uti aliis politicis ordinationibus, ita licet uti hac conſtitutione ſtipendiorum ad bonos uſus, etiamſi alii Canonici abutuntur ſuo ad Miſſas & alia Idololatrica &c.

Ex autographo *Philippi*. M.D.LI.

D *Ad Senatum Venetum Philippus Melanthon* S. D.

CUm anno ſuperiori *Braccietus* mecum, & de Ep. 111.
ſtudiis optimarum artium, & de religione pleraque diſputaret, facilè perſpexi, eum non modò ſingulari eruditione, ſed etiam prudentiâ & gravitate eximiâ præditum eſſe. Itaque magno ſtudio eum complexus ſum. Delectabar cùm ipſius ingenii venuſtate, quam in carminibus ſuaviſ-
E ſimis ſcriptis exprimit, tum verò ſermonibus ipſius multiplicem doctrinam redolentibus: Sed neſcio quod fatum mihi diuturnam ejus conſuetudinem invidit. Scitis enim anno ſuperiori domeſticò quodam negotio in patriam ſtatim revocatum fuiſſe, in quo prædicat ſe à vobis amanter & ſumma fide adjutum fuiſſe. Poſtquam autem nunc recurrit ad nos, & tot *Alpium* juga, ac *Hercinios* ſaltus, in ipſâ brumæ ſævitiâ tanta emenſus eſt, non obſcurum ſpecimen oſtendit præcipuæ erga
F me benevolentiæ, & in noſtra amicitia conſtantiæ. Quare reditus ejus mihi jucundiſſimus fuit, ac magnopere optabam me diutiùs ejus conſuetudine frui poſſe. Fuit autem mihi perjucundum, quòd graviſſimorum quorundam virorum judicia æquiora commemoravit, de emendatione Eccleſiaſticorum abuſuum, quæ à nobis profectò non injuſtâ aliquâ cupiditate aut ſtudio contendendi inſtituta eſt. Sed initio quidam boni viri provocati impudentiſſimorum quorundam cla-
G moribus, de veniis Pontificiis, coacti ſunt officii ratione pariùs docere Eccleſias. Hinc exarſit diſcordia, quam paulatim incendit adverſariorum ſævitia; tantâ autem diligentiâ cauſa à nobis acta eſt, ut ſemper vim, ac tumultus populares prohibuerimus, ortos etiam propter adverſariorum rabiem oppreſſerimus: Præterea in doctrina præſtitimus debitam fidem, ut abuſibus correctis,

A extaret pura ac Catholica Eccleſiæ *Chriſti*
doctrina. Scimus ſemper in mundo diſſimillima
fuiſſe judicia de religione, & Diabolum, cum ſit
hoſtis *Chriſti*, in hoc præcipuè intentum fuiſſe ab
initio, ut ſereret impias opiniones, ac obrueret glo-
riam *Chriſti*. Ac incitat Diabolus curioſa & pra-
va ingenia, ut corrumpant aut convellant vera
dogmata. Hæc pericula Eccleſiæ cùm intelligere-
mus, magna cura adhibita eſt, nè extra metas,
ut ita dicam, proveheremur. Etſi igitur taxamus
B recens natas falſas opiniones, tamen veram Ec-
cleſiam defendimus, nec diſcedimus ab Apoſtoli-
cis ſcriptis, nec a Symbolis, *Apoſtolico*, *Niceno* &
Athanaſiano, nec quidem à veteri conſenſu Eccle-
ſiæ Catholicæ: denique illud *Tertulliani* ſequimur,
*ut rectum eſſe quodcunque primum fuit ſtatuamus,
poſterius verò adulterinum*. Si quis autem adeo
ſecuro eſt animo, ut nihil vitii in Eccleſia hærere
putet, nec ambitione, avaritiâ, ſuperſtitione, deniq;
non Diaboli fraudibus vetera inſtituta mutata aut
C depravata eſſe videat, is perſimilis eſt iis, quibus
in magnis doloribus mens ægrota non ſentit vim
morbi. Quis autem ex ſanioribus, non ante hanc
ætatem deploravit Liturgiæ abuſum, quæ ad ſa-
crilegum quæſtum conferri ſolet? Divorum cul-
tus quantulum abeſt ab Ethnicis opinionibus &
ritibus? Jure queritur *Gerſon* recens autor, ita
occupatos eſſe hominum animos cura humanarũ
traditionum, ut divina præcepta negligantur.
Idem ante hunc deploravit *Auguſtinus*, & ta-
D men poſt ætatem *Auguſtini*, quantus acceſſit
cumulus Traditionum? Nec verò ignoramus
ſemper eam eſſe generis humani infirmitatem,
ut nulla ætas ſit futura ſine vitiis, & meminimus
præceptum politicum multorum literis ac monu-
mentis celebratum, quod docet publicæ tran-
quillitati & concordiæ quædam incommoda con-
donanda eſſe, ac vetat, ut *Græci* loquuntur, ma-
lum bene poſitum moveri. Sed tamen ejus præ-
cepti modus etiam aliquis ſit neceſſe eſt, præ-
E ſertim in Eccleſia, in quâ Deus veritatem ac do-
ctrinæ puritatem conſervari præcipit, Sicut inquit
*Paulus: Si quis aliud Evangelium docuerit, Ana-
thema ſit*. Quanquam igitur quædam morum vitia
toleranda ſunt, tamen doctrinæ errata, quæ tene-
bras offundunt Evangelio, quæ idololatriam pa-
riunt, reprehendi neceſſe eſt. Primùm igitur à
noſtris repurgata eſt doctrina de pœnitentia, re-
jectæ humanæ ſatisfactiones, quas ſic vocant, ut
beneficium *Chriſti* clariùs conſpici poſſet, ac exta-
F ret doctrina de ea fide, quâ remiſſio peccatorum
accipienda eſt. Patefecimus & diſcrimen Legis
& Promiſſionum, quæ ſunt Evangelii propriæ,
hæ res maximæ jacebant obrutæ denſiſſimâ ca-
ligine, in tanta mole traditionum ac labyrintho-
rum, qui extant in ſcriptoribus, qui commentarios
ediderunt in *Petrum Longobardum*. Deinde emen-
data eſt Liturgia, & mos vetus reſtitutus in Eccle-
ſiis; Nihil temerè, nihil noſtro conſilio mutatum
eſt, ſed ſecuti ſumus, non modò Apoſtolorum
G ſcripta, ſed etiam veteris Eccleſiæ ac purioris ju-
dicia, & exempla. Rejecimus & divorum invo-
cationem, ornavimus veris Encomiis munera po-
litica, ac œconomica, & oſtendimus eſſe cultus
Dei præcipuos, cum antea longè anteferrentur
nugaciſſimæ traditiones. Admonuimus quid de
indifferentibus ritibus ſentiendum ſit, & qua-
tenus retineri poſſint. Denique ſumma noſtræ

A ſententiæ extat in quodam meo ſcripto, cui titulus
eſt *Loci Communes*, in quo ſatis apparet nos tueri
veterem conſenſum purioris ac Catholicæ Ec-
cleſiæ, ac revocare ſtudia ad veterem puritatem.
Etſi autem profani homines partim derident
has noſtras diſputationes, partim tanquam ſedi-
tioſas execrantur, tamen nobis ratio noſtri con-
ſilii conſtat, ac nôrunt pii ac prudentes hæc cer-
tamina in Eccleſia neceſſaria eſſe, videntque
diu jam opus fuiſſe quorundam abuſuũ emenda-
B tione. Meminiſtis Hiſtoriam apud *Herodotum*:
Cùm *Aſtyages Harpago* filium edendum propo-
ſuiſſet, interrogâſſetque miſerum parentem,
quo animo filii necem ferret: reſpondiſſe *Har-
pagus* narratur, Mihi vero placet, quicquid Rex
facit: talis ſervitus nequaquam in Eccleſia con-
ſtituenda eſt, ut propter tranquillitatem omnia
errata illorum qui præſunt, comprobare coga-
mur, maximèque eruditis tuenda eſt in dicenda
ſententia, ſeu in docendo, libertas. Cúmque
C unica ſit urbs veſtra in toto orbe terrarum, in qua
vera eſt ariſtocratia tot ſeculis conſervata; quæ
ſemper inimica fuit Tyrannidi, maximè decet
in eo loco eſſe libera bonorum judicia, & impro-
bare injuſtam ſævitiam, quæ alibi in Eccleſiam
exercetur. Quare vos quantum poſſum adhortor,
ut ad gloriam Dei ornandã, ſtudia atq; autoritatẽ
veſtram conferatis, hic cultus Deo gratiſſimus eſt.

Intellexi autem iſtic circumferri *Serveti* libel-
lum, qui renovavit errorem *Samoſateni* initio
D Eccleſiæ damnatum, & labefecit ſententiam de
duabus naturis in *Chriſto*, negat in *Johanne Ver-
bum* ſignificare *hypoſtaſin* ſeu *perſonam*, ut nunc vo-
cant, cum ait *Joannes: In principio erat Verbum*,
& poſtea, *Et verbum caro factum eſt*. Etſi autem
extat meum judicium de hac controverſia; ac no-
minatim in locis damnavi *Serveti* ſententiam,
tamen nunc quoque vos admonendos atque ob-
teſtandos eſſe duxi, ut hortatores atque autores
ſitis, ut fugiant, abjiciant, execrentur impium
E *Serveti* errorem. Scio abſurdum videri, quòd in-
terpretatur Eccleſia, *Verbum* eſſe *perſonam* ſeu *hy-
poſtaſin*, ſed in his cœleſtibus dictis, non quid con-
cinnum rationi humanæ videatur ſpectandum eſt,
ſed quid certò doceant ac affirment teſtimonia
divinitùs propoſita in Apoſtolicis ſcripturis, quæ
Servetus aſtutè eludit, ſed calumniæ præcipuè
removendæ ſunt à ſacris dogmatibus. Nos, ut
decet pios, primùm conſideremus, quid ſenſerit
certò prima Eccleſia. Nam *Servetus* injuriam
F inſignem facit *Irenæo* & *Tertulliano*, quos fingit
ſibi patrocinari, cùm *Tertullianus* diſertè inſtituat
quæſtionem, *An Verbum ſit hypoſtaſis*, aut ſignifi-
cet *Patrem cogitantem*, aut *deliberantem*, ſeu *conſti-
tuentem aliquid*. Sæpè autem affirmat *Verbum* eſſe
hypoſtaſin ſeu *perſonam*, & allegat prioris Eccleſiæ
autoritatem. *Irenæus* citat *Polycarpum* audito-
rem *Joannis*, éſtque autor inprimis purus, is
clarè affirmat *Verbum* eſſe *hypoſtaſin* ſeu *perſo-
nam*, etiam antequam induit humanam natu-
G ram. Extat & *Gregorii Neocæſarienſis* confeſſio,
cujus *Gregorii* autoritate præcipuè refutatus eſt
Samoſatenus, extant multa alia teſtimonia *Ori-
genis*, *Dionyſii*, *Alexandrini*, qui ferè attigit
Apoſtolorum tempora. *Baſilius* ait ſibi *Gregorii
Neocæſarienſis* confeſſionem, tanquam normam
& regulam doctrinæ Eccleſiaſticæ fuiſſe. Invo-
cat Eccleſiæ *Chriſtum* in quotidianis precibus,
neque

neque hic mos novus eſt, ſed etiam à *Paulo* uſurpatus, ut Epiſtolæ ejus teſtantur, & habet teſtimonia in *Pſalmis*, qui jubent invocare Dominum illum promiſſum: tribuit autem invocatio, divinitatis honorem, cùm agnoſcimus eum, quem invocamus, omnium pectorum motus videre, quod non eſt niſi immenſæ potentiæ, ac Dei. Tollit igitur re ipſâ *Servetus* invocationem, etiamſi in ſpeciem retinet. Primùm igitur teſtimonium primæ Eccleſiæ opponamus, à qua commonefacti confirmemus etiam animos dictis Apoſtolicis, quæ ſatis perſpicua ſunt, ſi non depraventur cavillationibus. Si *Verbū* in loco illo *Joannis* nihil ſignificaret, niſi *Patrem cogitantem*, non rectè poſtea diceretur, *& Verbum caro factum eſt*. Deinde *Joannes* de *Chriſto* inquit. *In mundo erat & mundus per eum factus eſt*. Conſtat autem mundum non eſſe per humanam *Chriſti* naturam conditum, ergo neceſſe eſt, alteram naturam in *Chriſto* eſſe, quæ fuerit initio, per quam mundus conditus eſt. Sic & *Paulus ad Coloſſenſes* clarè inquit: *Omnia per Chriſtum condita eſſe*, eámque ſententiam aliquoties repetit, & Epiſtola ad *Hebræos* inquit: *Per quem condidit ſecula, qui eſt fulgur gloriæ & character ſubſtantiæ ejus.* Quid in his verbis eſt ambigui, ſi ſimpliciter, & ſine cavillatione accipiantur? Affirmant conditum eſſe mundum per Filium Dei, neceſſe eſt igitur in *Chriſto* eſſe alteram naturam, quam *Joannes* vocat *Verbum*. Epiſtola ad *Hebræos* Imaginem ſeu effigiem Patris appellat. Hæc aptè inter ſe congruunt, Nam *Verbum* eſt Imago. Hæc etſi extra captum humanæ rationis poſita ſunt, tamen non propterea cavillationibus eludenda ſunt, imo quò ſecretiora ſunt, eò major eſt audacia & impietas cōvellere non intellecta: his & ſimilibus teſtimoniis certis ac firmis aſſentiamur, cum apertè hoc efficiant, quod docet Eccleſia de Filio Dei. Adjuvemur etiam conſenſu veteri primæ Eccleſiæ, ac cogitemus de Dei natura & voluntate non humanis ratiocinationibus, ſed cœleſtibus teſtimoniis credendum eſſe. In hac caligine mentium humanarum prælucere nobis verbum Dei debet.

Belligeratur autem Diabolus cum vera Eccleſia, & gloriam Dei obſcurare conatur, quibus poteſt artificiis. Has inſidias intelligere pios convenit, ac ſtare in procinctu ad tantum hoſtem depellendum, cùm offundere opiniones contra verbum Dei, cùm avellere animos ab illa regula conatur. Sed hæc militia paucis nota eſt. Ideo omnibus ætatibus ab initio mundi paſſim ſparſi & propagati errores ſunt omnis generis, ac labi facile eſt. Cum enim omnium hominum mentes natura ducantur ut aliquid de religione quærant, & tamen negligenter tueantur verbum Dei, ac libentiùs aſſentiantur humanis ſpeculationibus, facilè excutitur hominibus verbum Dei. Quare & in hac controverſia, & in cæteris cavendum eſt, nè aſſentiamur cavillationibus confictis ad eludendum veram ſcripturæ ſententiam. Hæc ſcripſi verboſiùs, quàm modus Epiſtolæ patiatur, ſed multò anguſtiùs, quàm magnitudo cauſæ poſtulat. Verùm judicii mei teſtimonium vobis ſignificare volui, nec gravatim de tota controverſia, ſi quis peteret, copioſiùs diſputabo. In *Locis* collegi præcipua teſtimonia ad hanc cauſam pertinentia, quibus confirmatæ mentes facilè poſſunt contrarias cavillationes refutare. Porrò ut quondam

A lex *Caſtrenſis* notabat ignominiâ, non eum qui gladium, ſed qui clypeum abjecerat, quia prior eſſe cura noſtri tuendi debet, quàm hoſtes feriendi; ita in his contentionibus, prior eſſe cura debet, noſtras mentes rectè confirmandi, poſterior refutandi adverſarios. Ex *Lipſia*, Anno M.D.XXXIX.

Ad Senatum inclytæ urbis Hamburgi. S.D.

B

HOneſtiſſimi viri, prudētiâ & virtute præſtantes, Etſi multæ aliæ ærumnæ nos non leviter excruciant, tamen cum Eccleſiam veſtram intuemur, quæ velut exemplum inter cæteras fulget, & quam valdè diligimus, & veneramur, etiam hoc dolore afficimur, quòd inter aliquos iſtic diſſenſio orta eſt. Oramus igitur Filium Dei, cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut nos omnes regat, & ut *Samaritanus* ſaucio viatori opem tulit, ita ipſe quoque langui- *Ep. 112.*
C dum corpus Eccleſiæ ſuæ foveat, ſanet, & ſervet. Intelleximus autem tria membra eſſe literarum veſtrarum: Significari vultis, an probemus inchoatam formam procedendi in proponendis articulis. Deinde, quæ ſit noſtra ſententia de ipſa controverſia. Tertio, ſi inſtitutam inquiſitionem aliqui defugiunt, quid contra eos ſtatuendum ſit, aut quid aliud agendum videatur.

Primùm autem veriſſimum eſt, pertinere ad curam Senatus, ut Eccleſia rectè doceatur, & nè diſ-
D ſidia ferantur. Ideò quòd inſtituta eſt deliberatio de reſtituenda concordia, Senatus piè & rectè facit. Sed optaremus non tàm multos articulos propoſitos eſſe, quorum aliqui magnas & difficiles diſputationes parerent, ſi agitarentur.

Quòd deinde flagitatur noſtra ſententia. Etſi ſæpè hac de re & Reverendum virum D. *Lutherum* loqui audivimus, & legimus ipſius & aliorum ſcripta, & in qua ſententia acquieſcendum ſit, cogitavimus, tamen nunc motâ controverſiâ, ſcri-
E pſimus ad alios quoque, quorum expectamus ſententias, ut collatis judiciis inter plures, unam conſentientem ſententiam mitteremus, nè poſtea diverſitas hæc diſſidium inflammaret, & ſpargeret in alia loca. Et non ſolùm quid ſentiamus oſtendendum eſt, ſed etiam addenda ſunt teſtimonia, & argumenta, quod nunc ſubitò fieri non potuit. Quàm contanter autem accedat ad hunc articulum Reverendus D. *Lutherus* in enarratione *Geneſeos, pagina T.* & in concione *Torgenſi*, conſi-
F deràſſe vos exiſtimamus. Tantum ad victoriam Filii Dei eum accommodat, cætera ſignificat non inquirenda eſſe. Vicit omnino Filius Dei dolores inferorum; ſed Pſalmi oſtendunt dolores inferorum non reſtringendos eſſe tantum ad tempus poſt animæ ſeparationem. Horrendam illam conſternationem, & ſenſum iræ Dei etiam in hac vita aliqui deguſtant, ut ſcitis, in quâ lucta Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Sed dolor ille ſingularis in Filio Dei, qui in-
G tegrè tulit, & ſenſit magnitudinem iræ Dei adverſus noſtra peccata, longè major fuit, quàm nunquam in ullis Sanctis. Nec magnitudo ejus aut comprehendi aut ſuſtineri ab hominibus aut Angelis poſſet, ut ipſe oſtendit ſudans ſanguinem, & clamans in cruce, *Deus, Deus meus, &c.*

Retineri autem oportet hunc articulum de deſcenſu, judicat Reverendus D. *Lutherus*, etiamſi

ad victoriam tantùm referatur, quo confitemur deſtructam eſſe tyrannidem Diaboli, & inferorum, hoc eſt, liberatos omnes, qui credunt in *Chriſtum*, à potentia Diaboli & inferis, juxta hoc dictum, *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis*. Et hanc victoriam certo modo Filius Dei diabolis oſtendit, & non dubium eſt, Diabolos ſenſiſſe ſuam potentiam ab hoc victore fractam eſſe, & verè caput Serpentis à Semine mulieris contritum eſſe. Et quidem à Semine mulieris, à *Chriſto* Deo & Homine, & inter ſigna victoriæ fuit reſuſcitatio multorum mortuorum. Hac interpretatione ille contentus fuit, ſed aliàs de ipſa controverſia copioſiùs ſcribemus.

Nunc de tertio membro. Cum conſtet tantam eſſe diſſenſionem de cruciatibus animæ *Chriſti*, poſt ſeparationem, oramus deinceps, non urgeri inquiſitionem particularem ad articulos illos, nec quæri inde occaſionem alterutros ejiciendi. Sed hoc damus conſilium. Cum ipſe Reverendus D. *Lutherus* hanc quæſtionem de pœnis animæ *Chriſti* poſt ſeparationem non duxerit movendam eſſe, mandetur utrique parti, ut expectent aliorum etiam judicia, ac interea in concionibus, ſcholis, aut aliis publicis congreſſibus omittant mentionem hujus quæſtionis in utraque parte: Nec interea aboletur articulus, *Deſcendit ad inferos*, Sed retinetur, ut ſupra dictum eſt; Tantum inquiſitio ejus particulæ omittitur de cruciatibus ſeparatæ animæ apud inferos, cujus partis inquiſitionem nec D. *Lutherus* neceſſariam eſſe judicavit.

Hanc noſtram reſponſionem ſimplicem, & optimo ſtudio ſcriptam, ut boni conſulatis, vos etiam atque etiam oramus. Verè autem affirmare poſſumus valdè diligi à nobis & Eccleſiam & civitatem veſtram, & ipſos doctores Eccleſiarum veſtrarum, quos omnes ſcimus eſſe viros honeſtos, eruditos, & Deum vera pietate colentes. Nulla nobis cum quoquam ſimultas eſt, ſed ſincera eſt erga omnes benevolentia. Nec in his tantis miſeriis noſtris indulgere ullis affectibus privatis velimus. Quare nihil odio cujuſquam, nihil in ullius gratiam ſcriptum eſt, nec lædere quenquam noſtro præjudicio, aut damnare voluimus, ſed ſimpliciſſimè & candidiſſimè expoſuimus, quid & veſtræ Eccleſiæ, & aliis Eccleſiis profuturum eſſe videatur: Quando etiam in noſtris Eccleſiis proponitur enarratio Symboli, ut ſæpe fieri neceſſe eſt, in articulo de deſcenſu ad inferos ſtudiò cavemus, nè quis prægravare quenquam apud nos videatur. M. D. LIX.

Nobili & generoſo Comiti, Ioanni à Weda &c.
Philippus Melanthon S. D.

Ep. 113. MAgnam cepi voluptatem ex oratione *Petri Medmani*, cum mihi generoſam indolem tuam, ſtudia, & rectam voluntatem prædicaret. Quid enim optabilius eſt, quàm ut nobilitas Reipubl. gubernaculis deſtinata, & bonitate naturæ excellat, & doctrinâ ita excolatur, ut ſuum munus verè intelligere & tueri poſſit?

Itaque cum de ſtudiis nobilitatis, déque cæteris partibus Reipubl. colloqueremur, exiſtimarétque *Petrus* meas literas tibi non ingratas fore, facilè me ad ſcribendum perpulit. Erit autem humanitatis tuæ, & literas & officia noſtri ordinis non aſpernari. Porrò ſemper ita ſenſi in heroicis

A familiis vim naturæ præſtantiorem eſſe, quàm in reliqua multitudine. Nam cum ordinum diſtinctio divinitus facta ſit, & Deus heroicum genus cæteris hominibus præfecerit, addidit etiam motus animorum acriores, meliores, & feliciores, ut *Plato* verè tradit. Quod cum ita ſit, profectò dolendum eſt, illam vim naturæ eximiam, ſæpè vel ignavia extingui, vel corrumpi malis exemplis.

Quare te adhortor, primum, ut ſæpè diligen-
B téque conſideres, quod munus attribuerit Deus heroico generi, deinde indolem divinitùs donatam, doctrinâ, moribus, diſciplinâ, liberalium artium cognitione expolire ſtudeas. In hanc ſententiam multæ extant adhortationes, & in ſacris literis, & alibi à politicis viris luculenter ſcriptæ, quas cum arbitrer te quotidiè in manibus habere, non putavi utendum longiore oratione.

Sed quoniam in hanc commonefactionem ingreſſus ſum, facere non potui, quin adjicerem nar-
C ratiunculam, quæ in quodam poëmate extat, non illam quidem hiſtoricam, ſed venuſtam, & erudite confictam, admonendæ adoleſcentiæ cauſâ, ut cogitet & diſcrimina ordinum divinitùs inſtituta eſſe, & unicuique elaborandum eſſe, ut virtute ſuam perſonam tueatur. Quòd ſi *Platonem* decuit graviſſimis diſputationibus inſerere interdum *μυθολογίας*, concedatur & nobis in Epiſtola, quæ non multum eſt abſimilis familiari colloquio, figurâ aliquâ uti.

D “Fertur autem hæc narratio: Longo interval-
“lo poſt conditionem *Adæ* & *Evæ*, cum primi
“parentes jam haberent familiam, viſum eſt
“Deo, ſemel prodire, ac ſe illis patefacere, ut in
“illa mundi ſolitudine quotidianis conflictantes
“ærumnis conſolaretur. Fortè igitur è feneſtra
“proſpiciens *Eva*, vidit venientem Deum condi-
“torem, cum comitatu Angelorum. Et quoniam
“poſtridie feſtus dies futurus erat, liberos cœpe-
“rat lavare, adfuturos patris ſacrificio & con-
“cioni. Cum autem nondum omnes laviſſet, &
E “vereretur ſqualentes ac ſordidos producere in
“conſpectum Dei, juſſit ut hi ſe in fœno & ſtra-
“minibus occultarent, quæ ad uſum pecudum
“proximè congeſta erant. Cæteris comptis man-
“dat, ut ſtent ordine, expectantes Deum in atrio,
“cúmque fuerit ingreſſus, & à matre ſalutatus,
“accedant ipſi, porrigant dextras, paululum flexo
“poplite, & dictâ ſalutatione, poſtea taciti ſuo lo-
“co atque ordine conſiſtant. Hæc cum imperâſſet,
F “ingreditur Deus in atrium. Procedit obviam
“pulcherrima mater, pudorem ac pavorem vultu
“ſignificans, & venientem reverenter excipit
“amplexu. Deus comiter eam affatur, ac jubet
“bono animo eſſe, ſe Patrem miſeris eſſe, & non
“defuturum ipſis, quibus & vitam & mentem i-
“maginem divinitatis ſuæ impertiviſſet. Po-
“ſtea accedunt pueri ordinè, ut juſſi erant, porri-
“gunt dextras, ſalutant, deinde taciti regredi-
“untur.

G “Laudat Deus matris diligentiam, quod non
“modò ornâſſet liberos, ſed etiam ad morum ele-
“gantiam aſſuefaceret. Sed hi geſtus, inquit, ele-
“menta ſunt diſciplinæ, alia gravior doctrina
“accedere debet, ut ſciant ſe præcipuè naſci ad
“agnitionem Dei, ad propagandam ejus noti-
“tiam, ad conſervandam promiſſionem vobis tra-
“ditam, ad exercendam obedientiam erga De-

“um,

A “um, jubet doceri eos de immortalitate, de pœnis impiorum æternis.

“Mater reſpondet ſeduló hæc inculcari ipſis ab utroque parente, & addit illacrymans. Memini miſerandi lapſus noſtri, & quantâ benignitate nos receperis, eóque omni contentione annitimur, ut ſoboles noſtra ſit in officio, ne gravius te offendamus. Proſpicimus quantæ pœnæ impendeant poſteritati noſtræ, ſi te deſeruerit. Hæc igitur præcipua noſtra cura eſt, ut te Con- B ditorem ipſis monſtremus, & doceamus eos, quæ officia requiras, & quam propoſueris nobis ſpem ſalutis. Sed ipſe velim eos audias, ut ſi quid non rectè didicerunt, tuâ voce emendetur. Jubet igitur ſtantem *Abelum* primo loco recitare parentum dictata, & jubet clarè, ac præſenti animo pronunciare.

“Puer incipit: Credo unum eſſe Deum, omnipotentem, ſapientem, juſtum, ac bonum, conditorem totius mundi, qui in hac rerum C mole admirandam varietatem operum propoſuit, certiſſimum ordinem cœleſtium motuum, temporum vices, leges, ac vires naſcentium, ut hæc omnia teſtarentur mundum non caſu extitiſſe, ſed ab aliquâ æternâ mente conditum eſſe. Nobis verò hominibus mentem indidit, in qua tanquam imagine lucere divinitatis notitiam voluit: addidit & intellectum, quæ officia requirat, quæ improbet, ut ipſi obediamus; Addidit & mandatum parentibus, quo oſtenderent, ſe D conditori ſuo libenter parêre, & debere obedientiam. Quòd ſi paruiſſent, ſine peccato, ſine morte vixiſſet genus humanum, & in hac vita fulſiſſet multò illuſtrior notitia Dei, arſiſſet in pectoribus noſtris ingens amor Dei, & ſine pravis cupiditatibus Deo fuiſſemus morigeri. Sed odio Dei diabolus, ut deformaret opus divinum, circumvenit noſtros parentes, & objectis falſis opinionibus, caliginem mentibus eorum offudit, nè cogitarent, quantum Deo deberent, quan- E topere requirat Deus, nè à ſuo verbo diſcedamus. Ita impulſos perdidit, quia violatâ lege Deum offenderunt. Quare cùm omnia divinitùs condita bona eſſent, peccatum non à Deo, ſed à Diaboli & hominum voluntate ortum eſt; Hinc mors ſecuta eſt, & tyrannis Serpentis, qui adverſus genus humanum hoſtiliter graſſatur, & omnibus calamitatibus homines opprimit.

“Sed tamen ut eſſent in hoc mundo cultores, F & præcones Dei, noluit Deus prorſus perire genus humanum, ideò admirandâ miſericordiâ promiſit Semen noſtræ matri, propter quod velit placatus eſſe generi humano, nos exaudire & ſalvare, ac reddere nobis æternam vitam, lucem, ſapientiam & juſtitiam. Præcipuè verò immanitas odii in Serpente inflammabitur adverſus hoc Semen, infiget Serpens dentes ejus calcaneo, & crudeliſſimo morſu lacerabit omnes ei addictos. Sed interea caput Serpentis ab hoc G Semine conculcabitur, vivet enim in hoc Semine divina natura. Ideoque mortem abolebit, & tyrannum Serpentem in horribiles cruciatus abjiciet.

“Credo etiam ſacrificia, quæ à patre fieri video, ſigna eſſe ſacrificii, quod pro nobis illud Semen offeret, ad placandum Deum. Sic enim Deus nobis ſit propitius, ſi eredimus non propter noſtra ſacrificia, ſed propter illud Semen, nobis ignoſci, nos exaudiri, & ſalvari. Et quanquam in hac mortali vita hærebunt peccatum, mors, & cæteræ calamitates, tamen inchoatur divinitùs nova lux & vita, in his, qui hæc credunt, qui quidem placent Deo, propter illud Semen, ac incipiunt ei obedire. Quod veniet etiam, ut judicet mundum, reddat vitam perpetuam iis, qui ipſi credent, & puniat æternis ſuppliciis Diabolum, & omnes, qui Semen promiſſum contemnent.

“Ad hunc cultum credo præcipuè vocatos eſſe omnes homines, ut hæc admiranda Dei opera, & beneficia prædicent, ut Dei ira & miſericordia innoteſcant, ut Deus timeatur & glorificetur, & multi ſalvi fiant. Nec deterreri homines ullis periculis debent, quò minus hunc cultum præſtent: Erit enim ſemper cœtus aliquis præconum Dei, etſi Serpens & contemptores Dei immanem ſævitiam adverſus eos exercebunt, uſq; ad judicium, in quo immortalis gloria piorum patefiet, qui etſi erunt imbecilles, tamen in certaminibus ſuis divinitùs adjuvabuntur ac ſervabuntur. Hunc igitur Deum conditorē noſtrum, qui pollicetur nobis ſalutem propter promiſſum Semen, timeo, invoco, adoro, huic me commendo, ab hoc peto, ut mihi propter Semen promiſſum ſit propitius, gubernet verbo ſuo, defendat me adverſus Serpentem tyrannum, inſerat mihi ſuam lucem, & pios affectus, ac credo me verè propter promiſſum Semen exaudiri, ac reſpici. Oro item, ut conſerſervet & augeat inter nos veram notitiam iræ & miſericordiæ ſuæ, ac promiſſi Seminis, nec ſinat obrui veros cultus aſtutiâ Serpentis, ut regat meos mores, nè ipſum offendam, & nè mea exempla cæteris noceant. Et quoniam ipſe nobis vitam impertit, & ut alat nos, terram facit fœcundam, rogo ut ſuppeditet corpori victum, & conſervet valetudinem, ſervet etiam parentes noſtros, nè deſint nobis doctores & gubernatores, ſervet & regat meos fratres & ſorores, ut piè & feliciter vivant, & ornent gloriam ipſius.

“Cùm *Abel* finem dicendi feciſſet, interrogati cæteri, *Seth*, & ſorores, recenſent eadem. Deus igitur non modò ſtudium eorum & pietatem laudat, ſed etiam orationis & ſententiæ *συμφωνίαν* & concordiam, ac hortatur eos, ut hanc ſententiam conſtanti pectore amplectantur ac profiteantur, diligentérque de doctrina parentes audiant, nec opinionibus adulterinis contaminari doctrinam cœleſtem patiantur. Jubet & in reliqua vita parentibus morigeros eſſe: Teſtaturque hos cultus ſibi gratos eſſe, ac pollicetur ſe ipſis adjutorem eſſe in omnibus periculis. Deinde matrem alloquens, parentum diligentiam comprobat. Jubet accerſi cæteros liberos, maximum natu *Cain*, & ſorores reliquas, objurgat *Evam*, quòd exiſtimârit minùs cerni occultatos, quàm præſentes.

“Soror igitur accerſit reliquos. Prodit & accedit *Cain* ad fratres, ſtat rigidus, torvitate vultûs contumaciam animi & ferociam præ ſe ferens, hærebant in crinibus ſtipulæ & fœni gramina, non geſtu, non voce ſalutabat Deum. Interrogatus ut parentum doctrinam recitet, incipit, & mutilatam ac corruptam *κατήχησιν* recitat:

" tat: Credo unum eſſe Deum, omnipotentem,
" conditorem totius mundi, quem colendum eſſe
" cenſeo ſacrificiis, propter quæ fœcundat agros
" noſtros; Sed an exaudiat invocantes, an pec-
" cata remittat, ambigo. De immortalitate etiam
" tunc videro, cum ex hac vita diſceſſero. Sentio
" autem bonos mores colendos eſſe, ut vita tran-
" quilla ſit. Hæc cum ille contumaciter dixiſſet,
" objurgat eum Deus, quòd oblitus ſit promiſſio-
" nis, quòd fidei doctrinam non teneat, ac jubet
" redire eum in viam, & integram pietatis do-
" ctrinam diſcere.

" Deinde, inquit, cum vos parentes humani
" generis futuri ſitis, velim vos poſteritati etiam
" prælucere doctrinâ, pietate, & virtute. Non mi-
" nus vos oppugnabit Serpens tyrannus, quàm
" oppugnavit parentes veſtros. Sed his qui meam
" promiſſionem conſervabunt, opitulabitur ad-
" verſus Serpentem Heros promiſſus. Et quoni-
" am regi genus humânum verbo Dei, & coerceri
" diſciplinâ volo, deligam ex cœtu idoneos.

" Tu igitur *Abel* ad me accedito, ut manus im-
" ponens capiti tuo, te conſecrem, tibi meum
" Spiritum impertiam, ut ſis Sacerdos, eritque
" tuum munus doctrinam divinitùs traditam,
" cæteris omnibus proponere, & ſacrificia facere
" divinitùs monſtrata, eaque rectè interpretari.
" Nec defugies pericula, quæ propter hanc profeſ-
" ſionem ſubeunda erunt; Nam agones tui te-
" ſtabuntur piorum ærumnas eſſe cultus mihi gra-
" tiſſimos, & ſignificabunt quale ſit futurum ſa-
" crificium promiſſi Seminis.

" Te verò *Seth* Regem cæteris præficio, ſciéſ-
" que & tuum munus geminum eſſe, Primùm,
" doctrinam, quam frater profeſſus eſt, omnibus
" viribus tueberis, & impios, qui convicia adver-
" ſus Deum dicunt, punies ac tolles, punies &
" cæteros, qui ſocietatem veſtram turbabunt: vo-
" bis duobus ventura poſteritas obtemperet. Et
" hunc ruſticum *Cain*, qui ut eſt inculto corpore,
" ita mores habet agreſtes & feros, ſervum eſſe
" volo, & metu legum & pœnarum coerceri, nè
" aut religionem contumeliâ adficiat, aut contur-
" bet ſocietatem veſtram.

" Ita diſtributis ordinibus, *Evam* rurſus allo-
" quitur, eique curam liberorum regendorum &
" erudiendorum committit. Illa lacrymans te-
" ſtatur ſe conſumi perpetuo dolore & cruciatu,
" quem adferebat horrendi lapſus recordatio;
" Tandem, inquit, reipſâ comperi, cœleſtes mi-
" nas non eſſe irritas, quæ mortem nobis irro-
" gârunt. Aſſiduam enim mortem mecum cir-
" cumfero, quoties aſpicio liberos, ac præſertim
" hunc rigidum filium, & proſpicio ventura ma-
" la, toto corpore perhorreſco & exanimor. Ve-
" niam igitur graviſſimi errati mei iterum peto,
" & mitigari calamitates oro." Deus adfirmat ſe
" illi ignoſcere, & quanquam genus humanum
" exerceri calamitatibus velit, tamen rurſus ad-
" monet eam promiſſi Seminis. Hunc Heroa, in-
" quit, non defuturum eſſe invocantibus ipſum,
" & iis olim daturum cœleſtem vitam & glo-
" riam.

" Hac conſolatione cum nonnihil levâſſet ejus
" luctum, diſceſſurus porrigit dextram pueris, ma-
" ter abeuntem comitatur, cúmque incenſa ſtudio
" ſermonum dulciſſimorum, & amore conditoris,
" procul jam à domo progreſſa eſſet, amplexus

A " eam, jubet Deus ad liberos redire, & pollicetur
" & ipſi & marito ſuam opem, docet etiam hos
" ſuos comites Angelos, cuſtodes eſſe familiæ,
" qui gerant perpetuum bellum καὶ ἀκατάπαυστον cum
" Serpente. Quare ſolitudinem minùs moleſtè
" ferre jubet, promittit deinde futuram majo-
" rem familiaritatem Angelis cum tota familia,
" ut tædium ſolitudinis minuant. Hæc cum dixiſ-
" ſet, nube tectus in cœlum rediit.

Habes narrationem, quæ etiamſi non eſt hi-
B ſtorica, tamen res veras & magnas adumbrat.
Significat enim diſtinctionem ordinum divini-
tus factam eſſe, quod verum eſſe oſtendunt gra-
viſſima teſtimonia in ſacris literis. Vides & eos
ornatos eſſe honoribus, qui præſtant indole, do-
ctrinâ, morum elegantiâ, ſtudio pietatis, ut ſigni-
ficetur, quibus rebus inſtructos eſſe oporteat vos,
qui dignitate cæteris antecellitis. Sed multorum
mores nequaquam generi ac naturæ reſpondent,
ut nonnulli videantur ab inculto illo & fero *Evæ*
C filio propagati, non ab aliis. Nec tamen hæc eſt
generis culpa, ſed ipſi ſemina virtutum accepta à
majoribus non excitant doctrinâ & diſciplinâ, aut
obruunt etiam accerſitis malis moribus, qui quàm
multipliciter peccent, etiam atque etiam generoſi
adoleſcentes conſiderare debent.

Primùm, ut deſertores lædunt Imperatorem
ſuum, ſic iſti, divinitùs ad gubernationem rerum
deſtinati, Deum contumeliâ adficiunt, qui cum
eis, tanquam in acie, locum attribuerit, non in-
D telligunt ſuum officium, neque curam ullam ad-
hibent, ut eas artes ſibi comparent, ſine quibus
tueri locum nullo modo poſſunt. Deinde commu-
ne jus ſocietatis humanæ violant, quòd ei debi-
tam operam præſtare non poſſunt.

Si ſentiunt ſe ſuâ causâ natos eſſe, ut volupta-
tibus perfruantur, ut habeant omnium cupidita-
tum licentiam, quid aliud quàm *Gigantum* ge-
nus eſſe cenſendi ſunt? Longè aliter *Achilles* ſen-
tiebat, qui interrogatus ab *Ajace*, quos ſuſtinuiſ-
E ſet omnium maximos ac difficillimos labores, re-
ſpondit, ſuſceptos pro amicis. Cúmque pergeret
Ajax interrogare, quos omnium jucundiſſimos
ſuſtinuiſſet, rurſus *Achilles*, Eoſdem, inquit. Sig-
nificans heroicum virum flagrare immensâ quâ-
dam cupiditate juvandæ Reipubl. quâ incitatus
res ſuſcipit aſperrimas, non ut ſuæ utilitati, ſed ut
communi conſulat. Cùm hoc enthuſiaſmo rapia-
tur, nihil ei dulcius eſt, quàm res quamlibet diffi-
ciles, tamen in commune utiles gerere; ut Muſico
F nihil dulcius eſt eruditiſſimis artis ſuæ exercitiis.
Præclarè *Achilles*: *Et quanquam vigor ingenii non
eſt ſimilis in omnibus, tamen bonos omnes, qui præfu-
turi ſunt cæteris, decet ſeriò amare Rempublicam, &
anniti, ut ad eam accedant, optimis artibus in-
ſtructi.*

Nam etiam acres impetus in generoſis naturis,
ſi non regantur doctrinâ, ſæpè aberrant. Itaque
etſi in *Hercule* maxima vis erat ingenii, tamen
eum ad Doctores deducunt: Extat enim *Theo-
G criti* carmen, qui ejus Magiſtros ſex recenſet,
Γράμματα μὲν τὸν παῖδα γέρων Λίνος ἐξεδίδαξεν. &c.

Nec adoleſcens tantum literas & Muſicam di-
dicit, ſed ſenex etiam *Atlantis* doctrinam de ſy-
derum motibus percepit. Quali doctrinâ inſtitu-
tus fuerit *Achilles*, ſignificat *Homerus*, cum ait,
eum laudes clarorum Principum, ludentem ci-
tharâ decantâſſe: quâ ex re apparet eum & hi-
ſtorias,

ſtorias, & reliquam ejus ætatis doctrinam & Muſicam didiciſſe. Nec decuiſſet in ejus clypeo pingi cœli & elementorum ſeriem, & ſydera, quæ diſterminant Septentrionem & Meridiem, ſi tantum fuiſſet rudis & ſine pectore miles. Sed fabulas omitto.

Regum omnium haud dubiè ingenioſiſſimus *Alexander*, non modo primas literas, ſed univerſam Philoſophiam & medendi artem percepit. Et ut bellatori nihil ſit opus his togatis artibus, certè ei viro, qui in pace gubernabit Rempubl. aut ad conſilia adhibendus erit, opus eſſe omni genere doctrinæ res ipſa loquitur. Nec enim *Auguſtus* domi leges emendare, judicia conſtituere & regere poterat, niſi & ipſe multiplici eruditione inſtructus fuiſſet, & ad conſilia doctiſſimos viros adhibuiſſet, *Trebatium*, *Capitonem*, *Aſinium*, & alios plurimos.

Si cæteros *Romanos* ad *Græcos* Principes eruditos enumerare vellem, quàm longus eſſet futurus catalogus? Et tamen hactenus loquor de iis Principibus, quibus vera religio ignota fuit. Nunc quanto majus onus ſuſtinent hi, qui ſedent ad gubernacula, qui non ſolum civilem diſciplinam tueri debent, ſed etiam gubernare religionem? Hanc enim curam præcipuam Deus omnibus, qui præſtant cæteris, injunxit, ut efficiant, ut rectè doceantur homines de Deo. Ut enim præcipua cauſa eſt, cur ad ſocietatem homines conditi ſunt, ut alii alios de Deo, & ejus voluntate docere poſſent, ita hujus maximi ac ſummi operis ἀγωνοθέτας ante omnia Magiſtratus eſſe debent.

Quomodo autem poſſunt ſine magna ſcientiæ copia religiones regere? An exiſtimandum eſt, *Conſtantinum*, niſi ad pietatem adjunxiſſet magnam eruditionem, potuiſſe controverſiam ab *Ario* motam vel intelligere, vel judicare? Ille verò nequaquam erat in cœtu Epiſcoporum κωφὸν πρόσωπον. Sed cum in diſputatione *Arium* dextrè refutavit ſuâ oratione, collectis Apoſtolorum & probatorum autorum teſtimoniis, tum pleraſque alias Epiſcoporum contentiones eruditis ſermonibus mirâ comitate diremit.

Sed obvia ſunt in hiſtoriis exempla plurima, etiam quorundam noſtrorum Principum, qui tametſi ex hac horridiore natione orti, tamen inter tubas, & armorum ſtrepitum aliquid temporis etiam literis & liberali doctrinæ tribuerunt, ut eſſent inſtructiores, cùm ad pleraſque alias vitæ partes, tùm verò maximè ad pietatis cognitionem, & religionis gubernationem. Quoties enim incidunt in Rempubl. tempora, quæ requirunt & bonos & eruditos Principes? An non hoc tempore in his publicis diſſidiis bonorum & eruditorum cognitio deſideratur? *Ariſtoteles* definit Magiſtratum his verbis, ὁ ἄρχων φύλαξ ἐστὶ τοῦ νόμου. Brevis eſt, ſed vera & apta deſcriptio, ac prorſus oraculi ſimilis, ſi quis evolvat ea, quæ complectitur. Finge enim ob oculos ſtantem Magiſtrum, cui Deus tradit utranque Decalogi tabulam, eúmque jubeat eſſe cuſtodem harum legum, quantas illi res commendari exiſtimabis? Religionis & civilis diſciplinæ cuſtodiam ac defenſionem ſuſcipit: Quomodo autem cuſtodiet, hoc eſt, reget, conſervabit, propugnabit, ſi non mediocriter intelliget? Quid quod nè amare quidem poteſt quiſquam illud, quod ignorat, ut vere dicitur: *Ignoti nulla cupido*. Itaque indoctis tradere magnarum rerum

A gubernationem, quid aliud eſt, quàm legum tabulas trunco aut parieti affigere? Nec jam de tyrannis loquor, qui petulanter has tabulas abjiciunt, collidunt, & frangunt, tantum de indoctis loquor, etſi inſcitia quoque ſæva tyrannis eſt. Sed jam de bonis & mediocribus ingeniis loquor, hæc expolienda eſſe doctrinâ cenſeo.

Nunc in hac morum corruptione ſatis eſſe putant aulici, ſi ad negocia adferant quandam ingenii dexteritatem, aut calliditatem, quæ fortaſſe
B ſufficeret, ſi nihil differrent ii, qui rerum maximarum conſilia regunt, à ſervis in Comœdiis. At aliæ artes requiruntur in curia. Deinde etiamſi qui literas attingunt, tamen faſtidiunt religionis doctrinam. Et ut quondam erat opinio, Philoſophiam imperaturis officere, ita nunc Nobilitas ſtudia religionis releganda eſſe cenſet ad Monachos, ad infimam plebeculam. Hic error quantum Eccleſiæ ac univerſæ hominum vitæ noceat, oſtendunt multa Reipubl. vulnera. Si Magiſtra-
C tus eſt legum cuſtos, ut rectè dictum eſt, primum ei divinæ leges cuſtodiendæ ſunt, de quibus incidunt inter homines graviſſimæ controverſiæ. Harum arbiter ſine locupletiore eruditione nemo eſſe poteſt, ut de Muſicis erratis nemo ſurdus judicare poteſt.

Memini me audire à quodam hoſpite, Regem *Hiſpanicum Alfonſum* uſitato more Principum, ſuo quodam ſymbolo delectatum eſſe: paſſim enim pinxit Pelecanum, fodientem roſtro pectus, &
D elicientem ſanguinem, ad pullos paſcendos. Huic picturæ addidit Epigramma: *Pro lege & pro grege*; ſignificans Principem omnia pericula adire debere, & religionis ornandæ cauſâ, & pro populi defenſione. Sapienter vidit *Alfonſus* præcipuum munus eſſe ſuperiorum ordinum, religionis, ſtudiorum, conſervationem & propagationem. Cúmque omnes homines ad hoc opus divinitùs vocentur, ut ſuo quiſque loco conſerat aliquid ſtudii ad illuſtrandam Dei gloriam, non exiſti-
E ment ſuperiores ordines, hoc officium nihil ad ſe pertinere.

Quare quòd amas & colis *Chriſtianæ* pietatis doctrinam, & quòd adhibes pios & eruditos interpretes, magnopere hunc tuum animum, & tibi & Reipubl. gratulor, téque adhortor, nè te ab hoc curriculo ineptis judiciis indoctorum depelli ſinas. Non alius Deo cultus gratior eſt, quàm & cognoſcere doctrinam ab ipſo traditam, & aliquid conferre operæ ad eam illuſtrandam. Ac remu-
F neratur hoc officium Deus cumulatè, ſicut inquit, *Glorificantes me, glorificabo*. Erit felicior curſus tuus in omni vita, in rerum adminiſtratione, ſi veræ pietatis doctrinam & amabis, & ornare contendes. Adjunges autem & alia ſtudia, ut facis, quæ & ipſa ſerviunt religioni, & ad varias partes in vita conducunt. Audio te graviſſimum ſcriptorem *Thucydidem* in manibus habere, qui multis de rebus admonere lectorem poteſt, de varietate ingeniorum & voluntatum in Principibus,
G qualis exitus fuerit violentorum civium, qualia conſilia, qualis exitus bonorum, ex quibus cauſis oriantur civitatum converſiones. Rectè *Plutarchus*: *Ut Muſicus organa ſua noſſe debet, ita ei viro, qui in Republ. verſatur, diligentiâ adhibenda eſt, ut ſenſus Principum & populi calleat, quam ad rem deſcriptio perſonarum in hiſtoriis non parum conducit.* Obſervabis igitur in *Thucydide* ſummorum vi-

rorum

rorum naturas ſed diſſimiles, *Themiſtoclis, Periclis, Cleonis, Alcibiadis, Niciæ, Braſidæ, Theramenis*: Deinde quàm variæ unius civitatis *Atticæ* converſiones ſecutæ ſint, poſtquam temerè motum eſt bellum inter *Græcas* civitates: Quoties temerè fœdera rupta ſint, vel cupiditate paucorum, vel propter inanes potentum ſuſpiciones, deinde alia multa.

Sed cum *Thucydides* ipſe in veſtibulo commemoret, quæ ſint ex hiſtoriis utilitates petendæ, hortatur ut omnium temporum hiſtoriam diſca- B mus. Tibi verò præcipuè cognoſcenda eſt ſacra hiſtoria, & legendæ res hujus *Germanici* imperii, quæ te multa admonebunt de Eccleſiæ mutationibus, quæ ſcire homines nobiles plurimùm refert. Exiſtimabis igitur tibi cùm ad privatam vitam, tùm ad publica negotia magna adminicula parata eſſe, ſi & religionis doctrinâ, & hac hiſtoriarum & humanitatis cognitione fueris inſtructus. Sed quarum artium atque autorum cogni- C tio expetenda ſit, quem ad uſum comparandæ ſingulæ, quæ metæ ſingulis præſcribendæ, nè confuſio corrumpat judicium, ſi intempeſtivè miſceantur ſacra prophanis nihil adſcribere opus eſt: Habes enim monitorem aſſiduum, & prudentiâ & fide egregiâ præditum *Medmannum*, quem non dubito tibi dextrè & artium præcepta tradere & monſtrare uſum in vita.

Etſi autem is quoque ſedulò moneat, quæ cauſæ diſcendi aviditatem in veſtro ordine exuſcitare debeant, & quâ doctrinâ vobis maximè opus ſit, D tamen quoniam me prædicatione indolis atque humanitatis tuæ ſic accenderat, ut aliquid ad te literarum dare cuperem, hoc argumento potiſſimùm uſus ſum, ut intelligeres cum judicio *Medmanni* etiam congruere aliorum ſententias. Poſtremò etiam publica ſtudia tibi commendo: Magnam enim vitæ humanæ partem regunt literæ, continent religionis doctrinam, leges, omnia officia humanitatis, denique multa vitæ præſidia. Quam ob cauſam ſapientes moderatores E civitatum ſemper judicârunt hanc curam ad ſe pertinere, ut ſtudia literarum excitarent & adjuvarent, quæ in tanta ingeniorum humanorum infirmitate, inconſtantiâ, addo etiam perverſitate variis modis periclitari ſolent.

Superiori ætate barbaries cum cæteras diſciplinas corruperat, tùm verò fontes doctrinæ *Chriſtianæ* indignè contaminaverat. Naturaliter autem ita fit, ut in quolibet genere rectâ & ſimpli- F ci doctrinâ amiſſâ, ſuccedat Sophiſtica, & infinita opinionum confuſio. Inde magnæ tenebræ bonis artibus invectæ ſunt. Secuta eſt ætas recentior, quæ repurgare artes cœpit, & revocare hominum ſtudia ad fontes. Ac principia ſatis læta fuerunt, & magnam lucem cum cæteris diſciplinis, tùm etiam religionis doctrinæ attulerunt. Sed hæc meliora ſtudia ſubitò ingenti perculſa ruinâ, langueſcere cœperunt, quia incurrerunt in odia potentum. Cùm autem vita hominum & Eccleſia nequaquam carere literis poſſint, omni ope anni- G tendum eſt tibi, & tui ſimilibus, ut hac parte opem feratis literis & Eccleſiæ.

Quælibet ætas habet ſua incommoda, quibus mederi maximè debent ii, quorum præcipua eſt autoritas; ac veriſſimum eſt, quod ait *Virgilius*, ſimilem eſſe vitam hominum navigationi contra fluminis curſum, ubi ſi leviter ceſſaverunt re- A miges, impetus fluminis navim retro trahit. Meminiſti enim verſus:

———Sic omnia fatis
In pejus ruere, ac retro ſublapſa referri:
Non aliter, quàm qui adverſo vix flumine lembum
Remigiis ſubigit, ſi brachia fortè remiſit,
Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.

Sed veſtri muneris eſt, non remittere laborem, ac omnibus viribus repugnare infirmitati, & provehere res bonas inter ingentes difficultates. Hoc B verè heroicum eſt. Quare quantum poteris dabis operam, ut non deleantur, ſed conſerventur bonæ artes. Mihi crede, præclarè de tota Eccleſia merebuntur Principes, qui ſuam autoritatem ad conſervationem rectorum ſtudiorum conferent. Nec ulli triumphi plus habent veræ laudis. Bene vale. XXIII. Martii, Anno M.D. XXXVI.

Eraſmo Roterodamo S. D.

C NUnquam eram credituras, tantam ferociam, tantam ſævitiam in hominem cadere poſſe, *Ep. 114.* quantam in *Eccio* & quibuſdam ejus gregalibus deprehendo. Nam Principes ipſi ſatis clementes & moderatas ſententias dicunt, à quibus tamen iſti miris artibus conantur eos abducere. Accipio te per literas Imperatorem à violentis conſiliis dehortati, qui ut mihi videtur, genuinâ quâdam bonitate etiam ad moderationem & pacem ducitur. Quare ſpero tuas literas plurimum ponderis D apud ipſum habituras eſſe, téque rogo, ut inchoatum Reipubl. beneficium perficias, & pergas eum iterum atque iterum dehortari: Nil hâc tuâ ſapientiâ atque autoritate dignius facere potes, nil ad omnem poſteritatem glorioſius, quàm ſi tuâ diligentiâ hos motus ſedaveris. Nos cauſam noſtram ſimpliciter & ſine conviciis propoſuimus, quanquam cavillari aliquis poſſet ſeram eſſe moderationem, tamen volumus oſtendere, nos non abhorrere à conſilio pacis, ſi conditiones æquæ E proponantur. Res ipſa oſtendit impendere mutationem publicam, quam utinam ita gubernent illi, qui rerum potiuntur, nè ſubito impetu proſternatur Eccleſia. Oro igitur te quantum poſſum per *Chriſtum*, ut non deſinas Imperatorem adhortari, nè bellum adverſus cives ſuſcipiat, qui non recuſant æquas conditiones accipere. Non enim hoc agunt noſtri ut πολίτευμα Eccleſiaſticum diſſolvant: *Danielem Stibarum* valdè amo, quem tametſi ſcio tibi jucundiſſimum eſſe, tamen oro, F ut meâ cauſâ aliquid addas ad tuam erga ipſum benevolentiam. Vale. *Auguſtæ*, Calend. Auguſti. Anno M. D. XXX.

Eraſmo Roterodamo S. D.

CUm nactus eſſem certum ac fidum tabellarium, facere non potui, quin ad te literas *Ep. 115.* darem, præſertim in hoc officii genere amanter abs te provocatus ante aliquot menſes. Toto bi- G ennio dum verſor in negotiis ac rixis, à quibus prorſus abhorret natura mea, nihil mihi contigit, in quo perinde ut in illis tuis ſuaviſſimis literis acquievi. Quare velim tibi perſuadeas officium illud tuum non ſolum graviſſimum, ſed etiam jucundiſſimum fuiſſe, ἱκανῶς γὰρ καὶ πλείω πεπόμαι τῶν ἀνδρῶν γνησίως φιλοσόφων ... [illegible] τῆς ἀπαιδεύτου φιλίας ... [illegible]

Scriberem

A Scriberem ad te de rebus aliis, quæ partim nunc aguntur, partim impendent, ſi quam Reipubl. utilitatem deliberationes noſtræ adferre poſſent. Sed quia nihil moderati placet utrique parti, noſtra conſilia repudiantur. Illud tamen oro te quantum poſſum, ut etiam tuam autoritatem, ſi qua erit occaſio, ad pacem faciendam conferas, & horteris eos, qui rerum potiuntur, nè bello civili magis diſſipent Eccleſias. Quis enim belli civilis exitus eſſe poteſt, quam omnium rerum vaſtitas?
B Et ego nihil dubito falli quoſdam, qui ſpes habent immoderatas, eámque ob cauſam undique faces admovent mitiſſimo ingenio Cæſaris, ut eum ad bellum movendum accendant. Mea conſilia quod ad ipſas diſputationes attinet, ſpero à prudentibus & intelligi & probari. Controverſias multas præcidi, deinde quaſdam ad pietatem neceſſarias bonâ fide illuſtrare ſtudeo. Conor etiam in honorem addùcere *τὸ ἀξίωμα τῆς πολιτείας ἐκκλησιαστικῆς*. Hujus mei judicii ac voluntatis quic-
C quid accidat, teſteserunt commentarii in *Romanos* nunc editi; Tu ſi quid poteris adferre opis labenti Reipubl. effice, ut quod ille fieri inquit in bonis poëmatis, in hoc quaſi ultimo actu vitæ tuæ, totus orbis terrarum ſapientiam tuam præcipuè perſpiciat. Contulit ſe *Friburgum* quidam adoleſcens *Theodericus Reiffenſtein*, natus in familia ſtudioſiſſima tui nominis. Habuit avunculum juvenem optimum, qui multum apud te *Lovanii* fuit. Quare te oro, ut hunc adoleſcentem &
D propter ſtudia majorum ſuorum erga te, & propter meam commendationem complecti velis. Apud nos ſatis commodis moribus fuit, ac ſpero eum confirmatum tuis præceptis non indignum tuâ conſuetudine fore. Vale. VIII. Calend. Novemb. Anno M. D. XXXII.

Ad Leonhardum Eccium Cancellarium Bavaricum S. D.

E *Ep. 116.* ETſi non dubitabam, vir clariſſ. quin cum ad excellentem ſapientiam & doctrinam adjunxiſſes ſummam humanitatem, meas literas non gravatim accepturus eſſes; tamen in tantis occupationibus tuis, non exiſtimabam teipſum reſcripturum eſſe, præſertim cum meæ literæ verecundiores fuiſſent, quàm ut id officium flagitare auderent. Cum igitur opinionem meam viceris, facilè perſpicio, non ſolùm humanitatem tuam dignam viro præſtanti, ſed etiam ſingularem quan-
F dam erga me benevolentiam. Itaque literæ mihi tuæ graviſſimæ fuerunt, in quibus cum amore noſtri, judicium tuum de ſtudiis Philoſophiæ, & optimam voluntatem de mitigandis diſſidiis Eccleſiaſticis conjunxiſti, quibus de rebus ad me non ſolùm pro tuâ excellenti prudentiâ graviſſimè, ſed etiam ornatè ſcripſiſti. Dicam enim verè quod ſentio, fuit hoc nomine mihi jucundior epiſtola tua, quòd animadverti literas abs te ex umbra & palæſtra in mediam Reipubl. lucem educi, eáſque
G ad adminiſtrationem Reipubl. adhiberi, quod non ſolùm tibi, ſed ipſis literis glorioſum eſt. Reſponderem autem cùm ad reliquas epiſtolæ tuæ partes copioſiùs, tùm verò præcipuè de *Ariſtotele*, niſi habenda mihi eſſet ratio tuarum occupationum. Et erit huic argumento aptior locus in publ. ſcripto. Verè enim judicas plurimum intereſſe Reipubl. ut *Ariſtoteles* conſervetur, & extet in ſcholis, ac verſetur in manibus diſcentium. Nam profectò ſine hoc autore, non ſolùm non retineri pura Philoſophia, ſed nè quidem juſta docendi aut diſcendi ratio ulla poterit. Pertinet autem etiam ad veſtrum ordinem providere, ut ſimplex & utilis ratio diſcendi conſervetur. Quod verò non deſinis me ad illuſtrandum *Ariſtotelem* hortari, etſi antea ſcripſi, me non ſatis ad rem tantam inſtructum eſſe, & quoſdam molientes hoc opus impediri perturbatione temporum, tamen ut intelligas me voluntate atque animo non abhorrere ab hoc ſtudio, edam auſpicio nominis tui repurgatum *Quintum Ethicorum*, in quo videbis, quantum habitura res ſit difficultatis, ſi quis velit lumen afferre exilibus *Ariſtotelis* ſententiis, eáſque ad uſum in vita, in Republ. transferre. Audi enim quid mihi acciderit. Conſilium *Ariſtotelis* de diſtributiva juſtitia nunquam intellexi, ac multa mihi obſtrepebant, donec totum illum locum animadverti ex *Quinto de legibus Platonis* ſumptum eſſe. Hic primum vidi quid ſpectaverit *Ariſtoteles*, qui quidem ſolet lectiſſimas ſententias ex *Platone* decerpere, & in methodum conferre. Nam cum alii ineptè hunc locum in *Ariſtotele*, de pœnis intellexerint, hic longè aliud agit. Omnia perſonarum diſcrimina in vita publ. & privata, in Imperiis, in magiſtratibus legendis, in familiis, conſtitui vult Geometricâ proportione, ut efficiatur inter Tyrannidem & Democratiam ſalutaris generi humano mediocritas, hoc eſt, ut plurimum valeat optimorum autoritas. Hanc mediocritatem utinam Synodus etiam in Eccleſia efficere poſſet, ut videlicet ſapientum & bonorum conſilio, & vulgi temeritas, & aliorum crudelitas coerceretur. Sed quò delabor velut oblitus inſtitutæ brevitatis, etſi hæc aſcripſi liberè, ac tanquam familiariter tecum confabulans, quòd ſtatuebam tibi homini doctiſſimo non ingratam eſſe hanc ex Schola ſumptam orationem. Cùm autem intelligas, horum ſtudiorum conſervationem eos, qui ad gubernacula ſedent in Republ. curâ ſuâ complecti debere, te oro & propter ipſum decus literarum, & propter Reipubl. ſalutem, ut tua conſilia, tuámque autoritatem ad hoc conferas, ut ſtudiis tranquillitas moderatis conſiliis reſtituatur, quâ in re præclarè de univerſa Eccleſia, déque omni poſteritate mereberis. Eſt etiam magno viro digna virtus, homines doctos periculo liberare, qui cum cœleſtia dona conſervent in terris, ſintque ut ait *Plato*, τῶν θεῶν ἐμψυχωτά, rectè exiſtimantur Deo curæ eſſe. Me quidem intelliges à ſtudio pacis nequaquam abhorrere. Bene & feliciter vale. Die *Lucæ*. M. D. XXXV.

Ad Tarnovium Polonum, Capitaneum Cracovienſem S. D.

NOn dubito te virum conſilio & virtute præſtantem, & cùm Reipubl. pericula intelligentem, cùm verò toti orbi *Chriſtiano* optimè cupientem in hoc triſtiſſimo *Pannoniæ* incendio multa cogitare de variis calamitatum humanarum cauſis, de ſatis, de providentia, de ſcelerum pœnis, de Principum ſuroribus, quarum rerum omnium cogitatio etiam fortibus viris ingentem dolorem adfert. Cum igitur ad te de *Sigiſmundo Pannonio*, viro doctiſſimo, & honeſtiſſimo amico noſtro ſcribendum eſſet, libenter aliquid præfatus *Ep. 117.*
eſſem,

eſſem, quod ad levandam tuam mœſtitiam accommodatum videretur; Sed omnia quæ ab eruditis & ſapientibus colliguntur, nota tibi eſſe ſcio, me verò hæc una conſolatio utcunque ſuſtentat. Eui in hac mundi ſenecta & delirio impendere exiſtimo majores regnorum confuſiones, quàm fuerunt antea: tamen manſura eſt aliqua Dei Eccleſia, & erunt politiæ aliquæ hoſpitia Eccleſiæ & literarum, ſqualidiora fortaſſe, quam antea, ſed erunt tamen, donec ille dies lætiſſimus illuceſcet, in quo Filius Dei univerſi generis humani oculis ſeſe oſtendet, & ſuam Eccleſiam cœleſti gloriâ ornabit. Interim fatales circuitus rerum modeſtè feramus, & à Deo mitigationem calamitatum petamus. Optârim quidem ſuſcipi à Principibus patriæ defenſionem, nec rarò commemoro omnium ætatum exempla. Olim in hanc ipſam *Pannoniam* venit *Hector*, inde uſque ex *Aſia*, ut *Rheſo* opem ferret; Nos nunc ex vicinia ocioſi *Pannonicas* cædes ſpectamus, cum quibus tot vinculis, ſocietate religionis, ſanguinis & imperii conjuncti ſumus. Sed ſive præliabuntur noſtri Reges, ſive ceſſabunt, nos tamen ſcimus Eccleſiam Dei manſuram eſſe apud eos, qui doctrinæ cœleſtis ſtudia colunt, ubicunque erunt. Quâ ſpe libenter complecti te & tueri viros doctos arbitror. Valdè igitur oro, ut hunc *Sigiſmundum* audias; Redit in patriam, ut ſi poſſit, parentes inde traducat in vicinam *Poloniam*, quibus hoſpitium in tua ditione præberi aliquantiſper petit. Poſtquam non defendimus *Pannoniam*, hoc ſaltem officium præſtemus, hoſpitium ut deſertis & palantibus concedamus. Eruditio *Sigiſmundi* magno ornamēto poterit eſſe alicubi ſcholæ ubicunq; erit. Fui igitur ei hortator, ut redeat in *Germaniã*, ubi & parentibus & ſibi nidū aliquem inveniet: Interea propter virtutē tuam & propter viciniã ad te confugiendum eſſe cenſet, tibiq; ſe commendat. Nec dubito, quin ubi audieris eum, ingenium, eruditionem & gravitatem ejus valde probaturus ſis. Eò igitur literas ei dedi, ut aditum ad te patefacerent, poſtea eum propter ſuam virtutem complectere. Quam ſint hæc juſta officia tali tempore, tu optimè intelligis. Si ullâ in re, certè hic decet homines meminiſſe communem inter ſe conjunctionem & communem fortunam. *Thebis* deletis, cum decretum eſſet factum, nè quis exules hoſpitio exciperet, *Athenæ* tamen ad ſe venientibus hoſpitium præbuerunt, tametſi multæ erant cauſæ, cur *Alexandrum* & victorem, & irritatum formidarent. Nec verò opus eſt tibi vetera exempla recitare, cum virtus tua aliis præluceat: Excepiſti enim Regem *Joannem*, cum non tantùm à ſuis deſertus eſſet, ſed etiam à proximis negligeretur. Virtus eſt autem præcipua communibus hominum non malorum calamitatibus adfici. Sed in hanc ingreſſus cogitationem dolore & lacrymis impedior, nè plura adjicere poſſim. Exhibebit tibi *Sigiſmundus* paucas pagellas, in quibus verſiculi ſunt, quorum lectio fortaſſis non erit tibi ingrata. Bene & feliciter vale. Anno M. D. XLV. Die XXV. Martii, quo ante annos M. D. XII. Filius Dei reviviſcens ex morte, certum teſtimonium nobis oſtendit futuræ & æternæ vitæ.

Tarnovio Polono S. D.

Ep. 118. S*igiſmundus Pannonius* ſcribit mihi ſe amanter à te exceptum eſſe, tuáque ſuavitate moleſtiam

A tam longi itineris levatam eſſe. Etſi autem ſcio te virtutis & Reipublicæ cauſa bonos & doctos viros complecti: tamen & nos gratitudinem oſtendere decet. Quare tibi gratias ago, & de *Sigiſmundi* gravitate polliceor, ſtudium ejus nec tibi nec Reipublicæ defuturum eſſe. Nunc aliam ad te cauſam adfero. Civis *Poſnanienſis Petrus Politock* litigat, cum neſcio quo, & in judicio *Poſnanienſi* vicit, quare etſi tua non facio judicem, tamen moveor judicii *Poſnanienſis* ſententiâ, ut exiſtimem eum juſtam cauſam defendere. Nunc

B verò res iterum in aula cognoſcetur. Hic te magnopere rogo, ut & pro tua juſtitia & noſtra amicitia perficias, ut hic *Petrus* non gratiâ aut potentiâ ſuperetur. *Cephalus Lyſiæ* pater civis *Atticus* locuples inprimis gloriatus eſt, ſe nunquam vocatum eſſe in judicia. Illum liberalitas fortaſſe periculis liberavit, me vel imbecillitas animi, vel inertia à foro deterret. Nec litigo nec admiſceo me forenſibus cauſis, ſed tamen ut de hoc negotio

C ad te ſcribam, magna & gravis cauſa eſt. *Petrus* ille *Politock* affinis eſt viri clariſſimi D. *Gregorii Pontani* Juriſconſulti, cujus eſt in his regionibus præcipua autoritas, quod ſcire te arbitror, ſed ſi vim ingenii, ſapientiam, eloquentiam, integritatem ejus nôſſes, valdè eum diligeres, & ſimilem antiquis illis laudatiſſimis viris diceres, *Lælius* aut *Ariſtida*. Tuo etiam ingenio, quod multorum ſermone celebrari audit, favet. Hic cum petat, in cauſa juſta non deſeri ſuum affinem, etiam atque

D etiam oro, ut cùm propter cauſam, tùm verò propter *Pontanum* & noſtram petitionem æquiorem te huic *Petro* præbeas. Et ſive his judiciis adhiberis, ſive non adhiberis, ſtudium tuum nobis declarato. Bene & feliciter vale. Menſe Junio, Anno M. D. XLV.

Ad Iohannem Obernburger, Secretarium Caroli V. Imperatoris, S. D.

E CUm conventus imperii miſeriarum pleni ſint, Ep 119.
tamen interdum hoc habent boni, quòd amicitias pariant inter ignotos, qui fortè ibi conveniunt. Itaque etſi non delector recordatione conſiliorum *Auguſtanorum*, in quibus triſti ac atroci ſententiâ damnati ſumus; tamen hoc privatim me debere illi conventui judico, quòd facultatem mihi præbuit, cum nonnullis bonis viris amicitiæ contrahendæ, in quibus te vel præcipuo loco propter humanitatem ingenii tui & o-

F rationis ſuavitatem ponere ſoleo. Nam hæ tuæ dotes mirificè me tibi devinxerunt. Illud accidit mihi perincommodè, quòd tuâ conſuetudine non perinde frui potui, ac volebam, propter religionum rixas, in quas meo quodam fato incidi, de quibus hoc te oro, quod eſt humanitate tuâ atque ſuavitate digniſſimum, nè privatas neceſſitudines, propter publicas illas controverſias, aut dirimendas aut minus colendas eſſe putes, præſertim cum ego ſine aliqua cupiditate in negotiis iſtis

G verſer, & ſimplici animo ea, quæ ad retinendam, ſtabiliendam atque ornandam religionis puritatem conducunt, quæſiverim, idque ita, ut appareret mihi ſtudium pacis non deeſſe. Etenim ſi quis alius, ego maximè odi has violentas digladiationes, præſertim de religione, nec probo [illegible]. Hæc eò ad te ſcribo, ut tibi noſtrorum congreſſuum memoriam renovem, ac ut intelligas, me tuæ amicitiæ

amicitiæ cupidiſſimum eſſe. Quòd ſi oſtenderis te A à noſtra amicitia non abhorrere, maximè confirmabis meum de tua humanitate judicium. Dedi autem has literas cuidam Juriſconſulto, qui cauſam iſtuc affert minimè odioſam, meque rogavis, ut ſe alicui ex veſtro ordine commendarem. Ego cum ingenium tuum magnoperè amem, ad neminem malui quàm ad te ſcribere, teque oro, ut hujus hominis cauſam habeas commendatam. De Republ. nihil libet ſcribere. Video hoc pertinaciter à noſtris adverſariis agi, ut res ad arma deduca- B tur. Quod ſi fiet, etſi ſtultum videtur de futuro aliquid adfirmare, tamen ego hoc propemodum prædicere auſim, [illegible] futuram eſſe neque Eccleſiæ, neque adverſariis utilem; Cujus meæ opinionis non difficile mihi fuerit multa & certa argumenta colligere, ſed hæc permittenda ſunt fatis. Clariſſimo atque optimo viro D. *Alfonſo Valdeſio*, ut me reverenter atque amanter commendes, te etiam atque etiam oro. Bene vale. Menſe Junio. Anno M. D. XXXII. C

Epiſtola Philippi Melanthonis, de Conventu Auguſtano.

Philippus Melanthon Joanni Silberbornero S. D.

Ep. 120. Literas tuas, in quibus prædicas mihi *Gallorum* ſtudia, magnâ cum voluptate legi. Gratulor autem non minus ipſis literis, quam *Gallis*, quod in D his miſeris tumultibus *Italiæ* & *Germaniæ* alicubi tranquillum portum, & quaſi certum domicilium nactæ ſunt. Quod autem petis à me, ut aliquid de Convētu *Auguſtenſi* ad te ſcribam, quanquam minimè delectat me illarum rerum recordatio, tamen nè tibi optimo viro parum officioſus videar, mos geretur voluntati tuæ. Et quemadmodum Poëta inquit,

———*A Jove principium;*

ita nos à Cæſare exordiemur: Nihil enim in hoc E Conventu cognovi memorabilius, quam ipſius hiſtoriam Cæſaris. Magnam haud dubiè admirationem apud vos habet ejus perpetua felicitas, ſed hoc longè admirabilius atque honeſtius eſt, quòd in tantis ſucceſſibus & rebus omnibus ad voluntatem fluentibus, moderationem animi tantam retinet, ut nullum ejus dictum aut factum paulò inſolentius notari poſſit. Quem mihi Regum aut Imperatorum ex Annalibus proferes, quem ſecundæ res non mutaverint? In hoc uno non potuit indul- F gentia fortunæ animum à ſuo ſtatu dejicere. Nulla in eo cupiditas, nulla ſignificatio ſuperbiæ, aut ſævitiæ animadverti poteſt. Nam, ut alia omittam, in hac ipſa cauſa religionis, in qua contra nos ab adverſariis miris artibus incenditur, tamen hactenus noſtros civiliter audivit. Interior verò ejus vita plena eſt honeſtiſſimorum exemplorum continentiæ, temperantiæ, & frugalitatis. Diſciplina domeſtica, quæ olim apud Principes *Germaniæ* ſeveriſſima fuit, nunc tantùm retinetur in familia G Cæſaris. Itaque nemo improbus in familiaritatem ejus inſinuare ſe poteſt. Amicis utitur tantùm Principibus viris, quos ſuo judicio propter virtutem delegit. Et quemadmodum fertur *Alexander* Imperator unicè delectatus eſſe conſuetudine *Ulpiani* Juriſconſulti, ita accipio familiariſſimum Cæſari noſtro fuiſſe *Mercurinum* Cancel-

A larium quoad vixit. Hunc prædicant virum optimum & ſapientiſſimum, planéque *Ulpianum* alterum fuiſſe. Hæc ex re conjecturam facere potes de voluntate & moribus Cæſaris, ὅτι πάντα ἦν ἕκαστος, ὅσαπερ ἄλλοι ἦσαν. Itaque quoties aſpexi Cæſarem, viſus ſum mihi aliquem ex illis laudatiſſimis heroibus ac ſemideis, quos quondam inter homines, verſatos eſſe credimus, videre. Ac multò verius in hunc competere judicavi, quod de *Auguſto* ſcripſit *Horatius*, quàm ad illum ipſum quan- B tumvis bonum & laudatum Principem:

Hoc nihil majus meliúſve terris
Fata donavere, boniq; Divi:
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priſcum.

Hæc habui de Cæſare, quæ & mihi jucunda erant recordanti, & tibi arbitrabar voluptati futura. Quem enim non delectaret hic concentus pulcherrimarum virtutum, præſertim in tanto Principe? Reliqua hiſtoria Conventûs longam habet C Tragœdiam: Nos obtulimus Confeſſionem fidei, moderatiſſimè ſcriptam, ut appareret nos non abhorrere à conſiliis pacis. Hoc unum petivimus, nè ſæviretur in Eccleſias noſtras propter id doctrinæ genus, quod ibi propoſueramus, cum quidem res loquatur ipſa, nos nullum dogma defendere contra Euangelium, aut Catholicam Eccleſiam, imò multis locis doctrinæ *Chriſtianæ*, qui antea profanis opinionibus tacuerant oppreſſi, lumen attuliſſe, videlicet, de juſtitia fidei, de pœnitentia, de D uſu Sacramentorum, de autoritate traditionum humanarum. Quod ſi hoc ab adverſariis impetraremus, oſtendebamus nos prolixè illis conceſſuros eſſe omnia, quæ ad dignitatem Epiſcoporum ſtabiliendam pertinent. Neque enim id egimus unquam, ut politia Eccleſiaſtica diſſolveretur, modò ut Euangelium non damnarent Pontifices. Oſtendimus etiam nos in ritibus Eccleſiaſticis omnes, qui viderentur ἀδιάφοροι, communiter cum ipſis ſervaturos eſſe. Nullum detrectavimus onus, E quod ſine ſcelere ſuſcipi poſſet. Verùm nè his quidem, quamlibet æquis conditionibus placare adverſarios potuimus, qui prorſus ſuo more agebant, poſtulabant, ut confeſſionem noſtram abjiceremus. Id nos facere recuſavimus.

Gregorius Nazianzenus ſcribit nullum ſe vidiſſe Conventum Epiſcoporum, qui non magis accenderit diſcordias, quàm diremerit. Sic enim, inquit, ἔχω μὲν οὕτως, εἰ δεῖ τ' ἀληθὲς γράφειν, ὥστε πάντα σύλλογον φεύγειν τῶν ἐπισκόπων, ὅτι μηδεμιᾶς συνόδου τέλος εἶδον F χρηστὸν, μηδὲ λύσιν κακῶν μᾶλλον ἐσχηκυίας ἢ προσθήκην· ἀεὶ γὰρ φιλονεικίαι καὶ φιλαρχίαι λόγου κρείττους &c. Quod ſi hoc accidit illis melioribus temporibus, quid nunc expectandum ſit judicari facilè poteſt, cum ut cætera paria ſint, certè φιλαρχίαι longè vehemētiores ſunt. Video futurum, ut hæc mala violentis remediis magis etiam exulcerentur. Nec obſcurum eſt, per quales Sycophantas incitentur Principes & Epiſcopi. Ipſe coràm audivi quorundam adverſariorum crudeliſſimos ſermones.

G Multa hoc anno prodigia nunciata ſunt: Nam mulam *Romæ* peperiſſe accepimus, & exundatio *Tybris* nuper mirum in modum deformavit urbem *Romam*, & in agro *Auguſtano* vitulus biceps natus eſt, quæ haud dubiè mutationem Reipubl. portendunt. Verùm hæc importunitas adverſariorum certiùs credi prodigium debet, quàm ulla alia portenta:

Ἡ δ' κατὰ βιὸν τῷ ἐυλαβοῦντι κακίστη.

De nobis extabunt teſtimonia ad omnem poſteritatem, nos piè & religioſè ſenſiſſe, & ſtudium collocâſſe in illuſtranda doctrina Eccleſiæ Catholicæ, & amplificandâ gloriâ *Chriſti*. Hic cultus eſt verè λογικὴ λατρεία, quæ maximè placet Deo, verbum Dei purè tractare ac docere.

Quòd ſi injuſtis armis oppreſſi fuerimus, tamen præſtabimus, ut literæ noſtræ depingant poſteritati adverſarios noſtros, qui cum prætextu nominis *Chriſti* contra nos incitant Principes, non conſtituunt Eccleſias, non curant Euangelium doceri, & *Chriſti* gloriam illuſtrari. Et in his ſunt quidam belli homines, palàm *Epicurei* καὶ ἄθεοι, qui ſecurè irrident omnes religiones. Tales ferunt nobis de religione leges: Sed reprimo me.

Quoties autem memoriâ repeto veteres motus Rerumpubl. & Eccleſiæ, & exitus colligo, reperio pleroſque feliciter ratione ſedatos eſſe, & æquitate Principum. Ac vix unquam violenta conſilia profuiſſe animadverto. Cum *Athenis* infinitum bellum inter cives futurum eſſet, propter mutuas injurias & proſcriptiones, ἀμνηστία ſancita eſt, quæ minimè utilis erat Principibus, ac victoribus, ſed ad publicam tranquillitatem proderat. Longum eſſet *Romana* exempla recitare.

In Eccleſia verò ſæpè compertum eſt, quàm ſit inutile controverſias armis dijudicare, de quibus docendæ & ſanandæ erant conſcientiæ. Itaque optandum eſt, ut Cæſaris felicitas in hac re etiam ſaluti ſit orbi terrarum, qui quidem hactenus tantâ moderatione uſus eſt, ut in magnam ſpem nos erexerit, talia remedia publicis diſſidiis adbibiturum eſſe, quæ non lædant pias conſcientias, aut in poſterum pariant novos tumultus. Non ſatis conſiderant magnitudinem cauſæ & Eccleſiæ periculum, qui autores ſunt, ut Eccleſiæ noſtræ diſſipentur armis, & trucidentur ſacerdotes. Epiſcopos præſtare convenit, ut propagetur ad poſteros pura Euangelii doctrina, hoc præcipuè poſtulatur ab iſto ordine.

Non poteſt autem fieri, quin inter tumultum armorum conſileſcat Euangelium. Et illi qui jubent arma ſumere, non hoc agunt, ut poſtea conſtituant Eccleſias: Quando enim iſta officia curaverunt *Romani* Pontifices? Ita accidet, ut penitùs extinguatur religio, ubi defuerint Eccleſiis idonei doctores Euangelii.

Poſſem alia multa recenſere, niſi dolore impedirer, qui me penè exanimat, verſantem in harum rerum cogitatione, & quidem ſemper ſunt ob oculos. In hanc ſententiam multa diſputavi cum bonis quibuſdam viris *Auguſtæ*, exponens, quæ mihi viderentur impendere ſi nihil remitterent adverſarii, videlicet horribilis confuſio dogmatum, & infinita Eccleſiarum diſſipatio. Commemorabamus etiam his poſtremis temporibus ſingulari prudentia opus eſſe, de quibus prædixit *Chriſtus*, plus fore periculi, quàm antea. Sed res eſt ἐν γούνασι θεοῦ quare orabimus Deum, ut propter gloriam nominis *Chriſti*, mitia remedia oſtendat his, qui præſunt, & nè patiatur interire puram Euangelii doctrinam. Neq; enim hoc negari poteſt, nos in diſcrimen vocari hanc unam ob cauſam, quòd ſentimus Deum placari, non noſtris obſervationibus, ſed propter *Chriſtum*. Hujus gloriam cupimus illuſtrare & amplificare, ut rectè intelligant Eccleſiæ, quæ beneficia Deus per *Chriſtum* nobis donaverit. Neque ignoramus, quàm ridiculæ videantur hæ diſputationes de religione, & de Euangelio *Epicureis* illis, qui Principes concitant adverſus nos. Sed faxit Deus, nè nos Euangelii pudeat.

Hæc tibi prolixius ſcripſi, libenter enim quaſi in ſinum tuum depono has meas curas. Tu quod facis pergas illa ſtudia colere, in quæ ingreſſus es quadam cum expectatione tuorum, quæ ad dignitatem tuam augendam, & ad Rempubl. regendam conducunt. Nihil enim opus eſt pluribus verbis hortari ſponte currentem. Illud tamen oro, ut quantum poteris, adjungas illi doctrinæ alias etiam literas, quarum cognitio homine ingenuo digna eſt, & non minùs neceſſaria Reipubl. quàm illæ artes, quæ celebriores habent titulos. Fratrem tuum meis verbis amanter ſaluta. Vale.

Ad Franciſc. Burchardum Vinarienſem S.D.

Ep. 121.

IUcundiſſima mihi fuit ſignificatio gratitudinis tuæ, quam in proximis literis ad me ſcripſiſti; Etſi enim mea erga te officia minora ſunt meâ voluntate, (Nam & amo ingenium tuum, & ornare ſemper ſtudui) tamen hunc animum tibi probari gaudeo. Ac cætera quidē beneficia levia & vulgaria fuerunt. Sed ſi ſermonum, conſiliorum & ſententiæ communicationem de rebus maximis, de religionibus, Repub. literis, deniq; de omnibus vitæ officiis, magni æſtimas, fateor me tuo judicio delectari. Nam & ſignificatio fuit amoris ſummi ac veri conſuetudo illa, & exiſtimo te ex iis ſermonibus & actionibus, cum interioris vitæ meæ totius ſpectator eſſes, non minus veræ doctrinæ hauſiſſe, quàm ex illis ingentibus bibliothecis Juriſconſultorum, præſertim cùm me non ſolùm libri erudierint, ſed uſus etiam, quia interfuimus maximis rebus, quæ in noſtram ætatem inciderunt, & cum ingenioſiſſimis hominibus verſari, cum inſidioſiſſimis conflictati ſumus. Quoties de omnibus controverſiis Eccleſiæ collocuti ſumus? Quoties veteres res geſtas & eventus ex omni antiquitate collectos repetivimus, & cum præſentibus rebus contulimus, non ſolùm ut divinaremus de exitu, ſed etiam ut remedia conquireremus? Quàm multa de cæteris Reipubl. partibus diſputavimus? Quàm multa præſagia noſtra meminiſti? Ac ſpero te ad omnes vitæ partes inſtructiorem eſſe factum iis noſtris ſermonibus, quòd non ſolùm veras de religione deque artibus opiniones indueris, ſed etiam quaſi formam & ædificium Reipubl. me monſtrante contemplatus ſis, quæ Principum virorum ſint voluntates, quæ in maximis rebus moderatio adhibenda ſit, quò præcipuè bonis viris conſilia omnia dirigenda ſint. In hac tanta Philoſophia, etſi meo me pede metior, & intelligo quantum ab hujus generis artifice abſim, tamen verſari me utcunque tu ipſe teſtis es, & fuerunt mihi, ut ille ſapiens Hiſtoricus inquit, τὰ παθήματα μαθήματα. Quare facilè patior te hanc conſuetudinem noſtram magni pendere. Spero autem cùm in cæteris rebus, tùm in hoc genere, conſtare rationem officiorum, quæ in amicitia requiri debent, téque perſpexiſſe ſingularem erga te meum amorem & fidem. Una de re interdum mecum expoſtulant noſtri libelli, quod te in aulam emiſimus. Etſi nos quidem non autores hujus conſilii fuimus, ſed Principi paruimus: ſæpè tamen peccâſſe mihi videor, quod non fui in te

retinendo

retinendo in ſchola pervicacior. A Quo enim me animo eſſe putas, cum proſpecto, in quas te procellas, in quæ pericula conjecerimus? Etſi enim fortaſſe deſiderio tui fit, ut illa me jam moveant vehementius: ſed tamen non difficile eſt judicare, quantum præſertim in noſtra Republ. ſit periculi. Ego verò cum animo intueor naturam Principis, Aulæ συγχυσιν, provinciam malè affectam, valdè perturbor: tum verò toto corpore perhorreſco, cum ea colligo, quæ impendere videntur. Habes Principem ſatis magno & honeſto ingenio præditum, B ſed ſæpè moroſe ac ſuſpicioſè judicantem, ἀηδῶς reprehendentem, καὶ πράγματα ἄλλοτε ἐφ' ἄλλον ὥσπερ ὁ κυβίας ῥίπει. Fata etiam me terrent, quæ denunciant ei μεταβολάς τινας. Sed orandus eſt Deus, ut eum gubernet ac defendat. Nam me iſta cogitantem ſæpè conſolantur divina oracula, quæ teſtantur Principes Deo curæ eſſe. Sicut ait *David*: *Qui das ſalutem Regibus.* Deſino itaque de Principe dicere, quo tamen nihil habet aula humanius ac melius. Reliqui omnes invident & inſidiantur. C Noſti illud vetus: *Vigilandum eſt ſemper*: Multæ inſidiæ ſunt bonis. Quoties in curiam ingrederis & in illum conſeſſum, qui ſacer eſſe debet, ubi de rebus ſummis deliberationes habentur, conſidera quàm multos numerare poſſis, qui non ſint hoſtili erga te animo. Quæ autem poſſunt eſſe veræ deliberationes cum ſociis aut ſtultis aut invidis? Scis enim quid requirat *Diomedes* cum ait: σύν τε δύ' ἐρχομένω, καί τε πρὸ ὁ, τοῦ ἐνόησεν. Longum fuerit ſi velim perſequi omnia. D Et hæc tempora propter religionis controverſias multò plus habent maximorum periculorum, quæ cum arte mitiganda eſſent, multorum conſiliis fiunt ſubinde atrociora. Vidiſti nuper in conventu noſtrorum, quo ſpectent certorum hominum voluntates. Jam iſto loco decet te non tantùm tibi conſulere, ſed Eccleſiæ, Reip. patriæ. Sed quid potes, ubi non eſt locus moderatis conſiliis? Et quidem Eccleſia, ut ægra corpora, molliter fovenda eſt mitiſſimis remediis. E Non enim patitur aſperiora ulla pharmaca. Hæc pericula omnia cum colligo, quo me eſſe animo arbitraris? Si te à portu ſolvere in ſæviſſimis tempeſtatibus vidiſſem, profectò retraxiſſem te omnibus viribus. Itaque reprehendo meam facilitatem, quod tibi, cum in illos fluctus Reipub. avectus es, non obſtiti vehementiùs. Quod igitur reliquum eſt, oro *Chriſtum*, ut & Rempubl. defendat, & mentem tuam regat, ut Reipubl. feliciter conſulas & te ſervet incolumem. Te quoque adhortor, ut Deo te commendes, F qui cum imperia conſtituerit ipſe, non deeſt gubernatoribus Rerumpubl. ſi ab ipſo opem implorent. Hac me conſolatione una in ſummis periculis ſæpè ſuſtentavi. Hæc ſcripſi ad te prolixiùs, quâdam adductus amoris abundantiâ, ut & intelligeres mihi gratam fuiſſe commemorationem voluntatis tuæ, & haberes viciſſim teſtimonium meæ erga te benevolentiæ. Scio te & naturâ ad humanitatem incitatum & optimâ diſciplinâ adſuefactum, intelligere amicitias virtutis causâ conſtanter colendas G eſſe. Quare non dubito te benevolentiam erga me conſervaturum eſſe. Ego viciſſim amorem meum erga te ſummâ fide conſervabo. Atque utinam amicitia noſtra aliquid opis etiam poſſit adferre Reipubl. Veni *Witebergam Lutheri* literis accerſitus. Nondum ulla de re *Britanni* deliberare cum noſtris cœperunt. Heri mihi narrârunt A ſe ordine de ſingulis articulis doctrinæ acturos eſſe, & valdè contendunt, nè diſcedam. Confabulatus ſum cum eis. Nimium amant λεπτολογίας. *Lutherus* amanter eos complectitur, & eorum comitate adhuc quidem delectatur. Quæſo te ſignifica mihi quem teneas locum, & qualia videantur eſſe auſpicia hujus aulici curriculi, & aſperge aliquid de Republ. Bene vale.

D. Franciſco Burchardo S. D.

B GRatum mihi fuit, quòd vir doctus & honeſtus, Doctor *Plicardus* ad me acceſſit. *Ep. 122.* Gratius etiam eſt, quòd mea mandata tibi officiosè expoſuit. Nam cum te jam olim ſingulari benevolentiâ, non ſolùm propter ingenii tui & virtutis præſtantiam, ſed etiam propter obſervantiam erga noſtram familiam, complexus ſim, non mutârunt meam erga te voluntatem tempora, ac ſicubi potero, re ipſâ declarabo, me de te amanter C ſentire, ac tibi bene velle. Quòd verò deploras Eccleſiarum calamitatem, quæ nunc editâ novâ doctrinæ formâ multipliciter turbantur, communis hic eſt dolor multorum piorum. Videmus tenebras induci veritati, pelli multos bonos & doctos Paſtores ex ſuis Eccleſiis, vagari exules cum familiis, quæ ærumnis exilii & fame contabeſcunt, diſtrahi voluntates, accendi novas diſcordias, diſſipari cœtus diſcentium, ubi vox doctrinæ vera ſonabat. Hæc omnia per ſeſe ſunt D triſtiſſima, & ad poſteros Ethnicam barbariem & diſſipationem infinitam efficient, niſi Filius Dei ſedens ad dextram æterni Patris, cuſtos Eccleſiæ ſuæ, nobis opem feret, quem quidem tecum, & cum omnibus piis toto pectore oro, ut ſervet ipſe Eccleſias, eum rectè invocantes, & earum hoſpitia. Quòd verò etiam de noſtris deliberationibus aliquid ſignificari petis, etſi unum eſt conſilium præcipuum, nè doctrinam cœleſtem, quæ eſt immotum Dei decretum, mutemus, E & divinum auxilium expectemus, tamen ſi hæ miſeriæ aliqua ex parte conſilio leniri poſſunt, optarim nos unà colloqui poſſe. Nam hæc tanta rerum magnitudo non poteſt Epiſtolâ comprehendi. Sed ut tibi petenti mos geratur, quid mihi & aliis quibuſdam docentibus Eccleſias in hac vicinia videatur, ſcribam. Alia deliberatio eſt de nobis ſingulis, ſi noſtro periculo confeſſio edenda ſit, ut fortaſſis aliquantò pòſt inquiſitio in ſingulos inſtituetur. Hîc optandum eſt, ut eruditi teſtimonia doctrinæ relinquant plana & perſpicua, F in omnibus articulis, & non frangantur metu ſuppliciorum. Alia verò deliberatio eſt, cum adhibemur, ut aliis infirmis & diſſimilibus conſilium noſtrum oſtendamus. Interdum etiam adjunguntur alii, quorum voluntates à cauſa alienæ ſunt. Hîc proponitur nobis hæc terribilis Oratio, nè ſine neceſſariis cauſis præbeamus occaſionem vaſtandæ patriæ. Patiendum eſſe ubi opus eſt, ut *Petrus* inquit: & ſperant poſſe decli- G nari pericula, ſi recipiamus ritus aliquos, qui per ſe non ſunt vicioſi: & accuſatur injuſta pertinacia, ſi in talibus rebus nolimus publ. tranquillitati ſervire. In hac oratione etiamſi errant, cum declinari pericula poſſe exiſtimant, nos tamen non horridè pugnamus de talibus ritibus, quia aliæ ſunt controverſiæ majores, de quibus acerrima ſunt certamina. Ut igitur res neceſſarias retineamus,

ſumus in non neceſſariis minus duri, præſertim cum ritus illi magna ex parte antea manſerint in harum Regionum Eccleſiis. Et ſimilitudinem inſtitui jam olim optavimus, ut meminiſti. Sed aditus fit, inquies, ad mutationem majorem, & ſpes defectionis oſtenditur, confirmatur audacia adverſariorum. Scimus multa contra hanc moderationem dici: ſed majus ſcandalum eſſet vaſtatio Eccleſiarum, qualis fit in *Suevia*. Si hac moderatione obtineri poteſt, nè mutentur doctrina & liturgia, nec pellantur Paſtores, injuſtè reprehendimur.

In *Francia Marchio Albertus* propoſuit formam Ceremoniarum talem, quæ non mutat res neceſſarias. Ibi cum Paſtores dubitarent an deſerendæ potiùs eſſent Eccleſiæ, conſilium dedimus, potiùs ut ſervitutem acciperent. Tali moderatione vos quoque potiùs uti optârim, quam occaſionem præbere prorſus expellendi Paſtores ex Eccleſiis, aut Principes ipſos onerare majoribus periculis, quorum ætati & infirmitati etiam parcendum eſt. Nec illis clamoribus moveor, factâ inclinatione, poſtea petituros eſſe adverſarios reliquarum rerum mutationem. Nunc confeſſio noſtra de rebus neceſſariis auditur. In hac juvante Deo, & poſtea conſtantiam præſtabimus eò alacriùs, quia nobis objicere non poterunt, nos in rebus parvis, non neceſſariis, pertinaces eſſe. Res oſtendet nos de magnis cauſis pugnare. Fortaſſis & mora, dum hæc diſputantur, Eccleſiis proderit: Sed etiamſi mora non eſt profutura, tamen hæc conſolatio non inutilis eſt, quòd tamdiu infirmis pepercimus, & quod non ſtatim initiò ſolitudinem in Eccleſiis fecimus, quæ fieret, ſi nulla in re potentibus cederemus. Et hæc ipſa rituum ordinatio, de qua multi cupidiores libertatis queruntur, per ſe non eſt vicioſa, & ad diſciplinam prodeſſe juventuti poteſt. Atq; utinam non tantũ umbra diſciplinæ, ſed etiam ſeverior gubernatio morũ, & vera temperantiæ exercitia reſtitui poſſent. Habes brevem expoſitionem noſtrorum conſiliorum, de quibus tamen corám tecũ loqui malim. Nos, Deo juvante, vocẽ doctrinæ, quæ in veſtris & noſtris Eccleſiis ſonat, incorruptam ſemper tuebimur, nec vel doctrinæ corruptelas vel impios ritus recipiemus. Nec dubitamus Eccleſiæ Filium Dei opitulaturum eſſe. Sed hàc uti moderatione, & ſervitutem aliquam ferre malumus, quàm deſerere Eccleſias, prinſquam cauſæ diſſipationum graviores erunt. Bene vale.

Ad Arnoldum Burenium, Profeſſorem Academiæ Roſtochianæ S. D.

Ep. 123. VAldè conſternatus ſum lectâ tuâ graviſſimâ querelâ; Nam & tuis difficultatibus movebar, & ſimul animo colligebam calamitates rei literariæ plurimas, quæ vaſtitatem ubique minantur. Impendent bella *Turcica*, quæ jam literas in vicinis regionibus deleverunt. In *Germania* ſcholæ multò antè deſertæ ſunt magna ex parte, amiſsâ ſpe præmiorum. Et nunc reliquiæ in multis locis diſſipantur peſtilentiâ. Nam hæc ad *Rhenum* abſtulit nobis multa lumina ingeniorum. Ad hæc mala accedit odium literarum, legum & diſciplinæ in vulgo infinitum. Poſtremò cum Principes meri ornamenta Reipublicæ deberent, quid agunt? Alii *Cyclopico* more contemnunt literas, alii etiam oderunt tanquam diſciplinæ vinculâ. Quâ igitur nos conſolatione ſuſtentemus, qui & hæc ſtudia colimus, & potentum odia inflammavimus mutatione rerum? Equidem ſæpè hæc cogitans, & animo reputans veterum imperiorum, & Eccleſiæ motus & rerum vices, earúmque cauſas, quæro exempla ſimilia, & me utcunque erigo cœleſtibus vocibus, quæ pollicentur Eccleſiam Deo curæ eſſe, nec poſſe funditùs deleri. Eóque ſtudia colenda eſſe, nè nos ipſi Eccleſiam projiciamus. Nec verò dubito te, quem ſcio eximiâ præditum eſſe prudentiâ, ſæpe eadem cogitare. Venio igitur ad tuam deliberationem. Non dubito tibi in aliis Academiis locum honeſtum contingere poſſe, in quibus liberatus aliquando labore docendorum puerorum, in ſuperioribus profeſſionibus cum dignitate verſari poſſes. Si ab *Harpyis*, quæ expilaverunt veſtram Academiam, repeti reditus poſſent, arbitror te malle iſtbic eſſe, præſertim cum jam ſis paterfamilias. Sed quid ſpei ſit, neſcio. Ipſe expertus ſum, quantum ſit onus Academiarum, ſed tamen, ſi erit Reſpubl. & mediocris tranquillitas, te & ſimiles deditos tranquillioribus ſtudiis, exiſtimo cum dignitate in Academiis vivere poſſe. Non arbitror te aulas quærere, quibus nativa diſſidia ſunt cum Philoſophis, etſi poſſe inveniri aulam arbitror, ubi ſit ingenii tui aliquis uſus. Scio à Duce *Pruſſiæ* quæri virum doctum. De mercatura quid reſpondeam? Arbitror naturam tuam abhorrere ab hac καπηλικῇ, quæ & periculoſa eſt & ſine fœnore tenuis. Nec te velim abſtrahi à literis præſertim penè ſeneſcentem; Maturuit jam ætate, & uſu rerum, judicii tui gravitas. Hoc decus in ſtudiis, in Eccleſiæ luce conſpici mallem. Orationem tuam legi, quæ eſt quidem ornatiſſimè ſcripta. Sed crevit Tyrannis in aulis, & hanc ait *Ariſtoteles* inimiciſſimam eſſe veritati. *Pindarum* ſcis multatum eſſe, quod *Athenas* laudibus majoribus ornaverat quàm patriam, quomodo nunc Tyranni ferent vituperationem ejus regionis, quæ tibi domicilium præbet? Quare de Theſi dicere tutius eſſet, ac paucis verſibus in prima pagina mutatis, ſine oſtenſione legi cætera poſſunt. Edendámque judico, ſed expectabo literas tuas, ut intelligam quid mutari velis, aut, an mihi concedas aliqua ex hypotheſi demere. Bene vale, doctiſſime & cariſſime *Arnolde*. Die XII. Januarii.

Ad Iohannem Reineck, Civem Mansfeldenſem S. D.

CUm te propter eximiam virtutẽ tuam pleriq; hîc amemus plurimũ, magnum dolorem accepimus ex interitu honeſtiſſimæ matronæ conjugis tuæ, præſertim cum cogitaremus eam tali tempore extinctam eſſe, cum tibi in publicis miſeriis aliud nullum eſſet ſolatium, niſi dulciſſima conſuetudo cum conjuge & liberis. Itaque & morte ipſius & tuo luctu valdè perturbati ſumus. Quare D. Doctor *Martinus* pro ſuo ſummo erga te amore ſtatim duxit ad te ſcribendum eſſe. Ego verò etſi ſciebam in me non eſſe tantum autoritatis, quantâ opus eſſe ad te conſolandũ judicabam, tamen addidi meas literas, ut ſtudium meum & optimã voluntatẽ tibi declararem. Scio autem te eâ prudentiâ & gravitate præditum eſſe, deinde ita inſtructum doctrinâ *Chriſtianâ*, ut quibus ex fontibus Ep. 124.

veræ

veræ conſolationes petendæ ſint, optimè perſpicias
ipſe. Etſi enim pium & honeſtum eſt dolere mor-
tem honeſtiſſimæ conjugis: (Nam & Deo placet
hæc charitas erga noſtros, ut inviti ab eis divella-
mur, & eorum incōmodis afficiamur) tamen illud
Deo etiam placet, ut moderemur dolorem, ſicut
Paulus non vetat nos lugere, ſed vetat ſic lugere, ut
gentes lugent. Non colligam, quantæ ſint hujus
vitæ miſeriæ, quantum præſertim his temporibus
impendeat calamitatum, ut mors etiam optanda
videatur velut portus aliquis, in quo acquieſca-
mus. Illud tantùm rogo, ut conſideres quod *Chri-
ſtus* ait, nè paſſeres quidem ſine voluntate Dei vi-
tam amittere. Debemus autem obedientiam Deo.
Quare cum certum ſit Dei conſilio & voluntate
exemptā eſſe his ærumnis conjugē tuam, non de-
cet te vehementiùs Dei voluntati repugnare. De-
inde, nos qui *Chriſtum* agnoſcimus, meminerimus
nos omnibus afflictionibus obnoxios, & veluti
victimas morti deſtinatas eſſe. At quomodo tri-
buetur nobis ſanctiſſimus victimæ titulus, ſi recu-
ſamus ſubire communes afflictiones? Scis & illud,
Oportere nos fieri ſimiles imaginis Filii Dei. Qua-
re cum ipſe tam horribiles afflictiones noſtrâ cau-
sâ pertulerit, præſtemus ei viciſſim hoc officium,
quod requirit, ut moderatè feramus ipſius exem-
plo eas calamitates, quibus Eccleſiam ſuam exer-
ceri voluit. Jam hoc magnam tibi conſolationem
adferre debet, quod in agnitione *Chriſti* & recta
fide hinc diſceſſit, ut verè ſperare poſſimus eam
conſecutam eſſe æterna gaudia cum *Chriſto*, ubi i-
terum unà victuri eſtis, & inter ſanctos fruemini
illâ æternâ & verè jucundâ conſuetudine. Poſtre-
mò *Chriſtianos* ſcire decet etiam peccatum eſſe
frangi dolore, & iraſci judicio Dei, ac repugnate
voluntati ipſius. Has ego conſolationes mihi in
multis caſibus proponere ſoleo, quas ſcio tibi notas
eſſe omnes. Collegi autem breviter has, ut tibi
meum ſtudium oſtenderem. Jubet enim *Paulus*, ut
doleamus cum dolentibus, & valere aliquid in Ec-
cleſia mutua fratrum conſolatio debet. Ideo rogo,
ut meas literas boni conſulas, teque pro tua ſapien-
tia & pietate erigas, & dolori reſiſtas, & cogites
nos *Chriſtianos* non ad hujus vitæ delicias, ſed a-
cetrima certamina vocatos eſſe, neq; tamen deſu-
turum nobis eſſe *Chriſtum*, quia ait, *Non relinquam
vos orphanos*. Aderit ipſe quoq; tibi, cum verbo ipſi-
us te ſuſtentabis & eriges. Bene & feliciter vale.
Uvuteberga IV. poſt Paſcha, Anno M.D.XXXVI.

Ad Thomam Matthiam Conſiliarium Electoris Brandeburgici S. D.

Ep. 125. DEus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chri-
ſti*, conditor univerſæ naturæ, & autor pul-
cherrimi dulciſſimiq; fœderis conjugalis, adſit tuo
conjugio, & faciat, ut ſit tranquillum, fauſtum, fe-
lix & fœcundum. Cúmque multa ſapienter & piè
ſcripta ſint, quæ non ſolùm dignitatem conjugii
nobis oſtendunt, ſed etiam monent, quâ animi pi-
etate complecti conjunx conjugem debeat, & quâ
moderatione communes hujus vitæ difficultates
ferendæ ſint, tum verò illud *Pythagoricum*, quod
Ariſtoteles in prima pagella *Oeconomicorum* recitat,
illuſtrem picturam continet multorum officiorum.
Sic enim dixiſſe *Pythagoreos* inquit, *Virum memi-
niſſe debere, adduci ad ſe ſponſam ad aram tanquam
ſupplicem.* Vides ritum veterum eſſe, jungi ſpon-
A ſum & ſponſam ante aram, inſpectante Deo, &
inter invocationem Dei. Qui mos haud dubiè à
primis Patribus inſtitutus eſt, ut cogitemus à Deo
hanc conjunctionem inſtitutam eſſe, & ab eo ju-
vari. Deinde totum jus ſupplicum transfert ad
ſponſam. Fuit uſitatum, ſupplices ſedere ad aras, &
eos quibus fiebant ſupplices, accedere ad hos ſub-
levandos. Quo ritu intelligebatur eis promiſſa ve-
nia & incolumitas, & perpetua defenſio. Quid pul-
chrius hac imagine? Sponſa ante aras tibi tan-
B quam ſupplex traditur, tu eam in tuam fidem reci-
pis, ſublevas tanquam imbecilliorem, perpetuám-
que miſericordiam & defenſionem ei promittis.
Vide quantis de rebus hoc ritu nos antiquitas cō-
monefieri voluerit, qui quidem & illius æterni
connubii Eccleſiæ & Filii Dei pictura eſt. Sedet ad
aram Eccleſia ſupplex, inter maximas ærumnas.
Ad hanc accedit ſponſus Filius Dei, & eam erigit.
Qui complectens miſeram, pollicetur ei æternam
miſericordiam & defenſionem. Hac fide petamus
C & expectemus etiam hoc triſti tempore auxilium
à Filio Dei, quem, ut interſit veſtris nuptiis, vóſque
ſervet & gubernet, oro. Etſi autem jam mœſtitiâ
temporum impedior, quò minus iſtuc veniam, ta-
men votis adero. Salutem opto & viris integerri-
mis, patri tuo & ſponſæ pudiciſſimæ, & viris cla-
riſſimis D. Doctori *Hieronymo*, D. Doctori *Zochio*,
& paſtori Eccleſiæ veſtræ *Sigefrido*. Bene vale: die
XIII. Februarii, quo ante annos M. DCC. XVII.
Nicanor acie victus, pœnas dedit blaſphemiarum,
D quas dixerat templo Dei minitans. Quo exemplo
tunc Deus oſtendit, à ſe defendi Eccleſiam ſuam,
qui ut nunc quoque defendat, etiamſi magnis tu-
multibus concutitur, oro. Nuper cùm adeſſet Illu-
ſtriſſimus Princeps Elector *Marchio*, cùm inter
cætera dicerem, me ad nuptias vocatum eſſe, hono-
rificè de tuo patre loquebatur. Et ego de ingenio
& ſtudiis tuis ſubjeci commemorationem, quam
Principi gratam eſſe animadverti. Iterum vale.

E *Gratulatoria de Ebnjugio.*

VT cæterarum omnium virtutum notitiæ in- Ep. 126.
ditæ ſunt humanis mentibus, & adjunctæ pœ-
næ immoto ordine ſcelera comitantur, ut eſſe Deū
& qualis ſit cogitemus, ita & caſtitatem intelligi
Deus voluit, & metas generationi circumdedit.
Quia hæc virtus illuſtre diſcrimen facit inter De-
um, ac naturas immundas Dæmonum ac hominū.
Cùm igitur Deum alloquentes, non cernere e-
F um oculis, non complecti brachiis poſſimus, mente
eum intueamur: cogitemus ejus patefactiones, &
diſcernamus eum ab aliis naturis cùm aliarum vir-
tutum, tùm verò caſtitatis mentione. Quâ in cogi-
tatione hoc etiam veniat in mentem, Deum exe-
crari vota & preces pollutorum hominum. Quare
in omni vita tueri caſtitatem ſtudeamus, & ordi-
nem à Deo ſancitum amemus. Sæpè etiam volun-
tatem Dei contemplemur in exemplis horribili-
um pœnarum, quæ turpia libidinum incendia ſe-
G cuta ſunt, conflagrationem *Sodomæ*, *Cananæorum*
deletionem, exilium *Davidis*, *Troiæ*, *Thebarum*,
Spartæ, & innumerabilium urbium excidia, & plu-
rimarum gentium & hominum interitus. Qua-
rum calamitatum, etſi multa ſcelera concurrunt,
tamen proximæ cauſæ, ac velut τερατωδέστατα
fuerunt libidines: nec ulla eſt ætas ſine inſignibus
exemplis.

Laudo igitur conſilium tuum, quod, ut Deo obtemperes, in conjugio caſto & pio vivere decrevisti. Et Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, conditorem generis humani, & autorem dulciſſimi fœderis conjugalis, oro, ut vobis ſemper adſit, & conjugium veſtrum ac totum vitæ curſum gubernet.

Etſi autem ſcio te ſæpè cogitare, cùm de cæteris vitæ officiis, tùm verò etiam de cauſis, propter quas hoc vitæ genus expetendum, amandum, & tuendum eſt, & de ejus commodis & incommodis, tamen nunc inter vota publica, & te & nos, qui tibi bene volumus, hâc ipſâ cogitatione accendere animos ad invocationem Dei convenit.

Eſt omninò dulcis conſuetudo mariti & uxoris, in quibus & virtus eſt, & mutuus amor. Sed cum certo ac juſto Dei conſilio hæc vita magnis ærumnis onerata ſit, tenendæ ſunt conſolationes, quæ in animis & virtutem, & mutuum amorem confirment.

Quanquam igitur minus impediti ſunt curâ, laboribus, periculis, qui ſine familiis vivunt: tamen in omnibus hæc vera conſolatio animum erigit, quòd ut Deo obtemperetis, hunc vitæ ordinem admirabili ipſius ſapientiâ ſancitum, & initiò prætuleritis libertati, ut nominatur, & nunc anteferatis.

Quam ob cauſam certò ſciatis vobis adeſſe Deum, cuſtodem veſtræ ſocietatis & familiæ, & omnes ærumnas lenitur um eſſe, ut affuit cuſtos familiarum *Abrahæ, Iſaac, Jacob, Thobiæ*, & multorum piorum, quos, quanquam & ipſos multi triſtes caſus duriter exercuerunt, protexit tamen, & in magnis periculis & ærumnis placidos exitus dedit.

Quanto tolerabiliora ſunt omnia quæ piis accidunt, qui ſe Deo curæ eſſe ſciunt, quique ſe & ſuas familias nôrunt ſeptas eſſe caſtorum angelorum agminibus, quàm quæ accidunt pollutis, quorum pectora magnis cruciatibus lacerantur, & qui ſciunt ſe à Deo projectos eſſe, & in magnas calamitates ruituros? Nihil cogitari horribilius tali vitâ poteſt, quam nec gubernat nec protegit Deus.

Jam ut animi conſtantia in ferendis communibus ærumnis ſit firmior, attentè conſideres dulciſſima dicta, in quibus Deus & voluntatem ſuam expreſſit, & auxilium pollicetur, qua in cogitatione ordiri ab ea narratione rectiſſimum eſt, quæ deſcribit primam generis humani formationem, ubi ſcriptum eſt, *Dixit Dominus, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ipſi.*

Cùm quærunt humanæ mentes, cùr non alio modo ſit propagatio, ut florum & apum, aut Phœnicis? Et cur maris & fœminæ copulatio certis metis circundata eſt? Retrahit nos Deus ad ſe, inquiens, *Dixit Dominus*, id eſt, ſapientiſſimo conſilio & immoto decreto ſanxit hunc ordinem. In hoc decreto acquieſcito, cui adverſari eſt giganteo more bellum cœlo inferre, καὶ θεομαχεῖν.

Cauſas verò conſilii divini, in illa æterna conſuetudine magis cernemus, nunc autem ipſi decreto obtemperemus, etiamſi cauſas omnes non perſpicimus, & tamen aliquas conſiderare dulce eſt, & earum cogitatione hoc genus vitæ ſit ſuavius.

Conditi ſunt duo, quia voluit Deus genus humanum Eccleſiam eſſe, voluit celebrari vocem doctrinæ inter plures, alterum ab altero doceri, alte-
A rum alteri teſtem eſſe invocationis, & ſpeculum ac hortatorem ad omnia virtutum officia.

Marem autem & fœminam condidit, ut mutua ſit & ardens στοργὴ, quam quidem & typum eſſe voluit mirandi amoris in Filio erga naturam humanam, quam aſſumpſit. Circumdedit autem certas metas, ut intelligatur caſtitas, qua vult ſe Deus ab immundis naturis diſcerni.

Ac ut intelligi poſſit, has metas divinitùs ſancitas eſſe, voluntatis ſuæ teſtes, voluit eſſe horribi-
B les pœnas, quæ immoto ordine in univerſo genere humano ubique inceſtas libidines comitantur, & oſtendunt, non caſu, ſed divinitùs deleri eos, qui tetris libidinum confuſionibus polluti ſunt.

Impreſſit & mirificam benevolentiam parentibus erga natos, quæ cum non ſit caſu accenſa, ſed ita condita ſit in optimis naturis, in quibus voluit Deus ſuam effigiem conſpici, oſtendit ſimilem in ipſo erga nos paternam στοργὴν & amorem eſſe.

Hæc omnia ædificium humani corporis, diſtin-
C ctionem ſexus, leges conjugii, pœnas inceſtæ conſuetudinis, στοργὴν parentum, illuſtria providentiæ teſtimonia eſſe, manifeſtum eſt; quæ quidem oſtendunt hanc naturam non caſu extitiſſe, ſed verè eſſe mentem architectatricem, bonam, juſtam, caſtam, vindicem ſcelerum, cuſtodem ſocietatis humanæ, & honeſti conjugii.

Nec verò dubium eſt conjugium fieri dulcius, cùm hujus veræ ſapientiæ de providentia ſcholam eſſe conſiderabis. Poſtea etiam in generatione &
D nutritione ſobolis, & in familiæ protectione, teſtimonia præſentiæ Dei multa cernes.

Statim cùm in alvo materna fœtus naſcitur, nè tenello corpuſculo deſit nutrimentum, divino conſilio ita condita eſt natura, ut lac in uberibus coquatur. Miro ordine divino laxantur oſſium juncturæ juſto tempore in partu, ac poſtea rurſus clauduntur, quæ nullâ humanâ arte laxari aut claudi poſſunt.

Hæc manifeſta miracula oſtendunt, non caſu
E naſci homines, ſed ordinis hujus & autorem & conſervatorem Deum eſſe. Poſtea ſunt alia multa ſigna præſentiæ Dei, quòd ſuâ dextrâ tuetur hominum ſocietatem. Quia latrones ad pœnas rapit, etiam cùm ex manibus magiſtratuum effugiſſe videntur.

Sæpè igitur tecum repetas hanc vocem, *Dixit Deus, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium. Dicere* autem hoc loco ſignificat, mirandâ ſapientiâ ſancire, & nobis hoc decretum
F tradere: & Deo dicenti ac ſancienti obtemperandum eſſe ſtatues.

Deinde reputes, quantus hic ſit furor, & unde ortus ſit. Dicenti Deo adverſatur Papa, qui dicit, *Ne ſacerdos in conjugio legitimo & caſte vivat.* Violat quidem hunc ordinem ſuo lapſu etiam *David*, ſed illud ſcelus majus eſt, legem opponere Deo dicenti, quæ conjugium prohibeat, & cauſa ſit ingentium ſcelerum, quibus ira Dei horribiliter accenditur. Quanta autem ſit audacia, legem
G opponere dicenti Deo, hominum cæcitas non ſatis conſiderat, ſed diaboli intelligunt, à quibus hæc audacia primùm orta eſt.

Etſi autem in Ethnicis ſcriptis, cùm querelæ de ærumnis conjugii, tùm etiam vituperationes & ſexus & conjugii leguntur, tamen ſcimus normam judicii eſſe vocem divinam, & modeſtiùs locuti ſunt ſapientes & honeſti.

Pythagoras

Pythagoras præcipit, nè maritus conjugem con-
A tumeliâ adficiat, quæ ad aram ei velut ſupplex tra-
ditur. Hic ſi jura ſupplicum conſiderabis, intelli-
ges ad amorem & conjugalia officia oportere in
viro etiam accedere miſericordiam erga ſexum
imbecilliorem. Tua fide & virtute conjunx de-
fendenda, & ejus infirmitati parcendum eſt.
Hæc jura ad aram ſanciuntur, ubi Deum teſtem
& judicem facimus hujus noſtræ voluntatis, &
petimus, ut ſit cuſtos noſtræ conſuetudinis, ſierit
B pia & officioſa; Sin autem erit crudelis, ut ſit
vindex.

Admonet autem nos de conjugio Filii Dei &
Eccleſiæ, Huic ad aram facta eſt ſupplici promiſ-
ſio. Sic enim ad aram, id eſt, in arcano conſilio
æterni Patris, mirando fœdere Filius Dei Eccle-
ſiam infirmam & ærumnoſam ſibi deſpondet, &
complectens ſupplicem, miſeretur calamitatis
ejus, ac placaturus æternum Patrem, in ſeſe deri-
vat iram, fit ſupplex æterno Patri pro ea, & ſuſti-
C net pœnam. Deinde acerrimè defendit ſponſam
contra ſæviſſimos hoſtes Diabolos, & fixo in la-
bris ſponſæ dulciſſimo ſuaviolo, voce Euangelii,
& dato arrabone Spiritu ſancto, ornat eam ſuis
bonis, reddit vitam, ſapientiam, juſtitiam, ſemper
adeſt infirmæ ſponſæ, & tegit eam in omnibus
periculis.

Hoc fœdus Filii Dei cogitato, non ſolùm cùm
tibi ſtanti ad aram Deus ſponſam adjungit, aut
cùm adeſt vocatus ad communem precationem
D in nuptiarum initiis, ſed etiam quoties cum dul-
ciſſima conjuge & tuis natis ad menſam aſſide-
bis, aut in thalamum accedes, imaginem amoris
& beneficiorum Filii Dei in fœdere conjugii no-
bis propoſitam eſſe agnoſcas, ac vos duos ac ve-
ſtrum parvum agmen ſcito illius Eccleſiæ mem-
bra eſſe, quam Filius amat, complectitur & tuetur.
Hunc viciſſim amato, & grato pectore celebres, &
te, tuóſque & nidulos veſtros ei commenda, cùm
quidem certum ſit, nulla nos firma præſidia habe-
E re, niſi Filium Dei.

Denique & ipſum fœdus conjugii, ſignificatio-
nes de voluntate Dei multas continet, & perpetua
conſuetudo in ſecundis & adverſis rebus exerci-
tium eſt omnium virtutum, & multa non obſcura
præſentiæ Dei in genere humano teſtimonia
oſtendit. Nequaquam enim ſocietas generis hu-
mani diuturna eſſe poſſet in tantis periculis & fu-
roribus, niſi Deus cuſtos eſſet imbecillium: &
atrocia ſcelera, quibus dilacerantur hominum
F cœtus, manifeſtis exemplis puniret, & in bellis
Eccleſiam ſuam tegeret. Hæc quotidiana ſpecta-
cula cùm cernimus, & cùm videmus nos ipſos &
infirma agmina noſtra mirandis modis protegi, ali,
liberari & ſervari vitam conjugum, fiat etiam ex-
ercitium veræ invocationis Dei.

Hæc ſcripſi breviter, genera ſeu fontes conſo-
lationum utcunque recitans, conſilium, volunta-
tem, & mandatum Dei, teſtimonia præſentiæ Dei
in conjugio, pœnas violantium ordinem à Deo
G ſancitum, téq; adhortor, ut harum graviſſimarum
rerum cogitatione confirmatus, reverenter de hoc
vitæ genere ſentias, & hanc (ut nominant) ſer-
vitutem placidè feras. Ita cùm in Deo acquie-
ſcet animus tuus, non ſolùm adverſa faciliùs to-
lerabis, & fiduciâ præſentiæ Dei vinces, ſed ita illa
ſuavitas, quam natura adferunt maris & fœminæ
conjunctio, & ſobolis procreatio, dulcior erit.

A Adderem etiam præcepta de officiis mariti erga
uxorem, & uxoris erga maritum, niſi prolixior
hæc commemoratio futura eſſet, quàm ut in hac
pompa nuptiali poſſet legi. Sed firmiſſimum eſt
vinculum mutui amoris inter vos, quòd mentes
veſtræ pariter in Deo unum ſunt, quódque vos
mutuò amatis, quia Deo obedire decreviſtis. Nul-
la enim eſt firma amicitia, niſi à Deo orta ſit.

Poſtea & ars adhibenda eſt, alendus amor vir-
tute & officiis, quorum hoc præcipuum eſt, quod
B in veteri verſu breviter dicitur:

——— *Vt ameris, amabilis eſto.*

Sapienter & hoc Apoſtolus monet, ut viri par-
cant ſexui imbecilliori, non onerent gravidas, aut
aliis nutricationis officiis occupatas, injuſtis labo-
ribus.

Simonides uxorem laudat, quæ ſimilis eſt apicu-
læ, caſta, frugalis, intenta operi, non vagabunda,
fovens ſobolem. In tali matre familias tot pulchris
virtutibus, condonanda eſt infirmitas, ſi quando
C fortè moroſior eſt, aut parum comis, aut in co-
quendo leviter erratum eſt.

In omnibus amicitiis, mutua ἀνεκτικία, quaſ-
dam amicorum ineptias ferre neceſſe eſt, ut dici-
tur, *Mores amici noveris, non oderis.* Id in conjugio
maximè faciendum eſt, quod ſummus eſt amicitiæ
gradus. Deniq; tota conſuetudo minùs turbulenta
ſit, hanc ipſam ob cauſam, nè communis precatio
tua, conjugis, ſobolis, impediatur, ſed ut læti con-
jungere vota poſſitis, & ad eundem verum Deum
D iiſdem animis confugere, & ſua cujuſque domus
verè ſit Eccleſia Dei, ſicut hoc conſilio divinitùs
hanc dulcem ſocietatem inſtitutam eſſe, non du-
bium eſt.

Hæc ad te in præſentia ſcripſi, ut oſtenderem, &
probari mihi tuum conſilium, & me tecum, & cum
dulciſſima ſponſa tua, & cum veſtris parentibus à
Deo petere, ut vos ſervet, & conjugium veſtrum
gubernet, & faciat ut totus vitæ curſus vobis ſit
& aliis fauſtus & ſalutaris. Id ut efficiat Filius
E Dei, cuſtos Eccleſiæ ſuæ, toto eum pectore oro.
Bene vale.

Ad Philippum Gluenſpies, de morte Ioannis Reineck civis Mansfeldenſis S. D.

TAnta fuit virtus, tanta prudentia, & in omni *Ep. 127.*
officio moderatio, temperatáque humanitate
gravitas in ſocero ſuo, ut ſuſpicerent eum ac ama-
rent omnes boni viri, quibus notus fuit. Ego ita-
F que, etſi ei propter beneficia, quæ in me propriè
contulit, plurimum debebam: tamen ad eum
amandum multò magis admiratione virtutis ipſi-
us rapiebar, quæ erat excellens in omni genere.
Pectus erat plenum pietatis, & ardebat ſtudio
Euangelii *Christi.* Deinde ingenuitas ſumma erat,
cúmque unus longè vinceret omnes prudentiâ, ac
diligentiâ, tum à fucis, et ſophiſtica longiſſimè
aberat, et veritatem in omni ſermone, atque
actione lucere volebat. Nec morum æquabilita-
G tem majorem in ullo vidi, et illam mediocrita-
tem, in qua collocat *Ariſtoteles* virtutis decus,
colebat ſanctè. Eminebat in eo ſingularis gravi-
tas, quæ tamen ſine moroſitate erat. Iram, atque
odium moderabatur ita, ut quanquam natura
acer et minimè lentus eſſet, tamen affectibus illis
nunquam laxaret frenum. Ac mihi non rarò venit
in mentem cogitanti de ipſo tales fuiſſe *Atticos*,

quorum

A quorum in hoc genere moderatio maximè prædicatur. Quid de cæteris? Rempub. nôrat optimè, & amabat, & deſendebat magno ſuo cum periculo. Familiam gubernabat ſingulari comitate, ac patrio animo ſuos omnes complectebatur. Liberalitatem exercuit erga Rempublicam, Eccleſiam, cives inopes, ac præcipuè ſcholaſticos egentes, & ut vita erat caſtiſſima, ita ſermo nihil habebat obſcœnitatis. Nec in ſecundis rebus inſoleſcebat, aut exultabat, nec in adverſis frangebatur. B Cúmque vidiſſet in Repub. novas Tyrannides conſtitui, & proſpiceret magnam rerum mutationem, tamen erigebat ipſe ſeſe, & non ſuccumbebat dolori, occurrebátque illis malis ſingulari ſapientiâ. Talem virum quis non doleat extinctum eſſe? Quis non lugeat ejus interitum tanquam publicum damnum? Nobis verò tali amico erepto, quid potuit accidere triſtius? Quare, mi *Philippe*, magnum dolorem ſoceri tui mors mihi attulit. Cúmque ad cæteras meas miſerias, quibus C hoc tempore excrucior, etiam hic luctus acceſſerit, vix me ſuſtento, colligendis iis conſolationibus, quæ divinitùs traditæ ſunt, & in eruditorum diſputationibus proponuntur. Cúmque de ſocero tuo cogito, tuam etiam vicem doleo, venítque mihi in mentem, quantum oneris jam accedat ad cæteras tuas curas atque ærumnas. Etſi autem conſolari te debebam, tamen hoc tempore ſcribere plura non poteram, & tibi nota ſunt ea, quæ in ſacris literis & in Philoſophia traduntur. Illa D autem una ratio maximè moveat nos ad moderandum luctum, quòd ſcimus non caſu naſci homines, aut extingui, Deóque vocanti nos ex hac vita parendum eſſe. Deinde ſperare debemus, ſocerum tuum jam verſari in illa æterna ſede cum *Christo*, cum beatis angelis, & ſanctis cæteris, quorum conſuetudine & ſermonibus multò magis delectatur, quàm rebus humanis. Nec longo intervallo nos antecedit. Brevi igitur eo fruemur, & fruemur jucundiùs, quàm antea. Bene vale. E

Georgio Sabino genero ſuo cariſſimo, S. D.

Ep. 128. MAgnam vim eſſe paterni amoris, etiam te animo tuo exiſtimare non dubito. Quare mihi facilè credes affirmanti, valde me dilexiſſe filiam *Annam*. Cùm autem præclarè de te ſentirem propter ſcribendi facultatem eximiam, & alii multi, qui judicare de his ſtudiis poſſunt, in F quibus verſaris, & ex eo benevolentia erga te ſingularis in animo meo nata eſſet, non invitus tibi volenti filiam deſpondi, útque & tibi & nobis hæc conjunctio fauſta & felix eſſet, optavi. Sed cùm ex doctrina cœleſti cauſas didicerimus præcipuas humanarum calamitatum, & earum remedia, feramus jam, quæ acciderunt, ſapienter. Etſi igitur magno in dolore ſum, propterea quòd filia extincta eſt, & quidem procul à parentum complexu, & quod prius de rebus neceſſariis cum ea G colloqui non potuerim, tamen eas conſolationes mihi propono, quæ divinitùs traditæ ſunt, quarum hæc præcipua eſt. Signa vera in filia pietatis erga Deum, & ante mortem præceſſerunt, propter quæ ſpero, eam jam dulciſſimâ conſuetudine Dei, & Filii ejus Domini noſtri *Jeſu Chriſti* frui, cui êam etiam ſæpè lacrymans commendavi, & ut ſpero, paulò pòſt ibi eam amplectar. Noſtram A verò inter nos amicitiam volo perpetuam eſſe, & ego fideliter eam ſi quibus potero officiis, tuebor. Tuos certè liberos, meos eſſe ducam, & verè mei ſunt, quos non minùs diligo, quàm dilexi matrem. Fuiſſe autem magnum incendium amoris mei erga filiam, multi nôrunt, & id morte ipſius non extinctum eſt, ſed dolore & deſiderio alitur. Cúmque fuiſſe eam admodum φιλόστοργον ſciam, ipſius in me affectus derivare me jam debere judico. Quid igitur de filiabus & de filio deliberas? B Non ſolum conſilium do, ut ad me mittas puellas, ſeu omnes, ſeu aliquas, ſed etiam te, ut id facias, valde oro. Educabuntur enim, Deo juvante, & fideliter & ſuaviter, ut ſoror, ad agnitionem Dei, & ad honeſta officia ſedulò inſtituentur. Vides ſpecimen inſtitutionis in literis, quæ filiæ tuæ manu ſcriptæ ſunt. Filium *Albertum* non dubito jam iſthic nutricibus commendatum eſſe, quem Deus ſervet incolumem. Significabis igitur mihi tuam voluntatem de filiabus, ut vel ipſe iſthuc C veniam, vel amicos fideles mittam, qui huc advehant vel omnes vel aliquas. *Martham* quidem, quæ eſt imbecillior, valde te oro, ut ſinas eam apud ſororem educari. Nec belli periculis deterreor, quo minùs mecum omnes verſari meos velim. Texit nos Deus hactenus magnâ clementiâ, & ſpero protecturum eſſe nos deinceps: quódque eſt officii, ut curem familiam in locis tranquillioribus collocari, ſi erit opus, non negligam. Peto igitur, ut mihi voluntatem tuam de mitten- D dis filiabus ſignifices. Nuncio dedi reliquum mercedis. A *Camerario*, cum nuncius eſſet mecum, literæ allatæ ſunt, quibus ſe ex *Tyrigetis* proficiſci in *Franciam* ſcribit, quod cum nuncio dixiſſem, tam procul ſequendum eſſe non putavimus. Epiſtolam ejus ad me ſcriptam tibi mitto. Adjuncta eſt & altera *Camerarii* ad *Sciurum*. Filii literas ad *Sciurum*, quas nuncius attulit, ego in *Franciam* miſſurus ſum. Bene & feliciter vale. Anno M.D.XLVII.

E

Iuſto Ionæ, filio Iuſti Ionæ Doctoris, S.D.

MAgna ſimilitudo eſt legum atque artium: Ep. 159. ac ſi verè judicare volumus, leges ſunt haud dubiè ars quædam regendorum morum, & conſiliorum vitæ. Quis autem non videt, quàm impatienter ferant legum vincula, homines non ſatis inſtituti & aſſuefacti?. Quàm indignentur ac fremant, velut carcere, legum minis incluſas cupi- F ditates coerceri? Sicut & apud *Platonem Gorgias*, etſi non rectè judicat, inquit, Legem cum natura pugnare. Hac contumacia in juventute magis conſpici poteſt, & in barbaris gentibus, quò quæque eſt ferocior, eò minùs habet Legum & diſciplinæ, & plus ſibi ſumit licentiæ. Sicut autem affecti ſunt animi agreſtiores erga leges, ita videmus plerumque adoleſcentes aliquos rigidioribus naturis præditos, erga artes affectos eſſe. Etiam cum diſcunt literas, linguas, hiſtorias, religio- G nes, Leges, remedia, tamen à præceptis artium ipſarum abhorrent, hæc vincula ſibi injici non patiuntur, ſed quâdam barbaricâ libertate vagantur in doctrinarum campis, & decerpunt paſſim quantum delectat, artes ipſas neque ordine, neq; integrè diſcunt. Nec verò ullo in genere perfecta doctrina comparari poteſt hâc confuſaneâ diſcendi ratione. Atque hic maximè reprehendendi

ſunt

ſunt quidam, qui pueris ipſis odium præceptio- A
num inſtillant, qui ſicut milites illiterati, *Gallicè*
inter *Gallos* diſcunt, ita ſperant pueros fore Gram-
maticos, ſine arte, utcunque colloquentes cum
autoribus. Ut autem vulgus gaudet legum habe-
nas laxari, ita pueris hæc συνταξίαν duplici no-
mine grata eſt. Nam & onere diſcendi argutias
odioſas illi ætati levantur, & ſibi libertatem con-
cedi putant, nè ad præſcriptum loquantur. Sed
hæc indulgentia etiamſi eſt popularis, tamen eſt
admodum pernicioſa. Poſtquam enim deſiit B
vernaculus uſus linguæ *Latinæ*, nemo certam lo-
quendi rationem ſine regulis conſequi poteſt.
Itaque qui præceptiones non didicerunt, paulò pòſt
vel erroris ſui vel ignaviæ pœnas dant. Poſtquam
enim adoleverunt, conſcii ſibi inſcitiæ ſuæ, nec
loqui nec ſcribere *Latinè* audent; quare alii de-
ſperatione quâdam in totum abjiciunt literas,
alii etiamſi commorantur in ſtudiis, tamen juſtos
fructus ex eis percipere non poſſunt: quorum
utrunque multis modis nocet reipublicæ. Sedent C
enim ad gubernacula judicaturi de religionibus,
de jure ac juſtitia, de artibus, ſine ulla perfecta
doctrinâ: Nec intelligere quidem propriè ea, quæ
à doctis citantur, poſſunt. Ut igitur popularitas
& mollities in ſolvendis legibus præcipua eſt im-
periorum peſtis, ita religione præceptionum ani-
mos liberari, nequaquam eſt utile publicis ſtudiis.
Et hanc puerilem conſuetudinem animadverto
in poſterum nocere. Poſteaquam ſemel induerunt
contemtum præceptionum in Grammaticis, ad- D
ferunt deinde ſimilem negligentiam ad cæteras
majores artes: quarum cum leges aſpernantur,
non ſolidam doctrinam, ſed quandam doctrinæ
umbram ex illis auferunt. Non enim earum initia
& ſeriem ordine cognoſcunt, ſed fortuitò quæ-
dam inde ſumunt, quæ ad oſtentationem, aut
mediocrem uſum conducere videntur. Et quia
cognatio eſt legum atque artium, elabitur animis
aſſuefactis ad contemnendas præceptiones, reve-
rentia legum, quæ privatos & publicos mores gu- E
bernant. Ita negligentia in re, ut initiò videtur,
levi, parit ingens malum. Nam in inſtituendis
ad virtutem hominibus, præcipuè hâc diligentiâ
opus eſt, ut animis inſeratur reverentia erga leges,
ut veras & neceſſarias vitæ eſſe ducāt, nec privato
arbitrio, ſed ad illarum præſcriptum mores re-
gendos eſſe ſentiant: ſicut *Cyrus* puer venuſtiſſimè
admonetur, juſta eſſe ducenda, non quæ ipſi æqua
videantur, ſed quæ legibus conſtituta ſunt. Cùm
enim puer grandiuſculus indutus brevi tunicâ, al- F
teri minori veſtem longiorem ademiſſet, datâ illi
breviore tunicâ, quæ quadrabat admodum cor-
pori illius, & res ad *Cyrum* Judicem deferretur,
pronunciat *Cyrus*, ut quiſque veſtem ſuo corpori
aptam teneat. Id enim puerili quadam opinione
commodum & æquum eſſe arbitrabatur. Sed
poſtea pædagogus retractatâ ſententiâ, dat plagas
Cyro, & monet juſta eſſe, non quæ ipſi videantur
commoda, ſed quæ legibus ſancita ſunt. Præcipua
autem lex eſt, ut ſuum quiſque teneat, nè in alio- G
rum fortunas quiſquam impetum faciat. Ita ſigni-
ficavit ille *Cyri* magiſter, aſſuefaciendos eſſe ani-
mos, ut noſtris opinionibus & cupiditatibus lon-
gè anteferamus legum autoritatem. Quare ἰδικὸν
quiddam fuerit, teneram ætatem flectere ad
amandas præceptiones, ut exiſtiment virtutem
eſſe, frenare ingenium, & ad præſcriptum cùm lo-

A quitùm agere omnia. Illud enim conſtat, præ-
ceptionum contemtu, in ferocioribus ingeniis
valdè confirmari *Cyclopicam* audaciam. Et ado-
leſcentes ipſos admoneo, ut ſi quem viderint æqua-
lium inimicum artibus & præceptis, hanc ut exi-
ſtiment notam eſſe naturæ immoderatam liber-
tatem concupiſcentis, & legum repagula effractu-
ræ. Nullum autem monſtrum perinde tetrum
cogitari poteſt, ut talis natura impatiens legum
& diſciplinæ, ſeditioſa ac tyrannica. Hæc in gene-
B re præfari volui de præceptionibus amandis, quæ
eſſe veriſſima omnes prudentes viri teſtabuntur,
& animadverti facilè poſſunt, ſi quis ingeniorum
naturas conſideraverit. Eſt autem quædam ad
mores & ad multas res neceſſaria diligentia, di-
verſitatem ingeniorum obſervare. Etſi igitur in
artibus diſcendis non ſatis eſt præcepta audire,
ſed adjungi oportet exempla, imitationem &
exercitationem, tamen hoc perſuaſiſſimum ſit
omnibus, vim magnam atque utilitatem eſſe præ-
C ceptionum. Porrò ut hoc loco tantùm de hac par-
te Grammatices dicam, ingens utilitas eſt, tenere
certam loquendi rationem, & de natura ſermo-
nis rectè judicare poſſe. Errant autem totâ viâ, &
toto cœlo, ſi qui putant, hæc ſine præceptis quen-
quam conſequi poſſe. Idque fateri res ipſa tandem
cogit eos, qui omiſſis præceptis, ex ſolâ autorum
lectione jungere verba didicerunt. Deinde eti-
amſi ad quotidianum colloquium ſatis formula-
rum ſuppeditat lectio, quid facient, ſi longior
D cauſa explicanda erit? Quomodo compoſitionem
illam periodorum, & totam ſeriem membrorum
in oratione intelligent, niſi omnem rationem
Syntaxeos probè cognoverint? Poſtremò obſcu-
ras aut vicioſas ſyntaxes quomodo judicabunt,
niſi adhibitis regulis? Nam, ſi tantum exempla
quærant, occurrent vitioſa, quorum pleraque a re-
ctè dictis non poſſunt ſine regula diſcerni. Porrò
etiam doctos homines interdum obſcuritas, aut
novitas in ſyntaxi fallit. Nam, ut ex ſacris literis
E exempla petamus, extat in priore epiſtola ad *Ti-
motheum* gnome *Pauli: Salvatur mulier per filiorum
generationem, ſi manſerint in fide, dilectione, caſtitate
& temperantia.* Hic multos fefellit numeri muta-
tio, *ſi manſerint*: Ideoque diſputant, quid velit
Paulus, an mater alioqui pia, ſi filii abjecerint fi-
dem, peritura ſit ipſa quoque. His intempeſtivis
quæſtionibus nihil opus eſſe ſagax Grammaticus
facilè intelliget. Ut enim dicimus, *Turba ruunt*,
ita hìc de ſexu loquitur, *ſi manſerint*, ſcilicet *ſexus
F muliebris*. Explicata ſyntaxi, poſtea cernes, in hac
gnome non abſurdas aut hyperbolicas ſententias
contineri, ſed doctrinam de rebus maximis uti-
liſſimam, miniméque abſurdam. Quæ enim con-
cio gravior & eruditior proponi poteſt, quàm hæc,
Ut in ſalvandis exiſtere fidem & fidei fructus, of-
ficia ſuæ cujuſque vocationis oportet: Ita hìc
Paulus complectitur ſummam doctrinæ de ſalute
conjugum hoc dicto, requirit fidem & vocationis
opera, ſcilicet, officia conjugalia, & caſtitatem.
G Jam quæ conſolatio dulcior piis in conjugio eſſe
poteſt, quàm quòd audiunt hìc officia conjugalia
non improbari, aut inter vitia recenſeri, ſed præ-
ſtantiſſimis virtutibus annumerari, quas Deus ap-
probat, & quæ exiſtunt in ſalvandis? Hæc ſenten-
tia pios præclarè munit contra ſuperſtitionem.
Hæc utilis doctrina tota jacet obruta denſiſſimâ
caligine, ſi quis ignoret Grammaticam rationem
ſyntaxeos.

ſyntaxeos. Itaque hic prodigioſas ineptias *Thomas* comminiſcitur. Exigua laus eſſe ducitur, non falli in Grammatica, ſed tamen utilitas eſt ampliſſima. Accidit enim hîc quoque, ut ſit, quemadmodum dicitur, ἀρχὴ ἥμισυ παντός. Animadverſâ enim Grammaticâ ſententiâ, poſtea mediocriter doctus videre poteſt, ad quos locos dictum accommodari debeat. Hîc ſi errata ſyntaxeos in ſacris libris velim recitare, nimis prolixus catalogus futurus eſſet. Annotavi autem unum atque alterum. Primum, ut videant adoleſcentes, quàm neceſſaria ſint ad veras ſententias patefaciendas præcepta de ſyntaxi. Deinde ut his admoniti exemplis, ſint in loquendo & judicando diligentiores. In Euangelio *Johannis cap.* 8. legitur: τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Hîc fefellit & interpretem & *Auguſtinũ* figura conſtructionis. Nam τὴν ἀρχὴν ponitur adverbialiter, pro particula *prorſus*, ſeu *primùm*. Cùm enim illi interogâſſent *Chriſtum* quis eſſet, Reſpondit, *Prorſus is ſum, quem me eſſe dico, quem me eſſe profiteor.* Hæc interpretatio perſpicua eſt. Alii malè intellectâ particulâ, τὴν ἀρχὴν, legerunt, *principium quod & loquor vobis:* ac diſputant, quare *Chriſtus* ſe nominet *principium.* Hæc etiamſi non ſint abſurda, tamen hoc quidem loco intempeſtiva ſunt, & offundunt caliginem reliquo ſermoni. In *Pſalmo* legitur, *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis à templo tuo, &c.* Quantum accedet lucis & gratiæ, ſi rectè reddatur figura conſtructionis, *Confirma hoc Deus, quod operatus es propter templum tuum?* Orat enim, ut Deus gubernet, adjuvet & confirmet pios, ut propagare doctrinam poſſint: idque orat fieri propter templum ipſius: id eſt, ut Euangelium ubique illuceſcat, ut gloria Dei ornetur, & vera Eccleſia creſcat. Quàm dulcis verſiculus eſt in alio *Pſalmo, In conveniendo populos in unum, & Reges, ut ſerviant Domino?* Hîc Grammatici de conſtructione rixantur, cum ſit forma orationis contra *Latinam* conſuetudinem ex *Græco* expreſſa: *Cùm convenirent populi ſimul & Reges, ut ſerviant Domino.* Multa enim complectitur; Pingit Eccleſiæ concordiam, teſtatur etiam ad Reges Euangelium pertinere: & hanc curam Regum eſſe debere, ut populos ad pietatem invitent: denique propter hunc finem homines ad ſocietatem eſſe conditos, imperia conſtituta eſſe, populos, hoc eſt, cœtus conſociatos eſſe, & Reges præpoſitos, ut ornent gloriam Dei. Hunc finem omnes cœtus hominum in imperiis, civitatibus, familiis, ſcholis expetere debent. Monet igitur Reges, Principes, Civitates, Doctores, Patresfamilias, ut cogitent, hoc præcipuum eſſe officium ſuum, ut puram doctrinam ad gloriam Dei conſervare & propagare, & Deo obedire ſtudeant. In his exemplis vident adoleſcentes monſtratâ ſyntaxi ſententias non modò illuſtriores, ſed etiam dulciores reddi ſtudioſis. Multas enim magnas res antea involutas ſyntaxis profert & exponit. Scio eſſe puerile ſtudium, & negotium videri leve: ſed mihi credant adoleſcentes, non minùs prodeſſe generi humano Grammaticen, ac præcipuè hanc partem, quæ eſt abſolutio Grammatices, quam pleraſque alias artes aut profeſſiones, etſi de earum dignitate nihil detraho. Magna utilitas & magna laus eſt Architectonicæ, quæ non modò domicilia nobis condidit, ſed etiam rationem muniendi magnos cœtus oſtendit, quæ machinas omnis generis, utiliſ-

A ſimas moles, naves, portus, aquæductus fabricat. Aſſentior magnam eſſe harum rerum utilitatem: ſed non minor eſt utilitas Grammatices. Hæc religionum, legum, hiſtoriarum, & multarum artium quaſi nutricula quædam eſt. Ideo non ſolùm adhortor adoleſcentes, ſed etiam propter gloriam Dei obteſtor, ut diligentiam in diſcendo adhibeant, quam primùm Deo, Eccleſiæ & Reipublicæ debent, deinde quam flagitant parentes, quorum judiciis obtemperare eos Deus juſſit. Hæ cauſæ
B diſcendi inculcandæ ſunt adoleſcentibus, ut ſciant ſua ſtudia pertinere ad Eccleſiam & Rempublicam. Niſi Grammaticen rectè didicerint, non poterunt cæteras artes, Eccleſiæ & Reipub. neceſſarias, tueri. Nec noſtra opera deeſſe his ſtudiis debet. Ideo cum viderem hunc libellum in manibus eſſe puerorum, fui autor viro docto *Vito Winſhemio*, ut eum augeret: deeſſe enim aliquas puer iles regulas animadverteram. Prodit igitur locupletatus non modò præceptis, ſed etiam ex-
C emplis, quorum imitatio ad phraſin conducit. Hortantur autem te domeſtica exempla ad has artes amandas, quæ ad rectè dicendum neceſſariæ ſunt. Es enim natus in oratoria familia. Nam avum tuum audimus ſummam autoritatem propter eloquentiam & civilem prudentiam in patria conſecutum eſſe, qui, ut illa tempora ferebant, non indoctus fuit, & ſtudioſus imprimis, nè deeſſent in oratione nervi. Pater verò etſi tantum naturâ valet, ut nullius ingenium cognoverim ad
D eloquentiam aptius, tanta eſt ubertas, tantus ſplendor in ejus oratione, quæ naturæ bona ſunt, tamen illam naturæ felicitatem magnâ doctrinæ copiâ etiam inſtruxit. Horum te accendi exemplis convenit, ut poſſeſſionem hujus laudis in familia retineas. Bene vale.

Martino Sidemanno docenti bonas literas in oppido Mansfeldt, amico ſuo S. D.

E ET conſilium & voluntatem tuam probo, quòd teneras mentes Puerorum imbuis elementis cœleſtis doctrinæ. Nam hic cœtus vel præcipua Eccleſiæ Dei pars eſt. Quare in eo ſonare cœleſtem doctrinam neceſſe eſt: ac Deum æternum Patrem liberatoris noſtri *Jeſu Chriſti* oro, ut hæc agmina diſcentium ſervet & gubernet, & hoſpitia eis det tranquilla, id eſt, politias mediocres. De quæſtione tua breviter tibi reſpondebo. Rectè, propriè & verè dicitur, *Peccatum originis eſſe* Ep. 130.
F *Privationem juſtitiæ, quam Deus indidit homini in creatione.* Στέρησις hic ſignificat, quod uſitatè Dialecticis ſignificare ſolet, ut cum dicimus, tenebras eſſe privationem lucis, aut confuſionem privationem ordinis. Multa autem complectitur appellatio *Juſtitia*, illuſtrem & firmam Dei notitiam, amorem Dei & obedientiam juxta totam legem. Harum pulcherrimarum rerum amiſſio non eſt exiguum malum. Cogita quantum decus, & quantum bonum fuerit, lux illa in mente, firma de
G Deo notitia, pro qua nunc hærent in mente tenebræ, neglectio Dei, dubitationes de providentia, denique magna caligo. Et firma converſio voluntatis ad Deum, ſcilicet amor Dei, timor verus, fiducia ardens, quanta bona erant? Nunc pro timore ineſt animis prophana ſecuritas, nullæ ſunt flammæ amoris & deſiderii ad Deum: cætera ipſe mediteris, non enim vacat integrè hæc tractare.

Cum

Cum igitur dicimus eſſe privationem, ſeu amiſſio- A
nem, ſeu ſpoliationem, planè & propriè loqui-
mur, & intelligimus στέρησιν more Dialecticorum.
Nec hoc impedit, quod illi aiunt, στέρησιν eſſe for-
mæ, quæ poteſt adeſſe; At juſtitia integra nunc
in natura eſſe non poteſt. Hæc cavillatio ocio-
ſa eſt: certè creatura ſic eſt condita, ut in ea
luceret hæc juſtitia, & adhuc eſt ejus capax &
ei reſtituetur, ſed non ſine divina ope. Denique
ſit modus ἀμφισβητησιῶν. Si non placet dicere *priva-*
B *tionem* aut στέρησιν, dicas *amiſſionem*. *Paulus* eandem
privationem ſatis clarè deſcribit, cum ait: *Omnes*
carent gloriâ Dei, id eſt, *luce divinâ glorificante*
Deum. Et *nuditas* in tertio cap. lib. *Geneſeos* mon-
ſtrabat confuſionem partium & deformitatem
inferioris potentiæ: Magnæ res brevibus verbis
ſignificatæ ſunt piis, & piè hæc meditantibus &
volentibus agnoſcere humanam imbecillitatem.
Illam cavillationẽ ſic dilue: *Nihil non puniendũ eſt*,
Peccatum nihil eſt, *Ergo non puniendum eſt*: Aliud
C eſt nihil *negativè*, aliud eſt nihil *privativè*. Nam
nihil *privativè* eſt in ſubjecto exiſtente corruptio
& confuſio; ut ruina domus eſt confuſio illius
ordinati ædificii. Deinde verum eſt, poſt privati-
onem lucis & juſtitiæ ſequi multos errantes mo-
tus & errores, ut averſa voluntas à Deo, ardet
amore ſui & voluptatum malarum ſine Deo, mens
cæca ignara Dei ludit opinionibus de Deo, alius
aliud fingit, ut oſtendunt εἰδωλομανίαι omnium
gentium. Ita poſt privationem ſequuntur poſitiva,
D ut vulgo loquuntur, & tamen deformitas vel
ἀταξία in illo ipſo poſitivo, etiam eſt στέρησις.
Quantum ego videre poſſum, hæc perſpicuè &
dextrè dicuntur & nihil habent abſurditatis, &
ſunt germana ſententia doctrinæ Propheticæ &
Apoſtolicæ. Fortaſſis naturæ cavillatrices multa
inveniunt, quæ argutè objicere poſſunt: Sed ex-
plicari à peritis cavillationes illæ facilè poſſunt.
Nam *vera ſunt firma*, ut *Demoſthenes* ait, ἰσχυρὸν τ'
ἀληθές. *Vitus* judicium mihi non eſt ignotum; Sed
E facit injuſtè, quòd in deliberatione tanta de re-
bus divinis adhibet in conſilium ſuam malevo-
lentiam, quæ impedit Judicium, nec acquieſcit
rebus veris mediocriter explicatis, ſed quærit ca-
villationes ſine fine. Fortaſſis ubi aliam ſedem na-
ctus erit, publicis ſcriptis bellum vobis inferet,
quod geret non felicius, quam *Eccius* aut ſimiles
geſſerunt. Spero tibi ſatisfacturam eſſe noſtram
explicationem, ſed tamen velim te mihi ſcribere,
an tibi ſit ſatisfactum. Mediocrem hæc attentio-
F nem & candorem in judicando, & dexteritatem
requirunt. Imò conſiderationem noſtræ miſeriæ.
Pro tua erga me benevolentia & pro munere ha-
beo tibi gratiam. Bene vale, Prid. Calend. Sep-
temb. M. D. XL. III. Domino *Martino* conter-
raneo meo chariſſimo, ſeni pio & docto, omnia
fauſta opto.

Martino Sidemanno S. D.

Ep. 131. MAgnum omnino decus eſt hic orator in Ec- G
cleſia, qui rectè, diſtinctè, juſto ordine per-
ſpicuè doctrinam cœleſtem explicat: nec aliud
opus in terra majus eſt. Nam hæc hominum natu-
ra, ad hunc ſummum atque extremum finem con-
dita eſt, ut Deum celebret. Nec vero putes illum
Oratorem ſubitò naſci. Statim ab adoleſcentia
inchoanda ſunt exercitia. Dicet in populo, pau-
A latimq; animadvertet, quid maximè in dicendo
& proſit & deceat: audiet alios, conferet ſuum
conſilium ſuámque formam ad aliorum formas:
magna enim ſunt diſcrimina. Primùm indocti
nec docere explicatè poſſunt, nec adhibere motus
convenientes, & peccant multis in rebus, dicunt
interdum parum utilia, colligunt convicia ex ſer-
monibus conviviorum. Deinde alii ſunt doctio-
res, vera dicentes, ſed nimis verbosè ac ſine ner-
vis, nihil interpretantur, nihil citant inſignium
B dictorum, quæ prudentium auditorum animos
vehementer excitare ſolent: nihil recitant exem-
plorum. Denique non multum ab indoctis hi di-
ſtant, niſi quòd vincunt copiâ, & quod minùs
ſordida καὶ ἀγοραῖα dicunt. Ac multi jam ſunt, qui
huic uni rei ſtudent, ut hâc luxuriâ orationis au-
ditores teneant. Nominatim aliquos referre poſ-
ſem, ſed id coràm rectiùs fiet. Nam tui monendi
causâ hæc ſcribo, non ut cuiquam inuram notam.
Tertio loco ſunt, qui hoc conſilium domo adfe-
C runt, ut res utiles ac neceſſarias dicant, & has
arte lectis, propriis & ſignificantibus verbis di-
ſtinctè exponant. Diſtribuunt materias, propo-
nunt, admonent auditorem, quid ex quolibet loco
utilitatis excerpendum ſit, inſerunt inſignes ſen-
tentias, quæ feriunt animos, addunt exempla,
concludunt ita, ut populus ſciat, quid meminiſſe
debeat, quod ſecum domum auferat. Addunt &
motus, excitant timorem commemoratione hor-
ribilium minarum, accendunt fiduciam, propoſitis
D ſententiis aut Hiſtoriis de fide. Diſerrè alias de
Lege, alias de Evangelio dicunt, & prudenter re-
tinent diſcrimen, aliàs ſunt ut in ſchola ἐξηγηταὶ
ſeu interpretes, aliàs inflammatores animi mo-
tuum, & hæc non tantum quâdam redundantiâ
ſermonis, ſed potiùs proprio & gravi ſermone
efficiunt. Talem memini me olim audire *Luthe-*
rum. Ut autem ad formam Eccleſiæ utilem te aſ-
ſuefacias, profectò prodeſt ſtatim incipere. Multa
enim tuis erratis monitus diſces. Ego quoties
E jam eaſdem materias retexui (quos enim habe-
mus ſcriptores, quos imitari poteram?) paulatim
animadverti, quo genere verborum, quo ordine
has res dici prodeſſet. Prima ſcripta hujus ætatis
multa referunt *Auguſtini*. Poſteriora ſunt dexte-
riora & ſimpliciora. Cùm igitur ſervire Eccleſiæ
conſtitueris, meum eſt conſilium, tibique ſum
hortator, ut concionando exercere te quam pri-
mum incipias. Neque ideo depones hæc commu-
nia ſtudia literarum & Philoſophiæ. Hæc cultura
F multum utilitatis adfert. Nam eruditi magis in-
telligunt, quid deceat & proſit. Diſponere faciliùs
materias poſſunt, Deligunt verba judicio gravio-
ri. Denique ut à pictoris arte ſculptor adjuvatur:
Sic ille interpres ſeu Orator in Eccleſia adjuvatur
à doctrina Philoſophica & elegantiâ literarum.
Nec putes hæc ſtudia conjungi non poſſe. Imò
collatio plurimum lucis utrique adfert, & utrun-
que collatione fit dulcius. An tu non putas pro-
deſſe hiſtoriæ *Græcæ* & *Latinæ* cognitionem in
G Eccleſia, non Philoſophorum & ſapientiſſimorum
hominum ſententiis τὰ τοιαῦτα illuſtrari? Sed tibi
de hac conjunctione doctrinarum meum conſili-
um notum eſt. Effudi hanc Epiſtolam ſubitò, cum
quidem adverſâ valetudine conflictarer. Nam
contentione vocis in hac aſſiduitate ſcholaſtica in-
ſigniter me lædi ſentio, præſertim poſtquam vires
corporis jam antea curis & laboribus fractæ ſunt.
Sed

Sed hoc vitæ curriculum, quid eſt niſi tranſitus ad meliorem vitam per has ærumnas, in quibus demus operam, ut aliqua ex parte noſtri labores ſerviant Eccleſiæ, & illuſtrent doctrinam de Deo, & de bonis rebus. Tales impendent rerum mutationes, quibus Principum ſtultæ cupiditates occaſionem præbent, ut diſcedere ex his tumultibus libeat. Sed ſi contingeret vita longior, libellos Juventutis cauſâ ſcriptos ederem aliquantò magis expolitos. Etſi occupationibus illiteratis hæc conſilia etiam multum impediuntur. Sed Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* oro, ut Eccleſiam ſuam conſervet, regat, & me quoque gubernet. Salutem opto meo conterraneo domino *Martino*, & domino *Philippo*, & cæteris amicis. Bene vale. Die IX. Novemb.

Epiſtola Philippi Melanthonis de legendis Tragœdiis & Comœdiis.

Ep. 132. SÆpè de hominum moribus & de diſciplina cogitans, *Græcorum* conſilium valdè admiror, qui initio Tragœdias populo propoſuerunt, nequaquam, ut vulgò exiſtimatur, tantum oblectationis causâ, ſed multò magis, ut rudes ac feros animos conſideratione atrocium exemplorum & caſuum flecterent ad moderationem, & frenandas cupiditates, quòd in illis Regum & urbium eventibus imbecillitatem naturæ hominum, fortunæ inconſtantiam, & exitus placidos juſtè factorum, è contra verò triſtiſſimas ſcelerum pœnas oſtendebant. Quâ in re & hoc ſingularis prudentiæ fuit, eligere argumenta non vulgarium caſuum, ſed inſignium & atrocium, quorum commemoratione cohorreſcèrent tota theatra. Non enim movetur populus levium aut mediocrium miſeriarum cogitatione, ſed terribilis ſpecies objicienda eſt oculis, quæ penetret in animos & diu hæreat, & moveat illa ipſa commiſeratione, ut de cauſis humanarum calamitatum cogitent, & ſinguli ſe ad illas imagines conferant. Nec fuit exigua facultas & ars, grandiloquentiâ ſermonis & geſtuum varietate magnitudinem rerum utcunque exprimere.

Ego ipſe ſæpè toto corpore cohorreſco legens tantùm, non etiam intuens ut in theatro agentes *Sophoclis* aut *Euripidis* Tragœdias. Nec verò quiſquam tam ferreus eſt, qui ſine animi conſternatione legat fratrum *Thebanorum* certamen, & matris *Jocaſtæ* exitum, quæ diremptura prælium cum tardiùs veniſſet, ex alterius filii vulnere enſem extrahit, & hoc ipſo enſe, qui filii cruore madebat, miſerrima mater ſeſe transfigit. Poſtea ſe mediam inter filios abjicit, brachia ſpargens, quaſi in utriuſque complexu moritura. Quid hac imagine lugubrius cogitari poteſt? Hæc igitur agebantur, ſpectabantur, legebantur, audiebantur & à ſapientibus & à populo, non ut erotica, ſed ut doctrina de gubernatione vitæ. Eventus iſti commonefaciebant homines de cauſis humanarum calamitatum, quas accerſi & cumulari pravis cupiditatibus, in his exemplis cernebant.

Et ſicut *Pindarus* inquit, *Ixionem* implicitum rotæ apud inferos clamitare hanc vocem, quam *Virgilius* reddidit,

Diſcite Juſtitiam moniti & non ſpernere divos:

Ita Tragœdiarum omnium hoc præcipuum eſt argumentum, Hanc ſententiam volunt omnium animis infigere, eſſe aliquam mentem æternam, quæ ſemper atrocia ſcelera inſignibus exemplis punit, moderatis verò & juſtis plerunque dat tranquilliorem curſum. Et quanquam hos etiam interdum fortuiti caſus opprimunt, ſunt enim multæ arcanæ cauſæ, tamen illa manifeſta regula non propterea aboletur, videlicet ſemper *Erinnyas* & ſævas calamitates comites eſſe atrocium delictorum. Hæc ſententia multos ad moderationem flectebat, quæ nos quidem magis movere debet, qui ſcimus eam & Eccleſiæ clarâ Dei voce ſæpè traditam eſſe.

Quare Tragœdiarum lectionem valde utilem adoleſcentibus eſſe non dubium eſt, cùm ad commonefaciendos animos de multis vitæ officiis & de frenandis immoderatis cupiditatibus, tùm verò etiam ad eloquentiam. Summus eſt enim ſplendor verborum & geſtus maximè incurrentis in oculos ad omnes animorum motus ciendos accommodati. Sunt autem hæc duo lumina orationis præcipua. Et quanquam multæ cauſæ recitari poſſunt, quæ ſtudioſos ad Tragœdiarum lectionem invitant, tamen vel hæc una perſuadere ſanioribus debet, quia omnes omnibus ætatibus deguſtatâ hâc lectione, quo ſæpius eaſdem Tragœdias relegunt, eò magis conſilia operum, & ſeriem ac formam expoſitionis mirantur, & ſeſe ad cogitationem de vitæ humanæ miſeriis, remediis, & gubernatione exuſcitant. Appetuntur ergo avidiùs, quò magis introſpectæ ſunt. Ac ut in excellenti pictura non poteſt ars ſubito contuitu judicari, ita in his operibus ſapientiſſime ſcriptis non ſtatim perſpici omnia membra poſſunt. Quare uſitatum fuit ſæpe in theatra eaſdem fabulas referre. Nec nihil cauſæ eſt, cur in *Plautino* quodam Prologo dictum ſit:

Qui utuntur vino vetere ſapientes puto,
Et qui libenter veteres ſpectant fabulas,
Antiqua & opera & verba cum vobis placent,
Æquum placere eſt ante veteres fabulas;
Nam nunc novæ quæ prodeunt Comœdiæ,
Multo ſunt nequiores quàm nummi novi.

Dixi prolixius, quo conſilio excogitatæ ſint Tragœdiæ, & quàm ſint utiles ad mores regendos & ad eloquentiam, quia & morum & eloquentiæ exempla ſunt illuſtriora in Tragœdiis, quàm in Comœdiis. Etſi autem Comœdiæ joci & oblectationis causâ magis fictæ ſunt, tamen conſilium pene eſt ſimile. Equidem vetus Comœdia propior eſt Tragœdiæ. Apud *Ariſtophanem* non ſunt meretricum, amatorum, lenonum colloquia, ſed exempla civium, quorum alii Rempubl. bene rexerunt, alii turbârunt ac everterunt. Et diſſimilitudo voluntatum, conſiliorum & eventuum proponitur ad commonefaciendos ſpectatores aut lectores, quales ſinguli gubernatores ſint, qui probandi, qui imitandi, qui fugiendi.

Etſi autem hominum vita nec ſolis præſidiis humanis defendi, nec regi ſolâ diligentiâ humanâ poteſt, & Reſpubl. multas habent fatales mutationes, tamen plerunque eſt utilius moderari impetus, & videre metas officii, nec extra has evagari, nec adpetere majora. Hæc diligentia aliqua ex parte in poteſtate noſtra eſt, & cum accedit invocatio Dei, valde utilis eſt. Tenebat Imperii *Romani* partem *Antonius* florentiſſimam, latè dominabatur, habebat opes majores quàm quiſquam Re-

gum

gum toto orbe terrarum nunc habet: his frui po-
terat ſecurus, non impediente *Octavio.* Sed dum
extra metas ſui muneris provehitur, ac ſolus uni-
verſum imperium concupiſcit, bellum non neceſ-
ſarium *Octavio* infert, in quo victus cum ſupplex
ab irato victore vitam impetrare non poſſet, ipſe
ſibi mortem conſciſcit, Hic fuit exitus belli, non
neceſſaria cauſa moti. Ita exagitantur apud *Ari-
ſtophanem* multi ambitioſi, inquieti, turbulenti,
πολυπράγμονες, leves, vertumni, inflectentes ſe ſub-
inde ad aliam partem, aut rixatores, moroſi, per-
tinaces, φιλονεικεῖς, veteratores, ſycophantæ, archi-
tecti pravorum conſiliorum, arte aliorum ani-
mos præparantes & occupantes. Tales ſunt *Cleon,
Paches, Alcibiades, Sthenelaidas, Antipho, Hyper-
bolus,* & multi alii. E contra laudantur juſti, mo-
derati, fugitantes non neceſſaria bella, conſtantes
in ſententiis honeſtis, condonantes multas inju-
rias publicæ tranquillitati, *Cimon, Nicias, Diodo-
tus,* & pauci alii.

Cùm autem ſemper in gubernatione civita-
tum ſimiles ſint alii bonorum alii malorum, quos
Comœdiæ deſcribunt, utile eſt, imagines utro-
rumque, virtutes, vicia, eventus, eventuum cauſas
diligenter conſiderare, ut commonefacti eligamus
juſta & moderata conſilia, nec accendi nos am-
bitione, iracundiâ, cupiditate vindictæ, avaritiâ
ſinamus, ut extra metas officii provehamur, aut
moveamus res injuſtas, aut non neceſſarias.

Nec tantum res conſiderentur, ſed etiam ora-
tionis lumina, quæ ſunt inſignia in harum imagi-
num deſcriptione. *Ut piſcatores,* inquit *Ariſto-
phanes, non capiunt anguillas, niſi prius agitato &
turbato ſtagno, Ita Cleon, quoties inconceſſam aliquam
utilitatem aucupatur, prius turbat civitatem.* Nam
injuſta obtineri non poſſunt, donec legum & ju-
diciorum autoritate audacia frenatur. Hic cir-
cumſpice animo, quoties, quàm multos hæc ætas
viderit, qui utilitatis ſuæ causâ Rempub. movere,
aut abolere judicia conati ſunt. Hæc collatio ad-
feret lucem Comœdiis, & oſtendet quo conſilio
ſcriptæ ſint.

Hunc eundem *Cleonem* pingit in concione ovi-
um, balænæ ſpecie præſidentem, & dictantem
ſententiam perterritis ovibus, ituris in ſuffragium.
Hæc imago mihi incurrit in oculos, quoties cogi-
to de Synodis, in quibus doctorum & piorum vox
terrore potentum oppreſſa eſt.

Hunc ipſum *Cleonem* alibi dicit alterum pedem
in caſtris, alterum in curia habere. Ita ſemper
multi ſunt & fuerunt profani, indocti, πολυπράγ-
μονες, qui alterum pedem in aulis, alterum in Ec-
cleſiaſtica concione habent, ac pariter leges fe-
runt de Imperiis & de doctrina. Harum figurarum
in Comœdiis animadverſio, ſimul & de vita ho-
minum multa monet, & conducit ad eloquentiam.
Poſſumus enim & hæc ipſa exempla ad præſentia
negotia aptè transferre, & his lectis multa ipſi ex-
cogitare ſimilia.

Fuit autem initio non ingrata *Athenis* hæc li-
bertas nominatim taxandi cives, ac virtus duce-
batur, quæ monebat potentes, ut populi judicia ve-
rerentur: deinde metu potentum ingenioſi homi-
nes præſertim in civitate ocioſa, in qua amiſſo im-
perio ſtudium virtutis languidius erat, & plus vo-
luptatum, & populus tranquillam ſervitutem ma-
gis amabat, quàm imperii gloriam, quæ ſine ma-
gnis laboribus, certaminibus & periculis retineri

A non poteſt, tranſtulerunt Comœdias ad privato-
rum, imò ad juvenum, meretricum & ſervorum
ludos, pericula, & inexpectatos caſus, qui cum
exitus ſunt læti, magna cum voluptate audiuntur.
Et tamen conſilium in deſcribendis perſonis idem
fuit in hac nova Comœdia, quod in veteri. Sed
tectè fictis nominibus & privatis perſonis poten-
tiores ſignificabantur, & miſcebantur conſilia de
omnibus vitæ partibus, ac tantum venuſtatis &
lepôris in *Menandri* fabulis fuit, qui autor eſt præ-
B cipuus novæ Comœdiæ, ut dixerint illo ſale con-
ſperſas eſſe, ex quo *Venus,* quam fingunt Mari or-
tam, nata dicitur. Cum autem eadem ætate mul-
ti *Athenis* in eodem genere ſcribendi elaborârint,
& egregia monumenta plurima reliquerint, ma-
gnopere dolendum eſt, ſeu hominum barbarie,
ſeu propter excidia urbium omnia funditùs inter-
iiſſe. Nam & ex *Latinis* utcunq; æſtimari poteſt,
quantum venuſtatis in *Græcis* fuerit, & fragmenta
ſunt elegantiſſima; Denique conſentaneum eſt,
C homines *Atticos* ingeniis & eruditione excellen-
tes, lepôre inter ſecertantes, cum & honos eſſet
huic ſtudio, & alii ab aliis tum excitarentur, tum
adjuvarentur, non inſulſos jocos, quales nunc ſunt
ſcurrarum aulicorum, in theatra attuliſſe, ſed ſapi-
enter excogitata argumenta, & varietate doctri-
næ, & orationis ſuavitate dulciſſimè ornata.

Poſtquam verò monumenta horum interie-
runt, reliquiis fruamur, *Plauti* & *Terentii* fabulis,
& has ſæpiùs legamus, cùm ut ſermonem *Lati-*
D *num* inde hauriamus, tùm verò ut morum & vo-
luntatum diſſimilitudines in perſonis conſidere-
mus. Aiunt *Antiphanem* Comicum *Alexandro*
Comœdiam recitantem, cum animadverteret
Regi, in quo urbanitas & elegantia ſumma erat,
ineptias aliquas diſplicere, dixiſſe, iis demum pla-
cere Comœdias, qui & ipſi commeſſatores eſſent,
& à mulierculis plagas accipere, & eis dare plagas
conſuevissent.

Naturâ quidem ita fit, ut maximè eorum ſeu
E ludorum ſeu ſtudiorum commemoratione mo-
veamur, quæ exercuimus. Sed in fabulis non tan-
tùm joci ſunt amatorii. Alia multa ſunt plena ſa-
pientiæ. Viderat *Alexander* in aula multos *Deme-
as, Phormiones, Gnathones.* Viderat in exercitu mul-
tos *Thraſones.* Uſitatum eſt autem nobis omnibus
à talibus interdum contumeliâ adfici. Horum
imagines in *Plauto* & *Terentio* propoſitas, diligen-
ter intueatur juventus, ut agnoſcere, odiſſe, & fu-
gere moroſos, rixatores, ſycophantas, ardeliones,
F arrogantes aſſentatores, quorum plenæ ſunt om-
nes civitates, diſcat. Nec *Terentius* ipſe, cum *De-
meam* & *Mitionem* conferret, cives obſcuros &
ignobiles mente intuebatur. Sed *Catonis* moroſi-
tatem irridebat, & *Lælii* ſeu *Scipionis* gravitatem
lenitate & ſuavitate temperatam laudabat. Ita
erit dulcior lectio Comœdiarum, cum vitam ho-
minum contemplabimur, & quorum pingantur
mores, animadvertemus.

Interim & hoc proderit juvenibus, videre, ubi
G à factis vulgaribus oratio ad Theſes & graviſſi-
marum rerum doctrinas tranferatur. Queritur
ſervus apud *Plautum,* non reddi mutuum. Inde
quam Tragicam querelam extruit, de legum &
bonorum morum contemtu?

Mores, leges perduxerunt jam in poteſtatem ſuam:
Ea miſera etiã ad parietem ſunt fixa clavis ferreis,
Vbi malos adfigi nimio fuerat æquius.

De re magna concionatur ſervus, & tamen jocus eſt admixtus comicus, de figendis ad parietem hominibus improbis. Hæc commemoravi, ut adoleſcentes commonefacti de conſiliis, quare primum ſcriptæ Tragœdiæ & Comœdiæ, & de earum utilitate libentiùs eas & ſæpiùs legant. Promitto etiam eis hoc eventurum, ut quò legent ſæpius, eò magis admiraturos & amaturos, & lecturos eas avidiùs. Bene vale. Calend. Januarii. M.D.XLV.

Epiſtola complectens commendationem Muſicæ.

Ep. 133. TOtum opificium hominis plenum eſt ingentium miraculorum, quæ non ſolùm acie humanæ mentis penetrari, ac penitùs cognoſci non poſſunt, ſed ne quidem numerari omnia queunt. Miranda eſt ſenſuum extructio, ſed in mente & cerebro cogitatio, formatio imaginum, ratiocinatio, judicium, memoria, notitiæ inſitæ, & indices rectè ac ſecus factorum, dolor cordis vindex ſcelerum, ſunt admirabiliora. Hæc fieri ſcimus: Quomodo fiant ſpirituum & cerebri congruente motu, non perſpicimus: Sed ſic condita ſunt omnia, ut ſciamus banc rerum naturam non caſu ex *Democriti* atomis confluxiſſe, ſed magno conſilio & ſumma arte ab architecto immenſæ potentiæ, ſapientiæ & bonitatis, extructam eſſe. Teſtimonium igitur de Deo eſt hoc totum ædificium, in quo etiam ſingulare opus eſt, ſenſus harmoniarum. Cerebrum, mens, cor, ſuaviter adficiuntur vocum conſonantiis, & ad varios adfectus traducuntur, ad placidos & turbulentos motus, ad lætitiam & mœſtitiam, ut *Alexander* Muſico bellicum canente, tanquam præliaturus exiliebat, & eodem remittente melodiam, reſidebat tacitus. Hæc ita fieri ſentimus. Cur vocum percuſſio in cerebro, mente & corde, tantam vim habeat, non ſcimus, ſed agnoſcamus ſic à Deo conditam eſſe hominum naturam, nec fortuitas eſſe vocum conſonantias, ſed certis metis harmonicæ proportionis contineri, in qua ſingularis eſt ſapientia. E Multiplex uſus eſt *Arithmeticæ* proportionis, & in *Phyſica* & in contractibus, ut in nutritione tantum transformatur, quantum aſſumere & coquere natura potuit, & in contractibus ſi libra una ceræ valeat una drachma, decem libræ valebunt decem drachmis. Hic uſus *Arithmeticæ* proportionis manifeſtus eſt, cui vetuſtas dixit ſimilem eſſe Democratiam, in quâ leguntur Magiſtratus ex omnibus ſine diſcrimine generis, opum & induſtriæ. Latè etiam patet uſus *Geometricæ* proportionis, ut in artibus & officiis, ubi & perſonarum & artium fit collatio, ut ſicut ad imperium *Caſtrenſe* idoneus eſt *Scipio*, ſic idoneus eſt *Lelius* ad ſenatoriam gubernationem. Hîc & perſonæ & numeri diſcernuntur gradibus. Quare huic proportioni vetuſtas comparavit Ariſtocratiam, in qua anteferuntur antecellentes induſtriâ in quolibet genere & meritis, cæteri negliguntur: Ac *Plato* dixit, beatam eſſe hominum vitam, ubi in gubernatione, vel exiguum *Geometricæ* proportionis Deus imperiis tribuit. Ut ſi *Themiſtocles* ignarus *Muſicæ* ſit Senator, *Timotheus* vero *Muſicus* doceat *Muſicam*. Horum graduum diſtinctio ſalutaris eſt vitæ, ut omnes ſani intelligunt. Quam cum non obſervet Democratia, quæ ſine diſcrimine ex omnibus eligit *Muſicos*, ex nautis & cerdoni-

A bus, manifeſtum eſt, hanc æqualitatem perniciosam eſſe. At extra has Harmonias, ubi conſpici in *Phyſica*, aut in contractibus, aut in moribus uſus Harmonicæ proportionis poteſt? Vix invenio exempla. Vetuſtas ad Oligarchiam contulit; ut enim concurſus eſt numerorum, quorum non eſt ſimilis proportio inter ſeſe, ut 6.4.3. & tamen differentiarum ſimilis eſt proportio: ita in Oligarchia concurrunt gubernatores diſſimiles genere, opibus, induſtriâ, meritis, quorum tamen eadem
B eſt autoritas, & ut ita dicam, conſonantia. Mihi videtur concinnius accommodari ad Eccleſiam, in qua non eſt concurſus ſine diſcrimine omnium honeſtorum & ſceleratorum, qui tales manent. Nec electio fit *Geometricâ* proportione ex virtute & meritis; Sed valet ibi dulciſſima Harmonia *Muſica*, quia concurſus eſt diſſimilium, honeſtorum & deformium, *Joſeph*, *Davidis* & Latronis in cruce. Sed hi ſic concurrunt, ut ſit proportio conſentiens differentiarum, videlicet con-
C ſonantia in agnitione Filii Dei ac fide. Hæc ſi quis diligentiùs conſiderabit, animadvertet, in quolibet genere proportionum, admirandam ſapientiam proponi. *Phyſica* plurimùm requirunt *Arithmeticam* æqualitatem: Gubernatio humana *Geometricam*. In Eccleſia conſpicitur Harmonica. Præcipuè enim Deus *Muſicam* generi humano ideo attribuit, ut cantu comprehenderetur, & aliis traderetur vera doctrina de eſſentia & voluntate Dei, ſimul ut memoria extenderetur, quia canti-
D lenarum diuturnior eſt memoria, & ut adfectus doctrinæ congruentes excitarentur, ideo ſemper in Templis veræ Eccleſiæ, & retenta eſt *Muſica*, & culta eſt. Itaque & proportionem ipſam Harmonicam, voluit imaginem eſſe collectionis Eccleſiæ ex concurſu diſſimilium numerorum, quorum tamen ſit in fide conſonantia. Deinde & aliæ ſunt congruentiæ. Ut autem Deus vult cæteras artes Eccleſiæ utiles à gubernatoribus foveri, ita vult & *Muſica* ſtudia ab eis conſervari.

Iohanni Pfefferkorn Militi S.D.

IN omnibus humanis actionibus ſit prima deliberatio, an hoc quod agimus Deo placeat, quia ſcriptum eſt, *In præceptis meis ambulate*. Item, *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*. Deinde, cum ſcimus Deo opus placere, ſerviamus Deo juxta vocationem, & eum invocemus, & petamus, *Ep.* 134.
F ut ipſe nos gubernet, & det ſalutares eventus, juxta dictum *Pſalmi*: *Commenda Deo viam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet*; Hæc regula vitæ & actionum ſemper omnibus nota ſit. Quòd autem militia in cauſis juſtis ſit opus ſuo genere bonum, firmiſſima teſtimonia multa à Deo eradita ſunt. Approbat Deus politicum ordinem, Magiſtratus, Imperia, judicia, legitimam executionem & defenſionem, *Rom.* 13. Hæc executio & defenſio eſt militia. Et *Rom.* 13. expreſſè dicitur, *Magiſtratus*
G *eſt Miniſter Dei, tibi ad bonum, ſin autem malè facies &c. Non enim fruſtra gladium gerit, Dei enim miniſter eſt, vindex ad iram malefacienti.* Et miles eſt manus juſti Magiſtratus. Poſtquam conſcientia rectè erudita eſt, & ſcit militiam Deo placere, cogitet miles, ſe debere eſſe non ſolùm ſui Magiſtratus, ſed etiam Dei miniſtrum; Rectè agnoſcat Deum, & Mediatorem Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*,

Chriſtum, & rectè invocet eum fide & fiducia Mediatoris, & obediat Deo, juxta decem Præcepta rectè intellecta, ſerviat in ſua vocatione fideliter, protegat ſuos, non lædat innocentes, fœminas, impuberes, ſit caſtus, vel maritus caſtus, non rapiat res eorum, quos defendere debet. Talis miles fuit Deo placens *Cornelius* Centurio, de quo dicitur Act. 10. Et tales milites Deo placere & eſſe hæredes vitæ æternæ certum eſt. Memento dicti: *Milita bonam militiam, habens fidem & bonam conſcientiam.*

Precatio.

O*Mnipotentes, æterne, vive & vere Deus, æterne & unice Pater Domini noſtri* Jeſu Chriſti, *conditor cœli & terræ, & hominum, unà cum Filio tuo Domino noſtro* Jeſu Chriſto, *& Spiritu ſancto, ſapiens, bone, miſericors, caſte, judex, verax & liberrime, qui dixiſti,* Vivo ego, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat: *Confiteor tibi me miſerum peccatorem eſſe, & doleo quòd te offendi. Oro autem, miſerere mei, & remitte mihi omnia peccata, & juſtifica me per & propter* Jeſum Chriſtum *Filium tuum, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, quem voluiſti pro nobis eſſe victimam & Mediatorem, & ſanctifica me Spiritu tuo ſancto, vivo, caſto & veraci, rege & protege me. Rege & ſerva tuam Eccleſiam, & politias, quæ ſunt hoſpitia tuæ Eccleſiæ. Rege Principes noſtros & Conſiliarios eorum, da pia & ſalutaria regimina, & piam & ſalutarem pacem. Ale Eccleſiam tuam, & fac me organum ſalutare, & vas miſericordiæ, & non ſim vas iræ. Oro te omnipotens & vere Deus, exaudi me propter Dominum noſtrum* Jeſum, *qui dixit*, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Item:* Petite & accipietis.

Ad Mediatorem.

O*Mnipotens Fili Dei, Domine* Jeſu Chriſte, *crucifixe pro nobis & reſuſcitate, Imago æterni Patris*, Emanuel *dilectiſſime, quem invocârunt patres noſtri*, Abraham, Iſaac, Jacob, Moyſes, David, Baptiſta, Paulus, *qui dixiſti*, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos, *Miſerere mei, & intercede pro me apud æternum Patrem tuum, & ſanctifica & rege me Spiritu ſancto tuo, & protege me, ſicut dixiſti:* Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. *Rege & ſerva Eccleſiam tuam, & politias, quæ hoſpitia ſunt Eccleſiæ tuæ, da pia & ſalutaria regimina*, Amen.

Epiſtolæ contrariæ: una Pici pro barbaris Philoſophis; altera pro Hermolao Barbaro, ſcripta à Philippo Melanthone, quæ reſpondet Pico.

Iohannes Picus Mirandula Hermolao Barbaro ſuo, S. D.

Ep. 135. EGo quidem, mi *Hermolae*, nec poſſum aut tacere quæ de te ſentio, aut non ſentire ea quæ de illo debeant, in quo omnia veluti ſingula ſumma reperiantur. Sed utinam eſſet is meæ mentis captus, ut pro meritis tuis de te ſentirem; utinam ea dicendi vis, ut exprimere aliquando poſſem quod ſemper ſentio, ſcio quæ de te concepi,

A infinitum ſubſidere infra faſtigia doctrinæ tuæ, ſcias & tu quæcunque loquimur, minora eſſe iis quæ concipimus, tam deeſſe ſcias animo verba, quàm rebus animus deeſt. Et tamen ita me audere credis, ut ſperem poſſe imitari tua, quorum nec magnitudinē æſtimare poſſum. Admirari te poſſunt omnes, imitari tam pauci poſſūt, quàm nemo reprehendere. Et utinam ea mihi felicitas, ut quæ ſcribam, *Hermolaum* meum aliqua ex parte imaginentur. Ipſe enim (ut taceam cætera) ſtylus tuus, B cui tu adeo malè faves, mirum quantum me afficiat atque delectet, ita eſt doctus, gravis, compoſitus, eruditus, excuſſus, ingenioſus, in quo nihil expoſitum, nihil vulgatum, nihil ſit triviale, ſeu verba, ſeu ſententias ſpectes. Legimus ſæpe ego & noſter *Politianus*, quaſcunque habemus tuas, aut ad alios, aut ad nos Epiſtolas, ita ſemper prioribus certant ſequentia, & novæ fertiliter inter legendum efflorеſcunt *Veneres*, ut perpetuâ quâdam acclamatione interſpirandi locum non habeamus. C Sed mirum dictu, quàm perſuadeas, & legentis animum, quocunque velis impellas. Expertus ſum ego, cùm ſemper aliàs, tùm hac proximâ tuâ ad me Epiſtolâ, in qua dum barbaros iſtos Philoſophos inſectaris, quos dicis haberi vulgo ſordidos, rudes, incultos, quos nec vixiſſe viventes, nedum extincti vivant, & ſi nunc vivant, vivere in pœnam & contumeliam; ita *Hercules* ſum commotus, ita me puduit, piguitque ſtudiorum meorum, (jam enim ſexennium apud illos verſor) D ut nihil minùs me feciſſe velim, quàm in tam nihili facienda re, tam laborioſè contendiſſe. Perdiderim ego, inquam, apud *Thomam, Joannem Scotum*, apud *Albertum*, apud *Averroem* meliores annos, tantas vigilias, quibus potuerim in bonis literis fortaſſis nonnihil eſſe. Cogitabam mecum, ut me conſolarer, ſi qui ex illis nunc reviviſcant, habituri nè quicquam ſint, quo ſuam cauſam argumentoſi alioqui homines ratione aliquâ tueantur. Demum ſuccurrit ex ipſis quempiam paulò E facundiorem, ſuam barbariem, quàm poterit minimè barbarè, hunc in modum fortaſſe defenſurum. Viximus celebres, ô *Hermolae*, & poſt vivemus, non in ſcholis Grammaticorum, & pædagogiis, ſed in Philoſophorum coronis, in conventibus ſapientum, ubi non de matre *Andromaches*, non de *Niobes* filiis, atque id genus levibus nugis, ſed de humanarum divinarumque rerum rationibus agitur & diſputatur; in quibus meditandis, inquirendis & enodandis, ita ſubtiles, acuti F acréſq; fuimus, ut anxii quandoque nimium & moroſi fuiſſe fortè videamur, ſi modò eſſe moroſus quiſquam aut curioſus nimio plus in indaganda veritate poteſt. Atque in his quidem ſi quis nos arguat hebetudinis & tarditatis, age amabò quicunque is eſt, pedem conferat, experietur habuiſſe barbaros, non in lingua, ſed in pectore *Mercurium*, non defuiſſe illis ſapientiam, ſi defuit eloquentia, quam cum ſapientia non conjunxiſſe, tantum fortaſſe abeſt à culpa, ut conjunxiſſe G ſit nefas. Quis enim cincinnos, quis fucum in proba virgine non damnet? Quis in Veſtali non deteſtetur? Tanta eſt inter Oratoris munus & Philoſophi pugnantia, ut pugnare magis invicem non poſſint. Nam quod aliud Rhetoris officium quàm mentiri, decipere, circumvenire, præſtigiari? Eſt enim veſtrum, ut dicitis, poſſe pro arbitrio in candida nigrum vertere, in nigra candidum,

didum, poſſe quæcunque vultis tollere, abjicere,
amplificare, extenuare dicendo, demum res ipſas
magicis quaſi, quod vos jactatis, viribus eloquen-
tiæ, in quam libuerit faciem, habitúmq; transfor-
mare, ut non qualia ſunt ſuopte ingenio, ſed qualia
volueritis non fiant quidem, ſed cum non ſint,
eſſe tamen audientibus appareat. Hoc totum eſt
nequicquam aliud, quàm merum mendacium,
mera impoſtura, merum præſtigium, cum à natu-
ra rei ſemper vel augendo excedat, vel minuendo
deficiat, & fallacem verborum concentum, veluti
larvas & ſimulacra prætendens, auditorum animos
blandiendo ludificet. Erit nè huic cum Philóſopho
affinitas, cujus ſtudium omne in cognoſcenda &
demonſtranda cæteris veritate verſatur? Adde
quòd nobis nulla erit fides, lautitias vocum, &
Veneres affectantibus, quaſi rebus parum fidentes,
nec vero niti trahere in ſententiam his lenoci-
niis homines quæramus. Eſt ob hanc cauſam le-
gere res ſacras ruſticè potiùs, quàm eleganter
ſcriptas, quod nihil ſit magis dedecens, & noxi-
um in omni materia, in qua de vero cognoſcendo
agitur, quàm univerſum illud dicendi genus ela-
boratum. Hoc forenſium eſt quæſtionum, non
naturalium atque cœleſtium. Non eſt eorum qui
in Academia, ſed qui Repub. illa verſantur, in
qua quæ fiunt quæque dicuntur populari trutinâ
examinentur, apud quem flores fructibus longè
præponderant. Non neſcis illud? non omnibus
omnia pari filo conveniunt? Eſt elegans res, fa-
temur hoc, facundia, plena illecebræ, & volupta-
tis; ſed Philoſophis nec decora nec grata. Quis
mollem inceſſum, argutas manus, ludibundos
oculos in hiſtrione & ſaltatore non probet? In
cive, in Philoſopho, quis non improbet, arguat,
abominetur? Si puellam viderimus moribus lepi-
dam, atque dicaculam, laudabimus, exoſculabi-
mur. Hæc in matrona damnabimus & perſeque-
mur. Non ergo nos, ſed illi inepti, qui ad pedes
Veſtæ agunt Bacchanalia, qui gravitatem Philo-
ſophicarum rerum, & caſtitatem ludicris veluti,
& calamiſtris dehoneſtant. Profectò quod *Syneſius*
de adoleſcente, de oratione dici commodè poteſt,
comatam orationem ſemper cinædam. Quare nos
noſtram malumus hirtam, globoſam, inexpedi-
tam, quàm cum impuritatis, vel notâ, vel ſuſpicio-
ne bellè comatam. Alioqui *Palladis* peplum non
revelaret, ſed à ſacris uti profana repelleretur.
Et ut nihil ſint reliqua, hoc eſt veriſſimum, nihil
eſſe diverſum magis ab inſtituto Philoſophi,
quacunque in re, quàm quod luxum, aut faſtum
aliqua ex parte ſapit. *Sicyonios* calceos habiles,
aptóſque ad pedem dicebat *Socrates*, ſed *Socrati*
non convenire. Omnino non eadem ratio civilis
habitus & Philoſophici, ſicut neque menſæ neque
ſermonis. Utitur his Philoſophus duntaxat ad
neceſſitatem, utitur civilis homo etiam ad grà-
tiam, quam & hic ſi neglexerit, non civilis, & ille
affectaverit, non erit Philoſophus. Si poſſet *Pytha-
goras* vivere ſine cibo, oleribus etiam parceret,
ſi ſua ſenſa aſpectu, aut demum minore, quàm ſer-
monis opera explicare, omnino non loqueretur,
tantum abeſt, ut linguam poliat, & exornet.
Quod vel ob id cavendum nobis, nè illectus
cute medicatâ, lectorem demoretur ad eam & ad
medullam, & ſanguinem non pervadat, quem
ſubeſſe ſæpè ceruſſato ori infectum vidimus. Vi-
dimus inquam in hiſce omnibus, quibus propterea
A uſu venit, cum nihil ſit intus non inane & vanum,
detinere lectorem in prima facie modulatu vario
atque concentu. Quod ſi fecerit Philoſophus, cla-
mabit *Muſonius*, *Non Philoſophum loqui, ſed tibi-
cinem canere*. Non ergo nobis vitio dent id non
feciſſe, quod feciſſe vitium erat; Quærimus non
quidnam ſcribamus, non quærimus quomodo,
imò quomodo quærimus, ut ſcilicet ſine pom-
pa, & flore ullo orationis, quam nolumus ut de-
lectabilis, venuſta & faceta ſit, ſed ut utilis, gravis,
B & reverenda, & majeſtatem potiùs ex horrore,
quàm gratiam ex mollitudine conſequatur. Non
expectamus theatri plauſum, quòd aures demulſe-
rit æquabilis clauſula, vel numeroſa, quòd hoc ſit
ſalſum, illud ſit lepidum: Sed expectamus paucorũ
potiùs præ admiratione ſilentium, introſpicienti-
um penitus aliquid, aut de naturæ adytis erutum,
aut de *Jovis* aula ad homines adductum, tum vel
aliquid ita argutum ut defendendi, ita defenſum ut
arguendi non ſit locus. Admirentur præterea nos
C ſagaces in inquirendo, circumſpectos in explo-
rando, ſubtiles in contemplando, in judicando
graves, implicitos in vinciendo, faciles in eno-
dando. Admirentur in nobis brevitatem ſtyli,
fœtam rerum multarum atque magnarum, ſub
expoſitis verbis remotiſſimas ſententias, plenas
quæſtionum, plenas ſolutionum, quàm apti ſumus,
quàm bene inſtructi ambiguitates tollere, ſcrupos
diluere, involuta evolvere, flexanimis ſyllogiſmis
& infirmare falſa, & vera confirmare. His titulis,
D ô *Hermolae*, vindicavimus huc uſque, & vindica-
turos poſthac ab oblivione memoriam noſtram
non dubitamus. Quòd ſi vulgò (ut dicis) habemur
ſordidi, rudes, inculti, hoc nobis ad gloriam eſt,
non ad contumeliam. Vulgo non ſcripſimus, ſed
tibi, & tui ſimilibus. Nec aliter quam priſci ſuis
ænigmatibus & fabularum involucris, arcebant
idiotas homines à myſteriis, & nos conſuevimus
abſterrere illos à noſtris dapibus, quas non polluere
non poſſent amariori paululum cortice verborum.
E Solent & qui Theſauros occultare volunt, ſi non
datur ſeponere, quiſquiliis integere, vel ruderibus,
ut prætereuntes non deprehendant, niſi quos ipſi
dignos eo munere judicaverint. Simile Philoſo-
phorum ſtudium celare res ſuas populum, à quo
cum non probari modò, ſed nec intelligi illos
deceat, non poteſt non dedecere, habere aliquid,
quæ ipſi ſcribunt, theatrale, plauſibile, populare,
quod demum multitudinis judicio accommoda-
re ſe videatur. Sed vis, effingam Ideam ſermo-
F nis noſtri, ea eſt ipſiſſima, quæ *Silenorum* noſtri
Alcibiadis. Erant enim horum ſimulacra hi-
ſpido ore, tetro & aſpernabili, ſed intus plena
gemmarum, ſupellectilis raræ & precioſæ; ita
extrinſecus ſi aſpexeris, feram videas, ſi intro-
ſpexeris numen agnoſcas. At inquies; non fe-
runt aures nunc aſperam, nunc hiulcam, ſemper
inconſonam texturam: Non ferunt barbara
nomina, ipſo etiam penè timenda ſono. O de-
licate, cum accedis choraulos & citharœdos, pone
G te in auribus: cum verò Philoſophos, avoca à ſen-
ſibus, redeas ad teipſum in animi penetralia, men-
tiſque receſſus. Aſſume illas *Tyanei* aures, quibus,
cum omnino non erat in corpore, non terreſtrem
Marſyam, ſed *Apollinẽ* cœleſtẽ, divina cithara uni-
verſum melos ineffabilibus temperantem modis
exaudiebat. His auribus Philoſophorum verba
ſi delibaveris, mellea tibi ad *Neſtoris* invidiam
eſſe

eſſe videbuntur. Sed hæc ſinamus nimio plus aſ- A
ſurgentia: profectò faſtidire in Philoſopho ſubti-
liſſimè diſputante minus concinnam elocutionem,
noo tam delicati ſtomachi eſt, quam inſolentis.
Neqoe eſt aliter, ac ſi quem in *Socrate* de moribus
docerte offendat, aut laxus calceus, aut toga diſſi-
dens, & ſectum pravè ſtomachetur ob unguem.
Non deſiderat *Tullius* Eloquentiam in Philoſo-
pho, ſed ut rebus & doctrinâ ſatisfaciat. Sciebat
tam prudens quam eruditus homo, noſtrum eſſe
componere mentem potiùs, quam dictionem: cu- B
rare oè quid aberret ratio non oratio, attioere ad
nos ἐν διαλέκτῳ λόγων, non attinere τῇ ἐν πράξει.
Laudabile io nobis habere Muſas io animo, &
nou in labris, oè quid io illo vel per iram ſonent,
vel per libidinem enervatius. Denique, oè qua
ſit diſcors à genuina ipſa quâ temperatus eſt mo-
dulabiluer harmonia, quam *Plato* cum intelligeret
Theatrali iſta & Poëtarum ſæpè corrumpi, à Re-
publica ſua Poëtas omnes eliminavit, gubernan-
dam autem Philoſophis reliquit, mox certè ſi per C
laſciviam differendi Poëtas fueriot imitati, exilio
coodemoandis. At ioſtabit *Lucretius*, etſi non e-
geant per ſe Philoſophiæ commendationes amœ-
oitate d cendi, per ejus tameo adhibitionem
diſſimulandam eſſe ipſarum rerum auſteritatem.
Sicut abſynthia per ſe pellunt morbos, melle ta-
men illinuntur, ut puerorum ætas improvida lu-
dificetur: hoc forte tibi facieudum erit, *ô Lucreti*,
ſi pueris ſcribebas tua, ſic vulgo faciendum, uti-
que tibi, qui oou abſynthia modò, ſed meraciſſi- D
ma toxica propinares. Sed longè alia nobis ha-
benda ratio, qui vulgus, ut aote diximus, non al-
lectare quærimus, ſed abſterrere, nec tetra Ab-
ſynthia, ſed Nectar propinamus. Sed contendet
Lactantius, ſatis conſtare in auditorum aoimos
vel ſeniorum influere potentiùs veritatem, & vi
ſuâ iuſtructam, & luce orationis ornatam. Si fuiſ-
ſes, *ô Firmiane* tam frequens in ſacris literis, quàm
io fictis litibus fuiſti, & hoc non dixiſſes, & no-
ſtra noo minus bene fortaſſe confirmâſſes, quàm E
deſtruxeras aliena. Dic quæſo quid movet fortius
& perſuadet, quàm ſacrarum lectio literarum?
Non movent, non perſuadent, ſed cogunt, agi-
tant, vim inferunt legis rudia verba & agreſtia,
ſed viva, ſed aoimata, flammea, aculeata, ad i-
mum ſpiritum penetrantia, hominem totum po-
teſtate mirabili transformantia. *Periclis* oratio-
nibus elaboratis, & luculentis oihil ſe commo-
veri inquit *Alcibiades*, ſed *Socratis* verbis oudis
& ſimplicibus addit, etiamſi ſint inepta, rapi io F
furorem, extra ſe poni, & velit oolit faciendum
ei, quod ille præceperat. Sed quid perdo verba in
re confeſſâ, ſi noo deſipit auditor, à fucato ſer-
mone, quid ſperat aliud, quàm inſidias? Tribus
maximè perſuadetor, vitâ dicentis, veritate rei,
ſobrietate orationis. Hæc ſuot, Lactant, quæ Phi-
loſopho fidem conciliant, ſi boous fuerit, ſi veri-
dicus, ſi id genus dicendi appetens, quod non ex
amœois Muſarum ſylvis, ſed ex horrendo fluxe-
rit antro, in quo dixit *Heraclitus* latitare verita- G
tem. At dicet quiſpiam, Age amice, examinemus
hæc depoſitâ contentione. Reverendum quod-
dam, & per ſe divinum eſt ſapientia, nec exotico
quoquam eget ornatu: ſed quæ invidia & hunc
accedere? Quis negat, quæ per ſe decent, ſi ador-
nentur fieri decentiora? Ego amice hoc in pleriſ-
que nego, adeò multa ſunt, quorum ſplendorem,

A ſi quid adjunxeris, elumines & non illuſtres. Ita
ſunt ſcilicet ſuâ naturâ io optimo ſtatu, ut demu-
tari ab illo niſi io pejus noo poſſint. Marmorea
domus picturam nou recipit, niſi opus albarium
ſuperinduxeris, demas de dignitate, de pulchri-
tudine. Non aliter & ſapientia & quæ tractantur
à Philoſophis tectorio non clareſcunt, ſed offuſ-
cantur. Quid plura? Nónne vulgatum eſt, Bonas
formas ceruſsâ devenuſtari? In univerſum quic-
quid pulchri ſemper imponas, celat quod invenit,
B quod affert ſecum illud oſtentat. Quare ſi quod
prius fuerat adveotitio præſtat, jacturam fecerit
illud quicquid eſt, non lucrum. Ob eam cauſam
nudam ſe præbet Philoſophia, undique conſpi-
cuam, tota ſub oculos, ſub jodicium venire geſtit,
ſcit ſe habere, unde tota undique placeat. Quan-
tum de ea velis, tantum de laude minuas, ſince-
ram & inpermiſtam ſe haberi vult, quicqoid ad-
miſceas infeceris, adulteraveris, aliam feceris, ſtat
puncto iuſectili, & individuo. Quapropter nec
C ludendum tropis, nec verbis aut oimiis luxuri-
andum, aut tranſlatis laſciviendum, aut factitiis
audendum, io re tam ſeria, tanti diſcrimiois, in
qua demere, addere, demutare ſit flagitium. At
inqoies, Age, damus hoc vobis, ut noo ſit ve-
ſtrum ornatè loqui, ſed veſtrum eſt certè, quod
nec præſtatis, ut *Latinè* ſaltem, ut ſi non floridis,
ſuis tamen verbis res explicetis. Non exigo à vo-
bis orationem comptam, ſed nolo ſordidam, nolo
unguentatam, ſed nec hircoſam. Non ſit lecta, ſed
D nec neglecta. Non quærimus ut delectet, ſed que-
rimur quod offendit. Bene habet, jam ſcilicet ad
nos deficis. Sed amabò cognoſcamus, quæ iſtæc
ſit *Latinitas*, quam ſolam dicitis debere Philoſo-
phos, & oon perſolvere, ſi dicendo incurrat. Ex-
empli causâ, à ſole hominem produci, cauſari ho-
minem noſtrates dicuot. Clamabis actutum, *Hoc
non eſt Latinum*; huc uſque verè: *Non eſt Romanè
dictum*, hoc vero verius, *igitur non rectè*. Peccat
argumentum. Dicet *Arabs* eandem rem, dicet
E *Ægyptius*, non dicent *Latine*, ſed tamen rectè:
Aut enim nomina rerum arbitrio cooſtant, aut
natura, ſi fortuito poſitu, ut ſcilicet communione
hominum in eandem ſententiam conveniente, quo
ſanxerit unumquodque nomine appellari, ita a-
pud eos rectè appelletur, quid prohibet hoſce Phi-
loſophos, quos ouncupatis barbaros, conſpirâſſe
io unam dicendi normam, apud eos non ſecus ſan-
ctam, ac habeatur apud vos *Romana*? Illam cur
rectam non appelletis, appelletis veſtram nulla eſt
F ratio, ſi hæc compoſitio nominum tota eſt arbi-
traria. Quòd ſi dignari illam *Romana* nominis ap-
pellatione non vultis, *Gallicam* vocetis, *Britannicam*,
Hiſpanã, vel quod vulgares dicere ſolent, *Pariſienſẽ*.
Cum ad nos loquẽtur continget eos pleraq; rideri,
pleraq; non intelligi. Idem accidet vobis apud eos
loquentibus, Ἀνάχαρσις παρ' Ἀθηναίοις σολοικίζει, Ἀθη-
ναῖοι δὲ παρὰ Σκύθαις, Id eſt, *Anacharſis apud Athe-
nienſes ſolœciſmum facit, Athenienſes apud Scythas.*
Quod ſi nomioum rectitudo pendet ex natura re-
G rum, debemus ne Rhetores, an Philoſophos, qoi
rerum omuium naturam, ſoli perſpectam habent
& exploratam, de hac rectitudine cooſulere? For-
téque aures reſpuunt utpote aſperula,. acceptat
ratio utpote rebus cognatiora. Sed quid oportoit
novare eos linguam, & ſi nati erant inter *Latinos*,
non *Latinè* loqui? Non poterant illi, *ô Hermolaë*,
dum legebant in cœlo fatorum leges, eventorum

notas, ordinem univerſi, legebant in elementis naſcendi vices, & obeundi, ſimplicium vires, miſtorum temperaturas: non poterant, inquam, eodem tempore in *Cicerone*, in *Plinio*, in *Apuleio*, *Romanæ* linguæ proprietates, leges, obſervantias annotare. Quærebant quid abhorrens, quid receptum in natura, quid a *Romanis* interea, non curabant. Verum enimvero jam te loco meliore ſtatuo. Do tibi eloquentiam, & ſapientiam mutuo nexu invicem conſpirâſſe. Abjunxerunt Philoſophi ſapientiam ab eloquentia, abjunxerunt Hiſtorici, Rhetores, Poëtæ, quod deflet *Philoſtratus*, eloquentiam à ſapientia. Hos tu victuros, celebri famâ minimè dubitas: illos non niſi in pœnam & contumeliam; vide quid agas, indifertam mavult *Cicero* prudentiam, quam ſtultam loquacitatem. Non quærimus in pecunia, quâ monetâ percuſſa ſit, ſed quâ materiâ conſtet. Nec eſt qui purum aurum non malit habere ſub nota *Teutonum*, quàm ſub *Romano* ſymbolo factitium. Peccant qui diſſidium cordis & linguæ faciunt, ſed quid excordes totâ ſunt linguâ, nónne ſunt mera (ut ait *Cato*) mortuaria, gloſſaria? Vivere ſine lingua poſſumus, fortè non commodè, ſed ſine corde nullo modo poſſumus. Non eſt humanus qui ſit inſolens politioris literaturæ, Non eſt homo qui ſit expers Philoſophiæ. Prodeſſe poteſt infantiſſima ſapientia. Inſipiens eloquentia, ut gladius in furentis manu, non obeſſe maximè non poteſt. Ergo inquies, & ſtatuæ non à figura, ſed è materia commendantur. Etſi *Chærilus* eadem quæ *Homerus*, & de iiſdem *Mævius*, ac *Virgilius* cecinissent, futurum erat, ut æquè illi atque iſti inter Poëtas reciperentur. Nónne vides diſpatilitatem ſimilitudinis? Illud & nos aſſeveramus, à ſpecie rem æſtima, non ex ſubjecto. Eſt enim à ſpecie res id quod eſt. Sed aliâ ſpecie quiſquam inter Philoſophos, aliâ inter Poëtas recipiendus. Scribat *Lucretius* de Natura, de Deo, de Providentia, ſcribat de eiſdem ex noſtris quiſquam, ſcribat *Joannes Scotus*, & quidem carmine, ut ſit ineptior. Dicet *Lucretius* rerum principia, Atomos & vacuum, Deum corporeum rerum noſtrarum inſcium, temerè omnia fortuito occurſu corpuſculorum ferri: ſed hæc *Latinè* dicet & eleganter. Dicet *Joannes*, quæ naturâ conſtant, ſuâ materiâ ſpecièque conſtitui, eſſe Deum ſeparatam mentem, cognoſcentem omnia, omnibus conſulentem, nec propterea, quod univerſa etiam infima videat, ac moderetur è ſua pace nimium dimoveri, ſed quod dici ſolet [illegible]. At dicet inſulsè, ruditer, non *Latinis* verbis. Quæſo quis in dubium revocet tam rectiùs *Scotum* Philoſophari, quàm ille loquitur ornatiùs? Sed vide quid differant, huic os inſipidum, illi mens inſipiens; hic Grammaticorum, nè Poëtarum dicam decreta neſcit, ille Dei atque naturæ; hic infantiſſimus dicendo ſentit ea, quæ laudari dicendo ſatis non poſſunt, ille fando eloquentiſſimus loquitur nefanda.

Hæc illi fortaſſe afferent, *Hermolaë*, chariſſ. in defenſionem ſuæ barbariæ, aut quâ ſunt ſubtilitate, multò fortaſſe meliora, quorum ſententiæ nec ego planè accedo, nec ingenuo cuiquàm & liberali accedendum puto. Sed exercui me libenter in hac materia, tanquam in ſami, ut qui quartanam laudant, cum te ingenium periclitarer, cum hoc conſilio, ut veluti *Glauco* ille apud *Platonem* injuſtitiam laudat, non ſeriò, ſed ut ad laudes juſtitiæ *Socratem* extimulet. Ita ego ut eloquentiæ cauſam à te agi audiam, in eam licentiùs repugnante pauliſper ſenſu, atque naturâ invectus ſum, quam ſi vel negligendam à Barbaris exiſtimarem, non ab illis ad eam, quod nuper feci, ad *Græcas* literas, ad tuum nunquam ſatis laudatum *Themiſtium* penè totus defeciſſem. Quamvis dicam liberè, quod ſentio, movent mihi ſtomachum Grammatiſtæ quidam, qui cum duas tenuerint vocabulorum origines, ita ſe oſtentant, ita venditant, ita circumferunt jactabundi, ut præ ſe ipſis pro nihilo habendos Philoſophos arbitrentur. Nolumus, inquiunt, haſce veſtras Philoſophias. Et quid mirum, nec *Falernum* canes: ſed nos hoc fine Epiſtolam claudamus: ſi decus aliquod, nomenque ſibi promeruerunt Barbari illi, ſolâ rerum cognitione, non eſſe facile dictu, quem locum, quid laudum tu tibi vendices, qui ſis intra Philoſophos eloquentiſſimus, inter eloquentes, ut dicam *Græcè*, φιλοσοφώτατος. *Florentiæ*. tertio Nonas Junias. M. CCCC. LXXXV.

Reſponſio Philippi Melanth. pro Hermolao.

Ep. 136.

CUm viderem te incredibili quodam ſtudio omnium optimarum artium flagrantem, ad uſitatam doctrinam tuâ ſponte veterem Philoſophiam atque eloquentiam adjungere, ſcripſi nuper ad te, barbaros Philoſophos vituperans, vel ut te ad meliora ſtudia incitarem [illegible], ut dici ſolet, vel ut gratularer ad optima tendenti. Itaque cum tuum mihi de ſtudiis judicium non ſit ignotum, etſi literæ quas modò ad me dediſti, à mea ſententia diſſidere videntur, tamen adeo mihi non fuerunt ingratæ, ut magnæ etiam voluptati fuerint, eò quòd non obſcuram tuæ erga me benevolentiæ ſignificationem habent. Non enim dubito quin ſingulari erga me amore adductus, hoc certamen inſtitueris, non ut inſcitiæ quorundam patrocinareris, ſed ut me ad hanc rationem, quam probo, magis ornandam accenderes. Utinam verò, *Pice*, tam facilè id poſſim, quàm facilè erat *Socrati Glauconis* orationem, qui juſtitiam vituperaverat, refellere; Sed hoc noſtrum certamen iniquè comparatum eſt. Etenim cum Eloquentia ſummis eloquentiæ viribus abs te accuſetur, patronus ei facundior dandus erat. Ego autem & copiâ & ornamentis orationis omnibus abs te longè ſuperor. Quare optârim te hanc tuam vim atque ubertatem in altera parte experiri maluiſſe. Nam mihi (ut ſcis) bellum eſt alioqui ἄσπονδον cum hoſtibus rectorum ſtudiorum, qui etſi hoc armorum genere, quo tu uteris, non ſunt inſtructi, tamen acerrimè pugnant odio, pertinaciâ, & malis artibus omnis generis. Hos non velim vel autoritate nominis tui armari, vel armis tuis adverſus præſtantiſſimas artes inſtrui. Quòd ſi tuas copias nobiſcum conjunxeris, confirmare auſim nos brevi te velut *Camillo* duce, rem *Romanam*, depulſis Barbaris recepturos, ac ſuum artibus decus reddituros eſſe. Ego tamen nè modò, aut tuæ voluntati, aut cauſæ publicæ deſim, breviter ad ea quæ ſcribis reſpondebo. Nam ſi tantam cauſam complecti totam vellem, multis voluminibus res agenda eſſet: Quæ enim materia locupletior exiſtere poteſt, quàm dicere de dignitate atque utilitate Eloquentiæ? quantum in religionibus ac reliquis artibus errorum

errorum hac una ex re extiterit, quòd dicendi ex-
ercitationes neglectæ atque intermiſſæ ſunt? De-
inde quod fuerit argumentum uberius, quàm ſi
collatio inſtitueretur veteris Philoſophiæ & hujus
nuper natæ Sycophanticæ, quam Barbari iſti pro
Philoſophia profitentur? Atque hæc, ſi quando
rurſus ocium mihi Reſpubl. concedet, inſtituere
decrevi. Nunc diluam quædam præcipua argu-
menta tuæ Epiſtolæ, non tanquam cum adverſa-
rio dimicans, ſed ἄνευ παθῶν, velut tecum confabu-
lans. Cum autem in oratione tua duo ſint loci
præcipui, nam & abſolutam rerum ſcientiam Bar-
baris tribuis, & contendis jure eos Eloquentiam
aſpernatos eſſe, ſequar tuum ordinem, ac de Elo-
quentia dicam antea, quam eò dicis in Philoſo-
phis non eſſe requirendam, quia tantum Sapien-
tiæ & Eloquentiæ diſſidium eſt, ut conjungi u-
tranque nefas ſit. Quis non videt te in materia
nova atque abſurda ludere voluiſſe? Nam cum
hæ duæ virtutes hominis propriæ ſint ac ſummæ,
mente res bonas perſpicere ac videre, eaſque di-
cendo explicare & oſtendere aliis poſſe, parado-
xum affers Initio orationis tuæ, quod cum ipſa na-
tura pugnat, nefas eſſe Sapientiæ Eloquentiam ad-
dere. Nam uſus ſapientiæ planè nullus fuerit, ni-
ſi ſapienter deliberata atque cogitata communi-
care aliis poſſimus, quod cum ſine magnâ quâdam
copiâ & varietate orationis fieri non queat, vir-
tutes, *Pice*, quas natura maximarum utilitatum
cauſa copulavit, diſtrahis. Atque ſapientiſſimus
Poëta *Homerus* utriuſque virtutis laudem ei viro
tribuit, in quo ſapientiſſimi Principis exemplum
pingebat. Inquit enim de *Vlyſſe*,

Σοὶ δ' ἔπι μὲν μορφὴ ἐπέων, ἔνι δὲ φρένες ἐσθλαί·

Atque idem Poëta *Neſtori* tribuit orationem
melle dulciorem, cujus in dicenda ſententia ſapi-
entiam ita prædicat *Agamemnon*, ut magnopere
plures ſibi conſiliarios iſtius ſimiles optet. Quòd
ſi nefas eſt, ut tu defendis, conjungere hæc, qui di-
cis, eloquentes omnes ſine mente, ſine pectore
eſſe, ſtultos fuiſſe omnes, quorum Eloquentia lau-
datur, *Vlyſſem, Neſtorem*: deinde Principes illos
Rerumpublicarum, qui ſuo conſilio, autoritate,
oratione, maximas res gubernârunt, *Solonem, Pe-
riclem, Demadem, Demoſthenem, Ciceronem, Cæſa-
rem, Octavianum*, & innumerabiles alios, quos, ſi
nulla ſocietas eſt Sapientiæ cum Eloquentia, con-
demnas ſtultitiæ omnes. Conſtat enim hos fuiſſe
eloquentiſſimos. Quid de Philoſophis veteribus
judicandum erit? Dicemúſne hos fuiſſe indoctos,
quia non ſunt confuſè, ſordidè, atque inquinatè lo-
quuti? *Platonis* tanta eſt Eloquentia, ut *Græci* di-
xerint, *Jovem*, ſi velit de rebus divinis diſſerere,
uſurum eſſe *Platonis* oratione. Tanta eſt enim co-
pia, tanta gravitas, tantus ſplendor verborum &
ſententiarum, ut veriùs divina quàm humana vox
æſtimari debeat. *Ariſtotelis* oratio etſi brevior
eſt, tamen & propria & pura eſt, & ita abundat
quibuſdam ſuis luminibus, ut *Cicero* eam dixerit
ſimilem eſſe flumini aurum vehenti; & interdum
adeò dulcis eſt, nihil ut poſſit cogitari dulcius. Vi-
de autem, quàm ſit injuſtum adimere ſapientiam
ſummis illis Principibus & Rerumpubl. & do-
ctrinæ. Per me liberum eſt tibi, & amare & mi-
rari ingenia Barbarorum. Sed ſi hoc tibi concedi
poſtulas, ut præferamus iſtos ſummorum homi-
num ingeniis, nullam aliam ob cauſam, niſi quia

A ſpurcè locuti ſunt, etiam atque etiam videndum
tibi erit, ut ſententiam non ſolùm abſurdam, ſed
penè crudelem auditu verecundè tueri poſſis. Ac
fortaſſis aliquam excuſationem res haberet, ſi ſine
contumelia Eloquentiæ Barbaros defenderes, ac
tribueres eis ſuam quandam laudem diligentiæ, ac
prudentiæ, in rebus inquirendis ac judicandis, &
fatereris defuiſſe aliquid vel ipſis vel temporibus.
Quid enim mirum eſt, deſiderari aliquid in ho-
minibus, cum pauciſſimi ſint artifices boni omni-
B bus ætatibus, etiam in levioribus artibus, tantum
abeſt ut in hoc ſummo genere pariter excellere
poſſint omnes. Sed tu ita defendis iſtos, ut Elo-
quentiam ipſam inſecteris, & planè indignam bo-
nis ac ſapientibus viris eſſe contendas. Itaque etſi
poſtea oſtendam non ſolùm dicendi rationem
Barbaris defuiſſe, ſed etiam alia, quæ tu tribuis, ta-
men nunc nihil de iſto genere ſcriptorum dicam,
ipſius Eloquentiæ patrocinium ſuſcipiam. Tota e-
nim oratio tua, non tam defenſio eſt Barbarorum,
C quam Eloquentiæ vituperatio. Diſputas enim Elo-
quentiam eſſe accerſitum ornatum & fucum, qui
adhiberi ſoleat aut voluptatis causâ, aut etiam ad
fallendos homines. Rhetorum dicis eſſe mentiri,
circumvenire, & neſcio quibus præſtigiis animos
decipere. Si non intelligunt iſti tui ſcriptores, a-
liud eſſe Eloquentiam, quàm hujuſmodi fucum,
planè jam detrahenda erit eis Philoſophiæ cogni-
tio, quam præcipuè ſibi arrogant. Non enim per-
ſpiciunt, Eloquentiam peculiarem vim ac virtu-
D tem eſſe, utilitatis alicujus causâ datam homini-
bus; deinde non rectè definiunt, quod Dialecticis,
quales ſe eſſe profitentur iſti, turpiſſimum eſt.
Nam Eloquentia, non eſt, ut iſti ſomniant, accer-
ſitus cultus, ſed eſt facultas propriè ac dilucidè ex-
plicandi animorum ſenſa ac cogitationes, quâ in
re etiam dignitati & veritati ſerviendum eſt, ut
apta & recta dicantur, & ut amplificentur res ma-
gnæ, & eleventur ea quæ abjici prodeſt. Itaque ut
Pictoris finis eſt, verè ac propriè imitari corpora,
E quod quàm difficile ſit conſequi, non eſt obſcurum
experienti, neque ars tantùm, ſed etiam magna
colorum varietas atque diſtinctio ad id requiritur:
Ita Rhetoris, ſive ita vocari mavis, Eloquentiæ
finis eſt, ipſas animi cogitationes, quaſi pingere &
repræſentare proprio & perſpicuo ſermonis gene-
re. qua in re cum elaborabit, magnâ ei varietate
quaſi colorum, verborum, ſententiarum & figu-
rarum, denique etiam arte quadam opus erit, ut
ego quidem ſtatuo, multò majore, quàm con-
F ſummati & perfecti Pictoris ars poteſt eſſe ulla.
Tota igitur nobis de definitione controverſia eſt,
quid ſit Eloquentia, aut certè de fine, quem ad u-
ſum hominibus Eloquentia conceſſa ſit. Hac
de re, ut omittam ea quæ ſunt apud Rhetores,
communem ſenſum conſulito, aut certè Philoſo-
phorum Principes, *Platonem* & *Ariſtotelem*, quo-
rum alter in *Phædro* ſapienter & copioſè diſputat,
& quid ſit Eloquentia, & quàm neceſſaria ſit ad
divinas & humanas res explicandas. Quanquam
G haud ſcio, an Barbari iſti nè locum quidem dent
Platoni inter Philoſophos: Sed *Ariſtoteles* in *Rhe-
toricis* eadem ſcribit. Definiunt igitur Eloquenti-
am hi Philoſophorum Principes, vim eſſe divini-
tùs hominum generi conceſſam, ut de magnis &
neceſſariis rebus, de religionibus, de rerum cæle-
ſtium atque aliarum naturâ, de jure ac juſtitiâ, de
omni virtutis officio, propriè ac perſpicuè docere
alii

alii alios poſſint. Nec ſine cauſa dictum eſt homines antè diſperſos ac vagabundos in agris Eloquentia congregatos eſſe, civitates conditas, Jura, religiones, legitimas nuptias, & cætera ſocietatis humanæ vincula conſtituta eſſe. Hæc enim profectò tenentur oratione in civitatibus. Hanc vim divinam, tam neceſſariam humano generi, nihil putemus eſſe, niſi ludum ac præſtigias; quemadmodum ſcribis? Ego verò non dubito ingratitudinis atque impietatis accuſare omnes, qui Eloquentiæ beneficia non agnoſcunt. Atque illi ipſi Philoſophi, quorum ſequor autoritatem, admonent in obſcuris & gravibus cauſis explicandis opus eſſe, non ſolùm prudentia magna, quæ res bonas prævidet, ſed etiam viâ quâdam & ratione docendi, & genere ſermonis, quod res, de quibus dicimus, planè exponere & ſubjicere oculis hominum poſſit. Itaque duas artes conſtituerunt inter ſe cognatas, *Dialecticen* & *Rhetoricen*, quarum altera docendi viam monſtret, altera doceat, quo verborum genere res exponendæ ſint. Quis autem non videt hæc inter ſe naturâ conjuncta eſſe? Quæſo enim ſi de religionibus docendi ſunt homines, ſi in judiciis res obſcuræ & intricatæ judici demonſtrandæ, num hæc fieri, primùm ſine via docendi, deinde ſine magnâ copiâ, varietate ac luminibus orationis exiſtimas? Erras ſi doceri poſſe homines credis hoc genere diſputandi, quo iſti Barbari in ſcholis utuntur, quod non ſolum populus, ſed nè ipſi quidem initiati, ut ita dicam, inter ſeſe intelligunt. Etenim non ſolùm genus verborum novum eſt, & ignotum populo, ſed ita confuſa ſunt omnia, ut velut in labyrintho neque initia neque exitus rerum deprehendi poſſint. Et ſubinde fingunt nova ac prodigioſa ſomnia & verborum portenta, quibus cùm res nullæ ſubſint, intelligi nihil poteſt. Falſum enim eſt, ut Philoſophi dicunt ἀκατάληπτον. Itaque ſæpè cum inter ſe rixantur, videre licet ipſiſſimam imaginem illius judicii, de quo eſt proverbium; δυσκόλου δυσκολώτερον. Et quoniam quædam picturæ, atque Eloquentiæ ſimilitudo eſt (ut enim pictura imitatur corpus, ita oratio pingit ac reddit animi ſententias) libenter ab illa arte mutuamur exempla. Quæſo te num ejuſmodi picturam probare poſſis, in qua formæ confuſæ ac monſtroſæ nihil certi ſignificant aut oſtendunt ſpectatori? Talem tabulam quis poſſet æquo animo aſpicere? Similimum autem eſt huic picturæ, genus dicendi in Barbaris. Sed ut illius monſtroſæ picturæ nullus eſt uſus, ita hæc obſcura oratio, quam habet utilitatem in Republica? in docendis hominibus? in regendis & explicandis religionibus? in judiciis exercendis? deniq; in hac tota vita publicè ac privatim gubernanda? Quare conſtituamus id quod res eſt, elocutionem non eſſe inanem cultum, ſed neceſſarium ad cauſas omnis generis verè ac propriè explicandas. Ac Rhetoris eſſe, non ut tu dicis, ludere ac mentiri, ſed de maximis rebus verè docere homines, qui etſi interdum in difficilibus cauſis, figurâ aliquâ utitur, & ut tuo utar verbo, decipit auditores, id non minus ad officium ejus viri pertinet, qui domi Reſpublicas gubernat, quàm ad Imperatorem pertinet arte hoſtes circumvenire. Hunc enim virum, qui de bonis ac neceſſariis rebus rectè, dilucidè, & cum dignitate quadam docet homines, Oratorem nos vocamus: quem tu Philoſophum velis vocari, nondum ſatis intelligo.

A Equidem Philoſophum voco eum virum, qui cum res bonas atque utiles humano generi didicit ac tenet, doctrinam ex ſchola atque umbra ad uſum & Rempublicam transfert, docet homines aut de natura rerum, aut de religionibus, aut de regendis civitatibus. Deinde, ut maximè Oratorem tantum rejicias in forum, tamen eas Philoſophiæ partes illi, quas tu defendis, inſceperunt, quæ ſine Eloquentia lumen habere nullum poſſunt. Primùm enim etſi non eſt una orationis forma, tamen ſi animorum noſtrorum cogitationes aliis
B communicare voluerimus, utendum erit certo quodam genere ſermonis, quod verbis notis & rectè junctis, integrè atque ordine res de quibus dicimus, exponat. Id commune eſſe debet in omni orationis forma. Nam etiam illæ artes, quæ propemodum videri mutæ poſſint, *Arithmetica* & *Geometria*, tamen non poſſunt percipi niſi propriis verbis & viâ ac ratione quadam tradantur. Cæteræ verò partes, *Phyſica*, *Ethica*, & *Theologia* ma-
C teriæ, erui atque illuſtrari ſine Eloquentia, & ſine iis artibus, quas Eloquentia continet, nullo modo poſſunt. Porrò tui illi magiſtri *Thomas*, ac *Scotus*, promittunt nobis perfectiſſ. doctrinam de religione, deque omnibus vitæ officiis; quid præſtent, poſtea dicam, nunc tantùm de genere Orationis diſputo. Quid autem poteſt fingi ſtultius, quàm quod ſine Eloquentia Eccleſiarum doctores ac vitæ duces perhiberi volunt: ac nè quidem quid ſentiant oſtendere poſſunt? In ſingulis artibus
D quædam propria ſunt artificum vocabula. Quare Philoſophis ac Theólogis etiam ſua quædam vocabula, ut Architectis ac Pictoribus, concedi æquum eſt. Sed interim reliquus ſermo conſtare uſitatis ac notis verbis debet, oportet & in jungendis verbis imitari conſuetudinem. Hæc non fiunt apud iſtos. Deinde non ſolùm habent errata Grammatica, ſed neque ſententias abſolvunt, neque judicium, neque ordinem in explicando adhibent. Poſtea amiſſâ loquendi diligentiâ, rerum
E etiam judicium amiſerunt. Finxerunt enim unà cum monſtroſis vocabulis inexplicabilia ſomnia, quibus univerſam Philoſophiam ac Theologiam obruerunt, ita in iſtorum doctrina verè ſunt, ut *Græci* dicunt, πάντα μία νύξ. Quare non ſolùm populus, ſed nè ipſi quidem, quod eſt vel maximè ridiculum, ſuas diſputationes intelligunt, ac ſolœciſant, non ut *Anacharſis Athenis*, ut tu dicis, ſed in ſuis ſcholis. Venio nunc ad acervum ſimilitudinum tuarum, quæ detrahunt Philoſophiæ,
F non ut tu ratiocinaris Eloquentiam, hoc eſt, verum colorem orationis, ſed ineptum ornatum. Virginē non decet fucus: nec monſtroſa facies decet. Quid autem monſtroſius eſt Barbarorum oratione? Nam ea oratio quæ eſt optima, nativus ſententiæ color eſt. Aliena, confuſa & perturbata oratio deformat & corrumpit ſententias, ac nè effingit quidem, quod debeat eſſe orationis officium proprium. Sed *ſermonem*, inquis, *non aſpernor*, *ornatum non requiro*, *ut in matrona ſimplicem cultum probamus*.
G Nec *Cicero* quidem plus requirit à Philoſophis, quàm purum ſermonem aptè ac dilucidè res explicantem. Sed hæc facultas hoc modo dicendi, & præcipua Eloquentiæ pars eſt, & ab arte plurimum ſumit. Requirit enim ſummam prudentiam in rebus inveſtigandis, atque collocandis, copiam verborum ampliſſimam, judicium acerrimum in delectu. Nam cum duæ ſint propemodum Orationis

tionis formæ tenuior altera, altera grandior, non ita multum poſterior diſſimilis eſt priori, niſi quod figuras & amplificationes crebriùs adhibet. Itaque priorem formam, quæ verecundior eſt, diſputationibus putant accommodatiorem eſſe, etſi in tanta rerum varietate, multa in Philoſophia incidunt, de quibus etiam grandiore quodam ſono dicendum eſt, ut propiùs aſpici rerum magnitudo poſſit. Itaque etſi *Ariſtoteles* & *Cicero* in diſputationibus priore genere utantur, tamen interdum aſſumunt etiam alteram formam, quâ quidem *Plato* ubique propemodum utitur. Porrò, ſi Philoſophiæ etiam priorem illam formam detrahes, planè mutam reddideris. Quid enim explicare poterit, ſi nè proprio quidem & perſpicuo genere orationis utetur? Neque verò quiſquam ſine optima doctrina, ſine acerrimo ſtudio, ſine longa exercitatione, illud ipſum genus, quod indocti omnibus in manu eſſe putant, conſequi poteſt. Pictorem memini noſtræ ætatis *Apellen*, cum mihi cupidè audienti commemoraret, & adoleſcentiæ ſtudia, & quem ſibi poſtea ſcopum artis propoſuiſſet, quo quaſi directam manum haberet, dicere, ſe adoleſcentem in pictura mirificam quandam ac penè prodigioſam varietatem amâſſe geſtuum atque ornamentorum omnis generis: Nunc ſeneſcentem ſe conſidere naturam, in hanc intueri, ut eam proximè & propriiſſimè exprimeret, neque ſe quod cuperet, aſſequi: quia hâc proprietate nihil difficilius ſit. Neque verò facilius eſt negotia verbis propriis, quàm naturam coloribus pingere. Itaque *Horatius* ſignificat, quantum hæc res habeat difficultatis, cum ita jubet ſcribere, ut ſibi quivis,

Speret idem, ſudet multum, fruſtraq́; laboret.
Auſus idem, tantum ſeries juncturaq́; pollet.
Tantum de medio ſumptis accedit honoris.

At ego ita ſtatuo, magnos Oratores qui Reſpubl. gubernaverunt, quos accepimus præmetientes dicendi pericula, incredibili quodam metu ad dicendum acceſſiſſe, non de cæteris ornamentis, ſed de hac propria rerum explicatione ſolicitos fuiſſe, quam experiebantur eſſe difficillimam. *Periclem* aiunt, cujus tanta fuit Eloquentia, ut tonare ac fulminare dictus ſit, cum aſcendit in concionem, precari ſolitum, nè quod ſibi verbum excideret, quod cauſæ obeſſet. Sæpè etiam *Cicero* ſignificat, ſe cum timore ſummo ad dicendum accedere, cujus rei vel hoc argumentum eſſe poteſt, quòd aliquando ita lætatus eſt, judicii die prorogato, quo ei de cauſa intricata dicendum erat, ut ſervum id renunciantem libertate donaverit. Vidi ipſe homines eloquentiſſimos natu grandes, cum dicere juſſi eſſent, toto corpore perhorreſcere. At quâ de re angi putemus homines peritiſſimos, num de floſculis orationis, aut accerſitô cultu, ut tu judicas? imò verò de propria rerum explicatione ſoliciti ſunt, nè quid excidat quod dici non refert, nè quid alieno loco dicatur, nè incurrant in verba quæ officiunt aut cauſæ aut ipſorum exiſtimationi. Denique innumerabilia pericula ſunt. Hoc minimi negotii eſt hominibus copioſis atque exercitatis, inſignes aliquas figuras addere. Præcipuus ornatus eſt ipſa rerum propria explicatio, ut in picturis juſta corporum lineamenta. Et tamen ſæpè magnitudo rerum poſtulat, aliquid vel attolli vel abjici, quod etiam facere natura cogit

A tuos illos Barbaros. Vides enim in illorum ſcriptis & ſermone, crebras amplificationes, ſed, dii boni, quàm inſulſas! Quanto veriora & aptiora dicerent, ſi ſtudium hoc non eſſent aſpernati? Demus igitur Philoſophis verecundam orationis formam, modò ut res dilucidè, verbis notis, rectè junctis, ordinè diſtributis, integrè explicet. Bene olere mulierem, ait *Plautus*, quæ nihil olet. Talis oratio etiam delectat ſana ingenia. Nec ſolùm in ſcholis ac diſputationibus laudem habet, ſed
B etiam in foro multi hâc unâ formâ contenti fuerunt.

Et talem nobis Oratorem *Homerus Menelaum* deſcribit, quem ait ſolitum dicere,

Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ ὀυ πολύμυθος
Ὀυδ' ἀφαμαρτοεπὴς———

Tribuit enim ei & proprietatem & ſuavitatem. Has virtutes conſequi Philoſophum, ſi velit intelligi, oportet. Quantum autem abſunt ab illo
C *Homerico Menelao* veſtri Barbari, qui cum ea de re, quam ſuſcipiunt, vix unquam quicquam dicant, quod faciat περὶ ἔπος, tamen plerunque extra cauſam ſunt loquaciſſimi, ineptiarum pleni. At *Cicero* expreſſit nobis formam illius proprii Oratoris ac λιγέως dicentis in libellis *De natura Deorum* & aliis Philoſophicis diſputationibus. Expreſſit & eam multis in locis *Ariſtoteles*. *Verùm non eſt*, inquis, *Philoſophi ſervire voluptati*. Utinam, *Pice*, adeo contemnerent Theologi tui voluptates
D cæteras, ut orationis munditiem aſpernentur. Quanquam autem nulla voluptas homine liberaliter inſtituto dignior eſt quàm hæc: Nulla eſt enim harmonia dulcior, ac naturæ hominis convenientior, quàm oratio rerum bonarum plena & compoſitione concinna; tamen hîc non diſputo ornatum voluptatis, ſed neceſſitatis causâ adhibendum eſſe. Non enim doceri de magnis rebus homines poſſunt, niſi & genus ſermonis purum, & via quædam, & ratio explicandi, & cætera quæ
E in artibus traduntur, adhibeantur. Quòd verò addis, *Bacchanalia in Veſtæ ſacris agere Philoſophos Eloquentiæ ſtudioſos*, dicam ſimpliciter quod ſentio. Stomachum mihi movit. Quæ enim voluptas eſt contumeliâ afficere cùm ipſam Eloquentiam, tùm verò Philoſophiæ Principes? Num *Plato*, *Ariſtoteles*, *Cicero*, videntur tibi *Bacchanalia agere*, idque in *ſacris Veſtæ*? Num videntur tibicines, quia non ſunt ſpurcè locuti? Et quidem *Plato* longè omnes vincit tum *Græcos* tum *Latinos* Orato-
F res, copiâ & ſplendore Orationis. *Scytha* quidam cum apud *Græcos* Muſicum audiret ſuaviſſimè canentem, inquit, Malle ſe audire hinnientem equum. Satis hic quidem *Scythicè*, ſed bis *Scythicus* fuerit nihil affici ſuavitate orationis ſummorum autorum, qui Philoſophiam nobis pepererunt. Tu verò etiam furere eos dicis. Non ſatis attendis, *Pice*, quam ſuſtineas perſonam. Cum enim profitearis te Philoſophiæ ac veritati patrocinari, minimè eâ fide ac ſimplicitate cauſam agis
G tuam, quam Philoſophia tribui poſtulas. Quorſum enim pertinent tam multæ ſimilitudines tuæ undique collectæ? quæ non ſolum extenuant Eloquentiæ dignitatem, ſed planè jubent velut peſtem fugere, niſi ut fucum lectori faciant, nè Eloquentiæ dignitatem aſpicere poſſit? Quæſo te utrum hæc Rhetorica ſunt an Sophiſtica? Certè à viro Philoſophico non aptè dicuntur. Quid enim

facies

facies Theologis facundioribus, *Paulo, Baſilio, Hi-*
eronymo? Num hi quoque *Bacchanalia* agunt ?. Sed
deſino has ſimilitudines tuas excutere, in quibus
hoc commune erratum eſt, quod elocutionem ju-
dicas eſſe delicias quaſdam, non ad utilitatem ac
neceſſitatem comparatas, nos cõtra ornatum præ-
cipuum eſſe propriam rerum expoſitionem. Et ta-
men in tanta rerum varietate multa eſſe, quibus
ut conſpici erorũ magnitudo poſſit, nitor quidam
adhibendus ſit, in quo etiam neceſſitatem ſequi-
mur. Servimus enim dignitati & magnitudini
rerum. Neq; ego cum ornatum laudo, illa oratio-
nis flagitia probo, quæ tu commemoras, cum de
affectatis lenocinils declamitas, qualia deprehen-
duntur in *Apuleio*, qui nihil propriè dicit, ſed ha-
bet perpetuas Periphraſes & Metaphoras. Idque
peccat Philoſophus. Nec multo ſecus Barbari ve-
ſtri rhetoricantur. Quanto prudentiùs Rhetores?
in quibus tu orationis delicias in crimen vocas,
cum nulli magis aſpernentur ambitioſum & ina-
nem cultum, nulli dicant caſtiùs quam hi, qui ad
rectè dicendum his exercitationibus aſſuefacti
ſunt. Ac velut in roſis candor, ita in oratione Phi-
loſophi ſimplicitas quædam inſit nativa. Et ut pur-
pureæ roſæ *Veneris* ſanguine conſperſæ dicuntur,
ita ornamenta ſint non prodigioſa, ſed venuſta ac
ſuavia , qualia ſunt in *Ciceronis* diſputationibus,
ſæpè etiam in *Ariſtotelicis*, ut verè poſſis dicere,
Ambroſiâ conſperſas eſſe. Sed magnis exemplis
barbariem tueris. *Cultus deeſt*, inquis, *in ſacris li-*
teris. Verùm longè diſſimilis eſt oratio in tuis
Barbaris, qui planè novum ſermonis genus con-
diderunt. Prophetæ in ſua lingua non loquuntur
vitioſè, & voluerunt intelligi, quidam etiam ſa-
tis ornati ſunt. *Davidis* enim carmen ut in iſta
lingua verè *Atticum* eſt. Apoſtoli verbis bonis
utuntur. *Paulus* verò etiam adhibet in diſputando
artem, & quædam ornamenta. Deinde cur divi-
nitùs additum eſt Euangelio donum linguarum,
ſi Eloquentia inutilis eſt ad res ſacras & magnas
exponendas ? Quid enim aliud eſt donum lin-
guarum quàm Eloquentia, hoc eſt, facultas pla-
nè & copioſè res obſcuras explicandi ? Atque hic
accuſandi erant tui magiſtri, quòd cœleſte do-
num non conſervârunt, quòd linguarum ſtudia,
quæ antea in Eccleſia colebantur, novo doctrinæ
genere oppreſſerunt. *Pythagoram* etiam allegas,
qui myſteria texerit involucris. Fortaſſis illi ex-
pediebat tegere quaſdam ſententias, quas doce-
bat contra publicas perſuaſiones. Nos verò non
loquimur de arcanis, quæ pro tempore occultanda
ſunt : ſed de illis, quæ efferri atque extare opor-
tet, quæ pars multò maxima eſt in Doctrinis.
Deinde & Symbola & Apologos conditos inter-
pretor, non hoc conſilio ut præcepta tegerent, ſed
ut eſſent veluti morum picturæ, utiles ad excitan-
dos animos ad admirationem. Naturâ enim
& amamus & admiramur picturas. Sed prædi-
cat *Ariſtoteles* ſua ſcripta, etſi extarent, tamen
non extare. Ille verò non hoc ſenſit, ſe de indu-
ſtria tenebras offudiſſe lectoribus. Nam plerique
libri valdè perſpicui ſunt. Duas enim res adhi-
bet, quæ perſpicuitatem inprimis efficiunt, me-
thodum videlicet, & genus orationis proprium.
Nec verò methodum tantâ diligentiâ ſecuturus
erat, ſi de induſtria res obſcurare voluiſſet. Ve-
rùm vidit ſua ſcripta non eſſe intellecturos, niſi
qui liberaliter inſtituti eſſent. Ejus judicii mul-

A tæ ſunt cauſæ. Deterrebat igitur à ſuis ſcriptis
homines ineptos, qui imparati ad ea irrumpe-
bant, quo in genere non leviter etiam peccave-
runt Barbari tui, qui nullâ inſtructi liberali do-
ctrinâ, profitentur ſe *Ariſtotelis* interpretes eſſe.
Poſtremò, etiamſi *Ariſtoteles* interdum oneri
cedens, ut fit, non ſatis commoratur in aliqua re
explicanda, non ſemper quid quiſque artifex ef-
fecerit, ſed quid requiratur ſpectandum eſt. Quis
autem eſt lector, qui non optet ubique ſummam
B eſſe perſpicuitatem ? Poſtremò etiam philoſo-
phari incipis, *Vocabula non naturâ conſtant*, ais,
ſed hominum arbitrio, licuit igitur eis condere no-
vum ſermonis genus. Quid audio ? Si hoc ſem-
per licet, quomodo contrahent inter ſe homi-
nes ? quomodo docere alii alios poterunt ? Sed
omitto hæc quæ leviora ſunt quàm ut diluere
opus ſit. Venio ad alteram partem tuæ diſputa-
tionis, in qua arrogas Barbaris rerum ſcienti-
am, & quidem eloquentibus detrahis. Cùm
C autem de Eloquentia reſponderim, non quan-
tum magnitudo rei poſtulat, ſed quantum vel
potui, vel Epiſtolæ modus patiebatur, de al-
tero etiam breviùs dicam, etſi hæc diſputatio
multò major ac difficilior eſt de toto genere do-
ctrinæ in iſtis tuis autoribus. Atque initio *Lu-*
cretium in *Scotum* committis. Eſt autem ini-
quum, cum de genere dicendi controverſia ſit,
materias conferre. Neque enim adeò amens
ſum, ut inanem loquacitatem pluris faciam,
D quàm ſapientiam. Verùm hoc defendo, Elo-
quentiam ad res magnas patefaciendas neceſſa-
riam eſſe. Deinde cur non opponis *Scoto* Theo-
logum aliquem, videlicet *Hieronymum* ? Uter
de Eccleſia meliùs meritus videtur? Iſténe cu-
jus Eloquentia lumen attulit ſacris libris, ple-
raque dogmata diligenter explicavit ? an verò
Scotus, qui, cum nullum dogma illuſtravit,
nugaciſſimas diſputationes in Eccleſiam in-
vexit ? Deinde facis inciviliter, *Pice*, quòd
E Barbaris ita arrogas rerum ſcientiam, ut præ-
ſtantiſſimis ingeniis *Græcis* & *Latinis* detra-
has, quâ in re cùm modeſtiam deſidero di-
gnam Philoſopho, tùm verò etiam prudentiam.
Vituperas quicquid eſt diſertorum, Poetas, Ora-
tores & Hiſtoricos. Hos dicis omnes amplexos
eſſe Eloquentiam ſine Sapientia, cum quidem hoc
ad cauſam tuam nihil pertineret. Poteras enim
tuis rerum ſcientiam, ſine horum contumeliâ tri-
buere. Sed ſic ſolent rhetoricari, qui Eloquentiæ
F ſtudia vituperant. Obſecro te, nihil putas eſſe
ſapientiæ in *Homero*, *Virgilio*, in *Demoſthene*, *Ci-*
cerone, in *Herodoto*, *Livio*, & cæteris, qui hos in
ſcribendo imitati ſunt ? An non videntur hi tibi
veriùs Philoſophari, cum vel naturam rerum
ſapientiſſimè deſcribunt, vel ſummo conſilio
pingunt imagines omnium rerum, quæ vel in
privata, vel in publica vita accidere poſſunt,
cum præcepta & exempla vitæ ac morum uti-
liſſima proponunt, quàm Barbari tui, cum
G rixantur, *utrum partes ſimul ſumtæ diſtinguan-*
tur realiter à toto, & hoc genus infinita ? non
enim libet recitare. Quid? quòd Oratores ma-
ximum uſum rerum afferunt ad ſcribendum,
qui judicia exercet atque acuit. Quare Phi-
loſophiam aptè ad uſum & ad communem
vitam transferunt. Tui Philoſophi in um-
bra nè quidem vim præceptorum, de quibus
rixantur,

rixantur, intelligunt. Sed longum eſſet de laudi- A
bus eloquentium ſcriptorum dicere, & non eſt
neceſſarium. Facilè enim judicari poteſt, abun-
dare eos rebus optimis & ad vitam neceſſariis, ac
ſumptis ex media Philoſophia. Redeo igitur ad
Barbaros, quibus equidem non detraho in uni-
verſum rerum cognitionem. Ac minimè vitupe-
randos cenſeo Medicos, quorum ars exerceri ſine
magna Eloquentia poteſt, tametſi doceri à diſertis
felicius queat. Deinde fontes ſunt apud *Græcos*,
nec opinor à poſterioribus vinci *Hippocratē* & *Ga-* B
lenum, aut acumine in inveniendo, aut diligentiâ
in inquirendo, aut ratione aut proprietate in ex-
plicando. Sed non diſputas propriè de Medicis.
Ariſtotelicos & Theologos defendis, hos habes in
deliciis, horum ſapientiam admiraris. Neque ego
eos in totum doctrinæ laude ſpolio, ſtudium e-
tiam & voluntatem laudandam cenſeo: Viden-
tur enim Philoſophiæ ſtudia, quæ multis ſeculis
conticuerant, rurſus excitare voluiſſe. Sed ſi ita
complecteris eos, ut inchoata ſtudia abſolviſſe ex- C
iſtimes, longè falleris. Mihi verò magna ex par-
te Philoſophiam corrupiſſe videntur, idque ob
hanc cauſam præcipuè, quòd has dicendi exerci-
tationes neglexerunt. Itaque non ſolùm genus
ſermonis, & univerſæ doctrinæ formam (eſt enim
confuſiſſima) reprehendo, ſed etiam magna ex
parte res deſidero meliores. Nam cum & genus
ſermonis non intelligerent, & artes non transferrēt
ad uſum aliquem, judicio lapſi, multas abſurdas
opiniones genuerunt, quibus ferè univerſam *A-* D
riſtotelis Philoſophiam penitus obruerunt. Idque
teſtantur moles commentariorum, qui magna ex
parte conſumuntur in illis ſomniis, de natura com-
muni, de hecceitatibus, de diſtinctionibus, & de
primis & ſecundis intentionibus, de inſtantibus,
& ſimilibus delitamentis. Vetus verſiculus eſt, τὰ
μηδὲν ὠφελοῦντα μὴ πόνει μάτην. Sed hæc cum ferè
ſint commentitia, non ſolùm nihil afferunt utili-
tatis, ſed nocent etiam, non ſolùm, quia in his
diſcendis temporis jactura facienda eſt, ſed e- E
tiam, quia judicia depravantur. Quantò ſatius
èrat præcepta ſimpliciter proponere & oſtendere,
quem vel in judicandi natura, vel in negotiis, vel
in moribus, & communi vita uſum habeant, quo-
modo ea transtulerint ad uſum magni artifices,
quid hinc Poëtæ, quid Oratores, quid alii magni
viri ſumpſerint? Quantum flagitii eſt, quòd illæ
nugæ etiam ſtudia *Mathematum* extinxerunt?
Noſti enim ſcholarum morem. Præterea vix
umbra *Mathematum* eſt in Barbarorum ſcriptis. F
Omnia enim planiora atque illuſtriora ſunt apud
Græcos. Itaque excellentes noſtrâ ætate *Mathe-*
matici Græcè diſcendum putaverunt, ut germa-
nam *Ptolemæi* ſententiam, deinde ut *Græcos* inter-
pretes in hoc genere conſulere poſſent. Præclarè
inquit *Plato* de *Mathematum* doctoribus, facilè
eas artes percipi poſſe, ſi doctor contingat ido-
neus: ἀλλ' οὐδ' ἂν διδάξειεν, εἰ μὴ θεὸς ὑφηγοῖτο. Ne-
gat quenquam idoneum fore ad diſcendum, niſi
Deum aliquem ducem habeat, hoc eſt, niſi & ſin- G
gulari ingenii dexteritate præditus ſit, & expedi-
tam ac perſpicuam docendi rationem teneat. Sed
in Barbarorum ſcriptis ita perturbata & confuſa
ſunt omnia, ut hunc ducem eis defuiſſe appareat.
Quare gratulamur noſtræ ætati, quâ quidem &
Græcis literis & Eloquentiâ inſtructi, cum reli-
quam Philoſophiam, tùm etiam hanc partem re-

A purgare atque inſtaurare cœperunt. Miror autem,
cur Theologis tuis tantam Philoſophiæ ſcientiam
tribuas, cum à *Mathematicis*, quæ eſt haud dubiè
præcipua Philoſophiæ pars, valde nudi atque in-
opes ſint, quos quidem tu mihi producis, homi-
nes religioſos, ſatis *Thraſonicè* de ſe prædicantes.
Viximus celebres, & vivemus non in ſcholis
Grammaticorum, ubi de *Niobes* filiis diſputant,
ſed in coronis Philoſophorum, ubi humanarum
& divinarum rerum oratores quæruntur. Vixe-
B rint ſanè celebres. Non enim invideo. Illud au-
tem optarim, de *Niobes* filiis eos nugatos eſſe po-
tiùs, quàm iſto modo luſiſſe in Eccleſiaſtica do-
ctrina, qui cum ſacrarum literarum ſermonem
non intelligerent, cum nullam haberent antiqui-
tatis notitiam, cum judicii inopia veteres contro-
verſias ac ſententias non rectè acciperent, multas
ſparſerunt in Eccleſia impias & pernicioſas opini-
ones. Quam ſunt inepti cum interpretantur Pro-
phetas & *Paulum*? Quâ in re inprimis ridiculum
C eſt homines *Dialecticos*, quique in una illa arte
conſenuiſſent, nuſquam videre, id quod erat *Dia-*
lectici, quid proponat *David* aut *Paulus*, quæ ſint
initia argumentorum, qui exitus. Tales interpre-
tes in ſacris literis verè ſunt ὄνοι ἐν μύρῳ, ut vulgo
dicunt. Itaque cum ſermonem non aſſequerentur,
novam quandam Theologiam architectati ſunt.
Centones ſcripſerunt, quorum magna pars con-
ſuta eſt ex diſputationibus puerilibus, quæ agitan-
tur in ipſorum *Dialectica*. Tanta vis eſt conſue-
D tudinis, ut puerile ſtudium nè ſenes quidem de-
ponere poſſint. Deinde aſſuunt pauca quædam
dogmata Eccleſiaſtica, quæ non reprehendo. Sed
quædam de maximis rebus ſceleſtè corrumpunt
ipſi, in quibus nec ſcripturæ, nec Synodorum ver-
ba intelligunt, ac ſerunt impias & fanaticas opi-
niones. Reliqua eſt pars, quæ habet infinitas quæ-
ſtiones, de humanis traditionibus, ut vocant, de
qua οὐδὲν ὑγιὲς dicunt. Ac de toto hoc genere co-
ram tutius erit diſputare, ubi cum evolvero tuos
E magiſtros, res oſtendet eos veriùs eſſe πίθηκοι ἐν
πορφύραις, quàm ut tu putas, *Alcibiadis Silenos*.
Quòd autem eis etiam immortalitatem polliceris,
ac victuros eſſe confirmas, meliùs ominari te ve-
lim, & *Chriſtianæ* doctrinæ, & aliis honeſtis arti-
bus. Eò vanitatis proceſſiſſe diſputatricem Theo-
logiam omnes ſani fatentur, ut revocari ad fontes
doctrinam *Chriſtianam* neceſſe ſit. Eam ad rem
profutura ſunt Eloquentiæ ſtudia, quæ ſi quando
colere noſtri homines incipient, ſpero *Herculem*
F aliquem exoriturum eſſe, qui monſtris illis orbem
terrarum liberet, quique Philoſophiæ & *Chriſtia-*
næ doctrinæ nativum decus reſtituat. Atque adeò
ad hanc laudem expetendam, excitare te, *Pice*,
non deſinam, quem & ingenio excellere, & do-
ctrinæ varietate præditum eſſe, & ardere incredi-
bili quodam ſtudio veritatis inveſtigandæ, & E-
loquentia ad res tantas illuſtrandas inſtructum
eſſe video. Nam ſi eſt hominis Philoſophi, ut cer-
tè eſt, in eruenda atque patefacienda veritate be-
G nè mereri de toto genere humano, te veræ Phi-
loſophiæ deditum in hanc curam maximè incum-
bere omni ſtudio decet, ut collapſas artes inſtau-
res. Neque verò meritum ullum majus aut glo-
rioſius ducendum eſt inter homines, cum verita-
te nihil ſit melius: ἀλήθεια γὰρ πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς
ἡγεῖται, πάντων δ' ἀνθρώποις, ut graviſſimè dixit *Pla-*
to. Ac jam quia ſpecimen quoddam præbuiſti
tuorum

tuorum ſtudiorum, in quo ſignificas, pleraque tibi in veteribus congerronibus tuis, non probari, ac novam quandam rationem, tum ad Philoſophiã, tum ad Theologiam tractandam adhibes, magnam in ſpem eruditos omnes erexiſti. Reliquum eſt ut benè precemur tibi. Hæc tibi reſcribenda eſſe duxi, non quòd arbitrarer de his ſtudiis aliud eſſe tuum, quàm meum judicium, ſed quòd ſtatuebam gratum tibi officium meum fore, quoniam me ad ſcribendum provocâſſes. Quanquam, ut tu dicis ſtomachum tibi movere quoſdam Grammatiſtas, qui leviter deguſtatis primis artibus, præ ſe Philoſophos contemnunt: ita ego multò juſtiùs ſuccenſeo moroſis quibuſdam, qui cum veræ Philoſophiæ infeſtiſſimi hoſtes ſint, tamen Philoſophiæ titulo regnant, ac mirabili conſpiratione, & odiis pertinaciſſimis obſiſtunt, quo minus refloreſcere meliora ſtudia poſſint. Scripſi igitur quædam hic aſperiùs, nè iſti me patrocinium noſtrarum literarum abjeciſſe exiſtimarent; quæ cum leges, boni conſulito. Fui enim vehementior alicubi, iſtos animo intuens, cum ſcirem mihi hac de re veriùs cum ipſis, quàm tecum certamen eſſe. Ut autem *Steſichorum* ferunt, cum *Helenæ* formam vituperâſſet, erroris pœnam cæcitate dediſſe, poſteáque, cum palinodiam caneret, oculos recepiſſe: ita te quoque Deo gratum facturum ſtatues, ſi Eloquentiam cœlo donatam hominibus maximarum utilitatum causâ, cujus dignitatem prior epiſtola extenuat, rurſus ornes ac laudes. Id argumentum tuâ & perſonâ & facultate copiâque dignum fuerit. Vale.

D. Paulo Ebero D. S.

Ep. 137. PHiloſophiam *Apum* tibi mitto, cujus conſideratio & ipſo melle dulcior eſt, & illuſtre teſtimonium eſt, hunc mundum non extitiſſe caſu ex *Democriti* atomis. Invocemus igitur verum illum architectum pulcherrimorum naturæ operum, & Eccleſiæ conditorem, Patrem æternum Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, ut & Eccleſiæ ſuæ alveolos, & noſtra examina defendat & ſervet.

Meus Magiſter, qui nos de *Apibus* docet, te orat, ut mecum in ipſam *Apum* Academiam venias.

Joſippo Dialecticas pagellas mitto, & puto paginam, quam habet in manibus, compleri poſſe hac τερθρείᾳ. Do operam, ut totum opus reliquum condiatur illecebris, ut ſicut *Apiculæ Meliſſa* invitantur: ita nos juventutem invitemus ſuavibus materiis.

Scriptum ad *Boiemos* abſolvam intra biduum. Deinde Synodi refutationem inchoabo. Decrevi enim teſtimonia in hac ipſa ἐπιδόσει certaminum edere, de rebus veris & neceſſariis, Deo juvante, vel ſi jam tyranni ferirent meam cervicẽ. Nec me deterret amici noſtri *Joachimi* ſolicitudo, cui quidem opto ut ſit beatus, & tranquillitate ſtudiorum fruatur. Nos ſi jam taceremus, deſeruiſſe & abjeciſſe cauſam neceſſariam judicaremur. Sed in ipſis controverſiis ſunt quædam, de quibus cuperem cum amicis colloqui.

Mitto Synodi orationes, in quibus & illa eſt, quam *Vitus* cepit excudere, quæ ex hoc archetypo abſolvi poterit. Et addemus querelam περὶ γνησίως διαφθειρόντων καθαρὰν διδασκαλίαν. Bene vale. Data *Serveſtæ*, die XXVI. Martii, quo ante annos M. D. XIV. Filius Dei in Sepulchro fuit.

Hiſtoria Apum.

INitio veris circiter æquinoctium eximuntur ex alveis mella, ſuperiore æſtate facta. Nam in his regionibus quicquid eſt mellis in æſtate factum, totum relinquitur in alveis in hyeme. Alibi pars eximitur. Sed dicunt *Apes* ſpoliatas mœſtiores fieri. Ideò hìc totum eis relinquitur, ut integro ſuo labore fruentes, in hyeme minus ſint ſolicitæ.

Exempto melle, quia domunculæ in eximendo lacerantur, primus labor eſt, cellulas reficere, ad quod ceras tunc faciunt.

Domibus refectis, adferunt rorem, cui incubantes, novam ſobolem gignunt, quia multæ pereunt variis malis. Curam igitur quotannis habent generis reſtituendi.

Poſtea novas cellulas conſtituunt, & nova domicilia, educunt colonias & faciunt ceras.

Quarto, in Maio floreſcentibus pomis colligunt dulcem ſuccum. Hic primum incipit mellificatio. Recte igitur *Ariſtoteles* de *Heliaco* ortu intelligitur.

Mellificatio durat donec habent trifolium, id eſt, uſque ad Auguſtum.

Nihil hic eximitur tota æſtate vel hyeme, uſque ad Vernum æquinoctium.

In Autumno ipſæ *Apes* mirâ arte obſtruunt foramina alveolorum.

Præcipuè delectantur & alliciuntur odore *Meliſſæ*. Si quis alveolos conſpergat aqua deſtillata ex *Meliſſa*, avidiſſimè advolant & lambunt. Ideò *Virgilius* dixit: *Trita Meliſphylla*. Amant & Apfelbluet.

Fugantur abſynthio.

Habent hoſtes: Veſpas, culices, Tineas, Mures, & mirâ fortitudine poſſunt mures interficere; Fuci non nocent eis, niſi voracitate. Sed Veſpæ pungunt.

Vivunt *Apes* octennium & amplius.

Nec manent incolumes, nec fœliciter faciunt operas, apud injuſtos poſſeſſores.

EPISTOLARVM PHILIPPI MELANCTHONIS.

Liber Secundus.

MAGNIFICO VIRO, D. GEORGIO MEHL à STROLITZ, D. in GREVENSTEIN, Imperatoriæ Maieſtatis Conſiliario, & Regni BOHEMIÆ Procancellario, Domino ſuo & Patrono reverenter colendo.

FAteri oportet ſapientes omnes multas magnas difficultates, multa impedimenta ſemper in omni quamvis ſalutari & placida gubernatione objici: Multa accidere aut improviſa ſapientia humana, aut humanis conſiliis inextricabilia, & augeri hac mala, cum motis aut turbatis Rebuſpublicis, effert ſeſe & applauſu multitudinis confirmatur ac creſcit licentia deteriorum adverſus meliores. In his tantis fluctibus ac procellis rerum humanarum, ſæpe cum mediocres tum ſummi homines, qui partem aliquam gubernationis ſuſtinent, deſperatione quadam exiſtimant penitùs abjiciendos eſſe remos & vela, & procul fugiendam eſſe hominum ſocietatem, & partes omnium civilium officiorum, Eccleſiæ, Regnorum, Rerumpublicarum, doctrinarum, judiciorum gubernationem. Etenim non illud tantum miſerum eſt, quod bene merentes, calumnias, odia, pericula, cruciatus ſuis ſibi beneficiis accerſunt, ſed hoc multò triſtius eſt, quod fruſtra in tantis vitæ confuſionibus ſuſcipere tantos agones, tanta certamina videntur, & ſæpe opprimuntur calumniis.

Hac triſti & miſerâ ſpecie rerum humanarum etiam Socrates offenſus, cui oraculi voce ſapientia tributa fertur, fugit Rempubl. Idémque profeſſus eſt exemplo & ſententiâ, quod poſtea Epicurei inter dogmata retulerunt, quæ videri volebant ad bene beateq; vivendum neceſſaria eſſe, nimirum, Non attingendam eſſe ullam partem civilium officiorum. Et ſuperioribus ſeculis Monachi Epicureorum exemplum imitati, civilibus oneribus religionis prætextu prorſus excuſſis, in ſua ſeſe latibula abdiderunt. Etſi autem aſtutè hæc excogitata ſunt: nulli ex his tamen rectè ſenſerunt. Non enim ad ocium, nec ad ſuavitatem aut delicias naſcimur, ſed ut Deo ſerviamus, qui ſuam cuilibet ſtationem in hac vita attribuit. Nec vult nos deſerere mandata munera, aut animi mollitie aut deſperatione fractos: Vult retineri doctrinam Eccleſiæ, imperia & leges: Vult diſciplinam & judicia regi ac defendi, tantiſper donec ſpiramus. Et jubet à ſe peti & expectari auxilium, ac pollicetur labores noſtros non fore irritos, ſicut in Pſalmo dicitur: Expecta Dominum & cuſtodi viam ejus.

Etſi igitur & natura hominum ſunt infirmæ, & odio Dei graſſantur diaboli mendaces & homicidæ, qui in gubernatione collocatis horribiliter inſidiantur, & exitium quibus poſſunt modis & occaſionibus moliuntur calumniis aut vi manifeſta: Et fatales pœnæ ſcelerum mundi latè vagantur, per totum genus humanum, juſtitia Dei omni genere calamitatum oſtendente juſtam iram adverſus peccata, quod in hac tanta naturæ depravatione magnæ ſunt in animis tenebræ & cumulantur ſcelera variis furoribus: tamen immenſa Dei bonitas non accendit neq; effundit totam iram, ſed pœnæ mitigantur, nè totum genus humanum pereat, ſed ut inde excerpatur Eccleſia & hæreditas Filio Dei ipſum celebratura in omni æternitate. Ideo ſervat Deus aliquas politias, & has diſciplina & legibus regi præcipit. Servat & literarum ac doctrinæ hoſpitia, & mandat gubernatoribus, ut ſint legum & diſciplinæ cuſtodes, & adjuvat eos. Tuetur ac vindicat innocentiam bene meritorum, & his in periculis, cum petuntur calumniis aut in violentia, præſtat defenſionem.

Hac ſe cogitatione erigebat & conſolabatur ſocer meus Philippus Melancthon, cujus memoria ſit in benedictione, toto vitæ ſuæ curſu, quem expertus eſt penè univerſum plenum multiplicium difficultatum, adverſationum, calumniarum, inſidiarum & periculorum. Hujus fiducia manebat in ſtatione, in iiſdem, in quæ ſemel ingreſſus erat, veſtigiis perſiſtens, & operas vocationis urgebat, ita ut & Eccleſiæ & Reipublicæ ſerviret, & benefaceret quibus poſſet ſummâ voluntate ac fide. Nec propter odia, pericula, ærumnas, ingratitudinem abjiciebat onus divinitùs impoſitum humeris ſuis, etſi ſæpe majus id eſſe viribus ſuis quereretur.

Quanquam autem & mortuo accidit, quod à Pindaro dicitur: παλαιὰ ἕυδει χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτοὶ & quam ipſe vivus ſuſtinuit, eam & ſcripta ejus poſt mortem experiuntur calumniarum virulentiam,

lentiam; attamen vincet veritas, quæ non pendet ex judiciis aut affectibus hominum, nec temporum momentis mutatur, τὸ γὰρ ἀληθὲς ὂν, καὶ ὅμοιον ἑαυτῷ ἀεί· τὸ δὲ ψεῦδος πολυσχιδὲς καὶ πολύμορφον, ἀλλὰ καὶ τὸ καλὸν καλόν ἐστι, κἂν δοκῇ, κἂν μὴ δοκῇ. *Nec mortuo patrocinio meo opus eſt. Non magis enim tuebuntur eum præconia noſtra, ſi qua futura eſt poſteritas, quàm meritorum & virtutum, quibus excelluit, memoria, quam nulla delebunt calumniæ, nulla obruet vetuſtas. De ſtudio verò proferendi & illuſtrandi veritatem cœleſtem, & artes plurimas vitæ neceſſarias, teſtabuntur ſcripta quæ extant, de quibus judicium melius poſteritatis erit. Nec iis qui me ſcurrilitate conviciorum velut ad certamen provocant, aliud reſpondeo, quam* Gelon Syracuſanus *reſpondet convitiis legati* Spartani, ὃν μὴ πείσῃς ἀχθόμενα ἐν τῷ ἀμαθεῖ γένει. *Levitatem impudentiæ & vanitatem ſcurrilitatis in libro Monachi* Colonienſis *Deo juvante fides & veritas hiſtoriæ refutabunt.*

Quæ vero fuerit Melancthonis *erga Eccleſiam affectio, quæ de tuenda atq; conſervanda doctrinæ puritate ſolicitudo, quis erga Rempubl. amor, quod concordiæ ſtudium, oſtendunt cum cætera ſcripta ejus publica, tum verò & privatæ epiſtolæ ad amicos, quarum aliquas huic etiam libello aſperſimus, etſi plurima familiares ſunt & de rebus privatis ſcripta. His prodituris in publicum cum patronum quærerem, & exiſtimarem eligendum talem, qui illuſtri in loco collocatus excelleret ſapientiâ, doctrinâ, virtutum laude, dignitate & autoritate, venerunt mihi in mentem, Magnifice Domine Procancellarie, patrone digniſſime, ornamenta eximiæ ſapientiæ ac virtutum, quibus magnificentia tua eminet eo in loco, in quo eſt imperium orbis* Chriſtiani, *& dignitatis atq; autoritatis ſummæ præſidia, & teſtimonia ſingularis erga me humanitatis ac benevolentiæ, quâ me complexa eſt Mag. T.* Auguſtæ *magnis inſuper affectum beneficiis. Tuo itaq; patrocinio & editionem hanc & me commendo, reverenter orans, ut cum ad hoc illuſtre faſtigium Deus magnificentiam tuam plurimis ornatam eximiis dotibus & benefaciendi facultate inſtructam evexerit, conferas hæc divina adminicula ad gloriam Dei, & veritatis ſtudium provehendum, & ad fovendos ac tuendos viros bonos, quibus in hac triſti & fatali collabentium literarum ruina, quantum de his adhuc conſiſtit, fulcire atq; conſervare cura eſt; Et à me quod optimo rectiſſimoq; conſilio & animo factum eſt, gratum tibi, acceptumq; ut eſſe patiaris. Bene & feliciter vale, 16. Calend. Aprili. 1570.*

Magnificentiam Tuam

Reverenter colens

CASPAR PEVCERVS D.

EPIST.

EPISTOLARVM PHIL. MELANCTHONIS.

LIBER SECVNDVS.

Epiſtola ad Carolum V. Imperatorem, Ratiſbonæ ſcripta 19. Maii. Anno 1541. S. D.

Epiſt. 5. INvictiſſ. Imperator, Auguſte, Domine clementiſſ. Non inuſitatum eſt eos qui adhibentur ad conciliationes, utriuſq; partis odia incurrere & utrinq; plagas accipere. Id mihi non nunc primum accidit. Noſtri me accuſant, quædam languidius à me defenſa eſſe. Et fateor me quædam ſtudio pacis & concordiæ, quæ diſputari duriùs poterant, conceſſiſſe alteri parti. Quid ad communem concordiam utilius eſſet, quam quod de autoritate Epiſcoporum reſpondimus? Non pugnavi de iis ceremoniis, de quibus hactenus collocuti ſumus, cum tamen quædam ſine gravi cauſa flagitarentur. Sed in contentione de autoritate Synodorum ut eſſem acrior, & veritate & publicâ Eccleſiæ neceſſitate movebar. Eædem me cauſæ moverunt, ut cum de privata abſolutione moderatam & utilem ſententiam propoſuiſſemus, tamen Eccleſiis neceſſitatem enumerationis imponi nollem. Hic intelligo me accuſari apud Cæſ. M. V. tanquam durum & pertinacem. Et, ut audio, ſuſpiciones contra me ex his cauſis ortæ ſunt; quod ferunt me à *Luthero* habere inſtructionem: incitari etiam ſermonibus. cæterorum concionatorum, qui adſunt. Poſtremò, quod me fortè Legatus *Gallicus* allocutus eſt. Cum autem maximè optarim, tanto Principi, non ſolùm potentiâ, ſed multò magis Hèroicâ bonitate & clementiâ excellenti, & cupienti juvare Eccleſiam, maximè probatam eſſe meam voluntatem: judicavi neceſſariò ſuſpiciones illas refutandas eſſe; Et cum ſumma reverentia oro, ut hanc meam purgationem ſimplicem & veram Cæſ. M. V. clementer accipiat. Veriſſimis teſtimoniis confirmare poſſum, me à *Luthero* nulla mandata habere, qui ipſe ſi ad hæc negotia adhiberetur, faciliùs fortaſſis oſtenderet rationem ſarciendæ concordiæ, quam plerique alii. Dux *Saxoniæ* generalia mihi mandata dedit, nè à veris ſententiis diſcedam, id præceptum alioqui infixum eſſe cujuſque animo debet, etiam ſine Principum mandatis. Quòd autem dicor communicare conſilia cum cæteris concionatoribus qui adſunt, fateor mihi quoſdam familiares eſſe, ſed viros graves & moderatos, quibus cum interdum colloquor de negotiis, vel ut ipſe de rebus tantis cogitare accuratiùs poſſim, vel ut quorundam ſuſpicionibus occurram, quæ interdum oriuntur ex fabulis, quæ in populo ſparguntur, ut ſolet fieri. Nec tamen illorum magis, quàm meo judicio dixi, & ſcripſi ea quæ hic à me propoſita ſunt. Nec pugnavi uſquam de re non neceſſaria. Duæ cauſæ fuerunt, altera de Synodis, altera de Enumeratione. Nec dubito ſubire judicia bonorum & doctorum virorum toto orbe terrarum. Quis enim non intelligit quantum periculum ſit Eccleſiæ, ſi tribuatur Synodis, id eſt, certæ hominum multitudini, quod errare & labi non poſſit, cum C Propheta dicat, *Maledictus qui confidit in homine*? Quis etiam non videt legem de Enumeratione peperiſſe horribiles dubitationes, & obſcurare fiduciam, quâ mentes amplecti *Chriſti* beneficium debent? Spero doctos & bonos viros ubique terrarum probaturos eſſe meum conſilium, quod de his tantis rebus acriùs contendi, ac intellecturos, me in hac re non alienis adfectibus, ſed neceſſitati Eccleſiæ ſerviiſſe. Nota ſunt mea ſtudia multis in hoc conventu, ac D præcipuè collocutoribus. Hi teſtes eſſe poſſunt, me multas controverſias moderatum eſſe & diremiſſe. Sed habet ſuas metas moderatio. Luceat in Eccleſia veritas, quam Filius Dei è ſinu Patris allatam patefecit. Ac optârim Cæſ. M. V. introſpicere meum pectus, & videre animum, ut verè judicare poſſet, quod ſit meum conſilium, quæ voluntas tot jam annos in his controverſiis. Volui extare doctrinam veram, propriè explicatam, certam, Eccleſiæ utilem. Hic E fuit mihi ſemper ſtudiorum & actionum ſcopus, ut multa teſtimonia oſtendunt. Quare boni conſulendum eſt, ſi corruptelas rectæ doctrinæ ſtabilire aut adjuvare non volo. Tertia querela de congreſſu cum *Gallico* Legato, ſi quos movit, hi me prorſus non nôrunt. Sum ſcholaſticus, & alienus ab omnibus aulicis negotiis, & colo ſcholaſticas amicitias, quæ mihi ſunt etiam cum aliquibus *Gallis*, propterea quòd hoc tempore maximè floret *Gallia* doctrinæ ſtudiis. F Adierunt ergo me hîc quoque ſtudioſi quidam adoleſcentes, cum his loquor de Philoſophia, de Eloquentia. Sunt etiam qui mecum interdum de doctrina Chriſtiana ſermones miſcent; per hos adoleſcentes veni in notitiam legati *Gallici*, qui me ſemel tantùm in via, fortè deambulantem cum *Gallico* adoleſcente paucis verbis ſalutavit, adjiciens etiam ſe optare ut concordia Eccleſiæ feliciter hic conſtitueretur, deploravitque hæc diſſidia in *Germania*. G Hæc fuit ſumma orationis. Si quis aliud ſuſpicatur actum, de utroque errat. Hanc ſimplicem & veram purgationem ſpero Cæſar. M. V. ſatisfacturam eſſe. Sed ſatis animadverto ex his ſeu narrationibus ſeu ſuſpicionibus, quoſdam malle me abeſſe ab his conciliationibus, quæ inſtitutæ ſunt. His ago gratias. Nam ut ex animo cupio fideliter Eccleſiæ Filii Dei

ſervire: ita profectò ab his fucoſis conciliationibus abhorrui, & nunc dimitti me etiam atque etiam oro. Etſi enim non dubito, quin Cæſ. M. V. optimâ voluntate has conciliationes inſtituerit, & cupiat Eccleſiæ conſulere, & communem concordiam conſtituere: tamen multa ſanctiſſimis conatibus obſtare vidi. Difficile eſt aliquid admittere contra communem conſuetudinem, quamvis recentium temporum. Ideo cogitavi futurum, ut aut juberemur dogmata noſtra prorſus abjicere, ſi qua diſſentiunt à conſuetudine ubique recepta, aut decurrendum eſſe ad ambiguas & flexiloquas conciliationes, ſicut olim accidit in *Syrmienſi* Synodo. Ideò fateor me maximo in metu ſemper fuiſſe, de exitu harum actionum. Sed tamen cum propter virtutem & pietatem Cæſ. M. V. putarem non omnino deſperandum eſſe, paſſus ſum me adhiberi ad has actiones. Principia fuerunt mediocria. Sed poſtea utrunque accidit. Jubemur abjicere articulum de Enumeratione. Deinde multa ſunt in libro flexiloqua, ubi recepti abuſus excuſantur, & novis coloribus pinguntur, & tamen ſemina retinentur. Hic cum aſſentiri ſine offenſione conſcientiæ non poſſim, quid aliud faciam, quàm ut dimitti me orem? Scio doctrinam Eccleſiarum noſtrarum verè eſſe doctrinam Catholicæ Eccleſiæ *Chriſti*, idque fateri multos ſapientes arbitror. Sed hi nos arbitrantur in abuſibus tollendis fuiſſe duriores quàm opus fuit. Ipſi retineri aliquam ſanctorum invocationem, privatas miſſas, & ſimilia quædam cupiunt; Ideóque nos regredi volunt, volunt ſemina à nobis approbari. Id cum non poſſim facere, iterum me dimitti etiam atque etiam peto.

Ad Nicolaum Granvellum Oratorem Caroli V. Imperatoris Romanorum Vvormatia 22. Decemb. Anno 1540. S. D.

Epiſt. 2. ILluſtriſſ. & ampliſſ. Domine, Utinam ingenio & autoritate tantum valerem, ut mea opera aliquid ad veram Eccleſiæ concordiam conducere poſſet. Certè ſcripta mea teſtantur, me horridiores quaſdam quæſtiones præcidiſſe & conatum eſſe mitigare quaſdam materias. Nec unquam à conſenſu Catholicæ Eccleſiæ *Chriſti* diſſentiam. Videtur & hoc ad concordiam idoneum, quod toties obtulimus, nos Epiſcopis ſuam autoritatem velle tribuere. Nihil de potentia, dignitatibus aut opibus litigamus. Hæc politica boni conſulimus. Sed quoſdam doctrinæ & cultuum errores taxamus. Eſt autem *Franceferdiæ* deliberatum de via concordiæ, ut utriuſque partis voluntate deligerentur homines eruditi, pii, moderati. Nominaveram ipſe quoſdam in altera parte Reverendiſſimo D. *Lundenſi*, quos exiſtimabam ad talem deliberationem utiliter adhiberi poſſe. Hanc unam eſſe viam arbitror dirimendi has controverſias, niſi fatali aliqua mutatione dirimantur. Sed hic aliter res inſtituta eſt. Adſunt Monachi, inter quos, ſi qui ſunt eruditi, debebant minus duri eſſe. Sed aliqui etiam jactitant ſe habere mandata, nè quid nobis largiantur. Jam ſi hoc agitur, tantum ut noſtra omnia damnentur & deleantur, non poſſumus eis aſſentiri damnantibus veras ſententias, & Eccleſiæ neceſſarias, ut maximè proponantur nobis extrema ſupplicia. Movemur &

A nos publicis periculis, optaremus patriam tranquillam eſſe. Ego qualia ſint humana præſidia, non ſpecto, & quædam incommoda mihi in oculos incurrunt: ſed tamen qui piè de religione ſentiunt, propter talia non debent approbare vicioſos cultus, & publicam cauſam piam & neceſſariam abjicere.

Deinde quid opus fuit, indicere hunc conventum, ut de controverſiis eruditi colloquerentur, ſi tantum damnatio confirmanda fuit? Sed quia in B hac controverſia aliqui nimis dura mandata habent, & per ſeſe ſunt intractabiles, optandum eſt, ut redeatur ad *Francofordienſem* formulam, de qua ſupra dixi.

Arbitror tamen hic etiam poſſe aliquas controverſias tolli placidâ diſputatione, quia ſi removeatur ſophiſtica, certè paucas habemus difficiles aut obſcuras materias. Et expectat fortaſſis à me Excellentia T. aliquas articulorum mitigationes. De his ita ſentio: Primùm, ſi condentur C articuli flexiloqui, qui non funditùs tollant controverſias, ſed tantum involvant; hi multò majores diſſipationes efficient, quia utraque pars detorquebit eos ad confirmandas ſuas res, & alii aliter interpretabuntur. Deinde, puerile eſt & indignum ſapientibus viris in Eccleſia, ſic ludere ambiguitatibus. Tutius eſt igitur hic in diſputatione rebus agitatis videre in quibus articulis veritas ita perſpicua ſit, ut omnes ſani intelligant re ipſâ ſublatam eſſe controverſiam, etiamſi fortaſ-D ſis aliqui Monachi, qui habent depravata judicia, reclament. Profectò recta via in his tantis rebus tutiſſima eſt, & pleræque controverſiæ facilè poſſunt dijudicari. Duæ fortaſſis ſunt, quarum explicatio videtur difficilior. Articulus *De Juſtificatione*, & articulus *De Miſſa*, in reliquis nihil eſt obſcuri. Et ego in quibuſdam meis ſcriptis multas horridiores materias præcidi, ac ſatis judicare prudentes poſſunt, me quaſi manum directam habuiſſe ad hunc ſcopum, ut quaſdam controver-E ſias mitigarem, & excerperem res Eccleſiæ utiles.

In illo ipſo articulo *De Juſtificatione* tantùm hoc in ſumma dicimus, quòd agens pœnitentiam debeat credere remitti ſibi peccata propter Filium Dei, non propter propriam dignitatem. Hoc quid eſt abſurdi? Et tamen hunc articulum inprimis flagellant Monachi faſcinati ſuis quibuſdam imaginationibus, quæ unde ortæ ſint, hic longum eſſet recenſere. Arbitror autem homini F ſano facilè poſſe in hoc articulo ſatisfieri, qui propter deliramenta Monachorum nec abjiciendus nec obſcurandus eſt. De *Miſſæ* abuſibus conſtat multos bonos viros aliquot ſeculis queſtos eſſe, & fortaſſis publicæ calamitates multæ ſunt pœnæ contaminati Sacramenti. Nec dubium eſt, quin *Miſſæ* habeant opus emendatione. Nota eſt autem conſuetudo veteris Eccleſiæ in uſu Miſſæ. Et noſter articulus molliſſimè poſitus eſt. Reprehendit applicationem, quâ putant Miſſam mereri aliis G remiſſionem peccatorum, & alia. Hinc creverunt abuſus, quare utile eſſet de emendatione graviter deliberari.

Sed ſi de ſingulis materiis articuli condendi eſſent, prodeſſet hoc fieri à delectis ex utraque parte eruditis & moderatis, & in hac cauſa verſatis. Commoda autem ad pacem via eſt, quòd de Epiſcoporum dignitatibus & de politia Eccleſiaſtica noſtri

noſtri ſatis moderatè loquuntur. Viciſſim nobis Epiſcopi debebant piam doctrinam & emendationem aliquarum rerum concedere. Sed cur nihil æqui ab his impetrari poſſit, non eſt obſcurum. Conſpirant cum Pontificibus Monachi. Hi ſuperſtitiones defendunt propter quæſtum, inſcitiam & pertinaciam.

Lego quotidie libros, qui recèns eduntur; qui adeo nihil nobis concedunt, ut abuſus manifeſtos ante hæc ſecula ab omnibus ſanis taxatos adprobent, ut ſuperſtitiones Monachorum. Cum talibus quid prodeſt de concordia paciſci? cum ſint, ut *Pſalmus* inquit, *ſurdæ aſpides.* Sed vaticinia prædicunt Eccleſiæ poſtremi temporis non levia certamina, quæ quidem mitigare gubernatores, non oppreſſione veritatis, ſed veris conſiliis debent. Succurratur Eccleſiæ ſic ut extet doctrinà pia & utilis; Ego meam imbecillitatem agnoſco, ſed tamen quod ad me attinet, judicia bonorum virorum & doctorum non defugio. Nec à moderatis conſiliis abhorreo. Non amo ſimulationes, occultationes, diſſimulationes, quibus ſæpe vidi magis implicari negotia, quam extricari. Ideo ſi vel in publico congreſſu, vel in aliis deliberationibus adhibitus fuero, modeſtè, diligenter, & bonâ fide dicam quod ſentio. Et quod largiar, ingenuè ſine ambiguitate largiar. Quanquam autem video, quales ſint pleriſque cum quibus rixandum eſt: tamen ſpero aliquot controverſias in hoc ipſo congreſſu poſſe tolli, reliquæ ad aliam deliberationem rejici poſſent. Hæc ſcripſi ad Excell. T. ſimplici animo & bono ſtudio, quæ oro ut boni conſulat. XXII. Decemb. Anno M.D.XL.

Ad Præſides Colloquii Wormacienſis 1540. S.D.

Epiſt. 3. ILluſtris domine, Reverendi, generoſi, nobilitate & doctrinâ præſtantes Viri: Non adeo ſine ſenſu communi ſumus, ut ignoremus hominum judicia de nobis, & de his diſcordiis Eccleſiaſticis. Sed tamen Deus pater liberatoris noſtri *Jeſu Chriſti*, conditor omnium rerum, teſtis eſt, nos & ex animo piam concordiam expetere, & bono ſtudio profiteri hoc doctrinæ genus, in quo verſamur: quod quidem judicamus verè eſſe ipſum conſenſum Catholicæ Eccleſiæ *Chriſti*, quem illuſtrari & patefieri in Eccleſia neceſſe eſt. Ac pericula, ærumnæ & odia, quæ ſuſtinemus, poſſunt teſtari, nos non cupiditate aliquâ, non petulantiâ, non moroſitate à cæteris diſſentire.

Cum igitur bona conſcientia, hoc genus doctrinæ quod profitemur amplexi ſimus, & huc venerimus propter communem Eccleſiarum cauſam: reverenter oramus, ut boni conſulatis Vos jam interpellari.

Differri colloquium ideo audimus ut articuli cudantur ab adverſariis, proponendi nobis poſtea. Et fortaſſis hanc rationem conſtituendæ concordiæ aliqui fore putant, ſi cogamur illis articulis aſſentiri. Hæc via ad conciliandas Eccleſias non compendiaria, ſed regia eſſet, & aliena ab Eccleſiæ judiciis, & à decreto *Haganoenſi.* Nos enim ut de doctrina placidè & piè conferamus, huc miſſi ſumus: non ut recipiamus articulos flexiloquos & inſidioſè ſcriptos, qui non tollent, ſed magis inflammabunt diſſidia. Accedit & illud, quod iniquum eſt, non auditâ utraque parte, ire in ſuffra-

A gia. Fortaſſis auditis argumentis aliqui ex utraque parte abjicerent ſententias, quas nunc amplectuntur. Itaque grave præjudicium eſt ſuffragia præripere. Recuſavimus Synodum Pontificiam, quia iniquum eſt adverſarios & hoſtes eſſe Judices. At in Synodo minus erat periculi futurum, quam ſi hîc adverſarii velint nobis imponere articulos. Nam in Synodo conveniſſent plures docti & moderati, & exterarum gentium homines minus occupati adfectibus, quàm qui hîc adſunt. Fortaſſis etiam B nos auditi eſſemus, & res eruditè diſputatæ. Sed ſæpè jam audimus à ſapientibus quibuſdam dici, ne quidem opus eſſe diſputatione, quia non ſint rerum, ſed Verborum controverſiæ, quas prodeſt obruere potiùs quàm agitare, cum res ſit eadem, & leniri quædam horridiora verba poſſint, ſi interpretatio concinna addatur. Hoc conſilium laudandum eſſet, ſi tantum eſſent λογομαχίαι. Sed utraque pars hoc judicio graviter læditur. Cur nos interficiunt adverſarii, cur deleri tot gentes C volunt, ſi tantum verbis diſſidemus non rebus? Hoc perinde eſt, ac ſi *Sarmata* velit interficere *Germanum*, propterea quòd lingua eſt alia. Profectò duras pœnas damus inſcitiæ, ſi ideo plectimur, quia non ſatis facundi & diſerti adverſariis videmur. Deinde & nos ſcelerati ſumus, ſi Eccleſiæ & Reipub. tranquillitatem turbamus non neceſſariis rixis verborum.

Cum exarſerunt civiles diſſenſiones etiam in ea parte, quæ juſtam cauſam [illegible]etur: tamen inter-D dum impetu minùs moderatè certatur. Ideo non omninò nullæ ſunt in utraque parte verborum rixæ, Sed hæ facilè tolli poſſunt: Et ubicunque res convenit, non reprehendemus verba, cum iiſdem & ipſi ſine cavillatione utamur. Etſi nos quoque ſentimus proprietatem ſermonis in Eccleſia tuendam eſſe. Sed non litigamus de genere ſermonis, Rerum magnæ controverſiæ ſunt de veris Dei cultibus, de vera invocatione. Has non decet obrui hoc prætextu, quòd videantur eſſe E λογομαχίαι. Fortaſſis aliqui omnium religionum diſſidia tantum λογομαχίας eſſe cogitant. At *Chriſtianos* à tali Philoſophia prorſus abhorrere decet. Nos unam veram eſſe religionem ſentimus, quæ eſt certo verbo Dei tradita, & eſt conſenſus Catholicæ Eccleſiæ *Chriſti*, Videlicet Patrum, Prophetarum & Apoſtolorum. In hac vera religione regnat Filius Dei, & exaudit, & ſalutem æternam impertit. Cum igitur non tantum verbis diſſideamus, ſed variæ & magnæ ſint re-F rum controverſiæ: reverenter oramus, nè præjudiciis novorum articulorum prægravemur, néve rebus nondum agitatis ſuffragia præripiantur, ſed collocutio juxta decretum *Haganoenſe* inſtituatur. In quâ dabimus operam, ut omnes honeſti viri intelligant, nos non abhorrere à moderatis conſiliis. Verè enim poſſumus adfirmare, nos ſic affectos eſſe, ut etiam morte noſtra piam Eccleſiæ concordiam redimere cupiamus. Sed utrum adverſarii piam Eccleſiarum conciliationem quæ-G rant, an verò pravarum ſuperſtitionum confirmationem, facile eſt judicare moderatis & piis. Nec fucoſæ conciliationes tranquillitatem reſtituent. Etſi de rebus ipſis integrè diſputari volent, nobiſcum potiùs agant quam cum aliis. Speramus enim declarationem noſtram piis mentibus ſatisfacturam eſſe. Exiſtimamus autem invictiſſimi Imperatoris *Caroli Auguſti* eam eſſe Virtutem, ut

ut veritatem patefieri & veris modis conſuli ſaluti A
Eccleſiarum velit. Ideò oramus ut hanc noſtram
petitionem boni conſulatis, eámque ne proficiſci non
ab impudentia, ſed à piò quodam ſtudio judicetis.
Nam ſi pergent adverſarii ſuffragia præripere,
quale ſit futurum judicium bonorum ubique de
hoc conventu, non eſt obſcurum: qui jam hunc
conventum & gubernatores animis intuentur, &
expectant Eccleſiarum emendationem & pacem.
Neceſſe enim erit nobis de talibus præjudiciis
queri. Sed ſperamus vos autoritatem veſtram B
interpoſituros eſſe, ac daturos operam, ut veritate
patefactâ, aliquando uno pectore & unâ voce
omnes Eccleſiæ Deum celebrent. Quod ut perficiatis,
oramus Deum ut mentes veſtras, & conſilia,
& voluntates omnium piorum gubernet. Poſtremò
reverenter petimus, ut nobis benignè reſpondeatur.

Clariſſimo & optimo viro D. Martino Luthero,
Doctori Theologiæ, inſtauratori Euangelicæ C
Doctrinæ, patri ſuo in Chriſto reverendiſſimo S.D.

Epiſt. 4. HAc horâ reddidit mihi optatiſſimas literas tuas *Franciſcus* pædagogus filiorum tuorum die
tertio Martii. De initiis conventûs ſcripſi ad vos
ante paucos dies. Poſtea advenit Orator Cæſareus,
& mandatum attulit liberalius omnium ſpe
& expectatione, ut pacificatores ſuo judicio non
ſolùm inducias, ſed etiam pacem faciant. Id man- D
datum tum publicè recitatum eſt. Juſſerunt Electores
duo, *Palatinus* & *Marchio*, formam pacis
componi, ut ſciretur, quid *Noribergenſi* pacificatione
permiſſum ſit. Noſtri formulam jam exhibuerunt,
in qua petunt ſecuritatem concedi non
modo fœderatis, ſed etiam cæteris ordinibus, ſi
qui amplecterentur Euangelii doctrinam. Nunc
deliberant pacificatores, & voluntatem Cæſarei
Oratoris aiunt nequaquam congruere cum liber-
tate mandati: *Bona loquens, mala autem profundâ* E
mente celat, ut inquit *Homerus*, idque unum putatur
eſſe aulica ſapientia. Hæc ſunt acta uſque ad diem
tertium Martii. Noſtri etſi ſedulò petant pacem,
& quidem habeant ſpem rem poſſe ad ocium deduci;
tamen videntur animis parati ad omnes
caſus. Tu orabis propter miſeram juventutem,
ut *Chriſtus* nobis pacem concedat & efficiat. Si
non miſericordia moveret pueritiæ, cui diſciplinâ
& inſtitutione opus eſt, quæ bellum impedit, non
metuerem arma. Tanta eſt in Adverſariis impie- F
tas, tantus furor, addo etiam tanta conſternatio,
ut nihil dubitem fatali aliquo tumultu perituros.
Moguntinus conſulit ſacrificulum magum *Von
Walthauſen* non procul ab urbe *Vangionum* de bello
movendo; is bene promiſit, ut ferunt. Talibus
Diaboli ludibriis conſolatur ſe, & tamen in ſummo
metu eſt, nec in metu tantùm, ſed etiam in
odio. Omnes ſummi atque infimi ejus artificiis
conflata eſſe hæc pericula judicant. Oremus igitur
ut Deus ſervet noſtros, & ſibi Eccleſiam ſanctifi- G
cet inter nos, & liberet nos à ſatellitio *Diag.*
Nondum mihi conventus ſuppeditat longius argumentum.
Quare has literas boni conſulas. Salutem
tibi precatur D. *Pontanus* & M. *Franciſcus*,
Deus ac Pater Domini *Jeſu Chriſti* ſervet te
ac familiam tuam. Meos tibi & precibus tuis
commendo. *Francofurdiæ* die III. Martii. Dicas
A ſalutem honeſtiſſimæ conjugi tuæ meis verbis.
Vale. M.D.XXXIX.

D. Martino Luthero S.D.

POſtquam noſtri exhibuerunt articulos de for- Epiſt. 5.
ma pacis, deliberatio Cæſarei Oratoris & pacificatorum
extracta eſt in diem XII. Martii.
Poſtea exhibuerunt noſtris duas futiles declamationes,
quarum altera, Legati ſcilicet, contumelioſè
B ſcripta erat: Altera mitior, quæ oſtendebat pacificatores
acturos eſſe, ut fiant induciæ aliquot annorum,
& interea congreſſus inſtituturos, in quibus
deliberaretur de concordia Eccleſiarum, &
doctrina. Nam Cæſar non fecit mentionem Synodi,
nec ullam futurum eſſe ſperant: eámque ob
cauſam, ſi vera narrat Legatus, tergiverſanti
Pontifici ſuccenſet. Noſtri adornant reſponſionem,
fortaſſis præciſè dicent, quas conditiones
poſſint accipere. Nam maturato opus eſt, nè no-
C ſtri imparati opprimantur, ſi induciæ non fiant.
Etſi à Domino quidem ſperamus tranquillitatem.
Initio hìc erant atroces ſermones de *Turcis*,
nunc ſubitò conſileſcunt, & dicuntur induciæ factæ
à *Gallo*. In *Belgico* ſunt magni apparatus, non
obſcurè minantur regno *Britanniæ*. Sed multi alia
ſuſpicantur. Deniq; nihil poſſum de Repub. certi
ſcribere. Quare orabis ut ipſe gubernet & ſervet
nos. *Macedo* propter variolos non prodit in publicum,
Sed judicant à morbo nihil eſſe periculi. De
D te interrogat, quoties ad eum venio, téque jubet
amanter ſalutare. Narravit mihi nuper ſe Deum
precatum eſſe, ut ſibi vitam proroget, ſi ſit profutura
Euangelio *Chriſti*. Bene & feliciter vale. Deus
ſervet te & univerſam familiam tuam. Salutant
te reverenter D. *Pontanus* & tuus vetus hoſpes
concionator Comitis *Novæ Aquilæ*. XIV. Martii.
M.D.XXXIX.

D. Martino Luthero S.D.

E VT *Polybii* more continuam hiſtoriam texa- Epiſt. 6.
mus, ea narrabo, quæ ſecuta ſunt proximas
literas datas Tabellario Civi *Wirtenbergenſi*. Poſtquam
legati *Palatini Marchienis* & *Juliacenſis* re-
pudiarunt *Eccianos* articulos, acceſſivit *Granvellus*
Palatini legatos ſenem de *Fleckenſtein* virum gravem
& antiquæ virtutis, & cancellarium, ac poſtulavit,
ut imperent ſuis Theologis, ut ſubſcribant
Eccianæ formulæ. Hi graviter reſpondent, ſe non
F coacturos quenquam, ut aſſentiatur aliis contra
conſcientiam. Poſtea nova ratio inita eſt, ut tres
illi divellerentur, quod viderentur non omnes
pariter exercitati eſſe in Sophiſtica illa veteri.
Quare nè *Scotus* diceret pro cæteris, decretum eſt,
ut diſputationes cum ſingulis inſtituerentur, adhibitis
peregrinis Theologis *Sorbonicis*, ut oculis quoque
tenor offunderetur. Hìc adornavi Epiſtolam
nomine concionatorum noſtrorum ad *Granvellum*
& cæteros ἐπιστάτας, ac petivi, ut nobiſcum poti-
G ùs de ipſis controverſiis diſputaretur. Hâc Epiſtolâ
exhibitâ nunciatum eſt conſilium adverſariorum.
Etſi jam *Palatini* concionatorem audierant,
qui & conſtantiæ & eruditionis laudem
adeptus eſt. *Scotus* erat avidus ejus certaminis.
Sed poſt primum congreſſum cum *Palatini* concionatore
poſtea hæ diſputationes omiſſæ ſunt.
Exemplum noſtræ Epiſtolæ deſcripſit D *Caſparus*.
Tandem

Tandem igitur ſimulant ſe inchoaturos publicè diſputationem. Vocamur in curiam, ibi narrant βραβευταὶ non eſſe voluntatem imperatorii reſcripti, ut fiat alia ſuffragatio, addunt compoſitos eſſe ab adverſariis Articulos, quos velint nobis exhibere, ſi eos accepturi ſumus. Totam hanc formam agendi repudiavimus. Exemplum noſtræ reſponſionis addidi his literis, ex quo intelliges, quid illi propoſuerint. *Marchionis* & *Juliacenſis* legati arte excludebantur. Deindè multæ graviſſimæ cauſæ erant repudiandi articulos. Videram enim eos antea, & ſciebam quàm pueriliter, ambiguè, Sophiſticè ſcripti ſint. Sequitur rurſus nova deliberatio. Petit *Granvellus*, ut pauci apud ipſum inſtituant colloquium, ait ſe adhibiturum paucos, & tractabiliores, id quoque recuſavimus. Nunc expectamus, quid reſponſuri ſint ad noſtram petitionem, quam in his pagellis leges. Nam ad has recuſationes noſtras nondum reſponſum eſt. Miræ ſunt concurſationes Adverſariorum, & miræ technæ. Quare Deum orabitis, ut nos gubernet. Adhuc inter noſtros Dei beneficio conſenſus eſt, etſi aliqui oſtendunt, ſe libenter gratificaturos eſſe *Granvello*, ſed non admodum audent repugnare cæteris. Habes totam hiſtoriam actionum noſtrarum uſque ad hunc diem. Bene & feliciter Vale. Salutem opto honeſtiſſimæ conjugi tuæ. *Wormaciæ* die Innocentum. M.D.XLI.

Clariſſimo et optimo viro D. Iuſto Ionæ D. Theologiæ præpoſito Eccleſiæ Witebergenſis, amico ſuo Chariſs. S. D.

Epiſt. 7. MEminiſti apud *Ciceronem* in *lib. De legibus* hiſtoriam eſſe de *Lucio Gellio*, qui, cum ei decreta eſſet *Aſia* provincia, in itinere *Athenis* convocavit omnium ſectarum Philoſophos, ac hortatus eſt eos ad componendas controverſias ac diſſidia doctrinæ. Oſtendit quantum profutura ſit ſtudiis & moribus dogmatum conſenſio, ac pollicetur ſe pacificatorem & arbitrum fore. Propemodum hic ita res agitur: Noſter *Lucius Gellius* ait, nihil opus eſſe prolixâ diſputatione, poſſe rem ſubitò componi à ſtantibus, ſicut *Iudæi* agnum ſtantes aſſumebant, hac enim ſimilitudine uſus eſt, & habet horum conſiliorum ſocium *Eccium*, qui perſuadet, tantum eſſe rixas verborum. Iſti autem nos planè ducunt fatuos eſſe, aut non ſatis attendunt, quantam rem agant, ſed fortaſſis vaticinantes, delere *Chriſtum* cupiunt, ſicut *Iudæi* mactârunt agnum. Hiſtoriam petes ex literis, quas ſcripſi ad D. Doctorem. D. *Paſtori* Eccleſiæ noſtræ ſalutem dicito meis verbis. Bene Vale. Die *Thomæ Wormaciæ* M.D.XLI.

Clariſſimo viro D. Iuſto Ionæ S. D.

Epiſt. 8. NIſi & cauſas calamitatum Eccleſiæ Dei, & doctrinam de veris conſolationibus in Euangelio traditam utcunque nôſſem, prorſus extinguerer nunc dolore animi, in tantis domeſticis & amicorum calamitatibus. *Hieronymum Baumgartnerum* audio in reditu ex *Spirenſi* conventu captum eſſe ab inſultatoribus Centauris, ac duos equites propugnantes ipſum interfectos. Quanti hunc virum nos omnes, qui eum familiariter novimus, fecerimus nôſti. Nam & privata ejus vita plena erat pulcherrimorum ornamentorum. Eru-

A ditione certabat cum doctiſſimis Viris, quorum extant literæ. Juſtitiâ & moderatione animi ſummâ præditus eſt, & patriæ utilitati in politicis negotiis tuendis, in ornandis Eccleſiis Dei, & in provehendis ſtudiis literarum nemo in ea Urbe diligentiùs aut majore aſſiduitate ſervivit. Doleo igitur & ipſius cauſâ, & propter ejus conjugem, & liberos, & propter Rempub. & propter nos, talem nobis virum & amicum eripi. Oro autem Deum æternum patrem Domini noſtri *Jeſu Chri-*
B *ſti*, ut hunc *Hieronymum*, qui profectò *Chriſti* doctrinam ex animo coluit, ſervet ac liberet, & nos tegat in tantis furoribus Diaboli. Quicquid de *Baumgartnero* audies quæſo te ſignifices. Bene vale: die XVII. Junii.

Ad N. Cordatum S. D.

VErè hoc affirmare poſſum, me literas tuas non intellexiſſe, adeo confuſè erant ſcriptæ, ut Epiſt. 9.
C ſatis appareret ab irato & valde commoto profectas eſſe. Itaque principio conſtitueram nihil reſpondere. Sed poſtridie cognita re diligentiùs, mutavi conſilium. Id ita moderatus ſum, non ut ad omnia, quæ odioſè colligis, reſponderem: ſed ad duo tantum capita Epiſtolæ tuæ, quæ continent atrocem criminationem. Ac valde miror, cum videri velis tam juſta & gravi de cauſa mihi ſuccenſere, te nunquam coram ullum mecum verbum commutâſſe, fortaſſis in colloquio ſanâſſemus hanc
D offenſionem. Non ſolùm communi fœdere religionis, ſed etiam privato quodam vinculo conjuncti ſumus, ſumus enim compatres, quam ego neceſſitudinem non contemno. Quare amicitiam eſſe inter nos ſemper putavi. Quàm autem amicè feceris, quod me prius traduxiſti apud alios & quidem multos, eoſque adverſus me concitâſti, quàm me admoneres quid deſiderares, alii judicent. Nunc bellum infers per literas, & ordiris ita, ut non diſputare mecum, aut me admonere velle
E videare, ſed hoſtilem animum indicas. Primùm me dicis deridere genus doctrinæ quod profitemur, etiam profeſſores hujus doctrinæ, hoc abs te ferri non poſſe, & hanc eſſe cauſam dicis, cur mihi iraſcaris. Quid mihi majus objici poterat? Non ſolùm lentus, ſed etiam impius viderer, ſi me non purgarem. Reſpondeo igitur breviter, magnâ me injuriâ abs te affici, neque genus doctrinæ, neque profeſſores homines pios unquam deriſi, nè te quidem. Sed profectò bene de te exi-
F ſtimavi. Idque multi mei ſermones pleni comitatis teſtantur. Meminiſti enim me recitare dictum *Dureri*. Ecce autem quam aſtutè mecum incipis pugnare, hoc uſus es exordio, primum ut ſuſpicione me prægravares apud omnes noſtros, eóſque adverſus me incenderes. Quanquam autem hæc me injuria non leviter movet: tamen iram cohibebo, nec viciſſim te remunerabor, nec à mea Philoſophia & moderatione diſcedam. Deinde illud addam ingenuè, me non reprehendere
G ſolitum abſurdas opiniones ineruditorum, qui hoc doctrinæ genus cum non intelligerent, imaginationes habebant nocentes pietati & moribus. Nam ſi controverſiæ, quæ in Eccleſia motæ ſunt, adeò videntur tibi faciles, ut ſubitò eas aſſequaris, gratulor tibi hoc acumen. Ego fatebor, etiamſi hebes dicar, mihi videri valde difficiles, ac animadverti pleraſque diſputationes à multis parum

dextrè

dextrè intelligi. Vidi *Auguſtæ* cum ſcriberetur A Confeſſio, quam magna eſſet diſſimilitudo opinionum. Quiſpiam hoc modo explicabat propoſitionem: *Solâ fide juſtificamur, non externis opinionibus ſed cultu interiori.* Deindè ut eam commendatiorem redderet adverſariis, adjecit etiam, ex *Platone* & *Catone* eam confirmari poſſe, & verſus aſcripſit:

Si Deus eſt animus, nobis ut carmina dicunt, &c.

Quid erat alienius ab hac diſputatione? & poſſem alia multa commemorare, quæ me moverunt, B ut omnibus ingenii atq; animi nervis aliquandiu in hoc præcipuè incubuerim, ut has tantas res dilucidè & diſtinctè explicarem, ut juventus noſtra ad diligentiam aſſuefieret, ut rectas & moderatas opiniones conciperet. Quantum mihi notus ſum, verè & bonâ conſcientiâ affirmo, nihil me aliud ſpectâſſe, niſi ut publicè prodeſſem, & ſpero cum hanc meam voluntatem, tum diligentiam Deo placere. Certè multi boni ac docti viri ex noſtris mihi gratias agunt, aliis alia dona contigerunt. C Ego non ſum autor alicujus novi dogmatis, nihil arrogo mihi, libenter & moneri me patior, mutaturus etiam meas ſententias, ſi alicubi à via aberravi. Quid enim magis eſt proprium homini, quàm labi ac decipi? Multa ultrò correxi in meis libellis, & correxiſſe me gaudeo, & adoleſcentiam optimo animo adhortor, ut ſe ad proprietatem aſſuefaciat. Itaque ſi vel hunc animum, vel meum aliquod dictum non probabas, poteras me amanter admonere. Plus ſatis eſt ſcandalorum & D diſcordiarum alioqui. Quo magis miror quare tantam tragœdiam tam hoſtili animo excitaris, quæ quid paritura eſſet incommodorum, ſi ulciſci has injurias vellemus? Sed venio ad alteram partem. Rectè dicis cauſam *Crucigeri* ad me pertinere, fateor, & illum virum optimum & egregiâ doctrinâ præditum periculo & invidiâ liberari cupiò, libenter totam rem in me transfero. Quod vero urges ut adigamur ad palinodiam, nondum ſcio quid nominatim reprehendas. Deinde eti- E amſi ſcirem, an non prius me audiri etiam æquum eſt? Mihi nihil eſt jucundius in vita, quàm de doctrina & bonis & magnis rebus cum bonis ac doctis conferre. Ac diſputo ſine ulla animi acerbitate, ſæpè contentioſiùs cum amiciſſimis. Itâ tecum etiam aliquando rixatus ſum.

Quare beneficium mihi præſtari putabo, ſi me ad aliquam cum doctis collationem invitaveris. Sed ſi hoſtiliter mecum vis agere, ſerves ordinem judiciorum, primum me priva- F tim admoneas, mitte ſcriptam tuam ſententiam, huic reſpondebo, fortaſſis inter nos poterit convenire. Ego non ſum ἀναμάρτητος, tu quantum tibi ſumas ipſi, videris. Sed ſæpe jam animadverti multis accidere, quod Stoico illi accidit apud Regem *Ptolemæum*, qui cum affirmâſſet ſapientem errare non poſſe nec falli, poſtea pro avicula vera comedit factitiam. Deinde ſi judicio vis experiri, non defugio, mori mallem, quàm Eccleſiæ judicium defugere. Et nè quid ſit ambigui in hoc ver- G bo, nominabo Judices, ex quibus eligito quoſcunque voles. Pati poſſum Judices & lectores hujus Academiæ noſtræ omnes. Deinde duos Principes, Ducem *Saxoniæ* Electorem, ſi libet adde aliquot nobiſcum ſentientes. Deinde *Ambsdorffium* virum probatum & eruditum. *Urbanum Regium, Bonnum.* Item omnes concionatores *Noribergenſes.* A Item, & *Argentinenſes.* Quid poteſt æquius proponi? Etſi mihi admodum moleſtum eſt, quòd inter nos conflictamur, & quòd in me vehementer animi tui impetus effundis, quia unus ſum omnium minimè pugnax. Et hic ſatis ſuſtineo pro mea virili laborum, non tantum ſcholaſticorum, ſed etiam aliorum, qui ad Rempub. pertinent, horum te rationem aliquam habere conveniebat, ſi quid in te humanitatis eſſet, etiamſi amicitiam ejeciſſes ex animo. Ut diſputatio- B ne de doctrina delector: ita ſycophanticas rixas toto pectore fugere cupio, à quibus, ſi æquitate bonorum & prudentum non liberor, æquiſſimo animo me in aliquas latebras, ubi potero, abdam. Multa prætereo in Epiſtola tua, non enim volo incendere hanc diſſenſionem: ſed defenſionem juſtam & neceſſariam mihi concedi æquum eſt. Nec ego quicquam immoderatè dicam aut faciam. Quidam putant eò te mihi infeſtiorem eſſe, quia prædico Philoſophiam, & ad ejus ſtudia C adoleſcentes adhortor. Hæc ſi cauſa eſt, decebat te virum ingenuum apertè oſtendere. Ego me rectis judiciis bonorum, & meæ conſcientiæ teſtimonio, & exemplis bonorum virorum, qui & ipſi plagas injuſtas in Reſpub. acceperunt, conſolabor.

Reverendo viro pietate & doctrina præſtanti D. Iohanni Matheſio, &c. amico ſuo, S.D.

D ETſi nulla mihi privatim noticia tecum intercedit: tamen cum debeat inter nos, qui iiſdem ſtudiorum ſacris initiati ſumus, commune quoddam fœdus eſſe, ſperavi tibi meas literas non futuras ingratas. Hic juvenis petit ὑποδιδασκάλου munus in tua ſchola, ad quod affert earum artium, quas ibi requiri audio, cognitionem non contemnendam. Vidi ejus ſcripta quæ teſtantur eum & valere ingenio & Latinè ſatis doctum eſſe. *Epiſt.* 10.
E Callet etiam Muſicen. Sed ingenium ejus ipſe miratus ſum in Arithmeticis. Quare magnopere cupio ei conſuli, téque rogo per communia ſtudia humanitatis, ut hujus juvenis operam conducere velis, eúmque tuis civibus commendare. Tibi quoque honorificum erit, tale ingenium fovere atque tueri. Ego ſi qua in re potero tibi viciſſim gratum facere, dabo operam ut intelligas, te à me fieri plurimum. Bene vale. Saluta *D. Egranum* meis verbis.

F

D. Iohanni Matheſio S D.

DEum æternum Patrem liberatoris noſtri *Jeſu Chriſti* oro, ut Eccleſiam veſtram & miniſterium Evangelii, quo fungeris, gubernet, tibique det fauſtum, felix, tranquillum & ſuave conjugium, ut ſit conjugium tuum imago amoris, quo *Chriſtus* ſponſam ſuam Eccleſiam diligit, ut certè vult *Chriſtus* noſtras στοργὰς ſigna eſſe ſui G amoris erga nos. Gaudeo relinqui altercationem, quæ inter vos fuit *De juſtitia ante lapſum humana natura.* Mi *Matheſi*, de præſentibus noſtris ærumnis, de præſenti beneficio diſputemus. Magnæ res nobis cogitandæ ſunt. Poſtquam lapſa eſt humana natura, cogitemus ſeriam fuiſſe iram Dei, & quidem tantam, ut niſi tunc Filius fuiſſet deprecator, tota natura hominum rejecta fuiſſet. Conſiderat *Epiſt.* 11.

diderat Deus homines ut ſe patefaceret, ut celebraretur, denique ut delectaretur hoc opere. Ab hoc ſe contemptum eſſe verè iraſcebatur: ſed interceſſit pro nobis Filius. Rurſus magnitudo miſericordiæ declaretur, quæ tamen ſi ira non cogitetur declarari non poteſt. Hos locos agitandos & illuſtrandos eſſe duco. Et in his verſari *Paulum* vides. Omittamus diſputationes, quæ plus habent ſubtilitatis, quam utilitatis, ac in noſtris Eccleſiis concordiam foveamus. Id autem fieri non poteſt, niſi nos ipſi interdum quoſdam iracundorum hominum aculeos diſſimulemus. Hanc Philoſophiam profectò neceſſariam eſſe doctori in Eccleſia judico, & opinor mea exempla aliqua in hoc genere tibi nota eſſe. Viro clariſſimo D. Doctori *Nevio* & collegæ tuo ſalutem opto. Amicitiam inter nos perpetuam eſſe volo. Nam ſi qui hæc vincula non magnifaciunt, ſtudiorum & Eccleſiæ conjunctionem, profectò ferreos animos habent. Mihi tanquam fratres amandos & colendos eſſe omnes judico, qui mecum Filium Dei invocant ubicunque terrarum, deinde & συμφιλοσοφοῦντας. Bene vale. Menſe Jan. M.D.XLIII.

D. *Iohanni Mattheſio* S. D.

*Epiſt.*12. REverende vir & amice chariſſime, Vagantur ſcholaſtici paſſim ſine hoſpitiis & ſine nidulis. Nos verò affici noſtri gregis ærumnis decet. Quæſo igitur ut hunc *Nicolaum Ulmenſem*, doctum, honeſtum & patientem laboris, mittas in eum locum, cujus nuper hic mentionem faciebas, aut in alium locum, aut quæras civem iſtic, qui ei pædagogiam domeſticam commendet. Obſecro te, ut eum quacunque ratione adjuves. In *Suevia* pulſi ſunt plures trecentis paſtores Eccleſiarum. Imò & trucidati aliqui ab *Hiſpanis*, qui eis & viaticum & conjuges eripiunt. In Eccleſiis fit ſolitudo. Oremus Deum ut hæc ingentia mala finiat. Bene vale, die XXII. Januarii.

D. *Iohanni Mattheſio* S. D.

*Epiſt.*13. REverende vir & chariſſime frater, De bello non libet ſcribere. Nam ut *Simonides* inquit: ὧν ἔργον ἐν καλοῖς οὐκ ἔστιν ἔτι καλά. Nos hanc conſolationem teneamus, quòd ſcimus Filium Dei cuſtodem eſſe ſuæ Eccleſiæ, qui dixit: *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* Siclos quem miſiſti, placuit nobis, téque oro, ut pro duobus aut tribus *Joachimicis*, quos reddam, cudi ſimiles mihi cures. Nunc mitto vobis pagellas. Commendo etiam tibi hunc *Bremenſem* Conſulis Filium *Edelartum*, verè generoſo ingenio, qui expatiaturus in aërem ſalubriorem videre miracula naturæ in veſtra *Sarepta* volunt. Quæſo ut eum amicis commendes, nè deſint ei hoſpitalia officia. Ipſe viciſſim juſtitiam, fidem & modeſtiam hoſpiti convenientem præſtabit. Bene & feliciter vale, die IV. Julii.

D. *Iohanni Mattheſio* S.D.

*Epiſt.*14. ETſi ferrei & impii animi eſſet non dolere in tantis periculis publicis & privatis: tamen intueri nos decet in eas conſolationes, quas Deus Eccleſiæ ſuæ tradidit, & moderari pavores & mœſtitiam. Scio vos neceſſariam Eccleſiæ doctrinam

A bonâ fide inquiſiviſſe, & multa rectè à vobis explicata eſſe, quæ antea fuerant à Monachis depravata. Spero igitur & veſtros labores & vos Deo curæ fore, & eventum Deo commendo. Pro tuo munere gratias ago, quod miſi filiæ meæ miſeræ, exulanti in littore *Baltico*. De ſchola meum conſilium eſt, prorſus ut eam Deo & Gubernatori, quiſquis eſt, commendes, nec emendationem aut mutationem aliquam inſtituas, niſi tantus candor ſit in Gubernatore, ut intelligas eum libenter au-
B dire tua conſilia.

Miræ ſunt ingeniorum moroſitates, & multa ferenda ſunt tranquillitatis publicæ cauſâ. Commendo tibi hunc *Chriſtophorum*, cui diligenter præcepi, ut tibi obtemperaret, idq; ſe facturum eſſe promiſit. Mitto tibi pagellas hic recens editas. Ego & amici quidem optaremus te eſſe in Academia *Lipſica*, etſi video quantum referat te ab Eccleſia vallis *Joachimica* non abduci: tamen Academiæ magis conſulendum eſſe ſentio, téque oro, ut
C de tua voluntate mihi ſcribas. Bene vale, die decima Julii.

D. *Iohanni Mattheſio* S.D.

REverende vir & chariſſime frater, In *Græco* *Epiſt.*15. verſu dicitur: *Dulciſſimum quiddam eſſe, Eſſe officioſum cum quadam intelligentia & delectu*, ſed *Græcè* hoc modo melius dicitur, tibique verſum notum eſſe volo, in quo morum tuorum imagi-
D nem pictam eſſe judico:

ὃς ἰθὺ ναίων χαρίεντας ἑταίρων.

Has virtutes in *Mylio* eſſe comperimus: prudenter judicat quid deceat, & honeſtus ac officioſus eſt. Ad hæc decora addit veram agnitionem & invocationem Dei. Talis cùm ſit, conſuetudo ejus mihi & aliis ſuavis fuit. Et optarim nos ſemper unà eſſe. Sed cum id fieri non poſſit, erit tamen perpetua animorum conjunctio, & aliquanto poſt in Eccleſia cœleſti rurſus convenie-
E mus. Nunc oro Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, ut hunc *Vuolfgangum* ſervet incolumem, & gubernet totius vitæ ipſius curriculum. Tua ei officia ſcio non defutura eſſe. De bello non libet ſcribere, ſed tamen cum poteris; tu nobis ſignifica quicquid putabis ἐξ εἰκότων, de *Caroli* Imperatoris itineribus & de vicinia veſtra. In hac noſtra vicinia colligi exercitum à *Marchione Iohanne* certum eſt. Bene & feliciter valete omnes.
F Cal. Auguſt.

D. *Iohanni Mattheſio* D. S.

SErvabit Deus Eccleſiam ſuam inter fluctus *Epiſt.*16. Imperiorum, ut ſervavit in mari rubro incedentem inter undarum montes, etiamſi multi etiam caſtigabuntur. Nam & nos multis peccatis & ſcandalis Deum offendimus. Dicamus igitur cum *Daniele: Tibi Domine juſtitia, nobis autem confuſio faciei noſtra.* Sed tu propter nominis tui
G gloriam, & propter Filium tuum miſerearis noſtri, & parcas Eccleſiis tuis, & pœnas miriges. Quod igitur tali tempore non diſcedis iſtinc, gravitatem tuam laudo, ſed tamen de hac re iterum deliberari poterit. Tuam Epiſtolam mittam ad amicos *Lipſicos*. De bello nihil ſcribo, niſi, quod facis, ut conjungas tua vota cum aliorum piorum votis, ut Deus det exitum huic bello ſalutarem

tarem Eccleſiæ ſuæ. Bene & feliciter vale. Die 20. Auguſti, quo primum veni *Lipſiam* ante annos 28. Mitto tibi pagellas, quarum lectio fortaſſis aliquibus piis grata erit. Qualeſcunque belli vel cauſæ ſunt, vel eventus erunt, non erit abjicienda Dei invocatio. Ideo Dominum colamus. Bene vale, & reſcribe.

D. Iohanni Matheſio S. D.

Epiſt. 17. NEſcio unde exordiar, cum & de publicis moribus, & de privatis tuis doloribus ad me ſcripſeris. Sed meminerimus, omnes calamitates publicas & privatas, nos hortari, ut Deum Patrem æternum Domini noſtri *Jeſu Chriſti* invocemus, qui ſe ideo tam illuſtribus teſtimoniis patefecit, ut teſtaretur ſe nos curare. Hunc oro, ut ſervet te & honeſtiſſimam conjugem tuam. Abortus in his regionibus crebros eſſe animadverti propter frigidum potum, quem vocant ſecundariam Cereviſiam, quam fere bibunt mulieres. Curabis igitur tuæ conjugi potum pleniorem, & de hac ipſa cauſa cum D. *Nevio* colloqueris. Publicos tumultus etiam Deo commendemus aſſiduis precibus. Satis enim apparet impendere fatalem converſionem imperiorum, quâ etiam Eccleſiæ & Academiolæ quaſſabuntur, ſed tamen ſpero Deum ſervaturum eſſe ſtudiorum honeſtiorum reliquias. Magna ſanis hominibus conſolatio eſt in tantis calamitatibus tenere tamen firmam de Deo doctrinam & conſiderare fatales cauſas & Eccleſiæ ſpeciem omnibus ætatibus. Ideo apud vos gaudeo rectæ doctrinæ concordiam retineri, & de his tantis rebus homines commonefieri, ac dici ea quæ ad conſolandos & ſanandos animos proſunt, in quam rem ut incumbas te etiam atque etiam oro. Bene vale. Die XXVII. Septembris, quo ante annos MMM. DCCC. XXXI. arca *Noha* primum quievit poſt diluvium, Utinam Deus nunc quoque det Eccleſiæ ſuæ quietem. Iterum vale.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

Epiſt. 18. REverende vir & chariſſime frater, De forenſibus quæſtionibus duabus reſpondi in pagella, quam huic Epiſtolæ addidi. De tertia quæſtione, cur *Moiſes* prius nominetur *Rom.* 10. textus ipſe reſpondet, cum ait: τέλος γὰρ νόμου χριστός. Remedia non primo loco recitantur, ſed prius dicitur, quæ ſit membri natura integra, deinde quibus morbis affici poſſit, tertio loco quibus remediis occurratur morbis. Ad docendum certè *Pauli* ordo accommodatus eſt, cum prius definit juſtitiam legis, poſtea monſtrat mediatorem Filium Dei ſanantem noſtras ingentes miſerias. Etſi autem credo ipſum Filium Dei λόγον eſſe, qui etiam ſonuit legem: tamen uſitatum eſt *Paulo*, cum legem vult nominare, loqui *Judæorum* more ac *Moiſen* nominare. Scribe an hæc ſatisfaciant vobis. Bene vale, nunc enim plura ſcribere non potui. Die III. Octobris.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

Epiſt. 19. REverende vir & chariſſime frater, Cum pii omnes magnis doloribus excrucientur propter publica & inſanabilia mala, erat pietas privatos dolores, quantum fieri poſſit, bonis lenire. Ideo non rarò ſum deprecator pro aliis, ſed doleo in amici tui cauſa nos non impetrâſſe mitigationem, & exiſtimo, rem ante impeditam eſſe, cum ægrotaretis, ad quem ſcripſi, ut intelliges ex Epiſtola, quam huic incluſi. Poteſt peti deprecatio in *Auguſtano* conventu, præſertim cum eò & *Georgius Cracovius* acceſſurus ſit. Mitto tibi pagellam de *Bavaricis* articulis, ac jam publicè trado reſponſiones ad ſingulos articulos. Utinam adverſus hos communes hoſtes conjunctionem noſtri inter ſe tuerentur, ſed vides qui divellere noſtrum exercitum ſtudeant. Oro autem Filium Dei, ut nos gubernet, & faciat ut quam plurimi unum ſimus in ipſo. Quæſo ut Dominum Majorem amantet complectaris & ornare ſtudeas. Bene vale. XXV. Octobris.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

SCis infinitam eſſe ſophiſticam, & quamlibet abſurdas cauſas plauſibiliter ornari poſſe, ſed ego verum eſſe non dubito, cum hæ regiones nullâ injuriâ vicinos affecerint, injuſtè nobis bellum inferri, & ſanguinem noſtrum expeti. Téque rectè reſpondiſſe cenſeo. Nec licet nunc παλινῳδεῖν, ſed in veris ſententiis tuenda eſt conſtantia. Nunc magis tuam ſententiam probabis, cum vides cognatos inter ſe mirabilibus artificiis committi: Quæ poteſt eſſe juſta cauſa, in cognatos arma capiendi? Et nos quidem ſcimus, nos vera pietate amâſſe & coluiſſe vicinos, & mediocribus officiis ornâſſe. Nunquam igitur probabo cædem noſtrorum civium, nec συμμαχίαν eorum, qui cædem adjuvant. Si iſtic non es in tuto, regulam Evangelicam noſti: *Si ejecerint vos ex uno loco, ite in alium.* Sed tamen ex circumſtantiis iſtic judicare poteris, an neceſſaria ſit migratio. Tuæ vitæ conſulere juſtè poteris, nec te retinet provocatio, ad quam ita te offeras, ſi detur fides publica. Deus mitiget tibi & nobis ærumnas, & reſtituat piam & ſalutarem pacem. Bene vale, die VI. Novembris. Epiſt. 20.

Philippus Melancthon.

Caſpar Cruciger D.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

NOn indulgeas dolori, ſed cogites in tanta ſophiſtica mundi ſæpè etiam cautos homines decipi. Non eſt juſtus in terra, inquit *Salomon*, qui cum multa rectè faciat, non interdum tamen etiam hallucinetur. Et in tuo caſu nullum eſt erratum doctrinæ, ideo minus doleas. Tantum deceptus es, ut *David* à *Siba* deceptus fuit. Illi affirmant ſe propter cauſas politicas bellum gerere; Hoc cum dicunt, Deus judex cordium ſcit, quid revera moliantur: ſi fallunt, ut arbitror, fallunt ipſi ſe & alios. Nos ſtultâ credulitate eis aſſentientes excuſati ſumus. Sed Deus puniet eos ſi mentiuntur. Nec ego de ſingulorum cordibus judico, fortaſſis aliquibus verè perſuaſum eſt, tantum propter politicas cauſas motum eſſe bellum. Sed tamen quæ voluntas ſit *Caroli* Imp. & fratris multa ſunt teſtimonia. Sed omittamus diſputationem, ac potius Deum oremus, ut hoc parricidiale Epiſt. 21.

bellum

bellum ipſe clementer ſedare velit. Fortaſſe lætantur aliqui, quod parricidia in his regionibus excitarunt. Sed Deus puniet autores etiam poſtea. Bene vale & reſcribe. Mitto reſponſionem explicatam ad tuas quæſtiones, quas nimis breviter propoſuiſti. Si igitur nondum ſatisfeci tibi, ſcribe narrationem eorum caſuum longiorem. Deus adſit tibi & te gubernet. Iterum vale, & ora Deum æternum patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti* nobiſcum, ut pacem his regionibus piam & ſalutarem reſtituat. Reſcribe; Salutem, & felicem, fauſtum ac tranquillum annum tibi optamus ego & *Eraſmus Salveldenſis* exules.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

Epiſt.22. C*Aſpar Cruciger* & *Paulus Eberus* fortiter manſerunt in patria: ſic enim rectè vocare poſſumus illam noſtram Academiolam, quæ ſedes optimæ doctrinæ & fuit, &, ut ſpero, Deo juvante rurſus futura eſt. Ego cætum ſcholaſticum invitus ſequutus ſum in urbem *Parthenopen*, ubi literas mihi tuas nuncius reddidit, qui ſi acta controverſiarum conjugalium huc attuliſſet, reſpondiſſem de eis re cum collegis deliberatâ. Sed narrabat nuncius, ſe faſciculos aliquos in oppido *Interbog* reliquiſſe, quos fortaſſis ejus Eccleſiæ paſtor ad *Paulum* noſtrum mittet. Nunc ad præcipuam quæſtionem tuam venio, Si non expellunt te Magiſtratus tui, cenſeo tibi in ſtatione & Eccleſia tua manendum eſſe. Idem conſilium dedi *Pfeffingero* gubernanti *Lipſicam* Eccleſiam. Hoc enim agunt nunc quidam aſtuti, ut excuſſis bonis Doctoribus quærant præſtigiatores, qui ſe inflectant ad doctrinæ corruptelas; Quare nolim vos cedere tantiſper dum manere poteſtis, ac velim dici plerunque de capitibus doctrinæ præcipuis, De pœnitentia, De cauſis humanarum calamitatum, De reconciliatione, De fide, De vera invocatione, De veris officiis pietatis, De vera conſolatione, De diſcrimine cultuum piorum & ſuperſtitioſorum, ac præmonire hominum mentes adverſus corruptelas, quas nunc architectantur quidam, qui præcipuè hoc bellum accenderunt. Sed de bello, inquies, quid dicam? Num approbator ero ac incitator? Imò nec velim incitator eſſe inteſtina bella gerentibus vel propter juſtiſſimas cauſas. Deploremus nos potiùs calamitatem communem Eccleſiæ, dicamus cauſam eſſe harum miſeriarum, omnia peccata in utraq; parte. Hortemur populum, ut veris & ardentibus votis pacem à Deo piam & ſalutarem petat. Oremus potentes, ut autoritatem conferant ad reſtituendam tranquillitatem. Hæc graviter & utiliter dici poſſunt. Et exempla habes in hiſtoria Regum *Iuda* & *Iſrael*, ubi diſſuaſor eſt etiam juſti belli Propheta, qui vetàt *Roboam* inferre bellum decem tribubus, quæ ab eo defecerant. Quod ſi etiam jam diſceſſerunt ab armis veſtri propter brumam, tempus aliquid conſilii tibi afferet. Paulatim enim magis conſpici poterit, an verè affirment veſtri, non quæſitam eſſe hoc bello motu oppreſſionem doctrinæ Eccleſiarum noſtrarum. Vides enim quantam caliginem multis offuderint hoc ſophiſmate, ut diſtraherent *Germaniam*. Sed Deus juſtus judex ὁ καρδιογνώστης patefaciet voluntates ſingulorum. Si conſtabit quæri oppreſſionem doctrinæ Eccleſiarum noſtrarum, facilè

A judicabis quid tibi faciendum ſit, monebis, ut antea, eam oppreſſionem non eſſe adjuvandam. O rem triſtem, horribilia parricidia aſtutè cogitatis ſophiſmatibus & excuſantur & confirmantur! Oremus autem Deum, ut ipſe veritatem patefaciat & defendat, & pacem piam ac ſalutarem reſtituat.

D. Iohanni Mattheſio S D.

B C*Um ſemper aliqua ſit Eccleſia, quæ ut *Paulus* inquit, columna eſt veritatis; nunquam mihi placuit omnia Synodorum teſtimonia pariter abjicere. Ideo moderatius de Synodis veteribus loquutus ſum quam plerique alii. Et certè decet judicia modeſta eſſe, ſed tamen nec vetera decreta omnia laudari poſſunt. Et iſtos conventus Monachorum, qui nunc à *Romano* Pontifice coacti ſunt, non ad veritatem illuſtrandam, ſed ſtabiliC enda tetra idola, non judico Eccleſiæ Dei Synodos eſſe, ſed ἀγορὰς κερκώπων, ut vetuſtas loquebatur, Vidi libellum quem miſiſti, qui teſtatur, ibi nè hos quidem audiri, qui ſunt addicti *Romano* Pontifici, ſi quid moneant rectiùs. Vidi poſtea recentiora decreta *Bononienſia*, quorum adeò manifeſta eſt abſurditas & impietas, ut cum proferentur, magis confirmatura ſint pios, quam perterrefactura. Decrevi de eis *Germanicâ* linguâ admonitionem edere. Bene vale, die XVII. Februarii. Salutem opto D. *Balthaſaro*, teque oro ut ſæpe ſcribas. *Epiſt.23.*

D

D. Iohanni Mattheſio S. D.

GRatum mihi facis quod ſignificas ea, quæ de conventu ad vos perferuntur. Heri nobis ſcriptum eſt, noſtros, etſi cœperant contendere, ut prius ipſis pax promitteretur, quam ipſi promitterent auxilia contra *Turcas*: tamen omittere eam contentionem, & prius velle de auxiliis contra *Turcas* mittendis deliberare. Laudo moderatioE nem in noſtris, ſi ita eſt. Nam ſæpè in conventibus voluntates bonorum offenſæ ſunt hâc contentione, cum noſtri prius vellent de domeſtica pace paciſci. De comitiſſa etiam atque etiam te oro, ut moderationem adhibeas, quam vides ſemper eſſe, fuiſſe & futuram eſſe ſalutarem, & ſine conviciis aut *Archilochicis* criminationibus, res neceſſarias & invitantes piam mentem proponas. Id faciam, donec vitam mihi Deus concedet. Bene vale, die XXI. Martii. *Epiſt.24.*

F

D. Iohanni Mattheſio S. D.

VElut in ſentinam, ita in loca venarum metallicarum ſemper ex variis Gentibus homines confluunt, imbuti diverſis opinionibus, & magnâ ingeniorum ac judiciorum varietate præditi, quorum multi etiam curioſi & fallaces ſunt. In tali cætu aliqua tamen eſt Eccleſia: huic cætui ſerviendum eſt, & tamen interim cavendum G quantum fieri poteſt, nè curioſis, malevolis & petulantibus præbeamus occaſiones ſubſannandæ doctrinæ. Primùm igitur videndum tibi cenſeo, an collegas habeas conſentientes de mutando ritu in Cœna Domini: Si unus aut plures diſſentiunt, non cenſeo tentandam eſſe mutationem. Prorſus etiam in concionibus hujus negotii nullam mentionem in ullam partem fieri velim. *Epiſt.25.*

A Scio eſſe magnas & juſtiſſimas cauſas abrogandæ
elevationis, ſed conſenſu Collegarum tibi opus
eſt. Nam alii alias cauſas dicent, ſuſpicabuntur, fin-
gent, ut eſt hæc ætas ſuſpicax & amans calum-
niarum. Nec facilè credas collegis, niſi bene
exploratâ eorum voluntate. Sum ipſe expertus
multos, cum vident judicia vulgi non reſpondere
iis conſiliis quæ inſtituunt, poſtea ſimul ant ſe
invitos ad ea negotia pertractos eſſe, & odia in
alios derivant. Quare prius cenſeo explorandas
B eſſe voluntates collegarum. Cauſæ verò allegari
in familiaribus colloquiis hæ duæ poſſunt, nam
in concionibus nolo quicquam hac de re dici.
Primùm cum Monachi fingant fieri oblationem
pro vivis & mortuis, hoc ritu elevationis, eos
moveri. Ut igitur tollatur error, nec putet po-
pulus ſacerdotis elevationem valere pro aliis, mu-
tandum eſſe morem dices. Secundò elevatione cõ-
firmari circumgeſtationem, quæ ſine ulla dubi-
tatione eſt idolomania. Nam Deus non eſt ad
C ullam rem alligandus, ubi ſe ſub verbo non alli-
gat, ut non eſt alligandus ad ſtatuas. Non autem
alligat ſe *Chriſtus* ad panem, ſed ad actionem
in uſu Sacramenti. Nec adeſt propter panem,
ſed propter ſumentem. O horrendas tenebras,
quas Pontifices, Reges, Principes, Monachi in
Eccleſia defendunt, quas utinam *Chriſtus* ad-
ventu ſuo cito depellat. *Turcica* arma puniunt
hanc profanationem cœnæ Domini, tot jam ſe-
culis hærentem in Eccleſia. Bene vale & reſcribe.
D Nam ego ad conventum non proficiſcor, & impri-
mis de conventu ſcribes, ſcio enim ad vos multa
perferri. Bene vale. Die XIII. Februarii, quo ante
annos M.DCC.XV. *Maccabæus Nicanorem* impi-
um Ducem ingenti prælio vicit: quod cogitantes,
oremus Deum, ut nunc quoque ſervet Eccleſiam
ſuam. Iterum vale.

D. Iohanni Matheſio S.D.

E
Epiſt. 26. SCimus ingratam eſſe admonitionem de uſuris
omittendis, & *Soloni* moderatio uſurarum
Athenis perículoſa fuit, ſed tamen neceſſe eſt
quantum fieri poteſt, frenare hominum avariti-
am, & prohibere facultatum publicarum & priva-
tarum charybdes. Quare quod in concionibus da-
mnas uſuras, rectè facis, Ac optandum eſt ut non
ſolum privati admoneantur, ſed etiam ut Reges,
Principes & Gubernatores frenum injiciant ava-
F ritiæ locupletum, ſicut ſæpiſſimè coegit ingens ne-
ceſſitas facere gubernatores *Atticos* & *Romanos*.
Imo *Eſdras* jubet reſtitui uſuras & nominatim de
centeſimis loquitur. Sed quoniam nos conſcien-
tiis piorum conſulere oportet, quæramus veras
& honeſtas ὠνείας. Verum eſt & non com-
mentitium, infinitum diſcrimen eſſe inter emptio-
nem & mutuationem. Et ut ſpecies exprimatur,
caſum recito ſimilem veſtro caſui: uſitatiſſimum
eſt & comprobatum honeſtorum judiciis, reditum
G in totis facultatibus alicujus Reipublicæ conſtitue-
re, hoc eſt, emere jus percipiendi reditus ex alienis
bonis; Et hanc agnoſces eſſe emptionem, quia
emptor non habet jus retrahendæ pecuniæ. Ne-
ceſſe eſt igitur viciſſim jus in eum tranſlatum
eſſe; quare hos contractus judico veras emptio-
nes eſſe, & non uſurarios. Quod verò in literis
vocatur mutuatio, ut ſcribis, non moveor, nam

A Senatus mulieri petenti non mox daret pecuni-
am. Non eſt igitur mutuatio, etiamſi indocti,
qui eas literas ſcripſerunt, ſic nominârunt. Co-
gites exempla honeſta, multæ ſunt civitates ubi
ſic collocant pecuniam honeſti homines, ut quot-
annis recipiant reditus, nec retinent jus repe-
tendæ ſortis. Diligenter & ſæpè de hac re diſ-
ſerui cum prudentibus & doctis viris, & vidi
quid ſcripſerunt eruditi. Quare & ipſe in Ethi-
cis has materias breviter attigi, tantum ut admo-
B nerem concionatores, nè turbarent Reſpubli-
cas ineruditâ reprehenſione contractuum, ut
memini facere *Struthium*, & alios multos initio
tumultûs Agricolarum ante annos viginti: Et
ὤνησις vera ex veris fontibus in his negotiis
quærenda eſt. Non enim poteſt in hac confuſione
politiarum prorſus medium ut in circulo ſervari,
ſed non procul diſcedendum eſt. Conſulo igi-
tur mulierem erudiendam eſſe, ut ſciant hos
contractus eſſe licitas emptiones, ubi mediocris
C reditus emitur dato precio mediocri, nec retine-
tur jus retrahendi precii. Nec volo hoc exemplo
uſuras excuſare, aut fœneratorum avaritiæ pa-
trocinari, diſcrimen conſpicuum eſt inter capta-
tiones fœneratorias, & hanc emptionem quæ
pericula ſuſtinet, & ſervat mediocritatem, & me-
tas emptionis. Agamus autem Deo gratias, quod
ſcimus honeſtos contractus eſſe Dei ordinationem
conceſſam piis. Bene vale. Die viceſimo ſecundo
Decembris.
D

D. Iohanni Matheſio S.D.

PAſſim ſparguntur literæ de cõventu *Auguſtano*, Epiſt. 27.
in quib' voluntas pia *Caroli* Imp. laudatur, quẽ
aiunt conceſſurum eſſe Eccleſiis puritatem doctri-
næ, uſum integri Sacramenti, & conjugium mi-
niſtrorum Evangelii. Fortaſſis bona eſt Imperato-
ris voluntas, ſed architecti articulorum fucoſas
ſententias proponent, ut res oſtendent, & frau-
E dibus corrumpent puritatem doctrinæ. Inde
magnæ diſtractiones Eccleſiarum ſecuturæ ſunt.
Rex *Gallicus* etiam atrociſſima edicta propoſuit
contra amplectentes Eccleſiarum noſtrarum do-
ctrinam. Oremus igitur Deum, ut nos gubernet,
& impediat mala & pernicioſa conſilia. Profectò
ſola humana vigilantia & diligentia non ſatis ca-
veri præſtigiæ poſſunt, quæ oculis hominum of-
funduntur, ſed Deum oremus ut nos gubernet.
Bene vale. In feſto Paſchatos, quod fuit ab exitu
F ex *Ægypto* paſcha MMM.LVII.

D. Iohanni Matheſio S.D.

FUit omnino flagitioſa negligentia eorum qui Epiſt. 28.
Epiſcopi nominari volunt, quod nec doctrinæ
examina, nec inſtitutionem rudium addide-
runt ceremoniis ordinationis. Poſtea Tyranni-
ca quædam vincula excogitârunt. Sed optarim
nunc poteſtates in iis locis ubi ſonat vox Evange-
G lii, diligentiores eſſe in eligendis miniſtris Evan-
gelii, & curare, ut rudiores inſtitui poſſent:
valde te oro ut hunc tuum vicinum regas, & hor-
teris ut diſcat. Nos eum diutiùs hìc retinuimus,
ut ad examen præpararetur. Valde optârim te
interdum ad te vicinarum Eccleſiarum paſtores
vocare. Meminiſti enim dictum: *Et tu conver-
ſus confirma fratres tuos.* Te nunc Deus in illis
jugis

jugis montium, inter homines feroces in ſpeculam tanquam χωρεπίσκοπον, ut olim vocabant, collocavit. Quare hunc laborem inſpiciendi Eccleſias non defugito. Bene vale & reſcribe, die XXI. Quicquid de *Auguſtano* conventu habebis ſignifica.

Quòd filiæ meæ conjugio bene precaris, & ei γαμήλιον munus miſiſti, agnoſco & pietatem tuam, & erga meos benevolentiam, ac tibi gratiam habeo. Deus det familiis noſtris Eccleſiam & politias mediocres, quæ certe Dei beneficia ſunt.

D. Iohanni Matthesio S. D.

*Epiſt.*29. POſtquam in conventu *Auguſtano* forma operis de Eccleſiarum concordia inſtituti Epiſcopis propoſita eſt, ſuperbè reſponderunt Epiſcopi, ſe in ſuis Eccleſiis ac ditionibus prorſus nullam facturos vel admiſſuros eſſe mutationem. Aiunt & *Romanum* Antiſtitem reſpondere, ſe niſi aſſentiente regno *Gallico*, nullam mutationem adprobaturum eſſe. Nondum igitur novæ illæ leges proferuntur in lucem. Sed an Eccleſiis noſtris prius eas Imp. imponi velit, aliquanto poſt ſciemus. Nec mirum eſt Imperatorem de communi aliqua forma deliberâſſe, cum videret nè quidem eas Eccleſias congruere, quæ puritatem doctrinæ profitentur. Sunt enim diſſimillimæ Eccleſiæ in ea *Germania* ora, quæ *Helvetiis* proprior eſt. Noſtris igitur diſſidiis factum eſt, ut novæ leges accipiendæ ſint. Sed Deus aliquod ſemen ſanctum ſervabit, nec ſinet penitùs extingui lucem veræ doctrinæ. Optârim te poſſe ad nos expatiari, multa enim coram narrarem, quæ literis committi non poſſunt. Bene vale & reſcribe, die Maii XV.

D. Iohanni Matthesio S.D.

*Epiſt.*30. REverende vir & amice chariſſ. Semper exilis eſt in Eccleſia rectè docentium conſenſus. Nunc autem ut eum firmiùs tueamur in tantis periculis, deinde ut nobis ipſis dolores leniamus, prodeſt nos ſæpe colloqui. Tuas igitur Epiſtolas valde requiro. Dei beneficio adhuc in Eccleſia & auditoriis vox eadem Euangelii ſonat, quæ ſonabat ante bellum. Futura Deo commendamus, qui hæc pericula gubernare poterit, & ſæpe mirabiliter ſervavit Eccleſiam. De *Noriberga* & aliis civitatibus ſcio te non ignorare, quid de ſphinge *Auguſtana* decreverint. *Conſtantia* & *Lindoa* apertè rejecerunt. *Saxonia* civitates etiam decreviſſe dicuntur, ſe non recepturas eſſe ſphingem *Auguſtanam*. Quæſo ut reſcribas. Bene vale. Salutem opto *M. Mylio* & cæteris amicis, die *Jacobi*.

D. Iohanni Matthesio S. D.

*Epiſt.*31. CIvitates ad *Rhenum* & *Danubium* apertè reſpondent, ſe non recepturas eſſe librum *Auguſtanum*, nec ſe adoraturas eſſe ſtatuam *Nabugdonoſor*. Conſtanter & quædam *Saxonica* civitates reſponſuras ſe eſſe decreverunt, ſe non recepturas eſſe librum *Auguſtanum*. Scripſimus hîc communem deliberationem, quam arbitror *Paulum* ad te miſiſſe. Sparſerunt quidam aſtutè aliam quandam mutilatam. Sed ſcito me nequaquam velle aſſentiri libro *Auguſtano*, etiamſi ſcio quoſdam meum ſanguinem ſorbere cupere. Sed me conſolor ſpe divini auxilii, & conſcientiâ rectæ voluntatis & moderationis. In has miſerias Eccleſia non incidiſſet, ſi noſtri in quærenda veritate fuiſſent diligentiores, & magis frenâſſent privatos affectus. Sed punitur longa & horribilis impietas ſuperiorum ſeculorum, cui nos multa peccata addidimus. Oro autem Deum, ut propter filii gloriam & interceſſionem ſervet aliquas Eccleſiæ reliquias. Bene vale, die *Petri Pauli*.

D. Iohanni Matthesio S.D.

SAxonica Civitates tandem decreverunt apertè & ſine ambiguitate, ſe non velle turbare Eccleſias, in quibus jam ſonat vox Euangelii incorrupta, receptione libri *Auguſtani*. Et exemplo triſtiſſimo *Suevicarum* Eccleſiarum moveri *Saxonicam* gentem exiſtimo. Miſerabiliter in *Suevis* Eccleſiæ veſtantur, pelluntur pii paſtores cùm totis familiis. *Tubinga*, ubi Academia eſt, ſolitudo eſt in Eccleſia, tantum ibi ſacrificulus ſenex facit oblationem, ut libro *Auguſtano* ſatisfiat. Hæc eſt illa aurea ætas, quam promiſerunt ejus libri laudatores. Etſi autem magna ſunt pericula: tamen ſpero Deum noſtras Eccleſias ita gubernaturum eſſe, ut non fiat in eis mutatio. Ac Deo juvante corruptelas nullas approbabimus. In conventu *Lipſico*, etſi in aliquibus ἐπιεικείας opus eſt: tamen honeſtæ ſententiæ dictæ ſunt. Bene vale, undecimo die Januarii. *Epiſt.*32.

D. Iohanni Matthesio S.D.

DIſcamus Eccleſiæ Dei caput & Ducem eſſe Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, non Pontifices, aut Reges, aut Principes; & petamus bona cum ſpe, ut ipſe Filius Dei ſuos cœtus ſervet & defendat, ut nunc videmus Eccleſiæ reliquias ab ipſo non humanis præſidiis tegi. Ipſe, ut nubes *Iſraelitas*, ita nos obumbrat. Hac ſpe inchoavimus rurſus prælectiones, nec abjiciemus, nec mutabimus doctrinam ubicunq; erimus; etſi prodeſſet doctos viros aliquando convenire, & de doctrina colloqui, confirmandorum aliorum, & retinendæ concordiæ cauſâ. Audio *Venetiis* fœdus eſſe factum inter Pontificem *Romanum*, *Gallos* & *Venetos*, ut defendant Synodum *Bononienſem* contra *Tridentinam*. Hoc ſi verum eſt, metui conſilia Imperatoris à *Romano* Pontifice manifeſtũ eſt: ſed ſperemus & petamus à Filio Dei defenſionem, non à Regum conſiliis. Si de quæſtione aliqua proximè ſcripſiſti, iterum ſcribas, nam literæ tuæ nunc non erant ad manum. Bene vale, VII. Calend. Novembris. Tuo amico noſtra officia non deerunt. *Epiſt.*33.

D. Iohanni Matthesio S.D.

TAlia ſunt Eccleſiæ Dei pericula hoc tempore, ut fateri neceſſe ſit, non poſſe nos ſervari humanis conſiliis aut præſidiis. Detracta eſſe nobis omnia humana præſidia, res oſtendit. Nihil reliquum eſt, niſi pia ſingulorum confeſſio & invocatio Dei. Nondum factæ ſunt mutationes in noſtris Eccleſiis, ἀλλὰ μηχανῶνται πολλά τινες. Vicinus noſter jam aperit ſe clariùs, palàm inquit privatas miſſas reſtituendas eſſe, nondum tamen *Epiſt.*34.

 reſtituit.

A reſtituit. Oremus Filium Dei ut nos adjuvet & regat. Mitto tibi pagellas, quæ oſtendunt adhuc vocem Euangelii eandem ſonare in eccleſia hujus Academiæ, quam olim audiviſti. Bene vale & reſcribe. Cal. Decembris. *Crucigerum* Deus eripuit periculis horum temporum.

D. Iohanni Matthefio S. D.

Epiſt. 35. REverende vir & amice chariſſime, Sæpe interrogati ſumus ego & alii in hac urbe, utrum judicemus tatius eſſe, clam uti Cœnâ Domini, aut prorſus abſtinere. Hæc ipſa quæſtio infirmitatem ſignificat, cui parcendum eſt. Ideo nè implicentur tales majoribus periculis, diximus eis tutius eſſe abſtinere. Nec tamen clam utitur, qui in Eccleſia domeſtica utitur, miniſtro Euangelii exhibente, præſente conjuge, filiis, ſicut ægrotis mos eſt. Sed tamen hunc ægrotantium morem imitari non ægrotantes periculoſum eſt, non ſolùm quod cum C fama hæc ſpargitur, accenditur perſequentium ira. Sed etiam exemplum depravare poſſent, qui domeſtica conventicula inſtituerent propter alias cauſas & opiniones. Hoc etiam in hac deliberatione conſiderandum eſt. Et certè cœna Domini inſtituta eſt, ut ſit nervus publici miniſterii, publicæ congregationis, & publicæ confeſſionis. Expecto autem reſponſionem tuam. Bene vale, die Marci M.D.L.

D *D. Iohanni Matthefio* D. S.

Epiſt. 36. REverende vir & chariſſ. frater, Nuncio ante biduum hinc ad vos iter ſuſcipienti dedi pagellas excuſas typis meo more. Literas tamen non addidi, quia impediebar multis occupationibus quo minus ſcribere poſſem. Poſtea ad me acceſſit hic N. N. auditor noſter, homo modeſtus & bene inſtructus eruditione, qui petivit ſe tibi E commendari. Propter inopiam diutius in Academia hærere non poteſt. Ac idoneus eſt ad docendum vel in templo, vel in ſchola. Eſt autem pium officium bona ingenia tum Eccleſiis, tum ſcholis præficere. Quare te valde oro ut adjuves hunc N. & ſi qua erit occaſio, alicubi ei vel operas in ſchola, vel munus Diaconi commendes. Spero utiliter ſerviturum eſſe Eccleſiæ Dei. Vidiſſe te articulos *Pragæ* paſtoribus propoſitos F arbitror, qui cum contineant quædam mandata manifeſtè impia, non dubito univerſam Eccleſiam tuam magno conſenſu eos execraturam eſſe, ſi vobis etiam proponentur. Sed exiſtimo eos nè quidem hoc conſilio co...itos eſſe, ut vobis & *Sileſiis* imponantur. Scire tamen cupio quid ea de re audieris. Mitto tibi concionem in his feriis amico ſcriptam. Has res magnas illuſtrare, quæ invocationem oſtendunt, utilius eſt, quàm cum *Echidna Illyrica* certare, cujus venena viros honeſtos exiſtimo deteſtari: Non enim G pugnat de ullo doctrinæ capite, ſed narrationes ſcribit calumniarum & mendaciorum plenas, quibus utrumque agit, ut me populo inviſum faciat, & accendat contra me illos ipſos, qui nunc præbent hoſpitium. Sed Deus καρδιογνώστης defendet me contra hunc Calumniatorem. Bene vale & reſcribe.

A *D. Iohanni Matthefio* S.D.

REverende vir & chariſſime frater, Meminiſti nos in aliquot ſcriptis publicis ſignificare, ingentes motus *Saxoniæ* denunciari ipſo aſtrorum poſitu. Nunc cernimus initia. Oremus autem Filium dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, & geſtantem nos in ſua dextra B & ſuo ſinu, ut ſervet in his regionibus Eccleſias & earum hoſpitia, & honeſtam diſciplinam. Etſi autem & antea judicabam mihi hic non leve periculum fore: tamen non volui me in illas arces *Saxonicas* abdere, nè tuba belli civilis eſſem, libentiùs hæc feram quæ erunt ferenda. Mitto tibi pagellas & reſponſionem de adoleſcente qui compreſſit conſobrinam. Et te oro, ut donec colloqui poſſimus, ſæpe ſcribas. Bene vale, die *Catharinæ*. Epiſt. 37.

C *D. Iohanni Matthefio* S. D.

REverende vir & chariſſime frater, Scis apud *Eſaiam* ita pingi Eccleſiam, ut ſi in vindemia non uberrima, paſſim tamen aliquot grandes uvæ reperiantur, & dicat colonus eſſe benedictionem divinam. Ita nunc Dei beneficio, etſi magnæ ſunt Eccleſiæ calamitates, & in noſtris Eccleſiis etiam multi ſunt ignavi & mali: tamen paſſim D aliquot ſunt uvæ bonæ & dulces, videlicet aliqui miniſtri Euangelii, pii, fideles, eruditi, & qui ornare Euangelium bonis moribus ſtudent. Tales judico & hos duos *Salaterum* & *Donatum*: comperi certè eos rectè didiciſſe ſummam doctrinæ Eccleſiaſticæ, & gaudeo alicubi tales fungi miniſterio, ac Deo gratias ago, quod mittat in meſſem ſuam ἐργάτας idoneos, eúmque oro ut nos omnes gubernet. Mitto tibi pagellam, quæ laborum noſtrorum judicium continet. Hodie E audivimus *Vallenſem* N. qui eruditiſſimè in doctrina Eccleſiæ & omnibus partibus Philoſophiæ reſpondit. Deus tueatur hanc doctrinam, ſtudia & diſciplinam. In hac vicinia adhuc tranquillitas eſt, ſed *Lycaon* ille vicinos laceſſit variis modis. Te rogo ut ſæpè ſcribas, præſertim cum ad vos ex *Auguſta* multa ſcribantur. Bene vale, die XXII. Julii. Epiſt

F *D. Iohanni Matthefio* S. D.

NOn eſt novum abuti homines bonis legibus, quod tamen nè fieret, Magiſtratuum ſapientia & ſeveritate prohiberi debebat. vides autem infelicitatem hujus temporis. Nos pronunciamus de controverſiis matrimoniorum ſine auxilio politiei Magiſtratus, nec poſſumus punire contumaces. Sed hæc mala, quantum fieri poteſt, conſilio moderemur, quod certe facere ſtudeo. Placet mihi ut ſit lex: Nè valeant deG ſponſationes reclamantibus parentibus. Sed in politica conſuetudine pleræque leges interdum ἐπιεικείᾳ moderandæ ſunt. Ante annum de caſu in *Friſia* pronunciávi, ubi quidam, cujus ætas matura & non ſine conſilio erat, deſpondit ſibi puellam in familia honeſta, quæ exiſtimabat inſignem contumeliam ſibi fieri, ſi facta eſſet diſtractio. Et cauſa contradicendi nulla honeſta erat. Et Epiſt. 39.

juvenis

juvenis in ſententia conſtanter manebat. Ibi con- A tra parentes pronunciavi, præſertim cum in illis locis Magiſtratus eam ſententiam libentiùs defenſurus eſſet. Sed ubi voluntas mutata eſt in ſponſo aut in ſponſa, libenter obtempero parentibus reclamantibus, ſive cauſam afferant ſive non afferant. Omnino prudentia adhibenda eſt, ut in longum conſulatur, nè jungantur tales, quorum animi abhorrent à conſuetudine perpetua, ſi mediocris cauſa eſt, cur honeſtè fiat disjunctio, cum nulla ſponſalia publica facta ſunt, B nec acceſſit concubitus. Regulas alias præſcribere non poſſum, quia conſiderandum eſt Judici, & quid rectum ſit, & quid ſine ſcandalo fieri poſſit; qua in re & circumſtantiæ conſiderandæ ſunt. Nimis duri ſunt parentes & injuſti, ſi, cum filius, cujus ætas matura eſt conjugio, deſpondit ſibi aliquam honeſtam, ubi mutuus eſt amor, & eſt voluntatum conſtantia: tamen reclamant. Læditur tamen pars altera in re non levi. Ibi Magiſtra- C tuum autoritas opem ferre ſponſo & ſponſæ debebat, ſed ſi negligit eam rem Magiſtratus, quid poterit efficere vox Paſtoris? Si requiris plura hac de re, ſcribam, ſed comprehendi regulis res non ſatis poteſt. Ego nunc refutationem decreti Synodi *De Iuſtificatione* publicè trado, pericula Deo commendo, Bene vale, die *Brumæ*.

D. *Iohanni Matthesio* S D.

Epiſt.40. ACcepi tuam Epiſtolam, in qua narras for- D mam verborum, quâ collega tuus uſus eſt de Cœna Domini. Nolo inter vos ſerere diſcordias aut certamina, ſed etiam auditorum te rationem habere volo. Legi ea quæ antea ad D. D. *Crucigerum* de contentione anni ſuperioris ſcripſiſti, quæ fuit cum illo, qui à *Bucero* attulit declarationem. His rixis nè des occaſionem: conſulo, ut ſis contentus eâ ſimplicitate verborum, quâ ego ſum uſus in editione recenti *Germanica* locorum communium. Et arbitror te, ſi legeris & expenderis, intelle- E cturum me gravem cauſam habuiſſe mei conſilii, cur illa abſurda vitem, quæ multi præter rem, magno ſtudio populo proponunt. Certè imaginatio tota *De Tranſubſtantiatione, De concluſione corporis durabili cum pane*, ut fornaci ligna includuntur commentitia eſt. Longè eſt alia ratio ſacramentorum, ut in ipſa actione Spiritus ſanctus adeſt Baptizmo, & eſt efficax in Baptiſato: ſic cum ſumitur cœna, adeſt *Christus* ut ſit efficax. Nec adeſt propter panem, ſed propter ſumentem. Hic F jam de fide dici neceſſe eſt & de uſu ſacramenti, ut in recenti editione locorum admonui copioſiùs. Utrunque facies, cavebis nè videaris notare collegam, ut audio, alioqui ſuſpicacem, & ne irrites auditores. Hàbeo cauſam mei conſilii. De uſu & utilitate dicito copioſiùs, & retine hanc formam verborum quod *Chriſtus* hoc teſtimonio: Mit dieſem zeugnuß macht er uns ſeine gliedmas, und bezenget das wir ſeyne gliedmas ſein. De tota hac re cuperem tecum loqui coram, & ſi G expetis meum colloquium copioſum de hac re, ſignifices mihi te venturum *Lipſiam* ad nundinas Maii. Bene vale, die XXV. Februarii.

D. *Iohanni Matthesio* S. D.

Epiſt.41. REverende vir & chariſſime frater, Cum hoc *Gregorio* alii ſex auditi & initiati ſunt ad mi- A niſterium Euangelii, quorum aliqui bene eruditi erant. Ita Filius Dei colligit ſibi Eccleſiam & dat dona, id eſt, paſtores ſalutares, etiamſi delere Eccleſiam Pontifices impii conantur. *Gregorii* doctrinam & mores interdum à te inſpici velim, vides quæ ſit ætas. Et *Paulus* non ſine gravi cauſa monet de neophytis. Sed tamen cum deſint ſeniores utamur etiam junioribus, quorum ſtudia & mores regantur à ſenioribus. Mitto tibi pagellas meo more. Bene vale & reſcribe, die XX. Martii B M.D.LI.

D. *Iohanni Matthesio* S. D.

REverende vir & chariſſime frater, ſcio te vi- Epiſt.42. rum prudentem mediocriter introſpicere pectora & ſenſus eorum, quibus cum diuturna conſuetudo eſt. Itaque ſpero te etiam meam voluntatem conſiderâſſe, nec moveri Sycophanticis ſcriptis *Illyrici*, qui manifeſta mendacia fingit. Nun- C quam dixi, nunquam ſcripſi, nunquam cogitavi, quod ait me dixiſſe, ἀκυρολογίαν aut βαττολογίαν eſſe hanc formam loquendi, *Solâ fide juſtificamur*. Imò aliquanto plura de *Excluſiva* intellectu dixi & ſcripſi, quàm multi alii. Nec ſine labore imaginationem multorum emendavi, qui particulam *Sola* non rectè interpretabantur; ſed reſpondebo illis virulentis criminationibus, ac Deum oro, ut foveat Eccleſias in his regionibus & propaget. Certè fideliter laboramus in propagatione do- D ctrinæ Euangelii & artium, quæ Eccleſiæ utiles ſunt, ut editiones oſtendunt. Hodie Propoſitiones ſcribo, de quibus diſputabit vir *Prutenus* nobilis, qui erit Theologiæ Doctor, mittam & alias lucubrationes poſt paucos dies. Bene vale.

D. *Iohanni Matthesio* S.D.

REverende vir & chariſſime frater, Dulciſſi- Epiſt.43. mum verſum *Euripidis* ſæpè uſurpo de amicis E cogitans:

ἐς ὄμματ' εὔνου ἀνδρὸς ἐσβλέπειν γλυκύ.

Nec poſt cœleſtes conſolationes alia res mihi lenit utcunque dolores, niſi ſapientum amicorum congreſſus: Te igitur conſidero & expecto. Et de multis magnis rebus colloqui nos quàm primum velim. Aiunt *Tridentum* veniſſe Cal. Maii Pontificium legatum, & Cæſaris Oratorem, & ſacrum publicum factum eſſe ad inchoandam Synodum, ſed deliberationem, ſeu ut vocant, ſeſſionem F nullam futuram eſſe ante Septembrem. Tunc igitur tranſibimus *Alpes*, quo tempore & *Annibal* eas tranſiit. Aiunt & Regem *Gallicum* velle mittere legatos ad eam ſynodum. Ego ſcriptum adornavi ſynodo exhibendum, quod hic videbis. De conventu *Naobergenſi* nihil certi adhuc habemus. Filium Dei oro, ut det καταςρεῖν placidam deliberationibus ejus conventûs, de quo fortaſſis citiùs iſtic audies totam hiſtoriam, quàm nos audiemus. Mitto tibi pagellam, quia aliam nunc ad manum G non habebam. Ego multis magnis doloribus excruciabar, commendes & Eccleſiam & hoſpitia ejus & nos Filio Dei. Bene & feliciter vale, die XX. Maii.

D. *Iohanni Matthesio* S. D.

REverende vir & chariſſime frater, Etſi ad- Epiſt.44. huc ſpero & opto adventum tuum; tamen

nunc ad te ſcribo propter hunc tabellarium, cog- A
natum meum *Matthiam Rudland*, natum in
mea patria ex filia mei avunculi, parentes hone-
ſtos habuit, & frater ejus in vicino oppido meæ
patriæ præfecturam tenet. Hic *Matthias* ſtudio
peregrinationum venit in *Auſtriam*, & manu ac
ingenio ad ſcribendum idoneus eſt, in *Auſtria*
infra *Viennam* apud Præfectum ſcribæ munere
functus eſt. Valde te oro, ut ei quæras Dominum,
ubi ſcribæ officio fungatur. Pater vir gravis fuit,
mater caſta & modeſtiſſima mulier fuit. Ac vide- B
tur ingenium bonum in hoc ipſo juvene eſſe.
Spero igitur bene collocaturos eſſe beneficium
eos, qui ei benefaciunt, téque rurſus oro, ut eum
conſilio tuo & autoritate juves. Bene & feliciter
vale, die III. Junii. Anno M.D.LI.

D. Iohanni Matthesio S.D.

Epiſt.45. REverende vir & chariſſime frater, Magna
cum voluptate legimus tuam concionem C
eruditam & piam, in qua & Deo gratias agis de
metallis, quorum in vita maximus uſus eſt, &
inſtruis tuos auditores, qui venas ſcrutantur. Op-
tarem autem nos unà fuiſſe, cum eam concionem
ſcripſiſti: inſeruiſſemus enim *Philippenſes*, ad
quos *Paulus* ſcribit, & alia. Apud *Diodorum Si-
culum* in *Græca* editione pag. 9. ſcriptum eſt,
venas auri fuiſſe κρηνίδας, quas cum occupâſſet
Alexandri pater, urbs nominata eſt φίλιπποι. Ex
iis venis Rex quotannis ſexcenta millia coronato- D
rum habuit. Fuit igitur *Philippenſium* urbs talis
conventus ſcrutantiũ venas, qualis eſt civium tuo-
rum cõventus. Et vides ejus loci Eccleſiam valde
laudari à *Paulo*, ſed hæc coràm. Nunc adſunt vi-
cinarum Eccleſiarum paſtores, ut judicent de
ſcripto, in quo eſt repetita Confeſſio. Tuum ad-
ventum & opto & expecto. Bene & feliciter vale,
die IX. Julii.

Jocus de longis auribus *Midæ* & curioſitate
multorum qui ſunt in locis venarum metallica- E
rum, valde placuit mihi & aliis.

D. Iohanni Matthesio S.D.

Epiſt.46. REverende vir & chariſſime frater, Ante bidu-
um ſcripſi ad te de concione tua in qua &
Deo gratias agis, qui ad plurimos vitæ uſus me-
talla condidit, & inſtruis ſcrutantes venas. Fuit
grata mihi lectio ejus concionis, & vellem pro-
lixiorem eſſe. Imo volo te aliquando ſumere F
tibi ad longiorem concionem eo argumento ſcri-
bendam tempus, de laude metallorum & de bene-
ficiis Dei. De ſalubritate aeris hujus oppidi, ſcito
hac æſtate nondum hîc graſſata eſſe contagia pe-
ſtilentiæ, ſed tamen ſuadeo nondum huc mitti
Bohemicum Baronem ante Octobrem. Scis meam
diligentiam in conſideratione aeris mediocrem
eſſe. ſtellarum poſitus minatur nobis hoc anno pe-
ſtilentiam. Cum enim *Saturnus* eſt in Leone aut
Aquario, graſſatur hîc peſtilentia, ſed magis cum G
Leonem pervagatur. Et exempla annorum ſexa-
ginta annotavi. Súntque initia poſt ſolſtitium
æſtivum menſe Julio vel Auguſto. Ante paucos
dies idem conſilium dedi Conſiliario Ducum *Lu-
neburgenſium*, qui Doctori *Vito* commendabat
Principem, ſuaſi nè ante Octobrem huc mitta-
tur. Bene vale, die XI. Julii.

D. Iohanni Matthesio S.D.

REverende vir & chariſſime frater, Uſitata ſunt Epiſt.47.
Eccleſiæ exilia, ut commonefacti noſtris æ-
rumnis cogitemus, & de primo exilio generis
humani, in quo cœleſtem patriam amiſimus, & de
Filio Dei, qui factus exul, κατάγει φυγάδας, reducit
nos in æternam patriam; nec tibi ignotæ ſunt
hiſtoriæ. Quàm triſte ſpectaculum fuit cum pulſis
B magnis agminibus piorum ex urbibus, ſequutæ
ſunt equitum turmæ, quæ in via calcarent miſeras
matronas, virgines, pueros, ſenes, ſacerdotes?
Legimus etiam ſenem ſacerdotem Epiſcopum
cum conjuge anu, in primo agmine euntes, in cœ-
lum vivos ſublatos eſſe ſpectante multitudine. Eſt
autem pietas Deo grata, benefacere præſertim his
exulibus, qui, quia rectè docuerunt, ex ſuis Eccleſiis
pelluntur. Quare tibi hunc *Auguſtanum* Concio-
natorem, virum doctum, rectè ſentientem & mo-
C deſtum, *Johannem Flinderum Francum* commendo.
Ejus collegæ alii penitus toto diviſos orbe *Britan-
nos* adierunt, alii ad *Alpium* juga profecti ſunt.
Hic in *Boruſſiam* iturus erat, conjugem & famili-
liam Auguſtæ habet. Itaque nè longiùs à ſuis ab-
eſſet, & nè certamina *Oſiandri* rurſus eum ex illis
Arctois locis pellerent, ſuaſimus ut ad vos iret.
Opinor concedi hoſpitium apud vos iis, qui ejici-
untur ex *Germanico* Imperio, ut nominant. Eam
rem inquiri à te volo, & ſi licet huic eſſe in regno
D *Bohemico*, cures ei nidulum alicubi in illa veſtra
Sarepta, aut in vicinia. Fuit & *Sarepta* metallica
officina, ut nomen indicat, ſignificat enim *conflato-
rium*. Et vitrum initio factum eſt in locis vicinis
Sidoni. Et venæ metallicæ gignunt lapidem, ex quo
vitrum excoquitur. Hæc quoque recitabis in con-
cione tua. Etſi te expecto, tamen quæſtionem nunc
tibi propono: In dicto *Eſaiæ* 52. *Gratis venundati
eſtis, gratis redimemini*. Cur dicat *gratis redimemini*,
notum eſt, ſed quid eſt *gratis venundati eſtis*?
E Ego exiſtimo hoc dici: *gratis venundati eſtis*, id eſt,
*fruſtra captatâ utilitate quam Diabolus vobis propo-
ſuerat, Eritis ſicut Dii*: Quæſo ut cogites de hac
pulcherrima ſentẽtia, de qua coram etiam loque-
mur. Nondum Dei beneficio contagia peſtilentiæ
hîc animadverto. Mitto tibi pagellas meo more.
Bene & feliciter vale. Die *Matthæi*, qui ex publica-
no factus eſt Evangelii præco & ſcriptor, ut ſciamus
veniſſe Filium Dei, ut ſalvos faciat peccatores ad
ipſum confugientes.

F

D. Iohanni Matthesio S. D.

REverende vir & chariſſime frater. Si iſtuc ve- Epiſt.48.
niet, vir excellens eruditione & virtute, Do-
ctor *Iacobus Milichius*, te magnopere oro, & ut
amanter eum excipias & venarum veſtrarum mi-
racula varia ei oſtendas, quæ vir doctus in con-
ſideratione univerſæ naturæ libenter cernet.
Nec verò quicquam dulcius eſt, quam de variis
G naturæ miraculis inter ſe diſſerere homines eru-
ditos, & non ſolùm mutuâ benevolentiâ conjun-
ctos, ſed etiam ſimili mentis judicio quærentes te-
ſtimonia providentiæ Dei in ipſis naturæ operi-
bus. Nam *Milichius* ad eruditionem *Phyſicam*, eti-
am agnitionem Dei opificis & veræ pietatis offi-
cia adjungit. Quare eum amplecti te volo aman-
ter. Scriptum de miniſtris Evangelii publico ritu
com-

commendandis Eccleſiæ poſt paucos dies edam. A Bene vale, die III. Auguſti.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

Epiſt.49. GRatiam habeo *Caſparo* noſtro, qui mihi iter ſuum indicavit. Etſi enim hoc tempore in tantis publicis ærumnis non ſcribi læta multa poſſunt: tamen veterem conſuetudinem noſtram in ſcribendo & quaſi colloquia renovari velim. In ditione *Colonienſi* Comites, equeſter ordo & le- B gati civitatum in conventu polliciti ſunt ſe Eccleſias inſtauraturos eſſe ad normam, quam Epiſcopus propoſuit, quæ quidem congruit cum noſtris Eccleſiis. Collegium *Colonienſe* & ſenatus adhuc adverſantur puræ doctrinæ, ſed hi emendationem in ditione impedire non poſſunt. Et jam in aliquot oppidis inchoata eſt emendatio. Et pii ac eruditi concionatores fideliter & purè docent. Deum oremus, ut lucem ſuæ doctrinæ latè ſpargat & conſervet. Audio apud vos atrocia C edicta propoſita eſſe. Optarim melioribus omnibus ſuſcipi bellum contra *Turcos*, ſed fatales pœnas talis furor ſolet præcedere, ut hiſtoriæ ante exidium *Jeroſolymæ* indicant. Deus pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* mitiget publicas pœnas, & ſervet Eccleſiæ ſuæ reliquias. Salutem opto clariſſimo viro D. Doctori *Nevio*. Bene vale, die XX. Auguſti.

D

D. Iohanni Mattheſio S. D.

Epiſt.50. REverende vir & chariſſime frater, *Lipſiæ* tuas literas accepi, in quibus ſcribis de veſtro cive qui abeſt à conjuge ſua, & tamen interea ad cœnam Domini acceſſit, decepto miniſtro Euangelii. Cenſeo nunc quoque dicendum eſſe illi ipſi reo, nè deinceps antequam uxori reconciliatus fuerit, ad cœnam Domini accedat, ſunt & Diaconi tui admonendi, nè eum admittant. Pœna E autem prioris facti differatur donec prætererit dies conſtituta reconciliationi cum conjuge. Si diſſenſio non tollatur poſt admonitionem privationis, palam pronuncia adverſus eum ſententiam excommunicationis: Sin autem fuerit reconciliatus uxori, petat à te prioris facti veniam, quod publicè fieri vellem, & deinde à te publicè abſolvatur. Non vellem addi à Senatu pœnam poſt factam reconciliationem. Deus gubernet & protegat nos. *Lipſiam* vocatus fui ad examen ſchola- F ſticorum; quibus dantur ſtipendia. Id ſignifico nè quid aliud ſuſpiceris. Eodem autem tempore huc redierunt conſiliarii Principis noſtri, qui narrârunt *Francofordienſis* Conventûs acta. De Eccleſiaſticis controverſiis noſtri etiam capita quædam ſcripſerunt, quibus additæ ſunt ſubſcriptiones *Palatini* Electoris, Ducis *Saxoniæ* Electoris, *Marchionis* Electoris, Ducis *Friderici Palatini*, Ducis *Uvirtebergenſis*, *Landgravii Marchionis Badenſis*. Et petetur à cæteris ſubſcriptio, ut conſen- G ſus conſtituatur. Exiſtimo contradicturos eſſe *τοὺς ἐλαχίστους*, ſed de hac re ſcribam copioſiùs, cum domum rediero, & exemplum mittam *Francofordianæ* deliberationis. Bene vale & reſcribe. Pridie Calendas Aprilis. Salutem tibi optant D. *Joachimus Camerarius* & *Caſpar Peucerus*. Fratris mei filium tibi commendo.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

REverende vir & chariſſime frater, Cum vocatus à Principibus propter deliberationem Epiſt.51. de Conventu *Ratisbonenſi*, acceſſiſſem ad hæc juga vobis vicina, propinquitas deſiderium tui accendit. Etſi & Deum ſpero confirmaturum eſſe corporis & animi tui vires, & tibi non deſunt Medici, & fontes verarum conſolationum tibi B noti ſunt; veni tamen in hanc veſtram vallem, in qua tua voce Filius Dei æternam Eccleſiam colligit, *γέγονε γέρων, καὶ νοσεῖ σφόδρα γλυκύς*, ac te videre & tecum noſtro more colloqui cupio. Ac niſi tu cras huc reverſurus fueris, ego ad te pergam. Interea & Medicum generum meum mitto, & *Ambroſium* Paſtorem, Eccleſiæ *Marianæ* Theologum, nec rixoſum nec moroſum. Hi cras erunt tui itineris comites. Dux autem ſit itineris Filius Dei, ut familiæ *Jacob* cuſtos & ductor fuit C redeuntis in patriam. Hunc Filium Dei *λόγον καὶ εἰκόνα ἀΐδιον ἀϊδίου πατρὸς* oro, ut te & tuos ſervet incolumes, & Eccleſiam publicam & domeſticas Eccleſias noſtras protegat; Plura corâm. Bene & feliciter vale. Die Junii IX. in valle *Joachimica*. *Caſparo Eberharto* ſalutem opto.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

REverende vir & chariſſime frater, verſum Epiſt.52. D veterem nôſti: Nam pius eſt patriæ facta referre labor. Exiſtimo & hoc verè. Nam pius eſt patriæ dicere facta labor. Rurſus igitur edidi *Germaniam Taciti*, & hanc juſſi hìc proponi in pædagogio, volo eam & filio tuo notam eſſe, ideo vobis exempla mitto. Certè hos libellos utiliores eſſe juventuti exiſtimo, quàm ſycophantica ſcripta *Regii Selini* qui eſt empuſa. Tempore belli erat *Regius Selius*, nunc eſt *Chriſtian Aleman*: ſi legiſti illas delicias, ſignifices nobis tuum judicium, E autor eſt *Baſilius Monnerus*. Precor Deum ut Eccleſiis & his regionibus det piam pacem. Bene vale & reſcribe. XXVIII. Maii.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

REverende vir & chariſſime frater, Hac horâ, Epiſt.53. Dei beneficio, *Caſparo Peucero* nata eſt filia tertia, ex mea filia, ſalvâ matre. Oro Filium Dei cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut familias noſtras F ſervet & gubernet, & ſanet omnia vulnera Eccleſiæ. Hoc menſe *Dreſdam* vocati ſumus ad deliberationem: An ſit indicenda noſtris Eccleſiis ſynodus, ut multi Principes flagitant. Filius Dei eam deliberationem gubernet. Quæſo ut nobis ſcribas quoties habebis tabellarios. Bene & feliciter vale, ſecundo Februarii.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

G REverende vir & chariſſime frater, Mitto tibi Epiſt.54. pagellas, quarum ſpero tibi lectionem faciliorem eſſe, quàm *Gorgonis Wmarienſis*, quæ etiamſi quædam rectè dicit, tamen & falſa miſcet, & quærit diſtractiones non neceſſarias. Quæſo ut nobis reſcribas, & de noſtris &, de aliorum ſcriptis. Oro autem Filium Dei ut ſervet Eccleſias harum regionum, & nos protegat ac gubernet. *Regam*

gam ſcito obſidione cinctam eſſe à *Moſcoviis*. In *Lituania* multis diebus ſtella in meridie fulgens conſpecta eſt. Bene vale & reſcribe. Quarto Martii.

D. Iohanni Matthesio S. D.

Epiſt. 55. REverende vir & chariſſime frater, *Lipſia* & chartas & lychnos accepi, ac vobis gratiam & debeo & habeo, cum pro benevolentia erga me veſtra, tum verò & pro hoc munere. Viciſſim autem vobis & fauſtum annum opto, & mitto pagellas, quarum lectionem vobis non inſuavem fore arbitror. Jam enim editur reſponſio de articulis *Bavaricis*, in qua & de *Flaciano Trunco* reſpondeo. Non hoc volo, manendum eſſe in dubitatione & fremitu adverſus Deum donec veniant raptus *Enthuſiaſtici*, quibus cogatur voluntas. Memini ipſum *Lutherum* conſolantem eos, qui de electione angebantur, deducere ad promiſſionem univerſalem, & jubere ut verbum intueantur, non quærant ea quæ Deus non vult quæri. De hac diſputatione velim te aliquid ad me ſcribere. Bene vale in *Epiphaniis*. Mitto tibi duo exempla orationis *Ioachimi*.

D. Iohanni Matthesio S. D.

Epiſt. 56. REverende vir & chariſſime frater, Incidit ætas noſtra in fatalem omnium regionum in genere humano mutationem. Ideo ardentibus votis precemur Filium Dei, ut ſervet Eccleſiæ reliquias & nos gubernet. Ut Cometa menſe Martio rapido motu vectus eſt ad Septentrionem, & deinde ad Ortum: ita bella nunc primùm in littore Hyperboreo, quod proximum eſt Arcto, mota ſunt. Epiſcopus *Guilielmus* in *Livonia* captus eſt, & adoleſcens Dux *Megapolenſis*. *Pruſſiacus* & *Megalburgenſis* Principes colligunt exercitus. Verſus Orientem quoque bella in *Ungaria* moventur. Imò & patrem Regem *Perſicum Tummas* mortuum eſſe aiunt, & filium inferre bellum *Syria*, & dicere inducias cum patre factas nihil ad ſe pertinere. Nec verò dubito *Turcica* potentiæ inclinationem impendere, ſed prius vicinia etiam quaſſabitur. Precemur igitur Filium Dei ut nos ſervet & gubernet, & non ſinat deleri Eccleſias ſuas in his regionibus. Hodie hinc abierunt *Graci*, qui habent teſtimonia Patriarchæ *Conſtantinopolitani*, quos exiſtimo ad vos quoque venturos eſſe. Bene vale. Die ſeptimo Auguſti.

D. Iohanni Matthesio S. D.

Epiſt. 57. REverende vir & chariſſime frater, Impendet fatalis mutatio omnibus gentibus, etiam in *Uvalachia* motus exorti ſunt propter religionem. Hactenus enim & Præſides *Uvalachorum* ſeu Principes, & ipſi *Vvalachi* retinuerunt nomen *Chriſtianum*: nunc recèns, is qui præfuit, ſceleratè abjectâ profeſſione *Chriſtianâ*, amplexus eſt *Mahometicam* impietatem, & edicta propoſuit, in quibus populum jubet imitari ſuum exemplum. Factus eſt igitur impetus in eum conſenſu omnium Ordinum, & comprehenſus necatus & in flumen abjectus eſt. Poſtea *Vvalachi* ad Regem *Polonicum* miſerunt, & cum eo & *Moſcis* ſocietatem fecerunt, & *Turcicam* Tyrannidem excutiunt. Deum oremus, ut ubique Eccleſiam ſibi colligat & protegat. Hâc nocte quinque domus in ſuburbio noſtro conflagrârunt. Heri literas à Duce *Pruſſia* accepimus, in quibus ſcribit ſe miſſurum eſſe nobis diſputationes ſuorum judicandas. Literas tuas ac potiùs teipſum expecto. Bene & feliciter vale. Die vigeſimo ſeptimo Auguſti, Anno M. D. LI.

D. Iohanni Matthesio S. D.

REverende vir & chariſſime frater, *Graci* Rhetores ſcribunt *Demetrium Phalerenſem* narrare, *Ariſtotelem* ſi quando in Epiſtolis attigiſſet argumentum prolixius aut majus, ſolitum uti hac formâ in abrumpendo: ὦ ταῦτα, οὐ γὰρ ἐς ἐπιστολήν. Hac mihi excuſatione nunc maximè uti licet. Libenter enim de rebus maximis tecum agerem, ſed nè magnis quidem voluminibus complecti eas poſſem. Et de adventu tuo ſpem abjicio, me igitur ad te accedere neceſſe erit. De *Tridentina* Synodo ſcis ſeſſionem, quæ futura fuerat menſe Octobri, rurſus prorogatam eſſe ad finem Januarii, ut in Bacchanalibus decreta in vino faciant iſti *Areopagita*. De vicinæ urbis pace nondum finitæ ſunt deliberationes. Ideo nihil certi de his rebus ſcribere poſſum. Mitto tibi carmen de *Bucero*; quod qualecunque eſt, tamen minus ineptum eſt *Anglicis*, quæ eodem argumento ſcriptæ ſunt. Bene vale. Die ſexto Novembris. Epiſt. 58.

D. Iohanni Matthesio S. D.

REverende vir & chariſſime frater, Indue patris animum erga illam mulierem, de qua ſcribis, ut certè pius paſtor nihil differt a bono patre, ſicut *Cyrus* apud *Xenophontem*: Οὐδὲν διαφέρει ἄρχων ἀγαθὸς ἀγαθοῦ πατρός. Si mea eſſet filia, & adulter eſſet homo vagabundus, nec ſpes eſſet emendationis, nec ſedes certa, retinerem filiam, nec ſuaderem ut ſequeretur hominem vagabundum, cum jam ſit libera, ſi certum eſt adulterium admiſſum eſſe. Et pater juſtiſſimas cauſas habet, cur illi ſcelerato graviter iraſcatur. Credo te aſſiduum hortatorem eſſe politico Magiſtratui, ut ſit ſeverus in puniendis adulteris, ſtupratoribus & inceſtis. Sed videmus, proh dolor! nimis magnam negligentiam eſſe, quæ certè irritat iram Dei. Quæſo ut circumſtantias in hoc caſu expendas, quæ mihi non ſunt notæ. Dux *Pruſſia* miſit *Oſiandri* librum ad multos Principes & civitates, excuſat ipſum, & adverſarios duriter accuſat, ac petit judicia. Compoſui amico formam, quam tibi mittam. Nunc enim nondum deſcripta erat. Mitto tibi pagellam meo more. Quæſo ut ſæpe mihi ſcribas. Bene vale. Die octavo Decembris, quo ante annos CXIV. *Sigiſmundus* Imperator mortuus eſt. Epiſt. 59.

D. Iohanni Matthesio S. D.

REverende vir & chariſſime frater, Etſi vota pro Eccleſia aſſiduè facienda ſunt, ut *Pſalmus* præcipit, *Rogate qua ad pacem ſunt Ieruſalem*: Tamen mos laudandus eſt, quo initio anni quaſi ſolennis ſit precatio. Quare & gratias ago Filio Dei, quod hactenus ſervat Eccleſiam; & eum oro, Epiſt. 60.

oro, ut & hoc veniente anno nos omnes gubernet A
& ſervet. De quæſtione conjugali maximè velim & ego, ſi vir ille, de quo ſcripſiſti, ſanabilis eſt & non eſt erro, nequaquam diſtrahi conjugium, ſed unà mediocri tranquillitate vivere maritum & uxorem. Nec peccat uxor ſi ad maritum redit. Nos in luctu & metu vivimus, Nam Collega noſter *Marcellus* recèns ex hac Academia in cœleſtem evocatus eſt. Et novi motus *Germanici* minitantur magnam confuſionem his re-
B gionibus, Filius Dei *Emmanuel* protegat nos. Quæſo ut petas à Barone *Boëmico* pecuniam debitam pro habitatione, quam fruſtra filius expectavit. Vir honeſtus eſt *Chriſtophorus Finck*, cui debetur, & pauper, & nunc Dei beneficio nactus eſt nidulum, erit enim paſtor Eccleſiæ vicinæ in *Interpog*. Curabis hanc rem pro tua prudentia & humanitate. Exiſtimo precium eſſe Joachimicos ſex. Carmen de natali *Chriſti* tibi mitto. Scripſi brevem admonitionem de libro *Oſiandri*,
C quam cures deſcribi apud *Eberum*.

D. Iohanni Matthesio S. D.

Epiſt.61. REverende & chariſſime frater, Cum *Noribergam* proficiſceremur, decreveram ad te accedere, non ſolùm ut domi tuæ colloqueremur, ſed etiam ut te nobiſcum ducerem ad dijudicationem controverſiæ *Oſiandricæ*, in qua & conſilio & autoritate tua prodeſſe ejus urbis Eccleſiæ poteras. Et fuiſſet hoc officium tuum gratum Sena-
D tui, ut poſtea affirmârunt præcipui ſenatores. Sed comitibus noſtris mora in itinere videbatur longior, aliqui etiam fama luis in vicinia veſtra deterrebantur, nè ad ea loca accederent. Duxi autem nobiſcum virum doctum & prudentem *Iacobum Rungium Pomeranum*, paſtorem & lectorem *Gripſvualdenſem*, qui ad nos à Duce *Pomerano* propter eaſdem controverſias in *Pomerania* motas, miſſus erat. Is maximè congreſſum tuum optabat. Doluimus igitur nos aliâ viâ duci, ſed
E hoc incommodum literis ſarciamus. Scripſi quædam de ſumma controverſiæ, quæ jam hic edentur, quæ ſunt omnium quæ *Noriberga* docent ſuffragatione comprobata, præter duos qui miniſterium Euangelii ultrò abdicârunt, quorum alterius tanta eſt inſcitia & impudentia, ut diceret *Chriſtum* per Accidens juſtificare. Hic cum Philoſophiam nunquam didiciſſet, inde phraſin, quam non intelligit, ſumpſit. Spero autem nunc unam &
F eandem piam doctrinæ vocem eſſe, omnium qui *Noriberga* docent. Scripta noſtra tibi mittam. Fortaſſis hic eadem de re & *Pomeranica* Synodi acta edentur. Vagatur opinor *Oſiandri* ſpectrum, quod in tot locis turbat Eccleſias. Sed precemur Filium Dei ut nos gubernet. *Hieronymum* exulem iterum tibi commendo, quem tamen non dubito tibi curæ eſſe. Mitto tibi exemplum abſolutionis nuper hic factæ, nam nunc alios libros mittere non potui. *Caſparo*, & Conſuli, & vobis
G omnibus ſalutem opto. Filius Dei Dominus noſter *Ieſus Chriſtus* ſervet & protegat te, & tuam Eccleſiam domeſticam & publicam. Die V. Novembris, quo ſcribitur interfectum eſſe *Zachariam* patrem *Iohannis Baptiſtæ*. Horum exemplorum cogitatione nos commonefaciamus de voluntate Dei in ærumnis Eccleſiæ, & de veris conſolationibus. Bene vale, Menſe Novembri ſeu כסלו

A quod ſimpliciter ſignificat οἰκεῖται. Meus Gener ſalutem tibi & cæteris optat.

D. Iohanni Matthesio S. D.

ORo Deum æternum Patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti*, conditorem generis humani, ut te & tuam Eccleſiam domeſticam & publicam ſervet, & ut tuo *Eutichio* concedat vitam καὶ εὐψυχίαν. Sæpe intuens, ſeu meos, ſeu aliorum natos, Epiſt.62.
B hac me ſententia in tantis periculis conſolor: Generi rectorum benedicetur. Quæ ſententia Græci Poëtæ numeris dulciſſimè reddita eſt, ac volo tibi verſum familiariſſimè notum eſſe:

Ἐυτεκνίαν παίδεσσι τὰ λῷα, δυστεκνίαν δ' ἔν.

Quod ſignificâſti eventum deliberationis de adultero, utinam ipſe mores emendet, & ſit maritus pius. De aliis rebus optârim te planiùs ſcripſiſſe. Et fortaſſis priuſquam hæc Epiſtola ad te perve-
C niet, moveri bella *Saxonica* audies. Nos adhuc *Noriberga* commoramur. Nam ſi *Saxonica* bella moverentur, intempeſtivum eſſet in Synodo diſputare. Audimus, etiam propter bella deliberationes haberi, an Synodo intervallum tribuendum ſit. Tuas literas valde requiro, quas etiam ſi progrediemur ad *Alpes*, mittere te *Norebergam* ad *Paulum* tuum velim, qui eas tradet *Hieronymo Baumgartnero*. In *Anglia* ſcis capitali ſupplicio affectum eſſe Principem Avunculum Regis, cui
D propter ſummam autoritatem titulus tribuebatur *Protectoris*. Quæcunque ſunt cauſæ, hoc quoque ſpectaculo commonefacti cogitemus de Diabolorum furoribus, qui horribiliter turbant genus humanum, & oremus Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, ut nobis adſit, nos gubernet & protegat. Bene vale. XIV. Februarii *Noriberga*.

D. Iohanni Matthesio S. D.

E
REverende vir & chariſſime frater, Equitem veſtrum remittimus, & ſenatui ac civibus veſtris & vobis omnibus pro eximia benevolentia veſtra erga nos, & pro multis beneficiis gratiam habemus. Et Deo juvante gratitudinem perpetuò præſtabimus, ac Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum* crucifixum pro nobis & reſuſcitatum oramus, ut Eccleſias harum regionum, & nos in ipſis clementer protegat ac ſer- Epiſt.
F vet, & copulet animos docentium, ut unum ſimus in ipſo. Utinam non diſtractæ eſſent voluntates, ταῖς βλακικαῖς διαβολαῖς, quæ quales motus excitârint, jam res oſtendit. Sed oremus Filium Dei, qui *Samaritani* typo ſuam medicationem pingit, ut noſtris vulneribus omnibus medeatur. Electorem *Saxonicum* audimus profectum eſſe ad *Cattos*. Sed certiora ſcribam cum domum rediero. In equo ſedens addidi carmini noſtro verſus aliquot de *Philippis* & de *Sarepta*. Mitto igitur exem-
G plum, fortaſſis cum domum rediero edam. Etſi ſcio deeſſe meis verſibus ſplendorem: tamen hoc labore excutio alias moleſtas cogitationes. Et plus diſcunt Juniores ex his exemplis, quàm ex ἑλληνικοῖς ſcriptis. Tabulam γεωγραφικὴν tibi mittam. Valde te oro, ut ſæpe ad nos ſcribas. Bene vale. Die XVI. Martii in oppido *Amamontano*. Salutem optamus ego & collegæ vobis omnibus.

D. Iohanni

quædam veteres ſententiæ recitantur. Iterum vale & reſcribe. Die tertio Martii.

Quod objicis notato in Eccleſia civem non daturum filiam, doceas eos, Eccleſiaſticam cenſuram non nocere ei in politia. Poteſt res etiam mitigari, ut adhibitis paucis in ſacrario abſolvatur. Injuſtum eſt nullas velle leges pati.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

Epiſt.69. REverende vir & chariſſime frater, Scis Principes aliquot conveniſſe in ripa *Moeni Francofordiæ*, ad dirimendam veterem controverſiam, quæ fuit inter *Cattos* & *Naſavienſes*. Et controverſia Dei beneficio dirempta eſt. Poſtea convocati ſunt Theologi, ac illi conſeſſui interfuerunt *Palatinus* Elector, *Uvirtebergenſis* & *Badenſis*. Non voluit intereſſe *Cattorum* Princeps. Credo quia ſcivit de meo capite dicendas eſſe ſententias. Dicta eſt ſententia *Attica*: ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι, nè quid pronunciaretur antequam utraque pars audita ſit. Poſtea ſunt & decreta alia facta quæ nobis mittentur. Qualia ſint, nondum reſcivi. Sed *Gallum* ſcio adfuiſſe, cujus & cantum & pugnacitatem novimus. Eſt igitur altera hæc ὀψιτο-σύνοδος. Audio & *Brunſvigæ* futuram ἑτέρα σύνοδος. Precemur Filium Dei, ut ipſe nos gubernet & ſervet Eccleſiæ reliquias. Nam quò illa & Aularum & Epiſcoporum πολυπραγμοσύνη tendat, non obſcurum eſt. Bene vale & reſcribe. Die Julii XII.

D. Iohanni Mattheſio S.D.

Epiſt.70. REverende vir & chariſſime frater, *Syracides* præcipit in contractibus dari ſyngraphas. Eam ſententiam & ſequor ipſe, & alios ſequi jubeo: mitto igitur pagellam incluſam literis, quas ſcripſi ad eum qui dedit munus, in qua nomina ſunt *Pomeranorum* ſcholaſticorum, qui pecuniam acceperunt. Quæſo ut mitti cures noſtras literas ad eum cui inſcriptæ ſunt; decet enim grata commemoratione invitari eum ad hoc beneficentiæ genus. Veſter tabellarius nimium properabat, quare ipſi ſyngraphas tradere non potui. Poſtea dedi *Ambroſio* Paſtori Eccleſiæ Dei in monte *Mariano*. Gratias ago & veſtro civi *Pulachero*, qui literas meas ad *Auſtriacum* ſcriptas legere poteſt. Orationem recitatam in renunciatione gradus tibi mittam. Bene vale. Die ſexto Novembris.

D. Iohanni Mattheſio S.D.

Epiſt.71. REverende vir & chariſſime frater, Oro Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, λόγον καὶ εἰκόνα ἀϊδίου ἀϊδίου πατρὸς, cuſtodem Eccleſiæ, ut & nos omnes gubernet, & tibi vires corporis & animæ confirmet: te etiam oro ut propter publicam & domeſticam Eccleſiam honorem tribuas tuo corpori. Mitto vobis exempla enarrationis *Paulinæ* Epiſtolæ, quam legi à vobis ut à piis & candidis cenſoribus volo, ac peto me moneri, ſicubi extra viam excurrere videor. Tuas literas & flagito & expecto. Honeſtiſſimis viris conſulibus veſtris, & tuis collegis, & univerſæ Eccleſiæ veſtræ

A ſalutem opto, ſcribere pluribus non poſſum, præſertim hoc tempore. Bene & feliciter vale. Poſtridie feſti *Johannis Baptiſtæ*.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

REverende vir & chariſſime frater. Noſtra colloquia volo eſſe non ſolùm privatæ benevolentiæ teſtimonia: ſed multò magis publicæ conjunctionis: & in Eccleſia decet hos conjunctionem oſtendere propter multas cauſas honeſtiſſimas. Epiſt.72.
B Quare aſſiduitate tuâ in ſcribendo delector, & αὐτῷ τῷ μέτρῳ, ut in *Heſiodo* eſt, tueri officium ſtudeo, etſi profecto laboribus obruor. Nunc adſunt ex *Polonia*, qui flagitant exempla meæ confeſſionis & alia. Cogito etiam *Illyrico* reſpondere, cum non faciat finem calumniandi ipſe, & ejus πρεσβευτὴς vel emiſſarius. Mitto tibi pagellas quas ſcio vobis dulciores eſſe lectione ſycophantiarum *Flacianarum*. Quid dulcius cogitari poteſt
C *Euſebii* ſententiâ quam mitto? Salutem vobis omnibus opto. Bene vale. Die quo celebratur memoria *Auguſtini*, quem judico fuiſſe utilem Doctorem, qui vixit annos LXXVI. & mortuus eſt anno à natali *Chriſti* CD. XXX. menſe Auguſto, cum *Hieronymus* decennio ante mortuus eſſet menſe Martio, anno ætatis ſuæ nonageſimo primo, Anno à natali *Chriſti* CD. XX.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

D
REverende vir & chariſſime frater, In urbe *Vangionum* venit ad me quidam recens ex *Gallia* reverſus, qui cum ſe ad vos profecturum eſſe diceret, dedi ei literas, in quibus ſignificavi, adverſarios aſtutè hoc agere ut nos diſtraherent. Sed Doctrinæ conſenſus ſemper manſit integer, proteſtationes quaſdam voluerunt opponere ἐν μεθοδείαις, quibus propoſitis apud Præſidentem, cum peterent audiri eas in publico conſeſſu, nec eſſet Epiſt.73.
E impetratum, diſceſſerunt ipſi heri. Nunc an proceſſura ſit noſtra diſputatio, quæ inchoata eſt inter nos & Antagoniſtas, dubito: utrinque ita inſtructa res videtur, ut abrumpatur tota hæc collatio. Afficior & ego deſiderio meorum, & longè malim cum chariſſimis filiis & filiabus meis precationes recitare, quàm cum venenatis ſophiſtis altercari, tamen niſi palàm dimittimur, diſcedere non cogito. Veſtra Eccleſia nos piis votis adjuvet: Contra adverſarios hactenus initia nobis ſe-
F cunda fuerunt, Dei beneficio. Bene vale. Die III. Octobris.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

REverende vir & chariſſime frater, *Pythagorei* ſumus, καὶ ἐχεμυθίαν τηροῦμεν. Ideo ſcribere hiſtoriam colloquii non licet, ſed hoc nemo ignorat, ut apud *Xenophontem* ſuadet quiſpiam, ut *Lacedæmonii* domi diſtrahantur, ſicut apes diſſipantur Epiſt.74.
G fumo ſub alveolis facto: ita nobiſcum adverſarii bellum gerunt. Quæruntur conſilia ad nos diſjungendos, ut abrumpatur colloquium. Plura nec poſſum, nec licet ſcribere. Hoc hactenus animadverti, adverſarios nec veritatem, nec conciliationes quærere. Ideo precor Filium Dei, ut nos gubernet, & ab his inſidioſis actionibus & ſphingis ænigmatibus nos liberet. Magis prodeſſet noſtrarum

rum Eccleſiarum Doctores inter ſeſe piè colloqui & conſenſum conſtituere, quam rixari cum hoſtibus *Chriſti.* Bene vale. Salutem vobis omnibus opto. Die feſto caſtorum angelorum.

D. Iohanni Matthesio S. D.

Epiſt.75. ETſi fato quodam ultimæ mundi ſenectæ, Principes dilacerant orbem terrarum inſulſis cupiditatibus & conſiliis: tamen quod exiſtimo genus humanum non ortum eſſe caſu, ſed divinitùs conditum ad immortalitatem, manſuram eſſe partem non dubito, quæ Deum celebret. Hâc ſpe & ſtudiorum propagationem bonos viros tueri decet. Quare confirmabis animos civium tuorum. Hunc *Johannem Salatenum* natum in *Noricis Alpibus*, accerſitum iſtuc ad munus hypodidaſcali, tibi commendo, téque rogo ut meis verbis commendes eum gubernatori ſcholæ veſtræ, ad quem ſcripſiſſem & ipſe, ſi plus mihi ocii fuiſſet. Valet hic *Johannes* ingenio, & honeſtis moribus præditus eſt, & quadam civilitate quam veſtra civitas requirit. Audi recens factum *Lotharingici* cujuſdam Domini, qui egreſſos cives *Metenſes* aliquot viros & mulieres in vicinum oppidum ad audiendum concionatorem pium oppreſſit, interfecit multos viros & mulieres, mulieribus per vim ſtupra oblata ſunt. Hoc modo polluit paſcha ille Tyrannus. Sic irritatur Deus ſtudio, dum *Turci* ſunt in conſpectu. Deus adſit nobis. Bene vale. Salutem opto doctiſſimo viro D. *Navio* & Gubernatori ſcholæ.

D. Iohanni Matthesio S. D.

Epiſt.76. REverende vir & chariſſime frater, Ut mea aſſiduitas te ad ſcribendum invitet, literas do omnibus quos ad vos ituros eſſe audio, téque oro ut ſignifices nobis quomodo valeas. Oro etiam Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, ut animi & corporis vires tibi confirmet. Principes quidam valde contendunt, ut noſtris Eccleſiis Synodus indicatur. Maximè optârim bonos & doctos viros de aliquot materiis colloqui. Sed ſi diſſimiles erunt in illis congreſſibus alii, metuendum eſſet *Nazianzeni* dictum de Synodis, quod tibi notum eſt. Mitto vobis Definitionum libellum rurſus editum, cui in fine adjeci quædam [illegible], quæ velim te & *Caſparum* inſpicere. Scribes mihi etiam [illegible]. Bene vale & reſcribe. Die XXVII. Januarii.

D. Iohanni Matthesio S. D.

Epiſt.77. REverende vir & chariſſime frater. Vetus formula Juris eſt de Contractibus bonæ fidei: *Inter bonos bene agier.* Ut præſtitiſti mihi officium gratum in mittendis octo ſiclis: ita & ego *Chiliano* fideliter numerabo quinque Joachimicos, quod ejus miniſtro dixi. Ipſe enim tunc ad mercatum *Francofordienſem* proficiſcebatur. Mihi ad alias ærumnas accedunt etiam domeſtici dolores. *Iohannes* meus miniſter, cujus fides & virtus fuit excellens, ex hac vita ad conſuetudinem cœleſtis Eccleſiæ evocatus eſt. Nunc mea conjunx ita ægrotat, ut natura morbum ſuperare non videatur. Oro autem Filium Dei, ut nobis adſit, & ſervet nos in Eccleſia, ſicut his verſiculis precari ſoleo:

A *Te maneat ſemper ſervante Eccleſia* Chriſte,
Inſertoſq; tibi nos tua dextra tegat:
Tres velut in flamma teſtes Babylonide *ſervas,*
Rex ubi præſentem te videt eſſe Deum.

De dicto, *Gratis venundati eſtis, gratis redimemini*: mittam tibi poſt paucos dies explicationem, quam recitabo in Diſputatione, quam proponet quidam qui petit publicum teſtimonium gradus. Nunc mitto pagellas de Paſchate, & de B Mathematici noſtri morte. *Caſparo* dabis exempla ipſi inſcripta. Salutem vobis omnibus opto.

D. Iohanni Matthesio S. D.

REverende vir & chariſſime frater, Utrunque præcipit Deus, & dolere, cum à nobis avelluntur illi quos diligere debuimus, & moderari dolorem. Hanc communem regulam ſæpe nos hoc anno cogitare oportuit, quo tam multa vidimus C & Principum & amicorum funera. Piè & utiliter ſervivit Eccleſiæ Princeps *Anhaltinus Georgius*, de quo audio ipſum Imperatorem *Carolum* dixiſſe, ſperare ſe Eccleſiarum conſtitutionem perfecturum eſſe hoc Principe adjutore & conſiliis ejus. Hoc & patrono & amico orbatus, magnum vulnus accepi. Nuper etiam intellexi *Iacobum Sturmium* ſenatorem *Argentoratenſem*, ex hac mortali vita ad Eccleſiæ cœleſtis ſocietatem evocatum eſſe, quem valde dilexi. Accedit igitur mihi D ad cæteras ærumnas, dolor propter multorum mortem & amicorum luctum. Scripſi ad Dominum de *Haſſenſtein*, ſed breviter. Jam enim iter ingredior *Dreſdam* profecturus propter Academiæ reditus, quos nobis eripit Comes *Albertus Mansfeldenſis*. Sic oſtendunt defenſores ſtudiorum voluntatem ſuam erga nos, ſed commendemus nos Filio Dei. Te audio *Lipſiam* vocari, ſed non opinor te ex *Sarepta* tua diſceſſurum eſſe. Eſt hic exul vir gravis & honeſtus, qui cum fuerit ſa- E cerdos in *Ruſſia*, propter Euangelium, ac propter conjugium a *Polonicis* Epiſcopis pulſus ſit, poſſet uſui eſſe in *Bohemia* propter linguam. Quæſo ut ei nidum aliquem monſtretis, eáque de re cum Domino de *Haſſenſtein* & cum aliis colloquaris, qui in ſuis Eccleſiis propagari Euangelium linguâ *Henetâ* curant. Quæſo ut huic honeſtiſſimo viro & conjugi ejus conſulatis, & mihi quàm primum de hac re ſcribas. In hoc numero eſt hic exul, de quo inquit Filius Dei, *Quicquid uni ex iſtis feciſtis* F *mihi feciſtis.* Mitto vobis poëmata, de quibus poſtulo ut judicium veſtrum mihi ſignificetis. Bene & feliciter vale. Die XXV. Novemb. qui fuit dies *Encæniorum*, quæ ante annos M. DCC. XV. *Ieroſolymæ* inſtituta ſunt. *Epiſt.78.*

D. Iohanni Matthesio S D.

NIhil difficilius eſt in munere publico, quam habere collegam ζυγομαχοῦντα. Quare Deum G precor, ut mentes veſtras gubernet, téque quantum poſſum hortor & obteſtor, ut omni ratione benevolentiam ejus alere ſtudeas, non tuâ ſed Reipublicæ causâ. Quod conſertis ſententias veſtras ante concionem utile eſt. Ita igitur te præparabis, ut ſtudiosè vites ea quæ videntur quodammodo eum offenſura eſſe. Poteris interim tamen utilia, ſalutaria, [illegible] dicere. Id *Epiſt.79.*

ego

ego feci, cum ſcirem quæ materiæ, quibus temporibus A non eſſent aptæ, ſumpſi interim ut ſcis alias non inutiles. Et profuit hæc mea ratio. Bene agi tecum judico, ſi ſibi ſumpſit partes dicendi [illegible]. Nam etſi cauſa apud pios & candidos non difficilis eſt explicatu: tamen nè quid vel certaminis vel ſuſpicionis oriatur, facilè patior illum ſolum de eo argumento dicere. Tu de aliis materiis utiliter concionari poteris. Hortemur populum ad pœnitentiam, ad timorem, fidem, invocationem, exercitia pietatis, proponamus publicas & B alias pœnas. Nam *Turcos* arma *Germaniæ* illaturos eſſe affirmatur. Hinc ſumes graviſſimas adhortationes. Pro corona ago gratias nomine meæ filiæ. Cum huc veneris colloquemur de multis rebus. Bene vale. Die XXVII. Maii.

D. Iohanni Matthesio S.D.

Ep. 80. REverende vir & chariſſime frater, In puniendo deſertore politicus Magiſtratus exem- C plum ſtatuere debet. Quare juſtitia & conſtantia Senatûs in illo oppido, de quo ſcribis laude digna eſt. Atque utinam ubique major eſſet ſeveritas Magiſtratuum in diſciplina regenda. Sed hæc delira mundi ſenecta languidior eſt, in omnibus neceſſariis officiis, ac precemur Filium Dei, nè Eccleſiæ virtus in ſenecta deficiat, ut verbis *Pſalmi* utar, quæ ſæpe ex mea conjuge audio. Mitto tibi Sycaminum; nam & nos ſumus qualeſcunque paſtores Sycaminum ſcalpentes, ut de ſeſe inquit D *Amos*, cap. 7. alludens ad Ficum *Ægyptiam*, ut nominant, quam ut matureſcat, ſcalpi oportet. Oremus Filium Dei ut ipſe nobis adſit. Bene vale & reſcribe. Deus confirmet animi & corporis vires tibi & *Rheſo*. Die XXI. Martii.

D. Iohanni Matthesio S. D.

Ep. 81. REverende vir & chariſſime frater, Etſi heri ad te ſcripſi, & carmen de Sycamino miſi: E tamen hanc Epiſtolam hodie adjeci. In *Polonia* cum regiæ deliberationes differantur, de Eccleſiarum emendatione quidam præcipuæ autoritatis viri in ſuis ditionibus inſtituunt emendationem. Etſi autem in parte *Poloniæ Calvini* libros multi ſequuntur: tamen alii malunt inſtitui Eccleſias juxta normam confeſſionis noſtræ, & à nobis exempla petiverunt. His ut reſponderem hoc triduo valde occupatus fui. Libenter tibi exempla reſponſionum mitterem, ſi deſcribi potuiſſent. Profectò F in tantis diſtractionibus conjunctionem noſtrarum Eccleſiarum majore curâ tueri debebamus, & minus amare φιλονεικίας Sed oro Filium Dei, ut nos gubernet. Bene & feliciter vale, chariſſime frater. Die XXXIII. Martii.

D. Iohanni Matthesio S. D.

Ep. 82. REverende vir & chariſſime frater,

Invida me ſpaciis natura coercuit arctis,
Ingenii vires exiguaſq́; dedit:

Has tamen in laudandis bonis viris conſumere magis ſtudeo, quàm in ſcribendis conviciis, ut G faciunt [illegible] inimici noſtri, qui quas controverſias obſcuras illuſtrârint, alii judicent. Orationem tibi de Principe *Georgio Anhaltino* miſi, quam agnoſco eſſe multo tenuiorem, quàm qualem ipſius virtus merebatur. Sed qualiſcunque eſt, commonefactio utilis eſt in moribus. Et te exemplum habere volui, quia te verè dilexit, quod certò ſcio, ac valde te oro, ut mihi ſignifices an exemplum orationis, quod dedi *Hieronymo Scholandro*, ut tibi exhiberet, acceperis; mitterem nunc rurſus, ſed hic plura exempla non habemus. Nunc mitto examen *Megalburgenſe*, quod volo te legere tanquam cenſorem ſeverum, præſertim [illegible], & mihi ſignificare judicium tuum. Idem peto à *Caſparo*. Definitiones rurſus editurus ſum meliùs illuſtratas & auctas, ſcis quàm difficile ſit definitiones conſtituere. Ea in re utinam nos adjutarent noſtri *Momi*, qui tam acuti videri volunt. Sed hæc aliàs. Bene vale & reſcribe. Die reſuſcitati *Lazari*.

D. Iohanni Matthesio S. D.

REverende vir & chariſſime frater, Uſitata ſunt Eccleſiæ exilia, ut commonefaciant nos & de primo exilio, in quo primi parentes cæleſtem patriam amiſerunt, & de Filio Dei, qui pro nobis exul factus eſt, ut reducat nos in æternam patriam. Hâc cogitatione confirmati faciliùs ferimus ærumnas harum noſtrarum peregrinationum. Sed ſilentium tuum *Paulus* & ego mirati ſumus. Nam cum in hac noſtra mœſtitia maximè requireremus tuas literas: te hominem officioſum & prudentem nihil ſcribere, & videri oblitum veterum amicorum, doluimus. Ego domum redii. *Paulus* nondum adeſt. Et familiam nondum huc tranſvehere potui propter puerperæ imbecillitatem, mitto autem pagellam, ut te ad ſcribendum invitem. *Oſiander* emiſſo telo fugit ex acie more *Parthorum*. Nunc *Stancarus* de alia cauſa nobis bellum infert. Oro autem Filium Dei, ut ſervet & gubernet Eccleſias, ut faciat, ut hic veniens annus felix & fauſtus ſit Eccleſiæ, tibi & tuis. Bene vale & reſcribe. Pecuniam Bibliopolæ dedi ut juſſiſti. *Witebergæ*, die *Johannis Evangeliſtæ*, M.D.LIII. Ep. 83.

D. Johanni Matthesio S. D.

REverende vir & amice chariſſime, Hanc Epiſtolam cum nuncio darem, cœperam ſcribere ad Patriarcham Eccleſiæ *Bizantinæ*. Fuit enim nobiſcum hac æſtate vir *Raſcianus*, qui narrat ſe Diaconum eſſe Eccleſiæ *Bizantii*. Non judicamus hominem vanum eſſe. Nam mores ſunt honeſti & de doctrina Eccleſiæ piè loquitur. Cumque Græcam linguam bene didicerit, ſententias ſcriptorum Eccleſiæ rectè recitat. Ait adhuc multas eſſe Eccleſias in *Aſia*, & in Inſulis, & in *Chio*, quæ *Genuenſium* eſt, doctrinæ ſtudia eſſe. Hanc narrationem ſcio tibi jucundam fore. Ideo eam recitavi. Optavimus & longiora vitæ ſpacia Doctori *Paulo Vadeno*, & vires corporis firmiores. Sed Deo obtemperandum eſt. Mitto tibi pagellas, & flagito judicium. Ex *Vienna* mihi ſcribitur Stoica paradoxa *Galli* de voluntate humana non placere *Max. Æmiliano*, cujus judicio delector. Bene vale. Die XXV. Septembris. Ep. 84.

D. Iohanni Matthesio S. D.

REverende vir & chariſſ. frater, Pagellas diſputationis proximæ tibi mitto, cui intexui Ep. 85.

& dictum, *Gratis venundati eſtis, gratis redimemini.* ac [illegible] lectionem hanc non inſuavem fore. Acceſſerem te ad publicam renunciationem teſtimonii, niſi tempus nimis breve eſſet. Fiet enim renunciatio XVI. Maii. Et ego ipſe nunc ſubitò in aulam avocor, quanquam mea conjunx jam cum morte luctatur. Dedi Bibliopolæ quinque Joachimicos, ut precium pro ſiclis numerarem. Et fortè adſint apud Bibliopolam *Paulus Eberus.* De dicto, *Diem illum & horam nec Filius novit*, ſimpliciſſimam eſſe explicationem *Lutherus* etiam judicabat: Filius in quantum miſſus ad miniſterium Euangelii profitetur ea ſe ſcire, quæ mandavit Pater exponi, ſicut ipſe inquit, *Joh.* 12. *Qui miſit me Pater mandatum mihi dedit*; [illegible]. Neſcit alia arcana, id eſt, nobis ea neſcit, quia non vult eum Pater alia profiteri extra mandatam revelationē Euangelii. Non exponit quare *Alexandro* tribuerit Monarchiam, non *Crœſo.* Hæc nihil ad Euangelium pertinent, & ſunt extra mandata quæ accepit. Talis eſt reſponſio *Chriſti* de die & hora conflagrationis mundi. Scio & alias reſponſiones de diſcrimine naturæ divinæ & humanæ dari, quibus ſi quis mavult uti, non repugno. Sicut alibi dicitur, *Creviſſe ſapientia & ætate*, quod a multis ita enarratur; Etiamſi fulſit divinitas in natura humana, tamen aliter fulſit in infirmitate aſſumpta, aliter in grandiori ætate, aliter in paſſione, aliter in lætitia. Simus etiam contenti mediocri enarratione in explicatione harum arcanarum rerum. Bene vale & reſcribe. Die feſto quo celebratur memoria admirandi triumphi, quo Filius Dei in cœlum aſcendit. Anno mileſimo quingenteſimo quinquageſimo tertio.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

Epiſt.86. REverende vir & chariſſime frater, Exiguo intervallo hæ regiones amiſerunt duos Principes, menſe Julio Ducem *Mauricium*, & recens Ducem *Johannem Fridericum*, qui habuerunt brevia & inquieta vitæ & gubernationis ſpacia; qui ſi concordes fuiſſent, conjunctio eorum ſalutaris fuiſſet & patriæ, & ipſis, & fere univerſæ *Germaniæ.* Ac ſemper dolui ante annos decem ſemina diſcordiæ ſpargi, ex quibus paulatim longa Tragœdia orta eſt, cujus finem non videmus. Oro autem tecum & cum univerſa Eccleſia, ut Filius Dei medeatur noſtris malis, & non ſinat fieri vaſtationes & deleri Eccleſias, doctrinam & diſciplinam in his regionibus. Tranſactio inter Ducem *Johannem Fridericum* Dei beneficio feliciter facta eſt. Deus gubernet nos & Principes deinceps. De *Carolo* non libet ſcribere vulgi fabulas, [illegible]. Mitto tibi orationem de Principe *Aſcanio*, qui te valde dilexit. Non habebam plura exempla: oſtendes igitur & cæteris amicis, & reſcribes an legeris. *Hieronymum Scholandrum* honeſtum hominem morbus in patriam redire coëgit, commendes eum amicis. Bene vale. Die quo ante annos 1 7 2 4. *Nicanor* victus eſt, & brachium quo minitatus erat templo, ſuſpenſum eſt ante templum. Laus Deo ſervanti Eccleſiam.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

Epiſt.87. REverende vir & chariſſime frater, Cum videamus quoſdam veteres amicos undique ca-
A ptare occaſiones magis dilacerandi noſtras Eccleſias, nos conjunctionem noſtram majore ſtudio teneamur. Valde igitur expetivi colloquium tuum, ac libentius *Lipſiam* profectus ſum, quia te ſperavi adfuturum eſſe. *Stenckfelaius* nominatim contra me ſcriptum edidit de dijudicatione *Norſbergenſi.* *Gallus* in ripa *Iſtri* de libero arbitrio dicitur mecum pugnare; nondum vidi ejus ſcriptum. Dicam meam ſententiam fideliter & ſimpliciter, & judicia piorum & doctorum in Eccleſia audiam.
B Cum rediero domum mittam tibi pagellas noſtro more, & enarrationem Epiſtolæ *Pauli* ad *Romanos* ſcriptæ. *Caſpari Eberarti* congreſſu valde delectati ſumus. Oró autem Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, ut Eccleſiis harum regionum adſit, & eas potenter ſervet & gubernet, & tibi vires animi & corporis confirmet. Calend. Maii.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

C REverende vir & chariſſime frater, Sæpe in Precatione de mea filia in magnis doloribus cogitavi, ideo inſitam eſſe [illegible] parentum cordibus, ut ſit commonefactrix de amore Dei erga Filium & erga nos. Sentitur autem acrius in doloribus. Ideo non dubito te & honeſtiſſimam conjugem tuam in magno mœrore eſſe propter filioli deformitatem: Et vobiſcum verè doleo propter multas cauſas. Sed ſcis moderandum eſſe dolorem, Epiſt.88.
D & quærendas conſolationes, quas Deus Eccleſiæ tradidit. Deformitas eſt, quæ tamen ut ſpero non multum impediet Pronunciationem. Majora vulnera fuerunt in *Adam, Heva, Davide* propter filiorum triſtes caſus, cogites etiam *Mariæ* dolores. Tuam concionem brevi edam, ac intexam doctrinam de conſolationibus, & diſcrimine Philoſophicarum conſolationum & Euangelicarum. Mitto pagellas & mittam brevi plures. Exempla etiam tuæ concionis. Verſus [illegible] mi-
E hi curæ erunt. Bene vale. Pridie Calendas Februarii. Salutem opto *Caſparo* & vobis omnibus.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

REverende vir & chariſſime frater, Hodie ex *Pannonia* faſciculum literarum accepi, in quibus ſcribitur Eccleſias rectè docentes ſub *Turcis* in *Pannonia* Dei beneficio & concordes & tran- Epiſt.89.
F quillas eſſe. Interea in hac noſtra vicinia alibi ſævitiâ hypocritarum diſſipantur, alibi diſſidiis dimembricis. Oremus Filium Dei, ut in tam ſævis tempeſtatibus ſuam cymbam ſervet. Spero Regem *Ferdinandum* non fore miniſtrum alienæ crudelitatis. *Lautervuald* mihi bellum minitatur atrox. Sed ejus præſtigias non ſpero extincturas lucem perſpicuæ & ſimpliciſſimæ veritatis, quam ſcis me fideliter in docendo quæſiviſſe. Et hactenus Papiſtica, *Oſiandrica*, & *Lautervualdica* certamina
G profuerunt ad illuſtrandam veritatem. Mitto tibi libellum a *Davide* editum, in quo in prioribus paginis quædam emendavi, ſed ſequentia propter meum iter non potui contexere. In *Hungaria* conſpecta eſt in aere pugna duorum agminum ſerpentum, qui ſe ita lacerârunt, ut cruentæ partes deciderint, quaſi non phaſma ſed vera corpora fuerint. Significatio non obſcura eſt. Oremus

Filium

Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum* A cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut nos omnes gubernet & protegat, & ſit λόγος vivens in noſtris pectoribus, & faciat nos vaſa miſericordiæ. Bene vale. Die XIX. Februarii. Salutem vobis omnibus opto.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

Ep. 90. REverende vir & chariſſime frater, Etſi odioſa eſt πολυπραγμοσύνην ingerere ſe deliberationibus alienis, & mihi domi ſatis eſt negotiorum: B tamen ut has meas literas pro tuo ſummo candore boni conſulas peto: Cum intellexiſſem deſiderari apud vos ſcholæ Gubernatorem, indicare vobis hunc M. *Fridericū Vveidebrand Peſnicenſē* decrevi, quod ut facerem graves cauſæ me moverunt. Scribit eleganter carmen & ſolutam orationem, ut ex pagellis intelliges, quas addidi huic Epiſtolæ, & eſt vir honeſtus, placidiſſimâ naturâ, moderationis amans, in omnibus rebus circumſpectus, & excellens Muſicus, eruditus etiam in omni Phi- C loſophia; & cum ſponſus ſit, nondum habet nidum. Sic igitur pro eo & laboro & peto, ac ſi ex me natus eſſet; nec tamen pro eo peterem, niſi judicarem valde idoneum eſſe. Quæſo igitur ut hanc curam ſuſcipias, & hunc *Fridericum* tuis ſenatoribus commendes. Mitto tibi pagellas quas ſpero te libentiùs lecturum eſſe quàm recèns editam Apologiam ad *Iſtrum*, in qua accuſamur, quod non approbemus librum de ſervo arbitrio. Nec tamen expreſsè dicit, qua de re pugnet ille D pugnax *Gallus*. Sed hæc alias. *Fridericum* tibi commendo, ac ſi Filius meus eſſet. Bene vale. Pridie Calend. Julii.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

Ep. 91. REverende vir & chariſſime frater, Non dubito te ſæpe circumferre oculos & cogitationem per totum orbem terrarum, & conſiderare ruinas Imperiorum & gementem petere, ut Filius E Dei Dominus noſter *Jeſus Chriſtus* triumphum ſuum oſtendat univerſæ Eccleſiæ, & rurſus ad te dulciſſimam conjugem tuam adducat. In *Italia* fit hoc quod prædictum eſt, ῥῆμα μὲν ῥώμη ἔσεται καὶ δῆλος ἄδηλος. Vaſtatur *Italia* Pontificiis, *Gallicis* & *Ibericis* latrociniis. Die Paſchatos in *Pedemontana* regione Regis *Gallici* exercitus vi cepit oppidum, interfectis multis *Hiſpanis*, dimiſſis *Italicis* & *Germanicis* militibus. Deploremus magnitudinem ejus calamitatis, & Deo gratias agamus, F quod nobis concedit, ut Paſcha felicius celebremus. Hæc dicas tuæ Eccleſiæ. *Caſpar Ebrardus* ad nos, ut ſperabamus, non rediit. Quæſo ut ſignifices nobis an in *Salinas* migret. Ποτε ἐπιδευτερώσω ſcribam ſi ad colloquium in urbe *Vangionum* aves convolabunt. Valde multa ſunt de quibus tecum colloqui decrevi. Nam ad te Deo juvante accedam, ſi iter ad *Rhenum* non ſuſcipiemus. Bene vale, chariſſime frater. Die vigeſimo quarto Maii.

G

D. Iohanni Mattheſio S. D.

Ep. 92. REverende vir & chariſſime frater, Sæpe repeto dulciſſimum verſum,

Ἓν ὄμματ' εὐνοῦ φωτὸς εἰσβλέπειν γλυκύ.

Erit igitur & conſpectus veſter mihi jucundus & A dulcis oratio cum veneritis. Nam de multis magnis rebus & conſideratione dignis colloquemur. Quare ut veniatis opto, & Filium Dei oro ut vos protegat, ut texit *Jacob* facientem iter cum Eccleſia ſua domeſtica. Mea miſera conjunx quotidie jam cum morte luctatur, ego commiſeratione valde excrucior. Sed hoc dolorem lenit, quod ipſius mens & integra & tranquilla eſt manifeſto Dei beneficio. Tibi & *Caſparo* pagellas mitto, de quibus judicium veſtrum flagito. Bene vale. Pri- B die Calend. Junii.

D. Iohanni Mattheſio S. D.

REverende vir & chariſſime frater, Ante ſexaginta annos meus pater mihi deſcribi γενέθλια curavit à *Palatini* Mathematico viro ingenioſo *Hasfurto*, amico ſuo. In ea prædictione diſertè ſcriptum eſt, itinera me ad Boream periculoſa habiturum eſſe, & me in mari *Baltico* naufragium facturum eſſe. Sæpe miratus ſum, cur mihi nato C in collibus *Rheno* vicinis prædixerit pericula in Arctoo Oceano Nec volui eò accedere vocatus in *Britanniam* & in *Daniam*. Metuo tamen fata, etiamſi non ſum *Stoicus*. Jam proficiſci jubeor ad littus *Balticum*, quo Rex *Danicus* venit; & ſynodus indicitur, in qua περὶ δείπνου κυριακοῦ certamina erunt. Accuſatur quidam eò quòd effuderit vinum. O rem miſeram! *Weſtphalus* me accuſat, quòd ſcripſi, nihil habere rationem Sacramenti extra uſum inſtitutum. Hac regulâ ſublatâ, con- D firmatio magnorum ſcelerum Papiſticorum ſequitur. Non recuſo de tota hac controverſia non difficili meam ſententiam dicere inter eruditos & pios, & te velim, ſi erit eruditorum deliberatio, intereſſe. Nondum de meis itineribus certa ſcribere potui, ſed quam primum potero, res noſtras tibi ſignificabo. Heri filio Reverendi D. *Lutheri Paulo Luthero*, Doctoris gradus in arte medica decretus eſt, Orationem cum fuerit edita, mittam. Bene & feliciter vale. Die XXX. Julii. Ep. 93.

E

D. Iohanni Mattheſio S. D.

REverende vir & chariſſime frater, In adverſariis Eccleſiarum noſtratum rabies creſcit, utinam in nobis creſcerent pietas & ſtudium tuendæ conjunctionis. Edidit *Staphylus* antilogias noſtrorum, quo in libro tantum veneni & impudentiæ eſt, ut judicaturus ſis, nihil editum eſſe furioſius. Spero Deum nobis adfuturum F eſſe contra tam Diabolicas calumnias. Refutationem brevem edo, quam tibi mittam. Nunc mitto orationem de *Nazianzeno*, cujus hiſtoria imago eſt noſtratum miſeriarum. *Pacaeum*, vulneratum à quodam ebrio milite in itinere, ſcribitur poſt paucos dies ex eo vulnere mortuum eſſe. Triſte exemplum eſt. Precemur igitur Filium Dei ut nos protegat & gubernet. Bene vale. Die XVII. Martii. Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octavo. Ep. 94.

G

D. Iohanni Mattheſio S. D.

REverende vir & chariſſime frater, Legit hic *Simon Suerinenſis* vir doctus ſententiam in *Salomone* dulciſſimam: *Omnis ſermo purgatus*, צרופה *clypeus eſt ſperantibus propter ipſum.* Ut igitur videat exempla veſtrarum coctionum, Ep. 95.

Sarepiam veſtram adire decrevit, tuam etiam ami- A citiam expetit. Ac ſcio tibi ſermones ejus propter eruditionem & propter modeſtiam gratos fore. In *Polonia* intelligo inter *Laſcium* & *Vergerium* magna certamina fore, & uterque ſe armat ſuâ factione. Precemur Filium Dei, ut nos gubernet. Mitto tibi *Epicedion* viri optimi *Micylli*. Bene vale & reſcribe. Die VI. Aprilis.

D. Iohanni Matthefio S.D.

Epiſt.96. REverende vir & chariſſime frater, Mitto partem reſponſionum de *Bavarica* inquiſitione, B & mitto ut cenſori, cujus judicium antefero univerſæ factioni βαναυσῶν, quæ nec veritatem quærit, nec piis mentibus in veris doloribus conſulit; ſed dubitationes auget. Vides me τὰ τετριμμένα explicata dicere, & quorum uſus eſt in conſolatione. Credo & te ſæpe eadem ex ipſo *Luthero* audiviſſe, & extant talia ab eo ſcripta. Vidi rabioſe ſcriptam contentionem à *Gallo*, qui inde uſque à ripa C *Iſtri* in nos ungues ſuos extendit. Vicinis *Bavarus* parcit. Commendo autem nos Filio Dei. Bene vale. Die XVII. Aprilis.

D. Iohanni Matthefio S. D.

Epiſt 97. REverende vir & chariſſime frater, Et vita regis *Danici* exemplum fuit ſapientis & pii Principis, & exitus ex hac vita docet, qualis eſſe præparatio piæ mentis in hoc agone debeat. D Quare judicavi edendam eſſe orationem ab ejus medico viro docto & ſapiente ſcriptam, ut multi alii legant. Vellem quædam copioſius illuſtrata eſſe, ſed conſulto uſum eſſe autorem in luctu hac quaſi lugubri formâ orationis exiſtimo, cum quidem addere ſplendorem potuiſſet. Juſſi ut tibi pagellas exhibeat hic *Adam Gryphius* modeſtus & ingenioſus adoleſcens, quem ut tueri & ornare ſtudeas oro. De captivis *Jenenſibus* nihil habeo quod ſignificem, niſi me precari Deum, ut ipſis & familiis eorum dolores leniat & eos liberet. Ex *Pannonia* literas accepi, quæ narrant alterum ex filiis E *Turcici* Tyranni ad *Perſas* fugiſſe, quem Duces malint fieri Regem: Alterum filium à patre anteferri. Propter hanc filiorum diſſenſionem retinetur pater, nè majores exercitus in *Pannoniam* mittat. Tuas literas & flagito & expecto. Bene vale. XX. Maii M.D.LIX.

D. Iohanni Matthefio S. D.

Epiſt.98. REverende vir & chariſſime frater, Cum gener meus qui mutationem aëris ſibi ad depellendam febrim profuturam arbitraretur, me F oraret, ut comes eſſem itineris in patriam ad fontes *Suevi* fluminis: Etſi non libenter abſum ab Academia, tamen ei hoc officium præſtiti, & Dei beneficio febri liberatus eſt. Sed filiam reduximus, quæ poſt ἐξανθήματα ægrotat, non ſine periculo. In ipſo itinere abſolvi ſcriptum de poteſtate, G quam ſibi Pontifices ſumunt adverſus Imp. Ejus ſcripti exemplum curabo ut habeas. Spero etiam lectionem tibi jucundiorem fore quàm poteſt eſſe *Flacii* aut *Stemphyli* ſcriptorum. Tecum autem oro Filium Dei, ut nos omnes gubernet. Valde te oro, ut huc advenias cum ornabitur gradu Doctoris Medici communis amicus noſter *Andreas Roſa*.

A Spero tibi & vinà, & colloquia noſtra jucunda fore. Mitto & pagellam *Decani* noſtri. Bene vale. Die natali filiæ meæ, conjugis M. *Caſpari*, quo inchoat annum viceſimum octavum ſuæ ætatis, & jam ſextò gravida eſt. Deus protegat nos.

D. Iohanni Matthefio S. D.

REverende vir & chariſſime frater, Non dubito, quin multò ante audieris hiſtoriam de *Epiſt.99.*
B morte Regis *Gallici Henrici*. Sed fortaſſis hoc nondum audiviſti. Tradiderat ei *Romanus* Pontifex jus occupandæ *Angliæ*: Id debebat initium eſſe ſævitiæ, etiam adverſus Eccleſias noſtras exercendæ. Hæc conſilia Pontificia Deus impedivit. Ex *Veneta* urbe ſcriptum eſt hac æſtate fratres filios *Turcici* Tyranni inter ſe dimicâſſe in *Bithynia*, & trucidata eſſe quadraginta millia *Turcorum*. Ita clementer à *Germania* adhuc Filius Dei *Turcicam* gentem arcet. Narrat mihi hoſpes *Pannonius Tur-*
C *cica* præſidia in *Pannoniam* minus erumpere ex ſuis ſpeculis hoc tempore, quàm antea ſolebant. Precemur Filium Dei, ut nos gubernet & protegat. In oppido vicino *Berlino* certamina ſunt de hac propoſitione, An bona opera ſint neceſſaria, Et ex *Paulo* citat *Iſlebius*, οὐ κατ᾽ ἐπιταγὴν λέγω, quod dictum eſt de non præceptis, ſcilicet de modo Eleemoſynarum. Non enim vult *Paulus* tolli diſtinctionem Dominiorum. Id detorquet *Iſlebius* ad alia, quæ in præceptis mandantur. Addit hor-
D ribilia epiphonemata ex Diabolo ortam eſſe hanc vocem, *Bona opera ſunt neceſſaria*. Tales furores puniet Deus. Oro Filium Dei ut nos gubernet. Mitto tibi duo exemplaria orationis recitatæ, cum *Andreæ Roſæ* tribueretur teſtimonium publicum. Brevi mittam & alia noſtra ſcripta. Te volo noſtra ut cenſorem legere. Vides me quærere materias utiles & dulces, quia certè illa *Sphingis* ænigmata quæ Φλάκιος τέχνῃ edit, non proſunt juventuti. Sed tuum judicium expeto.
E Bene vale & ſæpe nobis ſcribito. Die XVIII. Auguſti.

D. Iohanni Matthefio S. D.

REverende vir & chariſſime frater, Mox iturus eram ad concionem dulciſſimam de *Samaritano*, curante vulnera ſaucii viatoris, veniam igitur brevitati literarum dato. Precemur autem hunc *Samaritanum* Filium Dei, ut Eccleſiarum *Ep. 100.*
F noſtrarum in *Germania, Gallia* & *Britannia* vulnera ſanet. Magna omninò generis humani mutatio impendet, quam gubernet Filius Dei. Bene & feliciter vale. Die XX. Auguſti.

D. Iohanni Matthefio S.D.

REverende vir & chariſſime frater, Fuit eruditio & virtus egregia in *Jacobo Milichio* medico, nec dubito eum verâ pietate Deum coluiſſe. In æſtate in morbum incidit cum quidam la- *Ep. 101.*
G nius non procul ab ejus ædibus alium percuſſurus eſſet, inde orta commotio, ut ego ratiocinor, nunc quoque attulit πάθος ἀποπληκτικόν. Etſi autem utcunque convaluerat, & nuper cum tota familia ad Cœnam Domini piè acceſſit; tamen deinde in hortum egreſſus in frigore ſenſit majorem commotionem, & in oppidum revectus, quarto die poſt

extinctus

extinctus eſt. Tali orbatus & collegâ & amico, magno in dolore ſum. Sed oro Filium Dei, ut publicas & privatas calamitates mitiget. Mihi in ſenecta & labores & dolores creſcunt, à quibus tamen brevi me liberabit migratio ad cæleſtem Eccleſiam, in qua coram ſe nobis Filius Dei oſtendet cum Patre & Spiritu ſancto, & procul aberunt ſophiſtæ qui idola & parricidia ſtabiliunt. Oro Deum ut Eccleſiam & nos in ea ſervet. Bene vale. Die XIV. Novembris.

D. Iohanni Matthesio S. D.

Ep. 102. REverende vir & chariſſime frater, Utinam in nobis & noſtris creſcerent flammæ veræ invocationis, ut in Pontificiis & fanaticis rabies & ſævitia creſcunt. In *Hiſpania* decem regii ſatellites propter piam confeſſionem cremati ſunt, & inquiſitores aliquot converſi, agnitâ veritate ſuppliciis affecti ſunt, & monachi conati ſunt *Caroli* Imperatoris corpus effoſſo ſepulchro contumeliâ afficere, quod vix impedire filius potuit. Intelligo etiam τ̃ αὐτοχέιρος fieri aſperiorem. Quod autem diſputas de veſtra vicinia, primùm oro Filium Dei ſedentem ad dextram æterni Patris ac largientem dona hominibus, ut te & nos gubernet & protegat. Deinde hoc do conſilium, prorſus ut intra eas metas te contineas, inter quas hactenus conſtanter, Deo juvante, te continuiſti, maneas in hac ſtatione, in quam te Filius Dei collocavit, & in qua te defendit tot annos, conſulas etiam piis in vicinis Eccleſiis qui ad vos accedunt. Spero te ad nos expatiaturum aliquando eſſe, quod ut facias te oro, ut copioſè colloqui poſſimus. His diebus legati Ducis *Palatini Uvolgangi* Ducis *Uvirtebergenſis*, & *Heſſiaci* Principis apud Electorem *Saxonicum* fuerunt, flagitantes Synodum. Quantum ſit periculi ardentes odiis committere, potes ipſe judicare, præſertim ſi deſint βραβευταί, qualis fuit *Conſtantinus*. Noſtri igitur cenſent ea de re diutius deliberandum eſſe. Bene & feliciter vale, chariſſime frater. Die Æquinoctii verni M. D.LX.

Doctori Erhardo Schnepfio.

Ep. 103. REverende vir, Utrum editione *Auguſtani* libri quæſita ſit Eccleſiarum concordia, an verò oppreſſio veritatis & vaſtatio Eccleſiarum noſtrarum, & occaſio pellendi & interficiendi pios Euangelii miniſtros, jam res ipſa declarat. Urbs *Ratisbona* fuit ſupplex Imperatori, nè Eccleſia turbaretur. Hæc deprecatio adeo non flexit Imperatorem, ut uno die ſeptem Euangelii miniſtri pulſi ſint, & templa clauſa. *Brentius*, cujus diligentia non ſolùm ad erudiendas & ornandas multas Eccleſias, ſed etiam ad pacem ſuæ viciniæ profuit, expulſus eſt ex *Salinis*. *Muſculus* ex urbe *Auguſta*. Propter has victorias Cardinalis *Auguſta* trophæum erexit, in quo *Carolo* Imperatori gratias agit de reſtituta concordia. Cum igitur conſtet quæri oppreſſionem veritatis, & occaſionem ſævitiæ exercendæ in homines pios & doctos, nos ipſi nequaquam aſſentiemur illi *Auguſtano* libro. Monemus etiam eruditos & doctos viros qui præſunt Eccleſiis, nè recipiant illas doctrinæ corruptelas. Etſi autem politici gubernatores inprimis deberent & intelligere & tueri pu-

A ritatem Euangelii, ſicuti ſcriptum eſt, *Et nunc Reges intelligite*: tamen cum Imperia paſſim regantur à talibus qui Euangelium aut non intelligunt, aut oderunt, nos ſejungemus noſtram confeſſionem à conſiliis politicis. Et videmus in multis locis viros politicos & nobiles ſpe novi ſtatus lætari, ac libenter excutere pios paſtores. Sed tamen in civitatibus conſules & ſenatores, qui Euangelium & intelligunt & amant, hortandi ſunt, nè ſe adjungant hoſtibus Euangelii. Et cum
B receptio libri *Auguſtani* ſit obligatio ad opprimendam veritatem, & ad exercendam injuſtam ſævitiam, talium conſiliorum ſocietatem fugiamus, pericula verò Deo commendemus, quem ſperamus Eccleſias, etiamſi deerunt præſidia humana, ſuâ manu protecturum eſſe, ſicut ſæpe promiſit. Nihil ſeditioſè facimus, ac totum conſilium noſtrum eò ſpectat, nè lux veræ doctrinæ extinguatur, & nè tranquillitas harum Eccleſiarum, quarum ſtatus jam mediocris eſt, turbetur.
C Nec leve ſcelus eſſe ducimus impedire invocationem, & magni doloris cauſam Spiritui ſancto in multis præbere. Nondum igitur ulla mutatio in Eccleſiis harum regionum facta eſt, & in conventu gentis *Myſorum* honeſtæ & piæ ſententiæ dictæ ſunt, ne turbentur hæ Eccleſiæ recipiendis corruptelis, quas continet liber *Auguſtanus*. *Saxonicam* gentem ſperamus gravitatis & conſtantiæ ſuæ ſpecimen illuſtre in re tanta præbituram eſſe. Menſe Julio, Anno milleſimo quin-
D genteſimo quadrageſimo octavo.

Doctori Erhardo Schnepfio.

REverende vir & amice chariſſime, In his regionibus nondum facta eſt ulla Eccleſiarum mutatio. Et in Academiis ſtudia cœleſtis doctrinæ & aliarum artium florent. Quare te optarim in hæc loca venire. Pridie etiam antequam tuas literas accepi, ſcripſi de te accerſendo ad ſenatum Ep. 104.
E *Cygneum*, ad quem rurſus ſcribam poſtquam intellexi quo in loco ſis. Sed, niſi alia commodior conditio te in *Francis* retinet, conſulo ut quàm primum huc venias. Mea domus, Deo dante, hoſpitium tibi præbebit. Nam vel *Cygnea*, vel in Academia *Roſtochiana* locum habere poteris. Ac de Academia *Roſtochiana* pene promittere auſim. Nam & Princeps ad me ſcripſit & præcipui Profeſſores, ut lectorem theologicum ipſis quærerem. Rex *Danicus* etiam petivit mitti in Academiam
F *Hafnienſem* lectorem theologicum, qui *Germanicè* concionari poſſit. Dabit Deus tibi jam caneſcenti honeſtum hoſpitium in his gentibus, quarum gravitatem ego ipſe moribus patriæ antefero. Bene vale, & vel mox advenito, vel reſcribito. Die IX. Februarii.

Doctori Erhardo Schnepfio.

REverende vir & amice chariſſime, Quod non Ep. 105.
G ſcribo ſæpiùs, tantum tribuito meis vel occupationibus vel ærumnis. Nam profectò quotidie tecum colloqui cupio, non de populi fabellis, ſed de graviſſimis doctrinæ Eccleſiaſticæ controverſiis. Ac ſcripſi quædam, quæ tibi judicanda mittam. *Stancarus*, quem vidiſti *Ratisbonæ*, valde contumelioſè in multos debacchatur, ait non rectè intelligi doctrinā de tribus Perſonis.

A Adferet, opinor, aliquid ex *Rabinis*. Nam alioqui nihil habet literarum. Contendit *Chriſtum* eſſe Mediatorem tantùm ſecundùm naturam humanam. Etſi ſcis in tertio libro *Longobardi Diſt*. 19. quædam in eam ſententiam dici: tamen ibidem dicitur *Chriſtum* redemptorem dici ſecundùm utramque naturam. Et ſacerdos haud dubiè eſt ingrediens in ſanctum ſanctorum, id eſt, in arcanum conſilium divinitatis, non tantùm φύσει ἀνθρωπίνῃ. Sacerdos autem Mediator eſt, ut docet Epiſtola ad *Ebræos*. B De talibus rebus prodeſſet multos ſæpe amanter colloqui. Sed, ô rem miſeram! accedit nobis ad cæteras calamitates hæc quoque, quòd congreſſus etiam temporum difficultatibus impediuntur. *Marchio* Elector vocaverat D. *Pomeranum* & me ad hanc *Stanckari* diſputationem, ſed iter noſtrum graves cauſæ impedierunt. Te oro, ut mihi tuum judicium ſignifices, de illo *Longobardi* dicto de Mediatore, quod quidem *Bonaventura* quaſi corrigit, qui dicit aliud eſſe medium, aliud Mediatorem. C *Auguſtanus* tabellarius adfert ad vos literas. Etſi autem fortaſſis migrare iſtinc non voles: tamen optârim te aliquot menſibus *Auguſtæ* eſſe, ut Eccleſia tuis conſiliis initio conſtitueretur. Oro autem Filium Dei, ut & hæc veſtra conſilia regat, & Eccleſiam ſibi in *Germania* ubique colligat. Bene vale. Die XIII. Novembris.

Doctori Erhardo Schnepfio S. D.

D Ep. 106. REverende vir, & amice chariſſime, Etiam *Pindarus* hoc *Homericum* dictum laudat:

Ἐσθλὸν καὶ τὸ τέτυκται, ὅτ᾽ ἄγγελος αἴσιμα εἰδῇ·

Ac plurimum refert qualis ſit in nunciis virtus & autoritas. Ideo etſi hunc Legatum Illuſtriſſimorum Ducum *Megalburgenſium*, virum eruditione & virtute præſtantem *Arnoldum Burenium* E propter ipſos Principes non gravatim audies: tamen ut libentiùs excipias & audias, ſignificandum tibi duxi, quis ſit hic Legatus. Vetus mihi cum eo amicitia eſt, & comperi fidem & gravitatem ejus eximiam eſſe, propter quam & Ducibus *Megalburgenſibus*, & univerſæ Academiæ *Roſtochianæ*, & optimo cuique in omnibus Civitatibus illorum locorum, & in Equeſtribus familiis notus & charus eſt. De eruditione conjecturam ipſe facies in colloquio. Sed pauciſſimi F ſunt in *Germania*, ſi qui ſunt, quorum anteferenda ſit oratio. Sed multò majus ornamentum eſt in eo, vera Dei invocatio, & in omni officio conſtantia. Quare excipias eum amanter, ac talis viri notitiam & amicitiam tibi gratiſſimam fore ſpero. Mandata Principum ex ipſo audies: vocant te in Academiam *Roſtochianam*, & ſtipendium honeſtum offerunt. Etſi ſcio te, ut *Paulus* laudat hoſpitium & officia *Oneſiphori*, ita Principum & aulæ veſtræ benevolentiam G erga te magniſacere, nec facilè à *Sala* ripa diſceſſurum eſſe: tamen quantum referat in illa magna ora littoris *Baltici* ſcholam eſſe florentem, quæ ſit ad poſteritatem doctrinæ cœleſtis cuſtos, conſideres. Præclarè ibi de tota Eccleſia mereri poteris. Sed hæc tu ipſe pro tua excellenti prudentia conſiderabis. Bene vale. Die XXIX. Octobris.

Domino Victorino Strigelio S. D.

A Ep. 107. VTile eſt ſæpe multumque cogitare, & aſpicere veſtigia Dei in natura, quæ teſtantur hunc mundum non extitiſſe caſu, ſed verè mentem eſſe æternam Architectatricem ac Judicem; quod quidem oſtendunt, hic pulcherrimus ordo corporum mundi, leges motuum cœleſtium mirâ arte inſtitutæ, vices temporum accommodatæ B rebus naſcentibus, immota diſtinctio honeſtorum & turpium in humana mente, & judicium conſcientiæ, imò & rati eventus, pœnæ atrocium ſcelerum, libidinum & cædium. Agnoſcamus ergo, & eſſe Deum conditorem, & Judicem generis humani, & talem eſſe agnoſcamus, qualem ſeſe exprimit ipſe in diſtinctione virtutum & vitiorum. Sciamus ſapientem, beneficum, juſtum, veracem, caſtum eſſe, ac verè & horribiliter iraſci ruentibus contra hanc ſuæ mentis normam. Sanxit C igitur certas conjugii leges, ut ſit intellectus caſtitatis in genere humano, ac ut in Invocatione hunc verum & caſtum Deum ab immundis naturis omnibus diſcernamus, quæ lux quoties, ut in Ethnicis & in tetris ſacrificulis, extincta eſt, non ſolùm corpora polluta ſunt, ſed invocatio etiam horribiliter depravata eſt. Hæc ſcelera ſemper & punivit & punit ira Dei juſtiſſima ingentibus pœnis, ruinis regnorum & aliis calamitatibus. Nos verò oremus Deum æternum, Patrem Domini D noſtri *Jeſu Chriſti*, conditorem & ſervatorem generis humani, juſtum & caſtum, & autorem fœderis conjugalis, ut nos regat, & in mentibus intellectum & amorem veræ invocationis & caſtitatis accendat, ut veris laudibus & vera eum obedientia celebremus. Omnia quæ de conjugii laude dici poſſunt, tibi nota ſunt. Sed hæc laus inter præcipuas eſt, quòd his legibus ſancitis Deus voluit caſtitatis intellectum eſſe in genere humano, ut agnoſcamus & ipſum mentem caſtam eſſe, ac E diſcernendam à naturis immundis. Hunc igitur ordinem à Deo inſtitutum lætus amplectere, ac Deo gratias agito, quòd te ab impuris & inceſtis ſacrificulis & Monachis ſejunxit, & certâ ſpe ſtatuito tuam Eccleſiam domeſticam Deo curæ fore, quem oro, ut te & ſponſam tuam & parentes ſervet incolumes, & faciat ut conjugium tuum ſit ſanſtum & felix. Veniſſem ipſe, nec utor fucosâ excuſatione, niſi me *Sabinus* retineret, qui adeſt, & multa negotia attulit. Mitto tibi munus F γαμήλιον, exhibiturus aliud aliquando coràm. Mea conjunx tuæ ſponſæ omnia fauſta precatur, quæ teſtis eſt Baptiſmi ipſius. Bene & feliciter valete omnes. Die decimo quinto Maii. Anno M.D.XLIX.

Domino Victorino Strigelio S. D.

Ep. 108. ETſi literarum ſtudia conterrita civilibus armis, languidiora nunc eſſe videmus: tamen & Ec- G cleſiam Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, & ſemen ſanctum aliquod, ut *Eſaias* nominat, ſervabit. Cúmque ſperem in ea re, id eſt, in tuendis Eccleſiæ reliquiis & erudiendis, te futurum eſſe σύνεργον θεοῦ· ſtudiis tuis valde faveo, & Deum precor ut ea gubernet. Te quoque adhortor, ut amicitiam noſtram tueare. Prodeſt enim Eccleſiæ eruditorum conjunctio. Ac

ſæpe

ſæpe noſtri ordinis hominibus verſus recitavi, qui extant in quadam epiſtola *Platonis*, ipſi etiam, ut apparet, valde probati, ὃν χρυσὸς ἀγλαὸς, οὐδ' ἀδάμας οὕτως ἀστράπτει πρὸς ὄψεις, ὡς ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὁμοφράδμων νόησις. Horum verſuum doctrinæ obtemperemus. Bene vale & reſcribe. Die quo memoria celebratur admirandi conſilii divini, quo æternus Pater Filium pro nobis victimam fieri voluit.

Domino Victorino Strigelio S.D.

Ep. 119. SÆpe mihi venit in mentē in his *Hercinis* jugis, quod ſcribitur, *Junonem*, in *Harciniis* montibus ac ſcopulis veniſſe ad *Argonautas*, ut viam errantibus monſtraret: quâ imagine ſignificatum eſt in locis deſertis & horridis magis opus eſſe peregrinis Dei familiaritate. Ac nos quidem hactenus Deus clementer protexit, venerúntque ad me docti aliquot & ſuaves amici, ut in hac ſolitudine & in his ſaxis me a mœrore nonnihil abducerent. Ac his diebus aliquantulum acquievi in ſermonibus eruditiſſimis & dulciſſimis *Martini Sidemanni*. Nôſti illud, ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι. Quare te quoque nobis optarim ſæpiùs ſcribere de tuis & Juventutis tuæ ſtudiis, de Eccleſiæ veſtræ ſtatu, & quorum iſtic familiaritate utaris. Certamina Principium aut populorum de Imperiis ſignificari mihi nolo. *Martinum* noſtrum ut familiariter complectaris, te etiam atque etiam adhortor, præſertim cum ad cæteras cauſas, propter quas amicitia ipſius tibi voluptati futura eſt, videlicet ad eruditionem & candorem animi, accedat & hæc cauſa, quòd communis vobis patria eſt, & quidem illa ipſa regio, quæ ingenia minimè fucata gignit. Bene vale. Die V. Junii, quo ante annos M.DCCCC. XXIV. *Leuctricâ* pugnâ victi *Spartani*, pœnas ſuperbiæ in imperio & libidinum dederunt. Utinam verò ſimilis concordia hoc anno Ducum noſtrorum fuiſſet, qualis tunc fuit *Epaminonda* & *Pelopida*. Sed Eccleſia vincit aliis armis. Et Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* oremus, ut ſervet Eccleſiæ ſuæ reliquias, & non ſinat deleri diſciplinam & utilia ſtudia doctrinæ. Iterum vale.

Domino Victorino Strigelio S.D.

Ep. 110. SEmper & amanter & præclarè de tuo ingenio ac animo ſenſi, téque ſpero feliciter Eccleſiæ Dei ſerviturum eſſe ubicunque eris. Ac bona quadam ſpe hortator tibi fui ut in urbem *Jena* te conferres, quam ratiocinabar hoſpitium & literis & Eccleſiæ Dei conceſſuram eſſe gratius. Sed, ut video, Eccleſia in deſerta extruditur, ut olim magna agmina ſenum, ſacerdotum, matronarum, infantum, puellarum expulſa ſunt urbibus, & immiſſæ cohortes centaurorum, ut equorum pedibus conculcarentur fugientes. Feramus his veteribus exemplis confirmati, ſimiles miſerias. Etſi vos quidem Dei beneficio, hoſpitium in illis veſtris collibus tranquillum & gratum habituros ſpero. Initia Academiæ veſtræ & omnium temporum ſtudia felicia eſſe opto. Ut Eccleſia una eſt, ubique cœtus rectè invocantium Filium Dei: ita unam ducamus eſſe ſcholam & concordiam tueamur. Bene & feliciter vale. Die XVII. Martii, quo ante annos M.D.XIV. *Lazarus* ex morte in vitam re-

A vocatus eſt, quo teſtimonio Filius Dei oſtendit ſe poſſe opem ferre ſine cauſis ſecundis: ita & nunc ſperemus auxilium.

Domino Victorino Strigelio S.D.

DOctiſſime *Victorine*, & tuo & ſoceri viri Ep. 111. optimi dolore adficior, ac vobiſcum doleo, Deumque oro, ut privatas & publicas calamitates leniat, & in ira miſericórdiæ ſuæ recordetur.
B Notæ ſunt autem tibi conſolationes divinitùs propoſitæ, quarum te cogitatione confirmato. Sed hoc etiam præceptum trado: Abducitur animus & à dolore & ab aliis cogitationibus, inquiſitione doctrinæ, in qua deſideratur explicatio diligentior. Fuit autem negligentia valde vituperanda ſcriptorum, qui non tradunt, cur Filius Dei λόγος nominetur, & quæ ſit propria actio in mentibus humanis τοῦ λόγου, quæ τοῦ πνεύματος. De hac tanta re cum D. *Erhardo* & tecum loqui cupio, &
C colloquar Deo juvante. Nunc mitto has quæſtiones, de quibus & D. *Erhardi*, & tuas reſponſiones flagito. Bene vale & reſcribe. Salutem opto clariſſ. & optimo viro D. *Stigelio* & cæteris amicis. Pridie Cal. Septemb.

Quæſtio.

Uſitatè dicunt de tribus Perſonis ſcriptores, quia Spiritus ſanctus habitat in cordibus, ſimul ſunt cæteræ Perſonæ, quia perſonæ divelli non poſſunt. Hoc non ſatis eſt dictum, non enim diſcernuntur
D Perſonæ, nec ordo actionum traditur.

Auguſtinus IV. De *Trinitate*, inquit: *Quotidie mitti Filium in corda ſanctorum.* Et ait: *Aliter mittitur ut ſit homo, aliter ut ſit cum homine.*

Athanaſius expreſſe dicit: *Quandocunque dicitur in aliquo eſſe Spiritus, intelligitur in eo eſſe Verbum dans Spiritum.* Quo ordine? Sic ſentio per Verbum vocale. Verè Filius dicit verbum in corde. Et ita oſtendit Patrem, & ſimul tunc perfunditur cor Spiritu ſancto, qui eſt cauſa lætitiæ
E in Deo. Hæc in experientia intelligi poſſunt. Nominatur igitur λόγος, & quia eſt imago æterni Patris, & quia eſt Verbum in cordibus noſtris oſtendens voluntatem Patris. Et ad hanc ſententiam multa vetera dicta congruunt. Et ſic *Nazianzenus* inquit: Ἐκ φωτὸς Πατρὸς καταλαμβάνομεν φῶς τὸν υἱὸν φωτὶ ἁγίῳ πνεύματι. Nihil hæc ad *Baltici* Oratoris contentiones, quia aliud eſt quærere de actionibus in homine, aliud de acceptatione. Nos confidere debemus obedientia Filii Dei, quam
F Patri præſtitit, & hanc anteferre actionibus in nobis. Reſpondete.

Domino Victorino Strigelio S. D.

ETſi in tantis Reipub. tumultibus quærendæ Ep. 112. potiùs latebræ videntur quam Academiæ, ubi in luce, imò tanquam in acie in aſſiduis certaminibus verſari doctrinæ gubernatores neceſſe eſt: tamen cum Eccleſiæ ſerviendum ſit, non deſugia-
G mus Academias. Et in his maximè prodeſt regi doctrinæ ſtudia à Viris bonis, eruditis moderatis, non furentibus φιλονεικίᾳ καὶ δοξομανίᾳ, præcipuámque Principum curam eſſe oportebat, ut talium virorum collegia eſſent Academiæ. Cum autem & ingenium tuum & ſtudia probarem, téque viderem propter judicii dexteritatem, & placidos mores magno uſui futurum eſſe Eccleſiæ Dei in frequenti

frequenti eruditorum conventu, & ante tibi hortator fui, & adhuc ſum, ut ad hunc finem conſilia tua dirigas, ut in Academia aliqua vivas. Si Deus nobis felicem καιρὸν in noſtram μουσεῖον, & alveolos noſtros concederet, tibi quoque conſuetudinem eorum, cum quibus hactenus viſiſti, gratam fore cenſerem. Sed ſtatues ipſe de tua ſententia, & Deum oro ut mentem tuam in hac deliberatione regat. Didicimus enim & ex divinis teſtimoniis, & ex multis eventibus, conſilia, niſi gubernante Deo, non eſſe fœlicia. Cenſeo autem & diutius differri deliberationem poſſe. Bene vale, & reſcribe. Die Natali Filii Dei.

Franciſco Burcardo Conſiliario Illuſtriß. Ducum Saxoniæ S.D.

Ep. 113. CLariſſime vir & amice chariſſime, Multi ſciunt ante hanc triſtem Reipub: mutationem, me annixum eſſe, ut in hac Academia retineretur *Victorinus*, futurus ad poſteritatem cuſtos doctrinæ C cœleſtis in hac ipſa ſede, in qua voce *Lutheri* primùm doctrina Eccleſiæ repurgata eſt. Poſtea ſuaſi ut in *Turingiam* proficiſceretur, ut in his regionibus tamen maneret. Inde intelligi poteſt me de ipſius ingenio, eruditione & voluntate præclarè ſentire. Nunc poſtquam ſanctiſſimo fœdere tibi eum adjunxiſti, magis eum amabo. Nam & tibi & tuis me optimè velle, verè adfirmare poſſum. Gratulor autem utrique, tibi & *Victorino* conjunctionem veſtram, & Deum æternum Patrem Do- D mini noſtri *Jeſu Chriſti* conditorem generis humani & Eccleſiæ ſuæ, oro, ut faciat, ut hæc conjunctio vobis omnibus fauſta, felix & jucunda ſit. Ipſi etiam *Victorino* poſt paucos dies literas mittam. De conſiliis Conventûs *Lipſici* ſcito me dixiſſe pias ſententias. Nec poſſum impedire quo minus alii potentiores addant aliquid de ſuo, ut ſtylus in ſcriptis oſtendit, non eſſe unius orationem: rejectum etiam fuit meum quoddam ſcriptum. Donec autem Eccleſiæ & ſcholæ vocem Euangelii E incorruptam ſonare poſſunt, non temere diſſipationes majores faciendas eſſe cenſeo. Mitto pagellam *Lipſicæ* diſputationis quæ oſtendit non mutari à nobis doctrinæ genus. Quod autem multi de nobis atrociter loquuntur, uſitatum eſt ocioſis maledicere præſertim miſeris. Nos in ſervitute miſeri & certamina & labores in doctrinæ propagatione ſuſtinemus & res difficillimas & involutas explicamus. Quam controverſiam unquam illuſtrârunt illi quibus ἄφθονον eſt, ut *Pindarus* inquit, in con- F viviis maledicere calamitoſis? Me non cupiditas ulla, non ambitio, non ſpes novarum rerum huc attraxit. Sed in ſumma mœſtitia ad veteres amicos acceſſi, cum vos ipſi judicaretis, me, ſi iſtic manerem, pericula vobis cumulaturum eſſe. Bene & feliciter vale. Die XVII. Febr.

D. Paulo Ebero S.D.

Ep. 114. VT initium fuit Eccleſiæ Dei promiſſio de ſemine ſalutari, edita poſt *Adæ* lapſum: ita G concinnè ἰσημερίας χάριν annum ordiuntur nobis tempus, quo ſemen illud ſalutare ex Virgine natum & nobis exhibitum eſt, quod quidem oro ut faciat, ut hic veniens annus tranquillus ſit, & Eccleſiæ & ejus hoſpitiis & vobis fauſtus & felix. Sed magnum bellum paratur, quod, niſi caput Ser- A pentis conculcabitur à ſemine ſalutari Filio Dei, magnam vaſtitatem faciet in tota *Germania*, quæ ſola adhuc in terris retinet mediocre decus doctrinæ & diſciplinæ. Itaque magno in dolore ſum, quem in hac ſolicitudine minus etiam ferre poſſum. *Georgius* Major vocatur *Noribergam*, & datur *Hieronymo Beſoldo* ſtipendium. Ibi etiam collectæ ſunt aliquæ noſtræ ſcholæ reliquiæ, aliquod enim pauperibus ſcholaſticis noſtris hoſpitium & victus datur in ξενοδοχείῳ, & *Vitus* enar- B rat *Eſaiam*. Ita confugient literæ in urbes honeſtas, deſertis Principum regionibus, qui pernicioſis tumultibus & Eccleſias concutiunt, & ſua faſtigia evertunt. Illud quoque aſcribendum eſſe duxi. Quod petiturus eras, nè ligna in ædibus meis abſumant milites, nè petito, ſine, ut lignorum uſu frigus arceant, & cibos coquant. Frumentum & vinum tibi commendo, quibus te & ſocrum uti volo.

C *D. Paulo Ebero* S.D.

SCriptum *Manii* abſolvi, addidi etiam ἐπιλεγόμενα, neſcio qualia. Quid enim hoc tempore Ep. 115. ſcribi poteſt? cum non tantum ſupplicia nobis metuenda ſunt, ut olim *Thimeus* ab *Agathocle* in crucem actus dicitur, & pulſus in exilium, *Theopompus*, ſed hoc quoque formidandum, nè irritati ſcriptis vel incenſi Principes magis in rempub. ſæviant. Scis quam ſæpè doluerim Principes in- D cendi ab iis quos oportuit frenum injicere eorum cupiditatibus. Pagellas adferet meus curſor dandas typographo. Bene vale. In feriis Natalitiis. M.D.XLVII.

D. Paulo Ebreo S.D.

QUocunque conſilio ex vicinia veſtra abductus eſt hoſtium exercitus, aliquid laxamenti Ep. 116. contigiſſe vobis gaudeo. ac Deo gratias ago quem E ſpero ſervaturum eſſe Eccleſias ſuas et ſtudiorum μουσείας, ut ipſe inquit, non in arcu aut gladio, ſed in Domino Deo noſtro: & ut ſervet toto eum pectore oro. Mitto & præfationem *Maniani* ſcripti. & poſtremam partem quæ continet, ut videbis, πάρεργα. Sed quid ſcriberem? Pudet fortiter diſputare, cum nihil ad *Danubium* fortiter fecerint noſtri, & bellum in patriam attraxerint. Verùm fatales pœnas eſſe hæc mala agnoſcamus, & lugeamus communes ærumnas generis F humani, unà cum *Abel* & cæteris Eccleſiæ Principibus, et à Filio Dei conſolationem petamus et expectemus. Bene vale. Die XXIX. Decemb.

D. Paulo Ebero S.D.

TO' μέλλον ἀεὶ τυφλὸν ὅρα, inquit *Sophocles*. Ep. 117. Quare quis ſit exitus tam horrendi belli futurus pronunciare non poſſumus, ſed tamen quiſquis erit exitus, Καδμείαν νίκην, ut veteres dice- G bant, fore certum eſt. Præparemus igitur animos ad ferendas eas miſerias, quæ bella civilia comitantur. Imò et Deum æternum patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti* oremus, ut pœnas mitiget. *Marchio* Elector hinc heri profectus eſt, ut de pace agat, ſed nè ipſe quidem ſperabat *Ajacem* ad pacem flecti poſſe, qui confidat *Caroli* et *Ferdinandi* auxiliis. *Macedonem* exiſtimant ſibi conſulturum eſſe.

eſſe. Et in Electoris caſtris proditiones metuun-
tur. Cum igitur creſcunt pericula, ſit invocatio Dei
ardentior, teque oro ut vel quotidie ſcribas ea quæ
iſthic audies digna memoratu. *Bavarum* quem mi-
ſimus ut publico ritu vocatio ejus ad miniſterium
Evangelii confirmaretur, nondum rediit. *Heſſum*
gubernatorem Eccleſiæ Dei in urbe *Vratiſlavia* ex
hac mortali vita evocatum eſſe, certum eſt: doleo
& Eccleſiæ, & generi, & filiæ cauſa; generi ad te
Epiſtolam mitto. *Camerarius* heri cum Principe
Georgio hinc abiit, ſecuturus ſuam familiam. At
nos hinc alii ſitientes ibimus *Afros*. Pars *Sythi-
am*, & fortaſſis *Baltica* littora adimus. Deus reſpi-
ciat nos. Bene vale. Die XXI. Januarii.

D. Paulo Ebero S.D.

Ep. 118. TUam Epiſtolam ſcriptam hora duodecima
die Lunæ accepi, quâ horâ & ipſe ad te ſcri-
pſi. Eadem enim de prælio audieramus. Sed cur-
ſor meus nondum ad me rediit. Hodie die Mer-
curii huc allatæ ſunt literæ ſcriptæ à *Balbicio*, Prin-
cipem noſtrum ducem *Iohannem Fridericum*, &
ducem *Erneſtum Brunſvicenſem* captos eſſe. Etſi
autem neſcio an ad vos pervenire poſſint literæ no-
ſtræ, tamen ſi accipies hoc epiſtolium, iterum te
adhortor, ut ad nos venias cum familia. Nondum
enim audio periculum in hac via eſſe, meis rebus
omnibus ut tuis utare, mea uxor jubet ad matrem
transferri tres arcas, quarum duæ poſitæ ſunt in
cubiculo, in quo dormivit ipſa, tertia, ante illud
cubiculum. Item vas ante cellam poſitum, in quo
ſunt ſtannea σκεύη, item ex conclavi mediæ do-
mus. quod patefacias ruptâ fornace, cures ad ma-
trem transferri σκεῦος μεγαρικὸν. Cerevisiam re-
cens coctam partim vendito, partim ipſe fruare:
vino fruaris cum ſocru. Si fieri poteſt reſcribe.
Exiſtimo deditionem urbis mitigaturam vobis
pericula. Sed reſcribe ſi mittere literas poteris.
Bene vale. Deus æternus pater Domini noſtri *Jeſu
Chriſti* ſervet vos omnes.

D. Paulo Ebero S.D.

Ep. 119. DEum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu
Chriſti* oro, veris & aſſiduis gemitibus, ut
Eccleſiæ ſuæ mœſtiſſimæ in oppido *Vuteberga* par-
cat, & vos omnes ſervet: pene in ſimili periculo
ſumus etiam in urbe *Parthenope*, quò familiam
meam duxi: dolores certè ſimiles circumferimus
ubicunque ſumus. Te tamen cum tuis optarim
nobiſcum eſſe, &, ſi potes adhuc egredi, familiam
advehito, nondum enim in hac via vagari hoſtes
cœperunt. Mihi longius exilium propoſitum eſſe
video, ſed dolore de Repub. & propter Electo-
rem majore excrucior, quàm de me. Nihil de
præteritis querar quæ reprehendi poſſunt, corrigi
non poſſunt. In urbe *Parthenope*.

D. Paulo Ebreo S.D.

Ep. 120. MEminiſti verſus à *Platone* citatos, nec aurum
nec Adamantem adeo fulgere, ut fulget bo-
norum concordia. Vidi hic Dei beneficio mul-
torum excellenter doctorum & bonorum virorum
concordiam eſſe egregiam, & dignam philoſo-
phis, cujus conſideratio magnæ mihi voluptati
fuit. Utinam nos in *Sarepta* noſtra mutuo amore

A nobis ipſis miſerias noſtras etiam leniremus. In
conventu *Auguſtano* narrant aliquandiu jam pro-
pter adverſam valetudinem Imperatoris inter-
miſſos eſſe publicos congreſſus, ac nondum finem
eſſe deliberationum περὶ τῆς ἐν τρισὶν τι εἶν pu-
tant. Me etſi repugnantem, tamen *Aſcanius* in
vicinum oppidum attrahit. Interim quæſo ut
pagellas reliquas dialecticæ, poſitas in mea menſa,
quæ media eſt in conclavi meo, typographis tra-
das, ut editionem abſolvant. Nam in poſtremis
B illis pagellis nihil neceſſe eſt mutari. Unum atque
alterum exemplū fortaſſis addidiſſem, ſi iſthic eſ-
ſem. Cupiebam etiam inſerere locum περὶ φαντα-
ϛικῶν, ut & vocabulum junioribus notum fie-
ret, & emendaretur *Stoica* imaginatio περὶ φαντα-
σιῶν. Sed alio tempore poterunt addi quæ volu-
mus. Bene vale. Salutem opto vobis omnibus,
& familiæ meæ. Vellem *Matthæum* vicinum
tuum inchoare σφαιρικά.

C. *D. Paulo Ebero* S.D.

CUm aliæ familiæ integræ dimiſſæ ſint ex op- Ep. 121.
pido, poſt acceptam cladem ad *Albim*, ſpero
ſe quoque in itinere eſſe, tuúmque adventum val-
de opto. Sed hanc epiſtolam ſi accipies curato ut
mos geratur adoleſcenti nobili, cui teſtimonium
te in paſcate ipſo ſcribere meminiſti, in quo cum
fuerimus perliberales, tamen aliquid deſideratur.
Et vides tempora ſtudiorum in Academia ἀκριβῶς
D numerari a canonicis. Petit igitur adoleſcens mu-
tari formam, circiter triennium, & ſcribi trien-
nium integrum, minus tribus menſibus. Cenſeo
ei gratificandum eſſe. Imò vellem ei duas formas
mitti, in quarum altera ſcriptum eſſet triennium
integrum, ſine ἐξαιρέσεως, in altera triennium
integrum minus tribus menſibus, ut ipſe petivit.
Non ſumus difficiles & moroſi, in re non magni
momenti, & grata illi qui pars aliqua noſtri cœtus
fuit. Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu
E Chriſti* oro, ut mitiget pœnas, & te & eccleſiam
tuam domeſticam & publicam ſervet. Lachrymis
& dolore impedior nè plura ſcribam. Bene vale,
Cal. Maii.

D. Paulo Ebero S.D.

ET vos liberatos eſſe miſeriis obſidionis, & Ep. 122.
oppidum utcunque ſervari gaudeo. ac utrumq;
aſſiduis & veris gemitibus & votis a Deo petivi.
F Nec in hoc meo exilio magis de meis miſeriis,
quam de *Paſtore*, de *Crucigero*, de te déque cæteris
invocantibus Deum in illa dulciſſima patria no-
ſtra, in qua manere ſummo cum periculo volui-
ſtis, cogitavi. Nec procul diſcedere potui, familiam
igitur duxi in oppidum *Northuſen*, ego in jugis
Harcinis non inter feras erro, ſed inter homines
honeſtiſſimos ſocios noſtri luctûs & doloris ver-
ſor. Ibi exitum obſidionis expectare volui. Nam
conjecturâ quadam ducebar de tempore, ut coram
G narrabo. Curſorem meum ad vos miſi ut de ſtatu
oppidi déque veſtris conſiliis mihi ſcribatis. Eti-
amſi erit longius exilium ſuſcipiendum, tamen
colloqui vobiſcum antea decrevi. Optarim nos in
eadem Academia vivere poſſe, ubicunque Deus
ſedem aliquam nobis attribuet. Si iſthic manet
Paſtor & *Cruciger*, de reditu & ipſe cogitabo. Sed
prius audiam quid tu ſtatueris, & quid mihi faci-
endum

endum judices. Omnino mihi, morte acerbior eſt hæc diſtractio noſtri cœtûs: Et tamen ferendum eſt quod mutari non poteſt. Quæſo reſcribito copioſe. Bene vale. XXVI. Maii.

D. Paulo Ebero S.D.

Ep. 123. VEtus eſt *Chilonis* dictum, & verè *Laconicum*. Optimam eſſe politiam τὴν μάλιστα νόμων, ἥκιστα δὲ ῥητόρων ἀκούουσαν, quod certè in eccleſia ſervandum erat. Nullæ erant audiendæ cavillationes contra jus divinum. Ac præcipuè conſulendum eſt conſcientiis, nè invocatio Dei impediatur. Quare interdum in hominum legibus quærenda eſt ἐπιείκεια congruens legibus divinis, ut conſcientiæ ſanentur. Id feci in caſu ſenis *Interbocenſis*. Jam annos quindecim aut amplius circumtulit conſcientiam ſauciam; & eſt vicinus morti. Quare te oro ut ſententiam à me ſcriptam legas R.D. *Paſtori*, & D.*Crucigero*, & D.*Georgio*, ac petas, ut ſi probabunt, ſubſcriptiones addant: Sin autem diſſentient, oſtendant conſilium aliud ſeni, ſalutare conſcientiæ. Significabis autem mihi eorum judicium. Utinam reſtituta pace Deus & Eccleſiæ det ſalutares doctores, & conſtituat δικαστήρια ὅσια. Bene vale. Die decimo octavo Aprilis.

D. Paulo Ebero S.D.

Ep. 124. OMittamus querelas, & iis nos conſolationibus ſuſtentemus, quas Deus ex arcano ſinu prolatas Eccleſiæ tradidit, ac ſtatuamus eas eſſe veras & efficaces, nec inania eſſe φιλτήρια ἢ τερατίσματα, ut *Epicurei* judicant. Miſi ad vos meum Curſorem, qui cum ad me non redierit, fortaſſis nec ad vos acceſſit. Opinor δραπέτην factum in caſtris vagari propter licentiam. Sed me omnino colloqui vobiſcum neceſſe eſt, ac ad vos acceſſurus ſum. Et quamvis iter ingredi brevi decrevimus, tamen mox ubi hanc Epiſtolam, quam *Johannes* à *Berg* ex *Deſſa* miſerit, acceperis, quæſo ut meo ſumptu mittas tabellarium iſthinc ad *Northuſen*. Et quamvis propter obſidionem arcis *Mansfeldianæ* nunc per ſalinas & *Iſlebiam* iter facere periculoſum eſt: tamen eat per *Lipſiam* & *Naumburgum*, ac deinde deflectat ad nos. Scripſit ad me dux *Wirtebergenſis*, ac adduci plures jubet. Scripſerunt & alii ut coram narrabo. Sed ego adhuc cogito de colligendis tabulis iſthic. Salutem opto R.*Paſtori*, *Crucigero*, Medico, Diaconis, conſuli *Ambroſio* & affini. Die XI. Junii.

D. Paulo Ebero S.D.

Ep. 125. HUnc *Pancratium Bavarum* honeſtum & doctum virum præfecerunt principes *Aſcanii* Eccleſiæ in loco vicino *Serveſta*. Quare ad vos mittitur, ut veteri & divinitùs tradito ritu commendetur ei miniſteriũ Eccleſiaſticũ. Ut victimis manus imponebãtur: ita & Eccleſiæ miniſtri ſimili ritu vocantur, ut meminerint ſe eſſe victimas. Simus igitur paratis animis ad ærumnas. Et tamen ſperemus cum divinitùs nobis impoſitæ ſint manus, nos ſuſtentari auxilio divino, & tegi manibus Dei. Reliqui in ædibus tuis candelabrum noſtrum, & pyxidem quâ ſum uſus in ſpargenda arena madentibus chartis: Hæc adſerves, nobis aut huic *Pancratio* adferenda tradas. Bene & feliciter vale.

Adſidebat hæc ſcribenti D. *Camerarius*, qui heri advenit cum Principe *Georgio*, conjugem & familiam ſuam miſit *Arnſtadium*, ut inde mittat *Noribergam*. Fortè enim *Daſchius* venit *Mersburgum* cui adjunxit familiam. Hodie dicitur huc venturus *Marchio* Elector.

D. Paulo Ebero S. D.

GRatiam tibi habeo de ſcriptione *Geneſeos* filii D.*Plicardi*, quam & *Eraſmo* oſtendi, qui poſteritati gratulatus eſt tale ingenium. Significationes certè ſunt illuſtres naturæ capacis doctrinarum, et habituræ ad virtutem egregios impetus, et ad eloquentiam idoneæ. Nec tamen ſumus *Stoici*, qui ab εἱμαρμένῃ ſuſpendimus Deum, ut *Jupiter* ſuos fratres et filios de catena apud *Homerum* ſuſpendit. Sed verè affirmamus liberrimo conſilio Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* conditorem eſſe naturæ, et ita fore felicem naturam, cum ipſe eam fovet et adjuvat, quem quidem oro, ut D.*Plicardum* et ejus totam familiam, et hunc filium ſervet incolumes et regat. Serva quæſo locum adoleſcenti *Cygneo* apud M.*Sebaſtianum Winſhemium*, pater ex *Parthenope* eum vocat. Bene vale. Ep. 126.

D. Paulo Ebero S.D.

ΟὐδὲΝ οὕτως εὐφραίνειν ἡμᾶς εἴωθεν, ὡς συνειδὸς καθαρὸν, καὶ ἐλπίδες ἀγαθαὶ, inquit *Nazianzenus* verè et preclarè. Sed ſpes unde pendeant multùm refert. Nobis quidem ſpes noſtræ à ſolo Deo æterno Patre Domini noſtri *Jeſu Chriſti* pendent, non à præſidiis humanis. Et exaudit gemitus noſtros Deus, et defendet Eccleſiæ ſuæ reliquias. Si patet aditus ad vos, brevi unà erimus, nam ſenatus in urbe *Parthenope* abhorret à conſilio noſtro περὶ δημοσίων ἀκροάσεων, atrociter enim huic urbi minitantur quoque ὡς τὴν πατρίδα τορεύματα μισῶν λίαν τινῶν. Scripſimus ad rectorem *Crucigerum* de ſtipendiis. Eam rem tibi quoque commendo, & tua & cæterorum amicorum cauſa curandam. Bene & feliciter vale. Die *Andreæ* in urbe *Parthenope*. Hodie aderit doctor *Chilianus* pulſus ex *Salinis*. Ep. 127.

D. Paulo Ebero S.D.

AManter & ut ad decet viros doctos & intelligentes feciſtis, quod tali tempore amicis ſtipendia ſine contentione miſiſtis. Accepi enim pecuniam obſignatam, & hodie doctori *Auguſtino* exhibui, & vobis meo & amicorum nomine gratias ago. Illud autem explicatè mihi ſcribas, an ἐπιβάλλον μέρος veſtrorum ſtipendiorum vos acceperitis. Hic audio quatuor menſium inducias in *Suevia* factas, quæ utinam pacem parient. Ego etſi variis doloribus excrucior, tamen amicorum curâ etiam angor, quare tecum colloquar quàm primùm expatiari potero. Nunc enim cum certo nuncietur *Lipſiam* venturus *Macedo*, literas *Ioachimi* expecto. Typographo dicas me additurum eſſe aliquot pagellas. Bene & feliciter vale. Ep. 128.

D. Paulo

D. Paulo Ebero S. D.

Ep. 129. SUſpicari vos arbitror varias eſſe ſilentii mei
cauſas, ſed morbo manus impediri mè ſcito,
ut pauciora ſcribam. Et tamen negotia ſæpe fla-
gitârunt ſcriptionem. Et quæ hactenus in conven-
tu acta ſunt, Dei beneficio tolerabilia ſunt. [illegible]
[illegible], ut coram narrabo.
Mitto ad te *Francicas* literas, de ſcribendo teſti-
monio. Sed ſigillum Decani abſente *Vito* proferri
ex ipſius arculis non poteſt. Utendum igitur erit
ſigillo rectoris, ſi tamen prius compones teſtimo-
nium, quam nos redibimus. Vellem enim ſcribi
luculentiùs, quia in Academia *Bavarica* oſten-
detur, quæ hoc quidem tempore eminet ſupra
cæteras,

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Imperator ſcripſit ad Epiſcopum *Myſorum*
præcipiens ut his gentibus [illegible] impo-
nat. Cætera coram. Bene vale. Die quo memoria
celebratur necis infantum, qui propter Filium
Dei inter parentum complexus interfecti ſunt,
quo exemplo de miſeriis Eccleſiæ commonefacti,
erigamus nos etiam rurſus iis conſolationibus
quas Deus propoſuit. Reverendo D. *Paſtori* & col-
legis ſalutem optamus.

D. Paulo Ebero S. D.

Ep. 130. ETſi aliis curis exerceor, tamen & de ſuffraga-
tionibus veſtris in electione Decani cogito, de
quibus ante iter tecum locuturus eram. Suſpicor
duas fore diſputationes: alteram, an omiſſo ordine
redeundum ſit ad electionem juniorum, ut vole-
bat *Illyricus*: Alteram, An *Eraſmus Marcello* an-
teferendus ſit. Expoſui de utraque re *Vito* &
Marcello, quid mihi videatur. Oro collegas ut
omnibus rebus anteferant concordiam, ac placet
mihi eligi Decanum *Eraſmum*. Vides hoc ipſo
tempore ornari ab eo *Academiam* editione *Ptole-
mæi*. Etſi & aliorum labores digni ſunt laude &
præmiis: ſed tamen nunc oſtendamus nos dele-
ctari hac editiòne, & ipſius *Eraſmi* ſtudium exci-
temus. De mœſtitia meæ conjugis magno cum
dolore cogito, cui mederi ſtudeas. Præfationem
Sarcerianam mittam aut certè adferam. Arbitror
enim ſatis citò eam edi, ſi ante nundinas fuerit
edita. Juſſi hunc nuncium ad me *Grimam* venire,
quare te oro ut mihi ſcribas. Bene vale. *Thebis* die
Dominico.

D. Paulo Ebero S. D.

Ep. 131. ETſi iter noſtrum multi reprehendunt, & ego
longè malim conſuetudine & conſpectu meæ
familiæ & amicorum frui: tamen ſive ſeriò ſive
εἰρωνικῶς agantur hæc in aula, ideo obtempero,
nè ut aliquoties dictum eſt metu nos aut petulan-
tiâ defugere publicos congreſſus dicant. Prius ve-
rò audiam quæ daturi ſint mandata. Jam *Pador-
nus* iter ingreſſus eſt, ut *Tridentum* eat & petat au-
diri nos etiam de prioribus decretis retexendis,
ſeu ut ipſi nominant, readſumendis. Sequi igitur
aliquos neceſſe eſt. Et vocati ſunt *Aleſius* ac *Pa-
ceus*. Sed *Aleſium* febris retinet. *Paceum* ad nos
venturum eſſe ſpero, ubi de collega reſponſum ac-
ceperit ex aula. Ero hortator ut *Sarcerium* vo-

A cem, qui habet jam populi ſtudia. De belli metu
& de *Alcibiadeis* conſiliis nihil ſcribam Nec cer-
ti quidquam audio. Nos cum aſpicimus noſtras
parvas filiolas, ſcimus eum gregem Filio Dei curæ
eſſe, & gemitus noſtros exaudiri. Hac nos con-
ſolatione ſuſtentemus. Tuas literas heri in itinere
accepi, & de frumento loquar cum iis, cum quibus
colloqui potero. Sed quid ſperandum ſit neſcio.
Mitto tibi relectum à me ſcriptum de libro *Oſi-
andri*, quod & *Lipſiæ* aliquoties deſcriptum eſt,
B Doctor *Baldaſar* mittit ad ducem *Auguſtum*. Si
petent *Marchiaci* ſinas deſcribi. Fortaſſis *Dreſdæ*
eodem argumento aliquid componam prolixius.
Decano & *Marcello* dabis verſiculos quos mitto,
quibus uti poterit cum ſignificabit examen. Oro
Filium Dei Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*,
qui verè eſt *Emanuel*, ut vos & nos cuſtodiat, &
adſit nobis omnibus. Videmus quàm ſint huma-
na omnia fragilia & incerta. Ideo nos Deo com-
mendemus, & petamus nos ab iſo ſervari & regi.
C Bene valete omnes. Die XVIII. Decemb. in op-
pido ad arcem *Iuliam*.

D. Paulo Ebero S. D.

CHariſſime *Paule*, Vincit igitur, neſcio quæ Ep. 132.
ἀνάγκη, non ſolum corporis mei imbecilli-
tatem, ſed etiam multas alias cauſas, quæ me nunc
domi manere hortabantur. Manè cum abituri
eſſemus, excruciabar magnis doloribus, non à
D calculo, ut putabam, ſed a ſplenis obſtructione
ortis. Ivi tamen, nè exiſtimarer ſimulaſſe eos do-
lores. Sed illud te oro, ut cures a Typographo *Io-
ſepho* abſolvi inchoatam editionem *Sinatorum*,
ac pagellas in mea menſa invenies. Nam filio
ejus dixi, me tibi traditurum pagellas. Si domi
manſiſſem, aliquid addidiſſem, nunc in mora eſſe
typographo nolo. De ſtipendiis ſcholaſticorum
prius opinor ex aula reſpondebitur, quàm ego re-
dire potero. Etſi autem opinor Rectorem, ut eſt
E diligens, præſertim me abſente, daturum eſſe
mandata, ut diſtributio fiat, adhibitis idoneis ho-
minibus; tamen te oro, ut cures adhiberi Do-
ctorem *Crucigerum*, D. *Majorem*, Magiſtrum *Vi-
tum*, *Marcellum*, & Decanum. Scripſi eadem de
re ad D. Rectorem, ſed te magnopere oro, ut
mihi per hunc tabellarium reſcribas de Repub.
& de meis rebus. Si ex aula miſſæ fuerint literæ
de conventu *Ratisbonenſi*, tu eas legito, & mihi
meo ſumptu mittito quà primum. Doctoris *Ibra-
F ca*, & *Eberhuſii* reditus in *Saliniis* magnos & non
vulgares Epiſcopus *Francus*, qui nunc imperat, ſe-
poni juſſit apud Senatum. Multa audivi, quan-
quam biduo tantum abſum, quæ Deo juvante co-
ram narrabo. Bene vale, & reſcribe. Die Mercurii
ante natalem Domini noſtri *Ieſu Chriſti*.

D. Paulo Ebero S. D.

HEri legi Epiſtolam doctoris *Matthæi* medici, Ep. 133.
G qui comitatur Electorem *Saxonicum*, ſcri-
ptam in oppido *Benſem*, quod ſcis inter *Edelber-
gam*, & *Francofordiam* ſitum eſſe, quo cum perve-
nerit Princeps noſter incolumis, ſpero jam non
procul eum a *Turingia* abeſſe. Significavit ad-
ventum etiam Princeps *Aſcanius Wolfgangus*.
Lipſiæ convenient *Macedo* & gener. Deus flectat
omnium animos ad pacem. Si tibi frumento opus
eſt,

eſt, & adhuc aliquid in meis ædibus ſupereſt, ſumito inde & fruaris. Reverendo D. *Paſtori* dolorem veſtris officiis lenite. Meus curſor afferet typographo pagellas. Nunc expecto literas *Lipſicas*. Bene vale, & per hunc nuncium reſcribe. Die XX. Decembris.

D. Paulo Ebero S. D.

Ep. 134. GAudeo tuam vocem rurſus in Academia ſonare, eámque opto claſſicum eſſe lectoribus, ut in alveolis apum mane diſcurrit excitatrix cæterarum laboris mellifici ſociarum. Oro autem Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, ut noſtrum σμῆνος reducat. Quod interrogas de *Macedone*, ſcias alios narrare τερατεύματα. Sed cum non diu fuerint concordes *Dion* & *Heraclides*, deinde etiam *Calippus Dionem* interfecerit, à quo erat *Athenis* in *Siciliam* ductus & opibus auctus, quid iſti noſtri facerent indocti, feri, & pleni cupiditatum inſulſiſſimarum? Oremus Deum ut ipſe ſervet has politias & publicis malis medeatur. Mitto paginas inſerendas *Menii* libello. Quare eas dabis *Vito* Typographo. Et cum *Anna* mittere tuas literas poſſit, cras reſcribas. Dices D. Rectori & D. *Auguſtino Cunradum* Notarium advexiſſe pecuniam numeratam à Comite *Mansfeldenſi*. Ea in re cum plurimum fuerit difficultatis, amanter adjutus eſt *Cunradus* à *Philippo Gluespis*. *Menii* epiſtolam miratus ſum, nec de Repub. quidquam ſignificat, nec de editione ſui ſcripti. Neſcio an meum conſilium de mutatione ſcripti probet. Bene vale & reſcribe. Pridie mei natalis.

D. Paulo Ebero S.D.

Ep. 135. IN *Hoſea* ſcriptum eſt, *Aquila ſuper domum Domini*: quod olim gens *Judaica* etiam ſic interpretata eſt: *Aquilas fatales eſſe Eccleſiæ*, ut *Nabogdonoſor* & *Romani* exercitus tunc *Judæam* oppreſſerunt. Fortaſſis ſimili fato nunc Aquilæ advolant in hæc loca, ubi certè ſedes doctrinæ præcipua fuit. Me fatum alligat, ut etiam ſi velim, fugere non poſſim. Nunc uxor crudeliſſimos cruciatus fert, ortos à calculo; Nec balneis, nec chamæmelino mitigare eos potuimus, & δυσουρία accedit. Annotavi in pagella quædam de ipſius mulieris ſermone, quæ ut cures te etiam atque etiam oro. Literas ſcriptas ad D. *Auguſtinum* ipſe exhibeas. Petimus enim ab ipſo medicamenta, pro quibus numerabis precium in myropolio. *Menius* filius excuſat τὸν μαργίτην, ut coràm dicam. Bene vale. Die VI. Aprilis.

D. Paulo Ebero S.D.

Ep. 136. ETſi mediocrem heri faſciculum literarum ex urbe *Noriberga* attulit nuncius, qui comitatus fuerat *Munſterus*, quos ad patruos miſi: tamen nihil hiſtoriarum continebant. *Joachimi* literas tibi mitto, in quarum altera in *Græcis* verbis de *Vito* narrat mandatum eſſe, nè concionetur; qua de re copioſiùs ipſe ad me ſcripſit, & quædam fatis iracundè *Bomgartnerus*. In aula *Wimarienſi* nunc *Pontanus* eſt, & rediit *Franciſcus*, ἵνα συμβουλεύσων τῷ δεσπότῃ ἀκυρίας τῆς ἀνδραγαθίας ὑπὲρ ἐν τῷ πολέμῳ τῷ παρόντι, qua de re brevi coràm vobiſcum

A colloquar. Te velim mihi ſcribere de typographicis officinis, & de tuis conſiliis. Hactenus iter facere ſine certis periculis nemo noſtrûm potuit, ſed deinceps ſpero tutò nos poſſe iter facere. Vel iſtic vel alibi, Deo juvante, ſcholaſticas operas ſimul faciemus, ac quotidiè Deum precor his verbis:

Συμβουλὴν ἀγαθὴν, καὶ ἀφορμὰς, εὐτυχίαν τε
Δοίη ἐμοὶ τέκνον πατρὸς ὁ ἀΐδιον.

Bene vale. Salutem opto omnibus collegis. Die
B ſynodi *Mariæ* & *Eliſabethæ*.

D. Paulo Ebero S.D.

QUod in noſtra *Sarepta* retineri te mavis, quàm cõmigrare in vicinam phylyren, amore tuo erga nos delector. Et gaudeo tot annos in noſtro collegio non concordiam fucoſam, ſed verè mutuam benevolentiam fuiſſe, qualis ſi fuiſſet τῶν δυνατῶν, florerent & ipſi & Reſpub. quos qui- Ep. 137.
C dem vel *Argonautarum* exemplum ad concordiam tuendam hortari debuerat, qui condita ara concordiæ jurârunt.

——— ἣ μὲν ἀρίζεω
Ἀλλήλοις ἐπ' αἰεὶ ὁμοφροσύνῃσι νόον.

Sed de ſotare coràm. Hodie formam donationis redituum Academiæ, ſcribit *Cumerſtadius* proponendam τῷ ἄρχοντι. Deum oro, ut gubernet hæc conſilia, ut verè ſint ſalutaria Eccleſiæ. Mihi hic nihil quæro, ſed retinuit me neſcio qualis do-
D lor cogitantem ſolitudinem Eccleſiæ noſtræ. Nunc peto ut ad me mittas ſcholaſticum bono ingenio præditum, *Philippum Saltzungenſem* notum tuo contubernali *Davidi*. Oſtendes autem ei epiſtolam, quam addidi his literis, ad me ſcriptam ab *Oſchacenſis* Eccleſiæ paſtore, & dices nos eum commendaturos eſſe Eccleſiæ *Dobelianæ*. Quæſo ut hanc curam ſuſcipias. Rectori gratias ago, quod miſit libellum recèns editum τῶν διαζώων ἐς οὐσίαν. Multis hic lectio ea grata fuit. Bene
E vale. Suaviolum recèns natæ filiæ, καὶ τῇ μητρί. III. Januarii.

D. Paulo Ebero S.D.

ET ego Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* oro, ut & publicas Eccleſias & tuam domeſticam ſervet, & tuæ conjugi honeſtiſſimæ parienti adſit. Ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν, καὶ ἐσμὲν, καὶ κινούμεθα. Illuſtria teſtimonia ſunt præſentiæ Ep. 138.
F Dei in genere humano, quia ſine auxilio Dei profectò nec ſervari in alvo, nec edi fœtus, nec poſtea incolumis eſſe poteſt. Hæc imbecillitas fœtus nos de totius vitæ noſtræ imbecillitate commonefaciat. Sumus omnino omnes ſqualida & fragilia χύτρα. Oremus igitur Filium Dei שילה ut ipſe induens χῶμα, ſervet ac regat nos. Quod miſiſti pagellas gratum habeo & tibi & nuncio. In itinere interrogabam comites an haberemus exemplum, & quia deſiderabatur, decreveram ex *The-*
G *bis* nuncium ad te mittere. Exiſtimabam enim relictum eſſe oblivione: Sed ex tuis literis intelligo non ſum fuiſſe deſcriptum. Dedi Joachimum *Sylveſtro*, cui certè propter ſcriptionis laborem plus debetur. Juſſi ut ex *Thebis* hodie ad te redeat, quia ſcio ejus aſſiduitatem in œconomia tua neceſſariam eſſe. Literas ad vos *Lipſia* adferet *Baldaſarus*, ac ſcribam ἀξιόλογα omnia. Nec ſcribendi

bendi ad vos ullam occaſionem negligam. Excrucior variis curis & doloribus. Sed oro Filium Dei ut nos regat. Bene & feliciter valete. Die V. Januarii ἐν θλίψει σωζομένῳ. Utinam ut arcam *Noha* ſervavit Deus: ita & Arcam *Saxonicam*, id eſt, Eccleſias harum regionum ſervet. Opto ſalutem vobis omnibus, Reverendo D. *Paſtori*, meæ familiæ, D. *Milichio*, D. *Vito*, & univerſæ Academiæ.

A

D. Paulo Ebero S.D.

B

Ep. 139. IAm accerſitus ſum ad *Aſcanium* ex caſtris reverſum *Coſvigam*, unde ad vos proficiſcar, niſi de narratione *Aſcanii* conſilium mutandum erit. Nondum enim ſcio cur me vocârit, & multa ſuſpicor. De Dialecticis ſcito me poſtremam partem operis pertexere, in qua ſæpè non ſolùm libros ſed etiam ſermones veſtros deſidero. Profectò ut illud verè dicitur, μιᾶς χειρὸς ἀδύνατος μάχη, ita in his noſtris ſtudiis collatione judiciorum, ſermonibus & exemplis eruditorum opus eſt. Placeant alii ſibi quantum volent, qui gloriantur ſe αὐτοδίδακτοι eſſe. Ego ingenuè prædico, me de multis rebus doceri & commonefieri quotidiè à multis. Quòd verò ſcribi velles initium Dialectices, etiamſi ſcriberem, tempeſtivè tibi mitti non poſſet. Facies igitur quod in præſentia iſti exiguo auditorum numero utilius eſt. Explicabis præcepta ut antea feciſti, & properabis, ——— ὀλίγη γὰρ ἀνάπνευσις πολέμοιο, ut inquit *Homerus*. Sed Deum oremus ut pacem reſtituat. *Menii* liber nondum abſolutus eſt. Nam accommodare me ſcripta ad numerum chartarum officinæ typographicæ oportet. Et ſcio nondum habere typographum duos quaterniones. Volo autem mihi ſignificari quantum habeat, ac impreſſas pagellas mitti. Die XVII. Februarii.

C

D

D. Paulo Ebero S. D.

Ep. 140. DE *Coſviga* nuper erravi. Erat enim iter faciendum in *Coten*, ubi *Aſcanium* de magnis rebus loquentem, vel potius quærentem liberè & ſine aulicis involucris audivi. Dixi etiam de pace, & de bello quæ judico eſſe dicenda. Coram vobis hos ſermones exponam. Ibi etiam audivi à *Paſtore* Eccleſiæ, hunc annum pariter fuiſſe fatalem apibus & ſcholaſticis. Itaque mitto tibi cellulas in quibus videbis jacere mortuas apiculas. Utinam, ut è tauro renaſcuntur apes: ita nobis ex victima *Chriſti* noſtra examina renaſcantur. Apud *Ariſtotelem* eſt, ἐν περὶ ἐπιτολὴν πλειάδος γίνεσθαι μέλι. Ergo ἐπιτολὴ ei eſt Coſmicus ortus, quo mella è favis etiam apud nos eximuntur. Atque utinam habeamus ἐπιτολὴν πλειάδος tranquillam. De verſibus noſtris ſtatues quod videbitur. Non prohibeo adſcribi meum nomen. *Menii* epiſtola ſanè tragicè ſcripta fuit. ſed quod ſe in ſuo ſcripto cum Pontifice dimicâſſe ait, optarim aliis armis præliatum eſſe. Senatus *Noribergenſis Camerario* & mihi hoſpitium offert. *Viti* et *Hieronymi* literas tibi mitto. Ego non minus de te et collegis aliquot aliis, quàm de meipſo cogito, ſed hæc coràm. Chartas operis *Meniani* mihi mittas. Die XIX. Februarii.

E

F

G

A

D. Paulo Ebero S.D.

MEminiſti dictum *Pindari*, quòd ſenex in primo libro πολιτειῶν apud *Platonem* recitat, τῷ μηδὲν ἑαυτῷ ἄδικον ξυνειδότι, ἡδεῖα ἐλπὶς ἀεὶ πάρεστι, καὶ ἀγαθὴ γηροτρόφος. Fretus igitur conſcientiâ rectæ voluntatis nondum fugiam. Nam privatum delictum nullum memini, propter quod juſtè iraſci mihi *Atridæ* poſſint. Si ſuccenſent propter doctrinæ explicationem, in qua mea moderatio & tranquillitas utilis fuit, & viam aliquam quærentibus concordiam monſtravit: feram, Deo juvante, quicquid accidet. Poſt triduum, Deo juvante, iter ingrediemur, ad vos redituri. De libro *Auguſtano* ſcripſi deliberationem bonâ conſcientiâ, quam oſtendent vobis collegæ noſtri poſt reditum. Miſi hinc nuncium ad vos, cui paginas dedi, in quibus præfatio erat addenda tuæ hiſtoriæ. Eum nuncium, ſi fides ei non defuit, ratiocinor ad vos veniſſe, eo die quo meus curſor huc advenit, ἐς τὴν μανδέαν. Si hiſtoria tua abſoluta, ac edita eſt, pertexe quæſo eam partem, quæ deſideratur in his initiis phyſicis, quæ eduntur. Cum rediero, Deo juvante, reliquam partem operis inchoabimus. Hoc enim agamus, & non ſinamus nos metu ſycophantiarum a Philoſophia depelli. Hac nocte ſæpe ingemiſcentes, cruentam, & velut incendii ſpeciem, cui atra fuligo mixta eſt, in luna orbata candida luce fratris, conſideravimus. Accidit & in hac Eclipſi, quod aliâs obſervavimus, ut citius aliquanto in umbram incurrere luna viſa ſit, quam tabulæ monſtrant. Sed hæc coram. Scriberem & cæteris amicis, ſi chartam hic nitidiorem haberemus, ſed ἐν τῇ μικρᾷ φρουρᾷ ἄμορφα ἐστι πολλά. *Auguſtanæ* literæ ſignificant, ita accuſari Ducem *Vvirtebergenſem*, ut hoc agi appareat, ut prorſus excutiatur ex patria. Id negotium erit ἀφορμὴ novorum motuum. *Winclerum* alloqui valde cupio. Oro autem Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, qui ſe nominat patrem orphanorum, ut vos omnes, & familias veſtras ſervet incolumes, et *Milichio* reſtituat bonam valetudinem, & integras corporis vires. Bene & feliciter vale. Die *Georgii*, *Bucerus Auguſtæ* eſt publicâ fide.

Ep. 141.

B

C

D

E

D. Paulo Ebero S. D.

SPero *Balthaſarum* feliciter ad vos reverſum eſſe, téque faſciculum literarum, quas miſimus ex oppido arcis *Juliæ*, accepiſſe. *Dreſdam* poſtea venimus, ubi cum alia multa de ſynodo & cæteris negotiis cognovimus, tum verò leniri illos *Alcibiadeos* ſermônes audivi: καί φασιν αὐτὸν ἡγεμόνα πορευθῆναι πρὸς τὸν αὐτοκράτορα. Ego hic expectare adventum conſiliariorum juſſus ſum. Heri autem me accerſivit Dux *Megapolenſis Iohannes Albertus*, qui & de Synodo mecum collocutus eſt & de *Oſiandri* libro. Expoſui ſummam reſponſionis, quam ſcripſi *Moibano*, eáque narratione auditâ aiebat ſe jam planiùs intelligere controverſiæ ſtatum, ac petivit ſibi exemplum reſponſionis dari. Juſſi à te peti, etſi jam hic in ocio idem argumentum copioſiùs recitare decreviſſem. Curabis igitur Principi optimo deſcribi illam noſtram ἐξήγησιν, ſcriptam *Moibano*. Sed prius & à Reverendo Domino Paſtore legi eam, & judicari volo.

Ep. 142.

F

G

Mitto pagellam de calamitate *Parmenſi*, quæ eſt exemplum iræ Dei, ac mihi cogitanti de pœnis *Germaniæ* & horum temporum furoribus, dolorem auxit. Oro autem tecum Filium Dei Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, ut nos regat, & ut pœnas leniat. Bene & feliciter vale. Die XXII. Octob.

D. Paulo Ebero S.D.

Ep. 143. HEri *Cygneæ* tuam epiſtolam & exempla noſtri ſcripti exhibuit nobis adoleſcens *Noribergenſis*. Etſi autem nova fulmina nobis ex illo *Baltico* ſinu expectanda ſunt: tamen ſi hæc noſtra admonitio leviſſimè ſcripta probatur piis, & dubitationibus aliquorum occurrit, ferendæ ſunt nobis contumeliæ forti animo. Miror te in editione publica addidiſſe aliorum ſubſcriptiones, cum quidem altera illum *Hyperboreum Gorgiam* valdè irritatura ſit. De *Stancari* libro quæ ſcripſiſti, non ſine gemitu legi. Utinam Deus Academias & ſervet, & regat, & earum conſenſum tueatur; quæ ſi vel diſſipatæ, vel diſtractæ erunt, qualis barbaries, & quàm diſſona dogmata ſequentur? Sed oremus Filium Dei, ſicut ipſe precatur, ut ſervet nos, ut unum in ipſo ſimus. *Lipſia* diſcedens dedi *Baldaſaro* faſciculum literarum & alia, quæ an acceperis, ſignificato. *Cygneæ* nihil audivimus dignum literis, niſi remedium cruciatuum in *Lithuaſi* εὑρεθὲν, quod multos ſcire velim & propter uſum & quia oſtendit Deum mirandas vires etiam ſpretis rebus indidiſſe. Adfirmant exemplis confirmatum eſſe, Sedari cruciatus, & pelli calculum, ſi foris tantum in loco doloris imponantur in lacte caprino calefacta poma Cynosbati contuſa. Juſta profectò eſt indignatio apud Poetam, Νήπιοι οὐδ' ἴσασιν, ὅσον ἐν μαλάχῃ μέγα ὄνειαρ. Amemus naturæ conſiderationem, & Dei in ea præſentiam agnoſcamus, & eum invocemus ut nobis adſit, cum quidem & tam multa magna pericula & confuſiones triſtiſſimæ ſimul nos de Diaboli furoribus & de noſtris miſeriis commonefaciant. Audi ſpectaculum recens, in quo manifeſtus Diaboli furor conſpicitur. In oppido vicino *Cygneæ*, cujus nomen adſcribere nolo, puer quinquennis caſu lapſus, irruit in cultrum, quem manu tenuit, eóque vulnere ſtatim extinctus eſt. Pater cum interveniſſet, magnitudinem doloris effudit in uxorem, quam iratus ita verberat, ut ipſa quoque ſtatim mortua, dolore, ut ratiocinor, propter filium magis, quàm propter plagas. Abit igitur ſtatim maritus & laqueo ſibi mortem conſciſcit. Hanc horrendam narrationem adſcripſi ut aliis recites, ut nos omnes ad invocationem Filii Dei exuſcitemus, ut furentem & graſſantem Diabolum à nobis depellat. Salutem opto Reverendo D. *Paſtori* & vobis omnibus. Bene vale. Die XVI. Januarii.

D. Paulo Ebero S.D.

Ep. 144. EXulibus quantum poſſumus conſolamus, memores communis fortunæ generis humani. Statim enim primi parentes ejecti paradiſo exulare cœperunt. Vagantur paſſim noſtri auditores, & quærunt diverſis locis hoſpitia. Hunc *Fabianum Manſfeldenſem* commendârunt mihi, & *Marcellus*, & *Sidemannus*. Juſſi ut ad te proficiſceretur, citiùs

A enim aut Diaconi munus, aut functionem ſcholaſticam inveniri poſſe in oppido veſtro, nam ad vos ſcribitur. Habebo & ego ejus rationem, ubi primum ſe offeret occaſio. Et cras de eo cum Principe *Georgio* loquar. De etymologia nominis *Germanici* his diebus cogitavi, quod ſi ab *Hebraica* voce eſt גרים ut arbitror, peregrinos ſignificat. Idem ſi *Caſparo* & tibi videbitur, qui eſtis gnari myſteriorum *Hebraicorum*, gaudebo nos etymologiam non inſulſam habere. Bene vale,
B & de *Marchione Alberto* mihi ſcribito, quem ante dies quatuor ἐν ὁδῷ monui, nè militaret.

D. Paulo Ebero S.D.

DEo æterno Patri Domini noſtri *Ieſu Chriſti* Ep. 145.
conditori generis humani, & Eccleſiæ ſuæ gratias ago, quod & conjugem tuam honeſtiſſimam in partu ſervavit incolumem, & filiola familiam tuam auxit, & toto eum pectore oro, ut &
C tuam domeſticam Eccleſiam, & communem noſtræ *Sareptæ* Eccleſiam ſervet, ac regat. Nam profectò ſine cœleſti præſidio hæc infirma natura ſalva eſſe non poteſt, & Filius Dei, ut teſtaretur ſe cuſtodem eſſe humani generis induit noſtram naturam, ac me valde ſæpe hæc ipſius vox in magnis doloribus erexit: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Hunc oro, ut & te, & tuos defendat. Geneſin filiæ libenter vidimus, de qua ſingulare fuit *Viti* judicium, qui, juxta verſum, σοφοὶ μάγειροι
D τῶν σοφῶν συνουσίᾳ, conſuetudine *Eraſmi*, & mea fit Aſtrologus. Cum *Orionem* vidiſſet ſcriptum in nona, & Lunæ vicinum, dixit fore egregiam venatricem, ac *Dianam* alteram. Bene vale. IV. Cal. Januarii.

D. Paulo Ebero S.D.

GRatum mihi fecit *Sylveſter*, quod cum *Ioa-* Ep. 146.
chimus Phylra diſceſſiſſet, eum apud *Aſca-*
E *nium* quæſivit. Attulit autem & à *Ioachimo*, & à *Macedone* literas, quarum utræque nihil niſi querelas continent, ὥστε δὲ δακρύων πηγῆς. Sed tamen lenit dolorem illa inter amicos quaſi laxatio animi. Reſcribam *Ioachimo*, eúmque hortabor, ut animum à ſummo dolore abducat, primum, quia Deus nos non vult indulgere mœſtitiæ, ſed in expectatione cœleſtis auxilii aliquantulum acquieſcere, & diſcere non omnia regi humanis conſiliis. Deinde ſi quærimus τὰ κατὰ λόγον, nobis plus
F periculi eſt, nam & alter dux adducet peregrinas gentes, & noſter, ut in pace, ita nunc quoque negligit μετριότητα. Sed hæc coràm. Bene vale. De mea uxore ſcribas, quando reditura ſit. Iterum vale.

D. Paulo Ebero S.D.

MIhi & fides & diligentia D. Doctoris *Mel-* Ep. 147.
chioris Medici nota & probata eſt. Sed ta-
G men ad te quoque ſcribo, ut eum ores, ut remedia nobis mittat. Dabis igitur literas ei, & ſolves in myropolio. Puella febri & tuſſi ſatis duriter quaſſatur. Venit mihi in mentem tuum exemplum. Te filii ἐξανθήματα retinebant ante obſidionem me nunc cum *Matthæo* abiturum retinet filiæ morbus. Nam heri *Matthæus* ad *Ioachimum* profectus eſt. Fortaſſis fatum nos in his oris retinet. Et ego longè malim

malim ... ſi ita Deo viſum eſt, τῇ ἡμετέρᾳ ἀκαδημίᾳ, quàm apud eos florere gratiâ, qui hæc parricidia probant & confirmant. Bene vale & reſcribe. Die V. Martii.

D. Paulo Ebero S.D.

Ep. 148. PEtiit vir clariſſimus Doctor *Plicardus*, ut *Aſcanii* Principes ſcriberent ad *Lipſici* præſidii præfectum de emittenda conjuge poſt puerperium. Eas literas ut exhibeas D. *Plicardo* te etiam atque etiam oro, ac mihi diſertè reſcribas an ſint exhibitæ. Mittit & *Marcellus* reliquam partem ſcripti, quod in *Latinum* ſermonem tranſtulit, quam dabis *Vito* typographo. Ecce autem epiſtolam ſcriptam, ἐν τῇ μεγίστῃ πόλει quæ recitat ſarcaſmos venenatiſſimos hominis ingrati, ... Sed dabit Deus nobis aliquid boni pro tanta acerbitate conviciorum, ut *David* dicebat. Si pagellam Dialecticam abſolvit *Joſephus*, mitte ſpecimen. Attexere enim cupio τὰ ἑπόμενα. Etſi enim tempore mihi creſcit mæſtitia, ut creſcunt mala publica quotidiè: tamen ſcribendo abducitur nonnihil mens à conſpectu triſtiſſimo publicarum calamitatum, quas utinam Deus mitiget. Heri mihi Princeps *Aſcanius* lætum ſomnium narravit, quod coràm recitabo. Bene vale & reſcribe. Die XXII. Martii.

D. Paulo Ebero S.D.

Ep. 149. SEntio acriores dolores in hoc triſti ſpectaculo partus conjugis *Eraſmi*, quàm ſentiebam cum nunciari mortem filiæ audirem, quæ mihi fuit charior vitâ meâ. Nondum liberata eſt periculis *Eraſmi* conjunx, & mulieres aiunt fœtum in alvo extinctum eſſe, qui ſi eximi non poterit, matri mors certa & atrox impendet. Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* oro, ut mitiget privatas & publicas miſerias. Non eſt extremum malorum mors: Sed hoc genus mortis multò triſtius eſt ipſâ morte. Conjungite igitur vota veſtra cum noſtris. Bene & feliciter vale. Die quo *Lazarus* in vitam revocatus eſt, ut nunc Paſcatis tempora numeramus.

D. Paulo Ebero S.D.

Ep. 150. SCripſi capita conſolationum hoc tempore nobis cogitandarum, quibus mihi quidem interdum lenio dolores, quæ iſthuc adferam typographis, adferam & *Stigelianam* pecuniam. Nunc te oro, ut Rectori hunc tabellarium miſſum ex *Luneburgenſi* ducatu commendes, & negotium, de quo literas adfert, perficicures. Scribit ad Rectorem ſatis ἐγχωρεῖ, ἐν γὰρ τοῖς ἐπὶ κατανύξιν, adoleſcens natus in familia equeſtri, ac de ſtudiis & moribus teſtimonium petit, nec tamen indicat quibus iſtic notus fuerit. Sed nuncius narrat ſe nôſſe hoſpitii locum. Ubi audieritis mediocres fuiſſe mores, cenſeo ei dandum eſſe teſtimonium, quo fortaſſis eò indiget, quia ἐν στρατιωτικῷ τάγματι locum petit. Audio καὶ χωλὸν εἶναι. Non ſimus difficiles in re non magni momenti. Cætera coram. Bene & feliciter vale. Die quo celebratur memoria ſacrificii omnium ſummi, in quo filius Dei pro nobis factus eſt victima, in quo omnium noſtrum ſcelera: יהוה הפגיע. Propter hanc victimam Deus æternus mitiget E... ſuæ etiam hujus temporis calamitates. Iterum vale.

D. Paulo Ebero S.D.

DEi beneficio vivit *Eraſmi* conjux, edito fœtu mortuo magno labore & periculo. Etſi autem adhuc imbecilla eſt, tamen Deo juvante vitæ ſpes bona eſt. Agamus igitur Deo gratias & quod mitigat ærumnas, & quod oſtendit multis exemplis ſe exaudire gemitus Eccleſiæ ſuæ. Mitto tibi hiſtoriam mortis filiæ meæ, cujus lectio & recordatio paternum dolorem ità auget, ut valetudinis periculum metuam. Verſatur ob oculos geſtus filiæ lacrymantis, cum interrogaretur, quid dici parentibus vellet, qui multarum rerum cogitatione me excruciat. Sed colligo ad moderandum dolorem ea, quæ divinitùs nobis tradita ſunt. Ipſius etiam generi miſericordia nunc inflexit animum meum, ut omnes offenſiones obliviſcar. De puellis mihi commendandis ad eum ſcribam. *Sabini* hiſtoriolam potes D. *Crucigero* legere. Bene vale & reſcribe. Pridie Calend. Aprilis. Ep. 151

D. Paulo Ebero S.D.

PAgellas quaſdam attulit *Leonartus*, pro quo Ep. 152.
munere tibi gratias ago. Ethica cui mitteres, non ſcripſiſti. Sed exiſtimo *Marcello* mitti. Gemens hos libellos aſpexi, cogitans & de ſtudiorum interitu, & de feritate temporum, quæ jam nihil habent ἱλαρόν. Olim barbaries & hominum & doctrinæ obſcuravit hæc elegantiſſima ſcripta. Nunc cum illuſtrare ea cœpimus, nova feritas honeſtiſſima ſtudia impedit. Sed Deum oremus, ut Academias reſtituat & regat. Tabellarium noſtrum ut reverſurum eſſe ex *Tyrigetis* ſperem, ſomnio moveor. Nam hac nocte cum *Joachimo* ſuaviter *Lipſiæ* collocutus ſum ἐν ὀνείρῳ. Veni autem ad eum egreſſus ex hoſpitio uſitato, &, ut in mercatu, incedens per forum, ubi paucas pergulas vidi, & urbem non ut antea ornatam, ſed multis rebus deformatam, & in ædibus collegii vix per cœnum eluctatus ſum ad *Joachimi* nidulum. Neſcio an Eburnea aut Cornea porta egreſſum ſit hoc ſomnium. Utinam ſignificet congreſſus tales brevi futuros reſtitutâ pace, quales antea fuerunt cum in mercatu convenimus. Bene vale, & de tabellario miſſo in *Tyrigetas*, ſi quid intellexiſti, ſcribito. Cal. Aprilis.

D. Paulo Ebero S.D.

NIhil dubito hujus temporis agonas ſimilitudinem eſſe miſeriarum & certaminum temporis *Maccabæorum*. Quare triſte fatum extremæ ſenectæ mundi agnoſcentes, καὶ ... pe... emus, ut dux Eccleſiæ Filius Dei pro nobis prælietur, & mitiget nobis ærumnas publicas & privatas. Ego etſi domeſtico luctu valdè excrucior, tamen intuens publica Eccleſiæ vulnera, multò majore dolore adficior. Redire ad vos eò magis cupio, ut conſuetudine & ſermonibus veſtris aliquantulum a mœſtitia animum abducam. *Marcello* hodie miſi Ethica. Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* oro, ut te Eccleſiæ tuæ domeſticæ & communi ſervet incolumem, & a Ep. 153.

noſtris liberis depellat Diabolum graſſantem in *Iberis*, *Italis* & *Belgis*, & in illa Empuſa, quæ nomen habet ἀντιφάτης. Sive enim vivit, ſive adhuc in ripa expectat Cymbam *Charontis*, planè cum ſpectro bellum geritur. Omnia enim facit aſtutiſſimè, & *Germaniam* miris artibus ludificatur. Deus hanc empuſam tollat è medio. Bene vale. Die II. Aprilis.

D. Paulo Ebero S.D.

Ep. 154. CHariſſime frater, Cum aſpicis dulciſſimam familiam tuam, cogitabis & ipſam & hoſpitia veſtra Filio Dei curæ eſſe, ac ſtudiorum cauſâ certè opto noſtram *Argo* ſervari, quæ in aliis locis, qualia ſint, ſcripta multorum in rebus obſcurioribus oſtendunt. Heri tuarum literarum faſciculum accepi, in quibus deſcribis lectionum diſtributionem, quas ut Filius Dei gubernet, opto. Et conſilium tuum & omnium piam voluntatem probo. Spero autem nos brevi redituros eſſe. Scribit enim *Sleidanus* ex *Tridento Wirtenbergenſes* legatos brevi ex Synodo diſceſſuros eſſe, quia nemo eis reſpondet ad ea quæ vel obtulerunt, vel petiverunt. Sed legito amicis quoque *Sleidani* epiſtolam. Hic adoleſcens *Styrius* commendatus eſt mihi à viro præcipuæ nobilitatis, & à gubernāte nunc *Styriam*, in Academiam noſtram miſſus eſt: Reges igitur eum conſilio tuo, & præſcribes diſcēndi ordinem. Viatico mediocri inſtructus eſt. Commendes eum *Viennenſibus* qui *Marcello* familiares fuerunt. Bene vale. IV. Februarii *Norberga*.

D. Paulo Ebero S.D.

Ep. 155. CHariſſime frater, Etſi in magna parte vitæ humanæ plura faciunt homines πάρεργα, quam ἔργα: tamen in aulis id fit crebrius. De fide publica impetrârunt noſtri prolixas promiſſiones. De retexendis articulis, quæ pars erat potior, ſilentium eſt. Id certamen nobis primum erit ſi progrediemur, de quo prius nos audiviſſe Synodi reſponſionem utilius erat. Nondum autem diſcedimus *Norberga*, ſed à Principe literas expectamus. De Repub. nihil habeo quod narrare poſſim. Dei beneficio in his regionibus tranquillitas eſt. Utinam non Μυσῶν λείαν, ut veteres dicebant, iſtic videamus. Te autem valde oro ut ἀξιόλογα πάντα de Academia & de familiis noſtris nobis ſignifices. Bene & feliciter vale. Die IX. Februarii.

D. Paulo Ebero S.D.

Ep. 156. SCimus utrumque prædictum eſſe voce divinâ, & in hac delira mundi ſenecta majores fore confuſiones Imperiorum, quam fuerunt antea, & tamen Filium Dei collecturum eſſe & ſervaturum Eccleſiam, inter ipſas regnorum minas. Quare & præparemus animos ad has ærumnas, quæ ſunt in conſpectu, & erigamus nos invocatione Filii Dei. Inſtat δεύτερος *Saxonicorum* motuum, quibus utinam Deus det ſalutarem καταστροφήν. Rumoribus belli magis quam aliis cauſis retentus ſum, quò minus ad *Alpes* hactenus acceſſerim. Ac ratiocinor nos brevi domum redituros eſſe Deo juvante. Quod tabularum *Paleſtinæ* exempla miſiſtis, & mihi & amicis gratum feciA ſtis, quid deſiderem in eis coràm dicam. De Academia & de familiis noſtris, imò & de Eccleſia & de poſteritate, ac de ſtudiis doctrinarum, etſi dolore & curâ excrucior: tamen hac me conſolatione ſuſtento, quod Filius Dei inquit, *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis*. Ipſe ſcit nos quæſiviſſe veritatem, & tu jam vides in multorum ſcriptorum collatione, quæ ſit ſimplicior doctrina. Bene vale. Plura ſcribam per *Andream*. Die XXIII. Febr.

B

D. Paulo Ebero S.D.

SÆpè jam veteris Eccleſiæ ærumnas intueor. Ut olim certabant impiis armis, ὅτε ἀρχιερεὺς καὶ ὁ αὐτοκράτωρ ἦν. Illi de Eccleſiæ libertate, iſte de regno, & tamen interea Filius Dei ſuos cœtus ſervavit qui eum rectè colebant: ita nunc ſperemus ſervaturum eſſe aliqua agmina rectè invocantia ipſum, & doctrinam propagantia. Ep. 157.
C Hactenus fuiſſe apud nos mediocria doctrinæ ſtudia, res oſtendit. Pro eo beneficio agamus gratias Filio Dei, & petamus ut hanc noſtram μυρμηκίαν & noſtros nidulos protegat. Hâc nocte excitatus, hoc argumento verſiculos faciebam, quos mitto qualeſcunque ſunt. De aſſiduitate tua in ſcribendo tibi gratias ago. De itinere noſtro adhuc expectamus aulica mandata. Sed fortaſſis ex *Argelianis* decretis ſtatuere poterimus. ὡς γὰρ ἄκουσα, ἡμᾶς μὲν ἐν συλλόγῳ πλεῖον λέγειν περὶ ἀρχιερατικῆς
D πολιτείας, ἐκείνους δ᾽ αὐτὰς τὰς πόλεις ἐκπέμπειν. Deo juvante brevi redibo. Quicquid erit periculorum, à vobis non velim ſejungere meam fortunam. Oro autem Filium Dei, ut pueritiæ has calamitates leniat. De *Tilemanni* laboribus coram loquar. Poterit opinor iſtic commorari tantiſper donec ſcietis meum iter. Bene & feliciter vale. Salutem reverendo domino *Paſtori* & cæteris collegis omnibus reverenter opto. Pridie Cal. Martii.

E *D. Paulo Ebero* S.D.

SPero nos vel hodie vel cras hinc diſceſſuros eſſe. Ex Academia *Lipſica* accerſiti ſunt *Fachſius* & *Camerarius*, nec de ulla re alia propoſita eſt deliberatio, ἢ μὴ περὶ τῆς ἐν Τριδέντῳ συνόδου. Etſi enim ludunt tantum οἱ ἀρχιερεῖς umbram Synodi oſtendentes, tamen quod ſemel decrevit Imperator, non facilè abjicit. Rex *Gallicus* ita aſſentitur indictioni Synodi, ut petat tamen Ep. 158.
F ne ὁ ἀρχιερεὺς ſit αὐτοκράτωρ, vel ἀνυπεύθυνος, verùm ſeſe etiam Synodi autoritati ſubjiciat. Fortaſſe hæc ipſa conditio novam σκῆψιν tergiverſationis, aut moræ adferet. Tu tamen ad iter te jam accingito. Nam tuus pater te mittendum eſſe ad illum conſeſſum cenſet, in quo nos quoque *Pauli* vocem exaudiri optaremus. Sed hæc coràm. Nos Filium Dei Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum* oremus, ut ipſe Eccleſiæ ſuæ reliquias ſervet, ac inter nos ſibi æternam Eccleſiam
G colligat. Reverendo domino *Paſtori* hanc legito epiſtolam, & ei ſalutem noſtris verbis dicito. Pridie *Dominica Invocavit*.

D. Paulo Ebero S.D.

SÆpè multúmque cogito περὶ τῆς θέσεως, de qua nobiſcum non diſputat, ſed Sycophantiis certat Ep. 159.

certat ille τῶν μαγγάνων vates. In qua cogitatione, quoties intueor matrem dimicantem pro liberis, prorſus acquieſco. Fingant, cavillentur, quærant præſtigias ut volent μαγγάνας, omnes illæ futiles cavillationes eliduntur cogitatione maternæ & paternæ στοργῆς. Sed vocem ſonant parricidæ *Cain*, τί μοι μέλει ἀδελφοῦ. Omittamus igitur illos Sycophantas, & ſperemus à Deo auxilium, cui curæ ſunt tuus *Paulus*, & tua *Helena*, quæ ipſo nomine te admonet Deum eſſe: אל.עגים. Expecto *Chriſtophorum Pannonium* & Doctorem *Wenceſlaum*, quibus omnia fauſta precor. Gaudeo virum doctiſſimum & omnibus virtutibus ornatum *Johannem Aurifabrum* ad honeſtiſſimam conjugem & ſobolem reverſum eſſe incolumem, quem opinor me defenſionis jure ἐμφύλιον habere, intuentem ſuos. Scripſi epiſtolam περὶ ἀρχαιρεσίας, quâ, ſi libet, utamini. Ridebimur à Juriſconſultis, quod adhuc ſperamus noſtram *Sareptam* manſuram eſſe. Sed Deum oro ut eam defendat. Bene vale.

D. Paulo Ebero S.D.

Ep. 160. DEliberationes hic honeſtæ fuerunt, nè turbentur Eccleſiæ, ut vellet vicinus noſter, qui etiam nova calumnia adverſus nos aulam accendere conatus eſt. Narravit novum à nobis fœdus fieri, quia paſſim literæ mittantur ad alios confirmandos, nè aſſentiantur corruptelis doctrinæ. Has noſtras commonefactiones interpretantur eſſe συνωμοσίαν. Etſi optandum eſſet firmiſſimum eſſe fœdus docentium in retinenda puritate doctrinæ, tamen ſeditioſè nihil ſcripſimus nec fecimus. Verecundiùs etiam egimus, quàm oportuit. Sed planè diabolica eſt κακοήθεια in multis, qui à nobis nunquam læſi ſunt, imò mediocribus beneficiis adfecti ſunt. Bene vale.

D. Paulo Ebero S.D.

Ep. 161. ET *Marchio* mandata habuit ab Imperatore, & literas miſit *Gypſius* non molliter ſcriptas, de Sphinge recipienda. Et fuit acerrima contentio inter *Marchionem* & *Aſcanium* περὶ τῆς λειτουργίας, in qua tamen nihil aliud egit *Marchio*, niſi ut leniret mollioribus interpretationibus quædam in Canone dicta. Adfuit & ejus κόλαξ, cui objecit *Aſcanius*, veterem ab ipſo editam refutationem Canonis. Hic ſatis confidenter reſpondit, tunc cum illa vetera errata defenderentur de ſacrificio pro peccato, fuiſſe opus refutatione: Nunc remotis illis erroribus poſſe legi ſine offenſione verba Canonis. His præſtigiis reſpondere difficile eſt. Etſi autem abiit *Marchio*, & γλωσσομάτων τοιούτων ἀπάτην ſecum abduxit: tamen nunc audio iiſdem de rebus deliberationes fore. Quæ me curæ excrucient non ignoras. Sed Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* oro, ut nos regat, & Eccleſiam ab omni ſophiſtica liberet. Bene vale. Hæc legas & Reverendo Domino *Paſtori*, & D. *Caſparo* & cæteris amicis.

D. Paulo Ebero S.D.

Ep. 162. ETſi invitus te ab Academia & à dulciſſima conſuetudine tuorum abduco, tamen optarim te nobiſcum profectum eſſe. Cùm enim multa ſcribenda ſint, non ſolùm manu tuâ, ſed etiam conſilio juvare nos potuiſſes. Heri Dei beneficio graviter & piè dictæ ſunt ſententiæ à delectis, inter quos multi ſunt integerrimi viri, *Elnſidelius*, ſenex *Carolovicius*, *Chriſtophorus* à *Taubenheim*, *Colerus*, & alii. Decretum eſt ut doctrinæ puritas in Eccleſiis retineatur, nec recipiantur corruptelæ quas continet τὸ βιβλίον τὸ μάγγανον. Spero igitur exitum conventus *Myſorum* & in his regionibus Eccleſiarum paci profuturum eſſe, & exemplo vicinos confirmaturum. Hæc leges & Domino *Paſtori* & cæteris amicis, quorum omnium votis & precibus commendari nos & Eccleſiam Deo volumus. Nunc brevius ſcribo, quia alia quædam componenda ſunt. Vult aula & cauſas noſtri judicii mitti. Errant omninò qui fucoſis conciliationibus tolli diſſidia in Eccleſia poſſe exiſtimant, quia manet bellum ἄσπονδον inter Diabolum & Filium Dei, ut ſcriptum eſt: *Inimicitias ponam inter ſerpentem & ſemen mulieris.* Oro autem Filium Dei, ut noſtras mentes in confeſſione et explicatione veritatis regat & adjuvet. Poſtquam *Auguſtæ* reſciverunt τὸ κεφάλαιον περὶ δικαιοσύνης & me reprehenſum eſſe, miſerunt ἐπανόρθωσιν, quæ fuit ineptior libro. Hoſpiti noſtro à *Fabritio* grata fuit tua ſalutatio, καὶ ἀσπάζονταί σε πάντες οἱ παρ' ὑμῖν σπουδαῖοι ἄνδρες. Noſtris familiis ſalutem opto. Bene vale. Die IV. Julii.

D. Paulo Ebero S.D.

DE *Victorino* ſcripſi epiſtolam ad *Caſparum* qui *Erphordianam* juventutem docet, exemplum tibi mitto propter *Moſellani* vaticinium. Utinam Deus aliquod hoſpitiolum literis & agmini noſtro attribuat. Id enim niſi fiet, non ſolùm barbaries, ſed etiam Cyclopica immanitas erit poſteritatis, præſertim cum Principes & Centauri magna ex parte virtutem eſſe nunc putent illa ipſa ſentire & dicere quæ apud *Homerum* dicit *Polyphemus*. Sunt hic μαγγῖται quidam, quorum adeò virulenti ſunt ſermones adverſus nos, ut in mentem mihi aliquoties jam venerit dictum *Davidis*: Dabit Deus nobis aliquid boni pro his maledictis. Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* oro, ut te & noſtras Eccleſias defendat, ſervet & tegat. Bene vale. Ep. 163.

D. Paulo Ebero S.D.

ETſi mihi propono παραμυθικά, quæ ad minuendum luctum traduntur: tamen cum cogito filiæ lachrymas, cum de nobis interrogata eſt, mirabiliter excrucior. Omninò inſanabile vulnus, hoc ſilentium filiæ & hæ lachrymæ in meo animo fecerunt. Sed privatum dolorem vincit publicus. Scribit *Bucerus* ſatis frigidam Epiſtolam. Nobis περὶ τῆς πόλεως ἢ τῆς οἰκίας ὅλης, ut olim dicebatur, terror incutitur. Oremus autem Deum, ut in ira miſericordiæ recordetur, & publicas & privatas calamitates mitiget. Paginam mitto τῶν παραμυθίων quæ inſtitui. *Iohannem* meum miniſtrum adhiberi velim tuæ menſæ, non ſolùm cibi, ſed etiam ſermonum cauſâ. Dat ei mandata uxor mea de calceis faciendis. Etſi heri multum profudi lachrymarum, & ad lectum mœrorem Ep. 164.

attuli: tamen ὄνειρος fuit non inſuavis. Scripſerat *Capnio* dixiſſe *Picum Mirandulanum*, noſtram Academiam fore fontem aliarum ſcholarum. Si non ſignificat diſſipationem, ut nunc exilia noſtra multas ſcholas faciunt, ἀγαθὸς ὄνειρος. Bene vale.

D. Paulo Ebero S. D.

Ep. 165. SPero te accepiſſe meam epiſtolam quam iſtuc perferendam dedi nuncio *Norlinſano*, in qua ſignificavi pias ſententias à delectis ex Nobilitate & ex civitatibus dictas eſſe. Video plurimorum voluntatem piam & honeſtam eſſe. Nec nos diſcedimus ab eo ſcripto, quod iſtic communi deliberatione compoſitum eſt. Nunc juſſus ſum recitare copioſiùs articulum περὶ δικαιοσύνης, quod feci, quia exiſtimant narrationem literis ad Imperatorem addendam eſſe, quæ exponat, qualis ſit doctrina, & qui ritus harum eccleſiarum. De literis περὶ αὐτοκράτορος φήμην, reprehendenda eſt κακοήθεια hominum, qui excerpunt quæ taxent, ea quæ fortius dicuntur, negligunt. Sed uſitata eſt hæc perverſitas, & obruenda virtute. οὐχ ἐστὶ ῥᾳδιὰ κατὰ ῥίζαν ἐλαύνειν. Quod *Marchici* deſcribi volunt *Sphingem Auguſtanam*, ſi iſtic exemplum habetis, curaſo ut eis gratificeris. Reverendo domino *Paſtori* & *Vito*, & cæteris amicis ac noſtræ familiæ ſalutem opto. Nunc enim pluribus ſcribere non poteram. Die VI. Julii.

D. Paulo Ebero S.D.

Ep. 166. ITer ingredior quod fauſtum & felix ſit hodie, videlicet, die XVI. Julii, venturus Deo juvante *Serveſtam* ad D. *Auguſtinum*, quò te quoque accedere velim. Vocavi eò & *Vitum* & *Eraſmum*. Cætera coràm. Etſi autem plus paginarum ipſe adfero, tamen dedi meo curſori nunc adferendas has, quæ locum generis & deinceps aliquot locos continent, in quibus & cauſarum doctrina eſt diligentiùs quàm in Phyſicis recitata. Et aſperſæ ſunt illecebræ non inſuaves. Utinam Deus doctrinæ lumen in Eccleſia ſervet, & ſpero alicubi hoſpitia ſtudiis conceſſurum eſſe. Salutem opto Reverendo domino *Paſtori*, Rectori, & *Kopario*, cui dicas depoſitum apud me ſalvum eſſe. Opto ſalutem & cæteris Euangelii miniſtris & Juriſconſulto *Manſero*, & tuo vicino *Kelnero*. Die XVI. Julii.

Illuſtriſſimo & reverendiſſimo Principi ac Domino Domino Georgio Principi in Anhalt & Aſcania &c. gubernanti Eccleſiam Dei in Diœceſi Mersburg, Domino ſuo clementiſſimo, S.D.

Ep. 167. GRatias ago Celſitudini veſtræ, quòd de mea valetudine tantopere fuit ſolicita, ut Medicum etiam huc mihi miſerit. Hac ego benevolentia non tam meâ cauſâ delector, quam quòd gaudeo C.V. publicis ſtudiis doctrinæ *Chriſtianæ* favere. Oro autem *Chriſtum* ut C.V. voluntatem adjuvet, in fovenda ac provehenda doctrina Eccleſiæ neceſſaria. Eáque in re ſi quid ego potero unquam, polliceor me meas rationes, meáque

A conſilia omnia ad C.V. & ſimilium bonorum virorum judicia accommodaturum eſſe. Ea quæ ſcripſi ac miſi in *Gallias* nondum ſunt tranſcripta, curabo autem tranſcribi & C.V. primo quoque tempore mitti. Bene valeat C.V. & commendet me Principi *Johanni* Domino meo clementiſſimo. Pridie *Laurentii*.

C. V.

addictiſſ.

B *Philip. Melancth.*

D. Georgio Principi in Anhalt S.D.

ILluſtriſſime Princeps, Decreveram nuper ad C.V. expatiari, ſed me amici invitum *Torgam* abduxerunt. Nunc retinent me *Anglicæ* diſputationes. Collocuti ſumus de omnibus articulis doctrinæ *Chriſtianæ*. & videntur nobis legati non abhorrere a ſtudio purioris doctrinæ. Quorundam C articulorum formæ, ſingulari diligentiâ, quam explicatiſſimè compoſitæ ſunt, quarum exempla Magiſter *Georgius*, cum advenerit, poterit deſcribere C.V. Hic noſter labor prodeſſe poterit illuſtrandis quibuſdam controverſiis & dijudicandis. *Chriſtus* provehat ſtudia eorum, qui rectè conſulere Eccleſiæ *Chriſti* cupiunt. Mitto C.V. Carmen de Icone *Georgii*. Hunc ludum ſperabam gratum fore C.V. quæ quoties nomen ſuum cogitabit, intelliget ſe moneri, ut ſit Eccle- D ſiæ & Reipublicæ γεωργὸι, hoc eſt, colonus & exornator. Ac nobis ipſum omen nominis veſtri bonam ſpem facit ſingulari felicitate vos opitulaturos eſſe diſſipatis Eccleſiis. Mittam brevi & *Chriſtophori* allegoriam. De *Melichio* quod ſignificaſti eſt mihi gratiſſimum, & ago gratias. Profectò dignus vir eſt, quem amet & ornet C.V. Bene valeat C.V. X. Martii. Ep. 168.

D. Georgio Principi in Anhalt S.D.

E ILluſtriſſime Princeps, Celſitudini Veſtræ mitto meum de cantionibus judicium, quas reperi in Miſſalibus a die Palmarum uſque ad Pentecoſten. Prudens lector facilè agnoſcet in veteribus cantionibus nihil eſſe vicii, ſed novæ quædam ac ſuperſtitioſæ ceremoniæ additæ ſunt, quæ facilè judicari & prætermitti poſſunt. Mea tamen hæc ſemper fuit ſententia, ut publici ritus Eccleſiarum diligenter conſervarentur, quicunque retineri F ſine impietate poſſunt. Nunc *Chriſtum* oro, ut C.V. & Illuſtrium fratrum C.V. animos gubernet, & ad illuſtrandam gloriam Euangelii, & ad Eccleſiæ ſalutem. Deus præcipuè requirit hæc duo à Principibus, ut ornent Euangelium, & tueantur Eccleſiam. Quare nihil dubito, quin aliquando pœnas Deo graviſſimas daturi ſint iſti, qui nunc horribilem ſævitiam paſſim exercent in pios, & defendunt impios cultus & impiam doctrinam, ac obſiſtunt, quo minus illuceſcat G hominibus Euangelium. Gaudeo igitur Celſitudinem veſtram & illuſtres fratres Celſitudinis veſtræ non fieri participes ejus crudelitatis, & *Chriſtum* oro ut vos gubernet ac defendat, & ut veſtra pietas aliquid boni afferat univerſæ Eccleſiæ. Bene valeat C.V. & me commendatum habeat. Pridie Dominicæ *Lætare*. Ep. 169.

D. Georgio

D. Georgio Principi in Anhalt S.D.

Ep. 170. ILluſtriſſime Princeps, Veniunt ad Celſitudinem Veſtram cum literis Academiæ & Senatus oppidi noſtri Piſtores empturi frumentum. Nam ex *Marchia*, quæ ſolet inopiam noſtram ſublevare, nè quid evehatur interdictum eſt. Et tamen non dubito, quin magna copia evehatur *Hamburgam*. Rogo igitur & ego ut Celſitudo Veſtra B habeat rationem Academiæ in hac re. Niſi enim frumentum aliunde invehatur hoc tempore, unde poſſit ali multitudo quæ nunc adeſt, non video. Loquor enim humano more, ut *Philippus* in Euangelio. Sed Deus poterit nobis proſpicere. Et nos honeſtis modis apud alios frumentum quærere debemus, ut filii *Jacob* in *Ægypto* quærebant. Ut autem *Joſeph* bene de Eccleſia merebatur alens eam in fame: ita & veſtrum beneficium magnifaciet Deus. Nam profectò ad Eccleſiam pertinet propagatio doctrinæ commiſſa C ſcholis. Nec dubito & ego, quin & Eccleſiæ & ſcholæ noſtræ C. V. ſi poſſit libenter opituletur. Et *Solomon* inquit: *Benedictio ſuper caput vendentis frumentum.* Bene valeat C. V. Die Sanctorum.

D. Georgio Principi in Anhalt S.D.

Ep. 171. ILluſtriſſime Princeps, Præclarè facit Celſitudo Veſtra quòd civium ſtudia tam diligenter D curat. Nam profectò ſi volumus verè judicare, hæc cura vel maximè ad Principes pertinet, ut excitent & adjuvent ſtudia juventutis, ut ad poſteros conſervari religio & bonæ leges poſſint. Adoleſcentem filium Cancellarii veſtri audivi, & probo indolem ac ingenium. Erit mihi curæ, ut præceptor cui eum commendavimus, officium ſuum faciat. Deus faveat ſtudiis publicis, propter ſui nominis gloriam. D. *Nicolaus Hauſman* *Friberga*, cum initia & auſpicia muneris eum ve- E hementiùs exercerent, magnitudine contentionum animi obrutus, exemptus eſt rebus humanis. Nonnihil etiam periculi metuo propter proſcriptionem civitatis *Mindenſis*, quæ in judicio Cameræ Imperialis damnata eſt. Non bene conſulunt patriæ, qui hoc tempore domeſticos tumultus augent. Oremus igitur Deum, ut ipſe hos motus gubernet & nos ſervet. Bene & feliciter valeat Celſitudo Veſtra. Die undecimo Novembris. F

D. Georgio Principi in Anhalt S.D.

Ep. 172. HUnc tabellarium veſtrum multò ante abiiſſe arbitrabar. Itaque in proximis literis ad doctorem *Ionam*, ſcripſi de juvene ſtomachoſus. Ante decem dies fœderati noſtri exhibuerunt pacificatoribus *Palatino & Marchioni* articulos quos in formula pacis comprehendi cupiunt, petitio G noſtra etiam judicio pacificatorum viſa eſt æqua. Petimus enim ut proceſſus judicii imperialis aboleantur ac retractentur. Item ut ſecuritas etiam cæteris ſtatibus permittatur, non conjunctis nobiſcum in fœdere, ſi qui ſunt amplexi, aut amplectentur veram doctrinam. Sed nondum re- A ſponſum eſt noſtris. Nam Cæſareus legatus & regius orator, duriores adhuc quidem fuerunt, quam expedit Reipub. Deus flectat & ipſorum animos ad amorem pacis. Plura hic nondum ſunt acta uſque ad diem Martii XI. Bene valeat Illuſtriſſima C. V.

D. Georgio Principi in Anhalt S.D.

PRiuſquam de querela Diaconi *Cerbeſtenſis* reſpondeo, neceſſe eſt quædam præfari de ſcripto illuſtriſſimi Princeps Electoris *Marchionis*. Etſi enim ſcio quam ſit periculoſum de talibus ſcriptis loqui: tamen ſi de Diaconi cauſa dicendum eſt, altiùs res repetenda erit, ut videri poſſit, an habeat probabiles cauſas, eas Eccleſias fugiendi. Primùm judico, Articulos doctrinæ *Chriſtianæ*, diligenter, rectè, & piè traditos eſſe in *Marchico* ſcripto, & gaudeo illuceſcere *Chriſtum* vicinis Eccleſiis. Eam ob cauſam Deo agamus gratias C & oremus, ut glorificet Euangelium ſuum, ac mentes plurimorum flectat ad pietatem, & donet perpetuâ ſalute. Ep. 173.

Probo & hoc quod ſuſtulit privatas miſſas, vinculum injuſtum cœlibatus, invocationem divorum, item quod reſtituit legitimum uſum Sacramenti. De his tantis rebus ſi Eccleſia ante hæc tempora fuiſſet hoc modo erudita, piæ mentes, quam cupidè accepiſſent hæc beneficia? Reliqua eſt tertia pars, de humanis ritibus, qui vo- D cantur Adiaphori. Hos cupit quam plurimos retinere. Cenſeo & ipſe non eſſe barbariem quorundam imitandam, qui prorſus omnes ritus abolent. Decet eſſe quandam εὐταξίαν in templis, ſed modus ſit, nec ſerantur certamina de humanis ritibus. Quoſdam una ceremonia offendit circumferendi Sacramenti, déque ea re cum ipſo Principe *Marchione* diſputavi. Nam Sacramenta extra inſtitutum uſum non ſunt Sacramenta, ut nunc *Turcica* circumciſio, non eſt circumciſio. E Reliquas ego etiam judico Adiaphoras eſſe. In talibus planè agnoſco perpetuum Eccleſiæ morbum, alii duriùs defendunt, alii abhorrent nimium. Quærenda eſt igitur æquitas utilis tranquillitati. Ego hos ritus omnes ſpe profectûs obſervari poſſe aliquandiu judico, & vellem ea æquitate eſſe miniſtros Eccleſiarum, ut hoc conſilium obſervarent. Sed tamen in locis, ubi ſunt aboliti, reſtitui nollem, nec cogi eos, qui judicio abhorrent, ut obſervent. Eſt enim difficile his F qui alibi mutârunt, nunc rurſus induere abjectos mores. Et aliquid ea res habet ſcandali. Nam malevoli accuſant eos levitatis. Confirmatur etiam pertinacia aliquorum. Denique alius alio natura eſt moroſior. Ideo opus eſt ἐπιεικείᾳ, quæ maximè decet Principem, & viſitatores prudentes judicare poterunt, quatenus hæc laxanda vel aſtringenda ſint, vóſque optarim in hanc ſententiam ad *Marchionem* ſcribere.

Cæterum de Diacono ſic ſentio: Si perſuaderi G poſſet, ut ſpe profectûs quædam Adiaphora cum illis aliquandiu ſervaret, vellem eum proficiſci in *Marchiam*. Quomodo enim poſſunt Eccleſiæ inſtaurari, ſi deerunt doctores? Poteritis igitur cum eo diſputare de Adiaphoris tolerandis ſpe profectûs, ſicut *Paulus*, inquit: *Sublevate infirmum*, hoc eſt, *non deſerite*, non deterrere, ſed re-

cipite

cipite eum, tanquam diſcipulum, ut proficiat.
Sed ſi Diaconus affirmabit ſuam conſcientiam
offendi tali obſervatione, nec poterit deduci de
ſententia, non eſt cogendus contrà conſcienti-
am. Hoc ſcripſi ſimplici animo, etſi ſcio quàm
moroſa ſint quorundam judicia. Sed tamen Pru-
dentiæ Veſtræ judicanda permitto. Deum pre-
cemur, ut mentes Principum regat, ut ornent
gloriam *Chriſti*, & ſaluti Eccleſiæ conſulant.
Bene & feliciter valeat Celſitudo Veſtra. Die V.
Septemb.

D. Georgio Principi in Anhalt S.D.

Ep. 174. HEri ex *Francofordenſibus* nundinis accepi li-
teras, quæ affirmant Imperatorem *Carolum*
venturum eſſe in ſuperiorem *Germaniam*, & pa-
cem facturum convocatis certis Principibus,
ſine colloquio aut diſputatione de religione.
Poſtea properaturum eſſe in *Italiam*. Hæc *Heltus*
Spiræ dixit, & mihi a digno fide perſcripta ſunt.
Duci *Juliacenſi* dicitur deſponſata eſſe filia Re-
ginæ *Navarræ*, ſororis Regis *Gallici*, quod fauſtum
& felix ſit. *Pariſiis* & in cæteris Academiis
Gallicis, ardentiſſimum ſtudium eſt piæ doctri-
næ. Etſi enim publicè profiteri eam homines
non audent: tamen ſtudioſi qui noſtros libros
legunt in ſcholis, inde multa proferunt. In *Ita-*
liam ex his nundinis totæ Bibliothecæ invectæ
ſunt, etſi Papa nova edicta contra nos edidit.
Sed veritas prorſus opprimi non poteſt. Dominus
& liberator noſter *Jeſus Chriſtus* Filius Dei, vincat
& conculcet Draconem, hoſtem Dei, & nos liberet
ac gubernet. Bene valeat C.V. Die viceſimo
octavo Septemb.

D. Georgio Principi in Anhalt S.D.

Ep. 175. GRatum Deo fuit officium *Joſiæ*, cum inven-
tum codicem legis curavit publicè & legi &
deſcribi. Secutus exemplum ejus *Conſtantinus*
diſtribuit Eccleſiis totius orbis terrarum ſacra
volumina. Etſi autem rari ſunt tales Principes,
præſertim in ſummis imperiis, qui foveant Ec-
cleſias, & libris ornent: tamen aliquos vel in
loco mediocri excitatos eſſe noſtra ætate gau-
dendum eſt, quo in numero & Celſitudinem Ve-
ſtram eſſe videmus. Nec dubito veſtram pieta-
tem Deo Patri liberatoris noſtri *Jeſu Chriſti*
gratam eſſe, cui & vos & Eccleſiæ veſtræ, in
his ingentibus periculis curæ eritis. Ideo ut ſum-
ptus æquiori animo toleretis, vos etiam atque eti-
am oro. Expoſuit mihi autem Bibliopola *Mau-*
ricius ſibi pecunia opus eſſe, ad proximas nundinas
Lipſicas Cal. Januarii. Et ſcio ipſum egere. Nam à
me quoque pecuniam accepit. Quare valde oro
C.V. ut ei vel dimidium precii nunc mitti curet.
Duplex liberalitas erit. Nam & ornantur Eccle-
ſiæ veſtræ, & neceſſitati civis, viri boni & ſervien-
tis Reipub. conſuletur. Bene valeat C.V. Datæ
Die *Thomæ*.

D. Georgio Principi in Anhalt S.D.

Ep. 176. HOc anno doctum & modeſtiſſimum virum
Eraſmum Schultes ex hac Academia miſi-
A mus in oppidum *Schonbek* prope *Madeburgum*,
ut ibi Euangelium doceret, & fideliter ſuo of-
ficio functus eſt. Sed in loco inculto oppreſſus
calculi doloribus ibi mortuus eſt: Nunc pater,
civis *Kembergenſis*, petivit ſibi concedi, ut avehat
filii mortui veſtes, lectulos, & Bibliothecam.
Omnia retinentur ibi autoritate Capituli, ut aiunt
Madeburgenſes. Non diſputo quæ ſint jura ha-
rum barbaricarum gentium: ſed illud oro ut
Celſitudo Veſtra mitiget hanc barbariem.
B Nam pater adhuc pecuniam pro veſte filii debet.
Credo poſſe autoritate Celſitudinis Veſtræ perfi-
ci, ut patri res illæ reddantur, ac ut homo pauper
in hoc luctu amiſſo filio optimæ indolis non in-
ſuper detrimento rei familiaris adficiatur. Quæ-
ſo igitur ut pro ſua pietate curet hanc rem Celſi-
tudo Veſtra. Nam ſi hæc res delata fuerit ad
aulam, plus erit rixarum. Sit modus aliquis ſæ-
vitiæ in Capitulis illis, adverſus innocentes ho-
mines docentes Euangelium. Clamat *Chriſtus*,
C *Hoſpes eram & non excepiſtis me.* Illi Capitulares
hoſpiti mortuo etiam veſtes detrahunt. Profectò
nimium irritant Deum & homines amantes vir-
tutum. Rogo igitur ut Celſitudo Veſtra ſuam
autoritatem huic negotio interponat, nè plus
rixarum oriatur, quas vitari optarim. Bene & fe-
liciter valeat C.V. Die *Nicolai*.

D. Georgio Principi in Anhalt S.D.

D DE conventu *Wormacienſi*, poſt alteras literas Ep. 177.
ſcriptas, audivi certiora. Narravit mihi
D. *Bruck* edictum *Caroli* Imperatoris jam edi-
tum eſſe, & haberi in aula *Marchionis* Electoris,
etſi nos quidem nondum vidimus. Sed tamen au-
dio fieri mentionem inſtituendæ collocutionis de
conciliandis Eccleſiis. Hæc reſciſcere poterit C.V.
ex aula *Marchica*. Deus gubernet Regum & Prin-
cipum mentes ad ſalutem Eccleſiæ. Mittam poſt
aliquot dies epiſtolam, quam de cauſa *Iſlebiana*
E ad principem *Marchionem* Electorem ſcribo, qui
conatur tollere diſſidium inter *Lutherum* & *Iſle-*
bium. Nec dubito quin optimus Princeps pio ſtu-
dio hoc faciat, & profectò nos benè volumus *Iſle-*
bio, ſed ipſe monitorem *Lutherum* modeſtiori
animo ferre debebat, ut ſæpe eum hortatus ſum.
Si non accuſaſſet *Lutherum* poſt editum librum
contra Antinomos, haberet placatum & amicum,
ac proderit cavere nè rurſus irritet *Lutherum* no-
vis ſcriptis. Bene valeat C.V. Die Angelo-
F rum.

D. Georgio Principi in Anhalt S.D.

ORo Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, Ep. 178.
ut bonam valetudinem Celſitudini Veſtræ
reſtituat. Valde hoc tempore Eccleſia & Reſ-
publica indiget voce & autoritate veſtrâ. Om-
ninò enim affirmant Cæſarem de concordia
Eccleſiarum conſtituendâ agere. Hæc conſilia ut
G Deus gubernet & adjuvet, omnes optare omni-
bus votis debemus. Hortor autem C.V. ut in
hac valetudinis imbecillitate animum erigat, cum
cæteris conſolationibus, quæ in ſacris literis ac di-
vinis oraculis propoſitæ ſunt, tum præcipue hac
cogitatione, quòd oportet nos deguſtare afflictio-
nes cum Filio Dei. Nec profectò ullus homo tan-
tum

malorum & ærumnarum ſuſtinet, quantum contumeliarum Deus ſuſtinet. Non igitur recuſemus *συγκακοπαθεῖν τῷ υἱῷ σου.* Et ita creſcunt blaſphemiæ adverſus Deum in mundo, ut pii optare debeant, ut quàm primùm hinc liceat diſcedere ad Deum ac Filium ejus Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, & illum honeſtiſſimum cœtum Patrum & Prophetarum. Mitto C.V. propoſitiones hodie diſputatas. Conjux Domini Doctoris *Martini* periculoſè ægrotat, Deus reſtituat ei ſanitatem. Bene valeat C. V. Die XXIV. Januarii.

D.Georgio Principi in Anhalt S.D.

Ep. 179. ILluſtriſſime Princeps, Magna pietas eſt & Deo grata, ſacerdotes viros doctos, honeſtos & amantes Euangelium, ac verè Filii Dei legatos diligere, fovere & tueri. Hæc officia, Deo omnes viri præſtantes debent. Et C. V. præſtare ea præ cæteris magnâ fide ſcio. Quare non dubito viciſſim Deum vobis adfuturum eſſe. Eſt autem hic Magiſter *Conradus Claudius Francus*, homo doctus & pius, & Euangelium docuit annos ampliùs, XX. Olim in Eccleſia *Halberſtadenſi* initiatus ſacris more uſitato. Poſtea non ſolum ingenii & eruditionis teſtimonia multa nobis oſtendit, ſcriptis eruditè hiſtoriis & enarrationibus: ſed etiam ſpecimen præbuit inſigne patientiæ & ſtudiis pacis, quia duram ſervitutem tulit ſine litibus. Ideo commendo eum C.V. & oro ut eum juvet. Omnium rerum divinarum & humanarum præcipua & maxima eſt, Euangelii miniſterium & cœtus publici Eccleſiæ: hos omni cura tueamur. Heri literas accepi, in quibus mihi ſcribitur in *Africa* nullos eſſe cœtus, nullos congreſſus ullius religionis. Talem barbariem molitur Diabolus, oppreſſione literarum & miniſterii. Ideo acerrimè pugnandum eſt ut ſacerdotes defendantur. Bene valeat C.V. Die XVIII. Aprilis.

D.Georgio Principi in Anhalt S.D.

Ep. 180. ILluſtriſſime Princeps, Scio C. V. ſuo graviſſimo judicio favere laboribus edentium bona ſcripta. Ideo brevius ſcribendum eſſe cenſui. Nullus autem Propheta tam obſcuris & præpoſteris enarrationibus contaminatus fuit ante hæc tempora, ut *Hoſeas*. Quare meritò gratulandum eſt Eccleſiæ Dei, quod nunc Dei beneficio, erudita & ſincera interpretatio editur. Hanc collegit *Vitus Noribergenſis* magno labore, & Celſitudini Veſtræ dedicari voluit, fuitque ei hortator vir optimus Magiſter *Georgius Heltus*. Exhibet igitur vobis hic honeſtus & doctus vir Magiſter *Hieronymus Noribergenſis* eam lucubrationem, quam quidem D. *Lutherus* diligenter recognovit, & aliquot locis de novo ſcriptis auxit. Etſi autem ſcio jam Celſitudinem Veſtram magnis ſumptibus onerari: tamen oro ut Celſitudino Veſtra alat ſtudium tam utile colligentis eruditiſſima ſcripta. Debebant ſummi Reges & Principes liberalitatem ſuam in his laboribus juvandis declarare. Sed pauci voluntatem Dei curant. Ut *Origenem* nemo Regum, ſed civis locuples *Ambroſius* juvabat. Vobis autem hæc ſtudia juvantibus reddet Deus præmia, idque piis votis petemus a Deo. Qui talia ſcribunt negligunt rem familiarem, & faciunt ſumptus, ac memini judicium Celſitudinis Veſtræ, quæ viginti Joachimicis antea ſimilem lucubrationem dignam duxit. Oro etiam ut meâ cauſâ, munificentiam ſuam ſimili benignitate nunc erga *Vitum* C.V. declaret. Bene valeat C.V. Die *Johannis Baptiſtæ*, Collegæ noſtri.

D.Georgio Principi in Anhalt S.D.

ILluſtriſſime Princeps, Apud *Eſaiam* promittit Deus ſe Eccleſiam etiam ſeneſcentem ſervaturum eſſe. Hac nos conſolatione ſuſtentemus. Et tamen ſiqui poſſunt adjuvare pacis conſilia, annitantur ne deſint Eccleſiæ. Princeps *Palatinus Fridericus* valde laboravit, ut *Caroli* Imperatoris animum ad pacem flecteret, ſed audio conditiones intolerabiles Eccleſiis proponi. Ideo ſatis apparet Imperatorem de Eccleſiaſticis rebus præcipuè dimicare, etiamſi alii prætextus oſtenduntur. Etſi autem ingens periculum eſt, tamen ſpero exitus fore mediocres. Et ut ſint ſalutares Eccleſiæ Dei oremus. Bene valeat C.V. Die *Magdalenæ*. Ep. 181.

D.Georgio Principi in Anhalt S.D.

ILluſtriſſime Princeps, Non dubito quin magnum vobis dolorem adferant motus domeſtici *Germaniæ*, qui oriuntur minus opportuno tempore, qui utinam ſapientum Principum autoritate ſedari poſſent. Deo ſpero curæ fore ſuas Eccleſias, & certè ad eum veris votis & toto pectore clamamus, & ab ipſo pacem petimus. Cum autem de *Germanicis* rebus non libeat ſcribere, *Pannonicas* attingam. Fuerunt hic *Auſtriaci*, qui copias, quibus præeſt *Marchio* elector, narrant non exiguas eſſe. *Turcos* verò intra *Budam* ſe continere, nec procul inde erumpere. Et jam aliquoties egreſſos, fugatos & pulſos eſſe ab *Hungaris*. De adventu *Tyranni* fama conſileſcit. Narrant quoſdam *Turcicos* nebulones captos eſſe, qui veneno fontes infecerunt, ſed comprehenſi indicârunt loca fontium, ut obrui poſſent, poſt ſupplicio affecti ſunt. Bene valeat C.V. Ep. 182.

D.Georgio Principi in Anhalt S.D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Ep. 183. Cum apud *Euripidem Theſeus* cadavera Ducum ad *Thebas* interfectorum recepta ſuis ipſe manibus lavat, & pleriſque hoc funeſtum miniſterium aliis mandandum eſſe dicerent, ipſe, ut inſtituit, perficere non dubitat. Et ratio additur honeſta: *οὐκ αἰσχρὸν ἀνθρώποισιν ἀλλήλων κακά.* Etſi nos quidem in Eccleſia multò illuſtrius exemplum habemus. Nam Filius Dei non ſolùm lavit cadavera noſtra, ſed triſtiſſimas calamitates noſtras in ſeſe derivavit. Etſi autem ſcio Veſtram totam familiam ſatis duriter nunc exerceri, & dubitabam an aditus

tibi

tibi facilis ſit ad Inclytum Ducem *Mauricium*: A tamen quia ſciebam, te non defugere labores & pericula in leniendis miſeriis bonorum virorum, hanc epiſtolam ad te præcipuè miſimus. Refutare falſam ſuſpicionem *Ionas* conatur, de editis pagellis *Ambſdorfii*, quas a *Iona* editas aula putat. Se igitur verè excuſat. Deinde verecundè orat ſe recipi in gratiam ab Inclyto Duce. Nec quidquam ſcriptum eſt durius. Quare ut imponi tibi curam exhibendæ Epiſtolæ ſinas, te etiam atque etiam oro. Deliberabis autem tecum ipſe pro tua excel- B lenti ſapientia, quomodo agi tota res aptiſſimè poſſit. Eram ad *Macedonem*, ſi pace impetrata tranquilliore animo fuiſſet, hoc negotium delaturus. Sed nunc ad te confugimus. Nec alienum eſt, ſacerdotem pro ſacerdote deprecatorem eſſe. Scripſi brevius fretus tuâ ſapientiâ. Ego ille laudator & ornator *Myſorum*, etſi ad *Myſiam* accedere non audeo: tamen brevi, Deo juvante, *Deſſam* proficiſci decrevi. Bene valeat Celſ. Tua. Die V. Junii. Anno M.D.XLVII. C

D. Georgio Principi in Anhalt S.D.

Ep. 184. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Heri hinc rediit *Lipſiam* vir Reverendus *Paſtor* Eccleſiæ Dei in urbe *Lipſica*, qui exemplum habet deliberationis noſtræ de toto libro *Auguſtano*, quam piè & moderatè ſcriptam eſſe judico. Sed tamen à Celſitudine Veſtra legi volo, & legat Celſitudo Veſtra ut judex & cenſor. Scio multas honeſtas civitates liberas conſtanter rejecturas eſſe hanc partim fucoſam, partim falſam do- D ctrinam libri *Auguſtani*. Oro autem ut Celſitudo Veſtra de judicio ſuo, vel ad me, vel ad D. *Pfeffingerum* ſcribat. Nunc & de alio quodam negotio ad Celſitudinem Veſtram ſcribo propter honeſtam & piam cauſam. Scio parcendum eſſe Principum fiſco, præſertim nunc in tanta temporum difficultate, & egomet meâ cauſâ non facilè peto aliquid in aulis. Sed ſtudioſæ juventuti opem ferre pium eſt. Conſul *Deſſenſis Laurentius à Berg* E vir & arti ex egregius filium habet bonâ indole præditum, & qui jam initia Philoſophiæ mediocriter didicit. Hunc ſpero Eccleſiæ Dei magno uſui & ornamento futurum eſſe, ſi non abducetur à literis. Sed auxilio ei opus eſt. Itaque oro, ut biennio ei opem feratis, ita ut quolibet anno à Celſitudine Veſtra aureos habeat viginti. Reliquos ſumptus pater tribuet. Videt Celſitudo Veſtra Eccleſias veſtræ ditionis regi a peregrinis. Utilius autem paci & moribus populi eſſet, præeſſe F natos in patria. Et hic adoleſcens filius eſt civis bene meriti de oppido *Deſſa*, & cujus magnus uſus eſt in gubernatione veſtræ ditionis. Quæſo igitur ut hoc beneficio Adoleſcentem Celſitudo Veſtra adjuvet. Habeat Celſitudo Veſtra rationem patriæ, meritorum patris, denique & meæ petitionis in re pia. Deus pro hac liberalitate viciſſim Celſitudini Veſtræ & Reipub. bene faciet. Sic ſervabitur Eccleſia, cum Principes curabunt bona ingenia rectè erudiri. Bene valeat C.V. Die XVIII. Reverenter oro, ut C. [illegible] mihi reſpondeat. G

D. Georgio Principi in Anhalt S.D.

Ep. 185. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Cùm huc reverſus eſſem, inveni hic literas amicorum de multis rebus, quibus & exemplum decre- A ti *Tridentini* additum fuit, quo Synodus audaciſſimè damnat multas ſententias doctrinæ incorruptæ Evangelii. Etſi miſcet veros aliquot articulos, & in falſis ſerit alicubi amphibolias, & cothurnos proponit. Sed apertè præcipit perpetuam dubitationem, & affirmat legi Dei poſſe ſatisfieri. Decrevi edere ſimul ipſum decretum, & refutationem. Dolendum eſt profectò, Synodi titulo confirmari veteres errores. Sed ſequun- B tur alia decreta, ut exiſtimo, abſurdiora. De congreſſu conſiliariorum in *Mutweden* non dubito vos narrationem viri Clariſſimi D. Doctoris *Auguſtini* audiviſſe. Deus æternus Pater Domini noſtri *Ieſu Chriſti* faciat, ut felix ſit deliberatio, & ad pacem utilis, & ſervet Eccleſiam ſuam in his regionibus, & ſemen ſanctum. Bene valeat Celſ. Veſtr. Anno à conditione mundi 5509.

C *D. Georgio Principi in Anhalt* S.D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, In Eccleſiis in Comitatu *Mansfeldenſi* piè & fideliter docuit hic *Johannes Libius*, & vir doctus & honeſtus eſt. Venerat autem in Academiam noſtram paulo ante bellum. Nunc rurſus quærit locum ubi doceat. Quæſo ut Celſitudo Veſtra præficiat eum alicui Eccleſiæ. Spero enim rectè facturum eſſe officium. Valet ingenio, & mores D ſunt honeſti, & doctrinam Evangelii rectè intelligit. Vagantur in exilio miſeri ſacerdotes, quorum affici calamitatibus C. V. præcipuè ſcio. Bene valeat C. V. Die XIII. Octobris, *Lipſiæ* M.D.XLVII. Ep. 186.

D. Georgio Principi in Anhalt S.D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Celſ. Veſtra ſcit oportere notam eſſe doctis & piis Ep. 187. E continuam Eccleſiæ hiſtoriam, quantum ex veris monumentis colligi poteſt. Juſſi igitur *Paulum Eberum* contexere hiſtoriam populi *Judaici* poſt reditum ex *Babylone*. Et compendii modum talem inſtituimus, nè prolixitas ſit ingrata. Spero multis gratam fore lectionem, præſertim cum illa ætas imago ſit noſtri temporis. Non ſolùm Monarchæ Ethnici gerebant bella in *Iudea*: ſed ipſi ſacerdotes inter ſeſe dimicabant, & vagabantur in *Judea* omnium hominum petulantiſſimi, F *Syriaci*, *Ægyptii*, *Arabici*, *Parthici*, *Romani* milites. Inter hæc latrocinia crudeliſſimorum & libidinoſiſſimorum hominum tamen ſervatæ ſunt hæ matronæ, formâ, & ingeniis præſtantes, *Elizabeth*, *Maria*, *Anna*, & aliæ innumerabiles. Hoc exemplum ſæpe me conſolatur. Video ſolius Dei ope cuſtodiri reliquias invocantes ipſum, & abditas ad aram ipſius. Ita ſpero nunc quoque inter tumultus & latrocinia horum temporum aliquas Eccleſiæ & docentium & diſcentium re- G liquias Deum ſervaturum eſſe. *Georgii* reditum opto eſſe fauſtum & felicem. Sed cum nova exilia nobis metuenda ſint, prudenter feciſſet, ſi diutius apud C.V. manſiſſet. P[illegible]as quas habui recentiſſimas miſi viro clariſſimo D. Doctori *Auguſtino*. Bene valeat Celſ. Veſtra.

D. Georg-

D.Georgio Principi in Anhalt S.D.

Ep. 188. ILluſtriſſime Princeps, Mitto C.V. exemplum *Wormacienſis* diſputationis, in quo videbit C.V. ludere tantum *Eccium*, & indoctis conatum offundere præſtigias, cum apud ſe agnoſceret, nos veram ſententiam defendere. O audaciam impiam, exercere in Eccleſia Sophiſticam! Si licuiſſet pergere ad cæteros articulos, jam *Protea* iſtum conſtitueram vinculis arctioribus aſtingere. Utinam noſtri Principes in conventu inchoatam formam facilè non mutati patiantur. Scio quosdam alias technas quærere. Sed oremus, ut diſſipet Deus aſtuta conſilia *Achitophel:* Deus ſervet Celſitudinem Veſtram incolumem. Die III. Martii.

D.Georgio Principi in Anhalt S.D.

Ep. 189. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Domine, Mitto Celſitudini Veſtræ exemplum refutations ſophiſmatum, quæ intexta ſunt libro Imperatoris, in capite, *De fide.* Ac oro ut Celſitudo Veſtra adhibitis & aliis eruditis legat, ut cenſor & Judex. Libenter enim judicio C.V. & aliorum bonorum & doctorum virorum cedam, ſi ab hac mea explicatione diſſentient. Video nova pericula nobis propoſita eſſe, quæ Deo commendo, quem non dubito ſervaturum eſſe reliquias Eccleſiæ ſuæ. Cætera coràm aliquando. Bene valeat C.D. Die *Beda* viri docti, & bene meriti de Eccleſia.

D.Georgio Principi in Anhalt S.D.

Ep. 190. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Heri ad me Epiſtola miſſa eſt, cujus exemplum C.V. mitto, ex quo cognoſcet C.V. ſcripſiſſe Electorem *Saxonicum*, ſe Illuſtriſſimo *Marchioni* Electori ſignificâſſe ſuam voluntatem de conditionibus pacis, ac aſſentiri deliberatis. Etſi autem audio jam Illuſtriſſimum Electorem *Marchionem* proficiſci ad Regem *Ferdinandum:* tamen ſi qua occaſio eſt, oro ut C.V. iterum hortetur Inclytum Electorem *Marchionem*, ut omni ſtudio conetur flectere Imperatorem *Carolum* & fratrem ad pacem in *Germania* reſtituendam. Qualis barbaries & vaſtitas Eccleſiarum in his regionibus futura eſt, ſi hæc latrocinia erunt diuturna, quod Deus prohibeat. Et *Turcica* bella in altera *Germaniæ* parte vaſtitates facturas eſſe valde metuendum eſt. Deum oro, ut ſummorum Principum mentes regat, ut feliciter Eccleſiæ, Reip. ſibi & populo conſulant, nè pluris faciant cæcas cupiditates ſuas, quam Eccleſiæ, Reipub. ſuam, & populi ſalutem. Bene & feliciter valeat C.V. Die XVI. Februarii.

D.Georgio Principi in Anhalt S.D.

Ep. 191. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Nec ante annum fui ſuaſor movendi belli, nec po-
A ſtea probavi, nec probabo unquam conſilia eorum, qui Ducem incitârunt ad bellum in patria movendum, nec nunc volo ſuaſor aut approbator eſſe conſiliorum, quæ præbebunt occaſionem majori incendio in his regionibus, etſi, ut ſcit Celſitudo Veſtra, optarim non occupatam eſſe ditionem *Parthenopaam.* Illa Siren magnarum calamitatum cauſa erit. Et arbitror Celſitudinem Veſtram habituram [illegible] Hiſtoriam rei
B geſtæ cum *Marchione* jam accepi. Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* tegat & ſervet C.V. Die VII. Martii.

D.Georgio Principi in Anhalt S.D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Etſi Ep. 192.
inſtitueram concionem de *Pauli* dicto ad *Coloſſenſes*, ubi triumphum pingit reſuſcitati Filii
C Dei: tamen pertexere non potui propter aulicas literas, quibus & *Pfeffingerus*, & alii, & ego, *Cygneam* vocamur. Audio præcipuè *Marchionem* Electorem autorem eſſe Concilii de Eccleſiarum conſtitutione, de qua jam *Auguſta* deliberationes ſunt. Ac metuo eam πολυπραγμοσύνην non ad pacem profuturam eſſe, ſed novarum diſtractionum & bellorum cauſam fore. Quidam narravit mihi, ſæpe *Marchionem* venire ad Ducem *Mauricium*, ut ei perſuadeat reſtitutionem privatæ Miſ-
D ſæ. Oremus Deum ut miſeras Eccleſias ipſe foveat & ſervet. Hunc autem nuncium ideo miſi, ut Celſitudini Veſtræ ſignificarem, me concionem non potuiſſe pertexere. Sarciam hanc jacturam aliis officiis. Bene valeat Celſ. Veſtra. Die XXV. Martii, quo ante annos 5510. *Adam* conditus, & quo ante annos 1514. Filius Dei crucifixus eſt, & pro nobis victima factus mirando Dei conſilio.

E

D.Georgio Principi in Anhalt S.D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Deo Ep. 193.
juvante componam orationem accommodatam ad Synodum, & mittam in feriis Pentecoſtes, niſi iter aliquod ſubitum me impediet. Argumentum erit explicatio dicti, quod extat apud *Eſaiam*, de ſtudio doctrinæ, & de Eccleſia. *Eſaiæ 51. Poſui verba mea in ore tuo, &
F umbra manus meæ protege te, ut plantes cælos.* Dulciſſima ſententia eſt, & conſolationem egregiam continet. Deceſſit ante paucos dies ex hac vita vir excellens ingenio, virtute & eruditione Doctor *Auguſtinus Schurff*, cujus filias Celſitudini Veſtræ commendo. Poſt paucos dies ad Illuſtriſſimos fratres veſtros proficiſcar. De Repub. quantum nunc ſciebam, ſcripſi in pagella quam his literis addidi. Significabo & deinceps, quicquid intellexero dignum nar-
G ratu. Bene & feliciter valeat Celſ. Veſtra. Die XIII. Maii.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Diffi- Ep. 194.
cillimam eſſe gubernationem Eccleſiæ ſemper

omnes

omnes ſani judicârunt. Et *Moiſes* inquit, *Niſi tu Deus nos præceſſeris, non educas nos.* Sed conſolatur eum Deus, inquiens, ſe præceſſurum eſſe. Et Filius Dei, *Qui manet in me, & ego in eo, is feret copioſum fructum.* His me divinis promiſſionibus ſæpe conſolatus ſum in noſtr.s periculis, difficultatibus, & certaminibus. Cum Doctore N. collocutus ſum. Multas habet virtutes, ſed ſuas etiam quaſdam delicias habet, quas ætas corriget. Spero ex hoc negotio, de quo ſcripſit Celſitudo Veſtra, non orituros majores tumultus. Heri à *Marchione* Electore literas accepit, quæ concedunt, ut maneat hîc uſque ad Pentecoſten, deinde *Francofordiam* veniet, & additur in literis E'ectoris: Das ir da bleibet. Item, Und nicht wider den Keiſer predigt. Hinc novæ diſputationes illæ naſcuntur. Sed hæc omitto. Heri ex *Witeberga* miſſa eſt mihi pagella de recentiſſimis hiſtoriis, quam mitto Celſitudini Veſtræ. Concionem de Paſchate his diebus componam. Cogitavi enim argumentum. Enarrabimus tranſitus ſignificationem, quo Deus *Ægyptum* pervagatus eſt mactato agno. Deinde addam enarrationem dicti dulciſſimi, *Fecit Deus Filium peccatum, ut nos fieremus juſtitia Dei in eo.* Volo autem ad me mitti *Iohannem* à *Berg*, ut deſcribat ea quæ colligemus. De admonitione ad Paſtores poſtea cogitabimus, & de formula deſponſationis ſtupratæ. Bene valeat Celſitudo Veſtra. Die XXVII. Martii, qui ante annos M. D. XIV. fuit dies mirandæ reſuſcitationis Filii Dei, ubi Apoſtoli viderunt novæ & æternæ vitæ initium, ubi apud *Mariam* ſæpè familiariter convenerunt matronæ illæ primæ, *Heva, Sara, Rachel,* & aliæ, quarum Synodus fuit multò venerabilior quàm *Tridentina.*

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 195. ILluſtriſſime Princeps & Reverendiſſime Domine, Fui aliquandiu occupatus ſcribenda recuſatione ſynodi *Tridentinæ*, de qua tamen non multa dixi, ſed cauſas recitavi, quare omnes debeant amplecti hoc doctrinæ genus quod profitemur. Ideo juſſeram quendam meum amicum componere orationem mittendam C. V. Sed ille nimis longam ſcripſerat. Scripſi igitur aliam brevem, &, ut ego judico, convenientem illi congreſſui, in quo C. V. dictura eſt. Sed judicium de ea C. V. permitto. Officia verò mea & labores defero reverenter & Eccleſiæ Dei, & C.V. D. Doctor *Auguſtinus* promiſit ſe curaturum eſſe, ut fideliter ad C.V. hæc ſcripta perferantur. Ideo ea ipſi commendavi. Ac oro, ut ſignificet C.V. an ea acceperit. Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* ſervet C.V. & regat eam. Die quo celebratur memoria triumphi Filii Dei, quo aſcendit in cœlum ſpectante Eccleſiâ.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 196. ILluſtriſſime Princeps, *Non idem valet Oratio dicta à Principe viro, & ab homine abjecto*, ut *Euripides* inquit. Ego nec gratiâ nec autoritate apud *Granvellum* valeo. Plus valebit epiſtola nomine C.V. ad eum ſcripta. Talem igitur com-

A poſui, de qua tamen pro arbitrio veſtro ſtatuetis. Ad meum conterraneum *Obernburgum* ſcripſi, & tamen ſcio eum meas literas aliis oſtendere. Utinam verè hoc facerent illi ſummi gubernatores, ut calamitates generi humano ſuâ moderatione lenirent, quod cum fit, divinum eſt. De Academiæ noſtræ inſtauratione ſpei nihil eſt, niſi ſua liberalitate Dux Elector attribuet novos reditus. Prodeſt Eccleſiis & ſtudiis, ſervari hanc doctrinæ ſedem. Id optarem C. V. ad Electorem

B ſcribere. Velim etiam de *Jona* eum orari, ut clementer reſpondeat, ſe remittere offenſionem. Bene valeat Celſitudo Veſtra, V. Septemb. Edo nunc Dialecticen, quam valde profuturam diſcentibus ſpero.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

REverendiſſime & Illuſtriſſime Princeps, *Ep.* 197. Optandum quidem eſſet, C. V. manere in

C gubernatione Eccleſiarum viciniæ veſtræ, propter multas cauſas. Sed tamen quid ſpei eſſet ignorabam. Petivit autem à me commendationem hic *Blaſius Alemannus*, natus in oppido *Lucca*, qui diligenter docuit juventutem *Deſſenſem*. Nunc verò ductâ uxore in *Deſſa*, mallet in Eccleſiaſtica functione ſervire. Fuit auditor noſter triennium, & bene doctus eſt, & valde modeſtus, ut etiam honeſti viri in *Deſſa* teſtantur. Quæſo ut C. V. jam, aut cùm primùm occaſio erit, com-

D mendet ei, vel Eccleſiæ alicujus gubernationem, vel Diaconi functionem. Spero, Deo juvante, piè & utiliter ſerviturum eſſe Eccleſiæ Dei. Nam eruditione rectè inſtructus eſt, & mores ſunt tales, ut mentem verè amantem eſſe pietatis, & accenſam verâ fide, indicent. Oro igitur, ut C.V. rationem ejus habeat. Poſt réditum meum ex *Torga* accepi literas ex multis regionibus. Ex *Weſtphalia* pulſi ſunt pii concionatores, & ſcholæ gubernatores, & reſtituuntur ibi prorſus veteres

E abuſus, etiam contra librum *Auguſtanum*, & palam hoc ibi dicitur, librum illum non pertinere niſi ad nos, ut initium ſit reſtituendi veterem ſtatum. Sed Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* crucifixi pro nobis, & reſuſcitati, qui condidit genus humanum, & inde colligit ſibi æternam Eccleſiam, & ſuâ immenſâ miſericordiâ miſit Filium, & promiſſiones edidit, non ſinet extingui lucem Evangelii ſui. Bene & feliciter valeat Celſitudo Veſtra. Die XXIII. Octobr.

F M.D.XLVIII.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Etſi *Ep.* 198. mihi optima voluntas veſtra de pace, & erga oppidum noſtrum, alioqui nota eſt: tamen libenter legi deprecationem plenam pietatis, ſcriptam pro noſtro oppido. Et C.V. publico & meo no-

G mine gratias ago. Cauſas odiorum ſeri inter cognatos, multò ante vidi & dolui, nec diſſimulavi meum dolorem, ſed interdum etiam aulicos impetus reprehendi. Nunc querelas de præteritis omittamus. Si hac hyeme non fieret obſidio, ſperarem flecti poſſe animos utrinque ad pacem. Et proficiſci ipſe ad *Macedonem* vellem. Sed ſi erit

ſubita

ſubita obſidio. conſilia noſtra ſera ſunt. Nec, quid de defenſione dicam, ſcio, quæ, etiamſi fiet, oppido exitioſa erit. Sed Deum æternum Patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti* oremus, ut hæc mala mitiget & in ira ſua miſericordiæ recordetur. Si quam etiam tempora occaſionem præbebunt bonis conſiliis, non deſimus occaſionibus. Advexi huc duos libros Celſitudinis Veſtræ; Tomum editionis *Complutenſis*, & *Tigurinum Catalogum Scriptorum.* Hos libros quando tranſmitti ad ſe C. V. velit, ſignificet. Deus æternus Pater Domini noſtri *Ieſu Chriſti* ſervet Celſitudinem Veſtram incolumem, & reddat Eccleſiis, ſtudiis, & his paupertiolis, quæ ſunt hoſpitia Eccleſiæ, ſalutarem pacem. Datæ in oppido *Serveſta*, Die XV. Novembris.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 199. Die XIII. Februarii, quo hanc Epiſtolam ſcribo, ante annos M. DCC. XII. interfecto *Nicanore* Deus mirabiliter ſervavit templum ſuum, quo exemplo oſtendit, ſe cuſtodem eſſe ſuæ Eccleſiæ, & ut nunc quoq; eam ſervet, toto eum pectore oro. Doctor *Ionas* iterum vult ſcribi ad Ducem *Saxoniæ* Electorem. Etſi autem utilius eſſet, expectari ejus reditum: tamen ſcripſi ad Ducem, & ad *Carlovicium*. C. V. ſcribat Doctori *Ionæ* ſuum conſilium, & ſi videtur, literas adjungat ad Ducem. Minùs properando plus effici poſſet, quia ſenſi hoc vulnus non parvum eſſe, & C. V. idem animadvertit. Nec prodeſt Doctori *Ionæ*, diſputare de jure, ut nuper C. V. juſſerat cum Doctore *Fachſio* agi, ut audiretur Doctor *Ionas*. Poëta inquit, *Non agites, ſi qua coire voles: Non ſunt multùm contrectanda vulnera, cum volumus ea glutinari.* Mitto C. V. libellos hîc recèns editos. Bene valeat C. V.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 200. Illuſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Non tam meâ causâ, quàm C. V. causâ, lætor judicio & robore animi veſtri, qui moderatè ferendas eſſe calumnias ſentit. Ego verè & feram graviter, & propter publicam tranquillitatem diſſimulabo tantiſper, donec doctrinam labefactare incipient. *Albertus* dicitur auctor eſſe libelli contra nos editi, qui & epiſtolam ſuâ manu ſcriptam huc miſit, in qua narrat, ſe impeditum eſſe a falſis fratribus, quo minùs præfectus ſit Eccleſiæ *Goſlarienſi*. Talis viri calumniis moveri me, etiam levitas eſſet. Sed ſi illa ſua *Stoica* de libero arbitrio edent, graviſſimè & eruditiſſimè reſpondebo. Bene & feliciter valeat C. V. Die XXI. Februarii.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 201. Illuſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Literas ad me ſcriptas ab Illuſtriſſimo Duce *Megalburgenſi* mitterem Celſ. V. niſi heri eas apud Illuſtriſſ. fratrem C. V. reliquiſſem. Sed ſunt graviter ſcriptæ, & pollicetur Dux, ſe ad Electorem Marchionem venturum eſſe, quam primùm ab eo certior factus fuerit, poſſe ſuſcipi aliquam pacificationem. Jam exiſtimo harum literarum exempla Electori *Marchioni* mittenda eſſe. Arbitror enim Electorem *Saxonicum* aſſentiri, ut inſtituatur pacificatio, & non recuſare, quò minus fiat ſupplex Imper. Sed tamen quid *Marchioni* reſponderit, non ſcio. Nuper cùm *Witebergæ* eſſem, ſcripſi ad Electorem fideli animo, ſed durius quàm volebant nonnulli, qui metuunt aulicas offenſiones. Bene & feliciter valeat C. V. Die XIII. Februarii, quo ante annos M. DCC. XVI. *Maccabeus* acie vicit *Nicanorem*, ſuperbè minitatum templo. Quo exemplo Deus teſtatus eſt, ſibi Eccleſiam ſuam curæ eſſe, quam ut nunc quoque protegat, precamur.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Illuſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Oro *Ep.* 202. Filium Dei Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, ſedentem ad dextram æterni Patris, ac regentem ſtudia doctrinæ, ut in hoc noſtro oppido cœtus docentium & diſcentium regat & ſervet. Doctori *Forſtero* ſpero non inſuavem conſuetudinem nobiſcum fore, ſi diutiùs hic locus erit hoſpitium ſtudiorum: De ædibus ad eum ſcripſimus. Eliget inter eas quas indicamus. Ac ſi pacem Deus reſtituet, poterit emere domum pro familia. *Illyricus* hinc abiit, apertè cauſam hanc dicens, ſe nolle ſpectatorem eſſe mutationis rituum. Etſi autem nondum certò ſcimus, de reditu quid decreverit: arbitror tamen, quærere eum ſedem, unde liberiùs nos criminari poſſit. Itaque ſi non redibit, lectio *Ebraica* etiam Doctori *Forſtero* mandabitur, ita ſtipendium habiturus eſſet aureos trecentos. *Torgam* vocatus ſum, ut die X. Aprilis eò veniam, quò literæ narrant & alios vocatos eſſe. Quid ea de re ſciat C. V. ſignificari mihi optarim. Bene valeat C. V. Die XXIX. Martii. M. D. XLIX.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Illuſtriſſime & Reverendiſſime Princeps In *Pſalmo* XLVII. ſcriptum eſt, *Quando Principes populorum congregantur cum Deo Abraham, exaltatur Deus valde.* *Ep.* 203. Quibus verbis ſignificatur, Eccleſiam & ſtudia doctrinæ magis florere, cùm à bonis Principibus foventur. Agamus igitur Deo gratias, quòd Regem *Danicum*, & alios Principes *Germanicos* ad agnitionem Evangelii vocavit, & ita confirmat, ut non abjiciant veritatem, & oremus, ut eos, & nos regat & protegat. Paſtor Eccleſiæ noſtræ Doctor *Pomeranus*, & ego, agimus gratias C. V. quòd lenire nobis mœſtitiam conatur, ac miſit literas Regias piè ſcriptas. Mitto viciſſim pagellam, cujus lectionem ſpero C. V. jucundiorem fore, quàm lectio eſt librorum, qui eduntur in vicina *Parthenope*, quos, ut ſpero, refutat lux veritatis. Jam ſcribo præfationem in *Lutheri* Tomum, continentem enarrationes multorum librorum Propheticorum. Bene & feliciter valeat C. V. Die Paſchatis, M. D. XLIX.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Illuſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Exiſtimo virum integerrimum Doctorem *Forſterum* de ſua ſententia jam ad C. V. ſcripſiſſe. *Ep.* 204. Et deliberari res diutius poteſt, præſertim cùm jam & *Sneppius* in has regiones venerit. Sed hæc alias. Nunc ad C. V. proficiſcitur *Bernhardus*, qui

eſt [illegible] in Eccleſia noſtra. Uſitatum eſt miſe- A
ris confugere ad quemcunq; portum, qui in conſpectu eſt. Et C.V. magis conſpicitur propter multa ornamenta, nobilitatem, virtutem, eruditionem, bonitatem, ac pietatem, etſi ſcio fontem liberalitatis veſtræ hauriri à multis. Sed Deus fontes veſtros & ſervabit et augebit. Bene valeat C. V. Die Maii VIII.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 205. Illuſtriſſime et Reverendiſſime Princeps, Credo pium et utile conſilium eſſe de Eccleſia iſtic conſtituenda. Quicunq; enim electionis eventus erit, ſubita mutatio non fiet. Hunc igitur Magiſtrum *Wenceſlaum Thomendorf Suidnicenſem* iſtuc miſimus, ut C. V. eum audiat. Vir modeſtus eſt, et doctus, et biennio fuit in miniſterio Euangelico, poſtea ad Academiam rediit. Ac tales, quos experientia in miniſterii functione multa monet, reverſi ad ſtudia melius judicant. Juſſimus eum ad C. V. accedere, & nihil de cauſa ſui itineris aliis ſignificare. Mitto C. V. libellum *Ptolemæi*, ut videat, qualia ſint ſtudia juventutis, et in hac mœſtitia temporum ſervanti tamen artes honeſtas & vitæ utiles, Deo gratias agat nobiſcum. Oro autem ut præfationem C. V. legat. Deus æternus Pater Domini noſtri *Ieſu Chriſti* ſervet C. V. incolumem, et eam regat. Datæ die Maii XXVII. M. D. XLIX.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 206. Illuſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Cùm *Lipſiam* reverſus eſſem, expoſuit mihi *D. Ioachimus* mandata C. V. fuitq; hortator, ut iſtuc proficiſcerer. Et ipſe cupiebam hiſtoriam itineris noſtri coram narrare, & hoc triſti tempore utriq; arbitror levationem adferre mœſtitiæ, non colloquia tantùm, ſed conſpectum etiam mutuum. Sed nec ſolus eram, & cauſæ properandi novæ inciderant. In aula fuit deliberatio de ſcripto, in quo refutatio calumniarum, quas vicini noſtri ſpargunt, verecunde inſtituta fuerat. Diſſuaſi tamen editionem. Nam his reſponſionibus videmus irritari, non ſanari aut placari homines maledicos. Et in illo *Pythagorico* præceptum eſt, *ignem gladio non fodiendum eſſe.* Scriptum *Meideburgenſe* recens, nondum fuerat perlatum in aulam, in quo ſatis oſtendunt, quantùm ſitiant meum ſanguinem. Et ſæpe jam de exilio delibero, quod Deus gubernet. Eventus oſtendet, quo ſpiritu illi agantur, qui nunc Eccleſiis noſtris, alioqui mœſtis, augent dolorem. Si motæ fuerint ſeditiones, erit πανωλεθρία doctrinæ exſilii, literarum, diſciplinæ, & multorum ornamentorum civilis vitæ. Mea voluntas, & omnia mea conſilia eo ſpectârunt, nè deſererentur Eccleſiæ, etiamſi qua ſervitus ſine impietate toleranda eſſet. Sed Deo æterno Patri Domini noſtri *Ieſu Chriſti* me & Eccleſiam commendo. De Duce *Erico* adeundo, ſcio non deeſſe C. V. conſilium. Sed magnopere C. V. oro & obteſtor, nè ad juvenem illum, ardentem irâ, & ſtipatum cohorte *Iberâ*, accedat. Pontificis *Pauli* interitus novas deliberationes fortaſſis & Imper. adferet. Volet indici Synodum. Sed de his paulò poſt certiora audiemus. Bene & feliciter valeat C. V. M. D. XLIX.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 207. Illuſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Orationem mitto de dicto *Pauli*, TYPUS ESTO, quam ſpero C. V. legenti jucundam fore, etiamſi fortaſſis non pronunciabitur publicè. Mihi, quanquam atrociſſimos dolores à calculo habeo, tamen ſcriptio & cogitatio non injucunda fuit. Nondum ſcripſi reſponſionem de deliberatis *Grimmenſibus*,
B quia & cruciatus a calculo orti me impedierunt, & intervenit negotium *Torgenſe*. *Gabriel* & Diaconus huc miſſi ſunt, quia contendunt eſſe Idolatriam, & deſertionem veritatis, lineam veſtem induere. Tanta cùm ſit in aliquibus pertinacia, ſi mandata edentur, plus erit turbationum. Ego in exilium ire malo, quam rixari cum pertinaciſſimis hominibus. Et optârim aulam non properare in edendis his mandatis. In *Hungaria* multi Domini conjungunt ſe contra Regem *Ferdinandum*, co-
C ronaturi filium *Iohannis*, de mandato *Turcici* Imperatoris, & jam legatus *Polonicus* eſt in *Hungaria*, ut *Hungaros* hortetur, ad filium *Iohannis* coronandum. Et aiunt, ideo Regem *Ferdinandum* differre negotia Eccleſiarum in *Sileſia*, quia *Hungaricis* tumultibus impeditur. De exercitu in *Saxonia* collecto ſcribit Dux *Franciſcus Luneburgenſis*, certò eum mitti in *Angliam*. In *Suevia* adhuc horrenda deformitas eſt Eccleſiarum. Multis locis nulli ſunt paſtores, nulli publici congreſſus, nec Baptiſ-
D mus, nec Cœna Domini. Infantes diu ſine Baptiſmo ſunt, poſtea collocati in currum aliquot, vehuntur in oppidum vicinum, ut baptizentur. Talem vaſtitatem etiam hic mallent fieri quidam, quàm remittere aliquid de pertinacia. C. V. gratias ago pro cereviſia, quæ tamen mihi in hac ſævitia calculi nequaquam conducit. Et nollem C. V. onerari ſumptu meâ cauſâ. Mitto C. V. initium Catechiſmi, ut ſcripſi meæ filiolæ. Sunt reſponſiones breves, & fortaſſis pueritiæ convenientes. Sed
E in locis ſcribam explicationem longiorem. Bene & feliciter valeat C. V. Die poſt Pentecoſten II. M. D. XLIX.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 208. Illuſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Ago gratias Deo æterno Patri Domini noſtri *Jeſu Chriſti* Conditori Eccleſiæ ſuæ, quod hactenus in his regionibus inter tanta pericula ſervavit Eccle-
F ſias, & mentes docentium ita rexit, ut mediocris conſenſus manſerit. Nunc multa metuo, poſtquam venit in has regiones *Laſarus à Suende*. Sed commendemus Filio Dei & Eccleſiam, & nos, veris gemitibus & votis. Exhibui narrationem controverſiæ, quæ nunc miſſa eſt *Georgio Majori*. Cum autem Doctor *Benedictus* non ſit domi, collegæ differunt deliberationem. Sed mittent reſponſionem, cùm primum redierit Doctor *Bene-*
G *dictus*. Utinam utiliter ſervire poſſimus Eccleſiæ Dei. Certè Deus inſpector cordium καὶ καρδιογνώστης, ſcit nos non ambitione, aut aliquâ cupiditate, aliorum gubernationem unquam impedire voluiſſe, ſed quæſiviſſe veritatem, & velle, ut rectè invocetur Deus. Bene & feliciter valeat Celſitudo Veſtra. Die XXVIII. Junii, Anno milleſimo duceuteſimo quadrageſimo nono.

D. Georgio

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 209. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Non dubito C. V. habere de Repub. certiores narrationes ac recentiores, quam nos nunc quidem habemus. Aiunt in *Belgico* Imperatorem cum filio civitates ordine adire, ac petere jusjurandum uſitatum. Ac nuper *Lovanienſis* civitas jusjurandum dedit, ac Principem hæredem excepit magnifico apparatu. *Moguntinus* Epiſcopus iterum mittit B edicta in ea loca, quæ ad ſuam Diœceſin pertinere judicat, & imperat mutationem rituum, & doctrinæ. Et offert impias diſpenſationes, ſed apertè diſtrahit conjugia. Pugnat igitur cum ipſo libro *Auguſtano*. Quid conentur, videt C. V. Me vocant Duces, *Megalburgui* in Academiam *Roſtochianam*. Bene & feliciter valeat C. V. Poſtridie Jacobi.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D. C

Ep. 210. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Spero Magiſtrum *Wenceſlaum* fideliter & utiliter ſervicturum eſſe Eccleſiæ Dei, & quidem oro Filium Dei ſedentem ad dextram æterni Patris, ac dantem dona Eccleſiæ, ut & hunc miniſtrum & alios regat, & non ſinat in his regionibus extingui vocem Euangelii, & doctrinæ ſtudia. Commendo etiam hunc *Wenceſlaum* C. V. gubernandum & tuendum. Fuit his diebus apud nos *Pomeranicus* D legatus, reverſus ex aula Imperatoris, qui narrat ſermones eſſe de conventu indicendo *Erfordiam*: ſed tamen certi nihil adfirmare poterat. Hoc adfirmabat, Doctorem *Stratium Marchionis* Electoris legatum in aula Imperatoris multas fabellas ibi ſpargere contra noſtras Eccleſias. Sed commendemus nos Filio Dei cuſtodi Eccleſiæ ſuæ, qui eſt καρδιογνώστης, & ſcit, nos ſtudia doctrinæ fideliter propagari velimus, & videt odia Diaboli adverſus nos in *Epicureis*; & multis aliis, qui regna E & ſeditiones quærunt, non illuſtrant doctrinam. Bene & feliciter valeat C. V. die collegæ noſtris *Iohannis Baptiſtæ*, M. D. XLIX.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 211. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Meam opinionem de negotio matrimoniali mitto, quam non volo ita accipi, tanquam neceſſe ſit eam ſequi. Sed ſi alia opinio videbitur verior & F æquitati propior, anteferatur. Nec ſcio, quid antea C. V. pronunciârit. Utinam pœnæ ſtuprorum & adulteriorum crebriores eſſent. Sed Deus calamitatibus publicis noſtram negligentiam punit. *Sidonius* ſi venerit, magna erit diſſipatio. Si C. V. præcipietur nè concionetur, & nè ritus illorum impediat, credo poſſe in alio templo retineri pios ritus & conciones. Sed hæc Deo commendo, meq; ad exilia & ſupplicia præparo. Servivimus harum regionum Eccleſiis inter magnas difficul- G tates, donec Deus conceſſit. Nec moveor *Ambſdorfianis* calumniis, quibus reſpondebimus graviter. *Cracoviæ* Academia diſſipata eſt, quia ſcholaſtici juſſi ſunt egredi urbe. Nam cum convicia dixiſſent ſcorto Epiſcopi, rixa orta eſt, in qua cum ſatellites Epiſcopi aliquot ſcholaſticos interfeciſſent, mox aliqui ex illa Epiſcopi cohorte etiam

A trucidati ſunt. Ita Diabolus facit diſſipationes. Oremus autem Filium Dei, Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut colligat ſibi inter nos, & ſervet, & regat pios cœtus. Bene valeat C. V. III. Idus Julii.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, *Semper*, inquit *Irenæus*, *adfuit Filius Dei humano generi,* Ep. 212.
B *Eccleſia videlicet ſua.* Idem & nunc quoque adeſt nobis, & adfuturus eſt, ac, ut adſit, eum reverenter & ardenter oremus. Nam periculoſæ deliberationes ſunt de Eccleſiis. Concionem de Reſurrectione ſcribam ut potero, etſi nunc quidem editione quorundam librorum mediocriter occupatus ſum. Pro *Eſoce* gratias ago C. V. etſi ego quidem nec piſcium, nec aliorum animantium carne delector, eâq; in re facilè potuiſſem *Pythagoricos* ritus ſervare. Nunc ſervo utcunq; *Pythago-* C *ricam* ἐχεμυθίαν. Bene valeat Celſ. V. Die XX. Martii, quo ante annos M. D. XIV. Filius Dei triumphali pompâ urbem *Solymorum* ingreſſus eſt, & puerorum clamores approbat, inquiens, *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.*

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime & clementiſſime Princeps, Etſi in itinere non longa intervalla habuimus, quibus Ep. 213.
D ſcribere aliquid poſſemus: tamen concionem dulciſſimam de Sycomoro ſcripſiſſem, ſi diem mihi C. V. nominâſſet, qui concionis ejus eſſet proprius. Sed ſcribam aliâs. Epiſtolam ad *Atrebatenſem* adferet Doctor *Forſterus*. Scripſi in itinere *Miſnenſi* propoſitiones *Lipſiæ* diſputandas, quæ doctrinam utilem continent, & teſtabuntur apud vicinos, & alibi, vocem doctrinæ Euangelii incorruptam in Eccleſiis & ſcholis noſtris ſonare: In Eccleſia *Berlinenſi* certamina ſunt de peccato
E Originis in Virgine *Maria*. Ejus loci concionatores etiam ad concordiam hortati ſumus. De *Sidonio* narrat mihi quidam noſter auditor, in Comitatu *Naſſaenſi* cum vidiſſet *Sidonius* ſolitudinem in templis, et paſtores conſtanter affirmarent, ſe miniſterium prorſus omiſſuros eſſe, ſi non poſſent eo fungi ut antea: permiſiſſe ut rurſus doceant, et Cœnam Domini adminiſtrent priore more, qui ibi hactenus in uſu fuit. Vidi autem illas Eccleſias prorſus congruere cum noſtris. Sed addidit *Si-*
F *donius*, tantiſper ſe hoc concedere, donec alia mandata mittantur. Exiſtimo differri has deliberationes ad conventum Imperii. Nam omnino multorum opinio eſt, Imp. brevi indicturum eſſe conventum maximorum negotiorum cauſa, de quibus certiora fortaſſis habet C. V. quàm ego ſcribere poſſum. Nos Filio Dei commendemus Eccleſiam, et nos miſeros, qui tamen ſumus Eccleſiæ cives, de qua dicit Deus: *Ego feci vos, ego geſtabo vos. Nos lutum ſumus*, ô æterne Deus, ſicut
G apud *Eſaiam* inquit Eccleſia. Mitto C. V. orationem de *Crucigero*. Benè valeat C. V. XIX. Septemb. M. D. XLIX.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime, et Reverendiſſime Princeps, Quod Ep. 214.
fauſtum et felix ſit, iter ingreſſus ſum, ac

ſpero me cras *Ienam* acceſſurum eſſe. Si de me privatim cogitarem, facillima mihi deliberatio eſſet. Redirem enim in patriam, quæ naſcentem primum excepit. Nunc mihi patria eſt, ubicunq; ille cœtus eſt virorum doctiſſimorum, & integerrimorum, in quo vixi tot jam annos, quorum operâ literæ in his regionibus latè ſparſæ ſunt. Deus confirmet quod operatus eſt, propter templum ſanctum ſuum. Ubi ad C. V. venero, ſcribam ad Inclytum Ducem *Saxoniæ* Electorem. Bene feliciter valeat C. V. Die XII. Julii, *Wimariæ*.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 215. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps. De publica abſolutione collocuti ſumus D. Doctor *Georgius*, & ego. Ac utilius viſum eſt, ſæpe hortari auditores, ut privatam petant. Scriptum eſt enim, *Si petet, remitto ei.* Ac *Norinbergæ* vidimus exemplum, pauciores petunt privatam, cùm recitetur publica. Sed de hac tota re iterum deliberari diligentiùs poterit. Fuit nobiſcum paſtor Eccleſiæ *Coſvicenſis*, modeſtus & probus vir, qui ait, niſi acceſſio aliqua ad ſtipendium fiat, nec ſe, nec alium paſtorem, etiam frugalem, poſſe ibi manere. Hactenus ſe officiis præfecti mortui interdum adjutum eſſe. Cùm autem in eo loco multi fuerint Eccleſiaſtici reditus, quæſo ut C. V. ſcribat Illuſtriſſimo Principi *Wolfgango*, ut addi mediocrem acceſſionem, ſeu frumenti & lignorum, ſeu pecuniæ, curet. Scit C. V. potuiſſe hoc fieri antea ſatis commodè. Nunc accidit quod dicitur, *Quod non tollit Chriſtus, tollit fiſcus.* Vidimus ſumptuoſiſſimos fuiſſe Principes noſtros in rebus inutilibus, & parciſſimos in Eccleſiis & ſtudiis fovendis. Nunc commonefacti pœnâ, utinam ſint liberaliores erga Eccleſiam. Bene valeat C. V. Die XX. Octob.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 216. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Ago gratias Deo conditori, æterno Patri Domini noſtri *Ieſu Chriſti*, quòd incolumes vos reduxit, & eum oro, ut ſervet C. V. & fratrem diu ad Eccleſiæ utilitatem. Meminit C. V. voluiſſe ſe, ut in *Latinam* linguam verterentur formæ Liturgiæ *Græcarum* Eccleſiarum. Venit igitur interpres, doctus & modeſtus vir, Magiſter *Cnumanus*, ad C. V. & exhibebit interpretationem. Sunt addita dicta ſuperſtitioſa in his libellis *Græcis* qui extant, quæ non erant in exemplari manuſcripto, quod miſerat *Ianus Laſcaris* Duci *Friderico Saxoniæ*. Nec dubium eſt, & *Græcos* paulatim à ſincera antiquitate diſceſſiſſe. Scit C. V. pulſos eſſe ex *Auguſta*, & aliis quibuſdam urbibus *Suevicis* paſtores. Si hoc exemplum proferetur in has regiones, magnæ diſſipationes futuræ ſunt, quas Deus avertat. Bene & feliciter valeat C. V. Die natali *Mariæ* Virginis matris *Chriſti*.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 217. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Inſtitui propoſitiones, quæ complectentur ſummam doctrinæ Eccleſiæ Dei, in quibus & *Oſiandri* errorem refutabo. Oro autem filium Dei, ut ipſe nos regat. Accidit ante reditum C. V. ex thermis, ut petierint quidam à me literas, ad Illuſtriſſimos Principes *Aſcanios*, agnatos veſtros, de gubernatione Eccleſiæ, quæ nominatur ad S. *Bartholomæum* in oppido *Cervoſtæ*. Commendavi igitur ei virum optimum, cognatum paſtoris *Birnenſis*, Magiſtrum *Chriſtophorum Funk Birnenſem*. Hunc etiam C. V. commendo. Audivit eum Eccleſia *Cerveſtenſis*, & approbat. Ac ſcio eruditum, & modeſtum & pium eſſe. Et habet conjugem modeſtiſſimam, & filiolam, & nunc ſumptus in Academia diutiùs non habet. Non dubito C. V. ſi noviſſet hunc virum, libenter ei benefacturam eſſe. Leniamus dolores bonis hominibus hoc tam triſti tempore, quantum Deus concedit, ſicut ſcio C. V. affici aliorum ærumnis. Bene valeat C. V. Die XI. Septemb.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime, & Reverendiſſime Princeps, Etſi multæ me cauſæ hic pene alligant, tamen & ipſe avidus ſum colloquii veſtri, & morem vobis gerere cupio. Conduxi igitur aurigam, & cras, Deo juvante, cum Doctore *Forſtero* ad vos veniam. Adſunt nobiſcum duo concionatores *Auguſtani*, pulſi ex *Auguſta*. Alii *Angliam* petunt: hi de *Dania* cogitant. Ita ſemper ſunt uſitata Eccleſiæ exilia, ut de primo exilio primorum parentum, & de exilio Filii Dei expetamus æternam patriam. Adſunt etiam concionatores miſſi ex *Anſpach*, ut inſpiciant confeſſionem. Bene & feliciter valeant C. V. & frater C. V. Deus Eccleſiam, & nos in Eccleſia ſervet, & non ſinat fieri majores diſſipationes. Datæ die XII. Septemb. Ep. 218.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Heri *Lipſiam* veni vocatus *Dreſdam*, quo exiſtimabam & C. V. & Doctorem *Pfeffingerum*, & D. *Ioachimum* accerſitos eſſe. Sed hi nulla mandata acceperunt de itinere. Miror quid negotii ſit, ad quod me unum domo extrahant. Et hi flatus ventorum mihi ſolicitudinem augent. Sed oro Deum æternum Patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti*, conditorem Eccleſiæ ſuæ, ut nos regat. In Academia utraq; Dei beneficio, & florent literarum ſtudia, & eduntur libri pleni eruditione, & utiles moribus, non ſycophantici, ſimiles editionum *Maideburgenſium*. Mitto C. V. exemplum diſputationis proximæ. In *Rhenanis* urbibus opinio multorum eſt, Imp. *Argentinam* venturum eſſe. Rex *Ferdinandus* duos *Italicos* Epiſcopos miſit in oppida *Metallica Pannoniæ* ad turbandas Eccleſias, in quibus ſonat vox Euangelii. Sed conſenſu communi, confeſſio eis exhibita eſt, & denunciatum, ne hunc conſenſum Eccleſiæ turbarent; ita illi rurſus diſceſſerunt. Bene & feliciter valeat C. V. Die XVI. Novemb. quo ante annum *Caſpar Cruciger* ex hac miſera vita ad cœleſtem Eccleſiam deceſſit. Ep. 219.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime Princeps. Heſterna lectio Euangelii, & miſerias ac ingentes confuſiones hujus ſenectæ deſcribit, quarum molem nunc multi ſentiunt, ſimul autem addit conſolationem. Ep. 220

Non

Non dubitemus Deum hæc onera nobis mitigatu-
rum eſſe invocantibus eum, & ducem noſtrum Fi-
lium Dei, natum ex virgine *Maria* ſervaturum re-
liquias Eccleſiæ. Res nos cogit fateri, non humanis
conſiliis vel præſidiis Eccleſiam ſervari, ſed invo-
catio tamen neceſſaria eſt, & mediocris diligentia
in conſervanda doctrina. Et in 9. cap. *Ezechielus*
cum in templo trucidantur idolorum defenſores,
Deus jubet parci gementibus propter Eccleſiæ
calamitates, qui quidem ſanare mala publica non
poterant, ſed gemitu confeſſionem oſtendebant.
Talibus infirmis & gementibus jubet parci. Spere-
mus igitur & nos auxilium, qui etſi ſumus infirmi,
& tollere publica mala non poſſumus: tamen cer-
tè gemitus noſtri Deo & Eccleſiæ noti ſunt. Con-
cionem ſcribam, etſi proximo annò ſcriptam re-
petere non eſt inutile. & ego ſcribens idem argu-
mentum recitabo. Sæpe cogito dictum D. Docto-
ris *Hieronymi Schurffii*, qui dicit ſic mutatam eſſe
& corruptam Eccleſiæ doctrinam, quia conciona-
tores exiſtimârunt glorioſum eſſe, non repetere ea-
dem, ſed alia & nova adferre redeuntibus iiſdem
feſtis. Filius Dei Dominus noſter *Ieſus Chriſtus*
natus ex virgine ſervet & regat C. V. Datæ die
nono Decembris.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 221. ILluſtriſſime Princeps. Aula decrevit Regi *Ferdi-
nando* mittere exemplum ejus libri, quem C.
V. de ritibus Eccleſiarum collegit. Sed vult à C.
V. & à me & D. *Ioachimo* relegi. Hanc ob cauſam
decrevi ad C. V. in proximis nundinis accedere, id
tempus judicavi certis de cauſis, huic labori magis
idoneum eſſe. Ideo autem C. V. jam hæc ſignifico
ut C. V. mihi clementer ſcribat, an tunc ei relecti-
oni vacatura ſit. Multa alia coram, Deo juvante,
exponam. Dominus noſter *Ieſus Chriſtus*, qui co-
pulata ſibi humana natura teſtatus eſt ſibi veriſſi-
mè curæ eſſe humanū genus, & ſe veriſſimè nobis
opitulaturum eſſe, nobis adſit. Hac nos ſpe conſole-
mur, & hæc ſpes non confundit. Datæ X. Decemb.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 222. ILluſtriſſime Princeps, Ut in *Pſalmo* dicitur:
Pſallam Deo meo quam diu fuero, ita nos donec
poſſumus, fideliter propagemus Euangelii vocem,
ſive imperia tranquilla ſint ſive turbulenta. Con-
ciunculas C. V. redditas eſſe gaudeo, quas ſcio qui-
dem procul abeſſe ab amplitudine argumenti, ſed
tamen cum res veras & neceſſarias contineant,
ſpero eas piis judiciis probari. Faciamus deinceps,
quod feci antea, ubi potero, illuſtrabo doctrinam
neceſſariam, & pios ad concordiam hortabor.
Principum conſiliis non adhibeor. & propter ſtu-
dium veritatis & pacis in aſſiduis periculis ſum an-
nos jam 15. Si tamen poſſem aliquos ad mode-
rationem flectere non deeſſem occaſioni. Verùm
initiis occurrendum ſuit. Qui Principē juvenem
armârint contra patriam non valde obſcurum eſt,
quorum voluntas quæ ſit erga Eccleſiam etiam
ſcio. Quare cum nunc humanis conſiliis tantum
incendium extingui vix poſſe videatur: Deum
æternum Patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti* oro
veris & aſſiduis gemitibus, ut alii multi, ut piam
& ſalutarem pacem reſtituat. *Macedonem* arbitror
& deſperatione & ſato quodam impediri, nè de

A pace inter cognatos agat. ſed ſi velim hic recenſere
querelas, longam Iliada ſcriberem. *Turcici* exer-
citus recentes in *Pannoniam* veniſſe dicuntur. Ac-
cedet igitur ad civile incendium etiam externum
bellū. Inter hæc mala tamen ſervabit Deus Eccle-
ſiam, non arcu & gladio noſtro, ſed in Deo noſtro
יהוה ut verbis Prophetæ utar. Bene valeat C. V.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

B ILluſtriſſime Princeps, Judico C. V. rectè face- *Ep.* 223.
re quòd non proficiſcitur ad electionem *Myſ-
nenſis* Epiſcopi. Et tranquillitati veſtræ id ac-
commodatius eſt. Optandum certè eſſet in illis
ipſis ſedibus Epiſcopos, qui fideles doctrinæ in-
corruptæ cuſtodes eſſent, præeſſe, qui petulantiam
malorum ingeniorum coercerent. Nam hæc
ἀναρχία ad poſteritatem magnas diſſipationes fa-
ctura eſt. Contentio de linea veſte non magni
C momenti eſt, ſed ex *Pruſſia* jam nobis bella indi-
cuntur de rebus graviſſimis, ut coram narrabo.
Sed nec inquirunt nec amant veritatem Centauri
illi in collegiis Canonicorum, nec gloriæ Dei nec
Eccleſiæ ſaluti conſulere cupiunt. Regna appe-
tunt & vi ſtabilire conantur. Interdum & Sophi-
ſticæ præſidiis utuntur. Oremus autem Filium
Dei ut ipſe opem ferat Eccleſiis. Ego multò ante
ex his locis diſceſſiſſem, niſi majores diſſipationes
metuiſſem. Veniam autem poſt paucos dies ad
C. V. Adhuc enim retineor quadam ſpecie officii,
D quod D. *Benedicto* præſtandum eſt, cujus gener
hodie ornabitur gradu Doctorum. Proxima ſepti-
mana D. *Lutheri* vidua *Lipſia* coram Præfecto de
ſui prædii ſervitute quædam aget, quæ me vult
adeſſe. Inde ad C. V. proficiſcar. Mittò C. V. ex-
emplum concionis veſtræ hic editæ, ſed ſine ti-
tulo. Adeò avidè empta eſt, ut nunc Typographus
recudere velit. Fortaſſis augebo primam partem
de æterna Filii generatione. Cæteræ pagellæ e-
tiam oſtendunt, hic ſtudia Dei beneficio medio-
E cria eſſe. Bene & feliciter valeat C. V. die XIII.
Januarii.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime Princeps, Veni *Lipſiam*, ubi unà *Ep.* 224.
cum Domino *Ioachimo* relego librum, ut pa-
ratior ad C. V. veniam. Sed nunc hac ſeptimana
ad C. V. non poſſum proficiſci, quia neceſſe eſt me
mox redire *Witebergam* propter D. Doctorem *Be-
F nedictum*, cujus gener ornabitur gradu Docto-
rum, & ad renunciationem gradus me quædam
ſcribere oportet: ſtatim autem poſt eam renun-
ciationem ad C. V. veniam, ubi intellexero C. V.
eſſe in *Mersburg*. Non arbitror ituram eſſe C. V.
ad electionem Epiſcopi *Myſnenſis*, & oro ut mihi
C. V. poſt octiduum ſignificet, quo tempore iſtuc
me venire velit. Periculoſè ſunt hæ mutilationes
ſcriptæ, ut videbit C. V. Sed hæc coràm. Bene &
feliciter valeat C. V. cui Dei Filius Dominus no-
G ſter *Ieſus Chriſtus*, annum fauſtum & felicem tri-
buat. *Data Lipſia* pridie diei. quo memoria Ba-
ptiſmi Filii Dei celebratur.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime Princeps, Quales ſunt jam fluctus *Ep.* 225.
& *Euripi* undarum, tales ſunt æſtus etiam in

 animis

animis bonorum, qui & publicis & privatis curis & doloribus excruciantur. Ego etiam inter publicas ſolicitudines, ſæpe de veſtris doloribus cogito, & Filium Dei oro, ut ipſe & publicos motus ſedare, & lenire privatas ærumnas velit. Ipſe eſt enim cuſtos generis humani contra furores Diabolorum. Ipſe eſt umbraculum quo ærumnoſa Eccleſia tegitur inter tanta pericula. Rurſus ad C. V. venit pater captivi Medici, & paterno dolori venia danda eſt. Exiſtimo graves cauſas eſſe jam poſt fugam Dominæ cur captivus retineatur. Sed auram ſpei mœſtus pater expectat, qui hactenus pene extinctus eſt dolore. Oro igitur ut C. V. clementer ei reſpondeat. Bene & feliciter valeat C. V. Die IX. Martii.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 226. ILluſtriſſime Princeps, Veni *Lipſiam*, ut cum viro optimo D. *Ioachimo Camerario Cygneam* proficiſcar, ad deliberationem de ſchola ejus urbis. Eccleſiam etiam Filius Dei inter ruinas imperiorum ſervabit. Hanc conſolationem nequaquam excuti nobis ſinamus, & hac nos voce Filii Dei ſuſtentemus, in qua dicit, *Nemo rapiet oves meas ex manu mea.* Itaque ſtudia literarum quantum Deus concedit, adjuvemus. Mitto C. V. exempla diſputationis D. *Paſtoris* Eccleſiæ *Lipſicæ.* Tales editiones & erudiunt lectorem, & apud homines mediocres, refutant ſycophantias vicinorum, qui profectò nimium ſuâ libertate abutuntur. Oro autem Filium Dei, Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, ut Eccleſiam ſibi in his regionibus ſemper colligat, & in ea C. V. & nos ſervet ac regat. *Lipſiæ* die XXI. Martii.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 227. ILluſtriſſime Princeps, Teneamus hanc conſolationem, quam lectio Evangelii de bono paſtore, quæ cras recitatur, nobis proponit: ſciamus nos curæ eſſe huic paſtori Filio Dei Domino noſtro *Jeſu Chriſto* crucifixo pro nobis & reſuſcitato, hic inquit, *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* Etſi igitur latrocinium horrendum exercent Diaboli rabioſius jam furentes, quia ſciunt brevi judicium fore, in quo palam fiet ipſorum turpitudo: tamen petamus & expectemus conſervationem Eccleſiæ a Filio Dei. Iterum jam iſtuc venit meus gener, ut reverenter fiat ſupplex de captivo Medico. Oro ut veniam detis ſupplicanti propter ſummum dolorem ſenis parentis. Deus adſit C. V. Poſt mercatum *Lipſicum* Deo juvante veniam ad C. V. Bene & feliciter valeat C. V. Die XI. Aprilis.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 228. ILluſtriſſime Princeps, Hic adoleſcens, *Laurentius Zeling*, natus eſt in ditione C. V. in pago *Hecking*, ubi Monaſterium eſſe narrat. Parentes habet honeſtos, & multos fratres & ſorores. Et ipſius adoleſcentis modeſtia laudatur à viro doctiſſimo D. *Plateano*, qui nunc gubernat Eccleſiam in urbe veteri *Aſcania*, quam judico eſſe primam nobiliſſimæ familiæ veſtræ ſedem. Petit autem adoleſcens ex Monaſterio Eleemoſynam ad ſtudia colenda. Scio quæ onera C. V. ſuſtineat. Et quod ad me attinet, ſtudioſè parco Principibus, ac dolore afficior propter bonorum Principum difficultates varias, ac Deum oro ut eas mitiget. Sed tamen ſpero huic pauperi ſcholaſtico a C. V. aliquid ex Monaſterii reditibus, ad ſtudia ſuppeditari poſſe. Et quia natus eſt in eo loco, qui jam proprie attributus eſt C. V., quæ paterno affectu ſubditos complectitur: oro reverenter ut C. V. aliquid ei dari curet. Mitto C. V. paginas de Paſchate, cujus lectionem ſpero C. V. gratam fore. Bene & feliciter valeat C. V. Die Paſchatos.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 229. ILluſtriſſime Princeps, Hac nocte inter gemitus & vota ſcripſi orationem de dicto, *Pater ſanctifica eos in veritate, ſermo tuus eſt veritas.* Sæpe enim multumque cogito illam ardentiſſimam precationẽ Filii Dei, in qua & pro nobis ipſe precatur, & nos invitat ad precandum. Mitto autem pagellas ejus orationis, & rogo ut C. V. boni conſulat, & mihi pauciſſimis verbis reſcribi curet, ut ſciam an C. V. has pagellas acceperit. De conventu *Auguſtano*, aiunt moram incidere, quia Imperator valetudine retinetur in *Belgico.* Nondum etiam arbitror venturum eſſe *Sidonium* ad veſtrum ovile; vinum quod miſit, bibent fortaſſis alii hoſpites. Heri ex *Brema* literas accepi, ubi tranquillitas & ſilentium eſt. Et recens, pars *Friſia* domui *Burgundicæ* adjuncta, dedit uſitatum Juſjurandum filio Imperatoris. *Cigbrum* periculosè ægrotare audio. Et accederem mox ad eum, niſi filiæ nuptiæ retinerent. Bene valeat C. V. Die XXVI. Maii.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 230. ILluſtriſſime Princeps, Etſi ſpero C. V. accepiſſe pagellas quas miſi, dedi tamen & huic nuncio exemplum, & C. V. oro, ut boni conſulat brevitatem ſcripti, qua ſum uſus, non ſolum propter imbecillitatem mei ingenii, ſed etiam quia recitatio longa C. V. difficilis eſt. Sed materia profectò ſplendidiſſima eſt, & angelorum eloquentiam ſuperans. Spero etiam conſolationem quam continet, C. V. gratam fore. Utinam tales materiæ ſæpe repetantur ubique. De *Sidonio* & aliorum vicinorum Epiſcoporum conſiliis nunc nihil ſcribam. Spero Filium Dei qui nos docet & gubernat, etiam deinceps nobis adfuturum eſſe, & ut nos Spiritu ſuo ſancto regat, & foveat Eccleſias harum regionum, nec ſinat extingui pia ſtudia toto pectore oro. Virum doctum & honeſtum *Johannem Aurifabrum* mittimus in Academiam *Roſtochianam*, ut ibi fiat lector Theologicus. Bene valeat C. V. Die XXVIII. Maii.

D. Georgiò Principi in Anhalt S. D.

Ep. 231. ILluſtriſſime Princeps, Certiſſimum eſt, homines non ſolis naturæ viribus vivere, ſed Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, cum Filio & Spiritu ſancto, conditorem generis humani, vitæ noſtræ fontem & conſervatorem eſſe, ſicut ſcriptum eſt: *In ipſo vivimus, movemur & ſumus.* Ab hoc petamus & corporis & animi vires;

&

& hunc oro, ut C. V. gubernet & ſervet incolumem. Nuvas ſolicitudines adferent C. V. & *Auguſtana* comitia, & adventus exulum comitum in hanc viciniam. Sed hæc pericula etiam Filio Dei commendemus, & petamus ab eo mœſtiſſimis Eccleſiis auxilium. Hodie literas accepi ſcriptas in regione ad *Rhenum*, quæ narrant, quàm futilis fuerit inſpectio facta ibi à *Sidonio*, qualia juramenta propoſuerit, quæ tamen non admiſſa ſunt. Mitto C. V. pagellas orationis & diſputationis, & addidi orationi C. V. *Pſalmum* à *Stegelio* dulciſſimè redditum. Bene valeat C. V. Datæ die XVI. Januarii.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 232. ILluſtriſſime Princeps, Celſitudini V. mitto concionem ſubito ſcriptam & brevem, quæ conſolationem continet huic tempori accommodatam, Dixi de dicto, *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* Quâ ſententiâ certamen ſignificatur ingens, & tamen defenſio clementiſſime promittitur. Mitto & orationem *Georgii Majoris*, quam vellem C. V. legere, quia contra eos ſcripta eſt, qui de externo miniſterio Euangelii non rectè ſentiunt. Addidi & alias pagellas, & quæſo ut C. V. mihi jubeat ſcribi, an faſciculus paginarum redditus ſit, & ſi qua habet hiſtorica de bello *Saxonico*. Mihi non ſunt nota Principum conſilia, nec ſcire opto: ſed irritare *Saxonicam* gentem periculum non parvum eſſe judico. Filium Dei oro, ut mitiget pœnam nobis gementibus & eum invocantibus. Bene & feliciter valeat C. V. XII. Octobris.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 233. ILluſtriſſime Princeps, Meminit C. V. proximæ concionis de ſaucio, qui ex urbe *Hieroſolyma* iter fecit ad *Jerichuntem*. Talis ſemper eſt Eccleſia miſera & lacerata. Et oremus ut veniat *Samaritanus*, quem ibi vidit ſtantem in ſcala *Iacob*, & ſanet nos ſaucios. Refutare me *Flacii* mendacia neceſſe eſt. Nunquam dixi, nunquam ſcripſi, nunquam cogitavi, quod ait me dicere *ἀκεσολογίας ϗ ματαιολογίας* eſſe, hanc propoſitionem, *Sola fide juſtificamur*. Meis ſcriptis hæc propoſitio declarata eſt, & de excluſiva accuratè ſemper locutus ſum, & quidem diligentius quàm alii. Quod C. V. ſcribit multos moveri illorum calumniis, uſitatum eſt delectari multos mendaciis, præſertim cum homines profani plurimi ſint, qui non veritatem, ſed licentiam confirmari volunt. Ego exilia aut mortem faciliùs feram, quam hæc viperarum venena, quæ tamen potero, ſi ero alibi, & ſi vivam, depellere. Fuit mea voluntas, fovere harum Eccleſiarum ſtatum, & adhuc oro Deum, ut me juvet. Sed feram quicquid accidet. Bene & feliciter valeat C. V. Die ſeptimo Septemb.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 234. ILluſtriſſime Princeps, Etſi optarim non eſſe irritatam nationem impatientem ſervitutis: tamen quicunque eventus erunt, melius eſt nos non fuiſſe Tubas belli civilis, quod vaſtitatem horrendam minitatur. Nec verò frangamur animis, ſed fugiamus ad Filium Dei cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, qui ſervabit nos etiam deſertos ab omnibus humanis præſidiis, imò trucidari malo quam ſtipatus exercitu vel *Hiſpanico*, vel *Baltico*, vagari per has regiones. ut jam aliqui ſomniant nova imperia. Bene & feliciciter valeat C. V. Die XV. Novemb.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime Princeps, Toto pectore ipſum Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, qui eſt *Emmanuel* & angelus magni conſilii, oro, ut in nobis accendat conſiderationem & admirationem hujus mirandi fœderis, quod facit nobiſcum adſumptâ humanâ naturâ, & exuſcitet nos ad gratiarum actionem, & celebrationem ingentium beneficiorum ſuorum. & ſervet has Eccleſias. Ipſe Filius Dei *Pſalm.* 2. inquit, prædicabo de præcepto: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu.* Vult igitur ſonare hanc concionem in genere humano. Quare & ſperemus eum ſervaturum eſſe Eccleſias. in quibus hæc doctrina proponitur, & petamus ut nos regat. Scripſi tenuem conciunculam, deplorans & meam & totius generis humani duritiem, quod tanti operis divini conſideratione non ardentiùs adficimur. Fortaſſis aliæ conciones ante aliquot annos ſcriptæ ſunt longiores, ſed C. V. ſuo judicio ſtatuet, an hac aut aliis formis uti volet: Materia certè pia eſt, & conveniens huic argumento. C. V. mitto pagellam diſputationis de Jubilæo, & opto ut hic annus ſit verè Jubilæus, adferens mitigationem calamitatum publicarum, & ſit C. V. fauſtus & felix. Datæ XX. Decemb. *Ep. 235.*

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime Princeps, Vetus dictum eſt *Periclis*, qui multas difficultates vicit contando, *Tempus eſt ſapientiſſimus conſiliarius.* Paulò pòſt *Saxonici* motus, parva ſophiſmata *Sidonii* duriter refutabunt. Etſi enim ſemper optavi & adhuc opto pacem, nobis omnibus neceſſariam: tamen videt C. V. quanta ſint animorum incendia. Et ſemel mota *Saxonia*, non citò ſedari poterit. De quæſtione C. V. reſpondi in pagina, quam huic epiſtolæ incluſi. De *Saxonicis* apparatibus habemus narrationes veriſimiles. Majus periculum eſt, quam aulæ æſtimant. Sed oro Filium Dei ut ipſe nos gubernet & protegat, pro ſuo immenſo amore erga genus humanum, quem declaravit aſſumptâ naturâ noſtrâ, & factâ deprecatione pro nobis, & derivatâ in ſe horribili pœnâ. Te Fili Dei Domine *Ieſu Chriſte Emmanuel* crucifixe pro nobis & reſuſcitate, toto pectore oro, nè ſinas nos perire, ſed tuâ potenti dextrâ nos ſuſtentes, & Spiritu tuo ſancto nos regas. Bene & feliciter valeat C. V. Die VII. Septemb. *Ep. 236.*

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

VTinam Deus det poſteritati ſapientes, bonos, juſtos, fortes, & felices Principes, quia profectò magna rerum humanarum mutatio impendet. Sed ut *Aſcanii* veſtri diu divinitùs ſervati ſunt, & virtute multis antecelluerunt: ita opto ut perpetuò ſerventur & virtute aliis antecellant. De præceptore ſæpe mecum locutus eſt *Ep. 237.*

vir

vir optimus D. *Georgius Forchemius*, & ſperabam
coram nos ea de re collocuturos eſſe. Nunc autem
literas dedi huic M. *Chriſtophoro Budiſſenſi*, mo-
deſto & docto viro, qui, ſi ejus operâ uti C.V. vo-
luerit, pollicetur ſummam fidem & diligentiam.
Quare eum C. V. commendo. Mitto C. V. exi-
guum libellum, ſed tamen in *Ambroſiana* ora-
tione continentem jucundam & eruditam diſpu-
tationem contra Ethnicos. Bene & feliciter va-
leat C. V. Die XXV. Auguſti.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 238. ILluſtriſſime Princeps, Die X. Januarii & ego
literas C. V. accepi, & exhibui Reverendis vi-
ris D. *Paſtori* & D. *Aleſio* faſciculum ad ipſos miſ-
ſum. Die XIII. Januarii iter, quod fauſtum & fe-
lix ſit, ingreſſuri ſumus. De publicis negotiis tan-
tum hæc audio: Electorem Ducem *Saxoniæ* pro-
fecturum eſſe ad Imperatorem. Oro autem Fi-
lium Dei Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, ut
conſilia illa gubernet. *Venetos* aiunt tranſitum
Turcis concedere in *Auſtriam* per *Forum Iulium*.
Hæc fiunt *Gallicis* machinationibus, nec dubito,
poſt irruptiones *Turcicas* brevi ſecuturum eſſe il-
lum lætiſſimum diem, in quo Filius Dei reſuſcita-
tis mortuis oſtendet triumphum ſuæ Eccleſiæ uni-
verſo generi humano. Interea in his ſæviſſimis
ruinis imperiorum nos ſuſtentemus hac conſola-
tione, quam Filius Dei propoſuit, inquiens, *Ora-
te, ut poſſitis effugere futura mala*. Scribit mihi *Pau-
lus Eberus Witebergæ* his diebus fuiſſe *Stancarum*,
qui eò librum attulit ſcriptum contra *Oſiandrum*,
ſed vellem nos non accendere controverſias, ideo
ſcripſi moderatiſſimam reſponſionem, etiamſi me
deridebit. Literas *Eberi* mitto C. V. Nunc *Lip-
ſiam* venit *Lazarus* ad quem vocati ſumus, de cu-
jus ſermonibus plura ſcribam Celſitudini Ve-
ſtræ, aut certè ſignificabit D. *Joachimus*, Ego
quoties potero ſcribam D. *Joachimo*, qui lite-
ras noſtras C. V. mittet. Filius Dei Dominus
noſter *Jeſus Chriſtus* adſit nobis omnibus. Be-
ne & feliciter valeat C. V. Die decimo Ja-
nuarii.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 239. ILluſtriſſime Princeps, Memini dolores veſtros,
quos graviſſimâ oratione & crebris gemitibus
ſignificâſtis, cum de belli initiis colloqueremur, &
meminiſſe vos ſcio meam mœſtitiam. Nunc poſt-
quam hæc ſeu errore ſeu fato mota ſunt, quid a-
liud poſſumus, quàm ut Filium Dei oremus, ut ſe-
datis tantis fluctibus cymbam ſuam ſervet. Et
multorum gemitus & vota hoc petere non dubi-
to, quæ certè Filius Dei exaudiet. Credo ſapien-
ter & fideliter conſuluiſſe ipſi Principi diſſuaſores
belli. De conventu in *Paſſaw*, de *Noribergæ* & de
Carolo Imperatore ſcripſi in pagella quam addidi,
ea quæ recèns audivimus. Concionum C. V. ex-
empla aliquot dedi aliis, ubi etiam prodeſſe Ec-
cleſiis judicabam. Liber *Mekelburgenſis* nondum
eſt finitus, ſed pauca reſtant, mitto igitur medias
paginas, de Ordinationis ritu & de Viſitatione.
Mitto & carmen de promotione Magiſtrorum.
Plura nunc non habebam. De receſſu ad *Torgam*,
ſcribam cum eò venero. Nam hic me adhuc mul-
ta negotia retinent. Filium Dei Dominum no-
A ſtrum *Jeſum Chriſtum* oro, ut C. V. & Illuſtriſſi-
mum Principem *Joachimum* & has regiones pro-
tegat, & nos omnes regat. De ſcripto conciona-
torum *Marchionis Johannis* ago gratias C. V. Sunt
autem huc allata multa exempla & publicè ven-
duntur. Bene valeat C. V. Die XXX. Junii.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Etſi in Ep. 240.
B tantis Imperiorum confuſionibus, ſperari nè
quidem *Germanicorum* Principum & Epiſcopo-
rum communis deliberatio poteſt, ſeu ut nomi-
nant, Synodus Nationalis: tamen optandum eſt,
ut hæ vicinæ Eccleſiæ aliquando conveniant, ac
ſæpe cogito Deum hanc ipſam ob cauſam his re-
gionibus aliqua daturum eſſe Halcyonia, ut hi qui
præſunt Eccleſiis convenire poſſint. Nunc in his
tumultibus animi docentium ita ſunt exulcerati
ſuſpicionibus, odiis, ſtudiis factionum, ut conve-
C nire multi non poſſint. Nos igitur majore curâ
conjunctionem tueamur. Scriptum eſt ad me *Oſi-
andrum* quærere locum in *Anglia*. Eſt enim ei
adfinis *Cantuarienſis*, cui in conventu *Noribergenſi*
cognatam dedit uxorem. Sed audio quoſdam do-
ctos & præcipuæ autoritatis viros hortatores eſſe,
nè in *Angliam* accerſatur, cum tantum chaos no-
varum opinionum ſpargere in Eccleſiis cœperit.
Cras Deo juvante *Lipſiam* profecturus ſum ad D.
Joachimum, ut inde adveham *Juſtinum*. Bene
D & feliciter valeat C. Veſtræ frater. Die duodeci-
mo Auguſti.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime Princeps, Ante biduum cum hac Ep. 241.
iter faceret Illuſtriſſimus Dux *Saxoniæ* Elector,
multa honeſtè de Eccleſiis locutus eſt, quæ coram
recitabo, quam primum C. V. in *Deſſam* redie-
rit. Narrabat etiam ſeſſionem Synodi cui fuerat
E conſtitutus dies duodecimus Octobris, proroga-
tam eſſe ad viceſimum diem Januarii. Etſi talis
erit decretorum abſurditas, ut autoritas eorum
levis futura ſit: tamen facilè patior talibus proro-
gationibus potiùs illos Synodi gubernatores lu-
dere, quàm decreta condere, quæ paritura eſſent
plus tumultuum. Sed hæc coràm. Hic adoleſcens
Henricus Geſſingerus, filius paſtoris Eccleſiæ in
templo S. *Bartholomæi* in oppido *Cervesta*, petivit
à Senatu *Cerveſtenſi* auxilium ad ſtudia, ſicut mos
F eſt ibi aliquibus pauperibus ferre opem, collatione
ſtipendiorum ut nominant. Habet aliquid ſpei
adoleſcens; ut omnes quæ volumus libenter ſpe-
ramus. Sed tamen ſi commendatio ei C. V. pro-
deſſe poteſt, oro ut ſenatui de eo ſcribat. Bonum
ingenium eſt, & eſt orphanus, & habet fratres
quinque & ſorores duas. Tali familiæ benefacere
pium eſt. Dubitabam an C.V. legiſſet *Menii* ſcri-
ptum contra Anabaptiſtas. Judico eſſe valde di-
gnum lectu, & eruditè & rectè ſcriptum, ideo
mitto C.V. Bene & feliciter valeat C. V. Die III.
G Novembris.

D. Georgio Principi in Anhalt S.D.

ILluſtriſſime Princeps, Opto ut iter viro inte- Ep. 242.
gerrimo D. *Forſtero* ſit fauſtum & felix, quem
quidem expatiari jam ad C. V. utile eſt, ut ſer-
monibus

monibus C. V. leniatur ei dolor, quo propter filiæ maximæ natu mortem adficitur, in qua erant multæ egregiæ dotes animi & corporis. Eſtque patris mœſtitia eo major, quia filiæ morbus à mœrore ortus fuit, quo excruciabatur propter mariti ἀπραγίαν & mores inutiles patrifamilias. Hæc ſcire C. V. volui, ut miſcere conſolationes aliis ſermonibus ſtudeat. De publicis negotiis ea quæ habemus de Ducis *Pruſſiaci* literis ad Principes & civitates miſſis, & de *Pannonia* recenſebit D. *Forſterus*. Prodeſſet unam reſponſionem ab his vicinis Principibus mitti ad Ducem *Pruſſiæ*. Id ſcripſi ad *Bucholcerum*. Noſtra aula nobis nondum miſit *Pruſſiacas* literas: Et fortaſſis occupata eſt aliis curis, quas utinam Deus regat. Vellem & C. V. *Marchioni* ſcribere, ut curaret unam communem reſponſionem mitti. Nam ſi ſumet ſibi cenſuram, ejus concionator, cujus vanitas in conventu cognita eſt, metuo majora ex vicinia diſſidia. Bene & feliciter valeat C. V. Die XXVII. Novemb.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 243. ILluſtriſſime Princeps, Heri literas ex aula accepi, in quibus jubet illuſtriſſimus Dux *Saxoniæ* Elector, ut *Georgius Major* & ego proficiſcamur *Noribergam*, ubi ſimus audituri mandata de itinere ad Synodum, quia Dux *Wirtebergenſis* & civitas *Argentinenſis*, jam miſerunt legatos. Cum autem inſtructionis nulla ſit facta mentio, ego rectà *Dreſdam* eo, inde ſcribam ad C. V. Utinam aula non contempſiſſet illud conſilium, quod multis probabatur, ut plurimarum Eccleſiarum in vicinis principatibus & civitatibus conſtituto conſenſu communis legatio miſſa eſſet. Sed Deo nos commendo. Bene & feliciter valeat C. V. Die XIV. Decemb.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 244. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Cum *Noribergam* veniſſemus die XXII. Januarii, poſtridie accepi faſciculum literarum miſſum à D. *Paduano* ex urbe *Tridento*, quibus ſignificabatur adhuc expectari reſponſionem de fide publica. Scripſi ſtatim nos veniſſe *Noribergam*, & petere ut ſignificet an & quando accedendum ſit ad *Tridentum*, ſignificavi & aulæ noſtræ iter noſtrum. Nondum autem vel ex *Tridento* vel ex aula reſponſum eſt. Ita dies jam decem *Noriberga* commoramur, incerti an & quando procedendum ſit. Studia & officia multorum hic erga nos eximia ſunt, & D. *Sarcerius* publicè in magna frequentia concionatus eſt, ego aliquoties prælegi. Ac Dei beneficio in hac urbe mediocris eſt tranquillitas & docentium conſenſus. De motibus *Saxonicis* iidem ſunt hic boneſtorum & prudentum ſenſus & dolores qui noſtri ſunt, & quidam exiſtimant eos huic toti imperio fatalem & ſævam mutationem allaturos eſſe. Nos Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum* crucifixum pro nobis & reſuſcitatum oremus, ut pœnas publicas & privatas leniat, & ſervet Eccleſias ipſum invocantes. Imperatorem aiunt mediocriter valere, & hos motus *Germanicos* non contemnere. Mitto C. V. diſputationes *Tridentinas* de Miſſa. *Gropperum* acuit lectio noſtrorum ſcriptorum, cæteræ ſunt jejunæ & futiles. Bene & feliciter valeat C. V. Die I. Februarii.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Fuiſſet honeſtum mitti à multis Eccleſiis communem legationem ad Synodum, ſicut initio & C. V. viſum eſt. Sed hæc noſtra conſilia poſtea, ut ſcit C. V. ſpreta ſunt. Cum igitur nulli Principes, & nullæ civitates miſerint legatos, nec nobis mandata dederint ulli, præter Ducem *Saxoniæ* Electorem, abhorrui à profectione, & cum nè curru quidem progredi potuerimus, libenter regreſſus ſum, ac Deo juvante redii *Witebergam*, etſi multi ſuadebant ut in patria manerem. De toto itinere noſtro loquar cum C. V. ſi diem mihi conſtituet, quo iſtuc velit me venire. Jam mitto Siclum argenteum vero pondere Sicli, videlicet τετράδραχμον cum inſcriptione, ſicut pingitur in libro Poſtelli. Addidi & verſiculos, qui interpretantur virgam *Aharon* & calicem thuris. Literas à Celſ. V. expecto. Deus ſervet Celſ. V. incolumem. Die XXI. Martii. Ep. 245.

De veteri nomiſmate gentis Iudaicæ.

IUſta ſacerdotum demonſtrat munera Siclus,
Cujus in Ebræis *urbibus uſus erat.*
Ut ſint doctrina cuſtodes, virga Aharonis,
Utq́, regant mores cum pietate, monet.
Significantq́, preces calicis fragrantia thura,
Præcipuum munus ſunt pia vota Deo.
Filius æterno Genitori hos præſtat honores,
Emmanuel *caſtâ virgine natus homo.*
Hic eſt doctrinæ cuſtos quam ſparſit in orbe,
Hic Aharonei *florida virga chori eſt.*
Hic & pro nobis offert gemitusq́, precesq́,
Fiat ut offenſi mitior ira Patris.
Adjungit ſibi nos ſocios, tamen iſte Sacerdos,
Agminis & partem nos facit eſſe ſui.
Cuſtodes igitur fidos nos eſſe neceſſe eſt
Doctrinæ, quam dedit ipſe Dei.
Hujus & addamus votis ſuſpiria noſtra,
Quæ ſimul ad Patrem perferat ipſe ſuum.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime Princeps, Mediocriter in his regionibus, Dei beneficio, Eccleſiæ & ſtudia doctrinæ floruerunt, & conſenſus fuit docentium in hac tota ora *Germaniæ* à ſaltu *Turingico* uſque ad littus *Balticum*. Et fuerunt hæ vicinæ Academiæ quaſi præcipua doctrinæ ſedes. Ideo in his locis hæſi, & hanc conjunctionem Eccleſiarum magnis laboribus adjuvi. Idque facere deinceps, Deo juvante ſtudebo, donec conceditur. Ac Filium Dei oro, ut gubernet omnia mea conſilia, & meam vocem, meque faciat σκεῦος ἐλέους. Sed illæ proximæ actiones, de quibus & *Paſtor* noſter queſtus eſt, magnum mihi dolorem attulerunt. Potuiſſent articuli majore gravitate componi, qui & Imperatoris conſilio magis placuiſſent, ſi ſciviſſemus quò ſpectâſſent eorum deliberationes. Excanduit noſter *Paſtor* propter *Iſlebii* triumphos, & propter multorum objurgatrices literas. Et judicavit neceſſario opponendam eſſe excuſationem, ſeu potius confeſſionem, quod ita fecit, ſimul Ep. 246.

ut

ut clamores multorum hic repreſſerit, qui nobis rabioſe maledicebant. Quod autem interrogat C.V. quid reſpondendum ſit, ſi nobiſcum expoſtulabunt. Facilis eſt reſponſio V. C. quæ procul à noſtris ſermonibus abeſt. Mea reſponſio difficilior, me enim dicent hoc vulnus tegere debuiſſe. Ego verò nihil diſputabo contra, ſed cum iraſci ſe mihi oſtendent, niſi captus fuero, diſcedam. Et quanquam invitus has Academias & hoc dulciſſimum ſodalitium relinquam: tamen hujus commodi cogitatione, dolorem leniam, quod hæc me fuga ab inſidioſis deliberationibus iſtorum liberabit. Quantum erit periculi, cum aliquanto poſt de canone, de Epiſcoporum gubernatione colloquendum erit. Quanti armorum terrores. Quam variæ ſophiſmatum præſtigiæ proponentur. *Plato* citat *Æſchylum* dicentem: *Aliis civitatibus alios homines congruere.* Fortaſſis & meæ opiniones non congruunt ad eam Reipubl. formam, quam conſtituere nunc conantur. Quod verò C. V. cenſet, præcipiendum eſſe ſcholaſticis nè narrationes periculoſas ſpargant in Epiſtolis, eo edicto curioſas naturas irritaremus. Nunc multâ prudentum diſſimulatione ſanari poſſunt. Proteſtationem legi & probo, ſed quædam ſcripſi aliter, de quibus tamen judicium C. V. permitto. Nollem in *Daniam* mitti τὸ σύγγραμμα περὶ ἀδιαφόρων. Bene valeat Celſ. V. Datæ die converſionis *Pauli* decimo ſeptimo.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 247. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, *Gregorius Nazianzenus* diaconum, cui fuit nomen *Maximo*, habuit familiariſſimum: hic maximis adſectus beneficiis à *Gregorio*, profectus eſt bia *Alexandriam*, & calumniis perfecit, ut *Gregorio* mandaretur, ut Epiſcopi gradum in urbe *Conſtantinopoli* cederet huic *Maximo*. Cum igitur contentiones creſcerent, ceſſit *Gregorius*, & dixit ſe malle in mare abjici, quam videre contentiones illas. Experimur & nos ſævitiam calumniatorum, & minus dolerem ſi me in *Albi* mergerent & occiderent. Sed commendemus nos Deo, & modeſtè neceſſariam doctrinam recitemus, nec iracundè irritemus inimicos, qui jam triumphant propter nova bella. Fui diſſuaſor *Georgio* edendi illas reſponſiones, in quibus non plus proficit, quàm ſi ignem gladio foderet. In pagina C. V. neceſſe fuit mitigare quædam verba, & oro nullam mentionem fieri formulæ *Miſnenſis*, quia nomine illo irritantur vicini *Critici*. Et illa verba, nötig zur Seligkeit, ſunt in impreſſione omiſſa, nec velim hæc certamina renovari, etſi magna differentia eſt inter hæc dicta: *Sunt neceſſaria ad ſalutem ut merita, & ſunt neceſſaria ad ſalutem, ſicut paries ut ſit albus*; Albedo eſt neceſſaria, neceſſitate cauſæ formalis, quia ipſa vita æterna eſt novitas omnium virtutum, vel potiùs eſt ipſa vita quâ vivificamur per Filium Dei & efficimur conformes Deo. Sed jam non volo rixari cum hominibus ebriis ſuperbiâ & odio. Judicium erit penes pios & doctos. Bene & feliciter valeat C. V. Die I. April.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 248. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Cum huc veniſſent Paſtores vicinarum Eccleſiarum, A viri honeſti & Deum rectè invocantes, primus dies in lectione ſcripti, in quo reperita eſt Confeſſio, conſumptus eſt. Poſtridie dictæ ſunt ſententiæ, Dei beneficio, conſenſu omnium piæ & perſpicuæ. Oramus autem Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut nos gubernet, & harum regionum Eccleſias protegat. Fuerunt ante octiduum hic & *Marchionis Johannis* legati duo, viri docti & candidi, qui ſcriptum teſtimonium nobis reliquerunt, quo B oſtenderunt ſe probare hanc Confeſſionem. Exiſtimo ad C. V. venturum eſſe Reverendum virum D. *Paſtorem* Eccleſiæ *Lipſicæ*, qui copioſiùs narrabit hiſtoriam noſtri congreſſus. Bene & feliciter valeat C. V. Die XI. Julii.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Hic Ep. 249.
Georgius C. V. notus, ampliùs menſe fuit hoſpes C meus. Et ſi in hac vicinia deſideraretur in aliquo pago Eccleſiæ paſtor, huic *Georgio* eam commendâſſemus. Etſi enim imbecillis eſt, tamen parvam adminiſtrationem mediocriter ſuſtinere poſſet. Et ubi ſolus præeſſet, tranquillior eſſet. Oro C. V. ut ſi qua eſt occaſio nidulum ei aliquem monſtret. Venerunt huc ex *Suevia* viri docti & honeſti pulſi cum familiis ſuis, quorum exilium etſi eſt miſerabile, tamen magis miſeræ ſunt Eccleſiæ, ex quibus expulſi ſunt, quia ibi jam lupi D graſſantur, & populus horribiliter diſſipatur. Hæc tanta mala cum ex illa ſophiſtica Chimæra libri *Auguſtani* oriantur, Filium Dei oremus, ut nos regat & liberet. Bene & feliciter valeat C. V. Datæ die vaticiniorum *Simeonis* & *Hannæ*.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Etſi Ep. 250.
vetus dictum eſt, non eſſe remedium contra ca- E lumniatoris morſum: tamen quantum poſſumus, vitemus occaſiones novarum rixarum hoc miſero tempore. Ego etiam ideo nihil reſpondeo Sycophantis & alioqui nihil edo, ut minus ſit certaminum. Sed *Oſiander* jam novo & erudititiſſimo ſcripto me provocat, cui titulus eſt *Aderlaſſen Philippi*. Sed Deus aderit nobis, Pagellam ſcriptam pro paragrapho in pagina 135. legi, & ſicut jam a C. V. compoſita eſt forma verborum, ita exiſtimo tutò eam edi poſſe. Ego propter verbum F *Dorff*, quod eſt ambiguum & facilius reprehenderetur, quaſi fides indigeat operibus, mutavi pauca verba, ut videbitis in veſtra pagella. Legi etiam pagellas impreſſas, quarum altera cum recudatur, vellem etiam locum de Conjugiis mutari in pagina 133. & ſcripſi formam, quia noſtri Critici non libenter audiunt nomen diſciplinæ. Volunt etiam politicæ poteſtati adverſari populum, ſi fiant tales ordinationes. In pagina 137. ſunt verba: Man werde nicht verdampt von G wegen der böſen Werck, ſondern von wegen ſeines Unglaubens. Etſi candidi candidè accipiunt, tamen verum eſt hominem non converſum propter *utrumq;* damnari, propter incredulitatem & alia delicta. Et prodeſt fieri mentionem pœnarum corporalium in hac vita etiam in converſis. Sed permitto hæc omnia veſtro judicio. Jam adeſt D. *Johannes Aurifaber* ex *Roſtochio*, qui hic edit

edit Eccleſiarum *Megalburgenſium* doctrinam & ritus, quem etiam adjuvo. Et Typographi urgent, ut pertexam inchoatam editionem locorum *Germanicorum*. Deus adſit nobis. Bene valeat C. V. Die X. Aprilis.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 251. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Cum ſciamus prædictiones divinas de poſtrema mundi ſenecta, quæ magnas confuſiones imperiis minitantur, præparemus animos ad has miſerias perferendas in quibus ſumus. Et interea conſolationes nobis proponamus, quas Deus Eccleſiæ ſuæ prolatas ex arcano ſinu tradidit, ipſe exaudiet & ſervabit reliquias Eccleſiæ ſuæ. Boni Principes etiam ſtudiis doctrinæ opem ferant, & curent revocari mentes hominum ad modeſtiam, & ad diſciplinæ amorem, quæ nimium laxata eſt. Sed hæc coràm. C. V. gratias ago, quod ad me *Johannem* miſit, ipſiuseiiam officio delector, & Deum æternum Patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti* oro, ut C. V. & veſtros ſervet & gubernet. De iis rebus de quibus colloqui mecum C. V. decrevit, brevi coram colloquemur. Nam propter multas cauſas redire in loca vobis vicina cogor. Bene valeat C. V. Die XI: Junii.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 252. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Etſi maximè cupiebam cum C. V. colloqui: tamen quia poſt iter Doctoris *Milichii* retinet me promotio Medica, differre profectionem ad *Deſſam* cogor in proximam ſeptimanam. Remoratur etiam me ſubita conſternatio Doctoris *Fendis* Medici, cujus conjunx honeſta matrona heri in profundum fontem delapſa, vix recepta eſt. Ac vivit illa quidem, ſed tamén ægrotat cum periculo; Deus eam ſervet, & mitiget nobis omnibus pœnas. Recentes hiſtorias ſcripſi in pagella, quam huic epiſtolæ addidi. Bene & feliciter valeat C. V. Die III. Auguſti.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 253. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Scio Principum facultatibus ut publicorum ſumptuum nervis parcendum eſſe. Ideo meâ cauſâ non multa ex aulis peto. Ac frumentum hoc tempore difficili magnâ pecuniâ a privatis hominibus emi. Sed tamen gratiſſima mihi eſt benevolentia C. V. erga me, & gratias ago pro frumento miſſo. Solvam etiam libenter, ſi ſciam quæ ſit voluntas C. V. Spero autem Deo gratam eſſe pietatem veſtram, quòd ſtudiorum cauſâ ſæpe me & alios deditos literis benignè juvatis. Deus his turbulentis temporibus protegat ac gubernet C. V. Bene valeat C. V. Die S. *Galli*.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 254. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Reverſus in veterem *Soraborum Coloniam*, ſcripſi hanc epiſtolam die 25. Novemb. quo ante annos 1709. templum *Jeroſolymæ* recuperatum & purgatum eſt. Quare eo die menſis Novemb. poſtea Encænia celebrata ſunt perpetuo ritu. Etſi autem nunc Eccleſia duriter quaſſatur inter imperiorum tumultus: tamen ſperemus Deum, ut tunc idola everſurum eſſe, & aliquam redditurum hoſpitiis Eccleſiæ, & ſtudiis tranquillitatem, & ut reddat toto pectore oro. Vóſque & multos pios ... ro veris & ardentibus votis idem petere, ... quæ quidem non erunt irrita. Mitto C. V. pagellam deſcriptam ex literis recèns allatis. Exitus oſtendet an conſilium artificioſiſſimè cogitatum à vicinis, pium & ſalutare fuerit, etſi optarim noſtros in retinendis amicorum voluntatibus diligentiores eſſe, ut monet *Syrach: Ut pupillam oculi, ſic amici benevolentiam tuearis*. Bene valeat C. V.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Cum heri *Torgam* veniſſem intellexi nuncium ad C. V. mitti. Hanc igitur epiſtolam ſcripſi, tantum ut ſignificarem C. V. me ad noſtros collegas acceſſiſſe, quorum conſuetudine & colloquiis aliquantulum præſentes dolores interdum leniuntur. Librum de Eccleſiis *Megalburgenſibus* curabo. C. V. integrum mitti. Etſi doloribus & itineribus multum impediuntur operæ ſcholaſticæ: tamen non prorſus eas abjicimus, quia Filius Dei jubet nos etiam inter ruinas Imperiorum ſperare Eccleſiæ conſervationem. Expecto jam quotidie literas ex iis locis quæ vicina ſunt *Gallicis* caſtris, harum exempla C. V. mittam. Bene & feliciter valeat C. V. Die IV. Auguſti. Ep. 255.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Magnopere colloqui cum C. V. cupio, non de bello, cujus neque cauſas neque initia novimus, ſed de doctrina Eccleſiæ. *Balticus* oratór cogit nos de perſonarum divinarum diſcrimine dicere, & id piè illuſtrari valde utile eſt. Decrevi autem eam ipſam ob cauſam interpretari in hoc receſſu *Juſtini* librum de tribus perſonis divinitatis, & de duabus naturis in *Chriſto* nato ex virgine, ac ipſum Filium Dei oro ut nos regat, & has Eccleſias protegat, quem quidem ſpero hanc ipſam ob cauſam daturum eſſe his regionibus *Halcyonia*, ut poſſint aliquando ſenes aliqui amanter colloqui. Gratias ago C. V. quod cum contagia luis vagantur in *Deſſa*, hoſpitium dat *Bergiis Iohanni* & *Volcmaro*, in domo *Parthenopea*, quæ mihi quoque ante quinquennium gratum hoſpitium præbuit. Orat hic *Cervestenſis Caſpar Jungerman*, ſe adjungi *Bergiis*. Modeſtum hominem eſſe ſcio. Et ſi ibi erunt Juriſconſultus, Mathematicus, & Poëta, qui omnes tamen Deum rectè invocant, & Theologi ſunt, Domus C. V. erit Academia *Parthenopea*. Adjungo ad hos *Copum* Medicum, nec alios ibi eſſe exiſtimo qui eruditione antecellant. Bene & feliciter valeat C. V. Die decimo quinto Auguſti. Ep. 256.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, *Lipſiam* cum veniſſem die XXII. Auguſti audivi *Marchionem Albertum* à *Francofordia* diſceſſiſſe. Regem *Gallicum* verò regredi ex Ducatu *Lucelbergenſi*, *Germanis* iratum, quem optarim procul in Ep. 257.

Aſia

A *Aſia Palæſtinam* armis repetere, ut fecerunt ipſius majores, ſapientes & magnanimi Reges. Ex *Vratiſlavia* literas accepi die 21. Auguſti, in quibus hæc erant verba: *Indies ex Hungaria nunciantur lætiora, Triglam & alias munitiones Turci antea occupatas reliquerunt. Temeswar mirabiliter obſidione ſoluta eſt. Sperant poſſe reprimi Turcas Deo juvante, ſi Rex Ferdinandus miſerit eo mediocres copias. Gallus* quidam *Dreſdæ* fuit, qui ex *Conſtantinopoli* venit, qui narrat *Turcicum* Imperatorem B ægrotare, & non eſſe opinionem fore ut nunc majores exercitus in *Pannoniam* veniant. Bene & feliciter valeat C. V. Die vigeſimo tertio Auguſti.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 258. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Principes *Hennebergii* indicare ſibi virum petunt, cui commendent inſpectionem præcipuam ſuarum C Eccleſiarum. Difficile eſt autem invenire idoneos. Ego de Paſtore in *Henieben* cogitavi, cujus ingenium, ætatem, prudentiã & integritatem probo. Sed rauca vox eſt. Id incommodum tamen ſarciunt aliæ dotes. Sed oro C. V. ut mihi ſignificet, an alium poſſit indicare. Senatus *Auguſtanus* ſcribit ad me, conceſſiſſe *Carolum* Imperatorem, ut Eccleſias conſtituat civitas ad normam *Auguſtanæ* Confeſſionis, ſic noſtram nominant. Ac petunt à nobis indicari idoneos paſtores. *Carolum* D Imperatorem veniſſe *Argentoratum* certum eſt. *Marchio Albertus* adhuc in *Trevirenſi* ditione fuit ante paucos dies. De Comite *Volrado* iſtic certiora ſcitis, quàm nos. Bene valeat C. V. & C. V. frater. Die III. Octobris.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 259. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Miſi E proprium tabellarium, quem ſpero C. V. hodie videlicet, die 13. Octobr. pagellas meas exhibiturum eſſe. Poſtquam autem advenit tabellarius, C. V. juſſi rurſus exemplum deſcribi, quod literarum figuras habet magis conſpicuas, & diſtinctiones ſententiarum. Materia, ut ego quidem judico, tempori congruet, & arbitror C. V. eaſdem conſolationes ſæpe animo repetere. Heri librum accepimus editum typis chalcographicis, in quibus *Oſiander* damnat doctrinam noſtram de Ju- F ſtificatione, ac reipſa hoc vult. *Hominem eſſe juſtum ſuâ novitate*. Creſcunt diſſidia, & ſimul diſtrahuntur Eccleſiæ & Imperia. Has calamitates ut mitiget Filius Dei, toto eum pectore oro. Decrevi in eodem ſcripto & vicinis ſycophantis, & illi arrogantiſſimo homini *Oſiandro* reſpondere. Neminem arbitror in Eccleſiis *Saxonicis* probaturum eſſe ſomnia *Oſiandri*. Et clariſſimè refutantur à *Luthero* in ſummario *Pſalmi: beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates*. Bene valeat Celſ. V. Die G XII. Octob.

De feſto *Corporis Chriſti*, tantum hoc audivi, Pontificem *Vrbanum*, ante Pontificatum fuiſſe hoſpitem mulieris *Colonienſis*, quæ neſcio quâ occaſione petiverit, ut pompâ certâ oſtenderet Sacramentum. Ibi dicitur ille promiſiſſe, ſi fieret Papa, velle ſe ſolennem circuitum inſtituere.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Non Ep. 260.
ſubito vos in his imperiorum tumultibus magno dolore adfici. Sed hac nos conſolatione ſuſtentemus, quod certo ſcimus Filium Dei Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum* crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, ſedere ad dextram æterni Patris & ſervare Eccleſiam, & dare dona hominibus. Hic ſummus ſacerdos & veſtræ Eccleſiæ oſtendit hunc *Simonem Widenſem*. Gaudeo Eccleſiæ veſtræ causâ, hunc *Simonem* ad *Mersburg* vocari, & ſpero organum ſalutare fore. Diu enim novi eum, & audivi in examinibus Magiſterii, & Eccleſiaſticæ functionis, ac ſcio rectè eruditum eſſe, ac in mente ejus accenſam eſſe lucem divinam, & timorem Dei. Mores ſunt modeſti & placidi. Quare judico vos utiliter Eccleſiæ *Mersburgenſi* conſulturos eſſe, ſi eum eò transferetis. & oro Filium Dei ut faciat eum [illegible], & organum ſalutare ſuæ animæ & aliis. Inchoavi in prælectione *Juſtini* quaſdam materias, quas curabo deſcribi C. V. & jam repeto doctrinam de definitione Mediatoris. *Stancarus Francofordiæ* ad *Oderam* ſcribit contra me & alios, & defendit hanc propoſitionem, *Chriſtum tantum ſecundum humanam naturam eſſe Mediatorem*. Etſi in tertio libro ſententiarum *Longobardi* diſtinctione 19. ſic de Mediatore ſcriptum eſt: tamen in eo loco conceditur hæc propoſitio, *quod Chriſtus ſit Redemptor ſecundum utramq; naturam*. Ita interdum pugnantia conſuuntur in illis rapſodiis. De his & aliis multis negotiis coràm cum C. V. colloqui decrevi, quamprimum expatiari potero. Bene valeat C. V. Die natali *Lutheri*.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Cum Ep. 261.
poſt reditum ex *Babylone* conveniſſet ærumnoſa multitudo ad ruinas *Hieroſolymæ*, nec aut præſidiis aut mœnibus ſe contra latrocinia defendere poſſet, Filius Dei conſolatur *Zachariam* inquiens, *Ego ero murus igneus* &c. Item, *Non in exercitu, nec in robore, ſed in Spiritu meo dicit Dominus*. Ita nunc quoque proteget Eccleſiam ſuam Filius Dei. Hac conſolatione nos ſuſtentemus, & ſperemus non prorſus interituras eſſe Eccleſias, etiamſi arma in utraque parte magnas vaſtationes minitantur. Fortaſſis eventus oſtendet mitiora conſilia non fuiſſe aſpernanda. Sed oremus Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, ut nos regat & leniat pœnas. Scriptum *Oſiandri* curabo deſcribi C. V. etſi arbitror brevi longiorem librum de illis paradoxis editurum eſſe. Bene & feliciter valeat C. V. Die vigeſimo octavo Octobris.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Cum Ep. 261.
ante octiduum *Witebergæ* eſſem, attulit ad me literas C. V. *Simon*, qui vocatus eſt ad Eccleſiam *Mersburgenſem*. Hunc jam ſpero ad C. V. veniſſe cum meis literis. Vir honeſtus & eruditus eſt, & ſpero fore organum ſalutare Eccleſiæ, ac Filium Dei oro ut nos omnes gubernet. Quàm primùm

rediero

rediero *Witebergam*, accedam ad Celſitudinē Veſtram ut de *Stancari* diſputationibus & aliis colloqnamur. Adferam etiam ea quæ de illis materiis in ſchola publicè tradidi. Hiſtorica quæ nunc habui ſcripſi io pagella. Bene valeat C. V. Die XVIII. Novemb.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 263. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps. Clariſſimo viro Doctori *Milichio* dedi *Abdia* librum, ut inſcriptio nominat, ab impoſtore aliquo addita, ſeu adſerendum ſeu mittendum C. V. Aiunt *Apollinarem Juliani* tempore, cum arcerentur *Chriſtiani* à ſcholis eruditis, in quibus veteres Tragœdiæ *Sophoclis* & *Euripidis* enarrabaotur, ſcripſiſſe Tragœdias, argumentis Apoſtolorum & Martyrum; Has legere mallem quàm hunc nothum *Abdiam*. Sed qualiſcunque eſt, librum C. V. dooo. Addidi & orationem in qua eſt *Myſia* deſcriptio. D. *Forſterus* C. V. remitiit conciones de fœdere duarum naturarum in Domino noſtro *Jeſu Chriſto*, & cauſas hujus miraodæ copulatioois iotexui, quas conturbat *Stancarus*. Utioam plures docti & boni poſſent aliquando inter ſe colloqui. Bene & feliciter valeat C. V. Pridie Calend. Martii.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 264. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, In recitatione doctrinæ de communicatione τῶν ἰδιωμάτων, rectè dicuntur omnia quæ ſunt in concione C. V. ſcripta. Cauſas de copulatione duarum naturarum in Meſſia breviſſimè addidi, ſed profectò res digna eſt cogitatione piorum, & coram de his tantis rebus colloquemur. De cenſu quædam dubia ſuſtuli. Mitto C. V. librum Ducis *Pruſſiæ* recentem, in quo præcipit recipi *Brentii* conciliationem. Hæc conciliatio pariet oova diſſidia, ut fit cum ambigui cothurni proponuntur. Valde doleo res tantas in aula conſtitui ſine vera deliberatione. Continet autem liber veras, eruditas & luculeoter ſcriptas reſpooſiones *Morlini*, quarum lectio C. V. jucunda erit. Hæ reſponſiones illuſtrant veritatem, & magis cooſirmant pios. Bene & feliciter valeat Celſ. V. Die ſexto Martii.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

Ep. 265. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Sperabam hoc Paſchate C.V. venturam eſſe ad *Deſſaviam*, eóque accedere decreveram, ut oſtenderem ſcripta de *Stancari* controverſia, & alias materias. Sed ſi iter C.V. differetur ad C. V. ad *Harciniam* accedam. Nunc mitto editionem *Germanicam* locorum in qua prorſus nulla mutatio eſt poſteriorum Articulorum, ſed explicatio, ut ego exiſtimo, in prioribus eſt planior. Etſi quædam addam ſi vivam in proxima editione. Mitto autem C. V. tanquam Judici. Utinam docti & pii de tantis rebus colloqui plures interdum poſſent. Fuit hic his diebus ex *Haſſia* miſſus homo fanaticus *Theobaldus Tammerus*, qui *Francofordia* ad *Mœnum* furenter debacchatus eſt in Eccleſias noſtras, nunc fingit confuſionem Ethoicorum & Eccleſiæ. Ait Ethnicos habuiſſe *Chriſtum*, quia legis notitiam habuerunt. Scripſi de eo ad *Landgravium*, ut coràm exponam. Bene & feliciter valeat C. V. Die XXX. Martii.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Mitto Celſ. V. Calendarium, collectum a Magiſtro *Paulo*, in quo multæ ſunt hiſtoriæ, quarum memoriam illuſtrari ntile eſt, etiamſi aliæ leviores additæ ſunt. Mitto & Symboli enarrationis partem, quam oro Celſ. V. ut legat tanquam judex. Erunt fortaſſis aliqui calumniatores, ſed certè fuit meum ſtudium initio, & adhuc eſt, & erit Deo juvante, ut rerum neceſſariaium veram & perſpicuam doctrinam complectar. Optarim autem me adjutores & judices ejus laboris habere, & minùs impediri aliis occupationibus. Certè collatione plurium io taota dijudicatione opus eſſet. Sed hoc triſtiſſimum tempus plenum eſt virulentiæ, ſuſpicionum, calumniarum, arrogantiæ. Hæc mala Deus tollat ex Eccleſiis. Obſecro, ut lectâ hac parte Celſitudo Veſtra aliquid de ſuo judicio ſignificet. Celſitudini Veſtræ gratias ago pro benevolentia erga me & meum Filium, & Deum oro, ut Celſ.V. gubernet & ſervet, & me & meos Celſ. V. reverenter commendo. Bene & feliciter valeat Celſ. V. Die tertio Maii. Ep. 266.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Celſ. V. remitto paginas. Etſi autem Imperator neceſſariam habet cauſam quærendæ conciliationis in tanta diſſimilitudine opinionum & rituum in Eccleſiis, & ego pacem opto: tamen metuo hanc conciliationem parituram eſſe nova diſſidia, & motus non leves. Liber durior eſt, quàm hæc excerpta, & quid nos monuerimus, ex iis paginis, quæ ſunt apud Reverendum Paſtorem Eccleſiæ *Lipſica*, cognoſcere Celſ. V. poterit. Nihil ſeditioſè faciam, ſed tamen donec vivam, modeſtè de rebus neceſſariis veras ſeotentias dicam. Aliqui fortaſſe ſperant auream ætatem fore prolatis his decretis: ſed Deum oremus ut ipſe opem ferat ſuo cœtui qui veritatem quærit, & verè invocare Deum & colere neceſſariis officiis eum ſtudet. Bene valeat Celſ. V. Ep. 267.

D. Georgio Principi in Anhalt S. D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Jam veni *Lipſiam* vocatus eò literis Illuſtriſſ. Principis Ducis *Saxonia* Electoris. Quam ob cauſam ſim vocatus nondum ſcio. Sed ſi deliberatio erit de libro *Auguſtano*, optarim & Celſ. V. & alios qui & judicare poſſunt, & voluntates habent pias, adhiberi, ſin autem non conſilium à nobis, ſed tantum adprobatio flagitabitur, non obſcurum eſt quid reſpondendum ſit. Civitates majores ad *Rhenum*, & in *Saxonia* non incipient hanc inſtaurationem ſuperſtitionum, ut ex multorum literis intelligo. Erit igitur hic ſophiſticus liber, claſſicum novorum bellorum & majoris diſſipationis Eccleſiarum. Oremus autem Deum ut harum regionum Eccleſias regat, & ſervet. Bene valeat Celſ. V. Ep. 268.

Reverendo viro, eruditione, & virtute præſtanti, D. Iohanni Draconitæ, Doctori Theologiæ in inclyta Academia Roſtochiana, amico veteri, & colendo, S. D.

Ep. 269. REverende vir, Semper te propter eruditionem & virtutem veneratus ſum. Nec enim poteſt aliter judicare mens donec ſana eſt, quam res eſſe optimas eruditionem & virtutem. Et in
B ſermonibus ſæpe hæc tua ornamenta prædicavi. Quod autem diu nihil literarum ad te miſi, eo factum eſt, quia nè poſſum quidem in hac mole occupationum & miſeriarum ſcribere ad omnes, quorum colloquiis delector. Oro igitur nè de meo ſilentio ſecus ſuſpiceris. Nunc autem cum hic honeſtus vir, & in lingua *Ebræa* eruditus *Andreas*, iſtuc iturus peteret ad te epiſtolam, ut aditum ad te haberet faciliorem, dedi libenter, & mea & ipſius cauſa. Scit te excellere cognitione linguæ *E-*
C *bræa*, quam cum ipſe & didicerit, & in Academia noſtra docuerit, te quoque audire, & interdum te conſulere cupit. In bonis naturis ſtudiorum ſimilitudo voluntates conjungit. Quare te oro, ut hunc de te præclarè ſentientem amanter complectaris. Experieris virum honeſtum, rectum, & candidum eſſe. Si iſtic deſideratur Grammaticæ *Ebreæ* lector, quæſo ut ſis hortator, ut hanc laboris partem, huic honeſto viro mandent hi, qui hæc
D conſilia gubernant. Non dubito ejus operam juventuti profuturam eſſe. Bene & feliciter vale. *Witebergæ* die X. Septemb. M. D. LII.

D. Iohanni Draconitæ S. D.

Ep. 270. SCimus quàm varia diſputaverint Philoſophi de cauſis colendæ amicitiæ: doctrina cœleſtis multò graviores cauſas oſtendit. Vult nos Deus primum ſibi per Filium copulatos eſſe, & nos unum eſſe in ipſo. Deinde vult nos inter nos quo-
E que copulatos eſſe, nè membra divulſa in uno corpore tumultuentur, & inter ſeſe pugnent. Vult nos propter utilitatem Eccleſiæ conjunctionem tueri, σώζει γὰρ φιλία τὰς πόλεις. Deinde aliæ honeſtæ cauſæ multæ ſunt colendi amicitias. Ideo & appetivi multorum amicitias, & ſciens neminem amicorum læſi, ſed crudeliter in me *Oſiander*, & ἀλαζονικὸς ὄχλος impetum fecerunt. Interea gratiam habeo multis bonis viris, & inter hos tibi quo-
F que, viro præſtanti eruditione & virtute, quorum à me non ſunt alienatæ voluntates, ac volo tecum mihi perpetuam amicitiam eſſe, qua & in cœleſti conſuetudine dulciſſimè fruemur. Editio tuæ propheticæ interpretationis erit mihi curæ. Bene vale. Die quinto Aprilis, Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto.

D. Iohanni Draconitæ S. D.

Ep. 271. ETſi te cauſam conſilii tui habere non dubito,
G cur ad oram *Baltici* littoris ſucceſſeris: tamen optarim te prius ad nos veniſſe, mea domus hoſpitium mediocre & non inſuave tibi præbuiſſet, & tu minus procul à tuis abfuiſſes. Sed quæcunque conſilii tui cauſa fuit, opto ut Deus te ſervet incolumem, & illud ſæpe cogito, αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς ὑμῶν πᾶσαι ἠριθμημέναι. Scripſimus ad Regem

A *Danicum*, Doctor *Pomeranus* & ego, ut te in Academiam *Hafnienſem* accerſeret. Nobiſcum enim de lectore Theologico deliberabat. Quare te oro, ut de tuis rebus ad nos ſcribas. Etſi enim & nos ſupplicia & exilia quædam expectamus: tamen donec in hac ſtatione ſumus, noſtra officia tibi defutura non ſunt. *Luchinum* arbitror ad te ſcribere. Mitto tibi precationem ab eo ſcriptam. Bene vale. Die XVI. Julii.

B

Venerando viro, eruditione & virtute præſtanti, D. Melchiori Iunio, Paſtori Eccleſiæ Dei in oppido Calva, amico ſuo chariſſ. S. D.

VEnerande vir & amice chariſſime, Scis ſcriptum eſſe, *fundamentum aliud poni non poteſt, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Jeſus Chriſtus.* Ep. 272
Hujus fundamenti doctrinam ſcis initio proponendam eſſe, & deinde aſſiduè repetendam; quæ
C quidem tantam ſapientiam complectitur, ut in hac vita tantùm exordia diſci poſſint. Poſtea in æternitate conſideratio erit illuſtrior. Interea noſtram caliginem agnoſcamus & deploremus. Nec dubito te in fundamenti declaratione aſſiduum eſſe. Quales autem ritus ſint Eccleſiarum veſtrarum, non ſatis ſcio, ſed ſi congruunt cum *Myſnicis* aut *Marchicis*, ſi quid mutaturus eſſes, deliberare te optarim cum iis, quibus inſpectio veſtrarum Eccleſiarum commendata eſt,
D præſertim cùm recens iſtuc veneris. Multorum in vos oculi intenti ſunt, multi patulas aures habent, quæ avidè calumnias accipiunt. Ideò cunctantiùs omnia vobis agenda ſunt. Ego nihil mihi juris ſumo in aliena gubernatione, ut ſcis me alioqui ſatis oneratum eſſe: Sed poſtquam feciſti in illo ritu levandi ſacramenti mutationem, morem abolitum nequaquam reſtituito. *Lutherus* hic ſuo judicio abolevit, nec retulit rem ad communem deliberationem. Poſtea verò cùm
E audiret reprehendi factum à vicinis, & adfingerentur calumniæ, dixit ſe duabus cauſis motum eſſe. Prior erat, quia cum opinionem de Papiſtica oblatione neceſſariò damnaret, ritum etiam ſe tollere dicebat, qui ſtabiliret oblationem. Magnam rem & arcanam eſſe oblationem Filii Dei, quæ ab ipſo ſolo facta eſſet ingrediente in ſanctum ſanctorum, id eſt, in arcanum conſilium æterni Patris, & cernente ac ſuſtinente ingentem iram æterni Patris. Hæc oblatio non fit per a-
F lios. *Græci* duos Canones liturgiæ habent, in quibus cum alia ſunt diſſimilia, tum hoc quoque, quod alter non facit mentionem oblationis, alter quaſi correctionem addens inquit: Σὺ εἶ ὁ προσφέρων καὶ ὁ προσφερόμενος. Altera *Lutheri* ratio erat, quòd nolebat confirmare circumgeſtationem, in qua fit adoratio prorſus extra uſum Sacramenti. Certiſſimum eſt autem ritus extra uſum inſtitutum, non habere rationem Sacramenti. De his rationibus potes cogitare. Sed
G te valdè oro, nè hanc rem in certamen adducas, ſed potiùs diſcedas. Sin autem te tolerabunt omiſſa mentione hujus ritus, doceto populum de fundamento & de vera adoratione, quæ fide alloquitur Deum juxta promiſſiones, & intuetur patefactiones divinas, ut ſcis. Harum maximarum rerum cogitatione, res ipſas aſſiduè exerceamus. Quod autem Filius Dei in agone ſuo

oravit

oravit æternum Patrem, ut faciat, ut unum ſimus A in ipſo, idem nunc quoque petit. Et nos ad hujus ſummi ſacerdotis precationem noſtros gemitus & vota adjungamus, ſit in nobis etiam concordiæ ſtudium. Ego me ab Eccleſiis harum regionum quarum extat confeſſio exhibita *Carolo* Imperatori in conventu *Auguſtano* Anni M.D.XXX. nec disjunxi unquam, nec disjungam. Bene vale. An. a natali *Chriſti* ex virgine M.D.LIII. Die XXV. Novemb. quo fuerunt encænia *Hieroſolymæ* repurgato templo, ante annos M.DCC.XVI. B

D. Melchiori Iunio S.D.

Ep. 273. VEnerande vir & amice chariſſime, Scis utrumque voce divinâ prædictum eſſe, in hac delira mundi ſenecta, & futuras eſſe majores generis humani confuſiones, quàm fuerunt antea: Et tamen Filium Dei æternam ſibi Eccleſiam collecturum eſſe etiam inter ruinas imperiorum, & quidem in illis ipſis agminibus, ubi ſonat vox Eu- C angelii incorrupta. Feramus igitur communes labores placidè, etiamſi minùs adjuvamur à gubernatoribus politicis. Hi nervos caſti conjugii tueri debebant, quod cum negligenter faciant, nos, quantum poſſumus, moneamus populum, de omnibus præceptis, quæ ſcite ſingulos neceſſe eſt. Vellem quotannis in concione ſemel aut bis legi præcepta de gradibus cognatorū & affinium. Cum in tuo caſu, ubi conſobrinus vult ducere conſobrini viduam, ſecundus gradus eſt affinitatis, nos ante D factum prohibemus, ſed quia non eſt juris divini prohibitio, poſt factum non pugnamus, ſi nondum deſponſatio facta eſt ſis dehortator. Bene vale. Die II. Maii.

D. Melchiori Iunio S.D.

Ep. 274. VEnerande vir & chariſſime frater, Cum video idoneum virum ad miniſterium Euangelii vocari, ex animo lætor, & Deo gratias ago, E qui oſtendit ſe ſervaturum eſſe ſemen ſanctum, & ſervat in his Eccleſiis. Quare gaudeo Magiſtrum *Fabianum* ad gubernationem Eccleſiæ vocatum eſſe, cum & eruditionem & pietatem ad hoc divinum munus adferat, ſicut decet, & ſit ornatus facundiâ, & aliis virtutibus, quæ erunt ornamento miniſterio Euangelii. Oro autem Filium Dei, ut ipſum & nos omnes gubernet. Mitto tibi pagellam, in qua dulciſſima dicta ſunt de Mediatore. De rebus *Pannonicis* ſcire te opinor Archiducem F cum exercitu in *Pannoniam* profectum eſſe. Precamur Filium Dei ut reprimat *Turcos*. Videmus regnorum minas, & profectò metuo irruptiones *Turcicas* in *Germaniam*. Sed oro Filium Dei, ut publicas & privatas pœnas leniat, nec ſinat deleri Eccleſias. Bene vale. Die *Mathei*.

Venerando viro, eruditione & virtute praſtanti D. Andreæ Iunio, paſtori Eccleſiæ Dei in Senftenberg, fratri ſuo chariſſ. S.D.

Ep. 275. VEnerande vir & chariſſime frater, Scis me ſæpè recitare verſum, [illegible]. Etſi numeri ſunt *Græci* Poëtæ, tamen ſententia divinitùs tradita eſt, *Generi rectorum benedicetur*. Protegit igitur Deus & proteget familias noſtras in tantis minis, ſicut texit *Iſraelitas* intra limina conſperſa ſanguine agni. Et ut nos protegat, toto eum pectore oro. Benefaciamus etiam familiis piorum ſacerdotum. Hic *Philippus Reiſebergenſis* natus eſt patre honeſto, qui fuit paſtor Eccleſiæ *Sidoniæ*, audivit autem adoleſcens te cantorem deſiderare, & orat ſibi id officium tribui, quare tibi eum commendo. Audio te ad Eccleſiæ *Labanæ* gubernationem vocatum eſſe, ſed malim te in illa tua tranquilliore Eccleſia manere, etſi nullus eſt locus in quo rectè docentibus non inſidientur diaboli & organa diabolorum. Verùm ſcis pugnare eos, qui præſunt in *Luſatia*, de quibuſdam ritibus, qui diſputationes periculoſas adferunt. Bene vale & reſcribe. Mitto tibi orationem de *Nazianzeno*. Die XVII. Martii.

D. Andreæ Iunio S.D.

NEceſſaria eſt & grata Deo diligentia, quærere deſcriptiones perſonarum divinarum pias & eruditas, ut ſcriptum eſt: *Hæc eſt vita æterna, ut agnoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Jeſum eſſe Chriſtum.* Ad hanc æternam ſapientiam, his initiis, de quibus quæritis, opus eſt. Mihi bene placet, addi in deſcriptione æterni Patris, qui, *qualis ſit in lege declaravit, & miſit Filium, ut eſſet Redemptor & Salvator.* Idque intelligi volo, quia mox addo Filii deſcriptionem, ubi commodiùs de duarum naturarum unione dicitur, quàm in priore definitione. Præterea in definitione Dei addo, *ſicut ſe patefecit divinitas, ibi comprehendo totam patefactionem.* Fateor meas deſcriptiones tenuiores eſſe, & me velim moneri, quia in tot ſeculorum ſcriptoribus pauciſſimæ reperiuntur definitiones, malo igitur aliquas utcunque delineari. Et hic jam περὶ λόγ. magnam quæſtionem & neceſſariam explicavi. Oro autem ipſum Filium Dei λόγον, ut nos doceat & regat. De *Heniochena* Eccleſia, tunc cum redibit paſtor *Chriſtophorus*, deliberare poteris. Sed ſi voles *Slauſingen* proficiſci, non deerit tibi meum officium, quanquam ea de re etiam certius ſtatues, cum redierit paſtor Eccleſiæ *Heniochenæ*. Principes *Hennebergici* rurſus, poſtquam hinc abiiſti, ad me ſcripſerunt, & petunt paſtorem mitti in pagum, ubi reditus ſunt ſexaginta aureorum. Si quis iſtic vult ad eam Eccleſiam proficiſci, ad me veniat. Bene vale. Die II. Novemb.

Ep. 276. (margin, beside the opening of the letter above)

Reverendo viro, pietate & Doctrina præſtanti D. Sebaſtiano Stibaro, Paſtori Eccleſiæ Dei in oppido Weiſſenburg, amico ſuo colendo, S.D.

Ep. 277. VEnerande vir, Cum poſt reditum ex *Babylone* conveniſſet multitudo ad ruinas *Jeroſolymæ*, G nec mœnibus, nec præſidiis ſe contra latrocinia defendere poſſet, Filius Dei conſolatur *Zachariam*, inquiens: *Ego ero murus igneus.* Item, *Non in exercitu, nec in robore, ſed in Spiritu meo, dicit Dominus.* Ita nunc ſciamus Filium Dei protecturum eſſe pias familias rectè docentium. Nec frangamur dolore ac metu propter minas Monarcharum, nec propter novos tumultus, novas ſpes

ſomniemus, ſed tantum expectemus à Filio Dei cuſtode ſui gregis, auxilium, gubernationem & defenſionem, & in noſtra vocatione piè ſerviamus. Hæc malui ſcribere quàm hiſtoriam de bello *Saxonico*, in quo nihil adhuc geſtum eſt quod in alterutràm partem magnum momentum adferat. Caſtra ſunt adhuc vicina urbi *Meideburg*. Sed Dei beneficio apud nos adhuc tranquillitas eſt, & filius bene valet & rectè diſcit. Oro Deum ut te & tuos ſervet ac regat. Bene & feliciter vale. Die XXIV. Octobris. Commendo tibi hunc adoleſcentem bonâ indole preditum & bene eruditum *Vuolfgangum Vueis*. Anno M.D.L.

D. *Sebaſtiano Stibaro* S. D.

Ep. 278. VEnerande vir, Exiſtimo te ut patrem φιλόστοργον ſæpe cogitare de tua familia, præſertim in his publicis periculis. Sed teneamus hanc veram conſolationem, *Generationi rectorum benedicetur*. Cuſtos eſt Filius Dei & Eccleſiæ ſuæ univerſæ, & infirmiſſimi gregis in familiis piè docentium. Hac me conſolatione unà ſuſtento, quam ſcio non inanem eſſe. Semper hic *Emmanuel* nobis aderit, & non ſinet deleri has Eccleſias, in quibus vox Euangelii incorrupta ſonat, etiamſi portæ inferorum multis modis nos oppugnant. Scripſi ad nobilem virum dominum *Baldaſarum* de *Rechberg*. Ad hunc enim filius tuus præcipuè ſcribendum eſſe judicabat. Sed ſi literas meas profuturas ei exiſtimabis ad alios, vel ad Principem ſcriptas, non deerit tibi meum officium. Spero tibi filium voluptati fore, & Deum oro ut eum ſervet & regat. Bene & feliciter vale. Die Æquinoctii verni, Anno M.D.LI.

D. *Sebaſtiano Stibaro* S. D.

Ep. 279. REverende vir & amice chariſſime, Dei beneficio, filius tuus *Johannes* rectè valet & diſcit. Ac Deum oro ut te & tuos clementer ſervet, protegat & gubernet, ſicut inquit: *Generationi rectorum benedicetur*. De periculis tuis & noſtris, non poſſum multa ſcribere. Sequamur vocem Filii Dei. *Cum ejecerint vos ex uno oppido, ite in aliud.* Uſitata ſunt Eccleſiæ exilia. Sed tamen tantiſper donec manere potes, maneas, etiamſi quædam ſeu moleſtiæ, ſeu injuriæ ferendæ ſunt, quæ ſine impietate tolerari poſſunt. Oro autem Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, ut & conſilio ſuo te regat & te ſervet incolumem. Bene vale. Die *Lucæ* M.D.LI.

Reverendo viro, eruditione & virtute præſtanti, D. Hieronymo Wellero Doctori Theologiæ, amico ſuo Chariſſimo S. D.

Ep. 280. ETſi Eccleſiæ cauſa quàm longiſſimam vitam bonis doctoribus optare debemus: tamen optemperandum eſt voluntati Dei, ſi quos hinc, tanquam ex ſtatione evocet atque abducat, præſertim cum illos ſciamus vocari ad immortalitatem. Ego quidem cogitans de morte domini *Nicolai*, ſic ſum adfectus, ut ſi quando in patriam dimitto amicos. Horũ enim diſceſſus & de charitate patriæ me admonet, & cupiditate quadam me accendit, unà proficiſcendi in loca jucundiora. Sic mors

A bonorum ac piorum admonet me de expectanda immortalitate, & deſiderium in me exuſcitat, unà cum illis, ad illam æternam ſedem ac lucem, in qua ſine peccato, ſine erroribus, ſine caligine, Dei ſapientiâ fruemur, proficiſcendi. Quare te quoque adhortor, ut animum à luctu abducas, & jam de juvanda Eccleſia veſtra cogites. Ut in acie milites ſuperſtites non decet frangi animo, ſi quos ante ſe videant extinctos eſſe, ſed in eorum ſuccedunt veſtigia: Sic nos non deſeramus traditam B nobis functionem, & precemur ut Deus nobis adſit. Scis *Chriſtum* Dominum noſtrum verè reſurrexiſſe ac regnare, ut nos, qui ipſum invocamus, gubernet. Aſcendit, ut dona det hominibus. His cogitationibus ut animum erigas, te etiam atque etiam obteſtor. D. *Lutherus* aberat apud Principem, cum adferrentur tuæ literæ. Poſtea occupatum non potui ad ſcribendum hoc tempore hortari. Bene vale. Saluta D. *Paulum* συμμαθητήν.

C

D. *Hieronymo Wellero* S. D.

ET meo animo ſic infixa eſt memoria virtutum & pietatis D. *Nicolai Hausman*, ut ſæpe de eo cogitem, ejuſque exempla mihi ipſe proponam. Ep. 281. Memini etiam quantum te dilexerit, quàm paterno adfectu complexus ſit, quàm amanter de te, præſertim quàm ſæpe locutus ſit. Ideo quàm primum mihi erit pauxillum ocii, componam aliquid. Nam hoc biduo eram aliis admodum moD leſtis negotiis oneratus. Saluta meis verbis D. *Wendalinum* & cæteros tuos collegas. A *Wendalino* etiam literas flagitato. Bene vale. Die Septemb. nono. Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo nono.

D. *Hieronymo Wellero* S. D.

TAntus dolor ac luctus adhuc eſt D. Doctoris *Martini*, ut potiùs à cogitatione interitus viri Ep. 282. E optimi D. *Nicolai* abducendus ſit, quàm ad ſcribendum adhortandus. Scribens enim magis intueretur animo hunc caſum. Luget non ipſum D. *Nicolaum*, ſed Eccleſiam, quæ amiſit virum excellentem multis dotibus boni Paſtoris. Heri conſumptus eſt dies D. Doctori *Martino* in lachrymis, nondum ſcio qualis nox diem funeſtum exceperit. Etſi igitur omnes magno in mœrore ſumus, tamen vos adhortor, ut colligatis animo ea, quæ in Euangelio tradita ſunt ad conſolationem F piorum. Non eſt extinctus D. *Nicolaus*, ſed ex his ærumnis traductus ad immortalitatem. Et quanquam Eccleſiæ cauſâ dolendum eſt: tamen ſuccumbere dolori *Chriſtianos* nequaquam decet. Repugnandum eſt mœſtitiæ, & erigendi animi & confirmandi invocatione Domini noſtri *Ieſu Chriſti*. Is rogavit pro Eccleſia. *Rogo*, inquit, *pro omnibus qui credituri ſunt per verbum Apoſtolorum, ſanctifica eos in veritate*. Ad has preces adjungamus & noſtra vota, nec dubitemus nos exaudiri. G Aderit enim & noſtris Eccleſiis noſter Pontifex *Chriſtus*. Bene & feliciter vale. Die VIII. Novemb. M.D.XXXVIII.

D. *Hieronymo Wellero* S. D.

HEri cum nuncius mihi literas tuas redderet, habebam in manibus aulicũ ſcriptum, quod Ep. 283.

in

in *Latinum* ſermonem vertebam. *Anglus* enim miſit nuncium ad Principem noſtrum, & neſcio quâ Sophiſticâ lenit illos ſuos impios articulos, quos contra Euangelii doctrinam èdidit, ac petit, nè noſtri contra eos articulos ſcribant. Impudens poſtulatio eſt. Itaque Princeps graviter & pie reſpondet, taxat illos tyrannicos articulos, & negat ſe prohibiturum, quo minus ſtylo piorum refutentur. Hac ego ſcriptione cum detinerer, non potui jam Epitaphium componere, ſed Deo volente, tempore Nundinarum componam. Novi, præter illas res *Anglicas*, nihil habemus. Ex *Polonia* literas accepi, quæ ſignificant *Sarmatiam* & *Pannoniam* hoc tempore tranquillas eſſe. *Turcicum* Tyrannum voluiſſe *Scythas* in *Poloniam* mittere, ſed *Moſchos* impetum in ipſos *Turcos* feciſſe. Ita profectò Deus pro nobis excubias agit. Bene vale. Die XXII. Septembris.

D. Hieronymo Wellero S. D.

Ep. 284. ETſi ubique varia ſunt de hujus belli cauſis judicia, divinationes & ſpes etiam diſſimiles de exitu: tamen propter imperiorum tumultus non abjiciamus veram doctrinam, neque invocationem. Sed potiùs in his publicis periculis ardentibus votis oremus Deum, ut Eccleſiæ reliquias ſervet. Qua de re ſcio tua vota cum noſtris & aliorum piorum gemitibus in tota *Germania* congruere. Moveor quidem magnitudine periculi, ſed tamen ſpero mediocrem καταστροφήν. De migratione in Academiam aliquanto poſt deliberari poſſe commodiùs arbitror. Si tranquillitatis tuæ rationem vis habere, ut honeſtè & piè fieri poſſe arbitror, nè dubita anteferendam eſſe eam ſedem, quam nunc tenes. Academiæ noſtræ caſtra ſunt plena ingentium periculorum & certaminum, ὥστε παθὼν ἔμαθον. Bene vale & reſcribe. Die VIII. Auguſti.

D. Hieronymo Wellero S. D.

Ep. 285. REverende vir & chariſſime frater, Scio te & Reverendum D. Paſtorem Eccleſiæ veſtræ, & alios prudentes & pios valdè angi curâ, de Eccleſia & patria. Sed teneamus conſolationem propoſitam à Rege *Joſaphat*: *Cum neſcimus quid agendum ſit, oculi noſtri ad te Deus tolluntur.* Commendemus & Eccleſiam & nos in ea Filio Dei, qui ſervat ſuos cœtus, ſicut in fornace *Babylonica* ſervavit conjectos in flammam, ubi ipſe coram adfuit in media flamma. Legati *Danici* acceſſerunt ad *Marchionem Albertum*, acturi de pace, oro Deum ut ſalutaria det conſilia.

Commendo vobis hos duos, quibus publico & pio ritu commendatum eſt miniſterium Euangelii, quos quidem hortatus ſum, ut te ſtudioſè audiant, & ſint memores *Paulini* præcepti: Sis aſſiduus & attentus in lectione. Non habemus hic firmam chartam, qua ad editionem Teſtimoniorum ordinarionis præcipuè nobis opus eſt. Vellem huc mitti faſciculum veſtræ chartæ firmioris ad teſtimonia ordinationis. Bene vale. Die Æquinoctii autumnalis.

D. Hieronymo Wellero S. D.

Ep. 286. REverende vir & amice chariſſime, Scio vos exerceri curâ & ſolicitudine de bello, quod in vicinia exarſit. Quod ſi utrinque peregrinæ gentes in hæc loca attraherentur, majus & aſperius bellum multæ ætates non vidiſſent, quam hoc futurum videtur. Itaque profecto aſſiduis votis & gemitibus ornandus eſt Filius Dei, ut leniat has pœnas. Adhuc *Auguſtæ* agitur, ut pax fiat. In *Saxonia* & *Bremenſi* agro exercitus eſt peditum mediocris, ſed aut nulli aut pauci equites eis adjuncti ſunt. Oremus autem Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, ut propter Filium his Eccleſiis parcat. Bene vale. Die quinto Decemb.

D. Hieronymo Wellero S. D.

DEo Patri liberatoris noſtri *Jeſu Chriſti* agamus gratias, quòd tumultum inter Duces ortum ſedavit. Utinam Eccleſiarum concordia, conſenſus, amicitia in his regionibus conſervari poſſit. Sed Diabolus molitur dilacerationes & habet organa Canonicos, qui deleri Euangelium cupiunt. Opus eſt igitur nobis vigilantiâ, precibus Deo commendemus Eccleſias, & in concionibus confirmemus tectas ſententias, & mutuam benevolentiam alamus. Sint noſtri ſermones συμβατικοί, & ad pacem inclinent animos. Ego meo loco certè hoc facere conor, de tua voluntate & tuorum collegarum etiam non dubito, quin ſitis hortatores ad pietatem & φιλοστοργίαν erga patriam & cives. Huic adoleſcenti *Eulogio*, libenter opitularer ſi potuiſſet manere. Dedi conſilium, ut alicui det mandata apud vos. Judico naturam idoneam eſſe ad virtutem. De *Epheſiis* des mandata alicui in nundinis *Lipſicis*. Soleo enim proficiſci *Lipſiam*. Et quanquam ſcio tibi res eaſdem, quas ego annotare poſſum, & notas eſſe & meditatas: tamen delector hâc ipſâ commentandi operâ, & tibi libenter morem gero. Bene vale vir optime. Die Aprilis XV. Ep. 287.

D. Hieronymo Wellero S. D.

CLariſſime vir & amice chariſſime, *Semper*, inquit *Irenæus*, *adfuit Filius Dei humano generi, Eccleſiæ videlicet ſuæ.* Hic in diluvio ſedens ad gubernaculum in *Arca*, *Argonautas* ſuos totum annum inter fluctus circumvexit, & exiguas Eccleſiæ ejus temporis reliquias ſervavit. Idem nunc quoque ſuam *Argo* ſervabit, etſi duriter quaſſatur. Quare piè facitis, quòd ſtudia literarum fovetis. *Juſti Menii* filium, doctum *Græcè* & *Latinè*, & non rudem mathematum allocuti ſumus *Marcellus* & ego, ut apud vos doceat, & in ea urbe rurſus *Græcarum* literarum ſtudia exuſcitet, ubi primùm in his regionibus *Moſellanus* docuit. Et ipſe ad vos proficiſci cupit. Sed patri prius indicandum fuit noſtrum conſilium. O rem miſeram! Iraſcuntur amici optimè volentibus Eccleſiæ & ipſis, quòd Eccleſias in his locis non deſerimus. Expectamus igitur vel ipſum *Menium* juniorem, vel literas. Si retinebitur *Menius*, mittemus alium Deo juvante, etiam idoneum. Mitto tibi pagellas, téque oro, ut ſæpe ad nos ſcribas. bene & feliciter vale. Die XVII. Martii, quo ante annos M.D.XIV. ex morte revocatus eſt in vitam *Lazarus*, quo teſtimonio confirmati, certò ſciamus promiſſiones Filii Dei veras eſſe, & auxilium expectemus. Ep. 288.

D. *Hieronymo Wellero* S. D.

Ep. 289. PLato de concordia bonorum citat hos veteres verſiculos:

Οὐ χρυσὸς ἀγλαὸς,
Οὐδ᾽ ἀδάμας ἀστράπτει πρὸς ὄψιν·
Ὡς ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὁμοφραδμὸν νόησις.

Non aurum, non Adamas ſic fulgurat, ut conſenſus bonorum virorum. Delectatus ſum igitur lectione tui libelli, conſenſum harum Eccleſiarum agnoſcens, pro quo ingenti beneficio Deo gratias agamus, & tueri ipſi in veris ſententiis ὁμόνοιαν ſtudeamus. Tibi quoque pro tuo ſcripto gratias ago. Atque utinam diu muneribus talibus inter ſe harum Eccleſiarum doctores certent, & ſimili benevolentia copulati ſint. De migratione in Academiam arbitror tempus ipſum monſtraturum certius conſilium, ut dicitur, σύμβουλος οὐδεὶς ἐστὶ βελτίων χρόνου. Bene vale. Die XVII. Auguſti.

D. *Hieronymo Wellero* S. D.

Ep. 290. REverende vir & amice chariſſime, Fecit officioſè cognatus tuus, quod iſtuc iturus literas flagitavit. Nam ſi poſſet fieri, multo ſæpius ad te ſcriberem, ac coram potiùs ſæpe de doctrina Filii Dei, & de communibus Eccleſiæ ærumnis, & conſolationibus colloquerer. Etſi hanc Cymbam Filii Dei videmus his annis variè quaſſari: tamen ſperemus Filium Dei eam ſervaturum eſſe. Sicut inquit: *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis*. Hac conſolatione te quoque erigito.

In cognato tuo indoles bona eſt, quare te oro ut cum amicis deliberes, nè propter inopiam inchoata optimarum artium ſtudia deſerere cogatur. Brevi mittam tibi aliquid recentium editionum. Bene vale. Salutem Reverendo D. *Paſtori*, & meo conterraneo & vobis omnibus opto.

D. *Hieronymo Wellero* S. D.

Ep. 291. REverende D. Doctor & chariſſime frater, Senatus *Norbergenſis* de *Mauricio* nondum reſpondit, ac moræ poteſt eſſe duplex cauſa. Non multò ante veſtrum ad nos iter, literæ noſtræ iſtuc miſſæ ſunt. Et interea certamen ibi crevit. *Culmano* mandatum eſt, nè concionetur. Miror ejus viri αὐθάδειαν quòd tot Eccleſiarum judiciis non cedit, ac doleo inter noſtros diſſidia inflammari. Hæc contentio fortaſſis etiam deliberationi Senatus moram attulit. *Salomonem* abduci *Argebana* Eccleſia fortaſſis ægrè feret. *Fridericus* quem hic audiviſtis, valet ingenio & vir honeſtus eſt ac exul, & nunc prorſus amiſit ſpem reditûs in *Bohemia* fines, ubi antea fuit: Quàm primum Senatus reſponderit, ſignificabo quid ſcripſerint, ſi veſtra deliberatio aliquantiſper differtur. Meus gener *Francofordiam* ad *Mœnum* proficiſcitur. Hodie eum in *Turingico* luto vehi arbitror. Bene & feliciter vale. Mitto pagellas. Die viceſimo ſecundo Auguſti.

D. *Hieronymo Wellero* S.D.

Ep. 292. REverende vir & chariſſime frater, Cum nuper veſtri petiviſſent ad ſe mitti *Diaconum*, qui non recuſaret ægrotos viſere, obtulit ſe hîc

A pius & doctus vir *Francus*, natus non procul à *Mœno*, *Leonartus Corona*. Quare eum ad vos mitto, & veſtro judicio & arbitrio negotium permitto. Tuas enarrationes probo, ac mihi quoque placet hæc erudita brevitas. Nam in illis prolixis & loquacibus ſcriptis verè hoc accidit, quod apud *Herodotum Spartanus* de nimis prolixâ oratione refert, *Priora oblitus, poſteriora non intelligo*. Editio mihi curæ erit. Chartas quas ſcribis nobis Senatum mittere, nondum accepi, quare inquires eam
B rem. Nam ad teſtimonia edenda non habemus hîc idoneas chartas. Mitto tibi libellum de controverſiis *Stancari*, quem volo vos ut judices legere, & quidem ſeverè judicari volo. Et quæſo ut mihi veſtras cogitationes ſignifices. Bene vale. Die XII. Octobris.

D. *Hieronymo Wellero* S. D.

REverende vir & chariſſime frater, De charta Ep. 293.
C miſſa & Senatui veſtro & tibi gratiam habeo. Sed optarim eſſe chartam denſiorem & firmiorem, qualem antea vidi iſtic factam. Grata tamen eſt pia voluntas veſtra. Si tuas conciones typographi hîc, ut ſunt inſulſi & moroſi, non excudent, curabo ut *Francofordiæ* aut *Lipſiæ* edantur. Mitto pagellas recentes, quæ utcunque & Academiæ ſtudia & noſtros dolores indicant. Bene vale. Die XXX. Januarii. Tuus cognatus nobis curæ erit.

D

D. *Hieronymo Wellero* S. D.

EXhibuit mihi adoleſcens *Johannes Stam* Epi- Ep. 294.
ſtolam ad ſe tuam, in qua nobis fauſta precatis. Talia vota piorum cum ſciam non eſſe irrita, tibi gratias ago, ac tecum oro Filium Dei cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut harum regionum Eccleſias, ſtudia & diſciplinam clementer tueatur & regat. Scimus enim non humanis præſidiis aut conſiliis
E ſervari Eccleſiam. Sed divinitùs eam, ut fœtus in alvo matris geſtatur, cuſtodiri. Hac nos conſolatione ſuſtentemus, & divinum auxilium petamus. Academiæ ſtudia Dei beneficio adhuc mediocria ſunt, ut ex pagellis, quas mitto, judicabis. Civitas *Brunſviga* duce *Henrico* paucos equites interfecit in parvo prælio. Nam *Lycaon* ille non deſinit laceſſere civitatem vicinam. Venerunt in urbem *Parthenopen*, Comites exules *Albertus Mansfeldenſis*, *Heideck* & alii quidam. Sed non-
F dum audio eos inſtructos eſſe ad tentandam eruptionem. Nos commendemus & noſtram & Eccleſiarum ſalutem Filio Dei. Bene vale. Die XXI. Junii.

D. *Hieronymo Wellero* S. D.

REverende vir & chariſſime frater, Cum o- Ep. 295.
ſtendiſſem tuas literas *Johanni Teichero*, narravit mihi, ſe hoc tempore non petiturum eſſe pu-
G blicum teſtimonium gradus, ſed ſe orare, ut ſtudia juventur liberalitate patriæ, videlicet ut aliquid mittat Senatus, ad libros emendos neceſſarios diſcenti Eccleſiæ doctrinam, & linguas. Certè *Ebream* & *Græcam* linguam ex fontibus haurire neceſſe eſt. Ea petitio cum videretur verecundior, ſcripſi ad Conſulem de libris. Teque oro, ut tua ſuffragatio accedat. Scio te, ut nomen ſonat,

ſonat ϛιλλιμα, id eſt, galeam eſſe, ac verè defenſorem piorum & ſtudioſorum civium. Quare & hunc *Teicherum* tibi commendo, cujus pietatem & modeſtiam probo. Vides quanta ſit juventutis petulantia κ᾽ ἐσίαγκα hoc triſti tempore, eò libentiùs benefaciamus modeſtis & amantibus ſynceros doctrinæ fontes, & Deum verè invocantes. Talis cum ſit *Teicherus*, quæſo ut eum Senatui commendes. Mitto tibi paginam de Genealogia *Chriſti*, in qua addimus quædam de Gentium nominibus & originibus, quæ tibi viro docto judicanda relinquo. Sed lectionem non inſuavem fore arbitror. Bene vale. Die XIII. Julii.

D. Hieronymo Wellero S. D.

Ep. 295. REverende vir & amice chariſſime, Neceſſe eſt in docenda juventute eaſdem materias ſæpe repeti, ſicut & in *Deuteronomio* præceptum eſt: ושננתם לבניך Significat enim verbum iterationem. Ideo jam relegi *Salomonis* libellos. Exemplum tibi mitto, quod optarim ſanè nitidius excuſum eſſe, ſed rerum conſideratio tibi conſolationem aliquam adferet. De bello nihil ſcribere poſſum. Audio multos ſapientes viros utrinq; de pace agere. Sed nos oremus Deum, ut ſervet Eccleſiam inter Imperiorum tumultus, & ſervaturum eſſe non dubium eſt, Bene vale & ſcribito ſæpius. Salutem opto viris reverendis & mihi chariſſimis D. Paſtori & cæteris collegis.

D. Hieronymo Wellero S. D.

Ep. 297. HAnc *Nazianzeni* ſententiam ſæpe recito, & multis volo notam eſſe: οὐδὲν οὕτως εὐφραίνειν ἡμᾶς εἴωθεν, ὡς συνειδὸς καθαρὸν καὶ ἐλπίδες ἀγαθαί. Nos igitur conſcientiâ rectæ voluntatis ſuſtentemus, quicquid accidet. Nam ſimplici ſtudio propter mandatum Dei, veritatem, quæ profectò denſis tenebris obruta fuit, quæſivimus, & multæ res bonæ rectè patefactæ ſunt. Deinde ſperemus etiam Deum exauditurum eſſe gemitus noſtros. Nam humana præſidia quàm ſint incerta, experti ſumus. Piè & ſapienter facitis, quòd ſcholam veſtram fovetis, metuo enim in multis locis futuras eſſe ſcholarum diſſipationes, quas Deus prohibeat. Cum autem *Menii* filius hic narraverit *Marcello*, ſe non ſerviturum eſſe veſtræ ſcholæ mittimus ad vos hominem *Francum*, Magiſtrum *Fridericum Zorlerum*, virum modeſtum & præclarè inſtructum eruditione in Philoſophia & utraq; lingua, qui operam vobis ſuam offert. Vobis igitur hunc *Fridericum* commendo. Bene & feliciter vale. Calend. Maii. Anno M. D. XLVIII.

D. Hieronymo Wellero S. D.

Ep. 298. REverende vir & chariſſime frater, Andivi ipſe illuſtriſſimum Ducem Electorem honorificè de te loquentem, ſignificare ſuam erga te benevolentiam. Poſtea de te etiam honorificè locuti ſunt, vir nobilis D. *Ponicaus* & doctor *Mordiſius*; quibus cum exponerem tuam petitionem, reſponderunt ſe perfecturos eſſe, ut attribuerentur tibi reditus ex Collegio veſtro. Quare admonebis eos vel tuis literis, vel per amicos. Ego etiam monitor ero, ut res perficiatur. Vidi picturam monſtri, quam miſiſti, cum eodem die mane diu contem-

A platus eſſem terribilem Cometam in *Aſcræa*, quem & vos conſideràſſe exiſtimo. Cauda directu verſus *Belgicum*, fortaſſis & *Belgico* Domino minatur, ſicut & mortem patris ipſius anteceſſit Cometa. Oro Filium Dei Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, ut nos gubernet, & ſervet harum regionum Eccleſias. Bene vale. Die VII. Martii.

D. Hieronymo Wallero S. D.

B REverende vir & chariſſime frater, Non dubito piam eſſe Illuſtriſſimi Principis Electoris Ducis *Saxoniæ Auguſti* voluntatem, & libenter adjuvare pia conſilia gubernatorum, ſed ſcis quantæ ſint in aulis difficultates. Lucet autem magis virtus, cum inter illas difficultates ſenectæ tuæ utcunque conſuluerunt. Oro autem Filium Dei, Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut viciſſim Duci *Auguſto* & ejus domeſticæ Eccleſiæ & publicæ Eccleſiæ benefaciat, C & has regiones protegat. Magna enim pericula impendent. Et profectò non ſolis humanis conſiliis ſervantur Politiæ & Eccleſiæ. Sed ſcriptum eſt, *Ego etiam in ſenecta vos geſtabo*. Bene vale. Die Palmarum. Ep. 299.

Venerando viro eruditione & virtute præſtanti D. Guilhelmo Hauſmanno, docenti Euangelium in inclyta urbe Auguſta Rhetica, fratri ſuo chariſſimo, S. D.

D CHariſſime *Guilhelme*, Ut *Cyri* edicto mandata eſt inſtauratio templi: ita nunc Imper. *Carolus* conceſſit, ut Eccleſia *Auguſtana* conſtituatur ad normam doctrinæ confeſſionis Eccleſiarum noſtrarum. Utinam hoc modo pius conſenſus in tota illa urbe conſtituatur. Paſtores & Diaconos ſenatus à nobis petivit, & te indicavi inter Paſtores aut Diaconos recipiendum. Quare ut ad me E venias, valde te oro, ut de tota re colloquamur, & ſi jam proficiſci voles, mox tibi literas daturus ſum. Valde optandum eſt, ut iſta dilacerata Eccleſia ſanetur. Id & ipſi Eccleſiæ in urbe ſalutare eſſet, & exemplum profuturum eſſet vicinis. Quare annitendum eſt, ut habeat idoneos doctores, ac ſimul Filium Dei oremus, ut eis det ſua dona, ſalutares paſtores. Bene vale. XII. Octob. Ep. 300.

D. Guilhelmo Hauſmanno S. D.

F CHariſſime *Guilhelme*, Spero vos Deo juvante & *Auguſtam* veniſſe, & vidiſſe gementes Eccleſiæ orbitatem, & diſſipationem. His magnis vulneribus ut medeatur Filius Dei *Samaritanus* civis, qui ſtetit in ſcala *Jacob*, toto cum pectore oro. Is in ſcala Eccleſiæ veſtræ etiam conſiſtens vos gubernet, & faciat vos σκεύη ἐλέους. Si exiſtimas ullos meos labores prodeſſe diſcentibus, poſtulo ut viciſſim hanc gratiam referatis, ut mihi G ſignificetis iter veſtrum, & Eccleſiarum ſtatum in urbe *Auguſta*. Mitto vobis literas, quibus ſenatus vos accerſit. Fui *Witebergæ* ante biduum, & ſpero Deo juvante nos eò redituros eſſe poſt brumam, cum *Saturnus* ex *Aquario* diſceſſerit. Abſolvi librum *De Anima*, & D. *Heucelio* & tibi exempla mittam. Nunc pertexo *Germanicos* Locos. Salutem opto vobis omnibus. D. *Heuzelio*, *Ketzmanno*, *Iacobo*, Ep. 301.

Iacobo, & à vobis peto ut mihi ſcribatis. Bene
vale. Die XI. Novemb. M.D.LII.

D. Guilhelmo Hauſmanno S. D.

Ep. 302. CHariſſime *Guilhelme*, Hanc Epiſtolam ſcripſi
die XXV. Novembris, quo *Maccabæus* ante
annos M. D.C.C. XIV. repurgato templo Encænia
inſtituit. Dies igitur me commonefaciebat, ut de
veſtris Encæniis cogitarem [illegible], quæ ut ſint
fælicia, faciat Filius Dei, qui nunc quoq; guber-
nabit & ſervabit reliquias Eccleſiæ ſuæ. Hunc Ma-
giſtrum *Georgium Melhorn* commendavi ſenatui,
quem deduces ad virum Clariſſimum *Henzelium*,
& ad eos, quibus exhibendæ ſunt literæ ad ſena-
tum ſcriptæ. Tuas literas quotidie expecto, nec
dubito te ſcripſiſſe, cum ſcias multum referre me
ſcire initia inſtaurationis Eccleſiæ veſtræ. Bene
vale & ſæpe ad me ſcribito. Die XXV. Novemb.

D. Guilhelmo Hauſmanno S. D.

Ep. 303. VEnerande *Guilhelme* & chariſſime frater, Con-
ſilium editionis rituum Eccleſiæ veſtræ pro-
bo, & vos propter Filium Dei oro, ut & concor-
diam inter vos tueamini, & non deſeratis Eccleſiam
veſtram propter malevolorum ſermones, qui, velut
Momi, arrodunt vos magis animi morbo, quam
judicio, nec tamen ſatis explicant controverſiam,
de qua litigant & explicationem impediunt. Oro
autem Filium Dei Dominum noſtrum *Ieſum Chri-
ſtum*, ut ipſe vulnera Eccleſiæ ſanet. Scribam aliàs
plura, nam nunc neceſſario labore occupatus ſum.
Bene vale, ſalutem *Iacobo* & cæteris collegis opto.
V. Martii.

D. Guilhelmo Hauſmanno S. D.

Ep. 304. VEnerande *Guilhelme*, Non libenter onero a-
lios ſumptu, ut tu quoque animadvertere po-
tuiſti. Quare vellem ampliſſimum ſenatum urbis
inclytæ *Auguſtæ Rhetica* mihi tam magnum præ-
ſertim munus, non miſiſſe. Sed tamen benevo-
lentiâ ſenatus lætor, & gratitudinem me pro mu-
nere debere fateor, ac Deum oro, ut Eccleſiam
& civitatem *Auguſtanam* protegat & gubernet.
Scripſi ad virum clariſſimum D. *Iohannem Bapti-
ſtam Hencelium*, ut meis verbis ſenatui gratitudi-
nem meam exponat, id à te quoque fieri volo.
Mitto tibi pagellas recentes, & plura exempla mi-
ſiſſem, ſed in officinis nulla erant reliqua. Collegis
ſalutem opto. In Academia Dei beneficio medio-
cria ſunt ſtudia doctrinarum, & frequentia medio-
cris. Teſtimonium tuum ſcribam hiſce diebus cum
abſolvero reſponſionem de *Stancari* controverſia,
neceſſe eſt enim me *Marchioni* Electori reſponde-
re. Mitto ad vos etiam eam reſponſionem, quia
magni momenti ea controverſia eſt; An *Chriſtus*
ſit Mediator, Redemptor, Rex, & Sacerdos tan-
tùm ſecundum humanam naturam. Attigi con-
troverſiam hanc & in his propoſitionibus quas
mitto. Bene vale, & ſæpiùs ad me ſcribito. XVII.
Junii.

D. Guilhelmo Hauſmanno S. D.

Ep. 305. VEnerande D. *Guilhelme*, Cum in ampliſſimi
ſenatus literis proximè miſſis, poſtquam vi-
A num accepi, iterum ſcriptum fuerit, ut mittam ad-
huc unum vobis adjungendum, miſi hunc *Geor-
gium Erardum*, qui fuit paſtor in Eccleſia *Northu-
ſana*, virum eruditum & modeſtum, & cujus do-
ctrina eſt incorrupta; dedi & literas ad ampliſſi-
mum ſenatum. Quare te oro ut eum adducas ad
eos, quibus literæ exhibendæ ſunt, commendabis
etiam eum viro clariſſimo domino *Baptiſta Hen-
celio*. De vino ages gratias ampliſſimo Senatui,
quod in periculoſo morbo Principi *Georgio Anhal-*
B *tino* medicina fuit. De pugna *Saxonica* prius totam
hiſtoriam ſcietis, quàm hæ literæ ad vos perve-
nient. Ideo nihil de ea tragœdia ſcribo. Oro Fi-
lium Dei ut leniat calamitates publicas & priva-
tas. Collegis tuis omnibus reverenter ſalutem opto.
Si propter bella exulare cogar, ad vos quoque ac-
cedam bibliothecæ videndæ causâ. Bene vale.
Die XVII. Julii, Anno M.D.LIII.

D. Guilhelmo Hauſmanno S. D.

C VEnerande vir & chariſſime frater, Oro Filium Ep. 306.
Dei Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, cru-
cifixum pro nobis & reſuſcitatum, cuſtodem Ec-
cleſiæ ſuæ, ut & urbis *Auguſta* publicam Eccle-
ſiam, & tuam domeſticam Eccleſiam gubernet, &
faciat ut conjugium tuum ſit felix & tranquillum;
inque Deo ſit mens una, ſit unus amor in tuo &
pudicæ uxoris pectore. Scito autem heri me & Se-
natus veſtri & veſtras literas accepiſſe, & *Stenck-*
D *feldi* βλασφημίας, quibus nequaquam langueſieri
animos veſtros ſinatis. Reſutabimus eos Deo ju-
vante perſpicuè, & ſenatui mittam meam reſpon-
ſionem poſt paucos dies. Bene vale. IX. die Octo-
bris. Mitto vobis reſponſionem de *Stancari* con-
troverſiis, quam conſiderare vos velim.

D. Guilhelmo Hauſmanno S. D.

ETſi ſpero te meas literas accepiſſe de Eccleſia Ep. 307.
E *Auguſtana*, têque jam expecto: tamen cum fi-
lius meus iſtuc proficiſceretur, iterum ad te ſcribo.
Ut *Cyrus* conceſſit inſtaurari templum: ita *Carolus*
Imperator conceſſit *Auguſtanis* conſtituere Ec-
cleſias juxta piam confeſſionem Eccleſiarum no-
ſtrarum. Senatus igitur Euangelii miniſtros à no-
bis indicari petit. Indicavi quoſdam, & in his te.
Velim igitur te ad me venire, aut certè mihi ſcri-
bere. Sed coràm multa rectiùs agi poſſunt. Quan-
quam autem ipſe ad vos proficiſci cogito: tamen
F remorantur me ſcribendo nova negotia, quæ huc
adferuntur, de quibus reſpondere cogor. Bene
vale, & huc quamprimum venito, nam hac ſe-
ptimanâ viro honeſto & docto, quem indicavi,
Auguſtanas literas dabo. Iterum vale. XIV.
Octob.

D. Guilhelmo Hauſmanno S. D.

CHariſſime *Guilhelme*. Cum & officioſum ho- Ep. 308.
G minem te cognoverim, & ſciam te intelligere
quantum noſtrâ referat, ſcire quæ ſunt erga vos
ſaniorum voluntates, valde miror ſilentium ve-
ſtrum. Nihil enim à vobis literarum poſt iter ve-
ſtrum accepi. Nunc pro mea amicitia abs te poſtu-
lo, ut mihi ſcribas & de Eccleſia veſtra, & de no-
bis. Mitto tibi faſciculum literarum *Davidis*, qua-
rum eas quæ *Auguſtanis* ſcriptæ ſunt iſtic exhibe-
to. Alteras meo fratri ſcriptas & *Marbachio* mitte
quam-

quamprimum poteris. Bene & feliciter vale, & reſcribe. Die converſionis *Pauli.*

D. Guilhelmo Hauſmanno S. D.

Ep. 309. VEnerande vir & chariſſime frater, Hunc *Iacobum Tyrgenſem*, cui hanc epiſtolam tradidi, tibi commendo, qui quidem tibi narrare poterit, quàm parum mihi temporis ad ſcribendum fuerit. Quare & tu mihi veniam dabis, & excuſabis me collegis, quibus omnibus reverenter ſalutem dices meis verbis. Refutationes *Stenckfeldis* flagitant etiam noſtri vicini in *Sileſia*. Et nuper hic pagellæ diſputationis meæ editæ ſunt. Tanta eſt autem *Stenckfeldianorum* deliriorum abſurditas in quibuſdam materiis, ut admonitione mediocri exiſtimem homines non faſcinatos abduci ab illis poſſe. Vos ut concordiam inter vos tueamini, propter Filium Dei oro, idem precantem, ut faciat æternus Pater, ut unum in ipſo ſimus. Mitto tibi rurſus editum *Examen Megalburgenſe*, in quo deſcriptiones perſonarum exiſtimo meliùs recitari. Dei beneficio in Eccleſiis harum regionum conſenſus eſt de doctrina pius. *Pruſſiaci* quærunt περὶ ὁρίσματος dogmati *Oſiandri*, quod non multos habet defenſores. Oro Filium Dei ut nos omnes & vos gubernet. Bene vale. XX. die Martii.

D. Guilhelmo Hauſmanno S. D.

Ep. 310. VEnerande vir & chariſſime frater, Vetus carmen in Muſarum hymno eſt, ὅττι καλὸν φίλον ἀεί. Nihil igitur virtute amabilius eſt. Ornat autem *Remus* eruditionem eximiâ modeſtiâ, & rectè Deum invocat; quare & à Deo eum diligi non dubito, & nos eum complecti decet. Spero futurum uſui in veſtra Eccleſia, & oro Filium Dei ſedentem ad dextram æterni Patris, ac dantem dona hominibus, ut ipſum & vos omnes gubernet, & copulet mentes docentium in Eccleſiis noſtris, piâ & æternâ concordiâ. Mitto tibi pagellas, de quibus volo te mihi judicium tuum & tuorum ſignificare. Bene vale. Calend. Maii. M.D.LIX.

D. Guilhelmo Hauſmanno S. D.

Ep. 311. VEnerande vir & chariſſime frater, Quod interdum ad nos ſcribis, & aliquid de Eccleſia veſtra ſignificas, facis officiosè: Atque utinam non ſolum per literas, ſed coràm colloqui poſſemus, prodeſſet enim interdum communis deliberatio. Nunc abſens non multa monere poſſum, quòd literas alii aliter interpretantur. Video rabiem in Monacho *Auguſtano* infinitam eſſe, quâ irritari etiam homines non iracundos, nihil mirum eſt. Et quædam opinionum diſſimilium contagia iſtic ſunt, propter quæ Eccleſia minus tranquilla eſt. Sed vos propter Filium Dei adhortor, primùm, ut vos qui idem genus doctrinæ amplectimini, & conſenſum veſtrum & animorum conjunctionem tueamini, quam ad rem etiam arte, non ſolùm animi moderatione, & ἐπιεικείᾳ & tolerantiâ opus eſt: deinde, quæſo ut præcipuè ad utilitatem Eccleſiæ directa ſit oratio. Doceatur populus de rebus neceſſariis, ut rectè cognitis doctrinæ fontibus, piæ mentes, & ament hoc genus doctrinæ, & contraria judicare & refutare poſſint. Hoſtes verò diſcernatis. Eſt interdum refutatione opus, quæ cum ſit graviter & placidè, multò plus conducit, quam ſi quis velit ſcurrilitate cum Monacho certare. Cumque auditorum veſtrorum aliqui non malitiâ adhuc habeant aliqua errorum contagia, ſed quia ſpecie veri ſeu religionis, animi occupati ſunt, quomodo ſanandi ſint, cogitandum eſt. Formula concordiæ de cœna Domini olim hìc facta eſt, quæ non defendit Papiſticam ἀρτολατρείαν, nec de præſentia *Chriſti* extra uſum loquitur. De illa tota controverſia quomodo loquendum ſit, profectò magnâ curâ cogitandum eſt. Vides in *Megalburgenſi Examine* quomodo locuti ſimus. Oro Filium Dei ut vos & nos gubernet, qui eſt λόγος æterni Patris, alloquens Eccleſiam, & eam inter horrendos mundi furores mirabiliter ſervans. De hac ipſius præſentia perſpicuè docendi ſunt homines. Tuas literas accepimus, quibus additæ erant imagines *Forſtero* miſſæ. Bis ſcripſiſti de Typographo, qui neſcio quam fabulam iſtic narravit de libro, quem velim edi. Scito totam illam fabulam à Typographo confictam eſſe, nec credas erronibus, ac magis etiam caveas, nè pecuniam des petentibus mei nominis mentione ſine meis literis. Multi vagantur impoſtores, & ſtelliones, adverſus quos tenenda eſt admonitio vetus: μέμνησο ἀπιστεῖν, ταῦτα ἄρθρα τῶν φρενῶν. Bene vale. Salutem vobis omnibus opto. Die Natali *Lutheri.*

Clariſſimo viro, prudentia, eruditione, & virtute præſtanti Domino Iohanni Baptiſtæ Hencelio, Conſuli Auguſtano, Patrono ſuo colendo, S. D.

CLariſſime vir & amice colende, Utinam, ut *Cyri* edicto mandata eſt templi inſtauratio: Ep. 312.
ita *Deus* flectat animum *Caroli* Imperatoris, ut piis & veris conſiliis, poſt tam triſtes dilacerationes, colligat Eccleſiam. Certè quod apud vos conceſſit, ſignificatio eſt voluntatis bonæ. Ac Filium Dei Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum* oremus, ut ipſe ſuam cymbam regat, & veſtræ urbis Eccleſiam quoque reſtituat. Eò magis autem curandum eſt, ut ornetur veſtra Eccleſia idoneis & piè conſentientibus doctoribus, nè nova diſſidia rurſus irritent Imperatorem, ut pœniteat eum ſuæ conceſſionis. Scripſi Senatui de *Schneſio* & *Sarcerio* antea: Nunc & de *Victorino* & ejus amico *Davide* ingenioſo viro, & de aliis quibuſdam. Eruditos & non amantes tribunicios κρατολογίας quæro. Credo poſſe attrahi *Victorinum*, poſtquam ex hac mortali vita conjunx ejus deceſſit. Et moveri eum patriæ neceſſitate decet. Scripſi ad eum, ut voluntatem ejus explorarem. Sed tuas literas plus valituras eſſe arbitror. Utinam poſſem Eccleſiæ veſtræ prodeſſe, voluntas certè mihi nequaquam deeſt. Etiam multis vicinis exemplum prodeſſet, ſi in veſtra urbe vox Euangelii incorrupta ſine diſſidiis inteſtinis ſonaret, & una conſentiens invocatio ad Deum fieret. Quid in tota hominum vita tali Eccleſiâ pulchrius & melius eſt? Hanc ad rem profectò opus eſt Doctoribus piis, eruditis & modeſtis. Prodeſſet opinor de *Victorino* ad Ducem *Saxoniæ* ſcribere. Ubicunque ſcies eſſe *Franciſcum Durandercum*, quæſo ut ei meam Epiſtolam exhiberi cures. Vir eſt integerrimus, & tibi familiariter notum & commendatum eſſe optarim. Me quoque tibi commendo. De bello non libet ſcribere. Habeo

ſignifica-

A ſignificationes. ex quibus ratiocinor, non fore victorem *Albertum Marchionem*. Nunc in *Saxonia* μονομαχίαν inchoavit filius Comitis *Mansfeldenſis*, ſed utinam non fiat ἰλιάς. Deum oro ut mitiget pœnas publicas, & ſervet apud vos & alibi ſuæ Eccleſiæ ſemina. Bene vale. V. Octob. Anno M. D. LII.

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

Ep. 313. B EXemplumq; Dei quiſq; eſt in imagine parva, inquit Ethnicus Poeta, quia vox ipſa Naturæ clamitat, nos ita conditos eſſe, ut & mens Deum rectè agnoſcat, & omnes motus noſtri cum Deo congruant. Sed hæc in patefactionibus divinis clarius tradita ſunt, quæ adfirmant velle Deum nos frui ſuâ luce in æterna conſuetudine, & in hac miſera vita tamen inchoari hanc ſapientiam oportere, & conſervare ipſum ac inſtaurare miniſterium Euangelii, & velle eum ut ſuo quiſque loco propagationem doctrinæ adjuvet. Quod cum C pie facias, viciſſim tibi Deus benefaciet. Quidam honeſtus vir *Petrus Ketzman*, ſpem mihi fecit, ſe mox ad vos profecturum eſſe, & quotidie ejus ad me adventum expecto. Cum hoc iter facturi erant hi duo Diaconi, *Gulhelmus Hanſman* & *Jacobus Rubichius*: Sed cum tardior eſſet *Petrus*, diutius hos retinere nolui. Nunc eos ampliſſimo Senatui & tibi commendo. Scio modeſtos & rectè eruditos eſſe. Sed vos eos audietis, & judicabitis an in D veſtris Eccleſiis uſui eſſe poſſint. Mitto tibi librum de doctrina & ritibus in Eccleſiis *Megalburgenſibus*, in quo doctrinam recitari rectè judico, quæ ubique eadem eſſe debet. Sed ritus humanos non neceſſe eſt ſimiles eſſe. De ea parte vobis deliberandum erit, & oro Deum, ut eam deliberationem regat. Bene vale. Die *Lucæ*.

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

Ep. 314. E CLariſſime vir & amice chariſſime. Extare pias confeſſiones in ſingulis Eccleſiis neceſſarium eſt, & contra errores, & contra calumnias malevolorum. Nec propter *Momos*, qui unum atque alterum verbum arrodunt, ſuo odio morem gerentes, deterreamur, quo minus Eccleſiis fauciis & mœſtis, quantum fieri poteſt, opem feramus. Probo & conſilium veſtrum de editione & librum ipſum. Scio quos habeatis cenſores, & ſi procedet conventus, de illa ipſa controverſia colloqui noſtros F oportet, in qua indocti & [illegible] Pontificiam ſtabiliunt, & magnarum rerum explicationem impediunt. Sed vide quales ſint voluntates quorundam. In oppido *Mollen* quod vicinum eſt *Lubecæ* convenerunt quidam concionatores ex aliquot urbibus, qui dicuntur fœdus feciſſe, ſe non venturos ad ulla colloquia, ſed de hac tota re coram tecum loqui malim, & fortaſſis erit occaſio, ut colloquamur. De vino, & Reipub. veſtræ & tibi & collegæ gratiam habeo, G quod mihi non meâ causâ, ſed propter amicos gratum eſt. Queruntur adoleſcentes, qui veſtris ſtipendiis hic aluntur, in his temporum difficultatibus ſibi acceſſione opus eſſe, & judico ipſe, quanquam ſcio eos frugales eſſe & temperantes, aliquantò majore ſumptu eis opus eſſe, ad neceſſariam corporis curam, cui tamen & *Paulus* honorem tribui jubet, quia eſt organum divinarum actionum & domicilium Dei. Nihil peto eis ad ſuperfluos uſus, ſed oro ut neceſſitatis rationem habeatis, & addatis aliquid ad annua ſtipendia. Mihi quoque curæ erit, ut Eleemoſyna hæc bene collocetur. Scriberem plura, niſi jam certis occupationibus impeditus eſſem, quas fortaſſe coram commemorabo. Bene vale. Die V. Martii.

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

B CLariſſime vir & patrone colende, Decrevit hic noſter hoſpes, vir doctus & honeſtus, *Hubertus Languetus Burgundus*, proficiſci *Auguſtam* ad *Caſparum a Nidbrack* conſiliarium Regis *Maximiliani*, & fortaſſe literas ad te ab aliis adferet, de cauſa ſui itineris. Quæſo ut eum amanter excipias. Scio prudentes viros judicare non ex hoc genere Epiſtolarum de ignotis, ſed habere alias conjecturas certiores. Eſt enim animi character ſermo. Ubi cum hoc *Huberto* collocutus fueris, dele- C ctaberis non ſolùm ſermonibus ejus, qui ſunt pleni prudentiæ: ſed etiam modeſtia, quæ in hoc viro, quanquam pene totam *Europam* vidit & multa cognovit, ſingularis eſt. Diliges igitur eum, & propter multarum rerum cognitionem, & propter optimos mores. Nuper adoleſcentem *Iſennacenſem* tibi commendavi, qui fortaſſis nondum reddidit literas. In iis literis ſignificavi tibi, *Petrum* qui ex urbe *Auguſta Ambergam* migravit, mihi ſatis contumelioſè ſcripſiſſe. ſed me uſum eſſe Phi- D loſophiâ mihi uſitatâ, hoc eſt, tacuiſſe, nec voluiſſe me litigare cum irato. Feramus injurias, & ubi poſſumus, leniamus publicas difficultates. Bene & feliciter vale. Die XXIV. Maii. Ep. 315.

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

CLariſſime vir, Sic inquit *Syracides*, quem tibi inſcriptum libenter te legere non dubito, σέβου τὸν κύριον, καὶ δόξασον ἱερέα. Cum autem utrumque Ep. 316. E magnâ pietate facias, tibi mendum hunc ſacerdotem commendo virum honeſtum & eruditum *Petrum Ketzmannum Norisbergenſem*, *Camerarii* & auditorem & amicum. Meminiſti & ampliſſimum Senatum veſtrum ad me ſcribere, ut indicarem & tales, qui Paſtores Eccleſiarum eſſent, & alios qui diaconorum munere fungerentur. Huic igitur viro optimo hortator fui, ut ad vos proficiſceretur: gemens aſpexi eum cum conjuge & parvis liberis, hoc tempore, ſævus ubi hybernis *Orion* conditur F undis, iter facientem. Te oro ut lenire ei migrationis ærumnas ſtudeas, & ampliſſimo Senatui eum commendes. Paſtor Eccleſiæ eſſe poterit, quia & ætas matura eſt gubernationi, & cum feliciter antea rexerit Eccleſiam, ſpecimen eruditionis, pietatis & modeſtiæ ita præbuit, ut & ſua Eccleſia eum dilexerit, & probarint alii. Spero & apud vos eruditionem, gravitatem & modeſtiam ejus Eccleſiæ profuturam eſſe. Bene & feliciter vale. Die XXVIII. Octob.

G

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

CLariſſime vir & patrone chariſſime, Idibus Ep. 317. Auguſti tuam Epiſtolam accepi, in qua ſciſcitaris, an miſerim ad vos aliquem cui commendaretur gubernatio ejus Eccleſiæ, in qua hactenus

deſideratur

deſideratur Paſtor. Ego verò ante menſem lite-
ras dedi viro boneſto & erudito *Georgio* nato in
Dinkelsbuhel, cujus integritas & modeſtia valde
probata eſt Eccleſiæ *Northuſanæ*, hunc juſſi ad vos
quamprimum proficiſci. Et profectum eſſe exi-
ſtimo. Etſi enim Senatus *Northuſanus* retinere
eum cupiebat: tamen quia collegam habuit ho-
minem tribunitium & μωρόκακον, diſcedere decre-
verat. Is ſi ad vos venit, probaturos vos eſſe ipſius
doctrinam & modeſtiam non dubito, tibique eum
commendo. Oro autem Filium Dei, ut & ve-
ſtram Eccleſiam & harum regionum Eccleſias
protegat. Nos etſi in luctu & metu ſumus, tamen
adhuc operas uſitatas, Dei beneficio, facimus.
Eberus viciſſim vobis omnibus fauſta precatur.
Bene & feliciter vale. Salutem opto *Wolfio* & *Cy-
priano*. Idibus Auguſti.

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

Ep. 318. ET oculi & animi hominum offenduntur, cre-
bris præſertim mutationibus rituum in tem-
plis. Ac initio *Lutherus* veſtitus ineptias etiam tu-
lit, nè novitas ſeu moroſis ſeu profanis ſermones
præberet. Quare hinc ad vos proficiſcentibus di-
ſertè dixi, ne quid ipſi mutarent in ritibus Eccle-
ſiæ veſtræ; ac hortatus ſum, ut expectarent Sena-
tûs deliberationem ea de re. Multi ſuæ conſuetu-
dini favent. Ideo monui, nè pugnarent, ut om-
nino ritus veſtri ad noſtram conſuetudinem con-
gruerent. Eandem admonitionem ſcribo nunc
D ad *Kertzmannum* & ad alios. Et hìc *Stephanum* &
Georgium amanter oravi, nè pugnarent de ritibus.
Optarem autem in veſtra vicinia, *Auguſtam*, *Vl-
mam*, ditionem Ducis *Wirtebergenſis* deliberare de
ſimili Eccleſiarum forma. Etſi enim ſcimus om-
nes, hæc ſpectacula, ut ita dicam, non oportere ſi-
milia eſſe: tamen diſſimilitudo alienat oculos &
animos populi. Ac ſperavi vos de forma Eccleſia-
rum urbis veſtræ deliberaturos eſſe, quæ poſſit
E eſſe durabilis. In pagellis veſtræ formæ quas legi,
placet mihi omitti verba in pag. 15. Bu ſeiner
ʒeit, quia fatendum eſt Spiritu Sancto tunc in-
fantes, cum baptizantur, ſanctificari. Sunt in eis
motus Spiritus Sancti quales illa ætas capit. Mihi
non diſplicet omitti Exorciſmum, ut nominant,
qui adhuc apud nos recitatur.

Ex admonitionibus de Baptiſmo maxime pro-
bo tertiam, quæ aliquo modo interpretatur verba,
F In nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti, quod
Pater recipiat propter Filium, & ſanctificet Spiri-
tu Sancto. Precationem verò ultimam de Baptiſ-
mo maximè probo. In pagellis de Cœna Domini
nihil reprehendo. Sed explicatam formam Abſo-
lutionis optarim recitari. Vides in *Megalburgenſi*
ſcripto comprehendi in forma cœnæ, admonitio-
nem, confeſſionem, abſolutionem, precationem
& gratiarum actionem. Illud autem oro, ut vigi-
lantes ſitis in tuendo conſenſu veræ doctrinæ, ac ſi
G quis in dogmate aliquo diſſidium movet, diſcedere
eum jubeatis. Bene & feliciter valete. Die Nata-
li Imperatoris *Caroli*, Anno M. CCC. LIII.

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

Ep. 319. CLariſſime vir & patrone colende, opinor in
multis rebus animadverti poſſe, me parſi-
A moniam amare, & non libenter alios ſumptu one-
rare. Quare vellem ampliſſimum Senatum ve-
ſtrum mihi non miſiſſe præſertim tam magnum
munus: Sed tamen & benevolentiâ veſtrâ dele-
ctor, & pro ipſo munere gratitudinem debere me
fateor, & ubi potero, eam declarabo meis labori-
bus. Semper amavi Ariſtocraticam gubernatio-
nem, quæ magis eſt in bene moratis civitatibus,
quàm in aulicis Imperiis; ac ſæpe dixi, exiſtimare
me Deum in urbibus hoc tempore collocâſſe Ec-
B cleſias, ut alicubi doctrinæ reliquiæ conſervaren-
tur, quia τῆς καταιγίδος ἐν μέσῳ ἐπιτηδευμάτων δι-
δασκαλίας καὶ ἐκκλησίας. Quare Filium Dei Domi-
num noſtrum *Ieſum Chriſtum* oro, ut & veſtram
civitatem & Eccleſiam veſtram ſervet, protegat
& gubernet, teque oro ut ampliſſimo Senatui meis
verbis gratitudinem animi mei exponas, ac deſe-
ras meos labores Eccleſiæ veſtræ. Hæc cum ſcri-
berem *Marchio Albertus* per *Turingiam* iter fece-
rat, properans ad exercitum Comitis *Oldeburgii*.
C Deus reſtituat pacem *Germaniæ*. Bene & feliciter
vale. D. XVII. Junii.

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

CLariſſime vir & patrone colende, Non remiſi Ep. 320.
ſcriptum concionatorum veſtrorum, quia
propter certas cauſas ipſe retexere cœpi. Et tamen
inchoatum opus aliis multis occupationibus &
itineribus mihi toties interrumpitur, ut nondum
D abſolverim. Judico autem prodeſſe perſpicuam ex-
plicationem illarum materiarum edi. Volui quaſ-
dam phraſes in veſtrorum ſcripto omitti. Hæc mi-
hi cauſa fuit retexendi. Et *Stenckfeldii* impoſturæ
monſtratis fontibus refutandæ ſunt. Prior pars de
Filii natura eſt extructa ex *Samoſatenico* ſeu *Serve-
tico* furore: Altera pars de miniſterio ex Enthuſia-
ſtarum deliriis. Impedierunt me & negotia inſpe-
ctionis Eccleſiarum in hac regione. Sed pertexam
inchoatum librum brevi. De vino Senatui & vo-
E bis gratiam habeo. Hanc autem Epiſtolam dedi
filio Doctoris *Iohannis Forſteri*, qui in noſtra Aca-
demia interpres fuit *Hebrææ* linguæ. Proficiſcitur
autem adoleſcens mortuo patre ad patruos, ut vi-
dua mater & ſorores leventur ſumptu. Nam pa-
ter domum & ſupellectilem ſuis reliquit; in tot
exiliis pecuniam colligere non potuit. Cum au-
tem & benè meritus ſit pater de Eccleſia, in pro-
pagatione linguæ *Ebrææ*, & aliis laboribus, & a-
doleſcens ſit eruditus, quæſo ut eum & ſuis & am-
F pliſſimo Senatui commendes, & tu eum ornare
ſtudeas. Poterit uſui eſſe in docenda lingua *Latina*
& artium initiis. Cumque ſit civis & *Auguſtæ*
natus, ſperat & reverenter petit auxilium à Sena-
tu, donec in ſchola aliqua docendi locum adipiſca-
tur. Quæſo ut & de patris laboribus cogites & de
dicto *Syracidæ*, *Eſto pater orphano, tunc Deus ma-
gis te diliget, quàm mater tua te diligit*. Bene &
feliciter vale. XXVII. Febr. Anno M. D. LVII.

G *D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio* S. D.

CLariſſime vir & amice colende, Sæpe cum *Al-* Ep. 321.
biim tumefactũ & ſpumantem inſpicio, gemens
cogito, non, ſi tantum lachrymarũ fundere poſſem,
quantum hic fluvius volvit undarum, exhauriri,
poſſe meum dolorem, quem jam annos triginta
circumfero propter diſſidium περὶ ἀρτολατρείας, ac
ſæpe

A ſæpe optavi & adhuc opto, ut de re tanta fiat aliquando placida piorum & eruditorum collocutio. Non poteſt tolli diſſidium generalibus verbis: & utile eſſet explicari doctrinam περὶ λόγου de Filii Dei præſentia in Eccleſia, & de naturarum proprietatibus. De his tantis rebus fortaſſis aliquando copioſiùs dicam. Sugillat me *Therſites Ratiſponenſis*, qui ſi traxerit me ad hoc certamen, dicam Deo juvante pia & perſpicua. Quid vetus Eccleſia ſenſerit B manifeſtum eſt. Legi veſtræ Eccleſiæ ritus, nec offendor reprehenſione localis incluſionis in pane: ſed quia longa declaratio in præfatione apud ſuſpicaces plus ſermonum præbebit, ſcripſi aliam formam præfationis, quæ ſi magis placet, uti eâ poteſtis. Non oſtendi aliis veſtrum ſcriptum, quia partim probaturi erant meum judicium, partim ſuſpicioſiùs interpretaturi erant veſtra verba. Ego quo utar modo loquendi, oſtendit confeſſio ſcripta propter *Tridentinam* ſynodum & approbata à C multis. Ejus confeſſionis exemplum tibi mitto, quod inſpicere poteſtis. Reſpondi vobis breviùs, quia eodem tempore cum adeſſet nuncius veſter, allatæ ſunt controverſiæ plures ex *Pomerania*, quarum flagitatur dijudicatio. Bene & feliciter vale. Die V. Septembris.

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

Ep. 322. Clariſſime vir & patrone colende, Sæpe repeto D dulciſſimam ſententiam ſcriptam in *Syracide*, *Eſto pater orphano, tunc Deus te magis diliget, quàm diligit te mater tua.* Nec verò dubito, ſæpe & te eam mente intueri in gubernatione, ac admirari promiſſionis amplitudinem. Quid enim majus promitti poteſt amore Dei erga nos tanto, qui ſuperet maternam στοργὴν; Commendo igitur tibi cauſam hujus orphani, civis veſtri, viri honeſti, eruditi & rectè judicantis ac abhorrentis à monſtroſis opinionibus. Habet tutorem ſeu durum, E ſeu iniquum, de quo fortaſſis & conſilium à te petet, & implorabit magiſtratus auxilium. Audio tutorem alieniorem eſſe à ſtudiis doctrinarum propter contagia *Stenckfeldiana*, ſicut uſitatum eſt efferari animos deliriis opinionum. Mitto tibi orationem de morte Regis *Danici*, quam judicabis exempli causâ dignam eſſe quæ à multis legatur. Scriptor, ut in luctu, non adhibuit ſplendorem, quem tamen adhibere poterat, cum talis ſit ὃ ἐπὶ μὲν μακρὸν ὑπεῖναι, ἐπὶ δὲ σφέτερα ἑλεῖν. Bene vale. XIX. F Martii, Anno M. D. LIX.

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

Ep. 323. Clariſſime vir & patrone colende, Tuas literas quibus additum erat *Romanum* carmen, primum in fine Novembris accepi. Legens carmen cogitavi de communi hominum infirmitate, ut ſcripſi alicubi:

G
Οὐ τύχαι ἀνθρώπων τῷ δ' ἐν βίῳ ἔμπεδοί εἰσι,
  καὶ φεύγουσ' ἀεὶ ὡς ἀμένηνον ὄναρ,
ἀλλὰ θεοῦ ἔλεος τοῖς εὐσεβέσιν βέβαιον,
  τούτῳ πιστεύειν χάρμα βροτοῖσι μόνον.

Petamus igitur ut Deus & gubernet nos, & leniat nobis & omnibus eum invocantibus publicas & privatas calamitates. Oremus etiam ut Monarcharum pectora flectat ad ſuam & publicam ſalutem. *Davidi* mittam literas, etſi ipſum à Rege *Danico* A accerſitum eſſe ſcio. Quid vobis reſponderint *Schnepffius* & *Victorinus* ſcire cupio. Hunc *Georgium Melhorn* virum honeſtum & eruditum Senatui commendavi, te quoque oro, ut eum complectare, ſpero uſui & ornamento fore Eccleſiæ Dei. Multum meâ refert ſcire qualia ſint initia inſtaurationis Eccleſiæ veſtræ. Quare mihi quamprimum ſignificari velim ea quæ literis digna eſſe judicabitis, ac Filium Dei oro, ut vos & Eccleſiam B in urbe veſtra & politiam gubernet. Scripſi hanc Epiſtolam die XV. Novemb. quo Encænia ante annos M. DCC. XIV. *Maccabæus* inſtituit repurgato templo. Cogitabam igitur ἐγκαινίζειν & de veſtris Encæniis, quæ utinam ſint felicia. Salutem opto D. *Hieronymo* & *Cypriano*.

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

C Numeri ſunt *Græci* Poetæ, ſed ſententia multò ante divinitùs tradita eſt: Ep. 324.

Εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λῷστα. Δυσσεβέων δ' οὔ.

Quam ſententiam expreſſit *Pſalmus* his verbis, *Generationi rectorum benedicetur.* Ejus promiſſionis divinæ exemplum videmus & in poſteris *Stephani Agricolæ*, cujus fuit eximia pietas, ut *Auguſtæ* multi norunt. Dedit ei Deus filium *Stephanum*, cujus excellens eſt ingenium & eruditio, quæ uſui eſſe Eccleſiæ poteſt. Huic *Stephano Agricolæ* hortator fui, ut ad vos proficiſceretur, quem tibi com- D mendo. Novi ejus geneſin, naturam, ſtudia, mores. Scio te & alios prudentes, ubi conſideraveritis eum, idem judicaturos eſſe, quod ego judico, honeſtum hominem eſſe, & uſui & ornamento eum Eccleſiæ Dei eſſe. Quare veſtræ eum Eccleſiæ ſervire optarim, téque ut eum complectaris oro. Bene & feliciter vale. Die Brumæ.

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S.D.

E
Ipſe Deus ſapiens verbo qui cuncta creavit, Ep. 325.
  Et certis annum legibus ire jubet:
Efficiat nobis veniens ſit fauſtus ut annus,
  Et clemens dextrâ nos tegat ipſe ſuâ.
Et quoniam gnatum miſit qui colligat agmen,
  Cujus ſit Doctor, vita, caputq́, λόγος.
Hic λόγος æterno natus Patre, ſemper adeſſe,
  Et cuſtos nobis & caput eſſe velit.
Viribus humanis non eſt Eccleſia tuta,
  Regum præſidiis orphana & illa caret.
F *Sed noſtram indueris cum miro fœdere maſſam,*
  Gnate Dei, ſemper nos tua membra regis.
Et facies tecum nos unum ut ſimus in ævum,
  Verâ laude tuus quo celebretur honos.

Hæc vota initio anni vobiſcum facio, quæ non ſunt irrita. Mitto & carmen de *Iohanne* Evangeliſta. Dedi autem hanc Epiſtolam legato Ducis *Saxoniæ* Electoris *Georgio Cracovio* Doctori Juris, G genero Doctoris *Pomerani*, cupidiſſimo & amicitiæ & familiaritatis tuæ. Quare te oro, ut eum complectaris. Scio utriq; & amicitiam & familiaritatem veſtram jucundam fore. Quid enim dulcius eſt bonis, doctis, rectè judicantibus ſimilium colloquiis? In *Argonautico* carmine *Triton* officia ſua hoſpitibus offert, qui quidem dicit, multa eſſe de quibus peregrini monendi ſint. Tecum igitur & hic noſter amicus interdum deliberabit. Bene & feliciter vale. Cal. Januarii, Anno 1559.

D. Iohanni

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

Ep. 326. CLariſſime vir & patrone colende, Literas tuas heri, videlicet XXIV. Octobris accepi, in quibus mihi *Remum* & *Vlricum* commendas, quibus mea officia, ſi qua præſtare potero, non deerunt. Nunc viciſſim tibi commendo *Micaelem Fabrum Winſhemenſem*, qui tuâ liberalitate jam annos aliquot fruitur. Hunc nè deſeras oro, donec locum nactus fuerit, in quo ſerviat aut alicui ſcholæ aut Eccleſiæ. *Francus* homo eſt? & amans libertatis, ſed tamen boneſti mores ſunt, & monitus obtemperat, & ſcis me *Francos* diligere. Quare te oro nè hunc *Winſhemenſem* deſeras. De *Stenckfeldianis* præſtigiis cogito his diebus hic edere brevem admonitionem. Vóſque adhortor, nè ſinatis conſtitutas apud vos Eccleſias turbari. Non dubito te poſſe judicare *Stenckfeldii* ſomnia, & paulatim vanitas eorum magis conſpicietur, ut dicitur, ἄγει δ' ἐς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος. Bene & feliciter vale. Die XXV. Octob.

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

Ep. 327. CLariſſime vir, Ut poſt *Epaminondæ* victoriam in *Græcia* ἀκρισία ἐπὶ πλείων καὶ ταραχὴ ἐγένετο, ut inquit *Xenophon*: ita & hæ regiones & vicina *Francia* nunc in majoribus periculis ſunt, poſt noſtri *Epaminondæ* interitum. Rex *Danicus* magnâ curâ pacem facere ſtudet, & jam ejus legati à Duce *Auguſto* ad *Albertum* redeunt. Oro Filium Dei pacis autorem, ut mitiget pœnas publicas & privatas. *Georgium* illum *Neapolitanum*, cui literas ad Senatum veſtrum & ad te dedi, ſcio multo ante ingreſſum eſſe iter, qui ſi ad vos venit, cognoſcere coram potuiſti, me non falsò laudâſſe ejus ingenium & eruditionem, ac ſcire cupio an ad vos venerit. Hic honeſtus & doctus vir N. *Auguſtæ* natus, proficiſcitur iſtuc ad *Velinum*, quæſo ut eum ipſi commendes, rectè doctus eſt, & mores ſunt pii & placidi, pronunciationem optarim cunctantiorem eſſe, & eum admonui, ſed tamen propter alias multas virtutes dignus eſt auxilio bonorum virorum. Bene vale. V. Septemb.

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

Ep. 328. VEtus dictum eſt ἀρχὰ ἄνδρα δείκνυσι. Etſi *Stephanus* nondum apud vos gubernavit Eccleſiam: tamen in aditu gubernationis, oſtendit naturam eſſe pugnaciorem. Judicavi & ego ejus cenſuram duriorem eſſe cum mecum eſſent ante adventum veſtri nuncii *Georgius Melborn* & *Stephanus*. Ac de meo judicio ad te ſcripſi lecto toto libello veſtro, cui titulus eſt *Forma Ceremoniarum* &c. Eam Epiſtolam afferet *Georgius Melborn*. Literas Senatûs veſtri ad me ſcriptas, juſſi nuncium veſtrum adferre *Stephano*, cúmque adhortatus ſum, ut verecundè reſponderet. Tuas, quia vehementiùs ſcriptæ ſunt, non miſi nè adoleſcentem iracundum, ut video, accenderent, ut Senatui minùs placidè reſponderet. Scio me reprehendi, quod minus ſim pugnax. Etſi autem fateor me hominem & quidem imbecillem & miſerum eſſe: tamen in tanta confuſione rerum lenitatem & cunctantiorem certo conſilio cenſui adhibendam eſſe. Et ſæpe illud *Iſocrateum* uſurpo, Κράτιστον μὲν τῆς ἀκμῆς τῶν καιρῶν τυγχάνειν. ἐπειδὴ δὲ δυσκαταμαθήτους ἔχουσιν, ἐλλείπειν αἱροῦ μᾶλλον, καὶ μὴ πλεονάζειν· αἱ γὰρ μετριότητες μᾶλλον ἐν ταῖς ἐνδείαις, ἢ ταῖς ὑπερβολαῖς ἰσχύουσι. Erit autem & pietatis & prudentiæ tuæ cavere, ne diſſidia inter docentes oriantur. Bene & feliciter vale. IV. Martii, Anno M. D. LIII.

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

CLariſſime vir & patrone chariſſime, Hæc cum ſcriberem Calendis Maii, intuens utriuſque Apoſtoli ærumnas, *Iacobi*, qui *Ieroſolymæ* triginta annis ſpectator fuit horribilium ſeditionum; & *Philippi*, qui in urbe *Hierapoli* vicina *Coloſſis*, ubi *Typhon* ardens ſepultus ferebatur, magna certamina cum *Typhonis* cultoribus habuit: multa cogitabam de miſeriis Eccleſiæ hujus temporis. Habemus Pontifices nihilo meliores *Sadducæo Ananiâ*, qui *Iacobum* interfecit. Habemus & *Typhonas*, qui nos terribiliter adflant, *Staphylos*, *Caniſios*, *Stenckfeldios*, καὶ τὸ Βλακεῖδες τάγμα. Inter hæc portenta tamen, nos qui ſumus veræ Eccleſiæ membra, ſine odiis, ac ſine ſophiſtica quærimus veritatem. Filius Dei Dominus noſter *Ieſus Chriſtus*, crucifixus pro nobis & reſuſcitatus, ſedens ad dextram æterni Patris, ac dona largiens hominibus, ſervabit nos, & ut nos gubernet & protegat toto eum pectore oro. Grata ei etiam eſt pietas veſtra, quòd quæritis Doctores Eccleſiarum pios, eruditos, modeſtos, abhorrentes à ſophiſtica & à rixis. Judico *Remi* naturam placidam eſſe, & rectè eruditus eſt, & Deum verè invocat. Quare eum tibi & ornatiſſimis viris, quibus curæ eſt Eccleſia veſtra, commendo, téq; oro, ut eum complectaris & paternis conſiliis gubernes. Spero etiam tibi modeſtè obtemperaturum eſſe. *Victorinus* vir integerrimus & rectè invocans Deum, experitur ſuos *Typhonas*, quem ut liberet Filius Dei, cuſtos Eccleſiæ ſuæ opto. Mitto tibi pagellas, in quibus leves flatus *Typhonibus* oppono, téq; oro, ut judicium mihi tuum ſignifices. Bene vale. *Georgium Cracovium* gaudeo tibi notum eſſe, is prædicat tua officia. Vobis autem ſalutem opto. Calend. Maii. Ep. 329.

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

CLariſſime vir & patrone colende, Animadverterunt homines docti fatales periodos eſſe regnorum poſt annum quingenteſimum aut circiter. Et exempla multa ſunt *Iſraelitica* Reipublicæ, *Laconica*, *Romana*. Et *Daniel* numerum annorum tradidit annos 490. Sunt autem exacti anni quingenti horum regnorum, *Germanici*, *Hungarici*, & *Polonici*, inde uſq; ab eo tempore, quo & in *Germania* Electorum Senatus conſtitutus eſt, & forma regnorum *Hungarici* & *Polonici* inſtituta eſt, quæ hactenus duravit. Nunc in *Pannonia* videmus initia magnæ mutationis, quæ etiam vicinis minitantur. Nuper *Vratiſlaviæ* conſpecta eſt in aëre ſpecies navis igneâ, & Iris plena ſcoparum flammearum, quâ ſpecie denunciari *Turcicas* irruptiones exiſtimo. Cum igitur impendeat fatalis mutatio generi humano, ſæpe cogito Deum ſingulari beneficio collocâſſe Eccleſias in urbibus Ariſtocraticis, ut ibi ſemina Doctrinarum ſerventur, cum paſſim fiant vaſtationes in iis locis, in quibus Principes dominantur. Oro igitur Filium Dei Ep. 330.

 cuſtodem

cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut urbes *Germanicas* protegat & gubernet: Quantum etiam ego poſſum præſtantes viros in urbibus oro, ut & foveant Eccleſias, & ſtudiis opem ferant, quod tu quidem tuo judicio & pietate tuâ, magno labore facis. Quare Deum oro, ut te & tuos ſervet & regat. Nunc autem tibi hunc *Leonardum Menardum Auguſtanum* commendo, honeſtum & doctum virum. Legi enim ipſius ſcripta, & eum audivi cum nuper ejus eruditio exploraretur. Quæſo autem ut eum patronis ſuis *Rolingero* & *Georgio* à *Steten* commendes. Quantum referat Eccleſias commendari bonis ingeniis & rectè eruditis ſæpe comperimus. Judico autem naturam hujus *Leonarti* bonam eſſe, & doctrinam amat utilem pietati & paci. Bene & feliciter vale. Die XXVII. Auguſti.

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

Ep. 331. CLariſſime vir & patrone chariſſime, Etſi magis aliis occupationibus, quàm meâ voluntate factum eſt, ut inchoatam refutationem hominis fanatici, qui juſtè ex civitate veſtra expulſus eſt, non pertexuerim: tamen eo minùs incommodi eſt in mora, quia poſt illud tempus magis inſulſa ſcripta edita ſunt à *Stenckfeldianis*, quorum cum ſit manifeſta abſurditas, utile eſt in refutatione eorum mentionem facere. Et erant in ſcripto veſtrorum quædam, quæ ſi edita eſſent, majores contentiones paritura erant hac ætate tam cupidâ rixarum. De quibuſdam materiis etiam valde optarem me tecum poſſe coram loqui. Nunc tibi commendo *Iohannem Dorſium* orphanum, natum in urbe veſtra, doctum & modeſtum virum, qui hinc propter valetudinem diſcedit. Cúmq; eum diligenter audiverim, & ad modeſtiam magno animi motu & dolore hortatus ſim, addidimus etiam teſtimonium ordinationis in Eccleſia, tradetis igitur ei locum docendi in aliqua Eccleſia, téq; oro, ut eum adjuves. Spero tuis conſiliis in omnibus rebus obtemperaturum eſſe. Nec profectò ullum vobis commendaturus ſum, qui videbitur ἐριστικὸς eſſe. Commendo tibi etiam *Michaelis Lucii* petitionem. Bene vale. Cal. Maii.

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

Ep. 332. CLariſſime vir & patrone colende, Eſt omninò in deligendis concionatoribus hoc quoq; conſiderandum, quod *Plato* ex *Æſchylo* citat, ἀλλ᾽ πρὸς ἄλλων πόλιν τεταγμένος, hoc eſt, videndum quorum congruat ſenſus ad judicia & voluntates eorum ad quos mittuntur. Sed nos in deligendo ſæpe impedimur. *Petrum* qui à vobis diſceſſit magis congruere ad *Bavaricos* ſenſus exiſtimo, quam ad veſtræ civitatis judicia. Contumeliosè ad me ſcripſit, poſtquam à vobis diſceſſit, ſed nihil reſpondi homini irato, diu enim hanc philoſophiam exerceo, ne litigem cum iratis. Et reſponderem faciliùs, ſi de fontibus diſſidiorum dicere liceret, de quibus oro Filium Dei, ut ipſe Eccleſiæ ſuæ medeatur. Nunc autem huic N.N. literas ad te dedi, qui iſtuc proficiſcitur, ut quærat patronum, cujus ipſe filios doceat, & cum eis aliquando in *Italiam* aut aliarum regionum Academias mittatur, aut à quo ſtudia ipſius quoquo modo juventur. Mores ſunt honeſti & placidi, & ingenii bonitas ex ejus ſcriptis judicari poteſt, quorum ad te ſpecimen mitto. Scia in hac confuſione Reipub. paucis curæ eſſe ſtudia doctrinarum, Ad te igitur intelligentem et amantem doctrinas confugimus, téq; oro quantum poſſum, nè deſis huic *Henrico*. Hactenus exercuit ſe in formanda oratione in Philoſophia: Nunc aut doctrinæ Juris aut arti Medicæ ſe dederet, ut occaſio, aut patroni, ſi quem nactus erit, voluntas ſuadebit. Si hoc genere literarum ad alium ineruditum uterer, metuerem non levem reprehenſionem. Sed ad te eò ſimpliciùs ſcribo, quia ſcio te & literas tueri, & bonis ingeniis libenter benefacere. Quantum igitur poſſum te oro, ut huic *Henrico* operam feras. Hæc pietas etiam Deo grata erit. Bene & feliciter vale.

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

EXiguo intervallo duo *Saxoniæ* Duces extincti ſunt, qui brevia & vitæ & gubernationis ſpacia habuerunt, qui ſi concordes fuiſſent, conjunctio eorum patriæ, ipſis, Eccleſiæ & univerſæ *Germaniæ* ſalutaris fuiſſet. Ac ſæpe dolui ante annos decem cum ſemina diſſidiorum ſpargi vidimus, ex quibus orta eſt tragœdia, cujus finem nondum vidımus. Precemur autem Filium Dei Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, cuſtodem Eccleſiæ, ut pœnas *Germaniæ* leniat, nec ſinat fieri barbaricam in ea vaſtationem. Audiviſti haud dubie tranſactionem inter Duces *Saxoniæ* factam eſſe, quæ utinam & pacem his regionibus, & inter ipſos principes concordiam & amicitiam æternam pariat. Sed ſæpe jam vidimus levibus occaſionibus diſtractas eſſe amicorum voluntates. Oremus igitur Deum pacis autorem ut nobis adſit. Vos in urbibus Ariſtocraticis adhortor, ut & Eccleſias ornare, & ſtudiis doctrinarum opem ferre ſtudeatis. Hunc *Iacobum Hoferum* tibi commendo, qui ſperat ſe locum docendi habiturum eſſe in Eccleſia *Vngerſhuſenſi*. Bene & feliciter vale. XX. Martii. Ep. 333.

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

VIr clariſſime, Vides in hac delira mundi ſenecta & opinionum & imperiorum deliria majora eſſe, quæ non prorſus ſanabuntur. Sed bonæ mentes in Eccleſia orent Filium Dei, ut ipſe, ſicut *Samaritanus* ille, quem deſcribit, ſaucio viatori medetur, noſtris vulneribus quoque medeatur. Deinde & pii gubernatores ſuo quiſque loco, quantum poſſunt, ægrum Eccleſiæ corpus foveant, & ut *Pindarus* inquit, μαλακᾷ χερὶ admoveant. Ego quâ utar formâ doctrinæ, & quos hoſtes eſſe cenſeam oſtendunt mea ſcripta. Et ſoleo monere cæteros, ut fontes doctrinæ rectè diſcant, & aliis rectè proponant & magis ſtudeant conſulere ſuis auditoribus, quàm præliari cum hoſtibus. Aliquando refutatione opus eſt, quæ ſit gravis & erudita. Ego naturâ abhorreo ab illa βωμολοχίᾳ quam exercet Monachus apud vos, tantum abeſt, ut aut poſſim ipſe imitari, aut delecter ſi alii imitentur. Utinam etiam multi prudenter diſcernerent adverſarios. Scripſi *Gulielmo* me orare, ut collegæ ſtudeant tueri concordiam, & de cœna Domini formulâ concordiæ contenti ſint, nec Papiſticam ἀρτολατρείας propugnent. O rem miſeram! de aliis maximis rebus doceri Eccleſiam neceſſe erat, cur Filius dicatur λόγος, quomodo ſemper adfuerit Ep. 334.

&

& adſit Eccleſiæ, & eam alloquatur & ſervet inter horrendos mundi furores, quod per eum Pater æternus colligat Eccleſiam, quomodo facienda ſit invocatio, de his tantis rebus & ſæpius & perſpicuè dicendum erat, & hæc præſentia illuſtranda erant & accendenda fides, ut ea intueretur in quotidiana invocatione. Interea quales diſputationes in Eccleſiam περὶ μετεμψυχώσεως invectæ ſunt? Sed Deum oro ut nos gubernet. Nunc ſubitò non potui longum ſcriptum ad Paſtores Eccleſiarum veſtrarum inſtituere. Sed ſcribam aliàs, præſertim ſi cognovero meliùs, quò dirigenda ſit oratio. Bene & feliciter vale. Die Natali *Lutheri*.

D. Iohanni Baptiſtæ Hencelio S. D.

Ep. 335. CLariſſime vir & patrone colende, Sciebam tibi jam ad alios dolores accedere cogitationem & curam de bellis *Pannonicis*, in quibus niſi Deus *Turcos* repreſſerit, non dubium eſt in *Germaniam* proceſſuros eſſe. Sed precemur Filium Dei Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut pœnas Eccleſiæ mitiget. Profectò enim ruunt & ruent imperia horribiliter in hac ultima & languida mundi ſenecta. Sed tamen quia ſervabit Deus Eccleſiæ reliquias, ſtudia doctrinarum non abjiciamus. Quare quod facis, opitulare ſcholaſticis: Scio frugales eſſe veſtros, & intelligere beneficio publico reverenter utendum eſſe, ſed precia rerum augentur, non ſolùm difficultatibus temporum, & Imperiorum oneribus, ſed etiam privatorum hominum injuſtitia. Cum igitur reverenter petant veſtri ſcholaſtici, ut aliquid ad ſtipendia addatur, quæſo ut eos, & ſuffragione tuâ & autoritate & vera beneficentia tuæ naturæ adjuves. Utilia certè docemus, & ſumus hortatores, ut noſtri ament publicam tranquillitatem, & pietatem eſſe ſciant, non inutiles rixas movere, ſed veris gemitibus Deum invocare, & præſtare ei λογικὴν λατρείαν & cultus, quos docet. Hæc non fruſtra audire pleroſque ſpero. Modeſtè enim vivunt, & ſpero domi concordiæ publicæ ſtudioſos fore. Oro autem Filium Dei ut nos omnes gubernet, & propter ſuam gloriam ſervet Eccleſiæ reliquias, & nos inter illas. Bene & feliciter vale. Die XVII. Septemb. quo Arca *Nohæ* primùm quieſcere cœpit ante annos MMM.DCCC. LXII. utinam nunc quoque Arca *Chriſti* quieſcat.

Clariſſimo & Doctiſſimo viro, D. Burcardo Mithobio Doctori Medicinæ & ἀρχιάτρῳ *in aula Brunſuicenſi, Amico ſuo charisſimo* S. D.

Ep. 336. VAlde delector benevolentiâ erga me tuâ Nam & ego te propter egregiam virtutem ac eruditionem tuam admiror ac amo, téque rogo, nè effluere ex animo tuo amorem mei ſinas. Et quoniam Philoſophicas amicitias referri ad utilitatem publicam decet, demus operam ut cõmunicatione conſiliorum atq; operarum juvemus res bonas, & ornemus gloriam Dei. Mea vobis officia in hac re non defutura ſunt. Ut autem vos Medici dicitis ὠμὰ μὴ κινεῖν. *Cruda non movenda eſſe*: ita velim vos [illegible] Eccleſiis veſtris quærere idoneos & moderatos concionatores, qui prius docerent ali-

A quandiu po[illegible]m, quam mutatio rituum inſtituatur. Conciones pias & moderatas prohibere *Mezentius* non poterit. Habes ſummam mei conſilii. Deus conditor omnium rerum & Pater liberatoris noſtri *Ieſu Chriſti*, quem pro nobis victimam fieri voluit, ſervet Illuſtriſſimam Dominam, & Filium ejus bonæ indolis, & bonæ ſpei Adoleſcentem. Tuas Epiſtolas hac æſtate miſſas accepi, primam *Smalcaldiæ*, alteram in *Duringia*, cum eſſem horribili morbo oppreſſus, qui tan-
B tum ex animi dolore ortus erat, quem aliena mihi audacia attulerat, de qua tu quoque quereris. Sed eum virum de quo ſcribis noſti, cum molitur aliquid, quam callidè & aſtutè aditum ſibi facere ad res odioſas ſoleat, donec illexerit homines in naſſam. *Corvinus* caret culpâ. Alii prius capti fuerunt. Cúmque multa ſint in eo negotio deformia & odioſa, illud miror tantam eſſe viri duritiem, ut nihil moveatur tot bonorum hominum ſummo dolore. Sed amor nil talia curat. Ego fuiſſem ex-
C tinctus, niſi adventu *Lutheri* ex media morte revocatus eſſem. Nunc te oro, ut Deo cauſam commendes, & horteris eos, qui de eo negotio loquuntur, ut hos ſermones premant, nec judicent te non integrè cognita. Coram fontes tibi exponam, quos etiam ſerò poſt factum animadverti. Quantò atrocius eſt *Anglicum* ſcelus? *Anglicus* Tyrannus divortium facit cum *Iuliacenſi* nupta. O dirum Tyrannum! Sed hæc omitto. *Ferdinandus* mortuo *Iohanne* Rege *Hungarico* erit occupatus *Pannonicis*
D rebus, Ideo arbitror non moturum bellum in *Germania*. Bene vale. II. Septemb.

D. Burcardo Mithobio S. D.

ET optarim te hac iter facere, & venienti multa de inſidioſiſſimis actionibus narrarem, & de cæteris rebus, quæ literis committi non poſſunt. De concionatore cum *Luthero* & D. *Pomerano* deliberabo, quos ſcio cupere optimè conſultum Ec- Ep. 337.
E cleſiis veſtris, & Illuſtriſſimam Dominam, piis votis Deo commendare. De monaſteriis quod ſignificas, quoſdam eſſe cunctantiores, relinquamus illis ſuam ſapientiam, fortaſſis volunt [illegible], etſi ſæpe jam magno cum dolore expertus ſum, admodum eſſe inconſtantes τῶν ἀρχόντων animos. Vos initio pugnate, ut populi Eccleſiæ, ſeu, ut vocantur, παροικίαι benè inſtaurentur, & conſtituantur. Plerique Principes etiam ante hoc tempus multò fuerunt in diripien-
F dis Monaſteriis diligentiores, quam in conſtituendis παροικίαις & ſcholis. Sed expectemus venientem annum, qui fortaſſis excitiet noſtris Heroibus veternum, ludos, voluptates, amores, rixas. Hactenus alii ſævierunt in Eccleſias, alii finxerunt corruptelas doctrinæ, certârunt obſcœnis libellis, finxerunt inſulſos dialogos, oblectârunt ſe *Venereis* voluptatibus, neglexerunt Eccleſias & ſcholas, certarunt ambitione, nunc *Nemeſis* attrahit
G non contemnendum hoſtem. Sed oremus Deum ut regat Eccleſias, & noſtros etiam ad vera τῆς εὐσεβείας officia exuſcitet. Vidi dialogum, & fui diſſuaſor editionis. Fabula per ſeſe paulatim conſileſcet, ſed quidã putant eſſe egregium κατόρθωμα rem tam abſurdam ornare, ſicut ille *Sarmaticus* Aſtronomus, qui movet terram & figit Solem. Profectò ſapientes gubernatores deberent ingeniorum petulantiam coercere. Bene vale. Die XVI. Octob.

D. Burcardo Mithobio S. D.

Ep. 338. LEgi edictum quod Illuſtriſſima Domina editura eſt, in quo pauca verba, ut videbis, mutavi. De Miſſis privatis abolendis arbitror conſulto nihil dici. Sed tamen prodeſſet & hunc locum inſeri, cum cætera omnia ſitis complexi, quæ quidem mihi probantur. Deum Patrem liberatoris noſtri *Ieſu Chriſti* oro, ut gubernet & adjuvet conſilia reſtituendarum Eccleſiarum, quâ in re frangi animis non debemus, etiamſi objicit nobis *Chriſti* hoſtis ſerpens, triſtia ſcandala ac impedimenta. Utinam coram tecum aliquando loqui poſſem. De hujus anni tempeſtatibus cum ſuperiore hyeme ad te ſcriberem, meminiſti conjecturas noſtras, de futura tuas audire cupio. Et precor ut Deus conditor naturæ propter Euangelii ſui gloriam det fruges & pacem propter politias, quæ ſunt Eccleſiarum piarum hoſpitia. Bene vale vir optime & doctiſſ. Die XIII. Octob. Anno M. D. XL. Salutat tuam Excellentiam reverenter & officiosè *Eraſmus Reinholdus* profeſſor Mathematum.

D. Burcardo Mithobio S. D.

Ep. 339. ET properabat tabellarius, & hoc ipſo die jam ſex Epiſtolas ſcripſeram. Ideo ignoſcas brevitati. Scripſit autem ad illuſtriſſimam Dominam D. *Lutherus*, qui de te amantiſſimè ſentit. De concionatore mittendo, ſcito nos eum quodam *Martino Giberto* egiſſe, ut ad aulam veſtram proficiſcatur, ſi fuerit accerſitus. Etſi docti reformidant etiam nomen aulæ, ut ſcis: tamen hic ſpem aliquam nobis fecit, eſt vir doctus Græcè & Latinè, Muſicus, & docet Adoleſcentiam in vicino oppido *Lucca*, ſed interdum concionatur. Mores ſunt modeſti, pii, & placidi. Eſt enim paterfamilias. Dixi ei me ad te de ipſo ſcripturum eſſe. Ante paſcha non poteſt diſcedere ex eo munere, quo nunc fungitur. Quare ſi illuſtriſſ. Domina volet eum accerſere, literas nobis mittat, ut audiatur, & ut ipſe coràm de tota re ſuam ſententiam nobis exponere poſſit. Noſtra opera ſi quid modò à nobis fieri poteſt, quod ſit utile Eccleſiis veſtris, non defutura eſt vobis. Scio te integritate & virtute eximiâ præditum & Eccleſiæ *Chriſti*, & Reip. optimè velle, ideo tibi ex animo benè volo, teq; facio plurimi, ac oro Deum ut vos gubernet. Bene vale. Die VII. Decemb.

D. Burcardo Mithobio S. D.

Ep. 340. HAnc Epiſtolam dedi Magiſtro *Tilemanno* cui audio commendatam eſſe gubernationem Eccleſiæ *Northemenſis*, vir doctus, honeſtus, gravis & pius eſt, quare eum tibi commendo. Nec dubito te probaturum eſſe mores ejus, ubi cognoveris. Illuſtriſſimam Principem velim mihi placari, nam propter *Giberti* inconſtantiam, mihi ſuccenſere dicitur. Et ſilentio tuo moveor, ſed mea nulla culpa eſt. Homo *Gallus* maluit in *Myſia* vivere propter Dialectum, & fortaſſe quia *Myſnica* gentis comitate delectatur. Spero vos hunc *Saxonem Tilemannum* magis probaturos eſſe. Mea vobis officia non deerunt. Deum oro ut adjuvet noſtros Duces adverſus hoſtes Euangelii, & det placidam *καταστολὴν* huic periculoſo motui. Bene vale & reſcribe. Die *Magdalenæ*.

D. Burcardo Mithobio S. D.

GRatiam habeo & Illuſtriſſ. Dominæ Principi & vobis, quod hunc hoſpitem adjuviſtis, ac commendo eum vobis. Vides optime & doctiſſ. D. *Mithobi* oriri fatales tumultus imperiorum, quare majore curâ foveamus Eccleſias, nè funditùs intereant ſumma bona, quæ Deus conſervari vult, & quorum cauſa conditi ſunt homines, doctrina ſcilicet cœleſtis, & aliarum utilium artium ſtudia. Mihi ex *Venetiis* ſcribitur, *Turcicum* Tyrannum adducere tantum exercitum, quantum nemo ex ejus majoribus duxit. Hæc congruunt ad *Ezechielis* vaticinium de multitudine *Gog* & *Magog*. Sed Deum oremus, ut ſuas Eccleſias defendat, & ſervet, nec ſinat deleri nomen Filii ſui. Mitto tibi duas conciunculas, quarum lectionem tibi non injucundam fore arbitrabar. Bene vale. Ep. 341.

D. Burcardo Mithobio S. D.

ROgavit me hic noſter amicus *Juſtus*, Scriba Senatus *Hamelenſis*, ut ſibi literas ad te darem. Cupit enim aditum ſibi ad tuam amicitiam patefieri. In Academia noſtra amplius decennio vixit, ac quanquam attigit Philoſophiæ ſtudia, tamen poſtea dedit operam Juri civili. Sed ad id adjunxit optimos mores, & pietatem *Chriſtianam*, quod pauci præſertim in ea profeſſione faciunt. Complecteris igitur ipſum amanter, ut autoritate tua aulæ commendatior ſit. Sed de his tempeſtatibus quid ſentis? quæ cauſa tantæ humiditatis? Ego ad Eclipſin in Tauro, quæ fuit, refero, & tunc quoq; judicavi pluvias immodicas allaturam eſſe, & corrupturam ſegetes. Oremus igitur Deum, ut mala publica & privata, miſertus Eccleſiæ, mitiget. His diebus accepimus literas, ingentes exercitus terrâ marique *Turcam* habere, & vexaturum eſſe claſſe oram *Siciliæ*. Cæſar *Carolus* petit à *Venetis* ut opponant claſſem. Hi reſpondent, ſe cæteris ſociis ceſſantibus ſolos non poſſe ſuſtinere belli molem. Interea Pontifices conantur implicare Cæſarem *Germanicis* bellis, ac ne quidem *Italiæ* periculo moventur. Bene & feliciter vale. Pridie Calend. Febr. Anno M. D. XL. Ep. 342.

D. Burcardo Mithobio S. D.

ESaias inquit, Reginas aliquas fore nutrices Eccleſiæ, quo in numero juſtè recenſetur, & inclyta Domina Princeps *Brunſuicenſis*. Dulciſſima eſt autem nutricis appellatio, quia materno affectui proxima eſt nutrix, & paſcere lacte ſignificat gubernationis moderationem. Fovet autem Princeps tua ſuas Eccleſias ſuavi gubernatione, ſine crudelitate, & impertit Euangelium populis. Hæc verè ſunt Heroica, & Deo grata officia. Quare Deum oro, ut ipſam & filium ſervet, defendat, & regat, voſque omnes adjuvet, ut veſtra conſilia ſint ſalutaria. Vides paſſim alios Principes, implicari alienis & non neceſſariis negotiis, quæ quidem ſibi ultrò ſua *πολυπραγμοσύνῃ* accerſunt. Hinc multum eſt in *Germania* tumultuum & periculorum. Si ſuas ſinguli Eccleſias & politias ornarent, minus eſſet periculorum. Sed Deum oremus, ut *Germaniæ* concedat mediocrem tranquillitatem, propter pia ſtudia, quæ nunc quidem, Dei beneficio, Ep. 343.

beneficio, in alias terras ex *Germania* propagantur. Certum eſt in magno tractu ad *Tibiſcum*, ſub *Turcis* in *Pannonia* Eccleſias piè nunc inſtaurari, & propagari doctrinam in *Tranſylvaniam* & *Walachos*. Deus ſervet reliquias Eccleſiæ ſuæ. De ſcripto de *Chriſtiana* vidua, cogitabo, quàm primum audiero, quid de conventu futurum ſit. Si enim domi manebo citò abſolvam. Bene vale. Die VIII. Januarii.

D. Burcardo Mithobio S. D.

Ep. 344. ILluſtriſſimo Principi agito gratias noſtris verbis. Tuo quoque amore & ſtudio erga nos perpetuo, vehementer delector, téque rógo ut tibi perſuadeas, verè & ex animo te à me diligi, ἄνδρα συμφιλόσοφον, καὶ εὐσεβῆ. Multa ſcribere non vacabat; mitto tibi duos libellos, ut viciſſim à nobis aliquod munus habeas. Eram additurus tertium, in quo appellationes partium *Germaniæ* veteris interpretatus ſum, ſed non erat ad manum. Bene vale.

D. Burcardo Mithobio S. D.

Ep. 345. CLariſſime vir & amice chariſſime. Ut lætantur qui tempeſtate jactati portum propè cernunt: ita lætari inquit *Euripides* amicos alioqui mœſtos, conſpectu amicorum. Ac ſæpe acquievi in tuis ſermonibus, & literis, quia ſcio te, & prudentiâ, & fide excellere. Ideo tui colloquii cupidiſſimus fui, ac paulò pòſt huc redii, cum jam vos iter ingreſſi eſſetis. Eram autem tibi mandata etiam daturus de filiabus D. *Sabini*. Quantum poſſum & te & ipſum oro, ut duas minores puellas mihi remittat, aut alterutram. Ipſe ſcit eas à me verè paterna στοργῇ diligi, & rectè erudiri. Quæſo ut hac de re amanter cum eo ac ſeriò agas. Scio tibi, ſi modò poteſt res obtineri, tutò & rectè meos commendari. Mitto tibi recentes editiones. Bene vale, Die XI. Januarii.

D. Burcardo Mithobio S. D.

Ep. 346. CLariſſime vir, & amice chariſſime. Nullum profectò majus decus hominum in hac vita eſſe judicò, quàm copulationem veræ invocationis Dei, cum vera philoſophia, hoc eſt, naturæ conſideratione. Hæc ornamenta omnibus regnis, & omnibus triumphis antefero, téque propter has pulcherrimas virtutes ſemper dilexi, & diligam. Auxiſti autem amorem erga te meum multis tuis officiis. Deus faciat ut frui noſtra amicitiâ, in vita æterna, ut certò ſpero, poſſimus. De Eccleſiis & Academiis in hac vicinia, ſcito Dei beneficio, vocem Euangelii adhuc incorruptam in templis & ſcholis ſonare, & quidem pium conſenſum eſſe Academiarum. Mitto pagellas recens editas. Paſtor Eccleſiæ noſtræ Dominus *Pomeranus* ſalutem tibi & Domino *Corvino* & cæteris amicis adſcribi juſſit. *Crucigeri* viri doctiſſimi vita propter hypochondriaca πάθη aliquo in periculo eſt, quem ut Deus ſervet vos quoque precamini. Mitterem plus pagellarum, ſi nuncius geſtare poſſet. Qui motus impendeant, etiam aſtra & prodigia ſignificant, non ſolùm minæ Principum. Sed Deus ſervabit reliquias Eccleſiæ ſuæ ſicut dixit, Ego etiam ſeneſcentem Eccleſiam geſtabo. Hac ſpe nos conſolemur, cum quidem ſciamus, nos membra eſſe veræ

A Eccleſiæ Dei, hoc eſt, ejus cœtus, qui quærit pio corde veritatem. Bene vale. Salutem opto D. *Corvino*, D. *Coco* & cæteris amicis. Pridie Cal. Sept.

D. Burcardo Mithobio S. D.

NOn ſum *Stoicus*, & aliquanto fortius dimico cum *Zenonis* familia de Fato, quam noſtri bellatores ad *Danubium* & ad *Albim* præliati ſunt. Ep. 347.
Non igitur *Stoica* ἀνάγκῃ accidiſſe nobis hæc mala,
B in quibus ſumus, judico. Sed ſunt ἐν ταῖς ἄστροις, quorum cauſas προηγουμένας, ut vos medici vocatis, multò ante collegimus, alii aliis vitiis magnâ ſecuritate & temulentiâ indulgentes. Hæc meminiſti te & me unà deplorare ante biennium, cum conſediſſemus ante meas ædes. Nunc Deum oremus ut & vulnera noſtra ſanet, & ſervet ac regat Eccleſiam ipſe ſuo Spiritu ſancto. Ego graviſſimas habui cauſas, quo minus properarem ad novam ſedem quærendam, nec ad littus *Balticum* deſcen-
C debam meâ causâ, ſed ut *Lutheri* familiam alicubi collocarem. Nunc ad *Albim* redii ad deliberationes de Academiola noſtra, quam utinam Deus inſtauret. Si nôn procedit inſtauratio, poſtea alia ſedes quærenda erit. *Dedekindi* ingenium valde probo, & Deum oro ut ſtudia ejus adjuvet, quia ea ad Eccleſiæ utilitatem refert, quod à paucis jam fieri videmus. Sed ſemen aliquod ſanctum ſervabit Deus, ut apud *Eſaiam* promittit. Dedi operam, ut extaret explicata doctrina ſine labyrinthis in
D plurimis articulis, ac optarim poſteritati de omnibus articulis certiſſimam doctrinam relinqui, quod ut fieret, anniti & Principes & Doctores ubique oportebat. Bene vale. VI. Auguſti.

D. Burcardo Mithobio S. D.

CLariſſime vir & amice chariſſime. Reddita eſt mihi recentiſſ. epiſtola tua initio menſis Iunii cum mecum eſſent *Camerarius* & alii docti viri multi in ritu nuptiali filiæ meæ. Itaque cum ad Ep. 348.
E menſam legeretur à *Camerario* tua Epiſtola graviſſime ſcripta, & conſolationem accommodatam his temporibus continens, non ſolùm mihi, ſed illis quoque gratiſſima fuit illa tua *Neſtorea* oratio. Et de tua virtute, & eruditione honorifici ſermones ſecuti ſunt. Mitto tibi Calendarium, etſi à Filio quoque mitti arbitror. Hic Adoleſcens *Paulus Smalcaldenſis*, ſeu ſi mavis *Chalcidicus*, (Nam *Lutherus* & *Eobanus Smalcaldiam Chalcidem* vocabant,) ſcribit carmen feliciter, & ingenii venam
F judicare ex ipſius verſibus poteris. Mores etiam boni ſunt. Sed ei opus eſt auxilio propter parentum inopiam. Quæſo igitur ut eum Principi optimè volenti Eccleſiis & rectis ſtudiis *Populi*, quia in ejus ditione natus eſt, commendes. De conſolatione tua gratias tibi ago, & gaudeo tuam ſententiam cum aliorum prudentum amicorum judiciis congruere. Deo juvante vocem doctrinæ, quam hactenus mediocri ſtudio recitare conatus
G ſum, & juventuti fideliter tradidi, ſonabo ſemper eandem. Et voluntas erga Eccleſiam erit eadem. Facile eſt aliis, qui ſe in arces munitiſſimas abdiderunt, vociferari de linea veſte, & ſimilibus parergis. Utinam res neceſſarias illuſtrarent. Nos de rebus magnis & neceſſariis utilia ſcripſimus & adhuc ſcribimus, nec uſquam plura ſcripta eduntur. Et quibus in periculis ſimus non eſt obſcurum.

Sed oro Deum ut nos regat & ſervet Eccleſias ſuas. A Bene vale. Die V. Iunii.

D. Burcardo Mithobio S. D.

Ep. 349. MEdiocris levatio eſt dolorum, colloqui vel coram vel per literas cum amicis benè ſentientibus. Quare mihi pergratum fuit colloquium Secretarii Inclytæ Principis veſtræ, viri prudentis & optimè volentis Eccleſiæ Dei. Dedi ei pagellas quæ oſtendunt vocem doctrinæ, Dei beneficio, in B Eccleſiis & ſcholis harum regionum ſonare adhuc incorruptam. Commendamus autem nos Deo, ſcimus enim ſolis humanis conſiliis ac præſidiis non ſervari genus humanum. Sed cuſtos eſt præſentim Eccleſiæ ſuæ Filius Dei, quem oro ut te & nos & univerſam Eccleſiam ſuam ſervet. Bene vale VIII. Ianuarii.

D. Burcardo Mithobio S. D.

Ep. 350. PAucos dies hic commoratus eſt *Fridericus* tuus, cujus tanta eſt in ſermone ſuavitas & prudentia, ut diutius ejus conſuetudine frui optarim. Reliquit autem apud me carmen, ſpecimen ingenii ſui egregium & dignum laude, quod editurus ſum. Petivit autem à me, ut ſibi concedas, ut aliquantiſper in hanc noſtram Academiam commigret, ubi ſe exiſtimat artium, & autorum varietatem majorem poſſe cognoſcere, quàm alibi. Si ad nos venerit, mea ei officia non defutura ſunt. Et talis ipſius eſt ætas, ut regere mores, ubicumq; erit, poſſit, nec eſt inutile diſcentibus multorum ſententias in diverſis locis audire, & ſecum conferre, quod ipſum ſignificavit *Homerus* inquiens,

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.

De conventu *Ratisbonenſi* nihil ſignificatur, niſi *Carolum* Imper. ægre ferre Principum abſentiam, quod certè conſentaneum eſt. Nos Deum oremus, ut ipſe ſervet Politias & Eccleſias, & det hanc mentem omnibus, ut tribuant Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & Deo quæ Dei ſunt. Bene vale. X. Maii.

D. Burcardo Mithobio S. D.

Ep. 351. CLariſſime vir & amice chariſſime, Filius tuus Dei beneficio rectè valet, & diſcit, et in noſtris tuguriolis adhuc quidem ſunt Halcyonia, quæ ut ſint diuturna, & proſint doctrinæ ſtudiis, faciat Filius Dei Dominus noſter *Ieſus Chriſtus*, Cuſtos Eccleſiæ ſuæ. Sed illa belli *Saxonici* initia ad *Brunſvigam*, & nobis & aliis gentibus formidanda eſſe exiſtimo. Conjunctio *Saturni* & *Martis* in *Capricorno* ante triennium, ſignificare genti *Saxoniæ* non leves motus exiſtimabatur. Et prodigia multa conſpecta ſunt. In hac vicinia etiam ante menſem, viri digni fide, viderunt in aëre ſpeciem montis, in quo ſtetit cervus, & è regione ſol cruentus dividi viſus in duas partes, & labi partes in diverſa loca videbantur, propè verò ſpecies viſa eſt exercituum dimicantium. Solis diviſio ita perterrefecit ſpectatores ut putarent diſſolvi hanc mundi machinam. Sed teneamus hanc conſolationem, certò ſervaturum eſſe Filium Dei Eccleſiam ſuam, ſicut inquit, *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis*, & ut ſervet ardentibus votis eum oremus. De Conventu *Auguſtano* adhuc apud nos ſilentium eſt. Bene & feliciter vale. II. Septemb.

D. Burcardo Mithobio S. D.

IN tanto concurſu occupationum, non potui multa ſcribere. Cum quidem te propter excellentem eruditionem & virtutem valde diligam, & tecum ſæpiſſime colloqui cupiam. Species Eccleſiæ quaſi magis συνεστέστερος videtur, dum & multi eruditi voluntatibus, & ſententiis conjuncti manent, B & colloqui interdum poſſunt. Exiſtimo autem *Dedekindum* de voce Eccleſiæ, & ſtudiis Academiæ prolixè ſcribere. Singulis ſeptimanis ferè hinc mittimus vicinis gentibus, imò & *Pannoniis*, Euangelii miniſtros. Et ex pagellis, quas mitto, poteris judicare de Academiarum ſtudiis. Spero μετὰ τὴν τελευτὴν τοῦ Ῥωμαίων ἀρχιερέως παύλου τρίτου magnam ſecuturam eſſe mutationem conſiliorum in Repub. In *Auſtria* ſupplicium de quodam homine recèns ſumptum eſt atrociſſimum propter violatam Panegyrin, in qua προπομπεύεται ἄρτος. Oremus C Deum ut nos regat & opem ferat Eccleſiæ ſuæ, nec ſinat fieri Ethnicam vaſtitatem. Bene vale. Die Brumæ. Ep. 352.

In aula deliberatum fuit de legatis mittendis propter *Corvinum*.

D. Burcardo Mithobio S. D.

CLariſſime vir & amice chariſſime. Sæpe recito verſum dulciſſimum: Ep. 353.

D Εὐτυχίαν παίδεσσι τὰ λοῖα, δυστυχίαν δ' οὔ.

Quo in verſu numeri ſunt Poetæ *Græci*, ſed ſententia antea divinitùs tradita eſt: *Generatio rectorum benedicetur*. Erit igitur & tua familia Deo curæ, & ab eo protegetur, & ut hic verus Deus Pater æternus Domini noſtri *Ieſu Chriſti*, ſervet te & tuos incolumes, toto eum pectore oro. Academiæ ſtudia, Dei beneficio, mediocria ſunt, ut ex *Dedekindo* viro prudentiâ, eruditione, & integritate præſtanti intelliges. De Synodo *Tridentina* nunc deli- E berationes apud nos nullæ ſunt. Flatus *Boreæ*, qui inde uſque à littore *Baltico* ſpirant, arbitror tibi quoq; dolores tuos, & ſolicitudines angere. Sed Deus medebitur etiam huic incommodo, & ut medeatur toto eum pectore oro. Bene vale, vir optime & mihi chariſſ. Die XV. Octob.

D. Burcardo Mithobio S. D.

F CHariſſime vir & amice integerrime. Cum vaticinia tua de hoc anno legerem, in quibus hortaris, ut ſe quiſq; intra ſui muneris metas contineat, nec moveat Rempub. ſine vocatione, ſciebam jam inſtrui eas res, quæ nunc motæ ſunt. Tuam verò adhortationem & tunc probabam & adhuc probo. Vides quanta ſit ſociorum diſſimilitudo. Sed nos Filium Dei oremus, ut ſuam Eccleſiam & nos in ea ſervet, & gubernet. Studia doctrinarum adhuc mediocria ſunt in his vicinis Academiis quæ G utinam non diſſipentur novo bello. Meo ſcripto moderatiſſimo *Pruſſiacus Gorgias* reſpondet atrociſſimè. Sed oro Deum ut illuſtret veritatem. Bene vale, & interdum ad nos ſcribe. Die XXV. Maii. Ep. 354.

D. Burcardo Mithobio S. D.

DOctiſſime vir & amice chariſſ. Utinam ſalutari admonitioni tuæ Principes obtēperaſſent, Ep. 355.

nec

nec bellum patriæ & ipſis periculoſum moviſſent. A Poſtquam de conditionibus pacis diu in confluente *Danubii* & *Rheni* diſputatum eſt, Rex *Ferdinandus* ipſe celeriter ad fratrem profectus eſt, ut flectat eum ad pacem. Sed ajunt placare eum non poſſe. Oremus autem Filium Dei, ut ipſe has pœnas leniat. In oppido noſtro contagia luis vagari cœperunt. Ideo & *Dedekindus* in *Saxoniam* diſceſſit. Etſi autem exiguæ reliquiæ Academiæ ſecedunt *Torgam*, tamen ſuaſi filio *Hectori*, ut rectà ad te proficiſceretur, B ac Deum oro ut eum cuſtodiat & regat. Valet ingenio & inſtructus eſt mediocriter eruditione, &, ut ſpero ætas & reverentia tui, moderationem animi adferent. Hìc honeſtè vixit. Juſſi, ut ſolveret pro menſa, & haberet viaticum, dari ei ſex Joachimicos à Bibliopola, quod ſpero te boni conſulturum eſſe. Mitto tibi orationem de *Capnione*, Illuſtriſſimæ Principi librum de Eccleſiis Ducatus *Mechelbergenſis*. Bene & feliciter vale. Die XIX. Julii. C

D. Burcardo Mithobio S. D.

Ep. 356. CLariſſime vir & amice chariſſime, Dei beneficio, filius rectè valet, & anni & ſtudia ei moderationem morum adferunt laude dignam. Oro autem Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut te & tuam Eccleſiam domeſticam ſervet & gubernet. Ac nos divinâ voce, in tantis periculis conſolemur: *Generi rectorum benedicetur*. Deliberat filius de *Italico* itinere, D & utile ei eſſet videre Anatomias, & exercitia artis in *Italia*. Statues igitur tuo judicio, & ut Deus conſilium tuum regat, eum precor. *Veneta* urbes adhuc mediocrem habent tranquillitatem. Nam heri a noſtro auditore *Willebrochio* ingenioſo viro, ex *Patavio* literas accepi, qui tuo filio notus eſt. Et inveniet *Patavii* plures *Germanicos* & notos ſcholaſticos filius tuus, ſi eum eo miſeris. Reliqua *Italia* Pontificiis furiis turbatur. *Florentia* dicebatur jam obſidione cincta E eſſe à Pontificio exercitu, ſed fortaſſis hi motus ſedati ſunt, quia in *Gallia* ſimul fuerunt legati *Turcici*, Pontificii, *Caroli*, *Ferdinandi*, *Philippi*, *Anglici*, & *Sarmatici*. In *Pannonia* ſpes eſt induciarum, quia Rex *Ferdinandus* *Johanni Sepuſienſi* cedit de *Transſylvania*. Vidimus aquam fontis *Hamelii* huc miſſam. Sed gratior fuit, quàm ipſa aqua, tua deſcriptio περὶ ὄχεος, quæ ſimul nobis miſſa eſt. Oro autem ut edas locupletiorem deſcriptionem. Nam profectò hic fons dignior eſt qui celebretur, F quàm fons ſolis, nocte calens, meridie gelidiſſimus, unde *Cyrene* nomen habet. Nam *Cyr* eſt urbs, *Eni* fontes. Cometam hodiè adhuc, videlicet die duodecimò Aprilis, vidimus cum jam ab *Andromeda* humero ad eclipticam propiùs acceſſiſſet. Sed totum iter inde uſque [illegible] meus Gener editurus eſt. Mitto pagellas meo more. Bene & feliciter vale. Decimo ſecundo die Aprilis.

D. Burcardo Mithobio S. D.

Ep. 357. CLariſſime vir & chariſſime frater, Subito flagitavit literas hic tabellarius, G cum quidem de multis magnis rebus tecum & colloqui & deliberare maximè cuperem. Dei beneficio vox doctrinæ in harum regionum Academiis eadem eſt,

A quæ eſt in veſtris Eccleſiis. Sed vicini ad *Salam* viri docti & pii captivi tenentur, *Victorinus* & Paſtor Eccleſiæ *Jenenſis*, eo quòd non probant quædam [illegible]. Sed *Marchio Johannes* jam iſtuc iter faciens fortaſſis perficiet, ut liberentur. Ingenium, eruditionem, & ſingularem prudentiam, & inventionis felicitatem in *Dedekindo*, ſemper amavi & laudavi, & oro Deum ut ipſum & nos omnes gubernet. Initia operis vidi, & optarim eum habere patronum, qui B ſcribenti præberet aliquid auxilii, ut verecundè loquar, ſed ſi vitam nobis Deus longiorem concedet, labores ipſius commendabo aulis, ubi potero. Mitto pagellas quæ Academiæ ſtudia oſtendunt. Bene vale, vir optime & mihi chariſſime. Die XX. Julii. M. D. LIX.

D. Burcardo Mithobio S. D.

C CLariſſime vir & chariſſime frater, Etſi edita Ep. 358. ſunt exempla reſponſionis meæ de *Bavarica* inquiſitione, tamen nunc reliqua hic venalia nulla erant, ſed poſt paucos dies rurſus edentur. Maximè verò cupio eam lucubrationem à te tanquam Cenſore legi. Quare curabo ut habeas, téque oro, ut cum acceperis, judicium mihi tuum ſignifices. Utilia ad pios confirmandos ſcribere volui, non ſtruere labyrinthos. Sed tuum judicium flagito. Nunc tibi *Conradinum* commendo, quem audio cognatum tuum eſſe. Cúmque & D mens ejus bona. & vena in ſcribendo felix, & natura doctrinarum capax ſit, libentiùs eum complectaris. Academiæ ſtudia narrare ipſe poterit. De Republ. ſcio tibi res *Germanicas* notas eſſe. *Turcici* Tyranni filios inter ſe dimicâſſe hac æſtate certum eſt. Et fertur trucidata eſſe in *Bithynia* quadraginta millia *Turcorum*. Ideo nunc in *Pannonia* ſunt induciæ. Bene vale. Diè Æquinoctii Autumnalis, Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono.

E

Magnifico viro, ſapientia, virtute, & Nobilitate generis præſtanti, D. Georgio Cummerſtat, Doctori Iuris, Conſiliario Inclyti Ducis Saxoniæ Electoris &c. Patrono ſuo colendo, S. D.

MAgnifice vir & patrone colende, Etſi in tanto luctu veſtro privato & publico, non li- Ep. 359. F benter vos interpello; tamen talis eſt vita, ut neceſſe ſit ad eos, qui ſunt in gubernatione, multa referre. Doctor *Benedictus*, honeſtus ſenex, deceſſit ex hac vita, & parvas filias duas & filiolum annorum quinque reliquit. His opus eſt educatione apud ſororem nuptam viro docto, Doctori *Michaelo Tybero*, qui ſi diſcederet, hoc maternum officium ſoror præſtare non poſſet. Eſt autem rectè doctus in Jure, ut ſæpe audivi de eo adfirmantes Doctores alios. Oro igitur, ut ipſi le- G ctio, quam ſocer habuit, tribuatur. Vox divina dicit: *Sis orphano pater, tunc Deus te plus diliget, quàm mater tua.* Et collocavit vos Deus in hoc officio, ubi multorum orphanorum pater eſtis. Viciſſim igitur vos ſervabit, & ut ſervet eum oro. Bene & feliciter valete. Die octavo Aprilis.

D. Georgio

D. Georgio Cumerſtadio S. D.

Ep. 360. MAgnifice vir & patrone colende, Prædixit ipſa vox divina ruinas Imperiorum, & vult nos non frangi dolore, ſed petere & expectare mitigationem publicarum & privatarum calamitatum. Hanc vos conſolationem ſæpe intueri exiſtimo. Nobis ad cæteras miſerias accedit hoc periculum, quod vagari lues in hoc oppido cœpit. Et hic annus ordinarius eſt, & ſiderum poſitus, qui ſolet adferre luem. Propterea de ſeceſſu Academiæ deliberatum eſt. Et ſenatus *Torgenſis* obtulit hoſpitium, præſertim cum non magna multitudo nos hoc belli tempore ſequi poſſit. Accedit autem Rector ad vos, ut conſilium & ſententiam veſtram ſequatur. Bene & feliciter valete. Die X. Junii.

D. Georgio Cumerſtadio S. D.

Ep. 361. MAgnifice vir & patrone colende, Etſi in tanta mole occupationum veſtrarum, non libenter ad aulam ſcribo: tamen talis eſt vita, ut ſine ope gubernatorum vivere non poſſimus. Et nunc temporum difficultas auget negotia. Oro igitur ut veniam nobis detis, quod iſtuc literas mittimus. Scripſimus de pecunia *Mansfeldenſi*, ut ex literis noſtris intelligetis, de ea re quæſo ut deliberetis, an magis profit ad *Stolbergenſes* Comites, aut ad ipſum Comitem *Albertum Mansfeldenſem* ſcribere, cujus voluntas alienior eſt à nobis. Commendo & publica ſtudia, & nos ipſos Magnificentiæ veſtræ. Bene valete. Sexto Cal. Decemb.

D. Georgio Cumerſtadio S. D.

Ep. 362. MAgnifice vir & patrone colende, Scribo brevius, quia D. *Joachimus Camerarius* ipſe exhibebit vobis commemorationem ſcriptam de noſtris Eccleſiis. Si erit Synodus, ut nondum arbitror, & volent principes mittere aliquos, tali aliquâ formâ erit oſtendendum, quid doceant Eccleſiæ noſtræ. Et hanc formam ego quidem judico honorificum teſtimonium eſſe noſtris Eccleſiis & nunc, & ad poſteros, quod oſtendet, nos non probare abſurdas, fanaticas, ſeditioſas opiniones. Sed totam hanc rem veſtræ deliberationi permitto. Adhuc ſum in hac ſententia, ut cenſeam, non Principum, ſed Paſtorum nomine exhibendam cõmemorationem doctrinæ vel hanc, vel ſimilem, ſi tamen erit Synodus, quia quædam convenientiùs dicuntur in perſona docentium. Ac ſi vobis hæc forma, quam ſcripſimus, non diſplicebit, erit etiam Doctoribus & Paſtoribus *Lipſiæ*, & D. *Danieli*, & *Fribergenſi* danda, ut judicent eam. Si inter nos convenier, exiſtimo *Pomeranicos*, & Paſtores civitatum præcipuarum in *Saxonia* ſubſcripturos eſſe. Bene & feliciter valete. Die XI. Maii.

D. Georgio Cumerſtadio S. D.

Ep. 363. MAgnifice vir & patrone colende, Significavit mihi *Camerarius*, addendum eſſe ſcripto noſtro Articulum de forma veterum Collegiorum Epiſcopalium, in qua de conſervatione ordinationis, & examinum, item viſitationis Eccleſiarum, & de Conſiſtoriis, multa honeſtiſſimè dici poſſunt. Cœpi igitur & hunc articulum conſcribere. Nunc hoc ſignifico. Diſceſſit ex hac Academia in *Daniam* ſenex *Georgius Rorarius*, qui habuit aureos ſexaginta ex pecunia ſtipendiorum. Hi ſexaginta transferri nunc poſſunt partim ad clariſſimum virum D. Doctorem *Laurentium*, partim ad D. *Georgium Cracovium*, generum D. *Paſtoris* Doctoris *Pomerani*. Quæſo ut ſeni *Paſtori* gratificemini, qui voluntatem habet honeſtam, & nequaquam ſeditioſam. Et in ipſo *Cracovio* ingenium eſt excellens, quod Reipubl. aliquando uſui eſſe poterit. Nam præclarè proficit in ſtudio Juris, & alios feliciter docet. Bene & feliciter valete. Die Solſtitii æſtivi. Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo.

D. Georgio Cumerſtadio S. D.

MAgnifice vir & patrone colende, Cum ad publicas curas rerum maximarum, acceſſiſſe vobis etiam domeſticum luctum ingentem intellexiſſem, valde conſternatus ſum, & cum veſtra cauſa doleo, tùm verò propter Rempubl. quæ in his ſummis periculis maximè indiget conſilio, voce, & autoritate veſtrâ, majore ſolicitudine & mœrore excrucior. Eſt omnino ingens infirmitas generis humani, & multæ ac horrendæ confuſiones ſunt hujus vitæ, quod cum ſæpe vos cogitare ſciam, non dubito ſimul etiam vos pro excellenti ſapientia veſtra veras conſolationes mente intueri, quæ non humanâ diligentiâ inveſtigatæ ſunt, ſed à Deo conditore illuſtribus teſtimoniis patefactæ, & Eccleſiæ traditæ ſunt. Adfirmat Deus, ſe etiam inter ruinas imperiorum, & Eccleſias, & earum hoſpitia protecturum eſſe, ſicut navim *Noha* in diluvio ſervavit. Eſt & vox divina: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Sic igitur hinc diſceſſit honeſtiſſima matrona conjunx tua, in qua cum omnibus pulcherrimis virtutibus fulſit vera Dei agnitio & invocatio, ut jam haud dubiè fruatur conſpectu Dei, & dulciſſimâ conſuetudine cœleſtis Eccleſiæ. Ibi vos, & filios, ac filias Deo commendat. Intuens etiam ſuos, luctum vos moderari optat, & placidè tempus expectare, in quo rurſus vos omnes in illa æterna ſocietate, læta cernet & complectetur. Has veras conſolationes cum cogitare vos non dubitem, ſcripſi breviùs, ac Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum* toto pectore oro, ut vulneribus noſtris publicis & privatis medeatur ipſe. Quanquam ingentes ſunt ærumnæ generis humani: tamen vult nos Deus non frangi dolore, ſed acquieſcere in ipſo propter Filium Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, qui inquit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, ego reficiam vos.* Hæc ſcripſi ſocietate luctûs & doloris veſtri motus, quæ ut boni conſulatis oro. Bene & feliciter valete. *Norberga* die V. Febr. M. D. LII. Ep. 364.

D. Georgio Cumerſtadio S. D.

MAgnifice vir & patrone colende, Etſi pacis tempore gratiores ſunt libri & tabulæ hiſtoricæ, tamen & pacem à Deo ſperemus. Et ſcio virtutem tuam tantam eſſe, ut etiam hoc mœſto tempore non negligas artes. Hic *Tilemannus Stella* edidit Ep. 365.

edidit tabulam *Palaſtinæ* terræ, & reverenter offert exemplum Illuſtriſſimo Principi Duci *Saxoniæ* Electori. Credo excellentiæ tuæ ipſam tabulam, in qua verus eſt Eccleſiæ patria, voluptati fore. Quare excellentiæ tuæ hunc artificem reverenter commendo. Bene & feliciter valete. Die X. Maii, Anno M. D. LII.

Clariſſimo viro, ſapientiâ, eruditione & virtute præſtanti, D. Georgio Cracovio, Doctori Iuris, Conſiliario Inclyti Ducis Saxoniæ Electoris &c. fratri ſuo chariſſimo, S. D.

Ep. 366. HIc noſter auditor vir honeſtus & eruditus, & tui amans, faſciculum tibi literarum adfert, ex quo cognoſces, hic Dei beneficio adhuc mediocrem tranquillitatem eſſe. Oro Filium Dei, ut & nos & vos protegat & gubernet. Scripſit ad me *Sigiſmundus Gelous*, quem nôſti, petens mitti virum idoneum ad Euangelium docendum. In ejus epiſtola hæc ſunt verba de *Turcici* Tyranni filiis, quæ ego tibi ſignifico, quia multarum fabularum illic de rebus *Turcicis* vos auditores eſſe arbitror. *Byzantinus* Tyrannus fœdus ad obitum ſuum expetit, qua de re donec concludatur, quinque menſium induciæ intercedunt. In his & rebelles comprehenduntur, ſi tamen eos non violent *Turci* & ſeditioſi. Ea fœderis poſtulatio non aliò ſpectat, quam ne hinc *Solimanus* impetatur dum diu ejus filii de imperio dimicant, et ut reliquum omne vitæ tempus in ocio tranſigat, certúmque poſt ſe et Imperatorem et ſtatum relinquat. Pater diadema *Solymo* defert. *Bajazetus* ad *Perſam* ſe contulit, in quem favor inclinat præcipuorum de conſilio et militum. Hæc *Sigiſmundi* verba ſunt. Etſi *Thracum* fœdera ſemper infida eſſe etiam vetuſtas dixit, tamen in tanta ignavia amant ſanè noſtri pacem. Nos Filio Dei Eccleſiam commendemus. Bene vale. Decimo nono die Maii.

D. Georgio Cracovio S. D.

Ep. 367. SÆpè jam de itinere anni ſuperioris cogito, et de Eccleſiæ miſeriis. Hoc die ante annum Inclytus Comes nobis Principis mandata expoſuit. Quæ poſtea ſecuta ſint, quæ impendeant ſæpe te cogitare ſcio. Sed precemur Filium Dei, ut cymbam ſuam et nos in ea ſervet et gubernet. In his doloribus noſtris aliquam mihi levationem tua colloquia adferunt. Ideò et te ſæpius nobiſcum eſſe vellem, et libenter te accedo; Veniemus ad te, *Caſpar, Hubertus* et ego. Bene vale. Die XVI. Auguſti.

D. Georgio Cracovio S. D.

Ep. 368. ETſi ad convivia propter imbecillitatem meam non libenter accedo; tamen quia ſermonum communicatio grata eſt, quocunque tempore ea frui poſſum, libenter ad te venio, quia ſcio te talem eſſe, qualem deſcribit *Ennius* in carmine:

Hocce locutum vocat, qui cum benè ſæpe libenter,
Menſam ſermoneſq; ſuos rerumq; ſuarum
Comiter impertit. Et deinde.
Ingenium cui nulla malum ſententia ſuadet.
Multa tenens antiqua ſepulta & clara vetuſtas
Quæ facit, & mores, legeſq; bonorum.

D. Georgio Cracovio S. D.

HOdiè matutinum tempus conſumpſi in epiſtola ſcribenda ad Patriarcham *Conſtantinopolitanum*. Poſtea accepi aliquot amicorum epiſtolas allatas ex urbe *Francofordia*. *Anglos* et *Scotos* ſcribitur conſentire de doctrina. In *Gallia* ſcribitur ſummam eſſe potentiam *Guiſiaci* Cardinalis, et exerceri ſævitiam uſitatam. Mitto *Torneri* epiſtolam, et alteram *Baſilienſem*. Exemplum epiſtolæ formatæ ad reginam *Angliæ* poſtea deſcribam, quia in pagina miſſa Principi quædam aliter dicta ſunt, quam in prima ſylvula. Bene vale. Ep. 369.

D. Georgio Cracovio S. D.

DEo gratias ago cum tua domeſtica Eccleſia, quod te incolumem ad tuos et ad nos reduxit. Non ætas tantum ſoceri lenire tibi dolorem debet, quem [illegible] non poteſt non adferre, ſed etiam tempora. Creſcunt furores ut oſtendunt exempla. Interfectus eſt Princeps *Franciscus*, et audio laudari interfectores ut *Brutum* et *Caſſium*. Quantam diſtractionem etiam faciet *Parthenopæa* [illegible]; Sed precemur Filium Dei ut nos ſervet, ſicut dixit: *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* Mitto tibi [illegible] de funere. Cras velim te nobiſcum prandere. Bene vale. Ep. 370.

D. Georgio Cracovio S. D.

ORo Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut tibi vires corporis, et animi confirmet, et iter tuum gubernet. Hiſtorica ex *Francofordia* expecto. Sed hoc intelligo *Franciſcum Wimarienſem* in *Angliam* navigare, ut ſit [illegible], et aiunt picturas utrinque miſſas eſſe. Rediit ex *Pannonia* familia *Crappi*, et a *Jacobo* nihil literarum attulit, quod moleſtè fero. *Dionyſius* ſcripſit amanter, cujus tibi Epiſtolam mitto, Bene vale. Die *Mathei*. Ep. 371.

D. Georgio Cracovio S. D.

CLariſſime vir, Scis ſcriptum eſſe de Deo: *Ipſe eſt longitudo dierum tuorum.* Hunc verum Deum vitæ fontem Patrem æternum Domini noſtri *Ieſu Chriſti* crucifixi pro nobis et reſuſcitati oro, ut tibi vires animi et corporis confirmet. Hic poſt iter tuum bis in curia partes congreſſæ ſunt. Recitata eſt noſtra reſponſio. Nunc audio velle adverſarios certamen movere, propter ea quod collegis qui diſceſſerunt alius ſurrogatus eſt. Quæritur occaſio abrumpendi colloquii. Tu valetudinis tuæ rationem habeto. Nos tibi ſignificabimus noſtras rixas. Et ſi voles mitti pecuniam mittetur. Bene vale. Die IX. Octob. Ep. 372.

D. Georgio Cracovio S. D.

ORo ut propter *Matheſium* venias ad ruſticationem, ubi de illis noſtris diſputationibus rurſus colloquemur. Si procedent [illegible], longam telam inchoabunt. Rurſus totum doctrinæ corpus Ep. 373.

corpus repetendum erit. Si ſunt in Deo contradictoriæ voluntates, ut illi volunt cum nos oppugnant, planè renovant deliria *Manichæa*, de duobus principiis coæternis bono & malo. Et hoc monſtroſius eſt, quòd in uno Deo conſtituunt utrumque. Vide qualium diſputationum turbæ erunt illi μιθυσικῶν ſcriptores. In altera cauſa περὶ τῆ πανταχῆ quantum incendium excitabunt? Oro autem Deum ut nos gubernet.

D. Georgio Cracovio S. D.

Ep. 374. SPero nos hac horâ ad Electionem Rectoris conventuros eſſe, quam ut faciat Filius Dei fauſtam & felicem, toto eum pectore oro, ſimul etiam precans, ut ipſe ſit Rector & doctor hujus Academiæ, cujus tecti dextra contemnamus Echidnas & Dracones. Defendet nos Filius Dei ut *Danielem* inter leones protexit. De literis ſcribendis coràm tecum loquar. Bene vale. Die *Luca*.

D. Georgio Cracovio S. D.

Ep. 375. HEri manè narrabatur mihi, *Franciſcum Vinarienſem* ex *Anglia* domum rediiſſe. Poſtea cognovi fabulam vanam eſſe. Rediiſſe Comitem *Volradum* certò adfirmant literæ eorum, qui id ſcire poſſunt. Μνησίαν ἢ κενὴν ἔτως φάσιν. Cygneas literas remitto ac ubi poſſum libenter opem feram pauperi de quo ſcriptum eſt. Hodie ex ripa *Viadri* ſignificatur mortuum eſſe *Tarnovium* in *Polonia*, & tandem extinctum eſſe in *Tranſylvania Iſabellam*. Bene vale.

D. Georgio Cracovio S. D.

Ep. 376. MIſit huc paſtor Eccleſiæ Dei in oppido *Vinaria* quæſtionem, An liceat ducere privigno uxorem mortui. Quæſtio eſt de ſecundo genere adfinitatum, Ideo Juriſconſultos ante annos octo conceſſiſſe ſcio. *Luthero* diſplicebat, qui extendebat prohibitionem ad conjuges, quià vir, & uxor ſunt una caro. Vos quid reſponderis? Interroga quæſo collegas. Ego reſpondi nunc paſtori recitato exemplo Juriſconſultorum, & judicio *Lutheri*. Bene vale, & reſcribe. Die XII. Octobris.

D. Georgio Cracovio S. D.

Ep. 377. MIſericordiæ Domini, quod non conſumpti ſumus. Ardere odio noſtri hypocritas inſtructos & Tyrannorum potentia, & vulgi furore manifeſtum eſt. In his tantis periculis nobis Deus hactenus clementer dat Halcyonia, & ut det diutius propter ſuam gloriam, toto eum pectore oro. Ipſe eſt enim καρδιογνώστης, & ſcit, quorum voluntates veritatis ſtudium habeant. Grati igitur beneficium Dei celebremus, & ſimus memores dicti, ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστὶ, καὶ ὁ μένων ἐν τῇ ἀγάπῃ, ἐν τῷ θεῷ μένει. Veniam ad te, & velim te *Paulo* adjungere vicinum ipſius Doctorem *Milichium*. Bene vale.

D. Georgio Cracovio S. D.

Ep. 378. CLariſſime D. Doctor, & chariſſime frater, Comperi bonam eſſe naturam hujus *Marthiæ Coleri Aldeburgenſis*; qui & hanc Academiam ſæpe bonis carminibus ornavit. Ideo viciſſim eum ab hac Academia ornari opto. Audivit Juriſconſultos & hic, & in inclyta Academia *Lipſenſi*, & habet ſui conſilii honeſtas cauſas cur hic gradum petat. Cùm autem ſit ſponſus, maturari diſputationem, & gradus renunciationem orat. Orat etiam, ut diſputatio tuâ voce regatur. His in rebus ut ei gratificemini eò liberiùs peto, quia me ſcitis juventuti hortatorem eſſe, ut leges, doctrinam veſtiam, & ordinem ipſum venerentur, ut *Attica* civitas τοὺς τιμοφιλακας in concionibus ſingulari loco collocabat, ornatos candidis faſciis. Bene vale.

D. Georgio Cracovio S. D.

DEum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, creatorem generis humani, vitæ datorem, & cuſtodem Eccleſiæ ſuæ & honeſtarum politiarum, oro, ut tibi & tuæ domeſticæ familiæ confirmet animarum & corporum vires, & reducat integros & lætos Ducem *Saxoniæ* Electorem, & conjugem ejus, & totum comitatum. Scripſit nobis D. *Brunnum* ex *Perleperg* venturos huc eſſe Principem & comitatum die 18. Septembris, die verò 10. Septemb. trajeciſſe eos mare *Balticum*, ac biduo retentos eſſe in mari adverſis ventis. Adeo brevis eſt narratio ut non ſint explicatæ circumſtantiæ. Sed ago Deo gratias quod eos reducit ad ſuos. De diſputatione etſi libenter tuas cogitationes lego: tamen judicium mihi non ſumo præſertim de iis materiis, quæ ſunt propriæ forenſis doctrinæ, quas video te præcipuè in his propoſitionibus tractare. Vidi magno cum dolore quoſdam ſe liberâſſe, vel avulſiſſe potiùs à ſponſis juramento, ubi maluiſſem autoritate Eccleſiæ ſine juramento potius partes vel conjunctas, vel diſtractas eſſe. Sed hæc & alia coram. Bene vale. Ep. 379.

D. Georgio Cracovio S. D.

ETſi vobiſcum propter amici luctum verè doleo: tamen quia talia funera ſemper me de ſententia *Eſaiæ* commonefaciunt, quæ ait: *Juſti colliguntur, ne videant ſecuturas calamitates*: Cohorrui etiam publica cauſa nunciata morte ſanctæ matronæ. Cogito enim ea quæ impendent, quæ Deus mitigâſſet propter talium gemitus, qualis fuit hæc matrona. Sed oremus Filium Dei cuſtodem ſuæ Eccleſiæ, ut conſolatione divinâ Rectorem & honeſtiſſimam ejus conjugem erigat, & ut publicas calamitates mitiget. Vos etiam qui iſtuc adeſtis, lenire eis mœrorem veſtris officiis ſtudete. Socer tuus & ego ſumus vocati in aulam *Marchicam*, ad cognitionem controverſiæ de Mediatore. Contendit *Stancarus Chriſtum* tantum ſecundùm humanam naturam eſſe Mediatorem, καὶ κεστροβόησιν περὶ μεγγίταις τινὶ excitavit. Heri ſcripſi ea de re ad Principem ipſum. Hi furores ſignificant & alia mala. Quare ἐκτενῶς precemur Filium Dei, ut nobis adſit. Bene vale & reſcribe. Die V Octobr. Ep. 380.

D. Georgio Cracovio S. D.

QUod non reſpondeo prolixiùs, dabis veniam; quia hodiè & Electori *Marchioni* περὶ ... γράφειν Ep. 381.

γνώμην τινὰ [illegible] reſpondeo, & ſenatui *Auguſtano*, qui ſcribit mihi Imp. *Carolum* conceſſiſſe tuæ civitati, ut Eccleſias ſuas conſtituat ad normam *Auguſtanæ* Confeſſionis, ſic noſtram vocant, & cum conſenſu tueatur, nec ſinat alias opiniones ſpargi. Hæc hodie ſignificavi viro optimo ſocero tuo. De prælectionibus non ſis ſolicitus. Hâc ſeptimanâ propter mercatum *Lipſicum*, nè hi quidem, qui adſunt, prælegunt; Poſtea tempus adhibebimus in conſilium. De Republ. tantum hæc habemus: *Carolum* Imp. certò *Argentoratum* veniſſe, ubi auget exercitum. *Alcibiades Franciscus* adhuc eſt in *Trevirenſi* ditione. Audi ridiculam fabellam: Circumfertur in *Belgico* prædictio meo nomine, ſed nequaquam à me ſcripta, ut phraſis oſtendit. Miſit mihi D. *Albertus* exemplum & me objurgat, quod non facio victores *Gallum* & ſocios ejus. Riſi ineptias, reſpondebo ei me non compoſuiſſe illud vaticinium, ſed habere me certiores ſignificationes ἐνεργῆ τινα, quàm aſtrologicas. Vidi à *Maximiliano* duriter pulſari illum *Alcibiadem* ſigillo. Eventus oſtendet quomodo hæc congruant, an *Maximilianus* ſignificet Imperatorem, an verò locum pugnæ: Nam ad urbem *Trevirorum* eſt monaſterium locuples *Maximiliani*. Die XIII. Octobris.

D. Georgio Cracovio S. D.

Ep. 381. CLariſſime vir, Poſt iter veſtrum die 28. Octobris allatæ ſunt ex aula literæ, quas videre vos in hac legatione neceſſarium eſſe judicavimus. Reſpondet Princeps Elector ſe non mutare priora mandata. Pugnabitis igitur quantum poteritis. Sed ſcis veterem querelam de *Aſtrea*, quæ cum ipſa ex imperiis pulſa ſit. feramus nos quoque injurias, ſi juſta obtinere mediocri & juſto labore non poſſumus. Optavi ſemper doctrinarum cauſâ non diſſipari hanc [illegible], & hactenus hic mediocria fuerunt, Dei beneficio, omnium honeſtarum artium ſtudia. Quare etſi dolorem mihi diſſipatio adferet, tamen quod ferre neceſſe eſt ſapienter feramus. Bene vale. Die XXVIII. Octobris.

D. Georgio Cracovio S. D.

Ep. 382. TOrga accepi literas Ducis *Wirtebergici* περὶ συνόδου. Sum igitur occupatus ſcribenda noſtra deliberatione, quam volo te legere. Sed interrupit mœſtitia has operas. *Joachimo Camerario* filia mortua eſt. Scribit & *Lotichius Jacobum Micyllum* extinctum eſſe, cum non diu ægrotâſſet. Scio hæc tibi quoque dolorem allatura eſſe. Sed profectò impendent tantæ confuſiones, ut placidâ & piâ morte eis prærepris ſingularis felicitas ſit. Literis quas mihi miſiſti addidi ἀντίγραφον. Sed oro ut veſtris adoleſcentibus ſis hortator, ut *Grammaticam* diſcant, nec ab ea abhorreant ut ab [illegible]. Bene vale.

D. Georgio Cracovio S. D.

Ep. 383. CLariſſime vir & chariſſime frater, Scis narrationem *Xenophonteam*, in qua *Socrates* deridetur ab *Hippia*: τὰ αὐτὰ διὰ τῶν αὐτῶν repetens. Ego in hac ingenii imbecillitate & infantia, nec aliud ſcio περὶ τῶν [illegible] dicere, niſi quæ ſæpe dixi, nec poſſum τὰ κοινὰ καλῶς explicare. Pecco igitur cum tibi, qui & ingenio, & doctrinâ, & facundiâ longè me ſuperas, aliquid ſcribo. Sed in hoc genere interdum promitto operam amicis, nè moroſus videar. Tecum verò hac de re deliberabo, & optarim te ſæpius ad nos venire. Habemus abſinthites, quod tibi utile eſt, & Muſtum *Litmyricenſe*, medentur autem *Myrica* ſpleni. Et meus gener attulit narrationes tam mirandas, quàm ſunt *Ulyſſea* apud *Alcinoum*. Bene vale. Anno M.D.LVIII. Die XXIII. Novembris.

Hæc ſcripſeram cum gener meus afferret literas *Vratiſlavienſes* de interfecta regina in *Tranſylvania*, & capto filio ducendo ad regem *Ferdinandum*. Hæ tragœdiæ & monent de ira Dei, & attrahent *Turcos*. Oro Filium Dei ut nos protegat. Iterum vale.

D. Georgio Cracovio S. D.

CLariſſime vir & chariſſime frater, Neceſſe eſt vobis negotia publica notiora eſſe quàm nobis ſunt: Nos enim, ut illa Tragœdia inquit: [illegible], quibus à Filio Dei petimus Eccleſiæ, piarum familiarum & politiarum gubernationem & protectionem. Sed ſcito *Roſtochianis* iterum placatos eſſe Principes *Megapolitanos*, audio λύτρα dari triginta millia aureorum. Filius *Johannis Hungarici* petit conjugem ſibi dari filiam Imperatoris *Ferdinandi*, ut & heri allatæ huc literæ narrant, [illegible]. Fuit his diebus apud nos gubernator ſcholæ puerilis in oppido *Iena*, vir doctus & honeſtus, qui ibi annos quatuordecim erudiit tenellas Eccleſiæ plantulas. Is venit in periculum propter definitionem Evangelii à nobis ſcriptam. Scripſi de eo ad eos, qui in vicina urbe *Salinarum* Eccleſias & ſcholam gubernant. Bene & feliciter vale & reſcribe. Ep. 384.

D. Georgio Cracovio S. D.

CLariſſime vir & amice chariſſime, Et amore tuo & aſſiduitate quam in ſcribendo præſtitiſti, delector, tres enim à te Epiſtolas in patria amanter & graviter ſcriptas accepi, tibique gratiam habeo. & multò ante ad te ſcripſiſſem, ſi tabellarios habuiſſem. Heri etiam Bibliopola qui *Knipſtrovii* lucubrationem attulerat nactus comites, ſubitò ingreſſus eſt iter, ac vix ſpacium conceſſit ad reſcribendum optimo Principi *Pomeraniæ*. De Academia ſcito, Dei beneficio, nulla nunc luis contagia vagari, & poſtquam *Saturnus* longius recedet ab *Aquario*, ſpero ſalubriorem aërem fore, Deo dante, ἐν ᾧ ζῶμεν, καὶ ἐσμέν, καὶ κινούμεθα. *Eberus* adhuc eſt *Argelia*, *Vitus* in *Turingia*, & *Eraſmus* Mathematicus in patria. Vos hortatus ſum [illegible] propter hyemem, quæ erit horridior. Oppidi, Dei beneficio, mediocris eſt tranquillitas. Bellicos apparatus nondum audimus, ſemina hoc quidem tempore nunquam deſunt. Sed oro Filium Dei, cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut nos protegat. Et quia veniunt mihi in mentem verſiculi, quos hodie in lecto feci, multa cogitans de publicis & privatis miſeriis, mitto tibi eos in pagella deſcriptos. Ep. 385.

Eccleſia-

Eccleſiarum in *Myſia, Turingia, Pomerania* & *Saxonia* mediocrem conſenſum eſſe exiſtimo. In *Pruſſia* ἀνθεαγωνισταὶ mortui *Cleonis* tumultuari non deſinunt, ſed ſpero Deum repreſſurum eſſe illos furores. Ineptit ὁ μαγείρου κόλαξ καὶ ὁ δύσοδμος. Oremus Deum ut nos gubernet. Ad mœnia urbis *Metenſis* aiunt τὸ αἰακίδας infeliciter pugnâſſe & vulneratum eſſe, hæc cum meo ſomnio congruunt. Bene vale. Calend. Januarii. Plura non potui ſcribere. Salutem opto D. *Suanemo*, *Antonio* & *Paulo*.

D. Georgio Cracovio S. D.

Ep. 387. SCimus legitimas Politias verè Dei opus & beneficium eſſe, quo retinentur ſocietas generis humani, diſciplina & doctrinarum propagatio, & Eccleſiarum conjunctio. Ideo toto pectore aſſiduè precor vobiſcum, ut Deus has regiones protegat, & oro eum, ut te quoque in hac militia aulica gubernet. Pericula iſtic propiùs vides: οἱ μεγαλοπολῖται ἐγχώριοι *Roſtochiani* apertè minitantur. Conduci milites in *Saxonia* & ad *Manum* certum eſt. Nec exiſtimo vos hæc ignorare. *Iſlebius* jam cœpit vociferari Eccleſiam non eſſe cœtum viſibilem. Sciebam fanaticos reprehenſuros eſſe hanc meam deſcriptionem, qui jactitant Enthuſiaſmos & ἐκστάσεις, ut augeant ſui admirationem, & in dubitationes conjiciant pios. Adfert honeſtiſſimæ conjugis tuæ literas Doctor *Petrus*, quem tibi commendo, & peto ut Reverendo viro D. *Danieli* dicas me laudâſſe D. *Petro* ipſius vinum. In tantis periculis publicis & privatis teneamus & hanc conſolationem: Commenda Deo viam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet. Bene vale. Die XXII. Januarii.

D. Georgio Cracovio S. D.

Ep. 388. IN hiſtoria *Pauli Æmylii* eſt, velle ſe accipere gubernationem, ſed hoc ſe jam prædicere, nolle ſe milites fabuloſa ferere καὶ πολυπραγμονεῖν. Ita malueram & ego noſtros amicos præſertim in publica concione de illo optimo Principis conſilio tacuiſſe. Sed feramus & tegamus tales ineptias, præſertim cum alia majora impendeant. Heri audivi rurſus his diebus ἐν τῇ μάχῃ τὸ βλακῶν & *Sarcerium* fuiſſe, & cudi πολεμικόν ad *Auguſtana* certamina. Commendemus nos Filio Dei. Amicitiam *Jacobi* magnifacio, & retinere cupio etiam propter Eccleſiam, ſed mihi has curas leviores facit, veniens annus climactericus, qui ſi me ad ſodalitium cœleſte abducet, liberabor ab hac γραμματομαχίᾳ. Verè adfirmo, me quæ lenii in diſputationibus Theologorum, leniiſſe ſtudio veritatis & perſpicuitatis, & ut prodeſſent diſcentibus. Tuam orationem velim nobis mitti, ut dem Typographo. Bene vale.

D. Georgio Cracovio S. D.

Ep. 389. DEi beneficio rectè valent conjunx tua honeſtiſſima, & dulciſſima filia *Catharina*, & chariſſimus filius, ſed febricula tertiana filiæ *Mariæ* moleſta eſt. Oro autem Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut te & tuos ſervet incolumes, & gubernet tuam mentem in

A veſtris deliberationibus. Hic nihil novi poſt tuum iter audivimus, niſi Regis *Danici* patris mortem, quem narrant diem mortis prædixiſſe, & dulciſſimè collocutum eſſe paulò ante mortem cum Regina & aliis, inchoâſſe etiam cantilenas quibus ſe conſolari ſolitus eſt. Reſponſiones de *Bavaricis* articulis brevi Deo juvante vobis mittam. Salutem opto *Hencelio* & aliis qui iſtic tibi familiares ſunt. Bene & feliciter vale. Die Converſionis *Pauli*. Anno M. D. LIX.

B

D. Georgio Cracovio S. D.

CLariſſime vir, Hac me præcipuè conſolatione Ep. 390.
ſuſtento in multis ærumnis hujus temporis, & in illis noſtræ μικρομανίας difficultatibus, quòd non caſu volvuntur res humanæ, ſed quòd ſcriptum eſt, *Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt*. Scit ipſe Filius Dei καρδιογνώστης nos quæſiviſſe doctrinam incorruptam ſimplici ſtudio. Hunc
C ſpero ſervaturum eſſe noſtram μικρομανίαν, Et ut ſervet eum oro cum ſocero tuo viro optimo. Hoc tempore verò expatiari te poſſe ſine ullâ reprehenſione ſentio. Expatiarer & ipſe niſi ſtatim famam ſpargerent homines malevoli τελωνίοις, me deſperatione rerum noſtrarum fugere aut novas res moliri. Ut igitur *Laconica* mulieres dicebant viris & filiis, cum clypeum ituris in caſtra porrigebant, ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς, id eſt, ut aut reportarent clypeum, aut in clypeo ipſi reportarentur mortui;
D Sic Deo juvante redibo aut vivus aut mortuus in oppidum noſtrum. Oro autem Filium Dei, ut ſtudia ſuæ doctrinæ gubernet & conſervet. Bene vale. *Argeliæ* die 17. Octob. quo ante annos 3943. arca *Noha* primum quievit; in qua ut Argonautas ſuos tunc ſervavit Filius Dei, ita eum oro, ut nunc quoque nos ſervet, qui in eadem Argo vehimur ipſo duce.

D. Georgio Cracovio S. D.

E CLariſſime vir & chariſſime frater, Et debeo Ep. 391.
& habeo tibi gratiam, & pro perpetua erga nos benevolentia tua. & de aſſiduitate in ſcribendo. Hic Dei beneficio tranquillitas eſt. Tuæ filiæ adhuc febris moleſta eſt, ſed ut ſpero ſine periculo. Elector *Saxonicus* mandata nobis dedit, ut ſcribamus noſtrum judicium de libro ſcripto & *Vinaria* & in vino. Lego illas ſophiſmatum præſtigias non ſine magno dolore. Reſpondebo Principi
F candidè, & petam, ſi magis placet illa venenata ſophiſtica, ut me clementer dimittat. Legatum *Pruſſiacum Aſſuerum* tibi commendo. Mitto tibi pagellas, quas viro clariſſimo *Hencelio* donari volo. Bene vale. Die meo natali, quo ingredior annum climactericum ſexageſimum tertium, quo ut nos omnes clementer gubernet & protegat Filius Dei toto eum pectore oro.

D. Georgio Cracovio S. D.

G CLariſſime vir & chariſſime frater, Oro Fili- Ep. 392.
um Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, λόγον καὶ εἰκόνα ἀϊδίου ἀϊδίου πατρὸς, certo colligentem æternam Eccleſiam, ut Principum mentes flectat ad publicam & ſuam ſalutem & ſit βραβευτὴς tuorum conſiliorum, & te ſervet incolumem. Sedent in talibus

conventibus

conventibus pii monitores, ut *Daniel* inter leones; vidiſti exemplum in urbe *Vangionum*. Hæc *Auguſtana* λεοντομαχία multò erit terribilior. Sed Filius Dei cuſtos *Danielis* te quoque ſervet, qui dixit ſe nobis affuturum eſſe cum ducemur in tales congreſſus. Bene vale. Cras Deo juvante veniemus ad te. Sed oro ut ante iter ad nos quoque venias.

D. Georgio Cracovio S.D.

Ep. 392. DEi beneficio rectè valent, & honeſtiſſima conjunx tua, & dulciſſima familia. Et reverendi Domini *Paſtoris*, ut in hac ſenecta, bona eſt valetudo. Læti ſunt noſtro reditu & conſpectu, ſed magis læti eſſent, ſi nobiſcum huc ſimul acceſſiſſes, ac malueram te domeſticam στοργὴν anteferre aulico officio. Et mecum ſentit Doctor *Laurentius*. Sed oro Filium Dei, ut te quam primum honeſtiſſimæ conjugi tuæ & dulciſſimæ familiæ, & optimo ſeni ſocero rectè valentem reſtituat. Eſt & oppidi & Academiæ mediocris tranquillitas. *Georgium* noſtrum ad aulam acceſſiſſe mirati ſumus & ego & alii, ac metuimus addituum eſſe πῦρ ἐπὶ πῦρ. vellem eum moderari iracundiæ, ἢ μὴ χαρίζεσθαι ἀχαρίστῳ πάθει, ut *Græcus* quidam dixit. Sed vides & privatas & publicas mutationum cauſas accidere, quas ut Filius Dei gubernet, toto eum pectore oro. Salutem & clariſſimo viro D. Doctori *Mordeſio*, & collegis ſociis laborum maximorum opto. Bene vale. Die XXIII. Decembris.

D. Georgio Cracovio S.D.

Ep. 393. LEgi decretum Abbatum *Vuirtebergenſium*, nec poſſum quale ſit venuſtius ſignificare, quàm ſi dicam eſſe *Hechingenſe Latinum*, cum oppidum *Hechingen* in vicinia illorum Abbatum ſitum ſit. Exiſtimo autem te ſæpe audiviſſe ex me recitatam hiſtoriam à Duce *Friderico* de *Hechingenſi Latino*, quæ tamen ſi tibi ignota eſt, ut & Principi, & Doctori *Mordeſio* & tibi nota fieret, ſcripſi eam in pagella, quam his literis addidi. Digna memoria eſt propter *Gregorium Lamparter*, cujus ſapientiam & eloquentiam ſæpe audivi prædicari, comitatem ipſe expertus ſum. Illuſtriſſ. Principi reſpondi breviter, nè quid novi moliri videar, affirmo me prorſus retinere formam verborum ante multos annos editam in examine ordinandorum, quod in multis gentibus legitur. Papiſticos verò & *Methonaeos*, & Abbatum *Wirtebergicorum*, & *Weſtvali*, *Sarcerii*, & ſimilium articulos in hac cauſa manifeſtè pugnare cum vetere puriore Eccleſia, méque offero ad declarationem, & de hac cauſa, & de aliis propter quas crudeliter laceror à multis hoſtilibus exercitibus. Jam enim & Scurra *Berlinenſis* novum bellum movet, quòd Eccleſiam nomino cœtum viſibilem, qua de re epiſtolam vobis mitto, quæ & alia exempla διακριτώτατα μαρτυριῶν narrat, quæ aulam ſcire utile eſt. Videor mihi mediocriter philoſophari, quòd non reſpondeo omnibus ſycophantis, nè majora diſſidia oriantur, ſed nimium irritor. Et multò ante diſceſſiſſem ex his locis, niſi cogitâſſem fore majores diſtractiones. Et non recuſo diſcedere quandocunque volueritis. Te tamen virum doctum judicem eſſe volo, an & recta & utilia docu-

A erim, cum quidem inciderimus in magnam opinionum confuſionem. Oro autem Filium Dei, ut nos omnes gubernet. Honeſtiſſima conjunx tua miſit mihi guſtandum vinum tuum, quod utinam domi tuæ integris corporis tui viribus, ac fruens conſpectu honeſtiſſimæ conjugis & dulciſſimæ ſobolis bibas. Spero tibi valde gratum fore. Bene & feliciter vale. Die III. Febr.

Si longior à me reſponſio περὶ μυστηρίων petitur, ſignificabitis. Tempore enim opus eſt ad deſcri- B benda vetera teſtimonia & profectò invitus περὶ τοῦ πανταχοῦ diſputo, quia multa βιβλία turbant mentes in vera cogitatione. Bene vale & reſcribe.

D. Georgio Cracovio S. D.

CLariſſime vir & chariſſime frater, Spero vos accepiſſe literas meas, de Abbatum *Vuirtebergicorum* decreto, ſeu de *Hechingenſi Latino*, quæ C ſi fuerunt ſcriptæ liberiùs, veniam ingenti dolori meo date. Intra dies quatuordecim ex *Gallia*, ex *Pannonia* & ex *Auſtria* triſtiſſimas querelas accepi de hoc diſſidio. Me obtrectantur ut non ſim καθὰ νεώτερον. *Pannonici* quidam ediderunt ſcriptum non futile. Hoc tantum incendium excitârunt articuli μεθωναίων, quod vides non poſſe ab eis reſtingui. Sed oro Filium Dei ut nos gubernet. Proficiſcitur ad vos Doctor *Bartholomeus Laſanus Cygneus*, ut cum Illuſtriſſimi Principis Electoris D munificentiâ adjutus ſit, nunc ſuam operâm Illuſtriſſimo Principi reverenter offerat, ingenio valet, & uſui eſſe poterit. Te oro, ut eum complectaris & gubernatoribus commendes. De decreto, quo prælectiones diſtributæ ſunt, gratias Illuſtriſſ. Principi & conſiliariis agimus. Petiit præfectus adfini tuo collegam addi, & adfinis tuus petiit ſe levari bidui onere in prælegendo. Nihil mutavimus de decreto Illuſtriſſimi Principis. Sed bidui onere in prælegendo adfinem tuum levavimus, E cum quidem alter lector *Ebræus* jam acceſſerit. Illud viciſſim adfinis tuus tribuit volens auditorio templi, quia ſit juvenis & onus toties concionandi initio vix ſuſtinere poſſit, ut collega addatur ad tempus, & ipſe fruatur ſtipendio octoginta aureorum, collega quadraginta, ſed tantum ad tempus. Cogitavi ei utilius eſſe cum benevolentia auditorum inchoare functionem, quàm poſtea querelas in aulam deferri. Interea & ipſe animoſior erit ad dicendum, & cum volet, ſolus tenere hanc functionem F poterit, ſpero te hæc initia non improbaturum eſſe, quia præcipuè moti ſumus hâc cauſâ, cum præfectus tantopere laboraret, ut initia gratiora eſſent, téque oro, ut hæc initia boni conſulas, quæ tamen cum volueritis mutari poterunt. Bene vale & reſcribe. Die V. Februarii.

D. Georgio Cracovio S. D.

G SUbitò ſcripſi, cum iter ingrederetur nuncius, & hodie manè juſſi ut peterentur literæ à familia tua. Dei beneficio tranquillitas eſt harum regionum, oppidi & Academiæ, eadem quæ fuit cum iter ingreſſus es. Deus gubernet et nos et vos, et te nobis reſtituat rectè valentem. Heri Doctoris gradus decretus eſt *Regiomontanæ* Academiæ Lectori *Davidi* adfini *Franciſci* Ep. 395.

 Burcardi

Burcardi Vinariensi. Mitto tibi & D. *Ægidio* propoſitiones diſputationis. Hic ſerunt ὁ βασιλεὺς *Polonorum* mortuum eſſe & expetere *Polonos* Regem *Moſcovicum*, qui ſi erit rex *Poloniæ*, ſpero eum fore *Byſantii* dominum. Impendet omnino mutatio inſignis univerſo generi humano, quam Filius Dei gubernet. Bene valè & reſcribe. Die XX. Martii.

D. Georgio Cracovio S.D.

Ep. 396. CLariſſime vir & chariſſime frater, Et Academiæ nomine de privilegio tibi gratias ago, & meo nomine de literis quas ad me privatim ſcripſiſti, quæ & judicii benevolentiæ erga me tuæ teſtes ſunt. Scis me de privilegiis non rixari quia multi eis abutuntur, & velle ſolvi legibus contrarium eſt fœderi communis ſocietatis. At definitione legis delector, quam veſtri ſcriptores ſuis libris inſeruerunt, in qua hæc ſunt verba: πόλεως συνθήκη κοινή, καθ' ἣν πᾶσι προσήκει ζῆν. Et meminiſti orationem κατὰ τιμοκράτους, in qua *Locrenſe* exemplum recitatur. Mitto tibi literas *Sebaſtiani* paſtoris Eccleſiæ *Salinarum* de morte fratris, quæ oſtendit qualis ſit ſervitus ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τῶν μοναχῶν. Scito etiam *Lutetiæ* recèns crematum eſſe *Burgium*, cujus magna fuit in ſummo judicio autoritas. Tales viros ait *Vveſtualus* eſſe Diaboli martyres. Hanc judicii perverſitatem quis non deteſtetur? ſed hæc aliàs. *Romæ* novus Pontifex *Pius Quartus* Electionem Imp. *Ferdinandi* confirmavit. Bene vale. Die meo natali, quo annum ingredior 64, qui utinam ſit fauſtus & felix mihi, Eccleſiæ, & his regionibus.

Magnifico Domino Cancellario inclyti Principis Marchionis Georgii Friderici &c. Chriſtophoro Tettelbach, Doctori Iuris, eruditione et virtute præſtanti, patrono ſuo colendo, S. D.

Ep. 397. MAgnifice Domine Cancellarie. Etſi adhuc à Duce *Saxoniæ* Electore literas expectamus; tamen conſiliarii qui ſunt *Tridenti*, ſignificant nobis, ſe ita ſentire, nobis progrediendum eſſe, & velle Imperatorem ut nos, & aliarum noſtrarum Eccleſiarum legati veniant ad Synodum, & ab ipſa ſynodo & ab Imperatore dari ſecuritatem ſatis perſpicuè. Et forma decreti de ſecuritate nobis miſſa eſt. Cum igitur exiſtimemus nos poſt paucos dies ingreſſuros eſſe iter, duxi id vobis ſignificandum eſſe, ut ſi voluerint gubernatores veſtræ ditionis mittere legationem, nobis adjungatur, & ſint hic intra dies VI. Commodius enim eſſet eos nobiſcum iter facere. Et poſſent in domo *Ægidiana* nobiſcum eſſe, etiamſi non mox iter ſuſciperetur. Scribitur nobis ex *Tridento*, Imperatorem poſtulâſſe à *Wirtebergenſibus*, & ab *Argentinenſibus*, ut accerſant ſuarum Eccleſiarum Doctores, qui reſponderunt ſe id facturos eſſe, cum nos venire intelligerent. Inde voluntas Imperatoris æſtimari poteſt. Fortaſſe igitur prodeſt non præbere ſpeciem contumaciæ. Bene & feliciter valete. Die X. Febr.

Quæſo ut mihi ſignificetis an veſtri legati ad nos venturi ſint.

D. Chriſtophoro Tetelbachio S.D.

MAgnifice Domine Cancellarie, Fuiſſet omninò utilius, & ſpecioſius, ſi una communis legatio, nomine plurium Principum & civitatum amplectentium Euangelii puritatem, fuiſſet miſſa, et fuiſſet una vox pia plurium Eccleſiarum. Hoc in deliberationibus ante annum diſputatum eſt, & monuerunt aliqui, ut communicato conſilio cum aliis Principibus & civitatibus hæc tanta res inſtitueretur. Sed aliter acta res eſt. Prodeſt tamen adhuc aliquos qui proficiſcuntur ſe conjungere. *Tridenti* expectant nos *Wirtebergenſes*, & *Argentoratenſes*. Fortaſſis & *Pomeranici* venient. Optamus igitur veſtros nobis adeſſe, quorum adventum hic expectabimus. Heri audivi in aula Imp. deliberari, an propter bellum Synodo ſit dandum intervallum. Id ſi fieret, nunc quidem Eccleſiæ noſtræ habituræ viderentur inducias aliquas, ſed oremus Deum ut ipſe nos gubernet. Audimus in *Anglia* protectorem avunculum Regis affectum eſſe capitali ſupplicio, conjugem etiam condemnatam eſſe, quæ nunc gravida eſt. Hæc fiunt artificiis Epiſcoporum. Bene & feliciter valete. Die XIII. Februarii. Ep. 398.

Illuſtriſſimo Principi ac Domino, Domino Guilhelmo Duci Iuliacenſi, Clivenſi, Montenſi, Principi clementiſſimo, S.D.

ILluſtriſſime Princeps, Etſi ignotus ſum Celſitudini tuæ; tamen cum ad Rempub. pertineant honeſtarum artium doctrinæ, maximéque deceat Principes complecti eos qui literarum ſtudia mediocriter adjuvant, non dubitavi ad T. Celſ. ſcribere, præſertim de ſcholaſtico ampliſſimæ ſpei, ac rogo, ut Celſ. Tua meas literas boni conſulat. Hic tabellarius *Vvernerus Montenſis* natus in ditione Celſ. Tuæ optima cum ſpe inchoavit ſtudia literarum, & hæc ornat ſingulari morum gravitate & modeſtiâ. Cúmque rara dos ſit, etiam in doctis, prudentia, animadverti hunc ita valere ingenio, ut prudenter etiam de ſtudiis et moribus judicet. Nec obſcura ſignificatio eſt judicii et virtutis ipſius, quòd inter tot difficultates non abjecit ſtudia, nec fractus animo ſuccubuit fortunæ, quæ eum ab hoc honeſtiſſimo curriculo multis ærumnis depellere conata eſt. Nunc autem quia ſperat Celſitudini Tuæ civium ſtudia curæ eſſe, decrevit ad Celſ. T. confugere, petiítque, ut vel ſacerdotio aliquo, vel alio ſtipendio adjuvetur, ut diutiùs in Academiis verſari poſſit. Cupit ſervire Eccleſiæ *Chriſti*, ſed ad munus omnium longè maximum acceſſuro exiſtimat opus eſſe uberiore doctrinâ. Nihil glorioſius eſt ac bono Principe dignius, quàm invitare cives ad artes quæ proſunt moribus, et ornare Eccleſias bonis et doctis gubernatoribus. Quare Celſ. T. rogo, ut hunc ſubditum reſpiciat, ac adjuvet. Magna ſpes eſt univerſæ *Germaniæ* Celſ. T. præſidio futurum eſſe literis; Quæ ſi non aliquorum bonorum Principum curâ conſervabuntur, magna barbaries et vaſtitas Eccleſiarum ſecutura eſt, quam cavere et arcere boni Principes omni ope debent. Ep. 399.

Deus

Deus ſervet Celſ. T. incolumem ad ſalutem Reipub. Datæ *Wittebergæ* XVI. Januarii, Anno M.D.XXXIX.

Celſitudini T.
addictiſſ.
Philippus Melanthon.

Clariſsimo viro, ſapientia, virtute & eruditione præſtanti, D. Conrado Heresbacchio, Doctori Iuris, Conſiliario Inclyti Ducis Iuliacenſis, amico ſuo chariſsimo, S.D.

Ep. 400. MAgnam ſpem conceperam, fore, ut cum tuo Principe ad pompam nuptialem noſtri Principis venires. Nec me ullius ad paratus videndi tanta cupido tenebat, quanta tui complectendi & tecum jungendæ amicitiæ. Jam olim enim te de ſcriptis déque honeſtiſſimis quibuſdam tuis laboribus cognovi. Et quanquam ex ipſo genere orationis tuæ, mores tuos, ſuavitatémque ingenii æſtimârim, ὡς γὰρ ὁ λόγος χαρακτὴρ τῆς ψυχῆς: tamen magna cum voluptate ſæpe alios etiam audivi humanitatem tuam comitatémque prædicantes. Proinde arbitrabar facilè me conſecuturum eſſe, ut in tuorum amicorum numerum me quoque adſcriberes & recenſeres, quâ re nihil gratius hoc tempore mihi accidere potuiſſet: Sed fefellit me ſpes, ut ſæpe fit. Et quanquam hanc meam voluntatem multo ante tibi declarare cupiverim: tamen quia defuit occaſio, ἢ εὐσχημα, arbitrabar fore, ut impudentem me eſſe judicares, qui ad te irrumpere conarer, auderémque ſine aliqua neceſſaria cauſa ad te ſcribere. Nunc me quædam officii ratio coegit ut ad te literas darem. Eſt hic quidam ditionis *Iuliacenſis* ex oppido *Suſtern*, is olim ſutor iſtic in patria fuit, poſtea factus eſt ſacerdos. Nuper autem abdicato ſacerdotio cœpit ad artem redire eámque hic exercet. Sed in collegium ſutorum recipi non poteſt, niſi ex patria literas habeat, quæ ex more teſtentur eum legitimè natum eſſe & artem didiciſſe. Scis enim opinor collegiorum iſtiuſmodi conſuetudinem. Veretur autem hic bonus vir, ſe vix impetraturum eſſe literas à ſuis civibus, quibus jam ſit inviſus, quia ſacerdotium abdicârit. Quare me rogavit, ut vel ad te, vel ad *Rennebergum* Comitem ſcriberem hac de re. Non potui hoc officii homini valde probo & miſero negare, & uſus occaſione, ad te ſcribere malui, ſimul ut me in amicitiam inſinuarem tuam & hujus boni viri cauſam tibi commendarem. Quæſo igitur te, ut cum *Renneberg*o Comite agas, ut efficiat, ut cives *Suſternenſes* huic dent teſtimonium, quod jure gentium debetur. Quæ enim eſſet iſta inhumanitas, ne quidem teſtimonio velle & quidem ſuum civem juvare? Non ignoras Legibus cogi poſſe eos ad dicendum teſtimonium. Magnum me beneficium putabo abs te accepiſſe ſi hanc rem mihi confeceris, propterea quòd hujus ſutoris mores mihi noti ſunt, & perſpecta probitas eſt. Si nôſſes hominem, planè dignum judicares, quem vel cum periculo adjuvares. Arbitror autem te meis literis tantum habere fidei, ut libenter credas talem eſſe, qualem prædico. Non potui ſcribere copioſius, properantibus his tabellariis, ſed ſi intellexero te non abhorrere à noſtra amicitia, dabo operam, ut in hoc genere officii & in ſcribendo me non poſſis ad-

A modum negligentiæ accuſare. Vale. Die tertia poſt Dominicam Trinitatis, Anno milleſimo quingenteſimo viceſimo ſeptimo.

D. Conrado Heresbacchio S.D.

MIhi verò literæ tuæ jucundiſſimæ ſunt, amo Ep. 401. enim ingenium tuum multis de cauſis, quare inter nos agamus *Atticâ* lege ἄνευ σχημάτων, certè illa excuſatione interpellationis minimè ad
B me opus eſt, cum & literis & amore erga me tuo vehementer delecter. Ac meum erga te amorem clariùs perſpexiſſes, ſi, ut ſcribis, ad nos deflexiſſes. Nam & de ſtudiis & de noſtra amicitia & de Repub: copioſiùs colloqui potuiſſemus, quam utrique noſtrûm ſcribere licet. Etſi autem exiſtimo te perſpicere quod ſit meum judicium, quæ voluntas in his diſſenſionibus: tamen coram magis declarâſſem tibi meum animum. Articuli illi qui circumferuntur non ſunt γνήσιοι, ſed mutilati &
C excerpti ex quodam meo longiuſculo conſilio, ſcripto ad *Langeum* fratrem Epiſcopi *Pariſienſis*. Rogaverat enim *Langeus*, ut rationem aliquam componendarum harum diſſenſionum perſcriberem, ac ſimul oſtenderat Regem *Gallorum* apud Pontificem de pace & mitigatione tantarum rerum acturum eſſe. Scripſi igitur quid mihi videretur. Nec me valde pœnitet mei judicii. Scripſi de politia Eccleſiaſtica conſervanda, deinde quid relaxari æquum eſſe cenſerem, quibus de rebus
D doctos colloqui diligentiùs prodeſſet. Inde ſunt illi articuli, ſed mala fide decerpti. Multis dedi ſcribendum meum conſilium, ſed edere nondum volui, quòd in tanta perverſitate judiciorum vereor, nè magis irritentur nonnulli. Rex *Galliæ* non obſcurè ſignificavit, ſibi meum conſilium probari. Miſit *Romam*, méque vocavit ut de iiſdem rebus me audiret, ſed Dux *Saxoniæ* noluit me demittere. Nolunt privatum quenquam paciſci cum illo de Repub. Sic enim loquuntur:
E δεινὴ δὲ καινή τις ἐπὶ ἀπαιδεύτων τυραννὶς καθισαμένη οὐδὲν μέτριον, καὶ κανονικὸν, καὶ πολιτικὸν φρονούντων. Cedamus igitur fatis. Nunc *Anglus* me vocat. Sed aliis de rebus. ἐγὼ μᾶλλον θέλοιμι εἶναι σύμμαχος τῶν σπουδαζόντων κοινὴν ὁμόνοιαν ποιεῖν τῆς ἐκκλησίας. Adoleſcentem filium Conſulis *Weſelienſis* collocavi apud doctum contubernalem. Nunc in hoc ſeceſſu meus etiam conviva erit, quam diu volet. Bene vale, méque ama. Nam amicitiam tuam, propter egregiam virtutem tuam, & doctrinam
F ac prudentiam, facio plurimi. Ex *Tyrigetis* menſe Novembris.

D. Conrado Heresbacchio S. D.

HIc adoleſcens repetit hæreditatem à quodam Ep. 402. ſacerdote iſtic. Rogavit me, ut ſe tibi commendarem. Ego verò malim longè de rebus gravioribus, & magis utroque noſtrûm dignis ad te ſcribere, quàm de talibus nugis; quoties
G enim jam hujuſmodi futiles cauſas tibi commendo? Sed dabis veniam temporibus, & eſt humani animi etiam hoc genus officiorum non recuſare. Dabis igitur ei, quantum tua humanitas poſtulabit. *Ferdinandus* Rex ceſſit volens ducatum *Wirtebergenſi*. Itaque *Landgravius* moderatione uſus egregiâ, reliquam *Ferdinandi* ditionem non attigit, ſed dimiſit exercitum.

Noſter Princeps, quoniam inter pacificatores fuit, ut viciſſim Regi *Ferdinando* aliquid tribueremus, velut ἀντίδωρον, agnoſcit eum Regem *Romanorum*, & hunc titulum ei tribuit. Hæc ſcio tibi jucunda fore. Diſputationes religionis ego quidem quantum poſſum, mitigare ſtudeo. Et in his locis ſatis tranquillæ ſunt Eccleſiæ. Sed totus orbis terrarum fato aliquo propter impietatem urgetur, quare vereor hos motus non poſſe ſedari humanis conſiliis. Sed res eſt ἐν γούνασι θεῶν. Bene vale.

D. Conrado Heresbacchio S.D.

Ep. 403. CHriſtus faciat, ut felix, fauſtum, & tranquillum ſit conjugium tuum. Quid enim de hoc vitæ genere ſentiant quidam μισάνθρωποι, non moror. Mihi profectò hoc ipſum vitæ genus Philoſophia quædam videtur. Eſt enim plenum honeſtiſſimis officiis maximéque dignis bono viro. Ad hæc ἄγαμοι perpauci eâ ſunt virtute, ut afficiantur curis publicis, aut intelligant etiam, quæ ſint res in vita præcipuæ.

Quare tuum conſilium de eligendo vitæ genere valde laudo, tibíque & honeſtiſſimæ conjugi tuæ omnia fauſta precor: Mea officia ſanè rhetoricè laudas, cum ego nihil præſtiterim unquam, quod ſine ſcelere prætermittere potuerim, fuit mihi tamen grata ſignificatio humaniſſimi animi tui. Non enim interpretor eſſe ἱερωσύνην, quam decet à nobis τοῖς ὡς ἐπισκοπεῖν ἐπηγγελμένοις alieniſſimam eſſe. De Repub. nihil habeo quod neſcire te arbitrer. Nec aliud adhuc audimus, niſi à Cæſare & *Gallo* apparari bellum. Princeps *Cattorum* jam, niſi fallor, profectus eſt ad conventum *Eſlingenſem*, ut *Bavaros* & *Wirtebergenſem* redigat in mutuam gratiam. Adhuc igitur eſt εἰρήνη, & ut diu ſit oro *Chriſtum*. Bene et feliciter vale, téque à me amari propter excellentem virtutem et doctrinam tuam ſcito.

Adoleſcens *Weſalienſis* erit mihi curæ. Et ſane adhuc probantur mihi ejus ſtudia et mores.

D. Conrado Heresbacchio S.D.

Ep. 404. CLariſſime vir et amice chariſſime, Hanc Epiſtolam ſcripſi die XXV. Novembris, qui fuit *Ebræis* menſis *Kislev*; Ὠρίων@. Hæc enim vera etymologia eſt, et ab occaſu *Orionis* eruditè menſis appellatio ſumpta eſt. Eo die ante annos 1717, inſtituta ſunt Encænia *Ieroſolymæ* recuperato templo, et purgato. Utinam nunc quoque feliciter reſtitueretur lux doctrinæ, et Deus verâ invocatione coleretur: Nunc tibi mitto acta *Norinbergenſia*. Nam recèns propter *Oſiandri* controverſiam *Noribergam* vocatus ſum. Bene vale et reſcribe.

D. Conrado Heresbacchio S.D.

Ep. 405. QUòd rarius ad te ſcribo, cum quidem me toties humaniſſimè invites ad hoc officii genus, velim exiſtimes nullam eſſe cauſam aliam, niſi quòd non ſæpe contingunt mihi certi tabellarii, abſum enim ab aula. Cæterùm cupiam tecum vel quotidie confabulari per literas, ſi poſſem. Semper enim te propter excellentem doctrinam feci plurimi, nunc propter humanitatem et ſuavi-

A tatem ingenii, quam cognovi ex tuis literis, etiam mirificè amo. Hanc autem epiſtolam dedi huic ſacerdoti *Colonienſi*, petenti ut ſe tibi commendarem. Nihil petit præter μικρὰ φιλοσοφήματα, ut te iſtic patronum habeat, ſi ſe recepturus in ocium ad vos commigret; qua in re non utor pluribus verbis. Scio enim te tali præditum humanitate, et ſenem, et ſacerdotem libenter ſuſcipere tuendum. Tuus propinquus de tuis rebus ſcribet, valetudine aliquandiu nonnihil dubiâ uſus eſt. Nunc videtur
B mihi commodiùs habere. Juvenis eſt moribus optimis, et dignus quem ames. De noſtris rebus non laboro ſcribere: ſic agunt adverſarii omnia, ut fato quodam malo urgeri videantur, atque ego quidem exiſtimo viſuros nos proximo anno honorabilem ἐπίτασιν horum negotiorum. Eſt apud vos quidam cui *Campano* nomen eſt, qui profitetur ſe hoſtem *Lutheranæ* factionis, idque callidè facit, ut eo prætextu inſinuet ſe in animos iſtarum nationum, apud quas inviſum eſt *Lutheri* nomen, ac
C contra *Lutheranos* nihil admodum ſcribit niſi meras λογομαχίας, et venenata convicia. Interim χριστιανῶν ἀπὸ τοῦ θεοῦ, καὶ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος [illegible]. Telam orditur quam non poterit detexere. Ideo te oro, ut pro tua prudentia des operam, nè quid exiſtat ex illis diſputationibus mali. Juvenis eſt & imperitus horum certaminum καὶ νεανικῶς τοῦτον [illegible]. Titulum libro fecit contra totum poſt Apoſtolos mundum. De his rebus cogitabis. Bene vale. XV. Julii. Anno
D M.D.XXXI.

D. Conrado Heresbacchio S.D.

CLariſſime vir & chariſſime frater, Ego verò & recordatione tuarum virtutum, & literis tuis valde delector. Quare nolim te excuſare interpellationes, ſi poſſem etiam coram tecum quotidie colloquerer, non de populi fabulis, aut Principum tumultibus, ſed de optima doctrina, de Ep. 406.
E conſolationibus divinitùs traditis, & de iis rebus, de quibus aliquanto poſt in cæleſtis Eccleſiæ conſuetudine colloquemur. Mitto tibi pagellam, in qua veſtram familiam inſero heroico generi *Godefridi Bulionei*, qui verè inter optimos Principes numeratur. Exſtimo tibi arcem *Bulion* in *Leodienſi*, opinor, vicinia notam eſſe. Si quid de ſtirpe legiſti, quæſo ut nobis impertias. Non enim adſentior *Gallis*, qui aliam illi patriam tribuunt. Bene vale & reſcribe.

F

D. Conrado Heresbacchio S.D.

TUarum literarum brevitas, ut ego judico, ſignificatio eſt ingentis mœſtitiæ tuæ, quâ te adfici non dubito, propter horribiles confuſiones & Eccleſiæ & Politiarum. Excrucior & ego ſimilibus doloribus, ac præcipuè, quia rerum maximarum explicationem impediri video, ab Ep. 407.
G illis ipſis qui ſemidei haberi volunt. Sed ſtudeamus, Deo juvante, moderari ſi qua noſtrâ voce leniri poſſunt, & foveamus miſerum & ſaucium cœtum, quantum fieri poteſt. Hæc in his tantis miſeriis cogito. De Chronico libello non libet ſcribere, quia non ratiocinor me ad illas recentiores hiſtorias perventurum eſſe. Donec vivo adoleſcentiæ proponi curabo res utiles.
Et

Et hæc ipſa ... repeto. ut invitem plures ad legendas veteres hiſtorias. Nam novum & integrum opus condere,non eſt mearum virium. Scis ſapientiæ & eloquentiæ non mediocris eſſe vel exiguam hiſtoriam ſcribere, quid de illa amplitudine integræ hiſtoriæ, qualis eſt *Polybii*, non multorum annorum cogitare poſſumus? ſed hoc omitto. Tuas literas flagito. Bene vale. XVIII. Novembris.

D. Conrado Heresbacchio S. D.

Ep. 408. Fuit mihi *Rheni* ripa jucundior, ante triennium cum *Bonnæ* eſſem, propter doctiſſimorum hominum frequentes congreſſus & ſermones dulciſſimos. Meminiſti autem ibi noſtras querelas. ... ut vetus *Livi* verſus inquit. Veſtro autem Duci propter ætatem ignoſcendum fuit. Noſtri nunc quo rapiuntur? ut fratres *Thebani*: ita ad *Albim* inter ſe cognati dimicant, nec humanis conſiliis reprimi furor poteſt. Oro autem Deum æternum Patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti*, pacis autorem, ut reddat Eccleſiæ, & politiis *Germanicis* piam & ſalutarem pacem. *Iohannes Nervius*, ſororis tuæ filius, Dei beneficio rectè valet, ac viribus firmioribus nunc eſt, quàm antea. quo adfuit ad *Albim*. Mecum in urbe tranquilla uſque ad Paſcha manere decrevit. Te oro ut ſi poteris mittere literas, ad nos ſcribas. Bene vale. Die natali *Caroli* Imperatoris.

D. Conrado Heresbacchio S. D.

Ep. 409. Hunc nuncium cum adoleſcentea aliquot iſtuc mitterent, dubitabam an domi eſſes Ratiocinabar enim te profectum eſſe ad ripam *Danubii*; quia fama erat ibi de ſponſalibus Ducis *Iuliacenſis* deliberationes fore. Sed profectò opto, ut liceat tibi domi manere, & frui domeſtica conſuetudine honeſtiſſimæ conjugis & amicorum, imò & liberis. Noſtras philoſophicas opiniones rident aulæ. Sed hæc aliàs. Dei beneficio rectè valet jam *Iohannes* filius tuæ ſororis, cúmque ſit indoles ad literas & virtutem præclara, optarim ejus ingenium meliùs habitare; Textum enim corporis imbecille eſſe video. Sed & temperantia tuetur valetudinem, & in cæteris rebus moderatus eſt. Te magnopere oro, ut ſumptus neceſſarios mittas, rationes expenſæ pecuniæ cognoſces ex ipſius literis. quæ fragilitatis ipſius teſtes erunt, valetudo adverſa auxit ſumptus aliquanto ante. Mitto tibi pagellas de tertia Synodi *Tridentina* Seſſione, in quibus judicii ſecuturi, de doctrina, fundamenta jacta ſunt. Sed Deum æternum Patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti* oro, ut te & nos regat & ſervet. Bene vale. Pridie Calendas Junii, Anno M.D.XLVI.

D. Conrado Heresbacchio S. D.

Ep. 410. Quod fauſtum felixque ſit, tuus nepos in patriam revertitur, quem, etſi ille peccare eum inquit, qui velit amicis commendari: tamen tibi commendandum eſſe duco. Vixit enim apud nos ſummâ cum laude modeſtiæ ac diligentiæ, ac mihi quidem profeciſſe aliquid videtur. Sed de profectu tuum erit judicium. Illud prædico, quod religioſè dicturus teſtimonium, in judicio affirmare queam; nihil hic ſeciſſe indignum modeſto ac ſtudioſo ſcholaſtico. Cum autem mores ſint hujuſmodi, dabis operam, ut in ſtudiis literarum retineatur, vides enim bonis omnibus hoc tempore pugnandum eſſe, ut bona ingenia & modeſta retineantur in ſtudiis propter Rempub. Calumniæ *Campaci* editæ ſunt, quas cum videris quantum mali, quos motus pariturae videantur, facilè intelliges Incurrit in omnes ſinè diſcrimine. Nemo quidquam rectè dixit, præter unum hunc *Thaleta Campanum*. Sed privatæ injuriæ facilè diſſimulari à nobis poſſunt. Vos videritis utrum Eccleſiæ hoc genus calumniarum profuturum ſit. Bene vale, méque inter eos numera, qui tui cupidiſſimi ac ſtudioſiſſimi ſunt.

D. Conrado Heresbacchio S. D.

Deo conditori generis humani & cuſtodi ſalutarium imperiorum, gratias ago, quod dedit hæredem Principi veſtro, quem ut ſervet & gubernet ipſe, precor. Nam cor Regis in manu Domini eſt. Præcipua eſt igitur gubernatio divina ſi ſit felix. Sed tamen & nos facere decet, ea quæ noſtri officii ſunt. Vult Deus doceri teneros animos. Quare & veſtro Principi opto tales formatores, qui faciant eum ... quam ad rem profuturus eſt ei tuus liber. Quare de eo edendo cogitabis, qui quidem jam extaret, niſi typographos haberemus prorſus inſulſos. Etſi periodi imperiorum *Europa* penè circumacta ſunt, & *Turcica* potentia creſcit: tamen ſperemus Deum aliquos daturum eſſe Principes, qui *Turcos* reprimant. Geneſis *Philippi Burgundici* ſignificat excellentiam ſingularem. ... Bene vale & reſcribe, Datum vigeſimo primo die Julii. Ep. 411.

D. Conrado Heresbacchio S. D.

Clariſſime vir & chariſſime frater, Scio te & natura beneficum eſſe & ſcire illud vetus, ... Sed interpellationes in aulis ſæpe ſunt inſuaves. Habet autem hic adoleſcens *Iohannes Clarenbach* ſpem, poſſe aliquid auxilii ad ſtudia impetrari in aula, & à me petivit ut ad principem Illuſtriſſimum ſcriberem. Etſi nos ſenes ſumus ..., tamen ſcripſi. Te autem oro ſi petitionem ejus adjuvare potes, ne ei deſis. Studia doctrinarum hîc Dei beneficio mediocria ſunt. Ex *Pannonia* huc ſcribitur hâc æſtate fratres filios *Turcici* Tyranni in *Bithynia* inter ſe dimicaſſe & circiter quadraginta millia *Turcorum* interfecta eſſe. Literas à te de *Gallia* expecto. Bene vale. Die vigeſimo tertio Auguſti, Anno M.D.LIX. Ep. 412.

D. Conrado Heresbacchio S. D.

Clariſſime vir & chariſſime frater, Delector veteri verſu, quem aiunt eſſe *Sophoclis*, etſi non eſt in his Tragœdiis quæ reliquæ ſunt: ... Effigies eſt hic verſus animi tui & morum tuorum. Ut enim in cæteris virtutibus conſtantiam præſtas: ita in ami- Ep. 413.

amicitia, cum quidem in hac temporum confuſione multi mutentur, erga veteres amicos, quos judicio complexus es, manes idem. Te ſpero nos in cœleſti conſuetudine dulciſſimè & aſſiduè aliquanto poſt, non de Regum & Theologorum furoribus, ſed de doctrina collocuturos eſſe, cujus elementa in hac vita didicimus. Te autem oro ut ſæpe ad nos ſcribas. In his regionibus ad *Albim*, Dei beneficio, adhuc tranquillitas eſt, & doctrinarum ſtudia ſunt mediocria. Conſenſus eſt etiam Academiarum, tametſi ad *Salam* βλασφημίαι λοιδορίαι nobis moleſtæ ſunt. Sed ibi etiam doctorum & bonorum virorum gemitus improbant illas συκοφαντίας. De *Anglicis* rebus, quæſo ut nobis ſcribas. Salutem tibi optant *Camerarius* & *Peucerus*. Hæc cum ſcriberemus, literas ex *Sileſia* acceperamus, quæ narrant *Turcicum* Imperatorem duxiſſe exercitum ad *Adrianopolin*, proceſſurum in *Pannoniam*, ſed filiorum diſcordiâ revocatum eſſe *Byzantium*. Bene vale. Salutem optamus Doctori *Echthio* viro optimo & doctiſſimo. Caland. Januarii, Anno M. D. LIX.

A B C

D. Conrado Heresbacchjo S. D.

Ep. 414. QUod toties tibi ſcholaſticos noſtros commendem, ſpero te pro tua prudentia atque humanitate boni conſulere. Nec verò his ferreis temporibus tuæ gentis homines ad alium confugere poſſunt, quàm ad te, qui eo es loco, quo maximè tueri ſtudioſos debes. Hanc epiſtolam dedi cuidam adoleſcenti *Conrado*, cujus & doctrinam & mores magnopere probo. Verſatus eſt enim non ſolum in his communibus *Latinæ* & *Græcæ* linguæ ſtudiis, ſed etiam in majore philoſophia. Ego autem nobis præcipuè hujuſmodi ingenia fovenda atque excitanda eſſe duco, quæ perfectam doctrinam optimarum artium appetunt. Quare te rogo, ut hunc adoleſcentem complecti velis, & pro occaſione adjuvare. Experiere re ipſâ bene collocati apud eum, quidquid in eum ſtudii atque officii contuleris. Motus *Germanici* non poſſunt tibi eſſe ignoti. Et mœrore prohibeor, quo multa de his rebus ſcribam. οἱ καταβαπτισταὶ in illis regionibus obrepſerunt maximè, ubi populus non audivit tolerabiles doctores. Nec remedium illi malo erit, niſi doctores idonei populo præficiantur. Tu bene ac feliciter vale, méque in iis numera, qui ſunt ſtudioſiſſimi atque amantiſſimi tui. Cal. Maii. *Lipſiæ*.

D E F

Clariſſimo viro, eruditione & virtute præſtanti, D. Caſparo Peucero, filio ſuo chariſſimo, S.D.

Ep. 415. CHariſſime fili, Dei beneficio vivunt & rectè valent filia, filius & mater. Hos cum aſpicio cogitans de infirmitate generis humani, prorſus ita ſtatuo, cuſtodem eſſe generis humani Deum. Neque enim naturæ viribus in hac tanta infirmitate ſervari poſſumus. Petamus igitur & protectionem & auxilium à Deo, cum quidem dixerit Filius Dei: *Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt*. Et ſcriptum ſit: *Jacta curam tuam in Deum, & ipſe te enutriet*. Hæc ſcripſi inter cunas & vagitus infantum, quos Deus ſervet. ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν, κινούμεθα, καὶ ἐσμέν.

G

D. Caſparo Peucero S.D.

CHariſſime *Caſpare*, Filium Dei Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum* oro, ut te ſalvum reducat ad tuam conjugem & ad filiam dulciſſimam, & vos omnes protegat. Tuas literas de reditu tuo, de noſtra familia, de Academia, de belli fama, avidiſſimè expecto. Judicant quidam hunc motum fatalem fore huic toti Imperio. Nos igitur in his ruinis rectè & Eccleſiam & noſtras familias in Eccleſia, filio Dei commendemus. *Lælius* mihi ſcribit tanta eſſe *Genevæ* certamina de *Stoica* neceſſitate, ut carceri incluſus ſit quidam à *Zenone* diſſentiens. O rem miſeram! Doctrina ſalutaris obſcuratur peregrinis diſputationibus. Sed oremus Filium Dei ut nos gubernet. Bene vale. Calendis Februarii. Salutem vobis omnibus opto. Ep. 416.

D. Caſparo Peucero S. D.

CHariſſime fili, Die Mercurii mane hora nonâ exhibitum eſt nobis exemplum propoſitionis, quæ à Præſidente *Iulio* proponetur, quæ ſatis luculenter ſcripta eſt. Jubet autem nos convenire omnes, die proximo Saturni, quod eo ſignifico, ut *Eberus* ſciat, quando adeſſe eum opus ſit. Interea ſuſpicor adventuros eſſe τοὺς δύο ἄρχοντας, τόν τε ἐμῆς πατρίδος διαιτητὴν, καὶ τὸ μαθηταῖον. Erit igitur Synodus ſimilis *Ariſtophanicæ* ἰχθύσι ἐολέτας βρεθίζουσαι. Mihi curæ augentur. Sed Deo nos commendo. Bene vale. Hanc Epiſtolam dedi *Anglo Ricardo*. Datam die Mercurii mane. Ep. 417.

D. Caſparo Peucero S.D.

CHariſſime fili, Scis *Euripideum* illud ἐκ ὀμμάτ᾽ ἐμῶ φωτὸς ἐσβλέπειν γλυκύ. Fuit igitur mihi conſpectus *Lazani* jucundus, quem ſi ipſius negotia ſinerent, nunc quoque apud nos retinuiſſem. Nam in hac ſolitudine levationem aliquam ejus mihi conſuetudo attuliſſet. Sed vos expecto, nec tamen meâ cauſâ vos properare volo. Filii & filiæ rationem habebitis. Si ante mercatum *Lipſicum* non ingrediemini iter, ego poſt *Lipſicum* mercatum ad vos accedam. Oro autem Filium Dei, Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, ut vos & nos protegat & gubernet. Bene vale. Die *Stephani*. Ep. 418.

D. Caſparo Peucero S.D.

CHariſſime fili, Etſi hodie mane literas dedi *Laſano*: tamen hunc miſi nuncium, quia reſponderi mihi à vobis cupio. Tantiſper enim donec Deus concedit, frui conſpectu & colloquio veſtro me poſſe opto. Et Dei Filium oro, ut vos & nos protegat. De itinere veſtro ſignificabitis veſtra conſilia. Ego hic magis obruor laboribus quam iſtic. Mitto tibi pagellas, quas auriga ex *Lipſia* jam huc attulit. Habet nuncius & faſciculos literarum *Pruſſiacos*, & ego *Sciuri* literas mitto, quibus ejus libellus additus eſt. *Aſcanius* mihi ſcribit occupatam eſſe à *Carolo* Imperatore urbem *Metenſem*. Bene & feliciter vale. Salutem opto vobis omnibus. Die *Stephani*. Ep. 419.

D. Caſparo

D. Caſparo Peucero S.D.

Ep. 420. CHariſſimi fili, Etiam filiæ tuæ deſiderio non libenter abſum domo, ſed nos hodie adhuc commorari hic oportet, quia Comes de *Solms* abeſt apud Ducem *Mauricium*. Mihi eo etiam moleſtior eſt commoratio, quia βαρύοδμα loca non ſine periculo fero. Sed Deo juvante cras ingrediemur iter. In itinere cum venimus ad oppidum *Slieben*, quod eſſe Σλαβίων exiſtimo à gente, allocuti ſumus D.*Cummerſtadium*, qui ibi erat apud Principem Electorem. Narrabat eadem quæ iſtie audivimus, Imperatorem *Carolum* ex *Auguſta* expatiatum eſſe in urbem Ducis *Bavarici*. Salutem opto vobis omnibus. Bene vale. Die Martis proxima poſt diem *Viti*.

D. Caſparo Peucero S.D.

Ep. 411. HAnc Epiſtolam dedi Doctori *Tubingenſi Iacobo*, qui iter hâc fecit, miſſus ad Ducem *Boruſſiæ*, & comitē habet itineris Secretarium Ducis *Boruſſiæ*, natum in familia Equeſtri gentis *Pomeranica*. Nondum viderant *Joachimi Morlini* ſcriptum de controverſia *Oſiandri*, cum ad nos veniſſent, & exemplum libri petebant. Meum codicem tradidi Domino *Paſtori*. Si igitur apud vos quærent exemplum, petatur meus códex à D.*Paſtore*. Eadem de re ad *Paulum* ſcripſi. Quæſo ut hoſpitalia officia huic veteri amico noſtro Doctori *Jacobo* tribuatis. *Paulo* ſcripſi, ut vobiſcum ſit in cœna, aut prandio. Tuam Epiſtolam heri accepi, in qua erat dulciſſima narratio de filiolo noſtro, de cæteris coram. Spero enim nos proximâ ſeptimanâ domum redituros eſſe. Oro Filium Dei, ut vos & nos ſervet & gubernet. Bene & feliciter valete. Die XXIV. Maii.

D. Caſparo Peucero S.D.

Ep. 422. NOndum ad vos peculiarem nuncium miſi, quia præter *Heſſiacos* & *Sledanum*, hoſpites nulli huc venerunt. Ex *Haſſia* miſſi ſunt *Adamus* pater *Theophili*, & *Hyperius* lector *Marpurgenſis*, & paſtor *Caſſellanus*. Heri expatiati ſumus ad collegium *Portenſe*. Hodie, Deo juvante, amanter colloquemur, & ſpero inter nos quidem nihil fore rixarum. Nec expectabimus alios, ſi intra triduum non advenerint. Epiſtolam ab *Anglo* noſtro hoſpite attulit *Sledanus* quam mitto. Si alii huc advenient, peculiarem nuncium mittam, ut à vobis quoque aliquid habeam literarum. Bene & feliciter vale. Oro Filium Dei, ut nos omnes protegat & gubernet. Die XXIII. Maii.

D. Caſparo Peucero S.D.

Ep. 423. LEucopetram cum veniſſemus manè, Vidua Princeps nos ad prandium vocavit. Adſedit proximè *Joachimum* filia Ducis *Mauricii*, in cujus facie lineamenta eximiam ſignificant modeſtiam. Figura talis eſt, qualem *Nicephorus* deſcribit fuiſſe matris *Chriſti*. *Naobergi* nondum adſunt alii hoſpites præter nos. Nec ſcimus qui aut quando adventuri ſint. Ab *Ulrico Sicingero* literas accepi, quas mitto. Princeps ejus ſignificat, ſe nunc Legatos mittere non potuiſſe, ſed ſe, Deo juvante,

A ab ea confeſſione, quam Eccleſiæ noſtræ amplectuntur, non diſceſſurum eſſe. Si advenerint aliqui aliunde, mittam ad vos tabellarium. Bene vale. Die XXI. Maii.

D. Caſparo Peucero S. D.

CHariſſime fili, Tuæ filiæ deſiderio mirificè adficior. Quoties placidiſſimum ejus vultum & ocellos mente intueor, doleo me iſthinc ab- Ep. 424.
B eſſe. Deinde & aliæ cauſæ animo obſervantur, propter quas vobiſcum eſſe malim. Sed oro Filium Dei, ut vos & nos cuſtodiat & regat. De tuo reditu, de Academia & de familia ſcribito ad nos quamprimum. Nos nondum *Noriberga* diſcedimus, adfuit enim *Cramius*, qui nos Principis literas expectare juſſit. Brevi autem ſciemus, an progrediendum ſit. Salutem opto vobis omnibus, ac præcipuè dulciſſimis filiabus noſtris, & matri & *Johanni*. Scribam & noſtris convictoribus *Jacobo* &
C aliis antequam hinc diſcedam. Bene vale. Die IX. Februarii.

D. Caſparo Peucero S.D.

CHariſſime fili, Spero hodie vos accepiſſe *Francofordianas* literas. Nunc & hunc nuncium meo ſumptu mitto, qui vobis affert ſemur vituli donatum mihi ab honeſtiſſimo ſene, *Baſilio Matthæo*. Malui vobis mittere, quàm hic abſu- Ep. 425.
D mere, ut eſſet ἀφορμὴ ad mittendum nuncium, ac ut à vobis literas haberem. Peto ut reſcribas an *Francofordianas* literas acceperitis. Jubebis & *Paulum* ſcribere, εἴ τι ἀξιόλογον ἔχοιτε, ſignificate. Hic Dei beneficio εὐφημία eſt. Salutem opto vobis omnibus, τῇ θυγατρί σου φίλημα καὶ τῷ υἱῷ. Bene & feliciter valete. Die XVIII. Decemb.

D. Caſparo Peucero S.D.

E CHariſſime fili, Sciebam vos & iter meum cognoſcere cupere, & ſi quid ex mercatu *Francofordienſi* allatum eſſet. Ideo ſtatim ad vos poſtridie quàm huc veni, hunc nuncium miſi meo ſumptu. Venimus *Vuitebergam*, quod ſauſtum & felix ſit, eo die, quo *Torga* egreſſi ſumus, quanquam bis fractus eſt currus, ſed rurſus utcumque colligatus. Cogitabam eſſe imaginem Politiarum & Eccleſiæ, proceſſimus enim Deo juvante etiam inter hæc impedimenta. Qualis ſit tempeſtas vides. Ep. 426.
F Ideo quanquam de lue nihil adhuc audio, tamen expectemus Januarium. Mitto vobis literas *Francofordianas*. Scripſit mihi frater, ut ſolet, amanter, ſignificat propter exercitus vicinos annonam fieri difficiliorem. Sed magnam eſſe autoritatem apud *Carolum Æacida*. *Danicam* pecuniam accepi. Scribo breviùs ut mox abire nuncius poſſit. Oro Filium Dei Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, ut vos omnes ſervet incolumes. Salutem opto D.*Ia-*
G *cobo Milichio*, Doctori *Chriſtophoro*, D.*Ioachimo Myropolio*, D.*Syndico*. Si quid audies ex *Ioachimo* de Rep. ſignifica. Bene vale & reſcribe. Die XVII. Decembris, *Vuiteberga*. φίλημα τῇ θυγατρί σου. meo nomine, & filiolo. Clariſſimo viro D.Doctori *Milichio* exhibeto fratris & *Conradi* literas. Adfertur ἀζδίας de vita Apoſtolorum.

D.Caſparo

D. Caſparo Peucero S. D.

Ep. 427. CHariſſime fili, Cum propter venditionem currus properare *Werneri* filius cogatur, prius ad vos accedunt, quàm ego hinc diſcedere potui. Scripſi patri, futuros hos in menſa noſtra. Excipies igitur eos. Scis qualis ſit paterna στοργὴ. Et hanc induamus erga eorum filios, qui nobis ſuos commendant, & tam procul a patria mittunt. Habitationem eis quærito, & ſi fieri poſſet, optarim eos in collegio habitare. Bene vale. Filius Dei Dominus noſter *Jeſus Chriſtus*, crucifixus pro nobis & reſuſcitatus, protegat & regat vos, & nos omnes. Die V. Octobris.

D. Caſparo Peucero S. D.

Ep. 428. TYpographus hodie, quod fauſtum & felix ſit, librum de Eccleſiis *Megapolitanis* edit, intra biduum iturus *Roſtochium*. Poſtea & ego ad vos ſtatim expatiabor, magis deſiderio filiarum noſtrarum, quàm quod ſperem nos diu ibi commorari poſſe. Nam literæ huc à *Danubii* ripa miſſæ, non oſtendunt ſpem pacis. Oremus autem Filium Dei, ut ipſe noſtra àgmina tenera & deſerta protegat. Credo Senatum *Argelianum* ſatis officioſum eſſe, ſed κακοηθείας tamen multorum metuo. Etſi autem ea lues ubique vagatur, tamen uſitata facilius ferimus, ut vos Medici dicitis. Et πολλὰ καινὰ τῶν μὴ plus ſermonum adferent. *Henricum* tibi commendo. Bene vale, die natali tuæ conjugis.

D. Caſparo Peucero S. D.

Ep. 429. CHariſſime fili, Ut tres Magi proficiſcentes ad cunas *Chriſti* dicuntur conveniſſe in itinere, cum prius nihil ſciſſent alii de aliorum profectione: ita eâdem horâ huc venimus *Francici* nobiles, & ego, die decimo Septembris, quod fauſtum & felix ſit. Cras cogitat D. *Ioachimus* proficiſci mecum ad *Grimmenſem* ſcholam, deinde *Miſnam*, eò & *Francos* ducet, quò exiſtimat nos venturos eſſe die XIV. Septembris. Eò poteris tunc ad nos venire. Et velim te adducere *Micaelem* conducto equo. Nam domo te abſente, quæreret alia ſodalitia. Hodie in via mecum fuit nuncius *Anſpachenſis*, qui attulit literas περὶ ἀντιλεγομένας, quas miſi Magiſtro *Paulo*, ad quem ſcripſi & de patriæ controverſiis, & de aliis. Quæſo ut nobis reſpondeas per hunc tabellarium. Dedi ei novem groſſos. Et ſcribe de filio & filia, & quæcunque alia putabis digna eſſe literis. Bene vale. Die X. Septembris, *Lipſiæ*.

D. Caſparo Peucero S.D.

Ep. 430. CHariſſime fili, Deo juvante iſtuc intra triduum veniam. Poſtea mater huc accedat & transvehat quæ volet. Puerorum & puerperæ cauſa neceſſe eſt nos & labores hos & ſumptus ſuſtinere. Ac Deum oro ut ipſe hæc infirma agmina ſervet, & publicas ac privatas calamitates leniat. Miſit mihi *Crato* literas *Vratiſlavia*, quæ continent triſtiſſimas narrationes de *Pannonicis* cladibus. Impendet omnino *Europæ* fatalis mutatio, quam Deus mitiget. Bene vale. Die XI. Septemb. Salutem vobis omnibus opto.

D. Caſparo Peucero S. D.

Ep. 431. CHariſſime fili, Nuncius *Noribergenſis* attulit tibi Epiſtolam brevem ex urbe *Noriberga*, ab amico *Fabricio*, flagitante volumen τῶν γεωργικῶν. Vellem extare multa exempla, propterea quod vetuſtas talia multa volumina habuit, & aliquorum accenderent ſtudia. Ego ad vos, Deo juvante, redibo vel hac ſeptimanâ, vel proximâ. Prius enim abſolvere cupio emendationem ſcripti *Megapolitani*, præfationem in *Haggeum* et τὰ περὶ ψυχῆς, etſi interpellationibus impedior. Vellem tranſvecta eſſe quæ volebamus, & propter eam cauſam citius iſtuc redibo, ut mea conjux huc accedat. Filius Dei ſervet vos omnes. Bene vale & reſcribe. Die V. Septembris, τῇ θυγατρὶ φίλημα meis verbis, quam Deus ſervet. Hic nuncius ait ſe rediturum eſſe, dabis igitur ei literas.

D. Caſparo Peucero S.D.

Ep. 432. CHariſſime fili, Recte à vobis factum eſt, quod literas *Norbergenſes* legiſtis, etſi nihil continent ἀξιόλογον quod non antea audierimus, plura mihi hic etiam narravit *Hennebergenſis* ſecretarius. Oremus Filium Dei, ut Eccleſiæ ſuæ reliquias ſervet, & reſpiciat illa imbecillia agmina matrum & infantum. Non enim ſine gemitu aſpicio tuam conjugem & filiam, & ſimiles. Has ut protegat filius Dei inter has tantas ruinas Imperiorum, precemur. Dimicant eodem tempore in *Germania*, *Hiſpani*, *Itali*, *Galli*, *Germani*, de inani umbra Imperii. Aliquanto poſt *Turci* etiam infuſi in hanc regionem facient majorem vaſtationem, nec profectò terræ motus, diluvium in tua patria, & alia prodigia ἄσημα ſunt. Aiunt fuiſſe in pugna *Pannonica Marcionem Johannem*, καὶ ἀπεῖναι τινας περὶ βίου αὐτοῦ. Geneſis eſt ἐκλειπτική, ut ſcitis. Ego, Deo juvante, ad vos redibo Idibus Septembris. Nam hic me negotium Eccleſiæ *Smidbergenſis* detinet. Propero autem ad vos, quia matrem huc accedere neceſſe eſt. Bene vale. Salutem vobis omnibus opto. Die IX. Septembris.

Clariſsimo viro, eruditione & virtute præſtanti, D. Chriſtophoro Stathmioni, artis Medicæ Doctori, καὶ γνησίως φιλοσοφοῦντι, *fratri ſuo chariſsimo*, S. D.

Ep. 433. SCis, ut vir Philoſophus, τὸ δυνάμενον εἶναι ἀεὶ ἴσον τι, & omnino decebat me reddere æqualia pro tuis officiis. Sed te hominem Philoſophum ſcio etiam & intelligere & approbare ſummi juris mitigationem καὶ ἐπιείκειαν. Toto anno bis omninò ſcribo fratri meo, qui mihi chariſſimus eſt, cum *Francofordiam* mercatores proficiſcuntur, adeo parum eſt ocii, dum ſcribo alias epiſtolas argumentis à natura mea alienis, de multis controverſiis. Ideo te oro, ut veniam mihi des, quòd tuis literis non reſpondi. Interea ſcias me & genere Philoſophiæ, in qua verſatis, delectari, & omnes venerari tuæ Philoſophiæ Medicæ & Aſtrologicæ cultores. Tuum librum multò ante miſiſſem: ſed belli tempore, & ſupellectilis meæ & librorum magnam

magnam partem amiſi. Et quanquam aliquo- A
ties quæſivi tuas paginas, tamen non inveni. De
re ipſa ſæpe & cogitavi & cum doctis collocutus
ſum, & rectius eſt inter eruditos hæc diſputare,
quam vulgo præbere materiam ſtolidè vociferan-
di, ut nôſti clamores indoctôrum βεβήλων. Coram,
ut ſpero, aliquando colloquemur. Quantum poſ-
ſumus, Deo juvante, ego & alii in hac Academia
ſumus hortatores ut juventus diſcat doctrinam de
Deo, & adjungat veram Philoſophiam. Bene va-
le. Die XXVII Junii. Anno M.D.L. B

D. Chriſtophoro Stathmioni S. D.

Ep. 434. ET tuâ cauſâ, & propter dulciſſimam familiam
tuam, & propter optimas artes, quas illuſtrare
potes, optarim tibi multorum ſeculorum longæ-
vitatem in hac vitæ conſuetudine. Et Deum con-
ditorem generis humani oro, ut te diu ſervet
incolumem tuis & optimarum artium ſtudiis. Sen- C
tio enim veriſſimum eſſe dictum *Pauli* de Deo:
ἐν αὐτῷ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμέν. Deinde te
quoque virum eruditiſſimum καὶ φιλοστοργότατον
oro, nè contemnas diligentiam arte tuendi vires
corporis, de qua *Paulus* adeo ſeverè præcipit, ut
jubeat non ſolùm juvari corpora, ſed etiam ho-
nore adfici, quo in verbo quam multa complexus
ſit, judicare ipſe potes. De ſignificationibus in
Geneſi optimi Principis tuam commemoratio-
nem libenter legimus ego & collegæ noſtri, ac D
Deum oramus ut & ipſi captivo, & captivæ Eccle-
ſiæ calamitates leniat, ac ſæpe verſum uſurpo:

Fata viam invenient, aderitque vocatus Ieſus.

Et ante bellum de ſignificationibus interdum
cum aliis locutus ſum, & initio belli revolutiones
inſpexi biennii, quæ erant admodum infauſtæ.
Inſpiciam & hujus & ſequentis anni poſitus. Sed
non tantum aſtris reguntur humani eventus. Mo-
deratur univerſam naturam Filius Dei Dominus
noſter *Ieſus Chriſtus*, qui certè exaudit invocan- E
tes ipſum. De aliis quæſtionibus ſpero me brevi
tecum collocuturum eſſe. Mitto tibi opus recèns
editum, tabulas ad *Copernici* doctrinam inſtitutas,
téque oro ut mihi ſignifices an has literas & Ta-
bulas acceperis. Die XXVII. Octobris.

D. Chriſtophoro Stathmioni S.D.

Ep. 435. SCis olim ante ſcrificia voce præconis excluſos F
eſſe profanos, ἑκάς, ἑκὰς ἔστε βέβηλοι: Ita profe-
ctò indocti, feri & legum ac diſciplinæ contem-
ptores arcendi ſunt, nè omnes eruditorum diſpu-
tationes audiant. Scripſi antea ad te doctos & gra-
ves viros poſſe de quibuſdam materiis colloqui,
quas ſi audirent feri homines, tantum inde ſume-
rent occaſionem laxandi frenos diſciplinæ. Sed
hoſpitem habeo *Lelium* filium *Sozini* Jurecon-
ſulti *Bononienſis*, gravem, & doctum virum, &
amantem doctrinæ veræ de Deo, is legere tuum G
ſcriptum cupit. Et ſpero hac eum lectione non ab-
uſurum eſſe. Ideo te oro, ut nobis per nuncium
Andream mittas tuum librum. Ego bonâ fide re-
mittam, & cavebo nè veniat in populi manus. Fi-
lium *Appiani* optimâ naturâ præditum diligo, &
eum patris, tum ipſius cauſâ optarim me ei grati-
ficari poſſe. Bene vale & reſcribe.

A

D. Chriſtophoro Stathmioni S.D.

SCio hos tuos cives cum & rectè eruditi ſint, Ep. 436.
& virtutem intelligant, ament, & colant, te
quoque ex animo venerari. Sciunt enim virtuti
honorem deberi, & generi humano utiliſſimam
eſſe noſtri gregis conjunctionem. Quare viciſ-
ſim eos complecteris. Hodie literas accepi ab eo,
qui docet initia Mathematum in Academia
B *Marpurgenſi*, in quibus ſcribitur Principem
Heſſorum Guilhelmum præclarè eruditum eſſe in
doctrina Aſtronomica, ac arte Planetarum motus
computare. Dignior hic laude eſt, quàm Medicus
aulæ *Hennebergicæ*, qui aſtris bellum infert magnis
clamoribus. Ego judico adoleſcentiam ad optimas
artes divinitùs monſtratas ſummâ curà invitan-
dam eſſe, inter quas numerari eas, ex quibus
doctrina motuum extructa eſt, neceſſe eſt. Et hæc
ipſa eſt per ſeſe μαντικὴ, quia teſtimonium eſt
C de Deo, & de providentia. Quæſo ut nobis
aliquid de tuo vicino ſcribas. Bene vale. Calend.
Junii.

D. Chriſtophoro Stathmioni S.D.

CUm Cancellarius *Mingunicius* & intelligat di- Ep. 437.
gnitatem optimarum artium, quarum cogni-
tione & uſu multum prodeſſe vitæ communi po-
tes, & natura juſtitiam & beneficentiam amet:
D ſpero eum tibi non defuturum eſſe in aula, ſi ei
exponas quid petas. Ego quo in loco ſim memini.
Sed tamen verè adfirmare poſſum, te à me diligi.
& hanc benevolentiam tuis me declaraturum
eſſe ubicunque potero. Scimus ſævitiam tempo-
rum ſapienter ferendam eſſe, ut ſi in pelago ſævis
tempeſtatibus navigaremus. Et tamen ſpero De-
um publicas & privatas calamitates mitigaturum
eſſe, & ut mitiget toto eum pectore oro. Nec
dubito ei Eccleſiam tuam domeſticam quoque
E curæ eſſe. Vituperatores doctrinæ de motibus &
viribus aſtrorum dupliciter ſunt ingrati Deo. Cum
enim & condiderit Deus aſtra, & mirando con-
ſilio motus ordinaverit, & hanc ſuam ſapientiam
monſtraverit hominibus, iſti utrúnque benefici-
um aſpernantur. Utinam Dei ſapientiam in his
operibus etiam conſideraremus & eum grati
celebraremus. Mitto honeſtiſſimæ conjugi tuæ
parvam ſignificationem benevolentiæ. Bene vale.
XVI. Maii.

F

D. Chriſtophoro Stathmioni S.D.

DElectati ſumus lectione ſcripti tui eruditiſſi- Ep. 438.
mi de mutatione humorum congruente cum
Lunæ itineribus. Et nos ipſi comperimus exem-
pla. Itaque & publico nomine & meo tibi gra-
tias ago, quod has tuas obſervationes edidiſti.
Decet nos teſtimonium præbere veritati, etiamſi
G multi, ut Cyclopes, ordinem divinæ ſapientiæ,
mirandâ arte inſtitutum, contemnant. Hic ipſe
annus oſtendit non ocioſos eſſe ſtellarum con-
greſſus, qui erunt initio anni. Sed Deum condito-
rem naturæ liberrimum precemur, ut Eccleſiæ
pœnas mitiget.

Fata movere Deus, tollere fata poteſt.

Johannem Hoſtrum virum doctum & honeſtum
tibi

ribi commendo. Bene & feliciter vale. Die XVIII. Januarii.

D.Chriſtophoro Stathmioni S.D.

Ep. 439. ETſi vicinia veſtra non eſt tranquilla; tamen ſpero Filium Dei protecturum eſſe veſtros nidulos, & ut protegat, eum vobiſcum oro. Ideò autem nunc brevius ſcribo, quia ad præfectum veſtrum & ad te literas dabo *Andreæ* nuncio. Nunc te oro ut cogites de publico negotio. Extant Ephemerides tantum adhuc triennii, ut ſcis. Poſtea deerunt. Nec regibus hæc tanta res curæ eſt. Optarim te biennii aut triennii Ephemerides adornare, ac ſpem oſtendere plures edendi. Eam rem utilem omnibus & gratam prudentibus, exiſtimo etiam inventuram eſſe patronum liberalem *Fuggerum*, ſi Principes negligerent. Credo viam ad hæc inveniri poſſe. Valde te oro ut & cogites hac de re, & cogitationes tuas nobis ſignifices. *Eraſmus Salveldenſis* inchoavit annorum aliquot Ephemerides, & juſſi cuſtodiri ejus chartas, ut inſpiciantur, quicquid inveniemus ſignificabo. Bene & feliciter vale. Die quo Sol in Tauri primum gradum ingreſſus eſt.

D.Chriſtophoro Stathmioni S.D.

Ep. 440. TOt vidimus hoc ſeptennio triſtia ſpectacula in bellis civilibus, pulſos Principes, exhauſtas urbes, deleta oppida, nunc etiam in una pugna amiſſos quatuor Principes, & quatuor comites, & alios multos viros fortes. Et tamen multi nova bella accendere cupiunt. *Albertus Marchio Brunſuiga* eſt, & rurſus colligit exercitum, vulnus nullum accepit, nam citò fugit ex acie. Stipendia ſe ex præda ſoluturum eſſe promiſit *Lipſiæ.* Sed oro Filium Dei pacis autorem, ut reſtituat noſtræ *Germaniæ* pacem, quæ nunc verè eſt *Almana*, id eſt, *vidua*, id enim vox *Hebræa* ſignificat. De Ephemeridibus valde gaudeo te animum adjicere ad inſtituendum illud opus & gratum, & utile. Ea de re ſcribam copioſiùs aliàs. *Eraſmus* noſter promiſerat Ephemeridas, ſed nihil invenimus niſi paucas pagellas motuum Solis & Lunæ aliquot annorum. De *Appiano* velim te ſciſcitari, an reliquerit Ephemeridas. Filius, ut audio, docet loco patris. Bene & feliciter vale. Poſtridie *Bartolomæi.*

D. Chriſtophoro Stathmioni S. D.

Ep. 441. SCio te virum doctum, & naturæ univerſæ varietatem, & vices conſiderantem, ſæpiſſimè de hujus ærumnoſæ vitæ commodis & incommodis multa cogitare. Poſt fœdus & colloquia cum Deo, nihil dulcius eſt amicitiis & colloquiis talium, qui nec alieni ſunt à virtute, nec prorſus rudes doctrinæ. Fateor igitur, me valde delectari amicitiâ tuâ, & tuis literis, tibique gratiam habeo, quòd ſæpe ad me tam amanter ſcribis. Colloquamur nos de optimis artibus, id eſt, de Dei ſapientia patefacta generi humano, & ſinamus alios ſibi placere, & ubi concedit Deus, ſtudia doctrinarum juvemus. Oratio de *Orione* ſcripta eſt ante editionem ſcripti veterum noſtrorum amicorum, qui Phyſicas prædictiones damnarunt. Et hanc ipſam ob cauſam non eſt edita, ne illi ſe diceren à nobis κωμῳδιῶδες. Omnes injurias decrevi *Fabiano* more ſilentio vincere, & Deo Eccleſiam & me commendo. Nunc pagellas tibi & aliis recentes mitto, & peto ut reſcribas. Honeſtiſſimæ vero conjugi tuæ mitto xenium. Bene & feliciter vale. Die XVIII. Auguſti. Anno M.D.LIV.

D.Chriſtophoro Stathmioni S.D.

Ep. 442. Τέκτων μὲν τέκτονι φίλος, μύρμηκι δ' ὁ μύρμηξ, inquit Poeta. Quantò magis inter naturas philoſophicas amicitiam & conjunctionem eſſe decet? In hoc adoleſcente ingenium eſt ad philoſophica ſtudia divinitùs factum. Præclarè didicit Mathemata, & ornat eruditionem optimis moribus. Te autem propter Philoſophiam valde veneratur. Quare te oro viciſſim, ut eum complectaris, & tuâ commendatione apud Illuſtriſſimum Principem ornes. Foveamus bona ingenia, ut ad poſteritatem conſerventur optimæ artes. Et ipſi Principi glorioſum erit inter ſydera et in his ipſis artibus celebrari. Bene et feliciter vale. Die XVI. Septembris.

D. Chriſtophoro Stathmioni S.D.

Ep. 443. ETſi ſpero aliquos iſtic tibi pro medicatione gratos eſſe; tamen Oeconomia multis indiget. Ideo ſæpe de te cogito. In Academiis major honos habetur & medicæ arti & Mathematicæ. Nec vocis contentio in his artibus requiritur. Cum autem in utroque genere ſtudia multorum & juvare & accendere poſſis, optarim te in Academia aliqua eſſe. De hac re velim te ad me ſcribere. Etſi enim nunc bella mota ſunt: tamen Halcyonia alicubi Deus tribuet, nè doctrinæ penitus extinguantur. Quod librum Demonſtrationum inſtituiſti, judico conſilium utile eſſe, invitare adoleſcentes, ut quærant Demonſtrationes. Nam & olim artes corruptæ ſunt, & nunc corrumpuntur licentiâ eorum, qui tam multa ſcribunt συλλογισμοὺς περὶ χρειῶν, video te ſequi *Galeni* verba, qui πεῖραν καὶ λόγον nominat. Et in Eccleſia Dei rectè addimus patefactiones divinas. Ego verbis *Plutarchi* utor, et nomino Experientiam univerſalem, Principia, et Intellectum conſequentiæ. De controverſia *Platonis* et *Ariſtotelis* ſimpliciter amplector *Platonis* ſententiam, qui inſitas eſſe aliquas notitias exiſtimat, quod et *Paulus* ſignificat. Sed hæc cum legam, tuum opus conſiderabo. Scriptum de peſtilentiæ medicatione, non potuerunt officinæ me abſente edere. Et deterrentur prolixitate, et minutis figuris literarum. Quare quæ voles edi, deſcribi curabis grandioribus figuris. Mitto tibi Nomiſma Regis *Ferdinandi*, quem arbitror eſſe tuæ patriæ dominum, & credo honeſtum Principem eſſe, ac opto, ut Deus flectat animum ejus ad ſalutem ſuam, & Eccleſiæ, & non ſinat à *Turcis* vaſtari *Auſtriam*, & tuam patriam. Doleo *Germanos* συμμαχίᾳ κελτικῇ impedire defenſionem patriæ. Et exiſtimo *Francum* vicinum veſtrum non fore victorem. Geneſin ejus ſi nõn habes, mittam. Bene & feliciter vale, & de *Franco Gallico* ſocio aliquid reſcribe. Die XVIII. Octobris.

D.Chri-

D.Chriſtophoro Stathmioni S.D.

Ep. 444. DEo æterno Patri Domini noſtri *Ieſu Chriſti* conditori generis humani gratias ago, quod in hac lue te, & nos ſervavit incolumes, & eum oro, ut deinceps te, & nos ſervet. Certum eſt enim Deum conditorem, cuſtodem eſſe vitæ, & cauſas phyſicas moderari. Honeſtiſſimæ conjugi tuæ mitto xenium. De quæſtionibus, de quibus ſcribis, nunc in hoc concurſu occupationum moleſtarum reſpondere non potui, ſed judico & in Eccleſia, & in Philoſophia Stoicam ἀνάγκην vitandam eſſe. Hominum mala δυσαίρετα, non refero ad fatalem, ſeu neceſſariam mixturam mali & boni. De Theologicis diſſidiis prorſus nihil libet ſcribere. Noſter collega poſtquam declaravit ſuam propoſitionem, & adfirmat ſe non diſſentire a noſtris Eccleſiis, nunc prorſus certamen omittit. Nec placet mihi nos ipſos, ceû *Cadmæos* fratres, inter nos dimicare. Oro autem Deum qui vult nos unum in ipſo eſſe, ut harum regionum Eccleſias gubernet, & protegat. Bene vale. Prid. Cal. April.

D.Chriſtophoro Stathmioni S.D.

Ep. 445. SÆpe hunc verſum cogito:
Cogit Adraſtia cedere regna Deus.

Multæ enim ſunt cauſæ horribilium calamitatum in hac vita, aliæ præter eas de quibus Phyſici diſputant. Quare communes ærumnas ſapienter ferre diſcamus ex doctrina divinitùs tradita, & ex ea conſolationes petamus. Scimus Deo curæ eſſe ſuam Eccleſiam. Scimus ideo Filium Dei adſumpſiſſe noſtri generis maſſam ut nos quaſi de ſua cervice pendentes geſtet, nè totum genus humanum funditùs periret. Petamus igitur ab ipſo & expectemus mitigationem pœnarum. *Germanici* motus non poſſunt humanis conſiliis ſedari. Et ſcis conjunctionem Saturni & Martis, quæ antecedit ingreſſum Solis in Arietem veniente vere, dira minari. Sed magis terreor poſitu aſtrorum in *Marchionis Alberti* ἐναλλαγῇ. Commendemus igitur nos Deo. Dedi iſtuc perferendos tuos libros nuncio *Coburgenſi*, ut voluiſti, videlicet libros Demonſtrationum, item de curatione luis, item dialogum περὶ διανομῆς. Valde delectatus ſum ea parte libri Demonſtrationum, in qua ſenſuum certitudinem ex cauſis phyſicis & ex ipſa natura extruis. Vult Deus aliquas certas eſſe notitias, ut de ipſo etiam habeat adſeverationes aliquas firmas mens humana, nec vagetur in Academicis tenebris, in quas *Arceſilæ* & *Pyrrhoniorum* furoribus inducitur. Placet & *Stoicorum* refutatio. Quòd verò organa Demonſtrationis duo tantum facis, verbum Dei & ſenſum, vetuſtas à ſenſu diſtinxit τὰς ἀρχὰς, quæ ſunt notitiæ nobiſcum natæ, non à ſenſu ortæ, videlicet numerorum notitiæ, proportionum, ordinis & aliæ quædam. Ego τὰς ἀρχὰς καὶ αἴσθησιν ſeu experientiam diſcerno. Illud etiam te oro ut circumſpectior ſis in recitandis exemplis theologicis. De Ephemeridibus ſcito recèns *Pitatum* edidiſſe annos aliquot, progreſſum uſque ad annum 1562. Audio & *Eraſmi* noſtri tabulas mendoſè excuſas eſſe. Nactus ſum dulciſſimam *Procli* enarrationem in Quadripartitum *Ptolemæi*, quam Typographo *Baſilienſi* mittam. Spero tibi lectionem ejus non inſuavem fore. Bene vale. Die XIV. Decembris.

D.Chriſtophoro Stathmioni S.D.

CLariſſime vir & amice chariſſime. Antiquitas ſcripſit *Orionem* necatum eſſe à Scorpio, quâ fabulâ non tantum ortum Scorpii, & occaſum *Orionis* ſignificârunt, ſed pericula quoque eorum, qui *Orionis* doctrinam colunt, quem *Atlantis* auditorem fuiſſe aiunt. Sæpe enim à venenatis hominibus opprimuntur calumniis ſtudioſi doctrinæ phyſicæ. Nuper ocioſi quidam ἐν τῷ μεθοδικῷ ἄλλῃ ediderunt ſcriptum contra prædictiones aſtronomicas. Etſi non ſine dolore legi: tamen rixari cum illis non volo, ac tuam prædictionem quam ad me miſiſti, non eſſe editam eò gaudeo, quia nec tibi pepercisſent iſti petulantes δημηγόροι. Mitto tibi pagellas, quarum lectio fortaſſis gratior erit, quàm τοῦ ἐν ἄλλῳ γραφέντος μαθηματικοῦ συγγράμματος. Mittes exemplum alterum *Jonæ*, cui partem colloquii cum veteribus amicis eruditam tribui. Bene vale, & reſcribe. Die natali meo, quo, quod fauſtum & felix ſit, ingredior annum octavum & quinquageſimum, ac ſane metuo vicinam conjunctionem Saturni & Martis. Sed Deo nos commendo. Ep. 446.

D. Chriſtophoro Stathmioni S.D.

MEminiſti diſputationem apud *Platonem* de dicto *Simonidis*: Οὐ ῥᾴδιον γίνεσθαι τετράγωνον. Scio me procul abeſſe ab excellenti eruditione & virtute. Sed tamen hoc verè affirmo, me propter Deum venerari doctrinas & viros doctos, ac virtute eruditionem ornantes. Talem cum te eſſe ſciam, te & veneror, & diligo, & optarim me poſſe & judicii mei illuſtria teſtimonia oſtendere, & reipſa tibi benefacere. Nunc in hac fortunæ noſtræ tenuitate, tamen amicitia virtutis cauſâ colatur. Proximis tuis literis valde delectatus ſum. Librum tuum περὶ δείπνου κυριακοῦ exiſtimo me *Heſtero* tradidiſſe. Dimicant de ea quæſtione duæ bellicoſiſſimæ gentes *Helvetica* & *Saxonica*, & utrinque res involvitur. Sæpe noſtros hortatus ſum, ut colloquantur de forma certa verborum, quâ noſtri omnes ſimiliter uterentur. *Oſiander* hanc propoſitionem defendebat: Iſte Panis eſt Deus. *Paulus* inquit, *panis eſt* κοινωνία σώματος, de uſu loquens. Sed omitto diſputationem. Nec velim te illarum bellicoſarum gentium præliis miſceri. Ego quoque expecto piorum, & eruditorum colloquium, ut una ſimilis forma inter nos conſtituatur. Bene vale. IV. Julii. Ep. 447.

D. Chriſtophoro Stathmioni S.D.

ETſi benevolentiâ tuâ delector, tamen munere quod miſiſti, dolores mihi multos veteres renovâſti. Aſpectâ enim geneſi meâ, cogitavi in quæ certamina, quaſi fato, inciderim, in quibus etſi quæſivi explicationes ſimplices, & diſcentibus utiles, tamen impedimur odiis & calumniis, nè extricari quædam involuta poſſint. Hæc vides & in geneſi ſignificari. Sed Deo qui verè æternam Ep. 448.

Eccle-

Eccleſiam colligit voce Euangelii me commendo A
& Eccleſiam.

Non Deus eſt numen Parcarum carcere clauſum,
Quale putabatur Stoicus eſſe Deus.

Sed lenire cauſas Phyſicas Deus poteſt. Honeſtiſſimæ conjugi tuæ mitto δίδραχμον aureum, & tibi & toti familiæ opto fauſtum & felicem annum. Mihi hujus anni ἐναλλαγὴ propter conjunctionem Saturni & Martis dira minatur. Sed oro Filium Dei ut me gubernet & protegat. Bene vale. Die V. Febr. Anno M.D.LVI. Quæſo ut D. *Matthæi* B filium, qui jam apud vos artem Medicam exercet etiam meâ cauſâ familiarius complectatis & adjuves. Judico in hoc juvene bonum & modeſtum ingenium eſſe, & pulcherrimum eſt τῆς συμφιλοσοφίας ὁμονοεῖν. Iterum vale & reſcribe.

D. Chriſtophoro Stathmioni S. D.

Ep. 449. APud *Homerum* fortiſſimus bellator optat C concordiam his verbis: ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν, ἔκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο. Quanto magis me ſenem & infirmum optare pacem conſeotaneum eſt? Ante annos XXX. non ſtudio contentionis, ſed propter gloriam Dei, & propter diſciplinam reprehendi *Stoica* parodoxa de Neceſſitate, quia & contra Deum contumelioſa ſunt, & nocent moribus. Nunc mihi bellum inferunt *Stoicorum* phalanges, ſed in qua ſententia poſſint acquieſcere mentes anxiæ, rurſus moderatè expoſui in reſponſione, quam *Bavarica* inquiſitioni oppoſui. Tuum ſcriptum περὶ D προαιρέσεως legi, & ſcribam de eo aliàs. Nunc enim aliis moleſtiſſimis negotiis oneratus ſum. Honeſtiſſimæ conjugi tuæ mitto Angelum. Opto autem ut verus Angelus Filius Dei te & tuos & nos protegat, de quo ſcriptum eſt: *Circumvallat Angelus Domini timentes eum*. Bene vale. Die XX. Martii, Anno M.D.LIX.

Clariſsimo viro, eruditione & virtute præ- E
ſtanti D. Iacobo Milichio artis Medicæ Doctori, & Profeſſori in Academia Vviteber-genſi, fratri ſuo chariſsimo, S. D.

Ep. 450. COnſtitui, Deo volente, poſt proximam conjunctionem Solis & Lunæ mittere iſtuc peculiarem nuncium. Hactenus enim cum perpetua fuerint hoc menſe frigora, & quidem ſpirarint βορραπηλιώτας, ut vocat *Ptolemæus*, nihil admo- F dum de ſignificationibus tempeſtatum ſcribere potui. Quod fauſtum & felix ſit, frequentia quotidie creſcit. Exiſtimo ſcholaſticos plures quadringentis hic eſſe. Novi nihil habeo, niſi adventare jam Duces *Pomeranæ* ad pompam nuptialem. Mitto literas Magiſtro *Ambroſio*, datas mihi à quodam cive *Lipſico*, is habet pecuniam, ſed noluit mihi tradere cum quidem peterem *Ambroſii* nomine. *Cruciger*, ut ſpero, brevi erit ſponſus, ducet puellam *Lipſicam*. Mihi hæc urbs, G et diſtracta à me familia et te abſente ſolitudo eſt. Chriſtus nos ſervet ac reſpiciat. Cum redierit D. *Sebaldus*, quidquid literarum adferet, ſtatim mihi mittito per peculiarem nuncium, niſi tu ipſe afferes. Bene vale. XIX. Februarii. Commendo tibi familiam meam, quam meis verbis ſalutabis.

A

D. Iacobo Milichio S. D.

BRomii conſpectus mihi perjucundus fuit, cui Ep. 451. quidem opto iter fauſtum et felix. Narrabit pleraque et de conventu et de aliis negotiis. Collocutio de religione nondum inſtituta dicitur. Nectuntur moræ uitatis artificiis adverſariorum: neque enim credibile eſt paſſuros ut veritas proferatur. *Hagenoa* ſunt diverſa Principum ſtudia. B *Palatinus* et *Colonienſis* hortatores ſunt, ut verè conſulatur Eccleſiis, nè fiat vaſtitas Eccleſiarum in utraque parte. *Mozentius* et *Bavarus* jubent armis decerni. Reliqui etſi de Eccleſiis agi non volunt, tamen diſſuadent bellum civile. Hæc hodie accepimus. Bene vale. Die natali meæ filiæ *Magdalenæ*, quam utinam rurſus videre liceat.

D. Iacobo Milichio S. D.

C

CUm huc veniſſet Dux *Auguſtus* Ele- Ep. 452. ctor, deliberavimus de petenda confirmatione Academiæ. Placuit aulæ hoc conſilium, et Princeps clementer audivit Academiæ Orationem, quam habuit Doctor *Laurentius*, verecundam et non longam. Reſpondit Princeps liberaliter et piè. De pub. negotiis ſcripſi in pagella, quædam à *Carolovicio* narrata. Plura dicam coram. Et ad vos jam expatiater, niſi propter Ju- D riſconſultorum orationem domi retineter. *Camerarius* profectus eſt *Noribergam*. Senex *Palatinus* Elector literis me benigniſſimè ſcriptis vocat in patriam. Fortaſſis omen eſt migrationis in patriam cœleſtem. Sed niſi collegarum cauſa manerem, libenter hinc diſcederem, non ſolum propter bella, ſed etiam propter ingeniorum rabiem. Deus adſit nobis, et Principi *Georgio* confirmet vires animæ et corporis. Bene vale. XIII. Auguſti.

E

D. Iacobo Milichio S. D.

MOx remittendum duxi tabellarium, non Ep. 453. ſolum ut de contagio ſcriberem, de quo interrogas, ſed etiam ut cæteris ſignificarem, quid mihi videretur. Contagii nihil eſſe judico, et poſt *Auguſtum* minus fiet funerum et morborum. Oppidi magna eſt mœſtitia. Ideo ſi iſtic aliquid accedit propter artis medicæ uſum, magis conſulo, ut F maneas iſtic, donec ſciemus quid decreverit Senatus *Francofordianus*, quod, ut ſpero, brevi ſciemus, nec meâ cauſâ huc te properare opus eſt: nam brevi neceſſe erit me redire ad meam familiam: mea uxor propter reprehenſiones mei reditus lætali morbo decumbit, miſi ad eam filium, et ipſe irem, niſi me Typographi retinerent, qui cum me dimittent, ad familiam, Deo juvante, proficiſcar, ſive vivat uxor, ſive mortua fuerit. Omnino fatalis quædam tempeſtas [illegible] in hunc annum, G quam Deus mitiget. Cæteris ſeu omnibus, ſeu aliquibus qui advenient, coram exponam meum conſilium. Nam ego nondum ante nundinas abiturus ſum. Conventus *Auguſtanus*, novas deliberationes mihi adferet. Etſi mirandus occultator eſt ſuorum conſiliorum Imperator, nec facilè adfirmari aliquid poteſt: tamen multi narrant moturum eſſe bellum *Helveticum* et arcem belli fore

fore *Argentoratum*, in quo *Carolus* ipſe cum præ-
ſidio futurus dicitur. Gogita quæſo quanta rerum
converſio facta ſit, quàm nihil ſit firmi in rebus
humanis. Salutem tibi optat D. *Ziglerus*, qui aſſa-
bat ſcribenti. Bene & feliciter valete fratres ve-
ra pietate, καὶ φιλοστόργως καὶ ἀνυποκρίτως dile-
cti.

D. *Iacobo Milichio* S. D.

Ep. 454. DEi beneficio ſpero hanc æſtatem tranquillam
fore. Cæſar *Carolus* miſit noſtris reſponſum
[illegible], & promittit deliberationem de com-
muni concordia Eccleſiarum. Magnam profectò
rem moliunt. Legi etiam literas, in quibus erat
ſcriptum [illegible] velle Imperatorem non fuco-
ſam concordiam fieri, ſed veritatem diligenter
inquiri, quod utinam fieret. Deum oremus ut
hæc conſilia gubernet. Profectò non humanis
conſiliis hæc negotia regi videmus. Jam in *Chal-*
cide noſtri deligent [illegible], qui interſint collo-
quio. Hæc imperties amicis. Hos Adoleſcentes
Argentoratenſes, Conſtantienſes, Bernenſes, & *Me-*
mingenſes tibi commendo. Ages cum *Vito* & *Pau-*
lo, ut in hoſpitiis quærendis eos adjuvent. Feſtu-
diis coram colloquemur. Bene valete, die Paſcha-
tis: dicite ſalutem D. D. *Auguſtino*.

D. *Iacobo Milichio* S. D.

Ep. 455. QUod ſauſtum felixque ſit, redit iſtuc *Marti-*
nus, quem tibi commendo. Hic ſunt adhuc
[illegible] conventus. Cæſareus nuncius adeſt, qui
Electoribus duobus *Palatino* & *Marchioni* manda-
ta attulit, ut pacem faciant, nunc de forma diſpu-
tatur. Tarditas magna eſt negotiorum, quod ne-
ſcio an eò etiam fiat, quia tres Planetæ ſunt retro-
gradi. Fuit hic apud nos *Joannes Sturmius*, qui
mihi magnæ voluptati fuit, moribus eſt prorſus
amabilibus præditus & bono judicio. Saluta meis
verbis reverenter D. Rectorem, *Vitum*, & *Paulum*
Eberum; nam hoc tempore plura ſcribere non po-
tui: mitto tibi *Latomi* libellum. Si quid videro in
nundinis, quod probaturum te eſſe arbitrabor, ad-
feram. Bene vale. Die IV. Martii.

D. *Iacobo Milichio* S. D.

Ep. 456. LEgi [illegible] conventus *Auguſtani* terribilem,
nec in *Germania* atrociorem unquam propo-
ſitam eſſe arbitror. Non eſt bellicoſa hæc ætas, ſed
oratoria & ſeditioſa, diluta venenis Saturni, Mar-
tis, Lunæ & Mercurii. Nulla igitur ſpes eſt vel
mediocris ſtatus: Sed Deo nos commendemus,
& quantum fieri poteſt, conſulant honeſti patres
ſuis Eccleſiolis domeſticis. De *Francofordia* quid
ſcribat *Michael*, leges in ejus literis. De Acade-
mia ad *Vitum* ſcripſi, & literas veſtras expecto.
Nuncio vos ſolvere nolo. Ego cum mitto, preci-
um ipſe polliceor de meo. Bene & feliciter vale.
Die XV. Septembris.

D. *Iacobo Milichio* S. D.

Ep. 457. DE domeſticis rebus nemo mihi præter te
quidquam ſignificavit. Quare officium tuum
mihi gratiſſimum eſt. In conventu nihil fuit, quod
homo Philoſophus ſine gemitu aſpicere aut andi-

A re poſſet. Scripſi D. *Jonæ* rerum ſummas, ſed co-
ram exponam copioſius. *Petrus* hic eſt, hortatus
ſum ut ad te ſcribat, & promiſit. Sed eſt admodum
tetricus. Fuerunt hic *Bomgartnerus, Ebnerus, Oſi-*
ander, Vitus, horum conſuetudine maxime ſum
uſus. Ex *Helvetiis* nemo adeſt. *Grynæus* literas a-
manter ſcriptas ad me dedit. Mihi *Herpes* ferè
totas manus ceu cortice circumdedit. Hac [illegible]
fuerat mihi arthriticos dolores paritura, ut anim-
adverti ex ſignis non obſcuris, niſi erupiſſet. *Au-*
B *guſtana* cauſa, ut metuo, erit claſſicum belli. Peti-
verunt a Canonicis Cives, ut Senatui jurarent, aut
ex urbe diſcederent. Ita illi diſceſſerunt. Pellitur è
medio ſapientia, vi geritur res. Sed hæc coram.
Bene vale. Poſtridie Calend. Mai.

Saluta D. D. *Auguſtinum* & D. *Crucigerum*. De
Catonis morte citò huc allata eſt fama.

D. *Iacobo Milichio* S. D.

C NOn dubito quin *Paulus* vobis impertiat li- Ep. 458.
teras meas, nam cum ſubito eunt veredarii,
non poſſum ſingulis ſcribere, ad quos cupio literas
mittere, & nondum conventus ſuppeditat argu-
menta, quod velim te dicere viro Clariſſimo D.
D. *Hieronymo*. Nam huic promiſi in tuis literis,
me ſignificaturum eſſe, ſi quid memoratu dignum
geretur. Quiſpiam ex e queſtri ordine *Landenber-*
gius collegit copiolas ad oppugnandum oppidum
Rotwilam. *Palatinus* contrahit equites ad com-
D primendum eum tumultum, nec profecto tantum
has equitum diſcurſationes metuo, quantum pro-
ximæ Eclipſis τῆς σεληνιακῆς ſignificationes formi-
do, quas velim conſideres. *Granvellum* adhuc ex-
pectamus, cujus voluntatem laudant de pace fa-
cienda. Nam & *Hupertus* & quidam alii valde
prædicant ejus moderationem. Eſt que ei adjun-
ctus quidam *Lucelburgenſis*, vir eruditus, pius, no-
ſtræ doctrinæ amans & abhorrens a crudelitate.
Meæ uxoris curationem tibi commendo. Saluta
E reverenter D. Doctorem *Hieronymum* & D. Do-
ctorem *Auguſtinum*. Bene vale. Die XIV. No-
vembris.

Ἀσπάζομαί σε ἐγὼ ὁ γέροντος μάλα φιλτῶς com-
mendo tibi & meam familiam: ſicubi medici con-
ſilio opus erit. Salutat te & D. D. *Chilianus* noſter.

D. *Iacobo Milichio* S. D.

SCio curationem morbi meæ conjugis diffici- Ep. 459.
F lem eſſe & propter corporis [illegible], & pro-
pter ingenii ipſius triſtitiam, qua fit ut parum ſit
Medicis morigera. Rogo igitur & D. D. *Auguſti-*
num & te, ne ei deſitis, ac maximam gratiam u-
trique habeo, quod non defuit ei hactenus veſtra
diligentia, fides & aſſiduitas. Tumultus ad *Rot-*
wilam non fuit diuturnus. Direptis aliquot pagis
latrunculi iterum diſſipati ſunt. Hic publicæ diſpu-
tationes nondum inchoatæ ſunt, ſed adverſarii in-
ter ſeſe collocuti ſunt, Credo ut ſuorum animos
G explorarent, ac tantum agitati articuli duo, de
morbo *Originis*, καὶ περὶ [illegible]. *Eccius* ar-
ticulos compoſuerat dilutos & ſophiſticos, ut vide-
rentur moderatiores: ſed tamen quia pugnabant
cum vera ſententia de utroque loco, repudiati
ſunt à trium Principum Legatis, *Palatini, Mar-*
chionis Electoris, & *Juliacenſis*, ſed tamen modeſtiſ-
ſime reſponderunt. Quæ ſpes eſſet concordiæ

 adbibitis

adhibitis *Eccio*, *Mensingero* & ſimilibus archite-
ctis, qui ardent odio noſtrorum & veritatis? &
nonnulli nè quidem intelligunt cauſam. Scis mo-
deſtiſſimum eſſe ingenium *Conradi Heresbachii*. Is
tamen conſtanter repudiavit *Eccianam* formulam.
Bene vale, & ſalutem reverenter dicito D.D. *Hie-
ronymo*, & D.D. *Auguſtino* viris clariſſimis.

D. Iacobo Milichio S. D.

Ep. 460. FRater tuus me ſalutavit in his nundinis, fuitq; oratio ejus plena fraterni & veri amoris erga te: id mihi perjucundum fuit. Hortabar eum ut ad ædificationem aliquid pecuniæ mitteret, promiſit, & miſiſſe puto. Tuæ igitur humanitatis erit ἐμμενὲς ἔργον, quod eſt, ut ſcis ex noſtræ Philoſophiæ præceptis. De conventu ſcripſi ad alios. Moras tulimus, ut *Macedo* interea curaretur. Qualiſcunque erit exitus harum diſputationum frigidarum: ſpero tamen Rempubl. tranquillam fore. Nos tibi *Æginetam* emimus, gratum ut haberes ex nundinis aliquod munus. *Hervagii* Chirographum tibi mitto, ut ſi fortaſſe noſter reditus differretur, & liber *Plinii* ex *Bohemis Lipſiam* mitteretur: *Caſparo Bornero* cures hanc Syngrapham exhiberi. Multi boni viri te amanter ſalutant, & in his meus frater. Mitto tibi *Joachimi* artem Equeſtrem. Bene vale. Die V. Aprilis, M.D. XXXIX.

D. Iacobo Milichio S. D.

Ep. 461. CLariſſime vir & chariſſime frater, Utrumque vox divina prædixit, & fore majores confuſiones generis humani in hac delira mundi ſenecta, quàm fuerunt antea, & tamen Filium Dei collecturum eſſe Eccleſiam æternam etiam inter has ruinas Imperiorum. Hâc ſpe faciamus operas ſcholaſticas donec conceditur. Etſi igitur intempeſtivæ videntur jam deliberationes de honoribus: tamen ſperes fore poſteritatem, & audiri gemitus tuos & Eccleſiæ tuæ domeſticæ: & ſuſcipias labores in his ornandis, qui nunc tuam operam præcipuè requirunt. Oro autem ut in meis ædibus tantiſper ſis, donec aderis, ſine tuo ſumptu. Scis enim conſuetudinem tuam, præſertim hoc tempore, & eruditiſſimos ſermones tuos ἀλεξιφάρμακον mihi eſſe contra multos dolores. Bene vale. Die XIX. Junii.

D. Iacobo Milichio S. D.

Ep. 462. ΟΠῃ τὶς ἀλγεῖ, ἐκεῖ καὶ νοῦν ἔχει. Sæpe igitur de te cogito. Nam profectò magis excrucior curâ tuæ incolumitatis, quàm meæ. Nec vos multo ante hunc menſem abducere iſtinc familias veſtras potuiſſetis, neque ego iſtuc accedere potui. Nunc *Serveſtam* accedo, quod ſanctum ac felix ſit, ut *Vito* ſcripſi. De *Noribergenſi* negotio, quid reſponderit *Hieronymus*, oſtendent literæ quas incluſi huic Epiſtolæ. Sed *Vitus* ipſe affirmat, eum ſatis tempeſtivè & invito noſtri exilii admonitum eſſe. Verum ἄτη quædam & horum amicorum conſuetudinem aliquandiu diſtraxit. Mihi varii pene [illegible] & ſatis iracundè de eo negotio ſcribunt. Sed & ego placare *Hieronymum* ſtudeo, & *Vito* ſcripſi illud *Æſchyli* [illegible]. De te vero & ad *Camerarium* ſcripſi, qui *Noriberga* nunc eſt. Sed arbitror & *Erfordiæ* te magno

A tuo commodo eſſe poſſe. Sed hæc coram. Bene vale. Salutem opto D. *Chiliano* & *Hieronymo*.

D. Iacobo Milichio S. D.

ETiamſi variè exercemur, tamen Deus & te & nos reſpicit, & dabit aliquos tuæ familiæ nidulos. Si vel *Noriberga* vel alibi poteris habere certum ſtipendium, primum conſilium eſt ut eò migres, & nondum abjeci cogitationem de *No-* Ep. 463.
B *riberga* vel *Argentorato*. Sed ſi alicubi Academia inſtaurabitur, deliberandum erit an in Academia aut *Erfordiæ* eſſe malis. [illegible]. Et quæ ſint de Academia deliberationes, ex noſtris collegis tui amantiſſimis intelliges. Mox autem ubi rediero cras *Witebergam*, mittam ipſe tabellarium *Erfordiam* ad amicos, quibus meum de te conſilium exponam, & ut adjuvent, eos adhortabor. Mitto tibi de meo viginti Joachimicos. Bene & feliciter vale. Die XXVIII.
C Julii.

D. Iacobo Milichio S. D.

CLariſſime vir & chariſſime frater, Dei beneficio tua familia rectè valet, & adhuc Academiæ & oppidi tranquillitas eſt, quã Deus tueatur. Sed annona fit anguſtior. Et hac nocte in ſuburbio noſtro conflagrârunt quinq; domus. incendium in domo Tinctoris ortum eſt, poſtea vento ad vicinas Ep. 464.
D prolatum, inter quas eſt & domus Aurigæ *Wolfii*, cujus uxor eſt puerpera. Reditum tuum expectamus, ac ut omnes feliciter redeatis, Illuſtriſſimi Principes *Aſcanii*, & tu, faciat Filius Dei, cuſtos invocantium ipſum, Dominus noſter *Jeſus Chriſtus*, crucifixus pro nobis & reſuſcitatus. Hiſtorica multa habemus, quæ coram narrabo Principibus. In *Walachia* Princeps, ſeu quocunque eum nomine appellant, ſcelerate abjectâ profeſſione Chriſtianâ, amplexus eſt *Mahometi* impietatem &
E edicta propoſuit, ut exemplum ſuum imitaretur populus. Itaque conſenſu omnium ordinum impetus in eum factus eſt, & comprehenſus necatus eſt, & in flumen abjectus: ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι. Excutiunt Tyrannidem *Turcicam Walachi*, factâ ſocietate cum *Moſcis* & *Polonis*. Heri à Duce *Pruſſiæ* literas accepimus, in quibus ſcribit ſe miſſurum eſſe nobis judicandas ſuorum diſputationes. Illuſtriſſimo Principi *Georgio* dicas, *Dreſdæ* tantum deliberationes fuiſſe περὶ τὸ ἐν
F [illegible], quam coram recitabo, & plura interea audiemus. Bene & feliciter vale. Die viceſimo ſeptimo Auguſti.

D. Iacobo Milichio S. D.

EAdem horâ, quâ tuas literas accepi, in quibus ſignificas te invitari ad *Viadrum*, ſimul accepi epiſtolam à *Michaële Northuſano*, qui narrat expeti te à *Francofordianis* ad *Mœnum*. Significabis Ep. 465.
G igitur an velis nos in eam rem incumbere. De Academia tardæ ſunt deliberationes, ſeu quia ſemper leviter curantur literarum negotia in aulis, ſeu quia nunc expectatio Conventus moram adfert. Ego ipſe cum *Paulo* profectus *Dreſdam* literas impetravi de inquirendis reditibus. Nunc *Conradus Notarius Mansfeldiam* profectus eſt. Hæc acta ſunt poſtquam una fuimus. Si procedit

cedit inſtauratio Academiæ, manebo apud bos amicos, quorum conjunctio diu ſtudiis profuit: ſi non procedet, quærenda erit alia ſedes, ſi tamen vivam. Nunc enim valde labefactantur vires meæ animi doloribus & occupationibus, quas habeo inſuaviores, quam antea. Cum hic magna frequentia eſſet, cæteris ſcribere non potui, ſed ſalutem vobis omnibus optó. *Carolo* Imp dicitur liber de doctrina Eccleſiæ à *Lovanienſibus* ſcriptus eſſe, quem putant propoſiturum eſſe tanquam normam doctrinæ & concordiæ. Sed omnino ratiocinor novum & magnum bellum fore in *Suevia* & Eccleſiis. Nuper Comiti *Ottingio* trucidati ſunt agricolæ ferè ducenti. Uxor D. *Benedicti* honeſtiſſima matrona nuper hic extincta eſt, cum δυσεντερίᾳ per aliquot dies laboraſſet. *Ioachimus Camerarius* ſpem oſtendit nobis ſui reditus ad Academiam *Lipſicam*, ſed neſcio quid morborum admodum graſſari *Lipſiæ* dicitur. Bene vale & reſcribe. Salutem opto D. *Hieronymo* noſtro conterraneo & amico. Die XXV. Auguſti, quo ante annos XXIX. primum veni *Witebergam*.

D. Iacobo Milichio S. D.

Ep. 466. A*Mbroſius* reddidit mihi literas *Amelii* in hoc noſtro itinere, quas juſſi eum ad te perferre, quia non dubitabam, quin magnopere cuperes ſtudia ac voluntates veterum amicorum cognoſcere. Ac *Amelii* officia fortaſſis ex Patris tui literis melius cognoſces. Nam hæc epiſtola ſic ſatis frigidè ſcripta eſt, dat nobis præcepta alieno tempore. Sed velim te forti animo eſſe, ac præſtare ut illam tuam moderationem animi, quam ſemper in te prædicavimus, mordicùs retineas. Difficiles aditus habet hoc vitæ genus in quod ingreſſus es. Sed tempore erunt faciliora omnia, neque enim defuturus eſt Deus honeſto conſilio. Audio iſtuc venire *Cornarium* & conditionem venari. Ages cum D. D. *Auguſtino*, ut, ſi qua nobis abſentibus ejus rei mentio facta fuerit, oſtendat tui rationem habendam eſſe potius. Amabò te, ſis bono animo, nos quantum poterimus dabimus operam, ut intelligas nos tibi ex animo bene voluiſſe. Mitti inc iſtuc meus frater, qui cum venerit recipiatur in meas ædes. Hoc *Franciſco* te velim indicare. D. D. *Auguſtino* plurimam ſalutem dic meis verbis, Vale ex *Gotha*.

D. Iacobo Milichio S. D.

Ep. 467. IN itinere meo non veni *Francofordiam*, ſed poſtea *Bonnæ* intellexi *Cornarium* jam migraſſe *Marpurgum*, decrevi autem in reditu per *Francofordiam* iter facere, ubi & voluntates eorum explorabo, quibus negotium & dignitatem tuam curæ eſſe arbitror, & exiſtimabo tuis rebus conducere migrationem hanc, eò hortator, ut rem adjuvent. Nondum opinionem *Ariſtotelicam* abjicio, quæ cenſet tranquilliorem in Ariſtocratiis vitam eſſe. Tantum illud moleſtè fero, te tali ingenio, virtute, eruditione præditum, non in Academia retineri. Sed de his rebus aliàs plura, nam quantum poſſum contendam, ut citò mihi reditus concedatur. Bene vale, & ſalutem dicito reverenter Clariſſimo viro D. D. *Auguſtino*. Die IX. Maii. Commendo tibi familiam meam.

D. Iacobo Milichio S. D.

PRæter opinionem meam accidit, ut iſtinc ſubitò diſcederem. Etſi autem ſpero nos cras redituros eſſe, tamen ſi diutiùs retineremur, ſignificabis mihi quomodo noſtri omnes valeant, quos ſane tibi commendo. De domini *Menguicii* valetudine neſcio quid ſcribam Dicitur tamen commodiùs valere, quam ante aliquot dies valuit. Ha: nocte ſudavit ſic ſatis largiter, & ſperant hunc ſudorem profuturum eſſe. Hæc aſcripſi, ut ea narrares, ſi adeſt, D. D. *Auguſtino*. Bene vale. Ep. 468.

D. Iacobo Milichio S. D.

IAm in hoſpitio meo exhibui viro clariſſ. D. D. *Auguſtino* ſtipendia huc ex *Witeberga* miſſa, qui aut ipſe adferet, aut mittet. Amanter curârunt rem & bonâ fide D. *Caſpar* & *Paulus*. Etſi autem me multa in hoc noſtro exilio cruciant, tamen de te ſæpe cogito, & cum decreverim expatiari ad *Rhenum*, ubi primum tempeſtates erunt mitiores, prius colloquemur. Nunc autem venit mihi in mentem deſiderari ἰατρὸν in Urbe *Northuſia*. Etſi tua virtus locum ſplendidiorem merebatur: tamen ſi hoc triſti tempore illud hoſpitiolum non aſpernabere, tuam mihi voluntatem ſignifices, annitar ut rem perficiamus: ſi etiam tibi interea pecunia opus erit, meum tibi officium non defuturum eſt. Videmus eſſe fatalem temporum perturbationem, quæ augetur Principum & δημαγωγῶν furoribus, quibus Deus punit εἰδωλομανίας. Sed has pœnas mitigabit nobis invocantibus ipſum. Et nos mutuo lenire nobis dolorem ſtudeamus. Bene & feliciter vale, Vir optime καὶ φιλοιατρικώτατε. Die Brumæ. Ep. 469.

D. Iacobo Milichio S. D.

ALiquoties jam petivit in literis *Vitus Noribergenſis* judicium noſtrorum Medicorum de medicatione, quæ fit uſu *Guajaci*, an puteus ipſi profuturam eſſe. Audio pedem alterum, dextrum opinor, epatis loco viciniorem valde intumuiſſe. Unde exiſtimari poteſt, non jam tantum καχεξίαν eſſe immedicabilē, ſed initia hydropis. Quæſo tamen ut in pagella tuum judicium jam mihi ſignifices. Bonum ingenium Viri amantis honeſta ſtudia malè habitat. Sed tales ſunt hominum cōmunes miſeriæ, quas nec Panacea curare poteſt, quantumvis glorioſum nomen habet. Bene vale. Ep. 470.

D. Iacobo Milichio S. D.

GRatiam tibi habeo quod remedia apparari curâſti, ſed antequam allata ſunt, puella cum longo tempore conflictata eſſet morbo periculoſo, ut vidiſti, & jam hydropem metueremus, ſubitò liberata eſt: docuit eam tua adfinis, quæ in hoc oppido habitat, ἀσφόδελον in cerevisia coquere. Hæc potio cito ſine moleſtia ἐξήγαγε τὰ ὕδατα. Tanta vis eſt in parvis rebus, & jure ſuccenſet ignaviæ hominū *Heſiodus*, non conſiderantium: ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ ὄνειαρ. Sed hæc coram. Copiæ hoſtiles abductæ ſunt ex vicinia *Witebergæ* undique & laxamenti aliquid contingit noſtro oppido. Deus cætera gubernet. *Georgio* alias ſcribam Ep. 471.

ſcribam, & mittam Epiſtolas quas ad me miſit. A
Bene vale. Die XXIX. Decemb. & reſcribe.

D. Iacobo Milichio S. D.

Ep. 472. GRatiam tibi habeo, quod ad me ſcripſiſti, téque oto ut mæſtitiæ repugnes. Tranquilliore animo potes & ferre & ſpectare publicas miſerias, quia & à certaminibus dogmatum, & a conſiliis publicis abfuiſti. Deinde de pecunia etiam conſilium Deus oſtendet, quantum mihi reliquum eſt, B tecum erit commune. Rurſus cogito meam familiam collocare in oppido *Northuſen*, quo & *Georgius* migrare cœpit. Nam adhuc patent viæ. Diſceſſeramus *Brunſuiga*, itura *Luneburgum*, ut inde ad Regem *Danicum Georgius* viduam adduceret. Sed poſtquam venimus ad *Geſhorn*, & Dux *Franciſcus* exaggerabat pericula itinerum, non invitus *Brunſuigam* reverſus ſum, cum viderem à tedio non abhorrere *Georgium*. Sive *Northuſiam*, ſive C *Stendaliam* venero, curabo ut nobiſcum ſis. Expecto enim jam literas & nuncium ex oppido *Northuſano*. Nec de belli rumoribus, nec de conſiliis hominum in his regionibus quidquam ſcribere poſſum: ſed brevis narratio complecti poſſe ſummam videtur. Videntur civitates ad caſum & tempora accommodaturæ conſilium. [illegible] Fatalis igitur converſio expectanda eſt. Bene vale & reſcribe. Die X. Maii.

D. Iacobo Milichio S. D.

Ep. 473. CLariſſime vir & chariſſime frater, [illegible] quod nos exules magis ſcimus, quam hi, quorum ea eſt felicitas ut in ſuis nidulis conſeneſcant. Itaque cum ſcirem te de patria ſolicitum eſſe, & *Andreas* nuncius jam iturus eſſet *Argentoratum*, fui hortator ut à te literas peteret. Scribam & ego ad meum fratrem & ad *Franciſcum Hiſpanum*. Ex his cognoſcemus aliquid [illegible]. Heri ſermones hic ſparſi ſunt, *Berna* milites dimitti, ſpem pacis eſſe. Sed ita luditur Sophiſmatibus, ſimulationibus, occultationibus, ut quid agatur ratiocinari non poſſim. Nec me excrucio, quia & Eccleſiam & nos in ea ſcio curæ eſſe Filio Dei. Hodiè accepi literas *Roſtochianas*, quæ flagitant editionem ſcripti *Megalburgenſis*, huic tribuam hos dies tres aut quatuor, deinde iſtuc accedam cum *Paulo*, ut aulicis mandatis obtemperem de audiendis rixis *Mori* & collegarum: F Nam ſedari à nobis non poſſe arbitror. Quanquam enim arbitror ſtulta certamina eſſe, tamen experimur quotidie *Sophocleum* illud nimis verum eſſe:

——— [illegible]
[illegible]

Sed oremus Filium Dei ut nos regat. Bene vale. Deus ſervet incolumes te & honeſtiſſ. conjugem tuam & dulciſſ. filios & filiam. Die VII. Julii, quæ eſt dies pugnæ ad *Cheroneam*, factæ ante annos M. DCCC. IX. Salutem opto D. Doctori [illegible] & *Ioachimo*.

D. Iacobo Milichio S. D.

Ep. 474. ET lachrymans heri iſtinc diſceſſi, de publ. miſeriis, de veſtris difficultatibus & de diſtractione conſuetudinis noſtræ (Nam animorum nulla fiet) cogitans, & hodie tuam epiſtolam lachrymis madeſeci. Oro autem Deum æternum Patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti*, ut Eccleſiis & ſtudiis doctrinæ pacem reſtituat & pœnas mitiget. Hic nondum in aula ſui, eóque me hodiè non acceſſitum iri arbitror, quia audio Principem languidiorem eſſe, quàm nuper fuit cum adeſſem. *Witeberga* hodie mane nondum cincta fuit obſidione, ibit B igitur tuus miniſter, ſed adjungam meum adoleſcentem, qui ad exploranda itinera idoneus eſt, & fortaſſis ibo ipſe. Etſi autem bellum & meæ œconomiæ detrimentoſum eſt: tamen ſi neceſſe erit tibi ab amicis aliquid ſumere, à me ſumito. Donec aliquid ſupererit fortunæ noſtræ, tibi commune erit. Bene & feliciter vale. Die VII. Decemb. D. *Vito*, D. *Georgio*, D. *Marcello* ſalutem opto.

D. Iacobo Milichio S. D.

HEri rediens mea conjunx ex oppido noſtro, Ep. 475.
nihil attulit niſi calculi dolores ſatis atroces, & faſciculum literarum, in quo hæc fuit Epiſtola tibi inſcripta. Etſi autem vos expectabam, tamen iſtuc meum Adoleſcentem miſi, ut literas vel tibi vel conjugi tuæ honeſtiſſimæ redderet, cui credo hanc [illegible] moleſtam eſſe. *Macedo* graviſſimè mihi ſcripſit de iis impedimentis, quæ ipſum ad *Danubium* remorata ſunt, & de pertinacia cognatorum, D inter quos pacem facere conatus eſt. Vincit igitur vis fati, quod ſæpe metui. Ego Deo & Eccleſiam, & noſtra agmina quæ pars ſunt Eccleſiæ, commendo. Cúmque moderatis conſiliis in pace non fuerit locus, minus miror nunc ſumptis armis non audiri eos, qui mallent utroſque aliquid de ſuo jure remittere, quàm parricidiis polluere patriam. Noſti illud, [illegible] Sed hæc Sycophantæ, E qui armant Principum furores, non curant. Ex *Lipſia* ſcribit *Beuerus* omnia in collegiis ibi nunc ad exemplum *Witebergenſe* fieri, reliquiæ Scholæ ſeceſſerunt in oppidum *Myſiam*. *Ioachimus Camerarius* familiam tranſvexit ad Principem *Georgium*. Ipſe an apud *Aſcanium* Principem manſerit, nondum ſcio. Sed heri ad eum nuncium miſi. De cæteris rebus optarim vos colloqui, ac niſi adfuturus es, iſtuc ad vos veniam. Bene vale & reſcribe. Die V. Januarii. Anno M. D. XLVII.

D. Iacobo Milichio S. D.

TOt jam annis filiam Deo aſſiduis votis commendavi, quæ non exiſtimavi irrita fore, præ- Ep. 476.
ſertim cum manifeſta luce divina, mihi ſemel ſtanti in templo, ſignificatum ſit, filiam Deo curæ futuram eſſe. Quare etſi naturalis [illegible] parit mihi acres dolores, cogitanti de ejus morte: tamen cum ſperem eam divinitus in ſocietatem cœleſtis Eccleſiæ traductam eſſe (fuerunt enim ſigna pietatis G ante mortem illuſtria erga Deum & erga maritum, ut *Sabinus* ipſe ſcribit,) hac conſolatione præcipua me erigo. Tibi verò & cæteris amicis gratiam habeo, quod & illius miſericordia antea adficiebamini, & nunc ſocietate luctus & mæſtitiæ benevolentiam veſtram erga me & meos declaratis. Utinam vobis viciſſim declarare meam erga vos benevolentiam in alio genere officii jucundiore poſſim. Miſi hunc tabellarium illuc, non tam ut

citò

citò redderentur tibi literæ viri clariſſimi D. Doctoris *Auguſtini*, quam ut *Vilterino* tradantur *Joachimi* literæ, qui jam in *Franciæ* oram cum familia profectus eſt. *Carolum* Imp. adfirmant ad *Egram* acceſſiſſe, ubi exercitus Cæſariani & *Mauricianus* conjungentur. Inſtar igitur Epitaſis belli, quam Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* gubernet, quem toto pectore oro, ut ab Eccleſiis noſtris & à veſtris conjugibus & parvis gregibus liberorum & nidulis *Hiſpanicam* ſævitiam arceat. Bene & feliciter vale. Die quo celebratur memoria admirandi conſilii divini, quo Filium æternus Pater pro nobis victimam fieri voluit.

D. Iacobo Milichio S. D.

Ep. 477. CUm aliis de cauſis in oppidum noſtrum profecti eſſemus Doctor *Auguſtinus* & ego, caſu ad funera duo venimus, *Ploobingeri* & noſtri Quæſtoris, cujus rationes cum poſtea inſpiceremus diligentiæ & fidei teſtimonium ei præbere nos juſtum fuit. Aliquid pecuniæ collegerat, quod Rectori tradidimus, unde ſtipendia ſolvamus, & plus collecturos nos eſſe ſperamus. Ad *Vitum* de te ſcripſi, etſi nec alterum quidem negotium abjiciam, nec eò deterreor, quod *Eburonum* Comes jam tenet *Francofordiam*. Reſtituet enim Deus aliquando tranquillitatem urbibus, quæ cum viderit, ſe & deſertas & proditas eſſe ab ignavis Principibus, & modeſtiores erunt, & rectiora conſilia tuendæ pacis quærent. Quod ille vir fortiſſimus *Philoctetes* de Ducibus ad *Troiam* inquit, eſſe eos ἡμῖν ὥσπερ ἀρχέλαι, ἐν τοῖς λόγοις θρασεῖς· tales eſſe noſtros jam re compertum eſt. Reginam conjugem Regis *Ferdinandi* ſcito mortuam eſſe, victam partus laboribus. Bene vale. Die XII. Februarii.

D. Iacobo Milichio S. D.

Ep. 478. ANte meum adventum hinc miſſi ſunt currus in *Tyrigetas*. Etſi autem officium civium noſtrorum non decet vituperare: tamen de diligentia diſputo. Tempus aliud maluiſſem expectari. Adhuc quidem nulla eſt ſignificatio peſtis, nec futuram arbitror ante conjunctionem Saturni & Martis. Inſpexi annum 1505. eadem tunc fuit conjunctio. Sed hic non potui explorare, utrum *Hertzbergæ* fuerint eo anno, an ſequenti, hoc eſt 1506. Apud *Volmarum* non fui: reliqui nihil certi dicere poterant. Amabo te interroges D. D. *Hieronymum*. Nos propter negligentiam & inſcitiam meritò plectimur. Sed parendum eſt, vel importunitati horum, vel temporibus. Ad *Anhaltinos* mittam nuncium. D. D. *Auguſtinus* adhuc eſt *Torgæ*: audio ejus liberos rectè valere. De me & meis rebus coram. Meam familiam tibi commendo. Brevi iterum ſcribam, nunc enim nihil adhuc habebam, quod magnopere referret ſcribi. Bene vale. Die XVI. Februarii.

D. Iacobo Milichio S. D.

Ep. 479. MUltis de cauſis magno dolore afficior propter *Zocchi* interitum. Nam & ipſi & familiæ bene volo. Sed privatorum malorum ſenſum hebetiorem reddit publicus dolor. Etſi autem jam multæ ærumnæ concurrunt: tamen non dimittamus ex animis eas conſolationes, quas Deus no-A bis tradidit, quas veras eſſe non dubito. Non enim aſſentior *Democrito* vel *Epicuro*, qui mundum ex atomis componunt, & omnia caſu volvi diſputant. Erigamus animos contra hæc mala. Scripſi diligenter *Hieronymo Bomgartnero* de te. Quæſo ut filiæ *Sabini* ægrotanti emas poma & alia, ut in charta annotavi, nec remittas ſi quid ſupererit pecuniæ. Nam brevi iſtuc veniam, ubi pro reliquo vinum nobis emes. Bene vale.

B *D. Iacobo Milichio* S. D.

SI *Hieronymus* ab *Hirpheim* expetit conditionem *Gothanam*, velim accerſas ad te *Georgium Merulam*, cui committetur gubernatio ludi *Gothani*, eique de *Hieronymi* voluntate dicas, & has meas literas ei reddas, in quibus de *Sturio* ſcribo, ut *Hieronymo* cedat: ſin autem *Hieronymus* non eſt accepturus *Gothanam* conditionem, non erit opus reddere literas *Merulæ*. Meam familiam tibi commendo. C mihi ad cæteras miſerias & curas accedit etiam domeſticus dolor, ut ſcis, mitiget. Aulicus ὑπομνηματογράφος habitabit *Witebergæ* & nunc eò redit. D. *Jonas* conflictatur calculi doloribus. Heri miſit mihi *Dolſcius* literas *Viennæ* ſcriptas ab *Antonio Ebreo*, in his ſignificat Mathematico *Vogelio* non ſolvi ſtipendium: cogitabis igitur an ejus voluntas ſit exploranda, mihi prorſus videtur. Bene & feliciter vale. Ep. 480.

Saluta meis verbis reverenter τοὺς συμφιλοσόφους D *D. Auguſtinum* & *D. Crucigerum*.

D. Iacobo Milichio S. D.

CUm integritas mihi tua & gravitas in omni officio perſpecta & probata ſit, metuo ne verecundiùs agendum in amicitia eſſe cenſeas quàm tempora concedunt. Sed πρὸς τὸ ἀληθευτικὸν in amicitia, pertinet etiam mediocris παῤῥησία. Quare te primum oro ut literas, quas ſcripſi nuper, boni E conſulas: deinde peto ut tuam voluntatem mihi ſignifices. Etſi cum de aula cogito, deſidero Philoſophiam, ac ſæpe mihi illud *Theophraſti* in mentem venit θυμὸς μαθὼν φιλοσοφεῖν εἰς ἔτυχε ψυχαῖς χρῆται: tamen nondum ſpem abjeci de reditu noſtro in Academiam. Interea hoſpitium in ea urbe de qua ſcripſi, tum commodiùs, tum tranquilliùs habiturus videor, ἕως ἂν καθέξῃ ὁ θεὸς μνημονικὰς ὑμετέρας. De exercitu fœderatorum & civitatum conſtantia à fide dignis non nunciantur tam tetra, F quàm ſpargunt homines ἐπιχαιρέκακοι in vicinia. Scribe an ſtipendia veſtra acceperitis, & literas huic tabellario, quem meo ſumptu, magis tua quàm *Tanneri* cauſa miſi, tradito. *Tannero* reddito literas *Auſtriacas*. Bene vale. Die XVI. Decemb. Ep. 481.

D. Iacobo Milichio S. D.

NOn magnam habui cauſam, cur hoc tempore in oppidum noſtrum proficiſcerer. Sed ut à G luctu abduceretur animus, præſertim cum nactus eſſem comites collegas noſtros & amicos dulciſſimos, unà iter feci. Et erat numeranda Quæſtori pecunia cui in *Turingia Stigelio* ſolvi curaverat. De Republica nihil audivi ἀξιόλογον, ac nè interrogo quidem quenquam. Sic enim ſtatuo nullis humanis conſiliis ſanari poſſe hæc mala, quæ cum Eccleſiam, tum has noſtras regiones diu Ep. 482.

jam adflixerunt. Θεὸ ἕν ἐς γένεσι πάντες εἰσὶν τὰ ... Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* conditorem univerſæ naturæ & generationis autorem, quæ plena eſt miraculorum, oro, ut honeſtiſſ. conjugem tuam ſervet incolumem, & adſit parienti; & totam tuam domeſticam Eccleſiam cuſtodiat. Bene vale.

A

D. Iacobo Milichio S. D.

Ep. 483. NEc *Stoici* ſumus, nec *Epicurei*, ſed ſentimus B vere affici Deum miſeriis eorum, qui ipſum invocant, & liberrimè eum mitigare calamitates invocantibus ipſum. Hanc conſolationem non ſinamus nobis eripi. Oro Deum ut & te & honeſtiſſimam conjugem tuam, & totam Eccleſiam tuam domeſticam ſervet incolumem. Brevi illuc venio, tantum enim expecto reditum mei tabellarii ex *Witeberga*: miſi enim eo meum curſorem, ac ſcripſi de veſtris ædibus ad *Oberuburgium*. Profectus eſt eo & D. *Michael Meienburg*. Cætera coram. De publ. miſeriis non ſolùm ideo nihil ad te ſcribo, ne tuum dolorem augeam, ſed etiam eo, quòd nos multo ante, cum cauſas harum calamitatum confirmari videremus, triſtes pœnas impendere metuimus, Deus hæc vulnera Eccleſiæ ſanet. Bene vale. In Pentecoſte MMMAVI.

D. Iacobo Milichio S. D.

Ep. 484. CLariſſime vir & chariſſime frater, Spero prius ad te perventuram eſſe præfationem, quam hanc Epiſtolam. Heri enim homini officioſo & celeriter *Lipſiam* proficiſcenti dedimus præfationem. Et ſcripſit *Joachimus* conjugi, ut mox ad te mittat per proprium nuncium. Utinam adhuc tempeſtivè adferatur. Libenter gratificor *Aſcanius* Principibus, & virtus Principis *Georgii* digna eſt memoria. Sed quo me fato dicam natum eſſe, quod implicat me & variis & inſuavibus negotiis? Statim ut veni *Norimbergam*, magna volumina Sophiſmatum legere coactus ſum, & mox ſcripta ſunt judicia, & inde res eadem longioribus ſcriptionibus explicare oportuit. Ita primos dies tribuere præfationi non potui. Poſtea ſcripſi ſubito. Et exiſtimo accommodatam ad leniendos dolores ipſius Principis *Joachimi*; Quæ enim poteſt eſſe conſolatio alia efficacior quam cogitatio de Eccleſiæ perpetuitate, & quòd hæc noſtra militia non ſit irritus labor? Bene vale vir optime. Salutem vobis omnibus opto. Prid. Calend. Octobris.

D. Iacobo Milichio S. D.

Ep. 485. CLariſſime vir & chariſſime frater, Utinam veſtri ſermones optimum Principem aliquantulum à mœrore abducant, qui quidem & ipſe repugnare mœſtitiæ debet, ſicut ſcit Deum velle, ut erigamus nos iis conſolationibus, quas tradidit. Hac hora literas *Pomeranicas* accepi, in quibus ſcriptum eſt de direptione recentiorum oppidorum. In altera Epiſtola narratio eſt de *Kaxsvilo*, qui eſt ... aulæ *Polonicæ*, Etſi fabulam *Polonicam* eſſe exiſtimo, miſi tamen. Oro autem Filium Dei ut nos gubernet & protegat. Reverenter ages gratias illuſtriſſimo Principi pro frumento mihi miſſo. Certè metuo & ſterilitatem, & alia multa triſtia hoc anno: ἐν τῷ ... ἰδὼν ... δυσμῶν μεγάλων ... proximâ tempeſtate. Sed nondum certò hæc ſcio. Bene vale. Die V. Januarii, quo ante octoginta annos interfectus eſt *Carolus* Dux *Burgundiæ*, videlicet anno M.CD.LXXVII. Salutem opto D. Cancellario & D. *Forſtero* & vobis omnibus.

D. Iacobo Milichio S. D.

Ep. 486. SI aurigam habere potero, decrevi ad vos excurrere. Etſi enim heri rurſus aulica mandata accepi de mittenda deliberatione: tamen ab iſta ſcriptione ita abhorreo, ut facile excuti mihi eam de manibus patiar. O rem miſeram! Sycophantæ & κόλακες, qui in gynæceis regnant, veritatem opprimunt. Principum voluntas hoſtilis eſt, ut heſternæ literæ etiam oſtendunt. Sed illis ipſis accidit quod in veteri Apologo de Dracone ſcriptum eſſe narrat *Plutarchus*: ἡ οὐρὰ τῇ κεφαλῇ ... Oro Filium Dei, ut nos omnes gubernet & C protegat. Bene vale. Die XXV. Febr.

D. Iacobo Milichio S. D.

Ep. 487. QUod hactenus nullas ad te literas miſi, cauſam non puto ullam eſſe aliam, niſi & dexteſſæ luxationem & has noſtras occupationes ..., quas recitabit *Caſpar*. Nunc volumen *Appiani* ingens mitto, ac tibi dono, ut farciam officii prætermiſſionem. Tuis literis ad me ſcriptis D valde conſternatus ſum: ſed tamen & illi rei remedium ſpero adferri poſſe, & mea tibi officia conſtabunt, ſi Deus mihi conceſſerit, ut eluctet ex his undis ac procellis, in quas me ... conjecerunt. Spero nobis non defore conſilium, etiam de tuis rebus. Bene vale. Die *Johannis Baptiſtæ*. D. Doctori *Auguſtino* Viro optimo ſalutem opto, audio eum convaleſcere, & precor Deum ut eum ſuis dulciſſimis liberis & reipubl. ſervet.

E

D. Iacobo Milichio S. D.

Ep. 488. DEi beneficio *Francofordiam* ingreſſi ſumus die Auguſti XXVI. In itinere paſſim amanter excepti ſumus. In Academia *Marpurgenſi* etiam honorificè, ubi primùm audivimus narrari pugnam ad *Quintinum* factam, in quo magnam cladem acceperunt *Galli*, ut cum ad *Delphos* victi ſunt, aut cùm *Marcellus* ... interfecit. Ejus rei famam non dubito ad vos perlatam eſſe. Hic F etiam quædam de colloquii prœmiis audivimus, ... ἐν τῷ ... facta ſunt contra *Brentium* contra me, quæ volent à nobis recipi. Nec dubito ... inſigniter declaraturos eſſe odium noſtri. Sed Deo nos commendo. De meo filio quæſo ad me ſcribas, tibi que gratiam habeo, quod homini miſero opitulari ſtudes. Bene & feliciter vale. Die XXVII. Auguſti *Francofordiæ*. Salutem vobis omnibus opto.

G

D. Iacobo Milichio S. D.

Ep. 489. SIgnificavit nobis *Bucerus* te *Argentinam* Dei beneficio feliciter veniſſe, quod mihi voluptati fuit; opto ut adventus tuus in patriam etiam ſit fauſtus ac felix. Ego *Tubingam* veni die Dominico, poſtquam à nobis diceſſiſti. *Joachimus*, Dei beneficio, nunc quidem benè & rectè valet: utinam

nam ſit perpetua hæc incolumitas. Sum acceptus humaniſſimè. Et adhuc quidem ſumus ſuaviſſimè confabulati, congreſſus aulicos vito, & ut ſpero vitabo. Ideo te expectamus & ego & *Ioachimus*. De *Gallicis* rebus mira hic narrat *Vocanus*, qui nunc in hac Academia verſatur, ait ſe habere literas recentiſſimas à *Langeo*: ſed his fabulis nihil tribuo. Audies & hæc & pleraque alia ex *Oporino*. *Brentius* non adeſt, ac ne ſcium quidem fuiſſe *Brentium* in his regionibus, ſed *Ioachimus* nobis unus pro omnibus eſt, ut ille de *Platone* dicit, etſi officioſi ſunt erga me omnes eruditi, qui hic ſunt. Bene vale & redi feliciter. *χρησάμενος ... Tubingæ*, Die XXVI. Septembris.

D. Iacobo Milichio S. D.

Ep. 490. P*Indarus* inquit:

> Γλυκεῖα δ᾽ ἐρῶ
> Καὶ συμποτάισιν ὁμιλεῖν,
> Μελισσᾶν ἀμείβεται τρητὸν πόνον.

Sed id ita verum eſt, ſi ſint *συμπότας φιλοσοφοῦντες*, ſed *ἀσύμφωνοι* nihil adferunt ſuavitatis. Nos igitur unà eſſe mallem. Sed hoc veſpere vocor ad cœnam, ubi erit præfectus, & neſcio quid Centauricæ turbæ. Ideo tibi indicandum eſſe duxi, me domi non futurum, nec te iter hybernum ac nocturnum meâ cauſâ fruſtra facere volui. Bene vale. Die *τῶν ἐγκαινίων*.

D. Iacobo Milichio S. D.

Ep. 491. CLariſſime vir & chariſſime frater. Non ſolùm dolore, impedior, quo minus tam multa ſcribam quàm res poſcebat: ſed etiam tempus deerat. Hodie enim rurſus *Heidelberga* diſcedimus, quò ad deliberationem de Academia vocatus eram. Ibi & de multis negotiis aliis reſpondi. Nunc igitur his literis tantum oſtendo ſignificationem grati animi, & tibi gratias ago, quod & in medicatione opitulari vitæ meorum filii & uxoris ſtuduiſti, & poſtea lenire meum dolorem conatus es. *Caſparum* volo mox redire ad nos, etiamſi nos diutius in urbe *Vangionum* commorari oporteret, quod tamen non exiſtimo. Interea tibi meam familiam commendo. Bene & feliciter vale. Prid. Calend. Novemb. *Heidelbergæ*.

Clariſſimo viro, virtute & eruditione præſtanti D. Auguſtino Schurffio, artis Medicæ Doctori &c. amico & patrono ſuo colendo S. D.

Ep. 492. CLariſſime vir & amice chariſſime, Etſi tempora hæc turbulenta per ſeſe impediunt ſcholarum conſtitutionem; tamen ſi aulicæ voluntates æquiores eſſent, procedere inſtauratio ſcholæ poſſet. Jam cum hæc ſcriberem, ingenioſum adoleſcentem *Auguſtanum* remitto *Lipſiam*, qui huc miſſus eſt. Et tales multi hic fuerunt, audituri quæ ſpes ſit de Academia. Sed video in aula differri has deliberationes, fortaſſis ut mora nos tandem cogat diſcedere. Ego tamen nondum abibo, ſed expectabo nundinas *Lipſicas*. Nam me etiam officinæ typographorum retinent. Cum autem diſcedam, iter ad vos faciam. Nam aut *Stendaliam* rectà ibo, aut ad *Mersburg*, unde iter eſt cōmodiſſ. ad *Northuſen*. Deus ſervet vos & veſtram domeſticam Eccleſiam incolumes, & vobis vires corporis reſtituat. Amen. Die Natali *Mariæ* Virginis, qui fuit dies excidii *Ieroſolymorum* ante annos M. CCCC. LXXIII.

D. Auguſtino Schurffio S. D.

CLariſſime vir & amice chariſſime, Etſi ſtatim initio exilii noſtri vocatus ſum in patriam: tamen ſubitò ex his regionibus nolui diſcedere. Nec diſputo quam ſapienter fecerim. Sed me vel deſiderium collegarum, vel aliæ piæ cauſæ detinuerunt. Acquieſco enim in hac ſententia: Si vel *Witebergæ*, vel alibi inter veteres collegas viros doctiſſimos & integerrimos vivere poſſem, nec aliam ſedem, nec alios amicos anteferrem. Patriam eſſe judicabo, ubicunque illi erunt. Sed utrum duas Academias habere Dux victor velit, dubito. Et ut velit, ſi præſidia erunt in oppido veteris Academiæ noſtræ, quæ poteſt ibi eſſe Schola, præſertim cum licentia & petulantia militum ibi major ſit quàm in aliis locis? Audio enim *Gothæ* Cæſarianos milites collectos ad *Danubium* & *Neccarum* multò eſſe modeſtiores iſtis *Heſſis*. Fortaſſis & *Saxonicis* Civitatibus bellum inferunt, quod ſi fiet, tota illa vicinia erit inquietior. Ideo de veteri noſtra ſede, quid ſpei eſſe poſſit non video. Incredibili dolore afficior, quoties has tantas calamitates unius oppidi noſtri conſidero, in quo, etiamſi multa fuerunt vitia: tamen multæ res neceſſariæ Eccleſiæ rectè illuſtratæ ſunt. Cum autem neceſſe ſit nos ante hyemem de hoſpitiis cogitare, & ego ſine conſilio veſtro nihil de mea migratione conſtituere velim, decrevi ad vos *Serveſtam* accedere, ac Deo juvante cras iter ingrediar. Cœpi & ante octiduum iter facere ad vos, ſed me quædam non levis cauſa huc retraxit, ut coram vobis exponam. Scribo ad *Paulum Eberum*, & ad *Vitum* de hoc meo itinere, vóſque oro, ut literas *Vito* inſcriptas ad honeſtum Civem *Meideburgenſem Tuchetum* mittatis, qui poterit eas *Stendaliam* mittere. Domino *Cunrado Wickart* ſalutem opto, quem miror nondum *Jenam* reverſum eſſe, cum quidem *Turingia* nunc Dei beneficio tranquilla ſit & ſpes ſit copioſæ meſſis & copioſæ vindemiæ. Profectò ſingulare Dei beneficium eſt quòd in tantis miſeriis harum terrarum Deus tamen prohibuit vaſtationem *Turingiæ*. Bene valete. Die Julii XV. Ep. 493.

D. Auguſtino Schurffio S. D.

CLariſſime vir & amice chariſſime, cum heri ad familiam meam reverſus eſſem ex aula *Vuimarienſi*, lachrymans exhibuit miſſi filia mea literas veſtras de honeſtiſſimæ conjugis veſtræ morbo & interitu ſcriptas, quas cum legerem, cogitarémque ad communes miſerias cæteras etiam domeſtica vulnera tam multa nobis accedere: magna facta eſt acceſſio ad dolores meos priores. Scio fuiſſe modeſtum & placidum ingenium in conjuge veſtrâ, & fuiſſe mutuum inter vos amorem, & in ipſa magnam vim amoris erga ſobolem. Ideo & vos & parentes ejus & aviam ſcio propter mortem ipſius magno in dolore eſſe. Horum omnium luctum ad me quoque pertinere ſentio, & unà Ep. 494.

lugeo,

lugeo, Deúmq; oro, ut pub. & privatas miſerias leniat. Cum autem non negligatis cœleſtem doctrinam, ut alii multi docti Viri in Philoſophia negligunt, ſed verè ſtatuatis, Deum ſe pateſeciſſe generi humano editis promiſſionibus de futura hominum æternitate, non dubito vos ex illis ipſis fontibus conſolationem petere. Cauſas igitur communium ærumnarum cogitemus, quas aliter Philoſophia, aliter cœleſtis doctrina tradit. Sciamus nos non caſu, aut tantum ruentis materiæ fluxu tam variè agitari, ſed propter alias cauſas. Deinde confirmemus animos hac ſingulari doctrinâ, quæ adfirmat adflictos non abjectos eſſe à Deo, ſed ei curæ eſſe in ipſis ærumnis. Hac cogitatione de præſentia Dei & ſpe æternæ & dulciſſimæ conſuetudinis cum tota Eccleſia, nos conſolemur, nec ſuccumbamus dolori. Hanc totam doctrinam, cum non in umbra & in otio, ut multi, ſed in variis doloribus didiceritis, ſpero non deeſſe vobis veras conſolationes. Deum autem oro, ut vos & dulciſſimam Eccleſiam veſtram domeſticam ſervet incolumes, & reddat miſeræ *Germaniæ* pacem, & flectat hominum mentes ad diſciplinæ amorem & ad veram invocationem. Bene & feliciter valete. Die XV. Iulii *Northuſæ*.

D. Auguſtino Schurffio S. D.

Ep. 495. SEmper vos propter ſingularem prudentiam, doctrinam & fidem feci plurimi: ideóque amicitia veſtra mihi jucundiſſima eſt, poſtquam animadverti nos voluntate & ſententiis de multis magnis rebus congruere. Acceſſerunt etiam multa veſtra erga me & meos beneficia. Quare agnoſco me vobis debere gratiam. Animo etiam veſtro delector, quòd Architectonicam ſuſcepiſtis in ædibus extruendis in mea area, meâ cauſâ. Etſi ego quidem mallem principem non feciſſe hos ſumptus, nec oneratus fuiſſem vos hac moleſtiâ: Sed tamen & voluntatem veſtram & beneficium ipſum magni æſtimo. Quare mitto exiguam ſignificationem grati animi, quam vehementer & ſeriò rogo, ut accipiatis & boni conſulatis, mihi peracerbum eſſet ſi non acciperetis. Quæſo etiam ut non oneretis amplius ſumptu hujus ædificationis principem. Me & meos vobis commendo. *Chriſtus* ſervet vos incolumes, cum honeſtiſſima conjuge & ſuaviſſimis liberis.

D. Auguſtino Schurffio S. D.

Ep. 496. MAgnifice D. Rector & amice chariſſime, Profectò non cupiditate aliquâ nunc expatiatus ſum, ſed cauſis motus quas coram vobis exponam. Nam cum abirem magnos cruciatus habebam, quos tunc à calculo oriri arbitrabar, nunc reipſa experior à ſplenis obſtructione oriri eſſe. Si literæ, ut arbitror, ante meum adventum de ſtipendiis numerandis allatæ fuerint, rogo ut diſtributionem commendetis D. *Majori*, M. *Vito*, M. *Marcello*, & *Decano*. Etiam propter feſtum libenter domi manſiſſem, ſed ſcitis quam ſine ordine agant negotia homines nobiles, qui debebant eſſe cuſtodes ordinis boni acerrimi. Bene & feliciter valete. In *Sacro* Natalis *Chriſti* pridie.

D. Auguſtino Schurffio S. D.

GRatulor vobis felicem reditum ex *Auſtria*, Ep. 497. & opto ut vos cum honeſtiſſima conjuge & ſuaviſſimis filiabus optimâ valetudine fruamini. Veni *Witebergam* accerſitus literis *Electoris* propter *Anglos*, etſi mallem eſſe apud eam partem Scholæ, quæ eſt in *Turingis*. *Milichius* Dei beneficio cum conjuge & liberis bene valet. D. D. *Hieronymus* habet iter in *Marchiam*. Ideo ſpero eum hic futurum eſſe proximo die Mercurii. De reditu Scholæ veſtrum conſilium etiam audire cuperem, ſed ſi hoc menſe nullæ erunt ſignificationes peſtilentiæ, exiſtimo non eſſe diutius in *Turingis* commorandum, tametſi æſtatem metuo. Sed difficultates multæ nos extrudunt domum. Ego me vobis commendo. Bene & feliciter valete cum veſtris omnibus. De fundatione intellexi ex D. D. *Pontano* Cancellario jam ab eo formam fundationis ſcribendam eſſe. Sed hoc ex ipſo audire poteritis. Brevi enim erit *Torgæ*, ut puto.

Rectori & Senatui Academiæ Witebergenſis &c. S. D.

MAgnifice D. Rector, Reverendi & clariſſimi Ep. 498. D. Doctores & collegæ chariſſimi; Multa, ut fit in dolore, de morte uxoris meæ ærumnoſæ mulieris in utramq; partem cogito. Et quanquam multas humanas cauſas colligo, quæ lenire dolorem debent, videlicet quòd ſenectus non multos annos ei additura erat, quòd paulatim ſævitia morborum, quibus obnoxia fuit, major futura erat, quòd me prærepto in majoribus miſeriis vixiſſet, fortaſſis & novorum exiliorum comes fuiſſet: Tamen ſemper *ςοργαὶ* erga ipſum & erga filias tanta vi ſubinde erumpunt, ut pene opprimar dolore. Nam & ipſi ſemper optavi, ut diutiùs dulciſſima filiarum conſuetudine frueretur, & filias habere matrem rectricem multum referebat. Sed refero me ad conſiderationem ſententiæ divinitus traditæ: Subditus eſto Deo & ora eum, quem quidem toto pectore precor, ut & Eccleſiam ſervet & gubernet, & noſtras familias in ea gerat, ut paſtor teneros agnos in gremio gerit. Quòd autem & ante mortem uxori meæ in conſolatione & medicatione aſſiduitatem præſtitiſtis, & poſtea nuncium ad me miſiſtis, agnoſco erga me benevolentiam veſtram, & gratiam vobis habeo. Nec alibi malim vivere ſi longior mihi vita conceditur, quàm vobiſcum, quorum virtutem, candorem & fidem facio plurimi. Et Academiam bene meritam diligo, quam Deus hactenus adverſus impia arma, & adverſus rabiem Sycophantarum clementer texit, quem oro ut ſemper eam & gubernet & protegat. Bene ac feliciter valete. Pridie Calend. Novemb. *Heidelbergæ*.

Honeſto viro, eruditione & virtute præſtanti, D. Bartolomæo Schallero, amico ſuo veteri chariſſimo S. D.

TUæ literæ, mi *Bartolomæe*, jucundiſſimæ mi- Ep. 499. hi fuerunt. Nam veteris noſtræ amicitiæ memoriam nulla mihi temporum diuturnitas eximet.

met. Amo enim te propter tuam virtutem & probitatem. De nepote tuo *Standen* placet mihi conſilium, ut ſit apud *Regium* diutius, ut fiat Grammaticus perfectus. De Vena donata meo filio, habeo tibi gratiam. Tu de ea quod tibi utiliſſimum erit, ſtatues. Volo enim te utilitatis tuæ rationem habere. Ego venarum negotia non intelligo, ſi quid ibi erit lucri, tu aſſervato. Nuſquam meliùs repoſitum erit meo filio, quàm apud talem & tam firmum amicum. Bene vale.

D. Bartolomæo Schallero S. D.

Ep. 500. INgenium tui nepotis bene mihi probatur. Itaque ejus ſtudia libenter adjuvabo. Spero ita promoturum eſſe, ut brevi ſibi ſua induſtria paret victum. Et mihi curæ erit, ut pater ſumptu levetur, quàm primum ad aliquam Scholaſticam conditionem adoleſcens videbitur idoneus. Tua officia, mi *Bartolomæe*, omnia mihi gratiſſima ſemper fuerunt. Sed hoc multo gratius eſt, quòd tantam in amicitia conſtantiam præſtas. quod ut facias perpetuò, te etiam atque etiam adhortor. *Chriſtus* tua negotia bene fortunet, & te tuoſque ſervet incolumes. Tu quoque æquo animo mediocritatem tuæ conditionis ferto. Hæc virtus & homine moderato digniſſima eſt, & *Chriſto* placet. Benè vale. Saluta fratres. *Caſparo* non vacabat ſcribere, ſcribam alias.

D. Bartolomæo Schallero S. D.

Ep. 501. NUnquam dubitavi de tua voluntate ac gratitudine erga me, *Bartolomæe* ſuaviſſime. Fuit tamen mihi gratiſſima illa tua commemoratio perſcripta in literis. Nihil enim his miſerrimis temporibus atque ærumnoſiſſimis habeo ſolatii, præter tui ſimilium, hoc eſt, bonorum quorundam virorum officia, quæ meum inexplicabilem dolorem aliqua ex parte levant ac leniunt. Etſi tu quidem beneficia mea prædicas laudibus omnino majoribus, quàm merebantur; nihil enim contuli tibi præter vulgaria officia: delectat me tamen animus tuus tam candidus & liberalis. De genere vitæ in quo verſaris, etiamſi quas habes domeſticas in re familiari difficultates: tamen velim te bono animo eſſe, & cogitare quanto plus boni quàm mali habeat iſta tua privata via, in qua tibi latere conceſſum eſt, nec abſtraheris ad publica conſilia, quæ regi nunquam tantâ curâ aut fide poſſunt, quin aliquid afferant, quod noceat conſcientiæ. Nil enim flagitioſius eſt pleriſque qui corrumpunt aliorum ſana conſilia. Quare cum incommoda ſupputas, hoc commodum opponamus omnibus difficultatibus, quod quantum ſit, ego jam uſu peritus poſſim dicere, ſi quid dubitare te exiſtimarem. Amabò te, mi *Bartolomæe*, ores pro publico ſtatu, méque ames. Bene vale.

D. Bartolomæo Schallero S. D.

Ep. 502. EX *Iſaaco* filio tuo intellexi nuncium ad te iturum eſſe. Quare duxi ad te ſcribendum eſſe non tam de meâ voluntate, quàm de fratre Medico. Hanc voluntatem meam ſpero tibi notam eſſe. Si qua in re potero prodeſſe tuis filiis, non deero eis, præſertim cum & ipſos videam modeſtos & ſtudioſos eſſe. De fratre *Hieronymo* etſi fortaſſe jam alii hoc ſignificârunt, tamen ego tui conſolandi causâ etiam ſcribendum duxi. Ex *Noriberga* ad nos ſcribitur, mortuum eſſe tuum fratrem *Hieronymum*, ac multos doctos viros magnum dolorem ex ejus interitu accepiſſe. Mihi communis tecum luctus eſt. Sed meus dolor eò eſt acrior, quòd mihi ſtudia notiora fuerunt. Cum ſciam multos excellenti doctrinâ medicos eſſe in *Germania*, *Latinè*, *Græcè*, & in Philoſophia præclarè eruditos: profectò tuum fratrem jam præcipuis annumerari intelligebam. Sed patiendum eſt Deo, & moderandus luctus. Non enim caſu naſcimur aut diſcedimus. Bene vale. Die Converſionis *Paulina*.

D. Bartolomæo Schallero S. D.

Ep. 503. CHariſſime *Bartolomæe*, Ingens Dei beneficium eſt, habere liberos idoneos ad virtutem. Quare gratias agas Deo, quòd filium *Iſaac* animi moderatione & ingenio artium capaci ornavit. Et orabis Deum, ut ejus ſtudia deinceps regat, ut poſſit aliquando ſervire Eccleſiæ *Chriſti*. Modeſtè apud nos vixit, & omnino tibi hortator ſum ne hunc filium non abducas à literis. Spero enim utili futurum Reipublicæ, & neceſſe eſt aliqua bona ingenia adhiberi ad doctrinæ propagationem & conſervationem. Mea ei officia in ſtudiis non defutura ſunt. Bene & feliciter vale. Die XIII. Sempt.

D. Bartolomæo Schallero S. D.

Ep. 504. INgens Dei donum eſt habere liberos idoneos ad virtutem, & doctrinæ capaces. Talis cum ſit filius tuus *Iſaac*, gratulor tibi hanc felicitatem, & Deum oro, ut eum regat & ſervet. Petivit autem à me *Iſaac* ut fratris ſtudia inſpicerem, audivi adoleſcentem, & animadverti prorſus neglectum eſſe in Grammaticis, quod cum deprehendiſſem, interrogavi an malit domi eſſe, & tecum in œconomicis laboribus verſari; ingenuè reſpondit, ſe malle tecum vivere. Cenſui igitur domum remittendum eſſe, & te rogo, ut noſtrum conſilium probes. Poterit domi aſſueſieri ad artes œconomicas, quibus etiam in vita opus eſt. Et audio placidis moribus præditum eſſe. Quare tibi ejus conſuetudinem voluptati fore ſpero, & ut ſit opto. Si qua in re filio tuo *Iſaac* prodeſſe potero, non deerunt ei meæ officia. Bene vale. Die V. Auguſti.

D. Bartolomæo Schallero S. D.

Ep. 505. CHariſſime D. *Bartolomæe*, Sæpe mihi cogitanti de Republica & de poſteritate in tanta imperiorum diſſipatione, lenit tamen hæc una res mœſtitiam, quod video Deum mirabili bonitate adhuc literarum reliquias & aliqua bona ingenia ſervare. Erit igitur aliqua ad poſteros Eccleſia, & erunt aliquæ πολιτεῖαι Eccleſiarum domicilia. Hac ſpe liberos educemus & erudiamus. Eſt autem in filio *Iſaac* optima indoles ad literas & virtutem, & cum amet ſtudia, feliciter proficit. Propter has virtutes mihi profectò tam charus eſt, quàm ſi ex me natus eſſet. O magnum Dei donum, habere liberos idoneos ad virtutem! Quare te oro, ut gratitudinem tuam erga Deum declares, & ſimul velis poſteritati civium utilem educare, ac mittas filio *Iſaac* ſumptus. Ait ſe jam debere decem

cem aureos. Si illius neceſſitate non moveris, moveare meâ interceſſione, ac mihi mittas. Nec peterem, niſi frugalem eſſe ſcirem, nolo enim cujuſquam prodigalitati patrocinari. Didicit Arithmeticen, & nunc Geometrica adjungere cœpit me adhortante, rogo igitur, ut mittas ei aliquid pecuniæ ad libros emendos, videlicet *Eucliden*, & μεγάλην σύνταξιν *Ptolomæi*. Sic tibi filium commendo, ut tecum amore ipſius certem, quod non facerem, niſi indoles ad virtutem & literas idonea videretur. Bene vale. Die XVI. Novembris.

D. Bartolomæo Schallero S. D.

Ep. 506. ETſi in hoc tanto periculo publico omnes honeſti homines & de ſuis & de poſteritate ſoliciti ſunt: tamen & ſperemus manſuram eſſe Eccleſiam Dei, & Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* oremus, ut ſervet noſtros liberos, & eis reddat pacatam Rempublicam. Hac ſpe & ſtudiis liberorum faveamus. Commendo igitur vobis filium, qui Dei beneficio & ingenio valet, & feliciter didicit omnium optimarum artium fundamenta. Quare eum & uſui Reipub. & vobis voluptati fore ſpero. Oremus autem Deum, ut totum curriculum vitæ ipſius gubernet. Eram eum miſſurus *Noribergam*, ſed ipſe inſtitutum ſtudiorum curſum deſerere noluit. Et ego malui eum diutius eſſe in Academiis. Quare ut eum adjuvetis, vos adhortor. Bene valete. Die XVII. Auguſti.

D. Bartolomæo Schallero S. D.

Ep. 507. FIlio *Iſaac* miſi orationem habitam in eo conſeſſu, in quo renunciatio facta eſt teſtimonii de ipſius eruditione & virtute. Deus ipſum & vos ſervet, & poſteris Eccleſiam & Rempublicam pacatam tradat. De bello in *Bavaria* tantum hæc ſcimus, exercitum Ducis *Saxonici* Electoris & *Landgravii* acceſſiſſe ad *Ingolſtadium*, & à *Caroli* Imperatoris caſtris tantum abeſſe ſeptem milliaribus. Deus adſit nobis & ſuâ immenſâ ſapientia & bonitate pacem reſtituat. Bene valete. Die *Auguſtini*.

D. Bartolomæo Schallero S. D.

Ep. 508. ETſi ſpero Deum ſervaturum eſſe Eccleſiam ſuam etiam in his regionibus, quæ profectò hactenus mediocri diligentiâ & fide propagârunt & illuſtrârunt piam doctrinam: tamen hæc poſtrema ſenectus mundi habitura eſt Imperia ſqualidiora. Qualiſcunque erit exitus hujus belli, tamen ſemel mota Reſpub. non facile poſtea quieſcit. Ideò oremus Deum, ut pœnas mitiget & ſervet ipſe Eccleſiam ſuam, & politias, quæ ſunt Eccleſiæ hoſpitia. Filium *Iſaacum* ad ſtudia inchoata artis Medicæ remittite. Mitto vobis librum recens editum. De Magiſtro *Nicolao Oſchacenſi*, quem judico ad munus diaconi idoneum eſſe, ſcripſi ad ſenatum. Liberali doctrinâ mediocriter excultus eſt. Bene valete. XXVI. Septembris.

D. Bartolomæo Schallero S. D.

Ep. 509. CHariſſime D. *Bartolomæe*, Et ego recèns filiam amiſi procul à noſtro complexu mortuam in *Pruſſia*, matrem quinque liberorum, in qua multæ virtutes fuerunt. Quare veſtram lugubrem Epiſtolam accepi, cum animus meus antea luctu domeſtico excruciaretur. Auxit mihi tamen dolorem veſtra calamitas. Sed quæramus veras & firmas conſolationes humanarum miſeriarum. Scimus quare Eccleſia onerata ſit cruce. Scimus etiam diſcedentes ex hac mortali conſuetudine in invocatione vera Filii Dei, transferri ad æternam Eccleſiæ cœleſtis ſocietatem, quo brevi nos quoque perventuros eſſe ſperamus, & optamus, ubi rurſus complectemur in cœtu Prophetarum & Apoſtolorum & ſanctarum matronarum noſtros. Beati mortui qui in Domino moriuntur, hoc præſertim triſti tempore, cum in patria civile bellum propter horrendam iram Dei accenſum eſt, quod utinam Deus mitiget. Filium *Iſaac* retinete diutiùs apud vos. Alter filius, ſi vult militare, concedite. Nam labor militiæ domabit ejus ferocitatem, ſi in eo ſunt aliqua virtutis ſeminaria. Bene & feliciter valete. Die feſto Paſchatis, quod fuit ab exitu *Iſrael* ex *Ægypto* Paſcha MMM. LVI.

D. Iſaaco Schallero S. D.

CHariſſime *Iſaac*, Arbitror utramque partem in hoc bello experiri, verum eſſe quod dixit *Thucydides*, [illegible]. Nemo enim ex noſtris tantam tarditatem rerum in *Bavaria* futuram eſſe exiſtimavit. Sed Deo commendo & Eccleſiam ſuam, & cauſam. In vicinia noſtra *Heneti*, & *Luſatii*, armantur, ut faciant irruptionem in vicinam *Torgæ Myſiam*. Sed mediocria præſidia oppoſita ſunt. Scholæ frequentia & tranquillitas Dei beneficio adhuc mediocris eſt. Et hæc cum ſcriberem, in mea habitatione explorabatur eruditio quorundam, qui nunc magiſterii gradum petunt. Bene vale. XXVI. Septembris. Anno M.D. XLVII. *Ep. 510.*

D. Iſaaco Schallero S. D.

CHariſſime *Iſaac*, Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* conditor omnium rerum, indidit hominum mentibus στοργάς, quæ parentum & natorum animos inter ſe æterno amore & fœdere copularent. Miranda & ingens vis amoris in matre tua fuit erga te; Imò quid fuiſſe dico? Adhuc flagrat & flagrabit in omni æternitate materna benevolentia erga ſobolem. Quare viciſſim pietatis eſt tuæ, deſiderio & dolore adfici propter honeſtiſſimæ matris interitum. Sed conſolationes interea eas etiam cogitato, quæ divinitùs de futura conſuetudine cœleſtis Eccleſiæ traditæ ſunt. Rurſus te mater inter cæteras pias matronas, complectetur, & gratulabitur ſibi non ſolùm natos eſſe filios, ſed etiam ad agnitionem Dei & veram invocationem adſuefactos doctrinâ. Hac conſolatione lenito mœſtitiam, & patri ſtudeas eſſe voluptati, ejuſque dolorem omnibus officiis & ſuavitate tuâ minuito. De Academia ſcito nondum huc conveniſſe lectores aut cœtum Scholaſticum, differes igitur reditum, & Deum nobiſcum veris votis precaberis, ut piam & ſalutarem pacem reſtituat. Bene & feliciter vale. Die feſto Paſchatis, quod fuit poſt exitum *Iſraeliticum* ex *Ægypto* Paſcha MMM. LVII. *Ep. 511.*

D. Iſaaco

D. Iſaaco Schallero S. D.

Ep. 512. CHariſſime *Iſaac*, Scis me ſæpè uſurpare verſiculum dulciſſimum,

Ἐυσεβέων παίδεσσι τὰ λοιπὰ, δυσσεβέων δ' οὔ.

Scimus autem Patrem tuum vera pietate Deum coluiſſe, quare & poſteritas ejus Deo curæ erit, & tuâ invocatione impetrabis, ut πανάγια Reipub. & familiæ veſtræ Deus colligat. Te in his tumultibus habere munus docendi gaudeo, idque nondum à te deſeri velim, quia impendet ἐπίτασις τῶν κακῶν, quam Deus moderetur. Poſtea ſpero tranquilliorem fore Rempub. tibique locum inter doctos fieri ſpero, ubi & poſteritati tui labores proſint. Bene vale. In feſto Paſchatos, quod fuit ab exitu ex *Ægypto* Paſcha MMM. LVIII.

Magnifico viro, ſapientia & doctrina præſtanti D. Baldaſaro Clammero Doctori Iuris, Cancellario, &c. Domino & patrono ſuo colendo, S. D.

Ep. 513. CLariſſime vir & patrone colende, Scio te virum ſapientem, conſiderantem hominum vitam, multa cogitare de mutationibus regnorum & earum cauſis, & quærere conſolationem in his communibus miſeriis, tanquam portum, in quo ſollicita mens acquieſcat. Cum autem cœleſtem doctrinam & optimè intelligas & ames, ſcis non aliundè, niſi ex promiſſionibus divinis firmam conſolationem peti poſſe, quæ adfirmant Deo curæ eſſe has noſtras quanquam ærumnoſas Eccleſias. Has ſervaturum eſſe, non dubitemus, quanquam magnæ imperiorum ruinæ impendent, ut ſcriptum eſt: *Ego vos ſeneſcentes geſtabo*. Ut autem erga Eccleſias eximia eſt tua pietas, ita ſingulari favore viros doctos de ſtudiis & juventute bene merentes complecteris. Ideo cauſam ad te defero amici noſtri *Viti Winſhemii* viri docti, collegæ noſtri; qui utiliter erudiit juventutem longo tempore. Fuit hic *Vitus* hoſpes, præceptor, & cuſtos corporis fideliſſimus Ducis *Luneburgenſis*; *Othonis* Junioris. Ac ſæpe cum non mitteretur pecunia, quotidianos & neceſſarios ſumptus ſuppeditavit. Inde adhuc debetur *Vito* tantum pecuniæ, quantum ex certis Syngraphis ipſe viro clariſſimo Genero tuo ſignificat. Nunc mortuo Duce *Othone* patre, confugimus ad te, & aulæ veſtræ conſiliarios, ac magnopere oramus, ut cum penſio in aula veſtra pendatur hæredibus Ducis *Othonis*, tuo conſilio & autoritate perficias, ut inde *Vito* ſolvatur. Quomodo res agenda ſit, vos pro veſtra prudentia optimè perſpicitis. Te autem oro, ut cum propter jus hoſpitii, & propter gratitudinem præceptori, & medico, & cuſtodi corporis fideli debitam, juſtiſſimum ſit *Vito* ſatisfieri, hanc cauſam adjuves tanquam patronus ſcholaſtici ordinis. Qualiſcunque miſeria eſt, tamen literarum ſtudia, & ſtudioſi vobis tuendi ſunt. Et libri noſtri, & vox multorum eruditorum in Eccleſiis veſtris teſtantur nos piæ & ſalutaris doctrinæ propagatores fuiſſe, & fore nos deinceps Deo juvante ſperamus. Bene & feliciter vale. Die Natali *Mariæ* Virginis, Anno Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono.

D. Baldaſaro Clammero S. D.

CLariſſime vir & patrone colende, Cum in magno dolore eſſem propter tuum luctum ingẽtem, & poſtea ad eum mœrorem acceſſiſſet mihi domeſticus luctus, propter meæ conjugis interitum, & procul hinc abeſſem in rixis odioſiſſimis impeditus ſum, quo minus ad te ſcriberem, quod facere cupiebam, non quod arbitrarer te conſilio à me juvari poſſe, ſed ut ſocietatem doloris oſtenderem. Erat omnino excellens in filio natura, ſed fato cedendum eſt, & petendum à Deo, ut Eccleſiam, politias, & honeſtas familias ipſe protegat, & ſervet. Spero autem te ſæpe colligentem mente conſolationum cauſas, jam ex aliquo intervallo aliquantulum acquieſcere, & toto pectore oro Filium Dei, quem rectè invocas, ut tibi dolores leniat, & te, & nos protegat ac ſervet. Nunc autem tibi & *Bernhardi Bomgartneri* petitionem, de qua ad Illuſtriſſ. Principem ſcripſi, commendo, & reverenter peto, nè viro integerrimo; qui tot annos utiliter docet, deſis. Bene vale. In Pentecoſte. Anno M. D. LVIII. Ep. 514.

Clariſſimo viro prudentiâ & eruditione præſtanti D. Ioachimo Mollero Iuris utriuſque Doctori, amico ſuo chariſſimo, S. D.

ET gratias ago Deo æterno Patri Domini noſtri *Ieſu Chriſti*, quòd te ſalvum & incolumem in *Germaniam* reduxit, & veris animi votis precor, ut tua ſtudia gubernet, ut tibi & Reipub. ſalutaria ſint. Veniam etiam mihi dari peto, quòd literis tuis amanter ſcriptis, quas ex *Italia* ad me miſiſti, non reſpondi. Nam etſi occupationibus etiam impedior, quo minus poſſim omnibus reſpondere: tamen eo rariùs in *Italiam* literas mitto, quia *Menſariorum* comperi magnam eſſe negligentiam in noſtris literis mittendis. Nunc utinam in *Germania* Deus talem det tranquillitatem, ut & tu ex ſtudiis tuis ſperatum fructum capere poſſis, & nos amicitiâ noſtrâ frui utrinq; poſſimus. Ac ſpero quidem Deum daturum eſſe aliqua hoſpitia tranquilla Eccleſiis ſuis. Salutem dicito viro doctiſſimo D. D. *Oldendorpio*. Bene & feliciter vale. Die *Salaminicæ* victoriæ, id eſt, XX. Auguſti. Ep. 515.

D. Ioachimo Mollero S. D.

CHariſſime *Ioachime*, Arbitror apud vos quoque multos honeſtos homines lugere *Lutheri* interitum. Nam eo extincto metuendum eſt & Eccleſiam & Politias plus habituras terribilium tumultuum. Mihi quidem hæc cogitanti dolor creſcit. Oremus igitur Deum æternum, Patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti*, ut Eccleſiæ reliquias & colligat & ſervet, nec ſinat in his regionibus fieri Ethnicas & Barbaricas σφαγὰς. Mitto tibi propoſitiones, quæ oſtendunt, quâ de re diſputetur in ripa *Danubii*. Heri ex aula mihi ſcriptum eſt allata eſſe *Ratiſbonam* quædam nova *Caroli* mandata, turbatura fortaſſe inchoatam diſputationem, quæ nam ſint, nondum ſcio, ſed hodie audiam. Salutem opto integerrimo Viro Patri tuo, fratri *Eberhardo*, D. *Æpino*, *Mathæo*, & aliis amicis. Bene vale. IX. Martii. Ep. 516.

D. Ioachimo

D. Ioachimo Mollero S. D.

Ep. 517. CHariſſime *Ioachime*, Meminiſti me ſæpè quaſi præſagientem has γιγαντομαχίας Principum, dicere: *Civitates bene moratas hoſpitia fore aliquanto poſt doctrinæ & Eccleſiarum, cum Principum oppida bellis vaſtata eſſent.* Itaque cum videamus initia, magnopere te & alios honeſtos Viros in Civitatibus adhortor, ut Eccleſiam & ſtudia literarum foveatis. Magno in dolore ſum aſpiciens parricidia cognatorum in his terris. *Macedo* dedit operam, ut ſedarentur hæc domeſtica bella, ſed vel fatum, vel Sycophantiæ vincunt bona conſilia. Quod pecuniam, quam mittere *tecum D. Chriſt. Pl. orgus* Eques debebat, curas numerari, gratias tibi ago, téque oro, ut beneficium perficias ac mandata des, ut *Vito Vuinshemio* numerentur 150. Ioach. illi, ſed ita, ſi hoc ſine damno veſtro fiet. Quod hoſpitium promittitis, certè expatiari ad vos decrevi. Salutem opto & integerrimis viris, tuo patri, & D. *Æpino*, & tuo fratri *Eberhardo*. Bene vale. In Epiphan is M. D. XLVII. Mitto *Somnii imaginem*. Non eſt fictum argumentum.

Imago Somnii.

AIacem *vidi ſtantem juvenilia membra,*
Qui fulvo indutus pelle leonis erat.
Fraxineamq; haſtam cum fortis dextra teneret,
Lævum ipſi clypei texerat umbo latus,
In quo magna boum dicuntur tergora ſeptem,
Artificis doctâ juncta fuiſſe manu.
Sed ſupra caput Ajacis *mons eminet altus,*
Floribus & læto gramine ubiq; virens.
Cujus in excelſo victor ſtat vertice Chriſtus,
Unicus æterno de genitore ſatus,
Signa gerens, reducem ſuperatâ morte triumphi
Qualia tunc comitum ferre caterva videt.
Hujus ſub pedibus mediôq; in monte Trophæum,
Angelica crux eſt aureâ fixa manu.
Multa quidem pavida ſimulacra fugacia mentes,
Quæ cæcâ volitant irrita nocte, vident.
Sed tamen hæc ſi non luſit fallacibus umbris,
Talia ſollicitos forſan imago monet.
Bella duces quamvis moverunt triſtia, ferro
Hei ſua crudeles viſcera jamq; petunt:
Et jam civili patria eſt polluta cruore,
Iuſtâque nos ſontes oppremit ira Dei.
Ut tamen in mediis laceratas naufragus undis,
Quæ ſupereſt tabulas colligit ipſe ſibi:
Sic aliquem eripiet cœtum de fluctibus iſtis,
Æterno Chriſtus *de genitore ſatus.*
Eſtq; inter dubios manſura Eccleſia motus,
Ut victor Chriſtus *montis in arce ſtetit.*
Flecte precor nobis iratum Chriſte *parentem,*
Qui vis pro nobis ſupplicis eſſe loco,
Et quam ſparſiſti prolatam è mente parentis,
Delere vocem ne patiare tuam.
Doctrinaq; tuæ ſtudium, parvámq; Sareptam
Doctrinæ hoſpitium protege quaſo tua.
Et placidam clemens nobis concedito pacem,
Túq; ducum mentes, tu populiq; regas.

D. Ioachimo Mollero S. D.

Ep. 518. CLariſſime *Ioachime*, Meminiſti veterem formulam, Inter bonos benè agier, id velim
A inter nos ſervari. Fide & diligentiâ *Viti Winſhe-*
mii perfectum eſt, ut pecunia nobis numerata
ſit. Mitto igitur ἀποχὴν, quâ teſtor me a viro in-
tegerrimo tuo patre pecuniam accepiſſe. Nolim
cuiquam damnum dare. Quare mihi ſignifica-
bis, an vos pecuniam acceperitis. Hæc cum ſcri-
berem, Elector *Saxonicus* obſidione *Lipſiam* cin-
xerat. Deus reddat piam & ſalutarem pacem
Germaniæ: *Joachimus Camerarius* familiam ad
Principem *Georgium Aſcanium* tranſvexit. Vos,
B quos in bene moratis civitatibus Deus colloca-
vit, retinete poſſeſſionem doctrinæ & diſcipli-
næ. Nam τῶν ἀρχόντων μανίαις ornamenta civilia
in ſuis regionibus valde labefactantur. Bene vale.
Die XI. Januarii. M. D. XLVII.

D. Ioachimo Mollero S. D.

CHariſſime *Joachime*, Hanc epiſtolam ſcripſi Ep. 519.
die tertio decimo Februarii, quo me tem-
C pus de pulcherrima Victoria *Maccabæi* admonet,
qui eo die ante annos M. DCC. XVII. *Nicano-*
rem, qui Templo ſuperbiſſimè minitatus fuerat,
acie vicit. Etſi autem gratias agere nunc quoque
pro defenſa Eccleſia Deo debemus, ac petere &
expectare defenſionem Eccleſiarum ac doctrinæ:
tamen magno in luctu ſum, propter Principum
deformitatem, qui diſſimillimi ſunt illorum for-
tium virorum, qui *Nicanorem* tunc vicerunt, cum
quidem nec diſſimilis cauſa ſit, nec inferior, quam
D illa, de qua *Maccabæus* præliabatur. Sed meas de
Principibus querelas multas meminiſti. Utinam
urbes benè moratæ felicius tueantur & Eccleſias
ſuas, & doctrinam, & diſciplinam, quod quidem
ſpero. Etſi enim nunc, poſtquam ignavia, ut mol-
liſſimè dicam, eorum, qui exercitum ad *Danu-*
bium duxerunt, ſuperbiam hoſtium auxit, in me-
tu ſunt civitates: tamen Deus hoc periculum gu-
bernabit, & reſpirandi ſpatium vobis concedet.
De *Carolo* Imperatore ſi quid habebis certius ſi-
E gnifica. Nobis nihil certi ſignificatum eſt, niſi
tumeſcere ejus corpus, neſcio quo morbo. Regi-
nam conjugem *Ferdinandi* mortuam eſſe, certum
eſt. *Turcicos* exercitus venire in *Pannonias* multi
adfirmant. Ad me ex *Pannoniis* exemplum lite-
rarum quæ ſcriptæ ſunt *Byzantii*, miſſum eſt.
Tuam epiſtolam hodiè mittam *Pontano*. Quod ite-
rum defers hoſpitium, gratias ago & patri & ti-
bi. Etſi doleo cœtum ſcholaſticum oppidi noſtri
diſſipatum eſſe, tamen eo lenitur dolor, quod
F multis locis jam in urbibus ſeminaria ſunt do-
ctrinæ, & ſcholæ frequentiores. *Brunſuiga*, *No-*
riberga, *Golsberga* exceperunt multos noſtri agmi-
nis exules. Veniam igitur aliquando ad vos, &
adjuvabo ſtudia ſcholæ veſtræ, quod longè ma-
lim facere, quàm inſulſis conſiliis aularum, in
quibus cum inſolentia & ſuperbia conjuncta eſt
ignavia, intereſſe. Libellum de defenſione tibi
mitto, in quo prior pars N. N. propria eſt. Alte-
ram ego attexui, ut libellus verecundam & erudi-
G tam diſputationem contineret. Nam ipſe tanquam
tuba claſſicum canens, atrociſſimis conviciis re-
liqua compleverat. Hanc mœſtam diſputationem
prudentibus lectoribus gratiorem fore judicavi.
Nec opus eſt claſſico noſtris ignavis bellatori-
bus. Ut *Græcè* dicitur: ὡς ἂν ἀκούσῃ σάλπιγγος.
Bene vale. Die decimo tertio Februarii, Anno
M. D. XLVII.

D. Ioachimo

D. Ioachimo Mollero S. D.

Ep. 520. CHariſſime *Joachime*, Virtutem patriæ tuæ & ipſe laude dignam eſſe judico, & laudari à viris honeſtis ubique audio. Oro autem Deum æternum Patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti*, ut defendat & veſtram urbem, & noſtram *Sareptam*, & adjuvet conſilia & virtutem tuorum civium. Niſi enim Dominus cuſtodiet civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Nunc profecto pericula creſcunt, & ἐνίτασις inſtat. Nam *Carolus* ipſe, quanquam ægrotus, tamen adducit exercitum. Veniſſe in *Bambergam* ſcimus; petiturum *Coburgum*. *Ferdinandeas* & *Mauritianas* copias non valde metuebamus. Sed Aquila fatalis eſſe Eccleſiæ ſolet, ut paulò ante natum *Chriſtum Ieroſolymam* aquilæ invectæ ſunt. Mihi ad publicos dolores domeſticus luctus accedit. Filia *Hama* in *Pruſſia* mortua eſt, & nunc mater tantis cruciatibus calculi conflictatur, ut de vita dubitemus. Deus leniat ac mitiget publicas & privatas miſerias. Bene vale. Tibi & fratri mitto pagellas. Salutem opto viro optimo tuo patri, & univerſæ familiæ, & *Hermanno* noſtro. Die VI. Aprilis.

Caſparum, qui præeſt *Myropolio* apud nos, virum integrum & doctum, & utiliter ſervientem Reipublicæ, tibi commendo. Venit iſtuc, ut emat res neceſſarias, quare & civibus tuis eum commendabis. Iterum vale.

D. Ioachimo Mollero S. D.

Ep. 521. CHariſſime *Ioachime*, Scis ex hiſtoria *Eſdræ*, quàm difficilis & quàm tarda fuerit inſtauratio templi *Solymorum*, cum exules ex *Babylone* reverſi eſſent. Ita video difficilem fore inſtaurationem Academiæ noſtræ, quam tamen ut Deus adjuvet, toto eum pectore oramus. Certè ſtudiis Eccleſiæ prodeſt ſervari hanc doctrinæ ſedem. Nunc deliberationes ſunt de tabulis noſtri naufragii colligendis. Ac voluntas Ducis non aliena eſt ab Academia. Sed ſcis in aulis περὶ χρημάτων ἵνα βραδέως σπεύδειν, καὶ ὥσπερ αὐτοὶ, κύνας μισοῦντας ὄντας καὶ καταλύειν πολεμίους ἔτι τῆς φιλοσοφίας. Reliquum vitæ meæ degere in urbe veſtra conſtitueram, ſi Deus ita voluiſſet, cum iter ad vos ſuſcepi. De conventu *Auguſtano* adhuc ſilentium eſt. Sed illud ſcito præſidia in *Suevicis* urbibus rurſus in ſex menſes conducta eſſe. Omnino in ea *Germaniæ* ora nova bella brevi ſecutura eſſe arbitror. Literas à te expecto, vel te ipſum. Bene vale. *Witebergæ* die *Laurentii*. Mitto tibi Pſalmi exemplum. Salutem opto viro integerrimo tuo patri, fratri, & D. *Æpino*.

D. Ioachimo Mollero S. D.

Ep. 522. CHariſſime *Ioachime*, *Miſericordia Domini, quòd non conſumpti ſumus*, inquit *Ieremias*. Servat & ſervabit, ut ſpero, nunc quoque reliquias Eccleſiæ ſuæ Deus, etſi nos omnes interim caſtigat, ut de juſtiſſima ira ſua adverſus peccata, ſecuros & temulentos admoneat. Nunc redii in noſtros
857. nidulos, ut deliberemus de Academiæ tabulis velut ex naufragio colligendis. Deus hæc conſilia adjuvet. Eram in itinere ad te iturus, ſed Dux *Franciſcus Luneburgenſis* movit meum co-
A mitatum, ut regrederemur. Gratiam autem & tibi, & patri tuo optimo habeo, quòd me toties amanter invitaſtis. Et vobiſcum eſſe me optarim, ἐν μέμφομαι ὅτι μεγάλην ἐγένετο, ἀμφίλαμμα γὰρ ἡ συμμαχία κατασκευασθεῖσα ἐγένετο, ut ſæpè queſti ſumus in noſtris colloquiis. *Carolus* Imperator conventum indixit, ut ſcis, cujus magna eſt expectatio. Principes captivi præmiſſi ſunt in *Sueviam*. Illud etiam aiunt magnam contentionem de Synodo *Tridentina* eſſe *Carolo* Imperatori cum *Roma-*
B *no* antiſtite, ac ſcripſiſſe *Carolum Romano* antiſtiti viam ſibi ad urbem *Romam* notam eſſe. Bene & feliciter vale. Deus & patrem, & te, & fratres ſervet incolumes. *Paulus* noſter ſalutem vobis omnibus optat. *Witebergæ*. Poſtridiè *Iacobi*.

Quæſo ſcribas ſæpiùs, poterit enim *Medlerus* mihi literas mittere.

D. Ioachimo Mollero S. D.

C CLariſſime vir & amice chariſſime, Venit huc ſubitò *Aſcanius* deliberaturus nobiſcum de *Sphinge Auguſtana*. Ideo non potui prolixè ſcribere. Tibi pro perpetua fide & benevolentia gratias ago. Et niſi me caſus aliquis oppreſſerit, ſpero me ad vos venturum eſſe. Adhuc Eccleſia & Academia ſonant eandem vocem Euangelii, quam audiviſti. Sed mihi vicinus valde iraſcitur, qui quidem nè ſuorum voluntates magis alienet, te- Ep. 523.
D verſus juſſit doceri ut hactenus. In agro *Sleſiaco* non procul à *Gorlicio* ſanguis copiosè ex ſpicis profluxit cum demeterentur. Civi veſtro machinas puto monſtratas eſſe. Bene vale.

D. Ioachimo Mollero S. D.

CHariſſime *Ioachime*, *Carolum* Imperatorem conſtat ex *Ulma Spiram* profectum eſſe, quo ex Ep. 524.
Ulma eduxit vinctos compedibus, viros doctos &
E pios Eccleſiæ *Ulmenſis* concionatores aliquot. Exercitum *Caroli* antecedit Judex rerum capitalium, quem comitantur captivi, & Princeps captivus. O triſte ſpectaculum! Mihi ſæpè in mentem venit dicti, *Et cum iniquis reputatus eſt*. Te nunc *Spiræ* non eſſe gaudeo, quanto enim dolore adficereris, & intuens captivorum agmen, & audiens ſapientum ſarcaſmos. Mihi ſignificant quidam de me quoque capiendo ſermones eſſe. Ac moveor non ſolùm horum indicatione, ſed etiam exem-
F plo *Ulmenſium* amicorum. *Noribergenſis* ſenatus, ut videatur parere aliqua ex parte libro, de tribus rebus edicta propoſuit, ut plures feriæ obſerventur, ut jejunia quædam obſerventur, & ut privata abſolutio petatur, id tertium probo. Et ſcio coactos eſſe concionatores multò antè, ut reſtituerent eum morem Eccleſiæ valde utilem. Nunc dicunt ſe plura non addituros eſſe. Reſcribas quæſo, & ſignifices τὰ κυριώτατα συλλόγου τέλειον. Mitto pagellas tibi, & D. *Æpino*. Bene vale. Die
G III. Septembris. Salutem opto viro integerrimo patri tuo, & toti familiæ.

D. Ioachimo Mollero S. D.

CLariſſime *Ioachime*, Reditum in patriam & Ep. 525.
tibi & patri viro optimo gratulor, ac patris

conſilium de te revocando probo. Nondum enim A
illa *Amphyſtionica* curia conſtituetur. Sed prius
bellum vel ad *Rhenum*, vel in ora littoris *Baltici*
erit, ac jam in *Belgico* exercitus ideo conſcripti
dicuntur, ut ad *Viſurgim* adducantur. Etſi autem in titulo pingit, *Plus Vltra*, hic noſtræ ætatis *Vlyſſes*, tamen fata metas conſtituerunt. Et quidem ſignificant, non everſurum eſſe hoſpitia Eccleſiarum in illa ora *Baltici* littoris. Oro autem Deum ut nos gubernet, & reliquias Eccleſiæ ſervet. In noſtris Eccleſiis, & in Academia, B
Dei beneficio, vox Euangelii ſonat incorrupta, ut ante bellum. Ac nuper in conventu gentis *Myſorum* cum deliberatio eſſet de corruptelis doctrinæ, quas meminiſti à nobis *Ratisbonæ* refutari, honeſtæ & piæ ſententiæ ab omnibus ordinibus dictæ ſunt, nè Eccleſiæ harum regionum turbarentur. Sed urget vicinus, qui alioqui *Homerico Margite* ignavior eſt, ut mittantur mandata, quæ cogant, ut illa ſtatua Regis *Babylonici* adoretur.
Nos communi conſilio brevem deliberationem C
exhibuimus, & noſtra pericula Deo commendamus, nec timiditas moderationis cauſa eſt. Sed quòd ſperamus hoc modo plus profici poſſe. Et tamen omnia Eccleſiis harum regionum neceſſaria complexi ſumus. Omnino grandiore ſono cauſa paulo poſt agetur. Sed optarim alicubi noſtrarum Eccleſiarum doctores de omnibus rebus prius poſſe colloqui. Mitto tibi pagellas, téque oro ut reſcribas. Salutem opto & viro optimo patri tuo, & fratribus, & D. *Æpino*. De fratre huc mittendo ex- D
pectandam eſſe hyemem cenſeo. Bene & feliciter vale. Die XV. Julii.

D. Ioachimo Mollero S. D.

Ep. 526. TUeamur etiam hoc literarum officio conjunctionem noſtram, ut minus videatur eſſe diſſidiorum. Primùm autem oro Filium Dei Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut
te in conſiliis reipublicæ, ad quæ ſignificas te voca- E
tum eſſe, gubernet, ac ſpero ipſi curæ eſſe, & fore ſuos cœtus. Sicut *Irenæus* inquit: *Semper adfuit generi humano Filius Dei, ut videlicet Eccleſiam inter tumultus Imperiorum cuſtodiret.* Ac diſcamus & Eccleſiam, & nos in Eccleſia non humanis tantis conſiliis ſervari, ſed à filio Dei cuſtodiri. De *Tielmanno* ſcias me nihil unquam ſcripſiſſe præter proximas literas, quas ad Senatum miſimus, cum quidem ipſe ſatis blandè ad paſtorem Eccleſiæ no-
ſtræ ſcripſiſſet. Quod autem in ea epiſtola mentio F
ſit reſponſi, in quo ſit explicata quæſtio de deſcenſu ad inferos, id fuit ante biennium à paſtore ſcriptum, ac miſſum ad Academiam *Griphſwaldenſem*, non ad paſtores *Hamburgenſes*. Erravit igitur paſtor cum literas proximas ad ſenatum ſcriberemus, quas cum miſiſſet, re diligentiùs cogitatâ, poſtea primùm agnovit errorem. De cauſa non volui pronunciare, meíq; conſilii reſponſionem tibi
coram mallem narrare. Et fuit ſervandum illud: G
μηδ᾽ εἴκων ὀκνήσειε, πρὶν ἐμοὶ μῦθον ἐνισπεῖν. Ea, quæ de republica nunc ferebantur, incluſi pagellæ, quam addidi his literis, quam potes & aliis amicis oſtendere. Salutem opto honeſtiſſimo viro patri tuo, & toti familiæ: fratris ſtudia ut rectè inſtituantur, curabo. De menſa etiam tempus in conſilium adhibebimus. Bene & feliciter vale. XXI. Octob.

D. Ioachimo Mollero S. D.

CHariſſime *Joachime*, Scio tibi notas & cogitatas eſſe laudes veras & præcipuas conjugii. Ep. 527.
Ideo ſum brevior, præſertim cum valde occupatus ſim. Illam tamen laudationem ſæpè nunc recito. Inſtituit Deus certum ordinem generationi, & metas nobis circumdedit, ut intellectus caſtitatis ſit in genere humano. Vult enim Deus hoc à nobis ſciri, ſeſe mentem caſtam eſſe, & horribiliter vagas libidines, & ſeminum confuſionem odiſſe, & cogitatione caſtitatis diſcerni vult ab omnibus naturis inceſtis & impuris. Hæc quotidiè in invocatione cogito, diſcernens Deum à Diabolis, & aliis naturis immundis, eadémque te cogitare volo in precatione, ſcis enim & hoc fœdus conjugale caſtitatem eſſe. Erit tibi vitæ genus jucundius, cum & hanc cauſam inter cæteras conſiderabis, Cur Deus hæc vincula generationi addiderit. Oro autem toto pectore hunc ipſum Deum, æternum Patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti*, conditorem generis humani, bonum, juſtum, caſtum, veracem, ut te & ſponſam ſervet incolumes, & faciat ut conjugium veſtrum ſit vobis fauſtum, felix, tranquillum, fœcundum, & tuo patri & ſocero jucundum, utque tua Eccleſia domeſtica tranquillis mentibus Deum invocet. Sponſæ hoc parvum munuſculum meo nomine exhibebis, & addes αὐτῷ φίλημα. De Republica ſcripſi κεφαλαιωδέστατα, in pagella, quam addidi. In Eccleſiis noſtris, Dei beneficio, nondum ulla mutatio facta eſt. Nec quiſquam adſenſit, ut aliquid recipiatur, quod pugnat cum Euangelio. Putant quidam poſſe retineri pacem, ſi qua adiaphora, ut veſtitus aut feriarum & concionum ordo, recipiantur. De his non pugnavimus unquam. Sed adverſarii poſtulabunt longè alia, αὐτοὺς αὐτοκράτορας ἀλλὰ περὶ λειτουργίας, Canonem principale punctum eſſe, quod poſtulet. In conventu *Lipſico* Nobilitas dixit pias & graves ſententias, ἀλλ᾽ ἐγὼ δύο φοβοῦμαι, περίεργά τινα σοφίσματα, quæ res, quomodo acta ſit, id ut *Ariſtoteles* dicebat, οὐκ ἐστὶν ἐπιστημονικὸν δόγμα. Sed ut ſpero, ἐν ταράξει τὴν ἐκκλησίαν. Alia arcana conſilia agitari audio, ut vos & nos pariter arma cogamur, nè novis illis legibus adverſari poſſimus. Imperatorem aiunt & *Sabaudiam* à *Bernatibus* repetere. Ea erit ἀρχὴ belli *Helvetici*, quod ei non difficile futurum putant, quia jam ſibi adjunxit addictos doctrinæ Pontificiæ. Heri à *Bucero* literas accepi, quæ narrant nondum factam eſſe mutationem Eccleſiæ *Argentoratenſis*, ſed dubitat, quid futurum ſit, etſi populi piam voluntatem eſſe ſcribit. Miſit eruditam refutationem *Sphingis Auguſtanæ*, ſcriptam à *Calvino*. Rex *Ferdinandus Pragam* venit, ubi nunc ſunt deliberationes de *Sileſia*, *Myſia*, *Saxonia*. Filium Dei Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum* oremus, ut nos gubernet, & ſervet. Bene vale. IV. Februarii. Colloquamur per literas ſæpè, donec poſſumus.

D. Ioachimo Mollero S. D.

CLariſſime vir & amice chariſſime, Filius Dei Dominus noſter *Jeſus Chriſtus*, qui dixit, *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis*, ſervet honeſtiſſimum patrem tuum, & te, & fratres, ac familias veſtras. Ep. 528.

veſtras. Fratris *Henrici* natura eſt, & egregia ad A virtutem & ad doctrinæ ſtudia, & exiſtimo ei profuiſſe hujus Academiæ ἀκροάσεων. De Republ. certum eſt nullos bellorum adparatus eſſe in hac noſtra vicinia. *Albertus Marchio* collegerat equites trecentos, ſed hos rurſus dimiſit. Nec Imperatorem exiſtimant moturum eſſe bellum *Saxonicum*, etſi nec *Italicis*, nec *Gallicis* rebus impeditur. Sed fata eum ſua regunt. Si quid autem erit in *Saxonia* bellum, initium erit furor *Lycaonis*, qui civitatem optimè moratam injuſtiſſimè irritat. B Moveor cogitatione multarum rerum, ut impendere magnos tumultus exiſtimem, cumulantur hominum peccata, & furores, καὶ τῶν διδασκάλων διχονοίας, & nova prodigia ſubindè nunciantur. Nuper in urbe *Northuſa* infans in utero horrendum vagitum clarè edidit. Oremus autem Filium Dei, ut ſervet reliquias Eccleſiæ ſuæ, & ſtudia doctrinæ non ſinat extingui. Vos quoque qui conſiliis publicis intereſtis, ſtudia doctrinæ, ubi poteſtis juvate. In Academia noſtra Dei beneficio, & C vox doctrinæ eadem eſt, quam audiviſti, & in Eccleſia ritus iidem. Et ſervimus vicinis Eccleſiis mediocri aſſiduitate, ac oramus Deum, ut nos adjuvet, ita res ipſa refutat calumnias, quas ſpargit *Flacius*. Et cum abſolvero eas operas, quas nunc in manibus habeo, edam & ipſe refutationem. Te orò, ut amicitiæ noſtræ memor ſis. Pro muneribus miſſis filio & filiæ, meo & ipſorum nomine tibi gratias ago. Bene & feliciter vale. Die Cœnæ Filii Dei in *Bethania*, ubi effudit mulier un- D guentum in pedes Filii Dei πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι αὐτ., ut inquit: Utinam pedibus Filii Dei non durteſſent nunc gubernatores & alii florentes potentiâ.

D. Ioachimo Mollero S. D.

Ep. 529. CLariſſime vir & chariſſime frater, Et hæc mundi ſenecta imbecillior eſt, quàm fuit illa aurea vel argentea ætas, quæ anteceſſit. Et Diabolus magis furit ſentiens propè inſtare diem hor- E rendi judicii, in quo coram omnibus angelis & hominibus ejus tetra illuvies ſcelerum retegetur, & totum illud agmen impiorum in æternas pœnas abjicietur. Et urgent genus humanum nunc ſuperiorum temporum, & noſtri temporis peccata. Ideo creſcere calamitates non miremur, ſed de cauſis cogitemus, & ſciamus tamen Filium Dei ſervaturum eſſe reliquias Eccleſiæ ſuæ. Nunc graſſatur iſtic *Lycaon*, aliquanto poſt metuo *Turcicos* exercitus in his ipſis regionibus vagaturos eſſe. qui e- F tiamſi majores vaſtitates facient, tamen Deus Eccleſiam ſuam non ſinet funditùs deleri. Nunc quoq; *Budæ* in *Pannonia*, Eccleſia puram Evangelii vocem audit magna frequentia, & habet Halcyonia. Idem fit in multis aliis *Pannoniæ* urbibus. De *Saxonico* bello, quod multa prodigia, & non obſcuræ aſtrorum ſignificationes denunciârunt, eandem retineo opinionem, quam ante annos aliquot habui, νικήσειν εἰς ἀριστοκρατίας, etiamſi non fiet res tanta ſine ſanguine & ſine magnis certamini- G bus. Oro autem Deum toto pectore, ut ipſe clementer tantos motus guberner, & pœnas mitiget. Apud nos adhuc ſunt Halcyonia. Sed conventus *Auguſtanus* pariet edicta, quæ novas diſſipationes efficient. *Mediolani* magni fiunt adparatus ad excipiendum *Carolum* Imperatorem cum filio. Et aiunt hoc jam acturum eſſe Imperatorem, ut filium creet *Mediolani* Ducem. & *Mediolani* ducatus, & regnum *Neapolitanum* det jusjurandum filio, ſe præſente. Nec opinor eum pluris facere bellum *Saxonicum*, quàm hæc ſua negotia. De Republica nihil habebam, præter hoc εἰδύλλιον. Nunc cogor refutare calumnias, quas vicini noſtri ſpargunt, profectò injuſte, mutilatis etiam hiſtoriis, quas edunt. Mitto tibi proximè recitatam orationem. Socero tuo & veſtris Eccleſiis domeſticis & publicis rebus ſalutem opto. Bene & feliciter vale. Die III. Septembris.

D. Ioachimo Mollero S. D.

ET amore tuo delector, & hâc voluntatis ſigni- Ep. 530. ficatione in qua ſcribis te hæc literarum colloquia non omiſſurum eſſe. Scribam & ego, quoties erit occaſio. In vicina *Parthenope*, comites novos hoſpites audio quietos eſſe. Veſter vicinus *Lycaon* erit ἀνάστατος τῆς πατρίδος, ἀλλὰ τῆς ἀδελφότητος διὰ ἐκκλησίας. Deus erit cuſtos ſuæ Eccleſiæ. Mitto tibi pagellas, in quibus eſt Pſalmus de Eccleſia: *Quàm dilecta tabernacula!* Ideo & à Principe tuo eum legi volo. Bene & feliciter vale. Die viceſimo octavo Junii, quo ante an. M.DCCC LXXIII. *Alexander Macedo* mortuus eſt, de quo cogitantes, Deo gratias agamus, qui nos fecit Eccleſiæ ſuæ cives. Ille hoc tantum beneficium adſpernatus eſt, cum tamen fateretur ſe vocatum in *Aſiam* illâ ſpecie ſummi ſacerdotis populi *Iſrael*, ut eum audiret.

D. Ioachimo Mollero S. D.

CLariſſime vir & amice chariſſime, Hiſtoriæ Ep. 531. vicinorum tumultuum tibi non ſunt ignotæ. Ideo de eis nihil ſcribo, ſed doleo non curare civitates illam *Adraſti* admonitionem, ἔχει γὰρ καλ- ωγλῶ δὶς μὲν πίπτειν, τίνειν δὲ πρὸς τέλος. Sed fatales ſunt tales diſtractiones & deſertiones, cum pœnæ impendent, quas ut Deus mitiget, toto eum pectore oro. Nec verò dubito ſervaturum eſſe reliquias Eccleſiæ ſuæ etiam in his regionibus. Hâc ſpe magis læteris tibi filiolum natum eſſe, gaudeo & patris tui causâ, & ſoceri, & tuâ causâ, & illos & te videre & amplecti filium ex te natum, & in fronte & genis paternâ στοργῇ baſiola figentes, cogitare de στοργῇ in Deo erga nos. Commendo tibi *Joachimum Nicium*, qui modeſtè apud nos vixit, & aliquoties mihi ſua ſcripta exhibuit. Editur hic enarratio brevis in Eccleſiaſten, qui omnibus in gubernatione præſertim familiariſſimè notus eſſe debet, quem decrevi tibi dedicare. Bene vale. Die *Matthæi*.

D. Ioachimo Mollero S. D.

CLariſſime vir & amice chariſſime, Et prodigia Ep. 532. multa, & diri poſitus aſtrorum denunciârunt his regionibus hoc toto biennio magnos motus, quos ut Deus propter Filium leniat Eccleſiæ, toto eum pectore oro. Belli moles transfertur in hæc loca nobis propiora. Tantiſper autem dum colloqui poſſumus, quæſo ut ad me ſcribas. Me ſi quis caſus oppreſſerit, hæc conſcientia leniet mihi dolorem, quod me ſcio doctrinam utilem tradidiſſe juventuti, cum magna eſſet opinionum confuſio. Te ſpero noſtræ amicitiæ memorem fore. Mitto tibi

vocantur homines idonei ad docendum Euangelii doctrinam, permittente Rege. Præter hæc nihil habebam dignum literis. Bene vale & reſcribe, quoties eſt occaſio. Nec meum in hoc genere officium tibi deerit. Die XVIII. Maii. Salutem opto viro clariſſimo ſocero tuo & vobis omnibus.

D. Ioachimo Mollero S. D.

Ep. 538. CLariſſime vir et amice chariſſime, Et prædixit Filius Dei ſuâ voce, majores imperiorum confuſiones in hac ultima mundi ſenecta futuras eſſe, et conſolationes nobis propoſuit, quæ tibi non ignotæ ſunt, quæ adfirmant Deum et Eccleſiam et aliqua Eccleſiæ hoſpitia ſervaturum eſſe. Et in his ipſis miſeriis utile eſt nos, qui veram doctrinam didicimus, conjunctionem noſtram tueri. Erit igitur perpetua erga te benevolentia mea, et te in amicitia noſtra conſtantiam viro docto & gravi dignam præſtare ſemper animadverti. Quare nunc quoque te orandum eſſe duxi, ut noſtra cauſa negotium ſuſcipias, quod etſi propter temporum calamitates aliquid habet difficultatis: tamen cum cauſa juſta ſit, ſperamus ſocerum tuum, virum clariſſimum et integerrimum perfecturum eſſe, ut juſta obtineamus. Intelleximus Ducem *Luneburgenſem Otthonem* deceſſiſſe, et pecuniam debitam *Vito Winſhemio*, commodiſſimè peti poſſe, per Clariſſimum Virum D. Cancellarium ſocerum tuum et conſiliarios aulæ veſtræ. A quibus autem petenda, et unde ſumenda ſit, et quomodo tota res agenda, vos iſto in loco melius ſcire, quàm nos neceſſe eſt. Sed optaremus ſolvi ex penſione, quæ in Aula veſtra hæredibus Ducis *Otthonis* penditur. Scis fidem in docendo & regendo adoleſcente Principe, egregiam in *Vito* fuiſſe, quod etiam res ipſa oſtendit. Nam adoleſcens *Latinè* loqui et ſcribere, exiguo tempore didicit. Et cum ſæpè non mitteretur pecunia, quotidiani et neceſſarii ſumptus ex *Viti* pecunia ſuppeditati ſunt. Juſtiſſimum eſt autem hoſpiti et præceptori debitum pendere. Quare te oro, et propter cauſæ æquitatem, et propter amicitiam noſtram, et hæc noſtra ſtudia, ut quantum poteſtis conſilio et autoritate ſocer tuus et tu, et alii, quos ad hanc cauſam adjungere poteris, perficiatis, ut *Vito*, vel jam ſolvatur, vel certum tempus ſolutioni conſtituatur. Credò multis deberi, ſed honeſtas cauſas eſſe vides cur multis aliis *Vitus* anteferatur: jus hoſpitii, gratiam fideli præceptori, Medico, et cuſtodi corporis debitam. Non dubito à te vere diligi, quod oſtendere te et in hac cauſa volo, ut *Vitus* intelligat mihi res ſuas curæ eſſe, et aliquem ex noſtra amicitia fructum capiat. Mitto tibi pagellas, ut ſoleo. Studia doctrinæ, Dei beneficio, mediocriter hic florent, et nulla doctrinæ aut rituum mutatio facta eſt. Scire te opinor *Moguntinum* ſuffraganeum, ut vocant, accerſitum eſſe, ut fiat *Merſburgenſis* Epiſcopus. Hic φωνασκοτραγῳδὸς, (ut *Homerica* adpellatione eum deſcribam, cum quidem *Sidonius* dici velit) multa tentabit, ut harum Eccleſiarum ſtatum turbet. Sed orabimus Filium Dei, ut tales præſtigiatores reprimat. Bene et feliciter vale. Die natali *Mariæ*. Frater tuus, Dei beneficio, rectè valet et diſcit. *Vitus* feliciter ei medicatus eſt, cum febri laboraret. Iterum vale.

D. Ioachimo Mollero S. D.

CLariſſime vir, et chariſſime frater, Hodie ad fratrem tuum *Henricum*, virum excellentem ingenio et gravitate, ſcripſi et de Academia et de pace ſeu Halcyoniis, ſi ita voles nominare. Lectores Academiæ ſeceſſerunt *Torgam*, et contagia lnia in oppido *Witeberga* adhuc impediunt reditum noſtrum, etſi ego hæc *Witeberga* jam ſcribo. Nunc in ædibus Reverendi D. *Paſtoris*, filiola filiæ ipſius ægrotare ex his contagiis cœpit. Ac ſiderum poſitus magis minitatur nobiſ in Octobri et Novembri. Poſt brumam ſpero aërem ſalubriorem fore. Περὶ ὑγείας δὲ, etſi diſſimilia ſunt hominum judicia et diſſimiles voluntates: tamen gaudeo in his regionibus mediocria Halcyonia eſſe, et expectatur *Wimariæ* reditus Ducis *Iohannis Friderici*. Rectiùs etiam exiſtimo noſtrum Electorem *Saxoniæ* bellum gerere in *Pannonia*, quam in patria. Ac profectò omnes viros fortes ad reprimendam impiam barbariem *Turcicam* concurrere oportebat. Res enim oſtendit verum eſſe illud *Euripideum*, μιᾶς χειρὸς ἀσθενὴς μάχη. Recens enim trucidatus eſt non exiguus numerus *Germanicorum* equitum in *Pannonia*, quos duxit *Fabianus Schoneich*, vir ingenioſus, qui tamen arte à *Turcis* deceptus eſt. Pars *Turcici* exercitus principium pugnæ fecit, et ſimulatione fugæ traxit noſtrum exercitum ad oppidum, in quo pars alia latebat, cum noſtri oppidum prætervecti eſſent, erumpunt hoſtes ex oppido, ita circumventi noſtri utrinque cæſi ſunt. Nunc Dux *Mauricius*, quod fauſtum et fœlix ſit, in *Pannoniam* profectus eſt. Legi formulam pacis, et mihi totam illam pacificationem recitavit vir ſapiens et integer *Zitzeldicius Pomeranus*, qui deliberationibus illis interfuit. Promiſſa eſt liberatio *Landgravii Heſſiaci*. De Eccleſiis noſtris adſentiuntur Imper. et frater, ut nulla contra eas edicta proponantur, nec cogantur recipere τὴν σφίγγα, quam nominant *Interim*. Volunt autem deliberari in proximo conventu de nationali Synodo. Poſtea ſunt additi articuli de judicio *Cameræ*, et de quibuſdam Principibus, et equitibus proſcriptis, qui reſtituuntur. Hæc fere præcipua capita ſunt. Ita pax eſt inter Imperat. Regem *Ferdinandum*, Ducem *Mauritium*, Ducem *Megalburgenſem*, *Ioh. Albertum* & *Heſſiacos*. *Marchio Albertus* adſentiri illi formulæ pacis noluit. Is poſtea diripuit *Moguntiam*, & duxit exercitum in ditionem Epiſcopi *Treverici*. *Gallicus* exercitus hactenus in *Lucelburgenſi* regione commoratus eſt, & nihil ἀξιόλογον egit. Ubi nunc ſit non ſcio. Sed initio judicavi mirabilem χίμαιραν eſſe horum diſſimillimorum conjunctionem. Oremus Filium Dei, ut ſervet reliquias Eccleſiæ ſuæ, & leniat calamitates publicas, & privatas. Mitto tibi pagellas, quarum lectionem tibi & ſocero ſpero non inſuavem fore. Bene vale. VII. Die Septembris. *Witebergæ*. Salutem vobis omnibus opto. Ep. 539.

D. Ioachimo Mollero S. D.

CLariſſime vir, & chariſſime frater, Etſi tabellario veſtro cum *Dreſdam* iret, epiſtolam ad te ſcriptam dedi: tamen poſtea cum in reditu rurſus meus hoſpes eſſet, addidi & has literas, quia jam Ep. 540.

D. Ioachimo Mollero S. D.

Ep. 545. CLariſſime vir, & chariſſime frater, Nihil dulcius eſt fratre, qui non ſolùm propter ſanguinis cognationem, ſed etiam propter virtutem & conſenſum de rebus bonis diligitur. Talis cum ſit in te & fratre amor, virtutis in utroque ſimilitudine confirmatus, ſpero vobis congreſſum veſtrum jucundum fore: & ut ſit vobis voluptati, faciat Deus, qui & condidit στοργὴν in natura hominum, & delectatur fratrum conjunctione. De publicis negotiis nihil ſcribere poſſum, niſi adhuc me viciniam veſtram metuere. *Coloniæ* in feſto Magorum mulieres impiè concionantem ſacrificulum ex templo ejecerunt ſcabellis, & vulnerârunt. Quid poſtea acciderit nondum ſcio, ſed impudentia ſcurrarum, qui non deſinunt manifeſtam veritatem oppugnare, tandem irritabit etiam eos, qui à nobis alieniores fuerunt. Bene & fœliciter vale. Die XVIII. Februarii.

D. Ioachimo Mollero S. D.

Ep. 546. DEI beneficio, in fratre *Theodorico* & naturâ eſt doctrinæ capax, & morum moderatio verè ἰδίως, in qua & agnoſcere poſſis doctrina ſuavitatem effici. Sic procedit in ſtudio Juris, ut ſperem eum Reipub. Deo juvante uſui fore. De Academia alia adeunda mihi hoc in mentem venit: cum neque *Lipſiæ*, neque hic aſſiduitatem præſtent lectores, & jam *Gribaldus* Juriſconſultus *Patavinus Tubingæ* doceat, dimiſſus à ſenatu *Veneto*, quòd oſtendit ſe non abhorrere à doctrina noſtrarum Eccleſiarum, profuturum eſſe fratri, ſi audiet eo in loco *Gribaldum*, & alios, qui magis aſſiduè docent, quàm noſtri. Poſſet etiam ex *Tubinga* interdum expatiari *Spiram* ad videndum judicium *Amphyctionicum*, & ad vicinam Academiam *Heidelbergenſem*, & ejus aulæ judicia. Expectabit autem tuum conſilium. Frater *Henricus* ex *Auguſta* mihi ſcripſit de ſuo itinere, decrevit illam *Germaniæ* oram videre. Si huc venerit adoleſcens de quo ſcribis, non deerunt ei mea officia. Mitto vobis pagellas, in quibus ſunt origines gentium annotatæ. Eam lectionem ſpero tibi non inſuavem fore. Bene vale. Salutem ſocero & vobis omnibus opto. XXIV. Julii. M. D. LV.

D. Ioachimo Mollero S. D.

Ep. 547. CLariſſime vir, & chariſſime frater, Non ſolùm meâ causâ delector benevolentiâ erga me tuâ, ſed etiam Eccleſiæ causâ multos noſtri ordinis viros unum eſſe in Deo, & conſtantiam virtutis tuæ probo. Fruemur autem amicitiâ noſtrâ dulcius in illa æterna conſuetudine. Quid enim eſt hoc breve curriculum hujus vitæ? Sed tamen interea propter communem ſalutem conferamus conſilia, operas & vota ad Filium Dei. Pericula venientis anni multa metuo. *Turci* in *Pannoniam* novas copias mittunt, & filium *Iohannis* profectum eſſe *Bizantium* narrant. Sed domeſtica propiora ſunt. Colliguntur rurſus equites τῷ Ἀχιλλέως γερμανικῷ ἀπογόνῳ. Hæc tibi notiora eſſe arbitror, quàm nobis. Doctrinæ ſtudia, Dei beneficio, mediocria ſunt in his Academiis. Et conſenſus eſt omnium Academiarum inde uſque à jugis *Turingicis* ad inſulas

A *Danicas*, etſi vagantur privatim aliqui, qui vel *Serveticas* reliquias, vel alia deliramenta circumferunt, adverſus quos conſenſum Academiarum æternum eſſe opto. Clariſſimo viro tuo ſocero & toti veſtræ Eccleſiæ ſalutem opto. Bene vale. Die *Matthiæ*. Anno M. D. LVI.

D. Ioachimo Mollero S. D.

B IN *Henrico* fratre tuo & natura recta eſt, & non ſolum eruditione mens exculta eſt, ſed etiam luce Filii Dei regitur, eúmque ſpero Eccleſiæ uſui atque ornamento fore. Quare & valde eum diligo, & ad Eccleſiæ certamina, quæ & nunc ſunt magna, & impendent majora, præparari eum velim. Nobis hic aliquanto poſt opus erit aliis lectoribus. In ea deliberatione de ipſo quoque cogitare decrevi, ſi vivam. Nunc offertur ei adoleſcentum *Naſſavienſium* gubernatio, qui in *Galliam* mittentur. Niſi patrem ſenem *Guilhelmum* Ep. 548.
C ſcirem virum integerrimum eſſe, diſſuaderem *Henrico* hanc aulicam militiam, ſed patrem & te adhibere in conſilium voluimus. Quare nobis veſtram ſententiam ſignificabis. Oro autem Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, ut conſilia veſtra & noſtra gubernet.

Σύμβουλον ἀγαθὸν, καὶ ἀρωγὸν, εὐτυχίας τε
Συμβουλευτὰ ἐμοὶ δὸς πατρὸς ἀΐδιε.

Bene & feliciter vale, & reſcribe. Die XXVI.
D Octob.

D. Ioachimo Wallero S. D.

CLariſſime vir, & chariſſime frater, Nuper faſciculum literarum *Henrici* fratris dedi doctori *Paulo* ab *Eitzen*, cum nobiſcum eſſet. Poſt eas literas nihil ab *Henrico* accepi, ſed expecto ab eo literas quotidie. Nunc ad vos mitto orationem de Duce *Erneſto*, optimo Principe, quæ etſi multò eſt tenuior, quàm vellem: tamen oſtendit ſtudium Ep. 549.
E noſtrum, & pleniorem edere cupio, quam ad rem velim nobis facta & decreta aliqua inſignia Ducis *Erneſti* mitti. Et tales commemorationes utiliores ſunt juventuti, quàm Satyræ & σκωμολογίας, quales nunc ſcribuntur à multis, qui paſſim κερτομίας cient. Te oro, ut mihi reſcribas. Paxmannum commendabis & ſocero & Principibus. Salutem opto & ſocero, & vobis omnibus. Datæ die Verni æquinoctii. Bene vale.

F *D. Ioachimo Mollero* S. D.

CLariſſime vir, & chariſſime frater, Scis Deum Ep. 550.
utrumque mirandâ ſapientiâ & ordinâſſe & præcepiſſe, ut & doleamus orbatis parentibus aut natis, & tamen dolorem moderemur, cogitantes & obediendum eſſe voluntati Dei, & in Deo acquieſcendum eſſe. Non ſumus ii, qui hæc caſu fieri putant, & non reſtare aliam dulciorem conſuetudinem exiſtimant. Quare etſi doles naturali
G στοργῇ, qui patre viro optimo, & qui te & fratres optima diſcere voluit, orbatus es: tamen iis cauſis mœſtitiam lenito, quas ex doctrina Filii Dei didiciſti. Poſtea accedunt & aliæ vulgares cauſæ, quæ etiam deſiderium minuunt. Qualis nunc eſt Reſpublica? cui ſeni ſapienti non adferat vitæ tædium confuſio, & Eccleſiarum & Imperiorum, de qua ſcriptum eſt, *Iuſtus abducitur, ne videat futura mala?*

A *mala*? Nec vero dubito quin his cogitationibus nunc & ſoceri mœſtitiam & tuam lenias, quibus ego quidem me ad migrationem ex hoc carcere quotidiè præparo. Ac ſæpè vocem repeto *Georgi Rhaw*, viri honeſti & ſapientis, quem cum interrogarem, quid ageret, *Quotidie*, inquit, *diſco mori*. Sed nolo in hac commemoratione prolixior eſſe. Fratres tibi commendarem, niſi ſcirem tibi & naturali στοργῇ, & judicio chariſſimos eſſe. Ego quidem propter eruditionem & virtutem *Henricum* ita diligo, ut velim eum, maximè ornatum eſſe B virtutis præmiis. Spero etiam in his tantis Eccleſiæ ruinis, fore eum aliquando inter eos, qui fulcient ruinas, & reliquias tuebuntur. Oro autem Filium Dei, ut & ipſum & nos omnes gubernet. Noſtræ Academiæ ſtudia & labores noſtros narrabit ipſe. Audies etiam ex eo hiſtoriam de *Turcis* recèns trucidatis & captis. Bene vale, & reſcribe. Die XV. Novembris, qui eſt *Ebræis* Kiſleu, id eſt, ἀειμνήστου.

C Socero tuo viro clariſſimo & vobis omnibus ſalutem ex animo opto.

D. Ioachimo Mollero S. D.

Ep. 551. CLariſſime vir & chariſſime frater, Et juſtiſſimum & dulciſſimum eſt, communes eſſe amicorum amicos. Quare, etſi non dubito & clariſſimo viro tuo ſocero, & tibi gratam fore familiaritatem hujus integerrimi viri *Victoris Ottingi* propter ipſius virtutem: tamen, ut meâ cauſâ e- D tiam familiariùs eum amplecti velis, valde te oro. Spero uſui futurum eſſe Reipublicæ, propter induſtriam & fidem. Quæ in reditu ex *Gallia Centauri Francici* tentârint, ſcire vos exiſtimo. Mitto vobis recentes pagellas, miſſurus poſt paucos dies reſponſiones de *Bavaricis* articulis, quarum lectionem ſpero jucundiorem fore. Nam ibi & de *Flacis Trunco* dixi, & illuſtravi *Nazianzeni* dictum: πᾶν τὸ καλλιστεύματον παρὰ Θεοῦ ἐστι, ἀλλοίας δὲ τοῖς ποιμένας ἢ αὐτῶν νόμων. quod pie & verecun- E dè dictum eſt. Bene vale. Fauſtum & felicem annum Eccleſiæ publicæ univerſæ & veſtris domeſticis Eccleſiis opto. Die XXI. Decembris. Anno M. D. LVIII.

D. Ioachimo Mollero S. D.

Ep. 552. CLariſſime vir & chariſſime frater, Et dolere nos bonis Principibus orbatos juſtum eſt, & cum ſciamus verè Dei opera & beneficia eſſe ſa- F lutaria imperia, ab ipſo ardentibus votis petamus, ut & gubernet eos, qui ſunt ſuperſtites, & in ſtationem eorum, qui ex hac vita evocati ſunt, collocet alios, quos faciat σκεύη ἐλέους, & organa Eccleſiæ, & patriæ utilia. Tuo ſocero & tibi curas & labores creſcere non dubito. Quare Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, creatorem generis humani, & cuſtodem legitimæ ſocietatis oro, ut vobis animæ & corporis vires confirmet, & tribuat vobis conſilia felicia. Optarim G bellatores in littore veſtro potiùs depellere à Coloniis *Germanicis* in *Livonia Moſcovicam* barbariem, quam patriæ bellum inferre. In noſtra vicinia mota ſunt Theologica bella. Paſtor *Ienenſis* & *Victorinus* adhuc captivi tenentur. Oro Filium Dei, ut & ipſos liberet, & nos omnes gubernet. Bene vale chariſſime frater, Salutem opto clariſſimo & optimo viro ſocero tuo, & vobis omnibus. Calendis Junii.

D. Ioachimo Mollero S. D.

CLariſſime vir & chariſſime frater, Scriberem ad te ſæpiùs, ſi poſſem, quia & tua colloquia, prudentiæ & fidei plena expeto. Sed nôſti ærumnas noſtras. Nunc ſcribo & ad Principem Illuſtriſſimum & ad vos, de filio *Bernhardi Bomgartneri*, téque valde oro, ut petitionem hanc adjuves. Scis gratitudinem deberi iis, qui rectè erudiunt primam ætatem. Audio vos graviter diſſuaſiſſe convocationem Synodi *Parthenopea*. Id veſtrum conſilium ſcio multis bonis probari. Etſi enim nolim Principes *Francofordia* non ſcripſiſſe articulos: tamen nunc majores diſtractiones fieri nolim. In hanc ſententiam reſpondimus & Senatui ἐν πολλοῖς τόποις. De hoc toto negotio optarem vos coràm poſſe colloqui. Bene vale & reſcribe, ἐν τῇ συλλογῇ. Ep. 553.

D. Ioachimo Mollero S. D.

CLariſſime vir & chariſſime frater, Scis me maximè optare, ut omnes in Eccleſiis noſtris unum ſimus in Deo, nec poteſt retineri concordia ſine ἐπιεικείᾳ. Ideo optarim *Hildeſios* fuiſſe placidiores erga Magiſtrum *Cragium*. Cúmque ipſe mihi reſponſionem ſuam oſtendiſſet, hortatus ſum, nè edat, ſed meo exemplo taceat. Boni viri non deterius de eo ſentiunt propter ſilentium. Intueamur autem judicia ſapientum & bonorum, nec moveamur κακολογίαις vulgi. Nunc dux *Bavaria* magnam exercet ſævitiam propter doctrinam. Et edidit tetros articulos, quos vobis mittam, cum Typographi ediderint. Mittam & alia. Nunc paucas pagellas de Reverendo Paſtore noſtro mitto, qui & ſocerum tuum & patrem tuum & veſtros ſincerè dilexit. Neſcio quo animo lecta ſit oratio in *Pomerania*, nemo de ea mihi ullam ſyllabam ſcripſit. Bene vale & reſcribe. *Cragium* vobis commendo. Die XXVII. Septembris. Ep. 554.

D. Ioachimo Mollero S. D.

CLariſſime vir & chariſſime frater, Ut veniens annus ſit felix & fauſtus Eccleſiæ *Chriſti*, & his politiis, quæ ſunt hoſpitia veræ Eccleſiæ, & tibi & tuis, faciat Filius Dei Dominus noſter *Ieſus Chriſtus*, qui maſſam noſtri generis aſſumpſit, ut nos geſtet tanquam ſurculos ſuæ maſſæ inſitos. Hæc noſtra vota ſunt eo ardentiora, quia *Trevericæ* obſidio minitatur ingentes motus. Et fore hanc ἐντασιν longæ Tragœdiæ horum temporum metuo. Sed tot ſeculorum ὑπερηφανίαι puniuntur. Nos Filium Dei precamur, ut pœnas leniat. De fratre colloquar cum *Mordeſio* quam primum, nec dubium eſt fratri interpretationem *Ebreæ* linguæ decretam eſſe. Mitto pagellas, de quibus flagito & tuum judicium. Bene & feliciter vale. Die XXVI. Novembris. Ep. 555.

D. Ioachimo Mollero S. D.

CLariſſime vir & chariſſime frater, Suaſor fui, & in noſtra Academia, & in *Heidelbergenſi*, ut Ep. 556.

ut *Ebrææ* linguæ interpretatio ſemper traderetur uni ex Theologis, quia Theologum volui non tantùm declamatorem eſſe, ſed eruditione inſtructum, & *Ebræum* interpretem, qui non *Judaicas* fabellas dictaret. Denique volui & autoritatem & benevolentiam hujus lectoris augere. Egi igitur in aula, ſed privàtim cum *Mordiſio*, ut lectio utraquè traderetur *Henrico* fratri, ſicut tenuerunt eam *Forſterus* & *Eberus*. Placuit *Mordiſio* meum conſilium propter multas cauſas. Poſtea retuli ad noſtrum ſenatum, non exiſtimans diſſimilia fore ſuffragia. Sed *Ebræam* lectionem omnes tradi *Henrico* voluerunt, munus verò concionandi aliqui cenſuerunt transferendum in generum *Georgii Majoris*. Etſi autem cauſas expoſui mei conſilii: tamen tunc pugnare nolui, ſed rem totam ad colloquium *Mordiſii* diſtuli & adhuc differo. *Henricus*, ut nunc ſunt fata Theologorum, ſuæ tranquillitati meliùs conſulet, ſi volet in *Ebræa* lectione Eccleſiæ ſervire. Ego Reipubl. cauſſâ volui ei commendari munus Theologicum, quod ejus eruditionem, judicii rectitudinem, vitæ ſanctitatem, & gravitatem in conſiliis probo, nec hoc præcipuè ſpectavi, ut ipſius privatis commodis conſulerem. Sed differo negotium integrum ad colloquium *Mordiſii*. Interea & tuas literas flagito. Scribo ſimpliciùs, quia exiſtimo tibi perſpectam eſſe meam voluntatem, & erga publicum Academiæ & Eccleſiæ ſtatum, & erga tuos. Bene & feliciter vale. Die viceſimo ſeptimo Octobris, Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octavo.

D. Ioachimo Mollero S. D.

Ep. 557. CLariſſime vir & chariſſime frater, Non dubito vos ſcire *Bremenſium* concionatorum diſſenſiones. Fuit autem *Bremæ* recèns *Morlinus*, qui eò *Tilemannum Heſhuſium* adduxit, qui mediocribus à me beneficiis adſectus, nunc adjunxit ſe, ſpretis conſiliis moderatioribus, factioni tribunitiæ, quam in populo ſecundos ventos habere videt. Provocavit *Heſhuſius Albertum* ad diſputationem Theatricam de cœna Domini. Si proceſſerit ea diſputatio, ingentes motus in gente *Saxonica* excitabit. Nec par eſt *Alberto Heſhuſius* ingenio & eloquentiâ, nec expetit *Albertus* certamen, ſed illo urgente, non defugiet. Mihi utilius videtur prorſus omitti tales monomachias. Cogitavi igitur ad te ſcribendum eſſe, ut cum ſocero tuo cujus ſapientiam & fidem plurimi facio, agas, ut ſenatui *Bremenſi* diſſuaſor ſit concedendi hoc certamen. Exiſtimo ei præcipuos viros ibi notos eſſe, & autoritate eum apud ſenatum valere. Quantum incendium futurum ſit, ſi ea res agitata fuerit, vos cogitare non dubito. Quare ut paci conſulatis vos adhortor. *Sabaudienſem*, bellum illaturum eſſe *Bernatibus*, non dubito. Et *Scoticum* bellum motum eſt, non tantum ad *Scotos* compeſcendum. Et nunc legati ſunt ducis *Wirtebergenſis*, *Palatini Wolfgangi*, & *Heſſiaci* apud electorem *Saxonicum*, qui Synodum flagitant. In tantis motibus cunctationem Eccleſiis noſtris utiliorem eſſe judico. Oro autem Filium Dei, ut nos gubernet & protegat. Bene & feliciter vale. Die nono Martii.

D. Ioachimo Mollero S. D.

Ep. 558. CLariſſime vir & chariſſime frater, Oro Filium Dei, ut ſicut protexit *Jacob* & ejus familiam

A in itinere: ita *Henricum* fratrem protegat, & ad nos ſalvum reducat. Spero eum uſui fore Eccleſiæ, & nunc in militia honeſta ſervire cœpit. Gratulor utrique veſtra colloquia. De noſtris rebus cognoſcere ex ipſo omnia poteris, de legatione miſſa ad Electorem noſtrum, περὶ συνόδου, & de reſponſione. Te oro & virum clariſſimum ſocerum tuum, ut de *Bremenſi* negotio cogitetis. Periclitatur in ea re *Saxonica* tranquillitas. Oro autem Filium Dei, ut nos gubernet. Bene vale. Die viceſimo B nono Martii.

D. Ioachimo Mollero S. D.

REverende vir & chariſſime frater, Gratam vobis fuiſſe editionem pagellæ de conſenſu eorum, qui in urbe *Vangionum* nomina ſua addiderint, gaudeo, quæ quidem bono conſilio ab iis ſcripta & edita eſt, qui & ſententiis, & voluntatibus conjuncti ſunt. Méque & fuiſſe & eſſe com- Ep. 559.
C munis Eccleſiarum noſtrarum concordiæ amantem exiſtimo te & alios multos ſcire, ſemper etiam Eccleſiam, & civitatem veſtram ſingulari ſtudio colui. Ac nunc in tanto odiorum incendio maximè velim, te & pleroſque collegas tuos & ſenatores Judices eſſe noſtrarum controverſiarum. Extant mea ſcripta, in quibus non volui gignere nova dogmata, ſed diſperſam doctrinam in magna varietate diſputationum, breviter, ut in ſchola fieri neceſſe eſt, colligere, & quaſi σωματοποιεῖν.
D Hæc, ut ita dicam, ædificii forma, ſi non placet, extruant inimici aliam, & ſit Judex Eccleſia. ſemper enim Eccleſiæ judicio me ſubjeci. Poſtea tempus incidit in quo tentata eſt Eccleſiarum noſtrarum mutatio, quam prorſus diſſuaſi, ſed cum pugnarent quidam pertinaciter de ritibus non vicioſis ſuo genere, qui magna ex parte in Eccleſiis hujus regionis ad id tempus hæſerant, non volui deſeri Eccleſias propter id onus, cum doctrina non mutaretur. Ac de toto hoc conſilio tum reſpondi
E Reverendo viro D. *Æpino*, quo tempore hoc etiam accidit, ut multi qui alibi Eccleſias ſuas deſeruerant, non ſolùm foverentur tranquillitate harum regionum, ſed etiam evecti ad gubernationem ritus noſtros reciperent. Nec recuſo cauſam dicere, ubicunque erit occaſio. Oppugnor autem *Ulyſſeis* artibus. Sparſa ſunt in populum noſtro nomine, nec ſcripta, nec prolata à me, quædam etiam mutilata. Inde extruuntur ſæviſſimæ criminationes, & quidem ab iis, qui tum quoque re-
F rum magnarum explicationem impediverunt. Si quid tamen egi languidiùs in tanta confuſione, bonos oro, ut veniam dent infirmitati meæ, & illud vetus cogitent: ἐπ' ἰδίας ὄχλον, καὶ συγχωρεῖν τὸ πρᾶον, ἄλλο γὰρ εἶναι καὶ θεῷ συμμίζειας. Profiteor me harum Eccleſiarum civem eſſe, & Filium Dei oro, ut eas gubernet, & ſervet, & me in eis, & nè magis lacerarentur earum vulnera, minùs reſpondi inimicis, quos video implacabiles eſſe. Repreſſi etiam ubi potui, & reprimam ubicunque
G potero, maledica ſcripta edituros. Et magiſtratus in utraque parte optarim vigilantiores, & ſeveriores eſſe in prohibendis editionibus, quæ ſunt diſſidiorum faces. Nec dubium eſt pertinere hanc curam ad gubernatores. Quare & honeſtiſſimi ſenatus veſtri, et tuam gravitatem laudo, et vobis gratiam habeo, quòd voluntatem optimam in hac re oſtendiſtis. In Academia noſtra, Dei beneficio,

ſcis me de tuo ingenio amanter ſentire. *Antonium Anglum*, ſi adhuc iſtic eſt, reverenter ſalutabis *Lutheri*, *Jonæ* & meo nomine, & dices nos ipſius literas deſiderare, ac mirari ſilentium hominis facundi. In iis regionibus quæ paruerunt Duci *Saxoniæ Georgio*, jam Dei beneficio Eccleſiæ piè emendantur, & ſpero in his regionibus Eccleſiarum piam concordiam profuturam etiam reliquæ *Germaniæ*. In *Bavaria* etiam in oppido *Amberga*, in ditione *Palatini* jam Eccleſiæ piè emendatæ ſunt. Hæc narrabis *Antonio*. Miror nos à *Franciſco* nihil habere literarum. Si *Hieronymus* aliquid ſcripſit ſignifica. Bene vale. Die XV. Junii.

D. Matthæo Delio S. D.

Ep. 565. CHariſſime frater, ſcis dici juſtitiam alienum bonum, quia multis prodit aliis. Nam hæc vita non poteſt carere mutuis officiis. Ideo te quoque virum juſtum oro, ut nunc aurigam hunc noſtrum adjuves empturum mihi butyrum. Hoc officium eò abs te peto, quia cum ab aliis peto, captare donationem videor. Volo meâ pecuniâ emi, ut ſcit auriga. Mitto vobis pagellas inquiſitionis *Bavaricæ*. Talis ſævitia nos hortari debebat ad conjunctionem καὶ συγκρότησιν. Ego reſponſiones jam publicè trado ut pii adjuventur. Bene vale. Salutem opto D. D. *Paulo* & aliis amicis. Die IV. Octobris.

D. Matthæo Delio S. D.

Ep. 566. TU ipſe mihi teſtis es, me ſemper ingenium tuum amâſſe, planéque non ſolùm prudentiam, ſed etiam cæteras virtutes cum humanitate conjunctas, quas noſtri Peripatetici propriè ἠθικὰς vocant, tibi libenter tribui. Quare de tua fide & conſtantia in amicitia noſtra colenda, nihil dubito. Dicam tamen quod res eſt, interdum requiro tuas literas, quare ſi me amas, ſcribe ſæpiùs, præſertim cum multa iſtuc afferantur, quæ ſcire nos plurimum refert. Nunc tibi commendo hominem *Juliacenſem*: qui nuper deſeruit monaſticén. In Grammaticis bene inſtitutus eſt, & habet genus ſermonis non jejunum, ſed figura orationis eſt, qualis fere ſolet eſſe *Belgarum*. Urbs veſtra etiam mores expoliet. Si potes ei hoſpitium apud civem aliquem curare, cujus regat liberos aut doceat, quæſo nè ei deſis. Callet etiam μηχανικὴν quandam, ſi literæ eum non poterint alere, commendandus erit alicui fabro argentario. Inſtruxit ſe pluribus artibus memor dicti veteris: τὸ τεχνίον πᾶσα γῆ τρέφει. Hæ regiones, Dei beneficio, tranquillæ ſunt. Mitto tibi carmen de *Lazaro* duriuſculum, ſed tamen ſperabam tibi argumentum voluptati fore. Bene vale. VI. Julii. Saluta àmicos.

D. Matthæo Delio S. D.

Ep. 567. CHariſſime *Matthæe*, Reverendo paſtori Eccleſiæ noſtræ & mihi, filius tuus *Johannes* exhibuit literas tuas, in quibus nos de ipſius conjugio in conſilium vis adhiberi. Etſi autem ea deliberatio in tempus incidit non ſatis tranquillum: tamen quia te videbamus non refragari filii voluntati, ſi modò puella honeſta eſſet, ſcripſimus ad *Ambroſium*, cujus epiſtolam tibi mitto. Nunc dèfertè ſcribes filio tuam ſententiam, quem quidem tibi commendo. Nam poſtquam ad literas redut, mores graviter rexit, ac in ſtudiis doctrinæ plurimum profecit, quod eò poſſum affirmare, quia ſæpe eum audio. Quare nec repugnare te filii voluntati, nec deeſſe ejus ſaluti optarim. Sum pater. & ſcio quas ſolicitudines nobis στοργαὶ pariant. ſed in rebus honeſtis aliquid concedendum eſt liberis, etiamſi interdum id fit cum aliquo noſtro incōmodo Scriberem proliſius, niſi tua & virtus & prudentia mihi nota eſſet & probata. Deum oro, ut ſervet & te & tuas & Eccleſiam ſuam. Bene vale. Die 12. Julii.

Amico Cuidam S. D.

Ep. SEnatus *Genenſis* rogavit nos. ut pro eis ſupplicaremus Illuſtriſſimo Princip. noſtro, ut reſtituatur eis jus venationis cujusdam, nec leves cauſas habent cur hoc petant. Nam & equitea nunc in vineas ipſorum, cum damno publico irrumpunt, & gramen certis locis uſui fuit antea civibus propter illud jus venationis. Proinde ſcripſit Univerſitas ad Illuſtriſſ. principem, & cauſam illam oppidi de nobis bene meriti ſuſcepit. Nos igitur rogamus, ut hanc cauſam pro veſtra humanitate ſumma adjuvare velitis. Scitis quale ſit oppidum, & quantum referat hoc tempore voluntates talium hominum devincire omni genere officiorum. Poteſt autem in hac re Illuſtriſſ. Princeps gratificari ipſis, ſine ſuo ullo incommodo: Magnum beneficium arbitrabimur nos accepiſſe, ſi diligenter adjuveritis *Genenſes* in hoc negotio, quos ſcimus magnam in vobis ſpem ſuarum fortunarum collocare ſolere. Nos ut erga *Genenſes* grati videri ſtudemus, ita dabimus operam, ut intelligatis nos erga vos fuiſſe gratiſſimâ voluntate. Valete feliciter. Die XX. Julii ex *Witeberga*.

D. Theophilo S. D.

Ep. 569. VT in omni officio animadverti ſingularem eſſe tuam diligentiam, dulciſſime & humaniſſime *Theophile*; ita video te in levibus quæſtionibus exquiſitam habere diligentiam, quæ profectò à me inter præcipuas virtutes ponitur, etſi ego quidem in hoc occupationum & negotiorum concurſu. multa facio ἀπροσεκτότερον καὶ ἀμελέστερον. Quod verò de verſiculis in poſtrema pagella locorum communium aſcriptis autorem indicari cupis, ſcito eos eſſe in *Sophoclis Antigone* primæ editionis *Hagenoenſis*. Nam *Aldinam* editionem & alteram *Italicam*, in qua eſt commentarius, non inſpexi. Eſt autem *Creontis* oratio ad filium concionantis de non ſolvenda majeſtate imperii, de reverentia præſtanda magiſtratibus, de conſervatione legum & tranquillitatis.

Σώζει τὰ πολλὰ σώμαθ' ἡ πειθαρχία,
Οὕτως ἀμυντέα δεῖ τοῖς κοσμουμένοις. h. e.

Servat multas perſonas obedientia. ideò defendenda eſt honeſtis civibus. Eſt enim ſententia bonos, moderatos, bene compoſitos & honeſtos cives (Hos enim ſæpe vocat *Sophocles* κοσμουμένους, quaſi dicas eos, qui rectè gubernantur) debere fortiter tueri præſentem ſtatum, diſciplinam, harmoniam imperii, legum autoritatem. Eſtque ἀμυντέα,

ut

in *Saxonia*, quæ nullas literas didicerat, tamen cum agitaretur à Diabolo, poſt cruciatus loquebatur *Græcè* & *Latinè* de futuro bello *Saxonico*. Erit anguſtia magna in terra, & ira in hoc populo: ἔσται ἀνάγκη ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ τούτῳ.

Ante annos 16. erat in *Marchia* puella, cui rapienti pilos à veſtibus, vertebantur illi pili in nummos *Marchicos*, quos devorabat puella longo fragore dentium. Et figuræ illæ nummorum interdum ex manibus ejus ſubitò extortæ, erant veri nummi, qui adhuc à nonnullis ſervantur. Ac ſubinde magnos cruciatus puella ſentiebat. Sed liberata eſt à toto illo morbo poſt menſes aliquot, & adhuc vivit ſana. Sunt autem crebræ piorum precationes pro ea factæ. Et conſultò omiſſæ ſunt aliæ ceremoniæ.

In *Italia* audio fuiſſe mulierem, quæ etiam nullas literas didicerat, quæ cum agitaretur à Diabolo, interrogata, qui verſus *Virgilii* ſit optimus, reſpondit:

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos.

Poſſem & alia multa exempla commemorare, quæ teſtantur furores à diabolis oriri etiam ſine phyſicis cauſis. Sic & de illis miſeris virginibus, quas *Romæ* in furore cruciari audio, judico cruciari eas à Diabolis. Et ſignificantur pœnæ *Italiæ* & aliarum gentium. Nec verò dubito verâ piorum precatione tolli id malum, & expelli Diabolos poſſe. Rectè etiam facient, ſi qui homines non *Epicurei*, ſed verè invocantes Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, ſeriò præcipient Diabolis, ut diſcedant ab illis miſeris, & de venturo judicio Filii Dei, in quo malitia Diabolorum oſtendetur palam univerſæ Eccleſiæ, dicent, & de pœnis Diabolorum. Sed hæc fieri oportet ſeriò & omittendæ ſunt Ceremoniæ ἡ ἱερολατρείας & luſtralis aquæ, & falſarum invocationum, *Cornelii* & ſimilium. Scio plura exempla, in quibus profuiſſe piorum precationem certum eſt. *Witeberga*. Calendis Septembris.

D. Huberto Langueto S. D.

Ep. 573. CLariſſime vir & chariſſime frater, Quòd benevolentiam erga nos tuam non extingui ſinis, & debeo tibi, & habeo gratiam, téque adhortor, ut ſi nondum habes commodius hoſpitium, ad noſtram familiam redeas, in qua ſcis te amicos habere, in quibus nihil eſt fuci, *Caſparum* patrem & *Caſparum* filium. Judico autem & hoc tibi ſignificandum eſſe, me literis *Palatini* Electoris in patriam vocari, quò ſi proficiſcerer, maximè velim te mecum eſſe, quia prudentiam tuam & fidem ſperarem ibi mihi uſui fore, & facilè in aula *Palatina* locum inventurus eſſes. Nondum autem de profectione decrevi, quia & noſtræ aulæ cognoſcenda eſt voluntas. Et quanquam *Flacianam* factionem non ſolùm ultra *Hercinios* ſaltus, ſed etiam ultra *Riphæos* montes fugere cupio: tamen vides in hac triſti confuſione generis humani ubique multum eſſe malorum ingeniorum & periculorum. Sed ſcies quidquid de profectione decretum fuerit. Exulibus *Gallicis* & *Anglicis* doleo meam interceſſionem leniſſime ſcriptam non profuiſſe apud *Feſulanos*. Quale ſit regnum illorum, qui eis præcipuè adverſati ſunt, non ignoras, quòd homines modeſti tranquillitatis publicæ causâ ſe-runt gementes, quorũ exaudiet Deus vota & lachrymas. Expecto & flagito tuas literas. Hæc ſcripſi *Lipſiæ* apud *Camerarium*, cujus tibi literas mitto. *Caſparum* generum meum hodie expectamus. Bene & feliciter vale. Die Martii XXVIII.

D. Huberto Langueto S. D.

CLariſſime vir & chariſſime frater, Meum iter aulæ noſtræ decreto impeditur, nec ego valde pugnavi, quia metuo in patria etiam judiciorum diſſimilitudinem, ut vides ubique regna calumniarum. Si vitam mihi Deus longiorem concedit, velim te rurſus familiam noſtram videre. Nec mihi in hac mea ſenecta quicquam dulcius eſſet tuâ conſuetudine. Non frangor animo propter *Flacianas* ſycophantias, quæ tamen ſi creſcent, ſi vivam, in ea loca diſcedam, ubi reſpondere potero, ac Deo juvante, dicam recta & utilia Eccleſiæ. Doctori *Sneidewino* itineris moleſtiam te lenire volo tuis colloquiis. Scis honeſtum & ingenioſum virum eſſe. Tuas literas quas *Francofordia* noſtris civibus dediſti, accepimus, tibíq; gratiam habeo, quòd ſæpe ad nos ſcribis. Bene & feliciter vale, & ſalutem dicito *Petro Antonio* civi *Francofordiano*, & Hoſpitibus *Gallis* & *Anglis*. *Johannes Laski Vilnæ* nunc eſt. Die XXIII. Aprilis. Ep. 574.

D. Huberto Langueto S. D.

CLariſſime vir & chariſſime frater, Inter tantas generis humani confuſiones, & Gigantum θεομαχίας, & regnorum ruinas, quæ poteſt eſſe levatio dolorum pia, niſi ipſorum inter ſeſe conjunctio & precationis & conſiliorum? Cum igitur hic inſuavia certamina ſuſtineamus, & quidem duplicia, maxime optarim te nobiſcum eſſe, cujus prudentiam & fidem probo. Optarim etiam te nobiſcum ad noſtrum filiolum redire. Oro enim Deum ut familiam noſtram, & noſtros nidulos ſervet. Vides in quibus periculis ſim. Sed commendo me & Eccleſiam Deo. Bene vale. Datæ in urbe *Vangionum* XX. Septembris. Ep. 575.

Clariſsimo viro, prudentiâ & virtute præſtanti, Nicolao Clauſio, conſuli in veteri Francorum colonia Frankenhuſen; amico ſuo chariſſimo, S. D.

INtegerrime D. *Nicolae*, & amice chariſſime, Audio D. *Oedenum*, qui hactenus præfuit Eccleſiæ veſtræ, relinquere eam adminiſtrationem. Etſi autem ad judicium & arbitrium inclyti Comitis Domini veſtri pertinet deligere aliquem idoneum ad gubernationem Eccleſiæ: tamen ſi apud eos qui autoritate valent, prodeſſe indicatio tua poteſt, quæſo ut mentionem facias ſenis honeſti & ſatis exercitati Magiſtri *Johannis Rimani*, qui nunc gubernat Eccleſiam in *Ortern*. Vir doctus eſt & ætate jam eâ, quæ moderationem, & pacem magis intelligit & amat, quam juventus: mitto tibi has pagellas incluſas. Bene vale. Idibus Martiis, quibus ante annos M. D. LXXXVIII. *Julius* interfectus eſt, cujus mors ſpecimen eſt inſigne humanarum miſeriarum. Bene vale. Ep. 576.

D. Nicolao Clauſio S. D.

HOneſtiſſime vir & amice chariſſime, Utinam pro tuis literis amantiſſimè ſcriptis, mittere Ep. 577.

Epiſtolam argumento non triſti ſcriptam poſſem. Sed nôſti & humanarum rerum inconſtantiam, & nos voluntati Dei parere oportere. Audies igitur fatalem caſum Filii fratris tui *Ulrici* minore animi perturbatione. Dum *Ulricus* ægrotans inde uſque à vere, non vult relinquere hanc Academiam, cum quidem Medicus vir fidelis & prudens fuiſſet hortator, ut ſecederet, tandem vicit morbi vis, ac Dei voluntâte *Ulricus* in Academiam æternam ad doctorem Filium Dei, & ad agmina ſcholæ cœleſtis, traductus eſt. Nam in invocatione Filii Dei, & inter vota placidè exhalavit animam. Etſi autem naturalis στοργὴ dolorem adfert, & Deus vult nos deſiderio noſtrorum adfici: tamen ſcis hoc quoque à Deo præcipi, ut dolorem moderemur, quem quidem adoleſcentis pietas præcipuè tibi & tuis levare debet, quam cum & in vita & in agone declaraverit, non dubitemus eum inter eos eſſe, de quibus ſcriptum eſt: *Beati mortui qui in Domino moriuntur*. Nec ipſi labores ſtudiorum perierunt, cum ſe ad hoc iter rectè præparaverit, geſtiens etiam cum recitaret moriturus hæc verba, (*quem conſtituiſti* μάρτυρα ϗ ἱκέτην) Utinam viventi gratificari aliis officiis potuiſſem. Nunc hæc triſtia officia præſto. Bene vale. Die *Bartolemai*.

D. Nicolao Clauſio S. D.

Ep. 578. CUm leges *Stigelii* carmen περὶ ἐκλείψεως quod mitto, ſcio te magno cum gemitu ſimul reipub. pericula cogitaturum eſſe, quæ quoties ego cogito, ſimul venit in mentem, diris illis ſignificationibus ſiderum incendi mala ingenia. Quare bona ingenia & tum à natura ad moderationem facta, cum doctrina ad virtutem excitata, magis amemus & quidem hortemur, ut eo ſtudioſiùs regant ſuos impetus, quia jam faciliùs incenduntur animi fatalibus cauſis. Comperi autem hunc *Andream* modeſto ingenio præditum eſſe, & laudo voluntatem, quòd amat ſcholaſticas operas. Id plerumque eſt ſpecimen animi fugitantis ambitionem. Nam qui properant ad illud ſummum Eccleſiæ faſtigium, videlicet ad concionandi munus, ſignificant non rarò, ſe popularibus certaminibus nimium delectari. Foveamus ergo modeſta ingenia, & quantum poſſumus, nos ſeniores, ut *Neſtor* ſuos Principes, ita ipſi juventutem hortemur ad moderationem, quod certè ſedulò facio, & hunc *Andream* eo magis diligo, quòd animadverto naturâ placidum eſſe. Quare cum & uſui futurus ſit reipub. & propter mores dignus ſit amore, te etiam atque etiam rogo, ut eum adjuves. Bene & feliciter vale. VII. Februarii.

D. Nicolao Clauſio S. D.

Ep. 579. CLariſſime vir, & amice colende. Cum ad vos proficiſceretur hic noſter auditor, viri honeſti filius, dedi ei hanc Epiſtolam; non ſolùm ut ipſum tibi commendarem, ſed etiam ut oſtenderem, me retinere memoriam veteris erga me benevolentiæ tuæ, méque tuarum virtutum recordatione delectari. Spero autem & me adhuc abs te diligi, quia ſcio te virum integerrimum cum in cæteris virtutibus, tum etiam in amicitia conſtantiam præſtare, ut in veteri dulciſſimo verſu dicitur:

Ἅπαν τὸ χρηστὸν πλὴν ἴσον ἔχει φύσιν.

Nunc verò & hunc noſtrum auditorem tibi commendo, quem & propter patrem & propter A ſuos mores diligo. Fuit enim mihi cum patre ejus dulcis amicitia, & ſpero hunc *Andream* rectè facturum eſſe officium, quem quidem juſſi tuo conſilio uti in omnibus rebus, ac præcipuè in gubernatione adoleſcentiæ, téq; ei non defuturum eſſe ſpero; mitto pagellas paucas, quia nunc plures non erant ad manum. Bene vale, & aliquando reſcribe. Die XXVII. Aprilis. Anno M. D. LVII.

B *Clariſſimo viro, eruditione & virtute præſtanti, Domino M. Georgio Agricolæ, gubernanti ſtudia doctrinæ in Inclyta Urbe Amberga, fratri ſuo chariſſimo*, S. D.

CHariſſime *Georgi*, Cum in vita officiorum gradus divinitus in genere humano ordinati ſint, & velit eos Deus teſtimonia eſſe ſuæ ſapientiæ & bonitatis, reverenter ſentire de omnibus honeſtis functionibus debemus. Quare etiamſi hanc no- Ep. 580.
C ſtram militiam docentium & diſcentium doctrinam de Deo, & alias honeſtas artes Centauri ſuperbè deſpiciunt: tamen nos & hujus gradus & aliorum dignitatem intelligamus, & ſciamus, hanc Spartam nobis divinitus commendatam, ornandam eſſe. Tibi hoc quoque Dei beneficium gratulor, quod in patria hos pios labores facis. Et ſi enim Eccleſia, communis patria eſt, tamen etiam στοργὴ movet animos, ut libenter apud cognatos vivamus. Ego jam ſenex magno deſiderio fratris, viri ſapientis &
D honeſti adficior. Sed omitto hanc commemorationem. Oro autem Filium Dei Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum* crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, cuſtodem Eccleſiæ, ut vos omnes protegat, & gubernet ſtudia juventutis. Mitto tibi pagellas, quarum lectionem ſpero tibi non inſuavem fore. Bene vale & reſcribe. Die XII. Aug. Anno M. D. LIV.

D. Georgio Agricolæ S. D.

E NOn dubium eſt ſcholam *Chriſtianam* veriſſimè templum Dei eſſe, in quo in animis teneræ juventutis adeſt Deus, & aſſident caſti angeli cuſtódes corporum, & ipſorum parietum, intra quos ſonat vox doctrinæ, quæ neceſſaria eſt Eccleſiæ. Hoc te ſæpè cogitare non dubito, eóque alacriùs hujus militiæ labores facere, concordiam etiam collegarum propter Deum & Angelorum cœtum libentiùs tueri. Hunc igitur *Laurentium Ludovicum*, quem tibi ſenatus addit, libenter comple- Ep. 581.
F ctaris, & ipſe promittit ſe tibi ſtudioſè obtemperaturum eſſe. Apud nos in Academia, Dei beneficio, adhuc mediocria ſunt doctrinæ ſtudia, & vox doctrinæ eadem quam audiviſti ut & ſcripta oſtendunt. Mitto igitur *Enarrationem Salomonis*. Audio mihi quoſdam bellum illaturos περὶ ἀσέβους τινὸς, quod ſi moverint, judico me Deo & Eccleſiæ debere hoc officium, ut deliramenta contumelioſa contra Deum refutem. Oro autem Filium Dei
G Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, ut nos gubernet. Bene vale. Die XX. Maii. Anno M. D. LV.

D. Georgio Agricolæ S. D.

DOctiſſime vir & chariſſime frater, Ut veniens annus ſit fauſtus & felix Eccleſiis Dei, & Ep. 582.

carum

earum hoſpitiis, & patriæ noſtræ univerſæ, & tibi & tuæ domeſticæ Eccleſiæ, faciat Filius Dei Dominus noſter *Ieſus Chriſtus*, cuſtos Eccleſiæ ſuæ, qui ideo maſſam naturæ humanæ adſumpſit, ut nos tanquam ſurculos ſuæ maſſæ inſertos, geſtet & ſervet, ſicut inquit: *Ego ſum vitis & vos palmites.* Nam & imperiorum ruinæ, & opinionum confuſiones impendent, ideo & ardentioribus votis petamus ut Filius Dei nos gubernet, & nos majore curâ noſtram conjunctionem tueamur, qua de re aliquid leges in adhortatione, quam addidi dijudicationi controverſiæ *Noribergenſis*, quam mitto. Bene & feliciter vale. Cal. Januarii, Anno M. D. LVI.

D. Georgio Agricolæ S. D.

Ep. 583. CHariſſime *Georgi*, Unica eſt familia in genere humano reliqua, paterna origine à *Carolo Magno* orta, familia Ducum *Bavariæ* & *Palatinorum*, in qua tot jam ſeculis multi Principes laude digni fuerunt. In his fuerunt & fratres *Ludovicus* & *Fridericus*, patriæ ſalutares, quorum memoriam grati celebrare debemus. Oro autem Filium Dei, cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut gubernet ſucceſſorem *Othonicum*, & confirmet in eo corporis & animæ vires. Magnum bonum eſt, & multis ſalutare bonus Princeps. Quare gratitudo iis debetur qui virtute excelluerunt. Te quæſo, ut de initiis gubernationis mihi ſcribas. Mitto pagellas tibi & Quæſtori, & vobis omnibus ſalutem opto. Commendo tibi *Sebaſtianum Eringium* tuum affinem, & te, ſi labores ſcholaſticos tecum ſuſtinebit, volo ἐγγυητὴν eſſe. Gaudeo in *Norico* Eccleſiæ veræ reliquias eſſe, & ut ſemper apud vos, & in tota patria noſtra colligat Eccleſiam Filius Dei, toto cum pectore oro. Opto etiam ut adoleſcentes ita diſcant & vivant, ut ornent Eccleſiam, & patriam, & ut *Noricum* jam clarius ſit pietate, quam olim fuit à *Venis* ferri, cum *Homerus* inde nominavit πίεστα χαλκός. Bene vale, & reſcribe. Die Cœnæ *Chriſti* in *Bethania* apud *Martham*, & apud *Magdalenam*, & apud *Lazarum*. Anno M. D. LVI.

D. Georgio Agricolæ S. D.

Ep. 584. CLariſſime vir, & chariſſime frater, Meminiſti dulciſſimam diſtributionem partium juſtitiæ, quarum alteram regit proportio Arithmetica, alteram Geometrica, quæ gradus in vita diſtinguit. Hanc Geometricam proportionem noſtro loco tueamur in communi ſocietate, nec extra metas erumpamus. Sumus ὁμότεχνοι, docemus modeſtè & ordine neceſſaria, ut ſumma doctrinæ *Chriſtianæ* rectè intelligi poſſit, ſimus etiam hortatores, ut juventus diſciplinam amet & Deum veris officiis colat. Rituum verò publicorum ἐπανόρθωσιν illis relinquamus, qui nunc in noſtris Eccleſiis habent ἀρχιερατικὸν ἀξίωμα. Nihil diſputo, nec te diſputare volo de his, quæ jam apud vos conſtituta ſunt. Pluris facito concordiam & tranquillitatem Eccleſiæ veſtræ, quam harum diſputationum ſubtilitatem. Mitto tibi pagellam, cujus lectionem tibi non inſuavem fore arbitror. Invocatione Dei, morum gubernatione, ſtudiò concordiæ oſtendamus pietatem, & prodeſſe juventuti annitamur. Rixarum modus aliquis ſit. Bene vale. Die XXIII. Octob, Anno M. D. LVI.

D. Georgio Agricolæ S. D.

CLariſſime vir, & chariſſime frater: Ep. 585.

Ipſe Deus ſapiens, verbo qui cuncta creavit,
Et certis annum legibus ire jubet,
Efficiat, nobis veniens ſit fauſtus ut annus,
Protegat & dextra téq; tuóſq; ſua.
Et quoniam gnatum miſit, qui colligat agmen,
Cujus ſit doctor, vita, caputq́; λόγος.
Hic λόγος æterno natus Patre, ſemper adeſſe,
Et cuſtos nobis & caput eſſe velit.
Viribus humanis non eſt Eccleſia tuta,
Languida nos homines quid niſi maſſa ſumus?
Sed noſtram induens cum miro fœdere carnem,
Gnate Dei, ſemper nos tua membra regas:
Et facias tecum nos unum ut ſimus in ævum,
Verâ laude tuus quo celebretur honos.

Hoc exordio uti volui. Quid enim potiùs ſcribam, quàm pia vota? Hæc eſt enim præcipua vitæ regula, ut ſui quiſq; officii munera faciat, & Deum æternum Patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti* precemur, ut nos gubernet & adjuvet. Sinamus alios regna miſcere, ut aliquanto poſt videbis *Germaniam* horribiliter dilaceraturos eſſe τοὺς ἐγχωρίτας καὶ δημαγωγούς, ſed tamen Eccleſiæ reliquias abditas ad aram ſuam Filius Dei protegat.

Leandrum patri commendes. Judico non eſſe malam naturam, etſi, ut eſt ætas, ſodalitia magis ſectatus eſt, quàm volebamus. Magiſter *Froſchelius* diſceſſuro dedit mutuò Ioachimicos. N. de quibus dixi me ad te ſcripturum eſſe, ut à matre peteres. Totam hanc rem & fidei & prudentiæ tuæ commendo. Scis interdum prodeſſe hæc comica conſilia. Dices autem matri, me bono conſilio hortatorem fuiſſe, ut voluntati patris mox pareret.

De Sponſa illius qui aliam compreſſit, velim te mihi ſignificare, an alia compreſſa ſit poſt ſponſalia, quod ſi ita eſt, poteſt hæc petere, ut fiat divortium. Nec cogi poteſt ut invita nubat illi, qui judicatur adulter. Hac de re velim te mihi planiùs ſcribere. Mitto pagellas. Bene vale. Die XVII. Ianuarii. M. D. LVII.

D. Georgio Agricolæ S. D.

CLariſſime vir, & chariſſime frater, Communi fœdere copulatæ mentes omnium, qui Filium Dei invocant, eſſe debent, ſicut ipſe vult nos omnes unum in Deo eſſe. Diligo igitur & Eccleſiam veſtram, & Filium Dei oro, ut vos omnes protegat & gubernet. Poſtea etiam naturales cauſæ benevolentiam meam erga vos omnes augent. Judico urbem veſtram eſſe partem patriæ meæ, quia Electoris *Palatini* imperio continetur. Sed accedit ſingularis cauſa. Meus pater vir probatus multis bonis Principibus, ante annos octoginta adoleſcens in urbe veſtra vixit apud eos, qui machinas bellicas fundunt, & poſtea ſæpè ibi fuit, ac veſtræ urbis mores & diſciplinæ ſeveritatem magis laudabat, quam *Heidelbergæ*, in qua natus erat. Hærent hi ſermones in teneris animis, & obverſatur menti patris viri prudentis & modeſti imago. Nec poſſum non amare civitatem ab ipſo laudatam. Hæc tuis amicis iſtic legas, ut ſciant me eorum benevolentiâ valde delectari. Ep. 585.

A Quòd me adverſus obtrectatores memini, gaudeo, & judicium de me veſtrum, & benevolentiam erga me oſtendi. Sed doctrinæ formam ſpero piis & eruditis, & apud vos & alibi probari. Nec diſcedam ab hac forma, etiamſi, ut veteres *Titanes*, Pontificii, aut novi ex illorum ſanguine nati, refragentur. Meminiſti in fabulis dici, tertiam ex *Titanum* ſanguine gigantes deinde genuiſſe. Ita ex Sophiſtis Pontificiis videmus novos Sophiſtas, *Stoicos*, & *Cynicos* natos eſſe. Sed hæc aliàs. Precemur autem Filium Dei, ut nos gubernet, & ſervet
B Eccleſiæ reliquias apud vos & alibi. *Sebaſtiano Probo* dedi literas ad Abbatem collegii *Reichenbachenſis*, ut voluiſti. Deus tribuat ſeni mediocrem nidulum, ——— τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ γερόντων, meminiſti enim *Homericum* verſum. Ego quoque in hac ſenecta tranquilliorem nidum optarim. Mitto tibi pagellas, quæ ſtudia & labores noſtros utcunque oſtendunt. Die *Johannis Baptiſtæ*. Anno M. D. LVII. Bene vale & reſcribe.

C Pater meus fuit tibi ὁμώνυμος *Georgii* nomine, & habeo fratrem *Georgium*, te quoque volo inter meos *Georgios* eſſe.

D. Georgio Agricolæ S. D.

Ep. 587. CLariſſime & chariſſime frater, Ut reditus in patriam *Georgio* ſit fauſtus & felix, opto, eúmque tibi commendo, comperi enim modeſtum eſſe. Hæc cum ſcriberem, habebam in ma-
D nibus *Demoſthenis* primam epiſtolam, in qua hæc ſunt verba: Παραινῶ δὲ ὑμᾶς μήτε τῶν πεπραγμένων, μήτε μνησικακεῖν, ἐν τυχὸν αὐτὸς τοιαύτης φιλανθρωπίας παρ' ὑμῶν, ἀλλ' ἀδίκως καὶ καταστασιασθεὶς εἰς τὴν ἑτέρων χάριν προπεθείς· ἀλλ' ὥστε τὴν ἰδίαν ὀργὴν ἀναπληροῦν τὸ κοινῇ συμφέρον εἶναι δεῖν βλάπτειν, οὐδὲ μέλλοιμι τὰς ἰδίας ἔχθρας εἰς τὰ κοινῇ συμφέροντα. Ἀλλ' ἐφ' ἃ τοὺς ἄλλους παρακαλῶ, ταῦτα αὐτὸς οἶμαι δεῖν πρῶτον ποιεῖν, videlicet μὴ μνησικακεῖν. Adhortor omnes ad concordiam, tametſi ego à multis injuriâ adfectus
E ſum, & propinatus inimicis. Sed non judico, propterea lædendam eſſe Rempubl. Nec miſcendas privatas offenſiones cauſæ communi, ídque primus facere ſtudeo, ad quod alios adhortor. In his verbis quia ſimilitudo quædam deſcribitur meæ patientiæ, duxi tibi hanc periodum deſcribendam eſſe, ut talis viri exemplo confirmati virtutem eſſe cogitemus, μὴ μνησικακεῖν. Verba *Demoſthenis* ſcripſi in pagella, quam inſerui his literis. Spero tibi viro optimo jucundam fore lectionem. Di-
F ſcamus hanc tolerantiam inter tam duros Criticos. Simul etiam petamus auxilium à Filio Dei, qui dixit: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*. Bene vale. Die XII. Julii. Anno M. D. LVII.

D. Georgio Agricolæ S. D.

Ep. 588. CHariſſime frater, Iter literarum noſtrarum commoratio in ripa *Rheni* aliquantiſper impedivit. Nunc rurſus per literas frequentiùs collo-
G quamur. Vidiſſe te pagellam exiſtimo, in qua narravimus arte ab adverſariis abruptam eſſe doctrinæ collationem, cum quidem Rex *Ferdinandus* juſſiſſet, ut procederemus. Initia non inerudita fuerunt. Diſputavimus enim de norma judicii in Eccleſia. Ea in quæſtione ſcis multa de interpretum & legum veterum & recentium diſſimilitudine dici oportere. Si proceſſiſſemus, multarum quæſtionum explicatio utilis facta eſſet. Quòd collegæ quidam à nobis diſceſſerunt, nè ab ipſis quidem accuſari me arbitror. Maluiſſem eos nobiſcum manere, & ut ſocios laborum, & ut teſtes mearum actionum. Sed ut *Xenophon* narrat quendam dicere *Lacedamonios* domi diſſipandos eſſe ut apes fumo ſub alveolos facto diſſipantur: ita Papiſtici diſtrahere nos intempeſtivis petitionibus conati ſunt. Hæc artificia nôrunt, etiamſi *Xenophontem* non legerunt. Vincet tamen veritas. Heri miſi Illuſtriſſimo Principi *Palatino* Electori formam noſtri conſiſtorii, & controverſiarum quarundam dijudicationes. Bene vale, & reſcribe. Die quinto Februarii. Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octavo.

D. Georgio Agricolæ S. D.

CHariſſime frater, Juſtiùs de *Micylli* morte Ep. 589. querelam illam apud *Theocritum* recitare poſſumus, quam ſcripta eſt de *Bione*:

Νῦν ὑάκινθε λάλει τὰ σὰ γράμματα, καὶ πλέον αἶ αἶ.

Nam & virtus *Micylli* & eruditio fuit eximia, & labores ejus Eccleſiæ profuerunt. Miſi nunc in Academiam meæ patriæ doctorem Theologiæ, virum eruditum & honeſtum, *Tilemannum Heſhuſium*, quem ſpero, Deo juvante, rectè gubernaturum eſſe ſtudia doctrinæ Eccleſiaſticæ. Exemplum meæ reſponſionis contra *Staphylum* tibi mitto, quam legens deplorabis mecum Eccleſiæ ærumnas, qui cum tam multos exteros hoſtes habeamus, non majore curâ conjunctionem noſtram tuemur. Te quæſo ut mihi ſignifices judicia veſtrorum de mea reſponſione. Carmen etiam παράγελτον mitto, καὶ ἱκέτευον πολλοὺς αὐτὸν χάρισιν, ut *Plato* dicebat *Xenocrati*. Bene vale, & reſcribe. Die XXVI. Martii. Anno M. D. LVIII.

D. Georgio Agricolæ S. D.

CLariſſime vir & chariſſime frater, Non longo Ep. 590. intervallo duobus viris orbatæ ſunt noſtræ Eccleſiæ, quorum eruditio & virtus excellens fuit, Paſtore Eccleſiæ noſtræ, & *Juſto Menio*. Hiſtoriam noſtri paſtoris *Pomerani* recitavi breviter, nam in tanta mole occupationum tempus mihi deeſt ad longiora ſcripta: Mitto Exemplum ejus orationis. Tales narrationes legere utilius eſt, quàm βραχείας συναγωγίας. Nam & conſervare memoriam bene meritorum utile eſt, & multa obiter narrantur, quæ formant judicia juniorum. Tibi quidem ſpero non inſuavem eſſe lectionem noſtrarum lucubrationum. Oro autem Filium Dei, & ut ſemper Eccleſiam ſibi inter nos colligat, & me faciat σκιῇ ἴκελον, & tribuat piam & ſalutarem concordiam noſtris Eccleſiis. Bene vale, & reſcribe. Die *Bartolomæi* M. D. LVIII.

D. Georgio Agricolæ S. D.

CLariſſime vir & chariſſime frater, Et cauſas Ep. 591. & remedia calamitatum monſtrat ſapientia voce Filii Dei, ex ſinu æterni Patris prolata. Ex illis fontibus ignotis Philoſophiæ conſolationem petamus. Etſi autem magnum nobis dolorem adfert illa *Chamenſis* calamitas, tamen major eſt dolor, quem nobis tyrannica inquiſitio adfert in vicinia

vicinia veſtra inſtituta. Legi articulos *Lernææ Hydræ* ſanguine ſcriptos, ac profecto non ſolùm populi cauſa, ſed etiam propter ipſum Principem doleo, quem ingenio & conſilio valere audio. Quis igitur *Abitophel* aut *Phalaris* hæc impia conſilia gubernat? Oro autem Filium Dei, cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut & reprimat illam Tyrannidem, & flectat pectus Principis ad ſuam & populi ſalutem. Dei beneficio geneſis filii tui ſignificationes ingenii & eloquentiæ egregias continet. Oro autem Deum conditorem naturæ & Eccleſiæ, ut nos & veſtras familias regat & protegat. Pagellas tibi mitto, quas quidem ad manum habebam. Brevi mittam gratiores, quanquam ſcio tibi qualiacumque ingeniorum honeſta exercitia grata eſſe. Bene vale, & reſcribe. Die XXIV. Septembris. Anno M. D. LVIII.

D. Georgio Agricolæ S. D.

Ep. 592. DOctiſſime vir & chariſſime frater, Velim te mihi ſcribere περὶ τοῦ ἐξιλασμοῦ, quæ in vicinia veſtra inſtituta eſt, de qua mitto vobis pagellas additas huic Epiſtolæ. Inſtitui autem reſponſiones de ſingulis articulis, quas ſpero piis profuturas eſſe, utinam verò ut in adverſariis rabies creſcit, ita creſceret in nobis pietas, & ſtudium concordiæ, præſertim cum tam multi hoſtes undique Eccleſias noſtras oppugnent. Sed oro Filium Dei, ut nos gubernet. Ducis *Bavarici Alberti* vicem doleo, qui ornatus à Deo, non ſolùm pulcherrimâ regione, ſed etiam ingenio & ſapientiâ, his donis non utitur ad ornandum gloriam Dei, & ſuis Eccleſiis, quæ debebant eſſe decus patriæ, non lenit mæſtitiam. Adoleſcens *Staudacherus* nobis curæ erit, ac decrevi *Noricos* noſtros convocare omnes, ut eorum ſtudia inſpiciam, deſidero enim in quibuſdam diligentiam. Bene & feliciter vale. Die *Lucæ* M. D. LVIII.

D. Georgio Agricolæ S. D.

Ep. 593. CLariſſime vir & chariſſime frater, Scis in ſcriptis Philoſophorum multa diſputari de optimo ſtatu politico, ſed unicus *Pſalmi* verſus tanta de re nos rectiſſimè docet, inquiens: *Ut conveniant Reges & populi ut ſerviant Deo.* Sint concordes, Reges, Doctores, & populus, ſit eadem vox doctrinæ & Invocationis, & ſit talis tranquillitas, ut congreſſus honeſti Eccleſiæ, ſcholarum, & judiciorum eſſe poſſint. Talem ſtatum in *Pſalmo* deſcriptum opto patriæ noſtræ, & Deum cuſtodem Eccleſiæ & politici ſtatus oro, ut Ducem *Fridericum* & Ducem *Wolfgangum* Principes *Palatinos* à veteri *Caroli* ſtirpe ortos, gubernet. Mitto vobis pagellas, in quibus etiam complexus ſum ea quæ rectè dici judico περὶ [illegible], καὶ περὶ [illegible]. Nec volo illa terribilia dogmata proponere piis, quæ dubitationem afferunt, quæ *Gallus* ad *Iſtrum* propugnat. Veſtra tamen judicia libenter audiam. *Schallingio* ſalutem opto. Bene vale. Die VI. Aprilis. Anno M. D. LIX.

D. Georgio Agricolæ S. D.

Ep. 594. CLariſſime vir & chariſſime frater, Mitto vobis exempla reſponſionum de vicinorum veſtrorum inquiſitione, & mitto ut cenſoribus, quia volo Eccleſiam, id eſt, eruditos & pios ubicunque ſunt, Judicem eſſe, ac non tantùm inter me & Pontificios, ſed etiam inter me & [illegible], & alios hoſtes Eccleſiarum noſtrarum, ſimpliciter ea ſtudeo, quæ noſtros confirment, & erudiant juniores, non quæro γρίφους ænigmata, quæ pios turbent, qualia ſunt, quæ in ripa *Iſtri Polyphemi* filius canit, [illegible]. Sed judicium tuum & aliorum piorum mihi ſignificato. *Andreas* paſtor Eccleſiæ *Ienenſis* adhuc in arce quadam captivus tenetur. *Victorinum* ægrotantem reduci Princeps paſſus eſt ad conjugem, ſed ita ut tanquam captivus domi ſit. Oro Filium Dei, ut & illi & nobis opem ferat & nos gubernet. Bene vale. Die viceſimo ſecundo Septemb. Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono.

D. Georgio Agricolæ S. D.

CLariſſime vir & chariſſime frater, Scriptor hiſtoriæ *Appianus*, ubi narrat ſtirpes gentis *Illyricæ* & *Gallorum*, ait ſe nihil legiſſe veriſimilius, quam quod ſcribitur, *Polyphemo* duos fuiſſe filios, *Illyrum* & *Gallum*, ab his duobus ortas eſſe duas gentes. Ad hanc narrationem alludo cum dico, me hoſtes habere *Polyphemi* filios, *Illyricum* videlicet & *Gallum*, qui videlicet in *Iſtri* ripa contra nos odia accendit. Ego vero *Pſalmum* ſequor, qui ait: *Illi maledicebant, ego autem orabam*, & ad judicia piorum & eruditorum provoco. Semper veram Eccleſiam fanatici homines oppugnaverunt, quod fieri vidimus his quadraginta annis. Planè ſimilia δαιμόνια ῥήματα dicebant Enthuſiaſtici *Anabaptiſtarum* duces, qualia nunc ſonant *Polyphemi* filii. Sed commendo nos Filio Dei. Mitto pagellas, quarum lectionem ſpero tibi jucundam fore. Bene vale & reſcribe. Die XXIII. Novemb. Anno M.D.L. Ep. 595.

Heſhuſius facit, quod eſt in *Pindarico* verſu, παλαιὰ γὰρ εὕδει χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτοί. Utinam conjunctionem noſtram tuerentur veteres amici.

D. Georgio Agricolæ S. D.

CLariſſime vir & chariſſime frater, *Xenophon* inquit: [illegible]. Ep. 596.

Tali Principe, Duce *Pomeraniæ Philippo*, qui fuit patriæ pater, ante paucos dies orbati ſumus, quem eò etiam lugere decet, quia matre *Palatinâ* natus fuit, & à *Ludovico* Electore *Palatino* educatus, ſemper eum ceu patrem dilexit. Familiæ *Palatinæ* laudes cum ſingulari ſignificatione benevolentiæ erga eam ſtudioſè audiebat. Me quoque benignius complexus eſt, quia ex meis recitationibus multas hiſtorias Principum *Palatinorum* cognovit. Hæc ſignifico & tibi & aliis amicis apud vos, ut Deo gratias agatis, qui ex matre *Palatina* Principem ſalutarem his regionibus dedit. Filios reliquit, quorum natu maximus annum viceſimum attigit, & linguam *Latinam* & doctrinam Eccleſiæ ſtudioſe didicit. Hic Dei beneficio in gubernatione Patri ſuccedet. Hujus gubernatio ut ſit ſalutaris, faciat Filius Dei cuſtos Eccleſiæ ſuæ. Mitto orationem de *Pontano*, quam ſpero te libenter lecturum eſſe. In qua & hoc ſcriptum eſt, non poſſe opprimi veritatem, qua ſententia me contra *Polyphemi* filios conſolor. Bene vale, & reſcribe.

Die XXVI. Februarii, quo die ante annos quatuor deceſſit ex hac vita Senex Princeps *Fridericus Palatinus*, qui etiam fuit pater patriæ, fuitque ſingularis benevolentia ipſius erga *Ambergenſes*. Precemur Deum ut det ſalutaria imperia, & reprimat Tyrannos & Sycophantas.

D. Georgio Agricolæ S. D.

Ep. 597. CLariſſime vir & chariſſime frater, Dei beneficio adhuc mediocris tranquillitas eſt, & pius conſenſus docentium in Eccleſiis & Academiis Electoris *Saxonici*, *Marchicis* & *Pomeranicis*. Sed alibi tumultuantur, *Flacius*, *Heſhuſius*, & horum manipulares. Provocat *Heſhuſius Bremenſem* concionatorem ad monomachiã de *Cœna Domini*, ſum diſſuaſor. ſed an conſilia noſtra valitura ſint, neſcio. Prorſus ſe disjunxit à me *Heſhuſius*, poſtquam videt *Flacianam* turbam in vulgo & in aulis habere ventos ſecundos. Ego Filio Dei Eccleſiam ſuam & me commendo. Nunc pagellas mitto, in quibus eſt oratio de *Pontano*. Spero tibi boni oratoris imaginem conſideranti, jucundam fore hujus hiſtoriæ lectionem, ac peto ut de ea mihi reſcribas. Bene vale. Idibus Martiis, in quibus interitus *Julii* nos de infirmitate humana commonefacit. Salutem tuis omnibus & amicis opto. Anno M. D. LX.

D. Wolfgango Fuſio, amico ſuo chariſſimo, S. D.

Ep. 598. VTinam tibi, mi *Wolfgange*, prodeſſe poſſem, Nam de ingenio tuo bene ſentio, téque provehi cupio ad honeſtas functiones, ut præparari ad majora Eccleſiæ munera poſſis, ad cujus utilitatem ſtudia tua dirigere debes. Ac ſpero tibi Deum adfuturum, qui ſeſe dixit fundum & patrimonium eſſe Sacerdotum, quia nôrat eos in mundo negligi. Tu igitur forti animo eſto, ſi impetrabis conditionem, quam petis, ornato tuam Spartam: Sed ſi non impetrabis, Deus aliam offeret, eáque in re tibi meam operam polliceor, tu modo ſignificea tuarum rerum ſtatum. Durato, & temet rebus ſervato ſecundis. Bene vale. Die XXV. Octob.

D. Wolfgango Fuſio S. D.

Ep. 599. CLariſſime vir & amice chariſſime, Hanc brevem epiſtolam dedi adoleſcenti *Gallico*, *Petro Craſſo Sylvanectenſi*, nato in familia nobili gentis *Francica*, non procul à *Lutetia*, ut aditum ad te habeat. Non petit pecuniam, vivet enim ſuo ſumptu, quærit alicubi ſcribendi operas, ut linguam *Germanicam* exerceat. Comperi eſſe modeſtum, & juſtitiæ amantem. Quæſo ut pro tua prudentia & virtute oſtendas homini peregrino verè laudari *Myſorum* hoſpitalitatem in *Argonautico* carmine. Bene vale. Calend. Maii.

D. Wolfgango Fuſio S. D.

Ep. 600. ANte annos quinquaginta ſcripſit *Hermannus Buſchius*, cujus vera & virtus eximia fuit, laudationem inclytæ urbis *Lipſiæ* contra *Philomuſum*. Id *Buſchii* carmen ut nobis rurſus edendum mittas, valde te oro. Talia enim monumenta ad poſteros tranſmitti opto, quæ etiamſi in hac mi-

A ſera ſenecta mundi non multos ad virtutem exuſcitant: tamen & hoc tempore bonis dolores leniunt, & grata erit lectio poſteris, qui lætabuntur cogitatione virtutis majorum. Te quoque ſcio talium ſcriptorum lectione delectari. Quare de hac re ad te ſcripſi. Peto autem propter literarum honorem & aliud officium. Hic *Henricus* dedicavit Senatui veſtro carmen, quod cum exhibere velit, opus eſt ei commendatione tuâ ad conſulem. Scis illa *Theocriti*: ἀλλά μοί τι γένοιτο, θεοὶ τιμῶσιν ἀοιδούς.
B Nec mirum eſt, non appeti noſtras merces in hac miſeria temporum. Te tamen oro, ut aliquid ei impetres. Bene vale. Die XIV. Aprilis.

D. Adamo Sibero, amico ſuo chariſſimo, S. D.

SEnatus in *Halinis Saxonicis* quærit gubernatorem ſcholæ literariæ, mecúmque coram & per literas egit, ut hominem idoneum ad id munus, Ep. 601.
C literis inſtructum, amantem operas ſcholaſticas & placidum, indicarem. Etſi enim multæ ſunt egregiæ dotes in *Emerico*, qui hactenus erudiit adoleſcentiam ejus oppidi, & quidem ſingulari dexteritate & felicitate, multa ingenia provexit: tamen vel propter corporis imbecillitatem, vel quia iracundior viſus eſt, nunc ei vacatio muneris conceditur petenti. Te igitur indicandum eſſe ſenatui duximus, ſed ita, ut nihil pollicear tibi, ſed te ipſum velim huc venire, ut cum literis noſtris ad eos,
D qui præſunt in *Salinarum* oppido, accedas. Ubi coram illos audieris, & illi tuam voluntatem cognoverint, de ſumma rei ſtatuetur. Urbs eſt opportuna propter multas cauſas, ſed homini amanti literarum eo nomine gratior ibi ſedes eſſe poteſt, quia vicina eſt duabus Academiis. Si igitur non abhorres ab hac conditione, venies ad nos quam primum. Doctiſſimo viro συμφιλολόγῳ D. *Georgio Agricolæ* ſalutem opto. Bene vale. Die Januarii decimo nono, Anno milleſimo quingenteſimo
E quadrageſimo ſexto.

D. Adamo Sibero S. D.

CUm cœtus veſtros intueor, nonnihil his cogitationibus mihi lenitur mœſtitia, quod hæc agmina diſcentium ſcio Deo curæ eſſe, ac ſpero eis Filium Dei, & Eccleſiam & hoſpitia mediocria ſervaturum eſſe: & ut ipſe Filius Dei aſſideat in his ſcholis, ſit Rector & Doctor, toto eum pectore oro: deinde ut pœnas nobis mitiget. Simul etiam Illuſtriſſimo Principi, & tibi, & Oeconomo gratias ago, quòd *Ægidii* filium veſtro cœtui adjunxiſtis: τοιαύταις θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεός, ut ſcriptum eſt. Viciſſim igitur Deus benefaciet iis, qui talibus ſacrificiis pietatem oſtendunt. Tuo ſancto labori gratulor, ac pro tuo munere, & publico & meo nomine tibi gratias ago. Bene vale. Die *Auguſtini*, M.D.LI. Ep. 602.

G *D. Adamo Sibero* S. D.

CUm audiviſſem magnam oppidi veſtri partem incendio periiſſe, valde conſternatus ſum: ſcholam integram eſſe ſimul audiebam, pro quo beneficio Deo gratias ago, & toto eum pectore oro, ut vos gubernet, & pœnas leniat. Fratrem ſalvum rediiſſe & arculas *Simonidis* non illiberales Ep. 603.
fuiſſe

fuiſſe gaudeo. Ego quoque gratitudinem oſtendere
ſtudebo, quod amanter in opere utili & duraturo,
mei mentionem feciſti. Jam mihi narratur, in
Polonia, *Ruſsia*, & *Sileſia* multa eſſe incendia, &
captos eſſe, qui fateantur, ſe à *Turcis*, & *Iudæis*
conductos eſſe: ſed uſitatum eſt accuſare alios, cum
noſtros mores potiùs accuſare, & emendare debe-
remus. Bene & feliciter vale. Die XXIX. Aug.
M. D. LVI.

D. Adamo Sibero S. D.

Ep. 604. DOctiſſime *Adame*, Hic adoleſcens *Ioannes*
Riſebergius natus in oppido noſtro, filius mi-
niſtri Academiæ, qui in hac frequentia, & gu-
bernationis difficultate magnos labores ſuſtinuit,
ad te proficiſcitur, ut, ſi ei locus in tuo cœtu eſſe
poterit, te audiat. Nam & ingenio valet, & pa-
ter tuæ honeſtiſſimæ diſciplinæ ſeveritate eum re-
gi cupit. Ac offert pecuniam, quæ ab hoſpitibus
ſcholaſticis veſtrâ lege petitur. Nunc te oro, ut
hunc adoleſcentem tuo cœtui adjungas. Pater tot
jam annos ſervit ſcholaſticis, viciſſim igitur ejus
filio benefaciant ſcholæ. Judicat autem pater,
plurimum ei profuturam & tuam vocem, & diſci-
plinam tuæ Academiæ. Quæſo igitur, ut in hac
re & ipſi, & nobis gratificeris. Ac oro Filium Dei,
ut Eccleſiis harum regionum, & earum hoſpitiis
pacem tribuat. Bene vale. Die XXVI. Octobris,
Anno M. D. LVI.

D. Adamo Sibero S. D.

Ep. 605. QUantum referat habere collegam convenien-
tem, καὶ μὴ συγκαταχῶντα, non ſolùm diſcimus
ex veteribus exemplis & commonefactionibus,
ſed etiam ex noſtris, præſertim in hac triſti con-
fuſione Imperiorum. Nec parva pars eſt guberna-
tionis inſtitutio adoleſcentiæ, etiamſi à Centauris
& Cyclopibus deridetur. Opto igitur, ut habeas
collegam convenientem. *Schellenbergium* exiſti-
mo modeſtum eſſe: & ſi me allocutus fuerit, ſcri-
bam de ipſo ad te copioſiùs. Juvemus ſtudia *ju-
ventutis* propter gloriam Dei, quantum poſſumus:
& ſperemus Filium Dei ſervaturum eſſe & doctri-
nam & Eccleſiæ reliquias. In aliis regionibus aut
nihil eſt literarum, aut aſſueſiunt ingenia ad Eth-
nicam ſapientiam: & recèns editum eſt alicubi
ſcriptum, in quo renovantur furores *Samoſatenici*:
quod non ſine gemitu cogitare poſſum. Sed ipſum
Filium Dei λόγον καὶ εἰκόνα ἀιδίου πατρὸς oro, ut ſit ad-
ſertor ſuæ veritatis, & nos regat & protegat. De
tuo opere *Lipſiæ* in mercatu colloquemur. Bene
vale. Die Aprilis XX. Anno M. D. LVII.

D. Adamo Sibero S. D.

Ep. 606. CLariſſime vir, καὶ τῷ θεῷ καὶ ταῖς μούσαις φίλτατε.
Totam *Myſorum* regionem, ut nunc vocamus,
judico triangulo incluſam eſſe: cujus baſis eſt, ju-
ga *Sudetum* inter *Albim* & *Eliſtrum*, videlicet
inter *Pirnam* & *Plavam*: cacumen trianguli eſt
penes confluens *Sala* & *Albis*, unde nomen eſt
Calegia apud *Ptolemæum*, quod *Salelbiam Luthe-
rus* interpretabatur. In eo triangulo, Dei bene-
ficio, multa ſunt ornamenta: genus hominum
non incultum, Eccleſiæ, urbes, ſcholæ, judicia,
mediocris diſciplina, frugum feraces agri, & venæ

A metallicæ. Hæc ſæpe cogitans, oro Filium Dei,
cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut in hac regione ſua dona
tueatur, & ſervet hos cœtus, quos tu, & alii ſimi-
les docetis, qui quidem piis votis ipſum invocant,
te precationum verba & numeros præſcribente;
ut ex ore infantium & lactentium celebretur Deus.
Inſpexi autem ſcriptum tuum, & quidem eos
Pſalmos præcipuè, in quibus plerique interpre-
tes valde hallucinati ſunt. In iis vidi, te nativas
ſententias feliciter reddidiſſe ſumque delectatus &
B proprietate & venuſtate. Quare ut edas hoc tuum
opus, valde te adhortor, nec *Momos* cures, qui-
bus præter ſua nihil placet. Ut *Eobanum* qui-
dam exagitant, cujus quàm fuerit felix vena, quan-
tus ſplendor, ſcimus. Sed voluit in *Pſalmis* humi-
liore verſuum genere uti. De præfatione admo-
nebis me. Etſi enim tua dulciſſima poëmata lecto-
res invitant ſine aliena commendatione: tamen
mihi placet, etiam in tuis ſcriptis extare ſignifica-
tionem noſtræ amicitiæ. Bene vale. Die VII.
C Novem. M. D. LIX.

D. Chriſtophoro Schellenbergio Sponſo,
amico ſuo, S. D.

COnjugium humana divina Academia vita eſt, Ep. 607.
inquit *Stigelius*. Id graviſſimè & veriſſimè
dictum eſſe, longâ oratione oſtendi poſſet. Nam
ipſe ordo legum caſtitatis, & teſtatur eſſe Deum,
& oſtendit, qualis ſit. Et conſervatio ſocieta-
D tis humanæ præſentiam Dei in genere humano
monſtrat. Deinde caſti conjuges in tota vita,
in multis magnis periculis præſentiam Dei cer-
nunt. Exercitia etiam virtutum plurima acce-
dunt. Quòd igitur, ut Deo obtemperes, in
conjugio caſto vivere decreviſti, pietas tua Deo
grata eſt; quem oro, ut tribuat tibi, & pudiciſſi-
mæ ſponſæ fauſtum & felix conjugium, & ſervet
in his regionibus poſteritati Eccleſias & politias.
Tibi etiam & ſocero gratulor hoc Dei beneficium,
E quod ſimul in labore utiliſſimo Eccleſiis & poli-
tiis, tanquam ἀδιασπάστως vivitis. Accederem ad
ſacrum *Hymenæum*, niſi reditum aulæ expectare
cogerer. Speramus enim intra triduum, Deo ju-
vante, ducem *Saxoniæ* Electorem cum comitatu
adfuturum eſſe, qui ut lætus cum ſuis redeat, fa-
ciat Filius Dei Dominus noſter *Ieſus Chriſtus*,
Eccleſiæ ſuæ cuſtos. Mitto γαμήλιον, quod pudi-
ciſſimæ ſponſæ tuæ exhibeas meo nomine. Salu-
tem ſocero & vobis omnibus opto. Bene vale.
F Die nono Sept. M. D. LIX.

D. Iohanni Miniſtro ſuo fideliſsimo S. D.

CHariſſime *Ioanne*, Toties ſe vocat Deus Pa- Ep. 608.
trem orphanorum, credamus igitur, & noſtros
orphanos, quos tu quotidie geſtas, & ſummâ pie-
tate educas, ei curæ eſſe. Imò nos ipſos quoque
cum reverà ſimus orphani, ſciamus ab eo & ali &
protegi, & nos ipſi commendemus. Fretus con-
ſcientiâ rectæ voluntatis & moderationis, quam
G turbulentiſſimis temporibus præſtiti, nondum fu-
gere decrevi, ac Deo juvante, ad vos intra octi-
duum unà cum collegis rediturus ſum. Miſi hinc
nuncium ad vos, cui dedi paginas exhibendas Ma-
giſtro *Paulo*; ſpero eum ad vos perveniſſe, videba-
tur enim homo non vanus eſſe, & civis erat *Tor-
genſis*. Noſtram familiam tibi commendo. Bene
& feliciter vale. Die *Georgii*.

D. Chriſto-

Iohanni Miniſtro ſuo S. D.

Ep. 609. CHariſſime *Iohannes*, Dei beneficio ſalvi & incolumes pervenimus ad *Werngerod* in ditionem comitis *Stolbergii*. Nactus autem hunc aurigam, iturum propter alias cauſas *Brunſuigam*, egi cum eode parte ſupellectilis transvehenda. Imponetis ergo quantum vehere poteſt, & jubebitis eum res noſtras deponere in domo *Gulhelmi Reiffenſtein*. Jam quæro & alterum currum. Si habere potero, ipſe illuc revertar, ut de viduæ negotio deliberem. Bene vale. Precium jam dedi. Sive hodie alterum currum habere potero; ſive non, vos tamen huic currui imponite partem ſupellectilis.

Iohanni Miniſtro ſuo S. D.

Ep. 610. CHariſſime *Johannes*, Ante duodecim dies miſi ad vos curſorem noſtrum, & ſcripſi, ut chartas quæ continent enarrationem *Lutheri* in *Geneſin*, poſitas in mea arca juxta menſam, mihi mitteretis. Cum autem non redierit ad me curſor noſter, miror quæ moræ cauſa ſit, & de chartis ſolicitus ſum. Mitto igitur jam hunc tabellarium, civem *Witebergenſem*, fidum hominem, ac vobis notum, ſi adhuc habetis illas chartas, huic meo tabellario tradi eas volo, ut ad nos adferat. Nam nuncius *Noribergenſis* hic eas expectat. Faſciculus continens illam *Lutheri* enarrationem in arcam juxta menſam a me poſitus eſt, ubi invenies juxta *Ptolomæi* codicem, faſciculum quadrangulum membranâ tectum, quem ſi nondum miſiſtis, nunc mittite. Moleſtè vero ad cæteros meos dolores hunc addi, quod mihi nihil ſcribitis. Quæſo ut reſpondeas. Meam familiam Deo, & domino *Michaeli*, & tibi commendo. Bene vale. Pridie Calend. Septembris.

Iohanni Miniſtro ſuo S. D.

Ep. 611. CHariſſime *Iohannes*, Circumfero mecum, etiam cum domo abſum, ingentes dolores meos. Precemur Deum æternum Patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti*, conditorem æternum & opitulatorem, nè abjiciat nos, ſed juvet & gubernet. Meos tibi commendo. Si quid literarum inſcriptarum adferetur ad vos, præſertim ex conventu *Spirenſi*, curabis ut primum eas legat D. *Caſpar Cruciger*, qui judicabit, quæ oſtendendæ ſint cæteris. Bene vale, & ſalutem dicito noſtræ familiæ. Datæ in *Salinis*.

Iohanni Miniſtro ſuo S. D.

Ep. 612. CHariſſime *Iohannes*, Poſtquam hic nunciatum eſt, milites *Mauricianos* acceſſuros eſſe ad arcem *Gomeriam*. dimittere me amici nolunt, metuentes pericula in via. Etſi igitur omnino redire decrevi: tamen expectabo adoleſcentem noſtrum. Interea tibi commendo familias noſtras, meam, & Magiſtri *Pauli*. Si milites iter facerent per *Serveſtam*, traducendæ eſſent familiæ, vel in civium, vel in diaconorum domos, ubi aliqua autoritate tegerentur. Deus ſervet & defendat *Witebergam* & nos exules. Bene vale, & per hunc tabellarium, qui cras rediturus eſt, reſcribito. Bene vale. Die II. Decemb.

Iohanni Miniſtro ſuo S. D.

Ep. 613. CHariſſime *Iohannes*, Dicas meæ uxori me mediocriter valere, & mecum diſputo unde fuerint orti dolores quos ſentiebam, cum mane iter ingrederer. Judico enim ſplenis obſtructionem fuiſſe. Scripſi domino Rectori & Magiſtro *Paulo* de publicis & aliis negotiis. Cura ut literæ diligenter reddantur iis, quibus inſcriptæ ſunt, & nuncio date cibum, ego eum meo ſumptu miſi. Cave nè auriga *Wenceſlaus* de vino petat pecuniam à conjuge domini Doctoris, ſed vos ſolvite. D. D. *Chilianus* jubet te mittere ſaccos, ut ſale impletos remittat. Filio dicas ut mihi ſcribat. Bene vale. Pridie ante Natalem *Chriſti*.

Iohanni Miniſtro ſuo S. D.

Ep. 614. CHariſſime *Iohannes*, Etſi ſedem certam nondum hic habemus; tamen me operæ typographicæ detinent. Vendita ſunt tria millia exemplorum Dialectices. Nunc recuditur, & emendatione indiget. Decrevi igitur accerſere familiam, ac volo, ut cum valetudo uxoris ac puellarum ſinet, iſtic currus conducatis, & huc transvehatis totam familiam & ſupellectilem. Nam opinor domum in qua habitatis, jam Magiſtro *Andreæ* cedendam eſſe, & cum hic ſit filius *Sabini*, & mihi in aliena domo hyeme manere incommodum ſit, hic mecum eſſe familiam, donec Deus concedet, commodius eſſe judico. Nam etiamſi rurſus aliæ peregrinationes ſuſcipiendæ erunt, hic molieri reliqua ſupellex inſpicienda eſt. Expectabimus hic Deo juvante exitum Conventûs. Bene vale. Die *Lucæ*.

Iohanni Miniſtro ſuo S. D.

Ep. 615. CHariſſime *Iohannes*, Niſi me Dialectices editio retineret, multò ante ad vos profectus eſſem, ſumus hic in magna mœſtitia, nec dies ullus ſine lachrymis mihi abit. Nec tamen diſcederem, ſi qua ſpes eſſet inſtaurationis Academiæ. Hodie Magiſter *Paulus* in *Francos* ducit conjugem, quod ſanctum & felix ſit. Retinere ibi eum multi conabuntur. Sed Deo nos commendemus. Bene vale. *Annæ* miniſtræ mittimus triginta tres Joachimicos.

Iohanni Miniſtro ſuo S. D.

Ep. 616. CHariſſime *Iohannes*, Decrevi intra paucos dies ad vos redire. Nam ſenatus in urbe *Parthenope*, propter tumultus harum regionum, exiſtimat nunc non eſſe huc adducendam frequentiam ſcholaſticorum. Atrociter minitantur vicini huic urbi *Parthenope*, & in *Salinis* atrocia fecerunt. Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, reſtituat piam & ſalutarem pacem. Adoleſcentem hunc tabellarium juſſi ire *Witebergam*, ſi patet aditus, quare petas à conjuge Magiſtri *Eraſmi Salveldenſis* claves ad ærarium Academiæ pertinentes, ut conjugi ſcripſit Magiſter *Eraſmus*, & eas claves adoleſcenti tabellario tradas. Nam *Witebergæ* opus eſt iis clavibus Quæſtori ærarii noſtri. Bene vale, & ora pro tota Eccleſia, & his regionibus, & familiâ noſtrâ. Salutem opto tori familiæ. Die *Andreæ*.

Iohanni

Iohanni Miniſtro ſuo S. D.

Ep. 617. CHariſſime *Iohannes*, Rediit ex *Argentorato* nuncius *Andreas*. Scribit frater noſtrum oppidum & Ducatum *Wirtebergenſem* non vidiſſe hoſtiles exercitus. Sed ditio Epiſcopi *Spirenſis* dedit *Marchioni Alberto* centum millia aureorum & viginti millia. Direptum eſt & oppidum *Oppenheim*, quo multi ex ditione *Moguntina* res ſuas tranſvexerant.
B *Sigiſmundus* nominatim tibi ſalutem jubet dici. Nunc auditor eſt *Nicolai* in Academia *Heidelbergenſi*. Doctor *Sicinger* & uxor rectè valent, & Principis erga ipſum benevolentiam audio eximiam eſſe. *Sebaldus* quoque ibi in aula locum habet. Bene vale. Die XVIII. Auguſti. *Oſiander* quærit locum in *Anglia*.

Iohanni Miniſtro ſuo S. D.

Ep. 618. CHariſſime *Iohannes*, Dei beneficio filioli rectè
C valent. Ego ubi negotium egero, quod cum ſenatu agi neceſſe eſt, ad vos redibo. Nam typographicæ officinæ requirunt, ut veniam. Te oro ut ſolitudinem iſtam patienter feras. Noſtram domum & ſupellectilem Deo primùm commendo, deinde & tuæ fidei. Si quid literarum acceperis priuſquam redeo, ſervato donec iſtuc venio. Bene vale. Die V. Auguſti. *Torgæ*.

D *Iohanni Miniſtro ſuo* S. D.

Ep. 619. CHariſſime *Iohannes*, Oro Deum vitæ fontem, ut tibi corporis & animæ vires conſervet, ac valde te adhortor, ut victûs & valetudinis tuæ causâ ad nos venias. Magiſtri *Caſpari* reditum expecto, aut certè literas, ut de tua valetudine certiora cognoſcam. Vellem te vino uti & ſumptus non metuere. Audio brevi ſuturum, ut milites iſtinc abducantur. Et conventus *Dreſdenſis* nunc quidem ſpem pacis, Dei beneficio, oſtendit, quæ utinam ſit
E diuturna. *Carolum* Imperatorem audimus rediiſſe *Auguſtam*. Bene vale, XXX. Auguſti.

Iohanni Miniſtro ſuo S. D.

Ep. 620. CHariſſime *Iohannes*, Miſiſſem ad vos curſorem noſtrum, ſed *Bartolomæus Cycnæus* ægrotat, cui
A ſervire eum oportet; Ego ſic ſatis valeo. Etſi autem ſcio me reprehendi, quod vel *Lipſiam* acceſſi, vel huc: tamen multæ fuerunt cauſæ probabiles, cur nollem deſerere Academiam & noſtros collegas, quorum conjunctio ſtudiis noſtris profuit. *Lipſiæ* à me petitum fuit, ut in ejus urbis Academiam migrarem, planè recuſavi. Et jam ante meum adventum fuerat petita inſtauratio noſtræ Academiæ, quam impedivissem, ſi me etiam huc rediturum eſſe negâſſem. Nunc deliberationes ſunt de in-
B ſtauratione noſtræ Academiæ, & res adhuc incerta eſt. quia nondum decrevit aula, quos reditus Academiæ attribuere velit, & de pecunia tardæ in aulis ſunt deliberationes. Si vir optimus Doctor *Matthæus* exhibuit uxori meæ pecuniam *Winmaria* allatam, præcipio ut integram ei ſine ulla contatione reſtituatis. Bene & feliciter vale; commendo tibi filias noſtras & familiam. Die *Laurentii*,

C *Iohanni Miniſtro ſuo* S. D.

HIc tabellarius nuncius Ducis *Wirtebergenſis* Ep. 621. literas mihi attulit & ab ipſo Principe humaniſſimè ſcriptas & ab amicis. Nuncium volui iſtuc proficiſci. Nam hic reſpondere non potui. Commendo eum meæ uxori & tibi, ut domi noſtræ cibum capiat. Lectum etiam ei curabis. *Criſpus* eum volet apud ſe retinere. Nos cras Deo volente iter ingrediemur. Literas quas
D addidi, reddas domino Doctori *Ionæ*. Τὸν ἐκεῖνον ſalutabis, ac dicas ei me coram reſponſurum eſſe. Bene & feliciter vale. & ſuaviolum meis verbis dato meæ filiolæ *Magdalenæ*. Die Jovis.

Iohanni Miniſtro ſuo S. M.

CHariſſime *Iohannes*, Magiſtro *Paulo Ebero* Ep. 622. mox tradas hunc faſciculum literarum, quia
E deliberationes ſunt de Academia, quas Deus gubernet. Quæſo ut mox ubi has literas acceperis, accedas Magiſtrum *Paulum*. Familiam meam tibi commendo. Bene vale. Pridie Calend. Januarii.

Mirabili calumnia fuit incenſus Imperator adverſus me, ſed D. *Michael* & alii quidam me excuſaverunt.

EPISTOLARVM PHILIPPI MELANCTHONIS.

Liber Tertius.

D. CHRISTOPHORO PEZELIO
CASPAR PEVCERVS S. D.

INter ea, quæ mihi ex carceribus ſingulari miſericordiâ Dei liberato, cognitu fuerunt jucundiſſima, loco etiam præcipuo fuerunt ſalutares operæ tuæ, & repetitæ atque illuſtratæ utilibus ſcriptis, non controverſæ tantùm, ſed & reliquæ doctrinæ *Chriſtianæ* partes, ex *Philippi Melanthonis*, noſtri & Patris & præceptoris perpetuâ gratitudine colendi, monumentis. In quibus vivet ille poſteritati, ubicunque Eccleſia aliqua manſura eſt. Nec quæ in optimè ac præclariſſimè meriti manes, ac ſcripta ſævit rabies, illa vel devoratura, vel extinctura eſt.

Quapropter & Deo egi & ago gratias, & tibi donum hoc Sancti Spiritus gratulor, quòd te fecit organum ſalutare Eccleſiæ, ac fidelem conſtantémque teſtem, cuſtodem, & aſſertorem veritatis ſuæ: precorque ut & vitam proroget tibi, & augeat, atque confirmet vires in uſus Eccleſiæ publicos, diuturnos, ac neceſſarios. Agnoſcet hoc in te donum, ac grata eo fruetur poſteritas. ἀμείβεαι γὰρ ὅπλοις τοὺς μάρτυρας στρατιώτας.

Debeo verò etiam ac habeo gratiam tibi pro ſuſcepto in te onere, curâque editionis Epiſtolarum *Philippicarum*, ac opto ut Viri boni ubique locorum, ſi quid adhuc repoſitum inter ſua κειμήλια talium ſcriptorum occultant, id proferant, ac liberaliter labores hac in parte tuos inſtruant & adjuvent: Cum mihi ad hoc genus operarum, & editionum, qui nunc abſum à Scholis & Typographiis, tantum ocii, quantum requiritur, non concedant occupationes aliarum ſcriptionum: & ipſa me ingraveſcens ætas tardiorem paulatim reddat. Conſilio tamen meo & ſtudio, ubicunque opus erit, præſtò tibi eſſe non deſinam. Benè ac feliciter vale. *Deſſaviæ* 8. die Februarii, quo me ante annos quatuor, Dominus meus *Jeſus Chriſtus* glorioſè liberatum eduxit ex carcere: cui ſit Laus, Honor, Gloria, & gratia ſempiterna. Amen. *Anno M. D. XC.*

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI,
AC DOMINO,

D. CHRISTIANO,

PRINCIPI ANHALTINO,

COMITI ASCANIÆ,
Domino Serveſtæ & Bernburgi, &c.
Domino ſuo Clementiſſimo, S. D.

CHRISTOPHORVS PEZELIVS,

Theologiæ Doctor.

EDidit ante complures annos, Epiſtolarum Philippi Melancthonis *(cujus memoria apud bonos omnes eſt in benedictione) libellos duos, Vir Clariſſimus, & Pietatis, Sapientiæ, ac meritorum in Eccleſiam & Rempubl. laude Præſtantiſſimus* D.Caſpar Peucerus, *Magni illius* Melancthonis *gener. Quem ego vivum ſpeculum providentiæ, id eſt, præſentiæ, bonitatis & potentiæ divinæ, libenter nominare ſoleo. Cui & credere in* Chriſtum, *& pro* Chriſto *pati divinitùs datum eſt, & quem, poſt conſervationem miraculoſam in tot annorum captivitate, glorioſè Filius Dei liberavit: patefactâ innocentiâ ejus, & cauſa veritate: & in apertum productis fraudibus & calumniis inimicorum: & conciliatâ ei apud Illuſtriſſ. Ducem Electorem* Saxoniæ Auguſtum *inclytæ memoriæ novâ gratiâ: & reſtitutâ libertate: Interceſſione Illuſtriſſimæ memoriæ Patris tui, Principis optimi & beneficentiſſimi D.*Ioachimi Erneſti, *cujus familia etiamnum cum in honore & precio ſecum habet, cum ſumma laude & approbatione piorum omnium, & cum immortali gloria familiæ veſtræ ad univerſam poſteritatem.*

Dederat autem, paulò ante triſtem ac lugendam illam Academiarum in Miſnia *diſſipationem, Clariſſimus D.*Peucerus *negotium, Doctiſſimo Viro M.* Wolfgango Crellio *genero meo, tertii quoque libri* Epiſtolarum Philippicarum *colligendi: Suppeditatis ipſi, partim autographis, partim antigraphis literarum* Melancthonis, *quas ex diverſis locis Viri docti liberaliter cum D.*Peucero, *in hunc uſum, ut ederentur, communicaverant.*

Sed cùm operam hanc publicæ utilitati ille navare cœpiſſet, incidit (proh dolor!) calamitas illa fatalis Academiarum Dei Opt. Max. permiſſu, & molitionibus pernicioſis Satanæ, & ψευδαδελφῶν quorundam nefariis artibus. Quos verè nominabit poſteritas cum Menandro, *δεινοὺς μηχανορράφους κακῶν: Quos & Illuſtriſſ. memoriæ Dux* Sax. *Elect.* Auguſtus *tales fuiſſe tandem agnovit, & juſtâ indignatione à ſe repulit. & ſi vixiſſet diutiùs, citra omnem dubitationem, cæteros quoque dignis excepturus fuiſſet modis.*

Eâ calamitate, tùm hæc, tùm aliæ opera ſuſcepta propter publicam utilitatem, interrupta atque impedita fuerunt: Academiis duabus omnium florentiſſimis in Germania *disjectis ac diſturbatis: Et Viris doctis multis, ac Theologis inprimis, in exilium pulſis, incitatione quorundam ex hoſtibus atque inimicis* Philippi Melancthonis, *de cujus demortui capite & doctrina, tanto jam tempore ab inquietis & turbulentis iſtis hominibus potiſſimùm agitur.*

Ex quibus tanta aliquorum ὕβρις fuit, tantaque odii acerbitas, ut ad nomen Philippi *æternâ oblivione obruendum, cùm reliqua ejus ſcripta jam ante in lucem edita, ex manibus diſcentium eripere ſatagerent, adeóque nè typis quidem imprimi ampliùs vellent: Tùm, quæ manu ſcripta, necdùm edita, inter chartas eruditorum reſtabant, ſupprimere ac delere in univerſum, haud obſcurè conati fuerint. Cujus rei vel unum hoc Exemplum commemorabo.*

*Intellexerant aliqui ex κακοήθων iſtorum numero, in vaſis, in quibus ſuppellex libraria M.*Wolgangi Crellii *erat, mediocrem acervum latere, cùm Epiſtolarum* Philippi Melancthonis, *tùm judiciorum ejus de Variis controverſiis. Quæſito ergo vaniſſimo prætextu, non quieverunt prius, quàm Vaſis jam* Witeberga *avehendis recluſis atque apertis, pleraque propè parata ad editionem, pro libitu ſuo eximerent, ſibique reſervarent.*

Erant autem multa ex his deprompta ex Bibliothecis, cùm aliorum, tùm vel maximè ex Reverendi, & doctrinâ, ac pietate eximiâ præſtantis Doctoris Henrici Molleri, *collegæ mei veteris, cujus recentem obitum Eccleſia* Chriſti *nunc meritò luget.*

Hic enim, ut domeſtico convictu ultra annos decem familiariter D. Philippo *conjunctus fuerat, ſic inſigniora pleraque, quæ tota hoc temporis ſpacio à Præceptore privatim ſcripta erant, manu ſuâ voluminibus duobus complexus erat. Quorum jacturam irrecuperabilẽ memini illum ſæpè multúmq; in literis ad me ſcriptis deplorare, & audaciam ac protervjam* τῶν πλαγιαρίων *deteſtari, qui contra jus & fas, abſentum ſcrinia ſpoliare, & fructu laborum ſuorum privare exules, & publicæ militati ſurripere monumenta utilia veriti non fuiſſent.*

Cujus ego injuriæ atrocitatem exaggerare nunc non conſtitui, nè dolori meo, quanquam juſtiſſimo, indulgere videar, præſertim fato jampridem ſublatis illis, qui injuriæ ejus authores fuerunt.

Nec verò, quò theſauri illi librarii, per plagium erepti, pervenerint, aut quid de iis actum ſit ex tot annorum intervallo, reſciſcere unquam potuimus. Sed vel amiſſis illis. vel ſi adhuc ſuperſunt, injuſtè occupatis ab iis, qui velut canes in præſepi publicæ utilitati eos invident; reliquias quaſdam Epiſtolarum & judiciorum Melanchthoniorum *conſervârunt nobis Rhapſodiæ Viri venerandi M.* Abrahami Bucholceri *piæ memoriæ. Quas ab eo adhuc ſuperſtite, unà cum aliis libris chartaceis emerat Vir & Poeta optimus M.* Ioachimus Meyſterus.

Qui ad munus Rectoris in Scholam Bremenſem Gorlicio *vocatus, ſecum eas ad nos attulit, & ſic quidem attulit ut cùm inſpiciendas ac perluſtrandas mihi ultrò offerret, ſæpè mihi hortator fuerit, ut quæ editione digna viderentur, deligerem atque in ordinem certum redacta publici juris facerem.*

A quo inſtituto cùm non abhorrerem, & plura tamen, eáque accurratiora requirerem. Eámque ob cauſam in aliud tempus hunc laborem rejicerem: Opportunè accidit, ut vir clariſſimus Dn. Iacobus Monavius *de inſtituto hoc certior à me factus, ſe quoque ſignificaret Epiſtolas* Melanchthonis *ab amicis hinc inde à multis annis conquiſiviſſe, & tanquam tabulas fractæ navis collegiſſe: Eáque in re neque labori neque ſumptui ſe pepercîſſe, & in obtinendo eo, quod ferventi ſtudio propoſitum ſibi habuerit, haud infelicem operam navâſſe.*

De editione ergò Epiſtolarum Melanchthoniarum *cùm inter nos deliberaretur, intervenit optatiſſima Doctoris* Peuceri *liberatio. Qui cùm boni ominis loco accepiſſet, reliquias iſtas* Philippicarum Epiſtolarum *non prorſus interiiſſe: Coràm D.*Monavio *oſtendit, non abhorrere ſe à conſilio editionis illarum.*

Verùm hac cùm diutiùs voto ac deſiderio noſtro differretur propter graviores illius occupationes: mihique ab adverſariis Eccleſiæ Bremenſis *cauſa afferretur peculiariter edendi Epiſtolas D.*Philippi *ad D.* Albertum Hardenbergium, *quarum pleraque ad negotiũ Euchariſticum ſeu Dipnicum ſpectare videbantur: Eò libentiùs ſaltem iis ipſis Epiſtolis edendis manum admovi, ut calcar adhiberem Viro Clariſſ. D.*Peucero *ad maturandam editionem juſti alicujus voluminis Epiſtolici: Eámque ut per ſe, vel alios curare dignaretur, privatim ac publicè ab eo petii.*

*Is igitur & propter publicum bonum, & propter ſingularem ac perpetuam ipſius erga me benevolentiam, ſummâ cum voluntate mihi poteſtatem fecit curandæ editionis, & ut eam primo quoque tempore inſtituerem, ſeriò me monuit atque hortatus eſt. Quod cùm ex utroque noſtrûm cognoviſſet D.*Monavius, *pro amore ſuo in nos, & communi ſtudio tuendæ ac conſervandæ memoriæ & nominis* Philippi Melanchthonis, *ſponte ſuâ, quæ ſecum ipſe haberet, mihi pollicitus: interea donec commodè ea mitteret, volumen Epiſtolarum haud aſpernandum, à Viro Doctiſſimo & utrique noſtrûm amico* M. Martino Mylio, *ſive ex* Monavianis & Bucholcerianis *deſcriptum, ſive proprio labore & induſtriâ aliunde auctum facilè mihi impetravit: ut cum iis, quæ ex optimi & integerrimi Viri M.* Meiſteri, & Bucholceri *collectaneis mecum habebam, conferrem, atque editionis tandem initium facerem.*

Quare & ſponte meâ incitatus, & conſenſu aut juſſu potiùs præſtantiſſimi noſtri Peuceri *fretus, & ſubſidiis D.* Monavii *& M.* Mylii ἀπὸ μηχανῆς *adjutus, manum tandem Deo juvante huic operi admovi: Et quantum hoc tempore Typographus, nondum ſatis ab adminiculis operarum neceſſariis inſtructus abſolvere potuit, quomodocunque congeſſi, quaſi ſpecimen futurum ſequentium aliquot libellorum, in quibus Epiſtolas* Melanchthonias *nondum editas, & fragmenta judiciorum de controverſiis multis, quæ quidem habere ad manum potero, colligere ac publici juris facere decrevi.*

Quòd ſi quid nunc minùs accuratè in hoc libello curari à nobis potuit: in eo ut veniam feſtinationi huic dent Lectores candidi, amanter rogo, daturus Deo juvante operam, ut quod deſiderabitur, id in poſterum, judicio, delectu, & diligentiâ exactiori compenſetur. Nam & propterea exiguum hunc libellum, pagellis Epiſtolarum ad Hardenb. *ſeorſim ac recèns excuſum ſubmittere volui, ut & precio minori comparari, & bonorum ac Doctorum virorum qui nominis* Philippici *ſtudioſi atque amantes ſunt, judicia de hoc labore explorari faciliùs poſſent.*

Placet enim mihi exemplum Apellis *qui opera à ſe inchoata proponebat in pergula tranſeuntibus, ac poſt tabulam ipſam latens, vitia quæ notarentur, auſcultabat, alios diligentiores*

EPISTOLARUM PHIL. MELANCTHONIS

LIBER TERTIUS.

Ad ſereniſſimum Regem Romanorum Ferdinandum: nomine Electoris Saxoniæ & conjunctorum Principum, Comitum & civitatum, Litera à Philippo Melancthone ſcripta Anno M.D.XXXIII. de indictione Concilii facta à Paulo III. Pontifice.

Epiſt.1. SEreniſſime Rex, Poſtquam *Romanus* Pontifex *Paulus* tertius generalem Synodum *Mantuæ* celebrandam die XXIII. Maii indixit, miſit ad nos invictiſſimus Cæſar & Imperator *Carolus* Clementiſſ. Dominus noſter Oratorem ſuum, ut indictionem illam Concilii nobis indicaret, ac peteret, ut ad eam Synodum vel ipſi veniremus, vel procuratores noſtros mitteremus.

Etſi autem nos ex animo ſemper optavimus, ut Synodus rebus deliberatis emendationem abuſuum atque errorum, qui jam diu in Eccleſia hærent, inſtitueret, etiam adverſus illos ipſos Pontifices & Prælatos, quorum partim negligentiæ, partim cupiditatibus vitia illa in Eccleſiam irrepſerunt: tamen Bulla, in qua *Paulus* Pontifex Concilium indicit, non obſcurè teſtatur Pontificem cum ſuis conjunctis nequaquam paſſurum eſſe, ut in Synodo de reſtituenda vera doctrina, & de corrigendis abuſibus atque erroribus agatur.

Sed quemadmodum ab ipſo, & quibuſdam ſuis anteceſſoribus doctrina, quam confeſſi ſumus; ſine ulla cognitione, aut examinatione in Generali, libera, & *Chriſtiana* Synodo, temerè & cum contumelia Evangelii damnata eſt: Ita ſe oſtendit *Paulus* Pontifex hæc præjudicia prætextu Synodi confirmaturum eſſe, & conatur ſibi obligare omnes Reges & Poteſtates, ut ipſâ receptione Bullæ ipſi quoque aſſentiantur illis præjudiciis, & omiſſâ cognitione ſe ad piam & Catholicam doctrinam & in Evangelio clarè traditam, quam profitemur, extirpandam & armis delendam conjungant.

In hanc indictionem ſi conſenſiſſemus, viſi eſſemus hæc præjudicia confirmare, & doctrinam Eccleſiarum noſtrarum teſtimonio noſtro condemnare.

Itaque Oratori Cæſareæ Majeſtatis verè & bonâ fide commemoravimus, quare nobis illa indictio Concilii iniqua, & pernicioſa Eccleſiæ videatur, ac petivimus, ut C.M. excuſationem noſtram, etiam conſentaneam juri ſcripto & naturali, quare in illam indictionem non conſentiamus, exponat.

Non dubitamus autẽ, quin *Rom.* Pontifex & hi quos habet conjunctos ſe excuſaturi eſſent apud Regiam dignitatem veſtram, tanquam Pontifex fecerit ſuum officium, ac oſtenderit ſe voluiſſe rectè conſulere Eccleſiæ: Nos verò oneraturus eſſet invidiâ, quaſi communi utilitati deeſſe velimus.

Neceſſarium igitur nobis viſum eſt, cauſas propter quas indictionem illam iniquiſſimam & inſidiarum ac periculorum plenam recuſavimus, Regiæ D.V. & cæteris Regibus & Principibus ſignificare, ut adverſariorum calumniis, & aliorum ſuſpicionibus occurreremus. Itaque ut R.V.D. cauſas illas verè & integrè intelligere poſſit, rogamus per gloriam *Chriſti*, ut R.D.V. noſtram excuſationem, quam publicatam his literis adjicimus, perlegat: & conſideret, quâ in re non ſolùm caveatur periculo multorum in *Germania* populorum, quibus R.D.V. optimè velle ſperamus, ſed etiam cogitet hanc noſtram cauſam ad communem Eccleſiæ ſalutem pertinere: in qua cùm diſciplinam multis in rebus collapſam eſſe conſtet, & paulatim receptos eſſe abuſus non diſſimulandos: multi & præſtantes viri emendationem ſeriò optaverunt & flagitârunt.

Non dubitamus autem, quin R.D.V. etiam ex animo cupiat Eccleſiæ (quemadmodum Deus præcipuè hoc officium à ſummis Principibus requirit) omni ope & omnibus viribus conſulere. Proinde & communem Eccleſiæ cauſam, & nos ipſos diligenter commendamus R.D.V. & noſtra officia cum ſumma obſervantia Regiæ Dignitati V. deferimus. Bene & feliciter valeat R.D.V.

Franciſco primo Regi Galliæ, Illuſtriſſ. Principum atque ordinum Imperii Proteſtantium nomine, Philippus Melancthon

Epiſt.2. SAlutem & obſequium noſtrum. Sereniſſime atque *Chriſtianiſſime* Rex; Quoniam ea benevolentiæ ſigna Regia dignitas veſtra nobis ſemper exhibuit, quæ argumento eſſe poſſint, Regiam Majeſtatem veſtram, optimo eſſe & amiciſſimo erga nos animo, aliquoties etiam experti ſumus apud Regiam Celſitudinem veſtram, noſtras preces non parum habuiſſe momenti: Itaque nunc etiam de quorundam privatorum incolumitate, qui partim in variis regni veſtri locis, præſertim *Gratianopoli*, & aliis Provinciæ Urbibus capti tenentur, partim cum parvis liberis miſeri reliquerunt ſuas domos,

& in cavernas ſugere coacti ſunt, propterea quòd de doctrina *Chriſtiana* idem ſentiant quod Eccleſiæ noſtræ profitentur: ad Reg. Celſ. veſtram ſcribendum & pro illis intercedendum duximus.

Magno dolore afficimur, quòd cum negari non poſſit, multos veteres abuſus hærere in Eccleſiis: ita tamen exarſerit iracundia paſſim, ut & ſalutares ſententiæ obruantur, & non ſolùm homines privati, ſed etiam gentes totæ veniant in periculum: Quæ cum ſupplices fiunt Regiæ Celſ. Veſtræ, exiſtimet Regia Celſ. Veſtra non nos tantùm, ſed ipſam Eccleſiam *Chriſti* lugentem jacere ad pedes ſummorum Regum, & opem implorare ac petere, nè lux exorientis Evangelii extinguatur, & ut modeſtis hominibus ac *Chriſti* membris parcatur.

Scimus hos, qui propter piam doctrinam ſunt in odio, interdum prægravari aliis criminibus, ac dici ſeditioſos. Vidimus autem confeſſionem ærumnoſorum illorum oblatam curiæ *Gratianopolitana*, & purgationem objectorum criminum. Quare magis deprecandum eſſe pro eis duximus, quia doctrinæ confeſſio pia eſt, & haud dubiè pura ſententia Catholicæ Eccleſiæ *Chriſti*, quam & nos profitemur.

Oramus igitur Regiam Celſ. Veſtram ut tum captivorum illorum, tum aliorum, ſi qui propter eaſdem cauſas periclitantur, vitæ parcat, eóſque dimittat incolumes.

Audimus quidem nonnullis ita veniam concedi, ut abjiciant confeſſionem doctrinæ, quam ipſi piam eſſe non dubitant: Quod cùm facere ipſâ morte ſit acerbius, Oramus ut Regia Celſ. Veſtra id quoque propter Deum mitiget. Neque enim ignorat Majeſtas veſtra, quam grave ſit aliquid, præſertim in Religione, contra conſcientiam approbare.

Erit hæc clementia grata Deo, & habebit præmia divinitùs, ſicut Pſal. inquit. *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Deus.*

Quare ut hac in re erga miſeros illos, ubicunque ſint, ſe clementem præſtet Regia Majeſtas veſtra, etiam atque etiam oramus. Idque erit tum nobis, tum omnibus iſtis, qui nobiſcum eandem Religionem profitentur, maximi beneficii loco, præſertim ſi intelligamus illos noſtrâ interceſſione fuiſſe liberatos: & apud bonos omnes non vulgarem clementiæ & moderationis laudem Regia dignitas veſtra obtinebit.

Nos etiam ſi hæc impetrabimus, quemadmodum bona ſpes eſt, ſtudebimus viciſſim, quibus poterimus officiis memores & gratos animos teſtari, optantes ut Deus Opt. Max. Celſ. Veſtram diu ſervet incolumem & florentem. Datæ *Ratisbonæ* viceſimo tertio Maii, Anno *Chriſtianæ* ſalutis, M.D.XLI.

Henrico VIII. Regi Angliæ.

Epiſt. 3. INclyte & ſereniſſime Rex, Ingens decus eſt R. M. T. quòd his difficillimis temporibus unus inter Reges & intelligis & foves ſtudia literarum & veræ Philoſophiæ. Quæ cum ſint ornamentum vitæ humanæ præcipuum, maximè tuenda ſunt à ſapientibus & magnis Gubernatoribus Reipub. Itaque hæc diligentia ma-
A gnam peperit laudem multis ſummis Regibus, *Alexandro, Ptolemæo Philadelpho, Auguſto, M. Antonino*, quibus Principibus virtute & ſapientia præſtantibus annumerari etiam R.M.T. admodum glorioſum eſt.

Porrò, inter Philoſophiæ partes, plena eruditionis eſt illa, quæ luminum & ſpeculorum varietatem inquirit, quæ vocatur Optica. Quæ enim res in natura admirabilior eſt, quàm lumen? Et mens humana quid eſt, niſi ſpeculum, in quo lucet
B imago divinitatis? Amanda eſt igitur doctrina ſpeculorum, in qua cùm excellat hic artifex *Michael* civis *Lipſicus* in *Miſnia*, conſtituit adire tuam R.M. quod te amare ingeniorum monumenta intelligit.

Cum autem de ſua fide & probitate teſtimonium à me flagitaret, ut aditus ei præberetur ad R. M. T. dedi ei hanc Epiſtolam, ac affirmo virum probum ac honeſtum eſſe, & non ſolùm propter artem quâ excellit: ſed etiam propter opti-
C mos mores dignum benevolentiâ bonorum. Me de ratione luminum in philoſophia multa docuit. Oſtendet autem R.M.T. mirifica quædam opera, digna conſideratione ingenioſorum.

Quòd ſi hoc ſpecimen R.M.T. probabitur, ut non dubito, pollicetur ſe majora opera hujus generis effecturum eſſe. Oro igitur Regiam M.T. per dignitatem Philoſophiæ, & tuum erga ipſam amorem, ut non gravatim admittas hunc *Michaelem*, ad oſtendenda ſua opera, cùm ſit
D & artifex, & vir bonus & honeſtus. Bene & fœliciter valeat R.M.T. Datæ *Lipſiæ* XX. Februar. M.D.XL.

Henrico VIII. Regi Angliæ.

SEreniſſime & Inclyte Rex, Etſi publicæ quædam cauſæ impulerunt me, ut ſcriptum quoddam meum R. M. T. dedicarem, tamen multum me etiam privatim admiratio ingenii tui & vir- *Epiſt.* 4.
E tutis movit, ut hac qualicunque ſignificatione judicii mei, ſtudium R. M. T. meum declararem. Dedi igitur libellum huic *Alexandro Scoto*, viro docto & pio, qui virtutem & pietatem tuam mihi & aliis multis in *Germania* magno ſtudio prædicare ſolitus eſt. Pollicitus eſt ſe meum ſcriptum exhibiturum eſſe R. M. T. Quod ut æquo animo accipiat R. M. T. etiam atque etiam oro.

Equidem opto, & animum meum & ſcriptum
F ipſum probari R. M. T. Sed de ſcripto permitto judicium R. M. T. De mea voluntate hoc affirmare verè poſſum, & hunc animum meum R.M.T. addictiſſimum eſſe, & me ea de doctrina *Chriſtiana* libenter amplecti, quæ congruunt cum veris judiciis veteris et purioris Eccleſiæ. *Chriſtus* ſervet R.M.T. quam diutiſſimè florentem et incolumem ad publicam multarum gentium et Eccleſiæ *Chriſtianæ* ſalutem: ad quam ornandam præcipuè curam et conſilia ſua ſummos Reges referre
G decet, et hoc tempore maximè eſt neceſſarium. Anno M.D.XXXV. Menſe Auguſto.

Henrico VIII. Regi Angliæ.

INclyte et ſereniſſ. Rex, Non levi officii ratione adductus ſum, ut huic *Johanni Stratio*, *Epiſt.* 5.

Flandro

Flandro equiti, homini facundo et *Ulyſſeâ* quâdam experientiâ rerum prædito, literas ad R.M.T. darem. Cum enim mihi et *Franciſco* Vice-cancellario Ducis *Saxoniæ* Electoris veteri amicitiâ conjunctus ſit, nobiſque perſpecta ſit ejus integritas et fides, cauſámque itineris ad R.M.T. probem: haud invitus tali amico petenti literas dedi. Eminet enim in heroicis ac ſapientibus Principibus bonitas inprimis. Ideo rogo M.R.T. exiſtimet, me non impudentiâ aut arrogantiâ, ſed fiduciâ Clementiæ tuæ permotum eſſe, ut hæc ſcriberem.

Nam *Stratius* natus equeſtri loco in *Flandria*, primum eloquentiæ, et ſtudio Juris operam dedit: Poſtea pervagatus, partim militiæ, partim literarum cupiditate, *Galliam* et *Italiam*, tandem ſe ad Principes *Poloniæ* et *Hungariæ* contulit, qui ejus opera in legationibus et multis graviſſimis cauſis uſi ſunt. Magna eſt in eo vis ingenii, et abhorrens ab ignavia. Ideo maluit hoc genus vitæ durum, expetenſque laborum amplecti, quam domi in ocio vivere. In *Italia* et alibi potentes Epiſcopi amplas ei facultates obtulerunt: Sed Pontificum tyrannidem deteſtatur, ut ſe cum illis conjungere nolit.

Quare incenſus admiratione virtutis tuæ potiſſimum ſe ad R.M.T. conferre voluit.

Sic inſtructus eſt eloquentiâ, linguarum multarum cognitione, experientiâ rerum, dexteritate ingenii, fide, fortitudine animi, ut in legationibus, integra administratione, et multis rebus exiſtimem eum uſui eſſe poſſe. Et operam R.M.T. offert, ac fidem promittit.

Cùm autem R.M.T. bonis ingeniis maximè faveat, rogo ut hunc *Stratium* clementer complectatur. Semper magnis Regibus honeſtum fuit, non modò cives doctos et peritos, ſed etiam hoſpites experientiâ magnâ præditos complecti: ut apud *Ptolemæum* fuit *Demetrius Peripateticus*, apud *Scipionem Polybius*. Quare R.M.T. hunc *Stratium* ſumma cum reverentia commendo, et rogo ut meas literas ſcriptas fiduciâ Clementiæ tuæ, boni conſulat R.M.T. Deus ſervet R.M.T. incolumem et florentem quàm diutiſſimè, ut gloriam ornet Domini noſtri *Jeſu Chriſti*. Die ultima Maii, Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo ſexto.

Dedicatio locorum Theologicorum, qui ſunt editi Anno M. D. XXXVI. ad Henricum VIII. Regem Angliæ.

Epiſt.6. VT hic commentarius auſpicatiùs exiret in publicum, tuo nomini, Inclyte Rex, dedicandum eſſe cenſui, præcipuè ob hanc cauſam, quòd cum nonnulli, partim indocti, partim iniqui etiam, apud exteras nationes ſummorum Regum animos, pariter adverſus omnes qui non probant omnia Monachorum ſomnia, miris artificiis incendant, plurimùm meâ referre putavi, ut tibi Regum omnium Doctiſſimo exhiberem hoc ſcriptum, ut tua Majeſtas, potiùs ex hoc ſcripto, quàm ex aliorum calumniis, judicium de me, et toto hoc doctrinæ genere, in quo verſor, faceret.

Accipimus te, cum in ſacris literis præclarè doctum eſſe, tùm in reliqua Philoſophia, ac præ- A cipuè in illa pulcherrima parte, videlicet in conſideratione motuum et effectuum cœleſtium, quâ, et propter dignitatem rerum, et propter maximas utilitates in rebus gerendis, ſummos ac ſapientiſſimos Reges omnibus ætatibus maximè delectatos eſſe legimus, acerrimo ſtudio, et ſumma cum prudentia verſari.

Accedunt ad tantam præſtantiſſimarum artium doctrinam et cæteræ virtutes, dignæ magno Prin- B cipe: juſtitia in imperio, pacis tuendæ cura, magnitudo animi, pietas, clementia, ac bonitas eximia, quæ cùm in aliis negotiis cernitur, tùm etiam in hac re lucet, quòd in tuo regno nulla ſævitia in homines bonos, moderatos, et ſtudioſos purioris doctrinæ Eccleſiaſticæ exerceri dicitur: Cùm in aliis terris, Principum iracundia ſine modo exarſerit; de quorum conſilio nihil hoc loco diſputabo.

Tantum illud dicam, quod mihi videtur: Ne- C que decet Eccleſiam injuſta crudelitas, neque profutura eſt ad reſtituendam tranquillitatem. Itaque moderatio tua, digna bono ac ſapiente Principe, haud dubiè Deo grata eſt. Ut enim vi quoque coerceri fanaticos et impios homines Deus præcipit, ita nullum crudelius eſt parricidium, quàm ſimul pios ac membra *Chriſti* trucidare, lacerare veram Eccleſiam, et delere res bonas ac utiles Eccleſiæ.

Neque enim negari poteſt, à bonis et doctis D viris, multa ad pietatem utilia, iterum patefacta eſſe.

Propheta *Eſaias*, cùm vaticinatur pios Reges, *Eccleſiæ nutricios* fore: poſtulat, ut Reges tegant pios adverſus injuſtam ſævitiam, ut rectam doctrinam propagari curent. Qui tituli, quæ trophæa, magis optanda ſunt magnis et ſapientibus Regibus, quàm ut cœleſti voce tribuatur eis hæc ſuaviſſima appellatio, ut prædicentur *Eccleſiæ Chriſti nutricii?* Magna ſunt & plena dignitatis E præconia, dici *Africanum*, *Macedonicum*, & hoc genus alia: Sed multò glorioſius eſt, dici *Patrem Patriæ*. Vera autem nobis & perpetua eſt patria *Chriſti* Eccleſia. Hujus veræ patriæ patrem, &, ut Prophetæ verbo utar, *nutricium* eſſe, hæc verò eſt ingens gloria, præcipuè expetenda Regibus. Hæc officia Reges Deo conciliant: Hæc officia ſunt hoſtiæ Deo gratiſſimæ.

Non ſunt autem Eccleſiæ nutricii, qui quamvis crudelitati ſuæ prætexunt Eccleſiæ nomen, tamen veræ Eccleſiæ membra, hoc eſt, homines pios F & doctos injuſtiſſimè interficiunt, & doctrinam, in qua veri cultus Dei monſtrantur, delent. Itaque non ſolùm moderatio tua, & clementia ipſa laudanda eſt, ſed judicium potiùs ac ſapientia: Quod Majeſtas tua ita tuetur Eccleſiæ tranquillitatem, ut tamen faveat ſtudiis pietatis, & intelligat quoſdam abuſus emendatione opus habere.

Cùm igitur & doctrina Majeſtatem T. excellere ſcirem, & intelligerem te ſingulari mode- G ratione & clementiâ, quæ maximè decet Eruditionem, in his diſſenſionibus uti: potiſſimùm Majeſtati T. duxi mittendum eſſe hoc ſcriptum, quod etſi totum permitto judicio Majeſtatis T. tamen ut ſpero, oſtendet injuſtè contra nos accendi Regum iracundiam.

Non dubito quin Majeſtas T. ſimul & gloriæ *Chriſti*,

Chriſti, & paci Eccleſiæ optimè conſultum cupiat, ac de remediis hujus diſſidii ſæpè multumque deliberet: Quam ad rem ſanè prodeſt, non tantùm illorum videre ſcripta, qui cauſam noſtram injuſtiſſimis calumniis deformant, quod non ſolùm imprudentes quidam, & infimi ſubſellii homines faciunt, ſed etiam nonnulli alii, qui in hoc theatrum prodeunt ſumptâ ſingulari gravitatis, & ſapientiæ perſonâ, quos decuit autoritatem ſuam non ad bonorum perniciem, & inflammandam crudelitatem imperiorum, ſed potiùs ad ornandam *Chriſti* gloriam, ad morbos Eccleſiæ rectè curandos, ad flectendos ad *Chriſtianam* lenitatem Principum animos, conſerre. Turpiſſimum eſt enim magnis viris, ſimulatione gravitatis ſycophanticam exercere. Quod faciunt, qui aſtutè diſſimulant receptos abuſus, & arte depravant ea, quæ noſtri piè & utiliter monuerunt.

Ego ex animo veneror Eccleſiam *Chriſti* Catholicam, ejuſque ſententiam omni ſtudio amplector. Nec velim unquam à judiciis bonorum & doctorum in Eccleſia diſſentire.

Proinde hunc meum commentarium exhibeo Majeſtati T. non ut Patronum mihi, ſi quid erro, ſed ut in graviſſimis controverſiis cenſorem quæram, cujus judicium propter doctrinam rectum, propter faſtigium Regiæ Majeſtatis liberum & æquum fore ſtatuebam. Oro itaque Majeſtatem T. ut hoc nomine non gravatim ſcriptum meum accipiat, in quo, ut ſpero, videbit, me & res ad pietatem utiles complexum eſſe, et pacis concordiæque Eccleſiaſticæ cupidiſſimum eſſe. *Chriſtus* Majeſt. T. ſervet incolumem ac florentem, gubernet ad Dei gloriam ornandam, & ad ſalutem Eccleſiæ. Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo ſexto.

Dùm laudandus erat, Regem laudavimus Anglum.
Hei mihi, quàm varium eſt Regibus ingenium!

Edvardo Regi Angliæ, Franciæ,
& Hiberniæ.

Epiſt.7. INclyte & potentiſſime Rex, Multi in univerſa *Europa* ſciunt inclytum & ſapientiſſimum Regem, Patrem tuum, motis controverſiis dogmatum diu in hanc cogitationem incubuiſſe, ut Eccleſiis toto orbe terrarum rectè conſuleretur, quæſitâ controverſiarum moderatione, nec voluiſſe armis opprimi veritatem. Atque utinam ejus conſilium cæteri Reges audiviſſent. Nam quod alii armis reſtitui Eccleſiæ concordiam exiſtimant, non rectè ſentiunt. Injuſta enim conſilia opprimendæ veritatis nec Deo placent, nec diu ſunt felicia, & hærent in Eccleſia veteres morbi magni (quod et Rex ſapientiſſimus pater tuus videbat) quibus neceſſe eſt vera et ſalutaria remedia adhiberi.

Quòd igitur in Regno tuo deliberationes inſtituiſti de Eccleſiis, rectè facis, et paternum exemplum imitaris: Deúmque æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* toto pectore oro, ut et tuam mentem regat, et Eccleſias in tuo Regno et alibi feliciter emendet, ut et ipſius gloria verè celebretur, et multi homines ad eum verè conver-

A tantur, ac ſocii fiant æternæ conſuetudinis cum Filio Dei.

Cavendum autem erit tibi in hac emendatione, nè prava ingenia corruptelas miſceant. Ideo prudenter & tuæ gentis hominum, & hoſpitum ſenſus atque opiniones conſiderabis.

Affirmo autem hunc *Franciſcum Dryandrum* longâ mihi conſuetudine cognitum, rectè excultum eſſe eruditione; Tum verò prudentiſſimè judicare de religionis controverſiis: ac toto animo,
B totáque mente à fanaticis & ſeditioſis opinionibus abhorrere. Quare cum in tuo regno, in Academia aliqua magno uſui atque ornamento Eccleſiæ Dei eſſe poſſe exiſtimo, eámque ob cauſam literas ei ad R.M.T. dedi. Eúmque R.M.T. reverenter commendo. Bene & feliciter valeat R.M.T. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo. Idibus Januarii.

C *Inclyto & sereniſſimo Regi & Domino, Domino Guſtavo Regi Svecorum, Gotthorum, Wandalorum, Domino ſuo clementiſſimo*, S.D.

INclyte Rex: Veniam mihi dabit R.M.V. quod Epiſt.8.
ad eas literas quas circa Brumam ad me miſit, non reſpondi. Aberam enim in Conventu *Wormacienſi*, in quo utilis explicatio controverſiarum Eccleſiaſticarum inchoata eſt, ut Imperator
D & cæteri Principes in Conventu ſequenti negotiorum ſontes cognoſcere poſſent, & collatis utrinque ſententiis eligere veriores. Erant auſpiciæ ejus congreſſus ſatis felicia: ſed interruptâ diſputatione, à *Rheno* diſceſſimus domum reverſi, cum jam terra ubique altiſſimis nivibus tecta eſſet.

Ex his vix ſemel eluctati, mox procul ad *Danubii* ripam proficiſcimur, quò jam Imperator *Carolus* Principes convocaverat, & deli-
E berationem primùm omnium, de religione inſtituit.

Fortaſſis autem adverſarii noſtri animadverterant non prodeſſe ſibi diſputationis formam *Wormaciæ* inchoatam, quæ cauſam noſtram illuſtratura, & in conſpectu poſitura erat: ideo rurſus quæſitæ ſunt latebræ.

Juſſi ſumus pauci quidam, non de noſtra Confeſſione, ſed de alio quodam libro colloqui, qui etſi moderationes quaſdam contentionum propo-
F nere videbatur? tamen ita inſidioſè & captioſè ſcriptus erat, ut rectè doctrinam noſtrarum Eccleſiarum labefactaret.

Cum igitur non ſolùm itineribus & occupationibus, ſed etiam novis curis impeditus fuerim, quò minus reſponderim R.M.V. rogo ut meum ſilentium boni conſulat.

Hiſtoriam verò hujus Conventûs magna ex parte ex his paginis, quas ſimul mitto, R.M.V. cognoſcet: quam cum leget, videbit adver-
G ſarios noſtros non velle Eccleſiis verâ ratione conſulere.

Eò magis optandum eſt, ut boni Gubernatores cæteri, ac præſertim qui puram Euangelii doctrinam intelligunt, pias Eccleſias rectè conſtituant, ac curent, ut in his luceat Euangelium Filii Dei.

Hoc

A Hoc Sacrificium Deus tum ab omnibus tum verò præcipuè à Regibus flagitat &, ampliſſimis præmiis compenſat, ſicut inquit: *Glorificantes me glorificabo.*

Quare gratulor R. M. V. hunc animum, quòd curam Eccleſiarum ornandarum & propagandi Euangelii ſuſcepit, ac precor Deum, ut hæc honeſtiſſima conſilia, ſalutaria tot gentibus, adjuvet ac provehat.

Pro poculo miſſo gratias ago R. M. V. Etſi autem nondum mea officia tanta fuerunt erga B R. M. V. ut tam magnifico munere compenſanda fuerint: tamen gaudeo R. M. V. declarare ſuam benevolentiam erga Scholaſticum ordinem, qui cum multorum ingenia ad pietatem & cæterarum virtutum officia formet: profectò benignitate Regum & Principum complectendus eſt. Bene valeat R. M. V. *Ratisbonæ* XXIII. Julii, Anno M. D. XLI.

Reginæ Navarræ S.

Epiſt. 9. ETſi videor impudenter facere, quòd homo infimæ ſortis & ignotus Celſitudini tuæ, quenquam auſim commendare: Tamen fama tuæ eximiæ pietatis, quæ totum terrarum orbem pervagata eſt, facit, ut hoc officium homini bono ac docto petenti duxerim non eſſe denegandum. Non enim dubitabam, quin Celſitudo tua, tantâ prædita pietate, meum hoc officium boni conſultura eſſet, cùm *Chriſtianæ* charitati, præſertim in D iſto ſummo loco, nihil magis conveniat, quàm affici ſtudioſorum miſeriis, eóſque reſpicere ac ſublevare, præſertim cùm recta ſtudia non poſſint ſine ſummorum ordinum ope ac liberalitate conſervari.

Expoſuit autem mihi hic juvenis *Claudius Baduellus Narbonenſis*, cùm univerſum curſum ſuorum ſtudiorum, tùm iniquitatem fortunæ, quâ, niſi Celſitudo tua opem ei tulerit, ab optimis artibus ad alias quaſdam operas, à quibus & naturâ E & voluntate abhorret, abſtrahi ſe queritur. Etenim cùm unicè cupiat eloquentiæ & ſacrarum literarum ſtudia, quæ quadam cum ſpe ingreſſus eſt, abſolvere, paupertas ei, quaſi manus injicit, eumque à pulcherrimo inſtituto avocat. Sed prius experiri omnia decrevit, quàm hæc ſtudia abjiciat.

Exiſtimat autem ſtudioſis univerſis *Gallici* nominis, in tua Celſitudine velut in quodam numine plurimùm eſſe ſpei repoſitum. Ideo ad tuam F celſitudinem confugere decrevit, & orat, ut ſua ſtudia liberalitate tuâ juventur. Habet tua Celſitudo, quid petat.

Nec verò exiſtimo pluribus verbis in hac tanta tua pietate opus eſſe, nec me decet garrulitas. Hoc tantùm aſcribendum duxi, hoc ingenium videri mihi inprimis dignum, quod foveatur; non ſolùm quia virtutis ſtudia tàm vehementer amat, ſed etiam, quia jam tantos fecit G progreſſus, ut ſit indignum eum ab hoc inſtituto abduci. In Oratione ejus *Latina*, non ſolùm mundities eſt, & elegantia ſingularis, ſed etiam quædam non inſuavis copia: Et mores ſunt modeſtiſſimi.

Hæc autem fuerit Eleemoſyna verè Regia, ad *Chriſtianæ* Eccleſiæ utilitatem, talia ingenia fovere atque alere.

Sanctiſſimus Propheta *Eſaias* laudans hoc genus eleemoſynarum inquit, Reginas futuras nutrices ſtudioſorum Euangelii. In quo numero te jamdudum per totum orbem terrarum Eccleſia collocat, & recenſebit ad poſteros univerſa Eccleſia. Etenim cùm cæteras virtutes vera Eccleſia ſummo ſemper ſtudio colit, tùm præcipuè gratitudinem.

Poſtremò peto, ut has meas literas boni conſulat Celſitudo tua, ac me quoq; inter ſtudioſos bonarum artium commendatum habeat. Bene ac fœliciter valeat Celſitudo Tua. Anno *Chriſti* M.D.XXXIV.

Illuſtriſſimo Principi, Philippo Palatino, &c. S. D.

ILluſtriſſime Princeps, Verè dictum eſt: *Nulla virtus ita fulget in Principe, ut vera pietas.* Promiſit autem Deus, ſe adfuturum piæ voluntati, & daturum præmia pro ſtudio cognoſcendæ & ornandæ religionis, ſicut ſcriptum eſt: *Glorificantes me glorificabo.* Hâc cogitatione & ſpe ſuſtentet ſe Celſitudo veſtra. Epiſt. 10.

Quòd verò petivit mitti plures paginas *Actorum*: Sciat C. V. nos brevi omnia in unum librum collecta edituros eſſe. Nam deſcribi nunc non poſſunt. Cum igitur fuerint excuſa, mittam C. V. integrum exemplum, in quo omnia, quæ digna ſunt lectione, de conventu habebit.

Interim mitto C. V. quædam de reformatione Eccleſiarum, quæ juſſi exhibuimus: quæ & prodeſſent ad ſalutem animarum, & publicam tranquillitatem, & ad bonam diſciplinam ac politiam. Spero hanc lectionem C. V. jucundam fore. Deus Pater D. N. I. C. gubernet & ſervet C. V. Ex *Ratisbona.* XXIV. Julii.

Ioachimo Principi Anhaltino S. D.

ILluſtriſſime & clementiſſime Princeps: Heri, videlicet V. Septembris, primus congreſſus factus eſt noſtrorum: videlicet & Legatorum qui à noſtris Principibus miſſi ſunt, & Theologorum, qui conjunctiſſimi eſſe debebamus ad noſtræ doctrinæ explicationem. Fuit autem primus actus accuſatio mei penè deſcripta ex *Flacii* maledicis ſcriptis, pronunciata voce Legatorum vinarienſium. Reſpondi breviter, conſenſum eſſe omnium de doctrina: amplecti nos omnes & retinere confeſſionem *Auguſtanam*, cum *Apologia* & *Confeſſione Lutheri* ſcripta ante *Mantuanam* Synodum. Pauca etjam dixi de meo conſilio, quo ſuaſi, potiùs feſtorum ſeriem & ſimiles quoſdam ritus ſuo genere non vicioſos retinendos eſſe, quàm deſerendas Eccleſias. Provocavi etiam ad judicium cæterorum qui adſunt. Addidi quoque mihi gratiſſimum fore ſi ab hac tota actione hujus Conventûs excludar. Epiſt. 11.

Legati Principum omnes conſentientes, meâ reſponſione contenti, hortati ſunt accuſatores, ut privatas contentiones omitterent, & ad deliberationem communem de refutandis adverſariis procederent. Hæc heri acta ſunt. Quid accuſatores facturi ſint, nondum ſcio: Ego mediocri æquitate animi has contumelias fero.

Scripſi *Confeſſionem* & *Apologiam* quam citant: Nunc de tollendo autore deliberatur, ſpero me diſcentium ſtudiis Deo juvante utiliter ſerviiſſe.

In

In eo labore ſemper malui verſari, quàm ad rixas conventuum accedere, in quibus multa triſtia certamina vidi & ſuſtinui. Sed Filio Dei me & Eccleſiam aſſiduis gemitibus commendo, quem etiam oro, ut Celſitudini veſtræ vires corporis & animi confirmet. Datæ in Urbe *Vangionum*. Die VI. Septemb. Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo.

Scriptum collocutorum Auguſtanæ Confeſſionis, qui in Vrbe Vangionum fuerunt, donec adverſarii Colloquium abruperunt, Anno M.D.LVII.

ETſi multò magis optandum eſt, ut aliquando pii & docti in noſtris Eccleſiis, majore frequentiâ inter ſeſe candidè, placidè, ſine odiis, ſine inſidiis, ſine Sophiſmatum præſtigiis, de iis materiis, quas illuſtrari neceſſe eſt, colloquantur, quàm ut Theatricæ diſputationes cum adverſariis qui manifeſtas Idolomanias tueri ſolent, inſtituantur: Tamen cum Senatus Imperii bono ſtudio voluerit Collationem doctrinæ fieri, nos voluntati Principum deeſſe noluimus, quia confeſſionem doctrinæ & explicationem, præſertim inter doctos, defugere non decet.

Inchoavimus igitur Collationem bona cum ſpe, & verè ac modeſtè de propoſitis materiis reſpondimus, nec quæſivimus cauſas impediendi aut turbandi inſtituti.

Sed adverſarii arte diſtractionem quæſiverunt, ut prætextum haberent abrumpendi Colloquii.

Cum igitur palàm oſtenderent, ſe in hac doctrinæ Collatione non proceſſuros eſſe, quam tamen nos ſemper flagitavimus: tandem & nos expoſitâ voluntate noſtrâ in Scripto, quod exhibuimus, hinc diſceſſimus.

Ac ut extaret teſtimonium de conſenſu omnium, qui ex noſtris Eccleſiis adfuerunt, ut in colloquio procederent, diximus in eo Scripto, nos Deo juvante conſtanter amplecti ſcripta Prophetica & Apoſtolica, & Symbola, & neque diſcedere nos, neque diſceſſuros eſſe à confeſſione noſtra, *Auguſtæ* exhibita Anno M.D.XXX. nec mutare nos doctrinam ejus Confeſſionis, nec mutaturos eſſe, & rejicere nos dogmata cum ea pugnantia. Quod eò cenſuimus neceſſariò dicendum eſſe, nè calumnioſe ſpargerentur fabellæ, nos velle nova diſſidia accendere.

Eadem de re publicè & noſtris Eccleſiis omnibus hoc bono conſilio ſignificamus, nos omnes, qui hactenus hic manſimus, ut procederet inchoata doctrinæ collatio, maximè optare, ut Eccleſiæ noſtræ ubique ſint tranquillæ, & unum in Deo, nec impediatur vera Dei invocatio inter nos, ullis diſſenſionibus, nec dilaceretur hic noſter cœtus, quem certum eſt eſſe veram Dei Eccleſiam, quæ confeſſione, invocatione, & mutuâ benevolentiâ debet eſſe conjuncta.

Ac ut adfirmamus, nos conſtanter amplecti ſcripta Prophetica & Apoſtolica, & Symbola, & nec diſcedere nos, nec diſceſſuros eſſe à Confeſſione noſtra *Auguſtæ* exhibita Anno M.D.XXX. nec ejus Confeſſionis doctrinam mutare, nec mutaturos eſſe, & rejicere dogmata cum ea pugnantiâ: ita adfirmamus etiam, inter nos, qui hìc ſumus, nullam eſſe de doctrina Confeſſionis noſtræ diſſenſionem. Hunc conſenſum noſtrum publicè omnibus notum eſſe volumus, nè turbentur Eccleſiæ calumniis.

Oramus autem Filium Dei, Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, ut vulneribus Eccleſiæ ipſe medeatur, ſicut ſeſe in imagine *Samaritani* pingit, qui medetur ſaucio viatori. Oramus etiam omnes, nè vulnera Eccleſiæ magis lacerent ſeu calumniis, ſeu non neceſſariis rixis.

Semper fuerunt, ſunt & erunt & infirmitates & lapſus aliquorum, qui ſi ſunt ſanabiles, non ut hoſtes trucidentur, ſed ſit diſcrimen inter cives & hoſtes, inter ſanabiles, & non ſanabiles. Nec exerceatur ſævitia in eos, qui piè admoniti non contumaciter repugnant. Denique meminerimus ſeveriſſima mandata divina, quæ vetant Eccleſiarum tranquillitatem non neceſſariis rixis turbare, ſicut in *Zacharia* dicitur: *Veritatem & pacem diligite.* Retinere doctrinæ & invocationis puritatem, & ſit cura tuendæ tranquillitatis, nè langueſiat aut extinguatur vera Dei Invocatio.

Parcamus Eccleſiæ, quæ in hac mundi delira ſenecta, & languidior & triſtior eſt, & foveamus eam omnibus piis officiis. Id nos quidem, qui hìc adſumus, facturos eſſe promittimus, nec defugimus judicia eruditorum & piorum in noſtris Eccleſiis. In Urbe *Vangionum*, Calendis Decembris, Anno *Chriſti* milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo.

Subſcripſerunt,

Philippus Melancthon manu propriâ.
Iohannes Brentius manu propriâ.
Matthæus Aulberus propriâ manu.
Iohannes Marbachius D. manu propriâ.
Iohannes Piſtorius Niddanus propriâ manu.
Iacobus Andreæ D.
Georgius Cargius Onolsbacenſis Eccleſiæ paſtor propriâ manu ſubſcripſit.
Michael Dillerus manu propriâ.
Iacobus Rungius Pomeranus.
Paulus Eberus propriâ manu.

Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Principi ac Domino, Domino Georgio Principi in Anhalt & Aſcania, &c. Coadiutori Eccleſiaſticæ Gubernationis in Mersburg, &c. Domino ſuo clementiſſimo, S.D.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Hoc anno celebratur Paſcha MMM.L.VI. inde uſque ab exitu *Iſraelitarum* ex *Ægypto*. Tot ſeculis ſervavit Deus Eccleſiam ſuam, & Eccleſiæ vocem de Filio Dei, & vero agno, mirandis modis, & ſervabit deinceps. Quare etiamſi quid patiendum ſit, expectemus auxilium Dei. *Epiſt.* 12.

Literas has dedi *Valentino* Gubernatori Scholæ *Serveſtanæ*, viro docto & gravi, qui ſe offert ad miniſterium Euangelii, in Eccleſiis veſtræ diœceſis. Uſus eum erudiet, etiamſi hactenus raro concionatus eſt in Templis. Sed ætatis & eruditionis & bonorum commendationem habet. Bene & fœliciter valete. Datæ in feriis Paſchatis, Anno M.D.XLVII.

Georgio

Georgio Principi Anhaltino S.D.

Epiſt. 13. ILluſtriſſime ac Reverendiſſime Princeps, Apud *Ezekielem* jubet Deus, Angelum percutientem Principes & populum in Templo, parcere iis qui gemunt propter prophanationes. Parcet igitur Deus nunc quoque aliquibus, qui etiamſi opem ferre Eccleſiæ non poſſunt, gemitu tamen oſtendunt confeſſionem ſuam, & bonam voluntatem erga Eccleſiam. Inter tales utinam & nos ſervemur.

Ideò Celſitudini veſtræ hunc [illegible] Eccleſiæ noſtræ commendo, doctum virum, & utiliter ſervientem Eccleſiis. Offeret Celſitudini veſtræ exemplar, interrogationum præcipuarum examinis. Quæſo ut Celſitudo veſtra viciſſim pauperi & pio & docto declaret liberalitatem ſuam. Etſi enim tempora ſunt difficilia, tamen non negligendi ſunt pauperes. Bene et feliciter valeat Celſitudo veſtra. Die natali Filii Dei, Anno M.D.XLVIII.

Georgio Principi Anhaltino S.D.

Epiſt. 14. ILluſtriſſime et Reverendiſſime Princeps, Ut in *Pſalmo* dicitur, *Pſallam Deo meo, quamdiu fuero*, ſeu, ut Eobanus reddidit:

Perpetuò laudes Domini mea lingua loquetur:
Ipſius & laudes omnia viva canent.

Ita nos donec poſſumus fideliter propagemus vocem Euangelii, ſive Eccleſiæ hoſpitia tranquilla ſunt, ſive armis Principum turbantur. Quare libenter ſcripſi Conciunculas iſtas, etſi ſcio nullam eſſe hominis aut Angeli ſapientiam tantam, quæ illi magnitudini rerum par ſit.

Sed Deus vult nos ſuam doctrinam in Eccleſia ſonare. Huic obtemperemus. Speremus & ſervaturum eſſe Eccleſias & Scholas aliquas non in arcu & gladio, ſed in Deo noſtro Jehova, ut Prophetæ verbis utar.

Tot jam annis dedi operam fideliter, ut multas controverſias explicarem: Cùm quidem aula & Theologi ſæpè in me atrociter incurrerent. Hoc meum ſtudium Deo placere, ſpero. Volui & harum Regionum Eccleſias concordes eſſe, & ſæpe aulam ad pacis & concordiæ retinendæ curam, hortatus ſum. Hanc meam ſedulitatem utinam alii qui plus potuerunt admiſiſſent.

Nunc quoque ſi potero ullos vel ad pacem vel ad moderationem flectere, non deero occaſioni. Sed illæ furiæ, quæ in his terris civile incendium excitârunt, etiam de me interficiendo cogitant. Nec ego recuſarim mori, ſi meâ morte ipſorum odia placare poſſem, ut pacem civibus concederent.

Georgio Principi Anhaltino S.D.

Epiſt. 15. ILluſtriſſime Princeps. Magno in dolore ſum propter patriam, ſic enim verè voco has Regiones. Nec video nos humanis conſiliis poſſe multùm proficere, ad mitigandos hoſtes, qui interea ab armatis irritantur. Audio inducias in *Suevia* IV. Menſium factas eſſe. Interea erunt, ut ſpero, deliberationes de pace, in quibus ſi meam etiam opinionem audire noſter Princeps volet, dicam verè quod ſentio.

Ad *Landgravium* vel in hac regione vel in ſua accedam. Sed nunc expecto *Camerarii* literas. *Johannem* retinui ad deſcribendam concionem, quam adferet. Bene valeat Celſitudo veſtra. Die *Luciæ* M.D.XLVI.

Philippo Landgravio Principi Cattorum S.D.

SÆpè cum repeto veteris Eccleſiæ rixas, & diſſenſiones, præſens mihi tumultus in *Germania* propemodum periculoſior videtur, quàm fuerint ulli alii motus. Nam olim dogmata tantùm video in diſſenſionem veniſſe: Vix unquam vis publica facta eſt, niſi ab his qui in imperio erant; altera pars ſemper fuit inermis. Nunc autem multa gravia dogmata controvertuntur; & mutantur Eccleſiæ ritus: & periculum eſt, ne vis ab utraque parte paretur. Epiſt. 16.

Hæc ego cum repeto, mirificè angor, ut vel meâ morte cupiam redimere tranquillitatem.

Sed Principes, qui in imperio ſunt, oportuit publicæ paci operam dare. Sacrificuli inſtigant ad bellum, cur non reliqui hortantur ad cognoſcendam rem, ad conſtituendam tranquillitatem? Illud erat rectius, & ad faciendam pacem conducibilius.

Neque nihil puto Celſitudinem veſtram efficere poſſe apud reliquos Principes, ſi hortaretur eos ad cognoſcendas, & dijudicandas Eccleſiæ controverſias. Quare rogo, ut quantum in hac re poteſt C. V. navet hanc operam paci publicæ & tranquillitati.

Porro, ut ad V. C. literas reſpondeam, mihi non tantum inutiliter, ſed etiam contra charitatem fieri videtur ab iis, qui ſimul omnes Ceremonias abolent, quæ adhuc tolerari poterant. Sic enim *Paulus* ad *Corinthios*: *Circumciſus aliquis vocatur? Non accerſat præputium.* Si cætera *Pauli* religioſe ſervantur, audiamus etiam in hac parte.

Itaque *Latinas* cantiones tempeſtivè uſurpatas, textus Dominicales, feſtorum dierum diſcrimina, & id genus ſimilia puto eſſe ferenda.

De Miſſa quam ſic vocant, cùm rectiùs *Paulina* phraſi Cœnæ Dominicæ adminiſtratio nominetur, ita judico: In ſingulis Parochiis unam tantum feſtis diebus eſſe faciendam. Quod in monaſteriis etiam ſervari poteſt. Sed ſi quædam propinqua ſunt Eccleſiis, petatur Euchariſtia in Parochia. Eſt enim inſtituta Euchariſtia, ut in Eccleſia & congregatione utamur. Inde igitur tutius eſt petere.

Et quia *Paulus* dicit: *Judicium ſibi ſumere, qui indignè ſumunt:* utiliſſimum eſt prorſus abolere Miſſas quas ſine communione faciunt in monaſteriis, aliàs coacti, aliàs pecunia conducti. Et ſi *Chriſtus* faverit, poteſt hoc ſine motu obtineri. Nam res non ad vulgus, ſed ad ſacrificulos pertinet; Sed tamen antea cauſas doceri mutationis oportet, quàm manus admoveatur.

Reliquas cantiones horarum Canonicarum, de *Chriſto*, non de Sanctis, prohibendas eſſe nondum exiſtimo, nec in monaſteriis nec in aliis templis.

Quid

Quid enim attinet eos ritus mutare, præſertim ſubitò, qui non ad juſtificandum, ſed ad docendum faciunt? quibus ſi adhuc abutuntur aliqui, doceantur rectiùs. Si qui non obtemperant, ſuo Domino ſtent aut cadant.

Proſus autem utile hoc fuerit, prohibere diſſenſiones concionatorum. Rixantur enim non tantùm Papiſtæ, ſed & adverſarii Papiſtarum, ſæpè inclementiùs quàm alteri? Et nonnunquam lis eſt, quod aiunt, de lana caprina. Eas diſſenſiones quantum fieri poteſt, ſtudeat V. C. per præfectos cohiberi, ita ut qui ſanior videtur, ſolus doceat, alter taceat, Juxta *Pauli* regulam. Doceat autem non fidem tantùm, ſed timorem quoque Dei, cujus ſubinde mentionem fieri in concionibus, multum profuerit. Item charitatem, & in præcepto charitatis id quod eſt graviſſimum, & Deus inprimis exigit, obedientiam erga Magiſtratus.

Poſtremò rogo V. C. per *Chriſtum*, ut quantum fieri piè poteſt, pacis publicæ cauſa moderetur ceremoniarum veterum mutationem, in his præſertim initiis teneræ Eccleſiæ, ubi mores & ritus non ſine ſcandalo novantur, ſi hoc fiat ſubitò. Nec *Chriſtianiſmus* in ritibus eſt ſitus: ſed in timore Dei, fide, charitate, & obedientiâ erga Magiſtratus. Quæ utinam tàm ſedulò docerent concionatores, quàm ſtrennè vociferati ſunt hactenus multi. Cùm *Chriſtus* ab omni cupiditate vindictæ tam longè abfuerit, ut ſe tapientibus ad mactationem velut pecudem ultrò offerret: Cogitet veſtra Celſitudò quidvis potiùs ferendum eſſe, quàm arma capienda, Euangelii negotiorum cauſâ. Certè *diſſipat Deus*, ut Pſalmus inquit, *gentes quæ bella volunt.* Id cœptum eſt anno ſuperiore in Ruſticano tumultu.

Hæc ſcripſi copioſiùs, quòd videam paſſim multos eſſe, qui vel ad vim parandam, ut C.V. ita & alios Principes incitare ſtudent, vel ad irritandos animos ſubitas mutationes faciunt apud eos, quos ſanare potius oportuit; Rogóque ut C.V. loquaciorem Epiſtolam meam boni conſulat. *Chriſtus* conſervet et gubernet C. V. Benè valeat C. V.

Ioachimo Friderico Marchioni Brandeburgenſi, &c. adminiſtratori Magdeburgenſi S.D.

Epiſt.17. ILluſtriſſime & clementiſſime Princeps, Non dubium eſt, legitima imperia & ſalutares Principes, Dei opera & beneficia eſſe. Id grati cogitare debemus, ut confirmetur in animis reverentia pulcherrimi ordinis. Adoleſcentes etiam Principes eò majore ſe doctrinâ & virtutum exercitiis inſtruere debent, ut ad munus in genere humano ſummum accedant non rudes & imparati. Scriptum eſt enim: *Erudimini, qui judicatis terram.*

Gaudeo igitur C. T. optima doctrina de Deo, & de omnibus virtutibus excoli. Et quidem cogitatione doctrinæ, Deus ſeſe animis piorum communicat. Oro autem Deum, ut ſtudia C. T. adjuvet: & efficiat, ut olim Patriam feliciter gubernes, & tua virtus proſit univerſæ *Germaniæ*, ſicut multi Principes Marchiones ornamento *Germaniæ* fuerunt.

Quòd C.T. mihi clementer & ſcripſit, & aptum miſit, ago gratias & pro benevolentia & munere. Et viciſſim labores meos Eccleſiæ & Reipublicæ offero. Bene & feliciter valeat C.T. Die quarto Januarii, Anno M.D.LVIII. qui annus ut ſit fauſtus & felix Celſitudini veſtræ, & Eccleſiæ, & *Germaniæ*, faciat Filius Dei Dominus noſter *Jeſus Chriſtus*; Amen.

Alberto Seniori Duci Boruſſiæ S.D.

ILluſtriſſime Princeps, Domine clementiſſime, *Epiſt.18.* Etſi huic D. *Staniſlao Lituano* honor & gradus, qui ei decretus eſt in hac Academia; ſatis teſtimonii erat apud C. V. tamen quia etiam literas meas ſperavit aditum ſibi ad C. V. facturas eſſe, ad publicum teſtimonium hanc Epiſtolam addidi, ac C. V. oro, ut uſitata erga bonos & doctos viros, qui Eccleſiæ Dei utiliter ſerviunt, clementia & benignitate hunc Doctorem *Staniſlaum* etiam complectatur.

Audivi eum publicè, cum & D. *Luthero*, & cæteris admodùm placuit, explicans diſputationem, de qua diſſerebat. Sed multò ſæpiùs privatim cum eo collocutus ſum, de pleriſque partibus doctrinæ *Chriſtianæ*. Vidi & ſcripta ejus, & comperi eum, et rectè ſentire de doctrina Eccleſiæ, et in docendo poſſe dextrè eloqui cogitata, & mores ſunt honeſti & pii.

Meum conſilium fuit, ut Doctoris titulo ornaretur, ut in Academia *Regiomontana*, & ipſe gradus aliis decernere poſſit. Cum igitur ſperem eum Academiæ magno uſui & ornamento fore, C.V. eum diligenter commendo, & Deum oro, ut ſtudia doctrinæ cœleſtis in Academia veſtra feliciter excitet & provehat, et optimam voluntatem C.V. in Eccleſiis ornandis, et propagandis literis adjuvet. Denique ut *Pſalmus* precatur: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, propter Templum ſanctum tuum*, id eſt, propter Eccleſiæ tuæ utilitatem: Ita veris gemitibus precor, ut Deus Pater Domini noſtri *Ieſu Chriſti* cuſtos Eccleſiæ ſuæ et politiarum, quæ præbent hoſpitium Eccleſiis, ſervet C. V. incolumem, et gubernet eam ſemper. M.D.LIV.

Alberto Seniori Duci Bruſſiæ S.D.

ILluſtriſſime Princeps, Domine Clementiſſime: *Epiſt.19.* Cùm hinc ad C.V. profecturus eſſet vir nobilis, ex familia celebri *Faſols*, virtute, prudentiâ, facundiâ eximiâ præditus, petivit à me, ut literas ſibi ad C. V. darem, præſertim quia de quadam controverſia clementiam Celſitudinis Veſtræ imploraturus eſſet.

Cùm autem virtus hujus viri nobilis mihi nota et probata eſſet, non gravatim ei literas dedi. Spero enim futurum, ubi C.V. ingenium ejus inſpexerit, ut ejus induſtriam aliquando in Repub. experiatur, præſertim cum ad naturæ dotes egregias adjunxerit literarum et Juris doctrinam.

De controverſia nihil mihi ſumò judicii, nec dubito de juſtitia C.V. Sed virum ipſum C.V. commendo, et oro ut in negotio ipſo,

propter

propter hujus viri & familiæ virtutem Celſ. V. bonitate ſuâ & æquitate contentionem forenſem leniat.

Ut in Deo, ita in ſapientibus Principibus bonitas eminet ſupra rigorem. Ipſe audivi *Ludovicum* Regem *Gall.* ejus nominis XII. ſapientem & magnanimum Principem, magnum favorem in Regno adeptum eſſe hoc exemplo, quòd ſæpè ſedens in Parliamento, in controverſijs, quæ inter Regem et vicinos erant, ſuâ voce pronunciavit pro adverſario, et recitat *Ariſtoteles* ſimilia vetera exempla.

Hanc meam Epiſtolam ut Celſ. V. boni conſulat, reverenter oro. Deus æternus Pater Domini noſtri *Ieſu Chriſti* ſervet incolumem & florentem Celſitudinem Veſtram. *Wittenbergæ.* Die XXII. Octob. M. D. XLVII.

Alberto Seniori Duci Bruſſiæ S. D.

Epiſt. 20. ILluſtriſſime & clementiſſime Princeps: Scriptum eſt in *Pſalmo*: *Plantati in domo Domini, in atriis Dei noſtri florebunt, & adhuc in Senectu erunt germinantes & virentes.* Hæc ſenectæ bona cùm promiſerit Deus creator et cuſtos Eccleſiæ, toto eum pectore oro, ut Celſ. V. adhuc longa vitæ ſpacia propter Eccleſiam, & filio Celſ. Veſtræ tribuat robur animi et corporis durabile.

Ego hoc tempore non ſine periculo ægroto. Commendo autem Celſitudini Veſtræ, genus Doctrinæ quod adhuc pio conſenſu docent in Veſtris Eccleſiis D. *Iohannes Aurifaber* et ejus collegæ, et in Academiis his, quarum adhuc verus et pius conſenſus eſt, *Tubingenſi*, *Marpurgenſi*, *Lipſica*, *Wittebergenſi*, *Francofordianâ*, *Gripſvaldenſi*, & *Roſtochiana*; Et ſcio pios et doctos viros *Lubecæ*, *Hamburgæ*, et *Luneburgæ* eandem doctrinæ vocem conſtanter ſonare.

Nec à perſpicua ſententia diſcedamus propter rabiem *Flacii* et *Morlini*. Hæc Celſ. Veſt. in hoc meo morbo præcipuè ſcribere volui.

Deinde commendo Celſ. V. hunc Doctorem *Davidem Voit*, qui non ſejunget ſe à ſententia et confeſſione D. *Iohannis Aurifabri*, et erit Deo juvante utilis Eccleſiæ et Scholæ. Quia mens pia eſt, et rectè didicit doctrinam Eccleſiæ: addo et hoc, Sancto Patre docente Evangelium natus eſt.

Nos teſtimonium publicum Doctoris Theologiæ ei tribuimus, ut oſtendunt publica ſcripta, quorum exemplum mitto. Poſtea *Flaciani* eum citatione miſsâ ſine mentione cauſæ retinere conati ſunt. Manifeſta eſt ea in re petulantia: Quod eò dico, ut C. V. cogitet, non ibi veritatis ſtudium eſſe, ſed quæri apud eos ſine cauſa pernicioſas diſtractiones. At boni et ſapientes Principes conjunctionem Eccleſiarum noſtrarum tueantur.

Rogo Filium Dei Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, ut C. V. confirmet corporis et animæ vires, et addat longa vitæ ſpacia. Amen. Die II. poſt Paſcha. M. D. LX.

Illuſtriſſimo Principi, Iohanni Alberto Duci Megaloburgenſi S. D.

Epiſt. 21. ILluſtriſſime et Clementiſſime Princeps, Cùm *Petrus Vincentius* vir doctus & integer ad Celſitudinem tuam profecturus, literas à me peteret, non tàm ipſius causâ, quàm meâ dandas cenſui.

Nam ipſius quidem extant monumenta, virtutum tuarum laudibus conſperſa. In iis ſcriptis, cùm ſplendor orationis, ingenium ipſius, et eruditionem oſtendat, non dubito eum à te diligi, quia veriſſimum eſt illud Muſarum carmen, ὅ,τι καλὸν φίλον ἐστί. Adfert igitur commendationem præcipuam, ingenii ſui ornamenta.

Mihi verò ipſius apud Celſ. tuam Oratione opus eſt, quâ ſpero lenitururn eſſe quædam, quæ fortaſſis aſperius iſtic de me narrantur, de quibus diſputationem nunc non inſtituo. Tantum reverenter oro, ut ſi labores mei aliquorum ſtudiis Deo juvante, profuerunt, Celſitudo Tua non ſinat extingui ſuam erga me benevolentiam.

Quædam conſultò minùs horridè diſputavi: Evolvi quædam ex magnis labyrinthis; Conjunctionem noſtrarum Eccleſiarum retineri volui, & domeſtica quædam vulnera tegi.

Nunc ſi opprimar, rectæ voluntatis conſcientia me ſuſtentabo, etiamſi alicubi, vel errore conſiliorum vel imbecillitate, ab eo quod rectius erat, deflexi. Scio enim me non eſſe ἀναμάρτητον, & aſſiduis gemitibus Filium Dei oro, ut Eccleſiam ſuam ſervet, & me in ea gubernet.

Maximè etiam opto, ut in vera Synodo deliberatio inter pios & eruditos inſtituatur, in qua multarum magnarum rerum explicatio utilis poſteritati, Deo juvante fieri poſſit, qua de re & *Petrus* oſtendet à multis Principibus flagitari Synodum: Hanc meam Epiſtolam ut Celſ. T. boni conſulat reverenter oro. Oro etiam Filium Dei ut Celſ. T. ſervet incolumen & gubernet. Datæ die Brumæ. Anno M. D. LVIII.

Illuſtriſſimo Principi, Guilhelmo, Duci Brunſwicenſi S. D.

ILluſtris & inclyte Princeps, Memini *Cordum* mihi prædicare ante annos decem, cùm cæteras egregias virtutes C. V. tùm verò etiam honeſtum de literis & doctrina judicium, qui quidem affirmabat C. V. tunc in duriore fortuna, præcipuè lectione hiſtoriarum & aliorum monumentorum lenire ejus temporis moleſtias. Epiſt. 22.

Gratulabar tunc eam virtutem Celſ. V. Eſt enim magni animi, non ſuccumbere dolori, non petere levationem ab obſcœnis voluptatibus, ut fecerunt *Dionyſius Siculus*, *Antonius* Triumvir, & alii: Sed potiùs moderatè ferre vim fortunæ, & quærere ex literis cauſas, cur deceat moderatio, & proſpicere exitus honeſtos, ut *David*, *Themiſtocles*, & recens Rex *Neapolitanus Alfonſus*. Qui cùm diſcerent ex literis, quantum decus ſit animi Conſtantia atque æquabilitas, non ſolùm res adverſas fortiter tulerunt, ſed etiam moderationem animi prodeſſe ſibi ad quærendos exercitus præclaros ſenſerunt.

Laudabam igitur conſilium Celſ. Veſt. ac mecum ipſe veteres Duces *Guelphos* repetebam animo, à quibus orta eſt laudatiſſima familia veſtra, quorum virtuti reſpondere poſteros gaudebam.

Cum autem mihi *M. Iohannes Duderſtad* vir doctus & mecum veteri amicitiâ conjunctus commemoraſſet, Celſ. V. eo tempore etiam literis mandâſſe quaſdam honeſtas conſolationes: non potui facere, quin Celſ. V. ad ea ſcripta edenda adhortarer. Quanquam enim multa extant eodem Argumento à doctis compoſita; tamen plus moventur homines autoritate Principis, qui hæc non in otio, ſed inter ipſas fortunæ procellas didicit.

Circumferuntur quædam *Alfonſi* ſententiæ plenæ eruditionis. Has quis non legit libentiùs, quàm aliorum vulgarium ſcriptorum magna volumina? Faciet igitur utiliter Celſ. V. ſi ſuas lucubrationes publicaverit: Eritque honeſtum Celſ. V. extare teſtimonium, ex quo appareat, quantâ moderatione res aſperas tulerit. Et proderit exemplum cæteris, non modò ad colendas literas, ſed multo magis ad amandam conſtantiam ac æquabilitatem animi in fortuna duriore: nec gravatim adjuvabo editionem, ſi in ea re Celſ. V. Arti meâ operâ volet.

Cæterùm gratulor C. V. quòd ex prioribus ærumnis eluctata jam ad gubernationem Reip. rediit: In qua oro, ut autoritatem ſuam conferat ad communem *Germaniæ* pacem. Multùm autem, præſertim hoc tempore, cùm *Spiræ* Conventus putatur eſſe futurus, in quo de communi tranquillitate deliberandum eſt, ſpero profuturas ſententias eorum Principum, qui ſunt moderatiores, & malunt ſaluti Patriæ conſulere, quàm privatæ iracundiæ obſequi. Benè valeat Celſitud. V. XV. Maii. M. D. XL.

Illuſtriſſimo Principi Gulielmo,
Duci Iuliacenſi,
S. D.

Epiſt. 23. INclyte Princeps, Nullum eſt juſtius officium, quàm pro ſene literato ſacerdote intercedere. Itaque etſi videor ineptus interpellator, tamen in cauſa, quam ago, tanta eſt pietas, ut ſperem Celſitudinem Tuam literas meas boni conſulturam eſſe.

Nam hic *Nicolaus Buſcoducenſis* vir eſt egregiâ eruditione inſtructus in *Latinis* & *Græcis* literis. Senectus eſt, ut *Neſtoris*, prudentiâ & ſuavitate ſermonis mirificâ prædita. Docuit *Lovanii* ac *Antverpiæ* tantâ dexteritate ac fide, ut omnibus prudentibus chariſſimus eſſet: ac potuiſſet in illis locis cum dignitate vivere, ſi probare tyrannidem voluiſſet, quæ ibi exercetur in pios. Diſceſſit igitur, ac *Bremæ* in otio vixit, & paupertatem æquo animo tulit.

Cùm autem ingenium ejus uſui eſſe Reipublicæ poſſit, duxi commendandum eſſe Celſitudini Tuæ, ut ei tribuas locum *Weſaliæ*, aut in alio oppido, ubi doceat mediocri ſtipendio *Græcas* & *Latinas* literas. Optimè in tali ſene collocabitur ſacerdotium aliquod.

Vides piorum exempla in ſacris literis, qui exulantes ſanctos viros hoſpitio exceperunt ac aluerunt: ut *Sareptana* vidua *Eliam*. Celebrantur & ſanctorum Principum officia in hoc genere: ut *Abimelech*, qui juvit *Abrahamum*, & *[illegible]dias*, qui quinquaginta Prophetas in ſpecu pavit. His optimis Principibus, te quoque annumerabit Eccleſia, ſi huic ſeni & ſimilibus opitulaberis: Et reddet Deus mercedem cumulatè, qui poſtulat, ut Reipublicæ gubernatores, amanter tales hoſpites complectantur & curent.

Quare C. T. obteſtor propter Filium Dei, qui ut nos in patriam cœleſtem reduceret in terris exulavit, ut hunc hoſpitem C. T. clementer recipiat; Eique ad vitam honeſtè tolerandam de ſumptibus neceſſariis ex aliquo ſacerdotio proſpiciat. Valde prodeſſe ſtudiis juventutis poterit. Benè valeat C. T. Anno M. D. XL.

Illuſtriſſimo Principi Ioanni Friderico Duci Pomeraniæ S. D.

ILluſtriſſime Princeps, Etſi de ſtudiis doctrinæ ad C. T. ſcribere malueram: tamen in hoc recenti dolore publico univerſæ Eccleſiæ, lugentis interitum optimi Principis, Ducis *Saxoniæ* avunculi tui, ne potui quidem animum in ſenſu hujus vulneris abducere. Epiſt. 24.

Cum enim in ſenatu Imperii *Germanici* hic Princeps, velut *Neſtor* inter Duces ad *Trojam* profectos, ſapientiâ, virtute, conſtantiâ, & autoritate excelluerit, dolendum eſt *Germaniam* tali gubernatore publici conſilii orbatam eſſe, nec dubito Principem, ſapientiâ & virtute excellentem, Patrem tuum, & deſiderio amici tanti affici, & Reipub. orbitatem deplorare. Te verò intuens cogito, & propter Sanguinis neceſſitudinem amiſſo avunculo, & propter maternum luctum ſingulari dolore affici.

Quanquam autem pietas eſt, non eſſe ferreo animo: ſed intelligere cauſas dolorum, & ſenſu talium vulnerum affici, tamen vult nos Deus moderari dolorem. Eriges igitur animum iis conſolationibus, quas Deus tradidit. Deinde ſcias memoriam avunculi ſemper retinendam eſſe, ac pectus ad imitationem virtutum accendendum eſſe, quæ in eo multæ ac magnæ fuerunt.

Nôrat initium ſapientiæ eſſe timorem Dei. Studioſè igitur doctrinam de Deo inquiſivit & cognovit, & animi pietatem verâ invocatione, & conſtantiâ confeſſionis & ſtudio fovendi Eccleſias declaravit. In gubernatione politica juſtus & beneficus fuit. Domeſtica vita caſta fuit, & multa habuit exercitia pietatis, lectionem, precationem, ſcriptionem, deliberationes cum præſtantibus viris de doctrina, de Eccleſia, de gubernatione Reipub. Et quia judicio & memoriâ valebat, hiſtoriam omnium temporum, quæ in literis extat, nôrat.

Bellum geſſit, in quo vicit fortuna *Caroli* Cæſaris, ſed eventum Deus leniit. et res ipſa oſtendit, depoſitis armis, confeſſionem ejus plus profuiſſe Eccleſiæ, quàm armatus prodeſſe potuiſſet. Quare non dubitemus, eum curæ fuiſſe Deo, et belli tempore et poſtea. Reverſus in patriam etiam ſuaſor pacis fuit.

Tàm illuſtria exempla virtutum, cùm ejus vita contineat, gaudebis talem te avunculum habuiſſe, et conſideratione virtutum ipſius, te ad idem decus excitabis. Mitto igitur de eo pagellam *Stigelii* graviſſimè ſcriptam, ſed poſtea ſequentur hiſtoriæ pleniores. Mitto & alias pagellas, & oro Filium Dei, ut & parentes tuos nobiliſſimos, & te & fratres ſervet incolumes,

&

& gubernet. Bene & feliciter valeat Celſ. T. A Die XXII. Martii Anno M. D. LIV.

Illuſtriſſimo Principi Friderico, Duci Sileſiæ in Lignicia, Briga &c. Goltperg, &c. S. D.

Epiſt. 25. Illuſtriſſime Princeps, & elementiſſime Domine: Etſi calamitates publicæ & imperiorum ruinæ & confuſiones in conſpectu ſunt; tamen B addit ſigna Deus, ut graviores pœnas denuncient, & plures ad modeſtiam flectant. Quare & compeſcamus errantes impetus, & Filium Dei oremus, ut nos regat, ac leniat pœnas. Mitto Celſ. V. pagellas, & ſpero deſcriptionem figuræ *Chriſti* & matris *Mariæ* præcipuè gratam fore Celſ. V. Benè & feliciter valeat Celſ. V. Pridie Calendar. Maii, Anno M. D. LI.

Friderico Duci Sileſiæ S. D. C

Epiſt. 26. Illuſtriſſime & clementiſſime Princeps, Non caſu naſcitur genus humanum ad hujus vitæ miſerias. Sed reſtat alia ſapiens & juſta vita in conſuetudine Dei, in qua fruemur conſpectu Dei ad quem conditi ſumus. Ad hanc vult nos præparari Deus doctrinâ per Filium ex ſinu æterni Patris prolatâ. Ideò toto pectore oro Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, conditorem generis humani, ut Eccleſias ſuas, & ſtudia doctrinarum ſervet, & gubernet, & protegat has D Regiones.

Veniſſem ad Celſitudinem V. ſi me non retinuiſſent negotia Ducis *Saxoniæ* Electoris, ut ex literis quas mitto & ex narratione virorum integerrimorum, quos huc Cel. V. miſit, intelligi poterit, ac orò reverenter ut C. V. boni conſulat, quòd iſtuc non veni hoc tempore.

Deliberationes de optimè merita Academia *Goltpergenſi* ut regat ipſe Filius Dei, ſedens ad dex- E tram æterni Patris, dans dona hominibus, Paſtores & doctores, toto eum pectore oro.

Vir honeſtiſſimus & eruditus in lingua *Græca* & *Latina*, Doctor artis Medicæ, *Henricus Paxmannus* judicio noſtro delectus eſt, qui ſe offert Celſ. V.

Natus eſt in Ducatu *Luneburgenſi*, & nobiſcum vixit annos undecim, doctrinam Eccleſiæ rectè intelligit, & abhorret ab omnibus impiis & fanaticis opinionibus, & mores ejus ſunt honeſti & pii. Utiliter docuit hic annos aliquot, & ſpero F doctrinarum & diſciplinæ Rectorem utilem, Deo juvante, in Academia *Goltpergenſi* futurum eſſe, quia & eruditione rectè inſtructus eſt, & Deum verâ pietate colit.

Malueram eum mox ad Celſitudinem veſtram proficiſci, ſed ipſe voluit prius ſenes parentes viſere. Promiſit autem ſe ad Celſ. V. venturum eſſe ſtatim poſt ferias, in quibus *Martini* memoria celebratur, non tantum *Pannonii*, ſed etiam *Lutheri*, qui natus eſt in profeſto *Pannonii Martini*. G Oro autem reverenter, ut Celſ. V. venientem Doctorem *Paxmannum* clementer excipiat & tueatur.

De controverſiis Eccleſiaſticis multa collocutus ſum cum viris doctis & piis, quos Celſ. V. huc miſit, quæ ipſi exponent Celſitudini Veſtræ: Oro Filium Dei ut faciat, ut omnes Eccleſiæ noſtræ unum ſint in ipſo. Et ſcio conſenſum eſſe noſtræ Eccleſiæ, & Eccleſiarum in *Sileſia* univerſa, etiamſi alicubi turbulenti homines *Suenckfeldiani* aut alii admixti ſunt. Sed tamen non dubito pium conſenſum eſſe ubique paſtorum, & in politica gubernatione foventium Eccleſias. Et Celſitudinem Veſtram oro, ut patriæ concordiam tueatur.

Prodeſſet etiam de ſimili forma Eccleſiarum Illuſtriſſimos Principes deliberare, ſed ſine ſuperſtitione, ſine contentionibus de rebus non neceſſariis. Et judico formam *Megalburgenſium* Eccleſiarum commodam eſſe, ſed nè de ullis ritibus, qui aboliti ſunt, ſuperſtitiosè pugnetur. Non poteſt eſſe concordia niſi ἐπιείκεια ſit in rebus non neceſſariis.

Plura, etiamſi apud Celſitudinem veſtram iſtic eſſem, monere non poſſem. Opto ut uſitatæ Synodi docentium non omittantur, præſertim donec Autoritate Domini *Georgii Seiler* regi poſſunt. Et foveri conjunctionem docentium omni genere officii utile eſt, & eam rem maximæ curæ eſſe piis Principibus decet, ſicut ſcriptum eſt, *Conveniant Reges & populi in unum, ut ſerviant Domino.* Oro Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, creatorem generis humani, colligentem Eccleſiam æternam, ut Celſitudini veſtræ confirmet animæ & corporis vires & protegat has regiones. Datæ Calendis Octobris, Anno M. D. LVIII.

Friderico Duci Sileſiæ S. D.

Illuſtriſſime & Clementiſſime Princeps, Nihil Epiſt. 27. dubium eſt ordinem politicum & imperia, Dei & opus & beneficia eſſe, & præficere Deum gubernatores generi humano, ut curent populos rectè doceri de ipſius invocatione, & ſint cuſtodes diſciplinæ & pacis.

Ac in familia veſtra aliquot ſeculis multi Principes fuerunt, qui patriam doctrinâ, legibus & judiciis ornârunt.

Præcipua verò laus eſt optimi Principis Patris Celſitudinis veſtræ, qui emendavit Eccleſias; Curavit rectè erudiri juventutem: & Scholam *Goltpergenſem* conſtituit, quæ plurimum profuit, & adhuc prodeſt Eccleſiis. Nec dubium eſt hanc pietatem tu Patre Deo gratam fuiſſe.

Erit & grata Deo pietas Celſitudinis Veſtræ in ſervandis Eccleſiis & Scholis, quas eò magis tueri Celſitudinem Veſtram decet, quia doctrina & literis præclarè inſtructa eſt.

Cum autem ad Scholæ gubernationem noſtro conſilio acceſſitus ſit vir excellens eruditione & virtute *Henricus Paxmannus*, Doctor artis Medicæ, reverenter eum Celſitudini Veſtræ commendo. Mores ſunt caſti & pii, Eruditio ejus in lingua *Latina* & *Græca*, & in omnibus Philoſophiæ partibus eximia eſt. Ac ſpero, Deo juvante, fidem, conſilium in docendo, & eruditionem ejus juventuti plurimum profuturа eſſe. Morum exempla etiam ornamento Eccleſiæ erunt; Et quidem in tuenda concordia & Eccleſiæ & Scholæ prudentem & gravem fore non dubito.

Oro igitur Celſitudinem Veſtram, ut clementer eum excipiat, & Scholæ gubernationem ei commendet, ac Filium Dei Dominum

noſtrum *Ieſum Chriſtum*, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, cuſtodem Eccleſiæ oro, ut Celſitudinem Veſtram, & Celſitudinis Veſtræ Filium, & Eccleſias & Scholas & earum hoſpitia in *Sileſia* ſervet & gubernet. Bene valeat Celſitudo Veſtra. Anno M. D. LVIII. Die X. Novembris, quo die natus eſt *Lutherus*.

Illuſtri & generoſo Comiti Domino Ludovico Comiti in Stolberg & Konigſtein, &c. S. D.

Epiſt.28. ILluſtris & generoſe Comes, Etſi Conventus nondum ſuppeditat mihi Argumentum ad te ſcribendi: tamen de privato officio déque meo ſtudio erga D. T. libenter ſcripſi. Semper enim amavi ingenium D. T. & nunc in gubernatione Reipublicæ perſpectam moderationem animi & virtutem magis amo.

Bonus gubernator Imago Dei eſt, ut verè dicitur. Sed pauci hoc decus tueri ſtudent. Ideo Deum oro, ut D. T. regat & ſervet. Spero quamvis paucorum ſtudia profutura eſſe ad ornandam Eccleſiam *Chriſti*.

Hiſtoria Conventûs adhuc perbrevis eſt. Nam publica diſputatio de doctrina nondum eſt inchoata. Adverſarii quotidie conveniunt, condunt Articulos, & conditos rurſus mutant, denique telam retexunt, ut de *Penelope* dicitur, quod eò fit, quia difficile eſt fucos idoneos falſis opinionibus, quas ornare cupiunt, reperire.

Si vocabimur ad publicum congreſſum, dabimus operam, ut moderatè cauſam agamus. Nam & nos ex animo concordiam publicam optamus, quæ facilè conſtitui poſſet, ſi adverſarii quædam manifeſta vitia in Eccleſiis emendari paterentur. Sed hactenus omnia moderata conſilia repudiârunt. Nec nos doctrinam neceſſariam Eccleſiæ, etſi præſidia humana nulla habemus, abjecturi ſumus.

Oro igitur Deum, ut conſilia & exitum gubernet, & flectat animos potentum ad illuſtrandam Dei Gloriam. Bene & fœliciter valeat D. T. *Wormaciæ* VII. Decemb. Anno M. D. XL.

Illuſtri & Magnifico Domino Iohanni Comiti Tarnovienſi, Patrono ſuo, S. D.

Epiſt.29. ILluſtris & Magnifice Domine, Non dubito, te, cum & ſapientia excellas, & melius nôris Rempub. & ſenſus atque voluntates *Turcicæ* gentis, quàm alii, jam propè aſpicientem ruinas *Pannoniæ*, & cogitantem de reliquæ *Europæ* periculis, magno in dolore eſſe, & partim Principum [illegible], partim ignaviam deteſtari. Mihi certè, quoties in publicos congreſſus Eccleſiarum venio: quoties aliquam eruditam commentationem inſtituo, totum corpus metu venturæ vaſtitatis cohorreſcit.

Sed in his terroribus hac me conſolatione ſuſtento, quam omnes, qui non ſunt ἄθεοι, infixam animis tenere debent, Eccleſiam Dei ſemper manſuram eſſe, etiamſi regnorum converſiones erunt.

Penè eodem tempore præſens forma horum trium Regnorum conſtituta eſt, *Pannonici*, *Polonici* & *Germanici*, inde uſque ab *Ottone* noſtro, qui & Regem veſtrum coronavit, & apud nos Electores tanquam Ephoros inſtituit, ante annos quingentos. Quod ſpacium, uſitata periodus & quaſi ætas eſt regnorum.

Qualiſcunque igitur converſio erit, non tamen frangamur animis, ſed à Deo auxilium ſperemus, qui nominatim promittit apud *Eſaiam* cap. 46. ſe etiam ſeneſcentem Eccleſiam in alvo ſua geſtaturum eſſe. Hæc cum ad te ſcriberem, & aliquid de Republica dicendum eſſe putarem, præcipuè commemoranda eſſe duxi. Nam *Germanici* Conventus Hiſtoriam ſcribere prorſus non libet. Litigant de copiis contra *Gallum* mittendis, ac diſputant, dum ille vicinos *Spiræ* agros urit & vaſtat.

Deum oro, ut Eccleſias ſuas & honeſtas ac pias artes tegat, quarum patrocinium etiam tibi commendo. Et cum *Adamus Ranaski* adoleſcens modeſtiſſimus, & literis benè excultus, à te mihi literas attulerit, rurſus tibi eum commendandum duxi. Nam & modeſtè apud nos vixit, & ſcribenti copia *Latini* ſermonis non deeſt. Quare te oro, ut ad eam benevolentiam quâ eum antè complexus es, nunc aliquid ſtudii addas, propterea quod ſpecimen modeſtiæ & diligentiæ ſuæ apud exteros eximium præbuerit. Bene vale. Die XVII. Aprilis. Quo ante annos ter mille octingentos quadraginta quatuor *Noë* ex arca egreſſus eſt. Utinam ut tunc ſervata eſt in diluvio Eccleſia Dei: Ita nunc in Regnorum diluviis ſervetur. Anno M. D. XLIV.

Quibuſdam proceribus in regno Poloniæ, &c. S. D.

ILluſtres & magnifici Domini Comites, Semper veneratus ſum Regnum *Poloniæ*, eò quòd magis utilitatis publicæ causâ contra *Tartaros* & *Turcas* arma geſſit, quàm cætera *Europæ* regna, quæ inter ſeſe ambitione & aliis cupiditatibus bella inutilia geſſerunt, ut conſtat. Epiſt.30.

Maximè igitur opto benè meritæ genti, ut etiam illuceſcat ei lux Euangelii, & deleantur ibi cultus impii, & idola, & flectantur plurimorum corda ad veri Dei invocationem, & colligatur æterna Eccleſia Filio Dei. Quia manifeſtiſſimum eſt, in doctrina Papæ & Monachorum, multos tetros errores eſſe.

Corrupta eſt ab iis doctrina de Pœnitentia & Remiſſione peccatorum. Conſolatio de Juſtitia fidei deleta fuit: traditiones Epiſcoporum fuerunt, & carnificina, & impii cultus: ficta oblatio in Miſſa Papiſtica, & adplicatio pro vivis & mortuis: invocatio hominum mortuorum, manifeſta idola ſunt. Quantùm turpitudinis eſt in cœlibatu impuro?

Quòd igitur de emendatione Eccleſiarum deliberatis, piè facitis, ſicut mandatum eſt: *Et nunc Reges intelligite:* Ac Filium Dei oro, ut conſilia veſtra gubernet.

Neceſſe eſt autem in emendatione hanc circumſpectionem adhibere, ut doctrina tradita in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, & expreſſa in Symbolis, conſtanter retineatur, nec miſceantur corruptelæ. Nam ſolius Euangelii voce, certò colligit Filius Dei æternam Eccleſiam, non aliis doctrinis.

Sint

Sint certis locis judicia Eccleſiæ de doctrina &
moribus, ut ſit cenſura Eccleſiaſtica, & contuma-
ces puniantur ſeverâ excommunicatione, ſed re-
bus ordine judicatis.

Scholæ literarum quoque conſtituendæ ſunt, ut
adoleſcentia diſcat ſummam veræ doctrinæ de
Deo, & linguas, & artes Eccleſiæ utiles.

Optarim etiam pios & prudentes viros de cere-
moniis cogitare, & eligere non deformes, non
ridiculas, & perficere, ne magna ſit in una regione
diſſimilitudo. Ac de earum uſu populus rectè do-
ceatur, nec addatur opinio cultus aut neceſſi-
tatis.

Quare extet in Eccleſiis veſtris pia confeſſio, de
toto Corpore veræ doctrinæ *Chriſtiana*, quæ quo-
modo in noſtris Eccleſiis recitata ſit, cognoſcere
ex his libellis, quos mittimus, poteritis, à quibus
non diſcedimus. Et concordiæ causâ prodeſt, ean-
dem veram confeſſionem, iiſdem verbis recita-
tam, Eccleſias amplecti.

Curabitis etiam pium examen, & publicum
ritum Ordinationis miniſtrorum Evangelii in-
ſtitui.

Denique de præcipuis materiis, noſtras ſenten-
tias, & conſuetudinem, ex his libellis cognoſce-
re poteritis, quos mittimus. Et exponet vir no-
bilis *Euſtathius* fideliter noſtri Colloquii ſum-
mam.

Oro etiam Filium Dei, Dominum noſtrum
Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis & reſuſcita-
tum, cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut clementer ſervet
& gubernet Celſitudinem Veſtram. Datæ Anno
M. D. LIX. Die XX. Martii, quo die ante
Annos M. D. XXIII. Filius Dei, tanquam
Triumphans, ingreſſus eſt in Urbem *Jeroſoly-
mam*, exceptus palmis & oleis, & voce canen-
tium, de quibus dicit Dominus: *Ex ore infantium
& lactentium perfeciſti laudem.* In eo numero, ut
nos quoque, quanquam infantuli & infirmi ſi-
mus, rectè celebrantes Filium Dei, faciat ipſe Deus
æternus Pater propter Filium, Amen.

*Magnanimo & nobili viro D. Iohanni à
Laſco, &c.* S. D.

Epiſt. 31. Cum te propter excellentem virtutem & do-
ctrinam valde amem & ſuſpiciam, méque
judicem viciſſim à te diligi, non facilè dixerim,
quam mihi ſit acerbum, non poſſe uti genere li-
terarum, niſi triſtiſſimo. Quo enim fato hoc ac-
ciderit dicam? ut jam alteras literas cogar ſcribe-
re, plenas mei & tui luctûs & doloris?

Amanus ita amplexus eram, ut non minus
quam filium propter ipſius optimam indolem &
virtutem eum amaverim. Itaque & nemo mihi
fuit familiarior, quoad eo frui contigit. Erat
communis menſa, & domus, & perpetua de ſtu-
diis & ſacrarum literarum & philoſophiæ Collo-
quia.

Cum igitur ſub hyemem in *Haſſiam* proficiſce-
rer à Principe accerſitus, & illum intelligerem cu-
pere videre aulas *Germaniæ* Principum, præterea
ipſum etiam *Landgravium*, cujus virtutem mira-
batur, facilè paſſus ſum eum unà proficiſci. Rever-
ſi ſumus ſalvi & incolumes.

Cùm *Lipſiam* ventum eſſet, mihique pro-
pter multas cauſas domum properandum eſſet,

A *Amanus* aliquot dies manere cupiebat, habe-
bat enim nonnihil negotii de pecuniis, & ibi li-
benter apud *Sarmatas* erat. Nolui igitur ejus vo-
luntati repugnare.

Poſt paucos dies ibi ſeu in febrim, ſeu, ut
mihi videtur, in pleuritida incidit, quæ extin-
xit opt. Juvenem. Non defuit ei Medicorum
opera. Sed hi mihi ſcribunt, ita fuiſſe proſtra-
tam naturam, ut nullis remediis erigi & fo-
veri potuerit. Quæ morbi cauſa fuerit, ne di-
B vinare ſatis poſſum. Nam me diſcedente è *Li-
pſia* commodè & rectè valebat, etſi catarro le-
viter nonnihil vexabatur: Sequuta eſt inflamma-
tio, neſcio unde.

Non inſtituam autem conſolationem. Nam i-
pſe tantum accepi dolorem: ut verè hoc affirma-
re poſſim, me meâ morte illius vitam redimere
cupere, ſi hoc ſinat Deus.

Etenim ut non dicam, quantam jacturam res
literaria & *Chriſtiana* Reſpublica fecerit interitu
C talis ingenii, quod non ſolùm optimarum artium
capax erat, ſed mirifico religionis ſtudio flagra-
bat, ut denique omnes cæteras doloris cauſas o-
mittam, humanitatis certè causâ ita doleo, ut in
morte filii fuerim æquiore animo. Nam & ipſe
me ſic amabat, ut & patris loco haberet. Tanta
in eo erat ſuavitas, tantus pudor, tanta in omni
genere officii diligentia, ut cum iſta cogito, pene
exanimer.

Ac fortaſſis mortuus mecum eſſe voluit. *Lipſia*
D enim propter meam conſuetudinem negavit ei
ſepulturam. O inauditam & barbaram crudeli-
tatem! Quare mihi amici, cùm nollent eum
ſepeliri in loco prophano, huc eum remiſe-
runt. Conditus eſt igitur in templo apud nos,
ubi multi Principes conditi ſunt, & univerſæ
Scholæ noſtræ reliquit ſui memoriam acerbiſſi-
mam. *Lipſiæ* etiam multi honeſti viri ejus interi-
tum deploraverunt.

Quanquam autem ſcio te eâ ſapientiâ & forti-
E tudine eſſe, ut non ſuccumbendum eſſe fortunæ
ſtatuas: & ſcias unde remedia tanti doloris pe-
tenda ſint: tamen ego id ſignifico, quód ad
conſolandum unum debet eſſe efficaciſſimum.
Audio enim extremo tempore ardentiſſimis vo-
tis & precibus ſuis ſalutem Deo commendâſſe,
& recitâſſe Pſalmum: *Miſerere mei Deus*, donec
eum vox & ratio deficeret.

Chriſtus inquit: *Ne paſſeres quidem ſine volun-
tate Dei in terram cadere.* Quare multò magis
F & vita & mors piorum illi curæ ſunt. Ego nullam
habeo firmiorem conſolationem hâc ipsâ, quód
voluntati Dei parendum eſſe ſtatuo, & periiſſe no-
bis optimum amicum & fratrem non caſu, ſed
conſilio Dei arbitror. His me cogitationibus ut-
cunque ſuſtento, quas opto & tuo dolori aliquan-
tulum mederi.

Hæc ut vides, non tàm ſcripſi, quàm ef-
fudi lachrymans, & interim tùm *Amani* mor-
tem, tùm meam infelicitatem deplorans; Sol-
G licitus etiam quo tu animo hæc ſis lecturus. De
ejus ſupellectile ſcribit, ut opinor, *Petrus*. Nos
omnia quæ mortuo præſtari poſſunt, ſummâ fide
& pietate præſtabimus. Utinam ipſo potuiſſemus
frui diutiùs, ut illi contigiſſet, mea officia per-
ſpicere & ſtudium, in hac vitæ conſuetudine,
quam inſtitueramus. Mihi privata res nulla po-
tuit acerbior accidere morte ipſius. Si quid igi-

tur ad te conſolandum ſocietas doloris valere poteſt, hoc tibi confirmo, me memoriam *Amani* nunquam ex animo remiſſurum eſſe. Tu vale fœliciùs, vir ampliſſime, & ignoſce lugubri ſcripto, II. Februar. M. D. XXXV.

Illuſtri viro, & præſtanti ſapientia & virtute prædito D. Guilielmo Bellaio, Domino à Langi: Taurinenſis provinciæ gubernatori, &c. S. D.

Epiſt. 32. VT ſemper ex animo concordiam publicam Eccleſiarum mediocribus conditionibus optavi: Ita ad conventum quadam cum ſpe profectus fui, præſertim cùm audiviſſem adfuturum eum Virum, qui nunc quidem Princeps eſt conſilii Imperatoris *Caroli*. Sperabam etiam adfuturos plures, quorum ſapientia & authoritas impetus utriuſque partis cohibere, & moderari controverſias poſſet.

Sed poſtquam advenimus, tantùm altercatio C inſtituitur, ſine arbitris, ſine ulla dijudicatione, cùm hæc noſtra certamina aliquanto longiore tempore duraverint, quàm *Trojana* obſidio. Accedit ad hoc, quòd abſunt aliorum Regum legati, qui quia neutri parti videntur addicti, propter æquitatis opinionem, faciliùs flectere utriuſq; partis animos potuiſſent.

Nec profectò ullâ ratione aliâ conſuli Eccleſiis poterit, niſi quadam moderatione adhibitâ. Diſſipare Eccleſias, & in vaſtitatem redigere arma D poterunt: Tranquillitatem veram & animorum Concordiam reſtituere non poterunt.

Ac ſciebam te expetitum eſſe à noſtris ad hanc graviſſimam deliberationem, velut *Neſtorem*, qui exortum inter *Homericos* duces certamen dirimit, aut *Ulyſſem*, qui exercitum tumultuantem ſedat.

Sed quoniam res longè aliter hic inſtituta eſt, quàm ſperabam: auguria de exitu non valde obſcura ſunt, quem utinam Deus gubernet.

His me conflictantem curis ac ſollicitudinibus convenit hic N. filius tuæ ſororis, adoleſcens, ut multi graves viri prædicant, ante annos animúmque gerens curámq; virilem: cujus ſuavitate valde ſum delectatus, Eique gratiam habeo, quòd me amplexus eſt, cum propter alias cauſas, tùm ob hanc, quòd ejus amicitiam mihi apud te quoque profuturam eſſe confido.

Etſi autem vel fortuna, vel cauſa cui videor conjunctus aditum mihi ad potentum amicitiam F intercludit: tamen quia ſcio te & literas colere, & quâdam erecti animi præſtantiâ veritatem tùm in omni vita, tùm verò in illa Principe virtute, videlicet in Religione amare: petivi ab hoc tuo propinquo, ut me tibi diligenter commendaret.

Narravi etiam hoc anno editas eſſe *Xenophontis* hiſtorias, quibus addidi præfationem tibi inſcriptam. Admonuit enim me *Xenophon* ipſe de tuis G virtutibus, qui ad excellentem doctrinam adjunxit uſum militarem, & *Ageſilai* conſiliis interfuit, qui præ cæteris Regibus omnibus virtute, fortunâ, & gloriâ antecelluit.

Itaque cùm ſimilitudine illa delectarer, téque magis amarem: volui tuum nomen in veſtibulo operis adſcribi. Sperabâm etiam fore ut avidius expeteretur liber propter tui nominis celebra-

A tionem. Quare boni conſules illam inſcriptionem.

Quòd autem ibi publicè petivi: idem nunc quoque oro, ut propter literas, propter Eccleſiæ ſalutem, propter incolumitatem tot gentium hortator ſis, ut de controverſiis Eccleſiæ non dimicetur impiis armis, ſed potiùs, ut decet magnos Reges, quærantur moderata conſilia. Bene vale. *Wormaciæ* in Conventu. Die VII. Decembris. Anno M. D. XL.

B

Ioanni Friderico Saxoniæ Electori pro Scholaſtico liberato Studioſi Hamburgenſes S. D.

ILluſtriſſime Princeps, Domine Clementiſſime, Epiſt. 33. Principiò reverenter precamur, ut C. T. has noſtras literas declarandæ gratitudinis noſtræ cauſâ ſcriptas, clementer accipiat. Poſtquam enim C conterraneum noſtrum N, primùm Academiæ reſtitui, deinde placato fratre vulnerati, etiam metu mortis liberari C. T. clementer voluit; Etſi talibus beneficiis nulla Oratio par inveniri poteſt: Tamen exiſtimavimus ad officium noſtrum pertinere, ut aliquam gratæ mentis ſignificationem oſtenderemus.

Scimus nos antea plurimùm C. T. debere, quòd in hac Academia, quæ tuâ virtute & liberalitate defenditur & fovetur, optimarum D artium & Euangelii doctrinam, quâ nihil homini melius aut utilius contingere poteſt, didicimus: Quo tempore & vidimus C. T. præ cæteris Principibus virtutes omnes colere, maximéque juſtitiam rectricem humanæ ſocietatis amare, & bonitate lenire. Propter quæ decora C. T. ſemper ſtudioſè venerati ſumus, & prædicari etiam à multis ſapientiſſimis viris ubique ſcimus.

Sed in hac calamitate conterranei noſtri præ- E cipuè cognovimus juſtitiam tuam miſericordiâ temperatam, quâ de tuo jure clementer aliquid remiſiſti, ac pœnam mitigari paſſus es, & adoleſcenti miſero vitam reddidiſti. Quâ in re etiam parentes ipſius ſenes, qui dolore animi & luctu perituri fuiſſent, ſervati & planè ex morte revocati ſunt.

Cùm autem cæteris beneficiis omnibus, multùm nos obligatos C. T. fateamur, nunc magis obligati ſumus, pro hoc peculiari beneficio. Ita- F que ſummâ reverentiâ C. T. gratias agimus, & noſtro, & conterranei noſtri, & parentum ipſius nomine, quòd miſero, qui triſti caſu in hanc calamitatem incidit, parci voluiſti. Quòd ſi ullo unquam tempore declarare gratitudinem noſtram poterimus, pollicemur nos viciſſim quævis pericula, tuâ cauſâ libenter adituros eſſe. Prædicabimus etiam civitati *Hamburgenſi*, in qua plerique nati ſumus, hanc Tuam Clementiam, quæ eò etiam erga T. C. erit officio- G ſior, cum audiet civium ſuorum interceſſioni te clementer adſenſiſſe.

Hanc teſtificationem gratæ voluntatis noſtræ clementer accipiat C. T. nec ſimulato: ſed vero & ardenti pectore ſcriptam eſſe ſtatuat.

Poſtremò Deum æternum Patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti* precamur, & ſemper precabimur

A bimur ardentibus votis, ut C. T. ſervet incolumem ac florentem, & defendat adverſus omnes hoſtes, & faciat, ut gubernatio tua fœlix ſit, & C. T. & tuis, & univerſæ Eccleſiæ Dei. Quæ & in hac vita, & poſtea in tota æternitate C. T. inter juſtos, & ſalutares Principes, *Davidem, Joſaphat, Ezechiam, Joſiam,* & ſimiles, coram Deo, & univerſis electis celebratura eſt. Quæ vera gloria longè anteferenda eſt famæ, quam *Alexander*, aut *Julius* reliquerunt. Benè & fœliciter B valeat C. T. *Witeberga.* II. Februarii. Anno M. D. XLV.

Cuidam Comiti S. D.

Epiſt. 34. INclyte Comes. Etſi Philoſophi multa de cauſis cur imperia mutentur diſputant, tamen divina vox teſtatur humanorum ſcelerum multiplicium pœnas eſſe bella. Id agnoſcamus, & moribus emendatis confugiamus ad Filium Dei, C qui ſervabit haud dubiè reliquias Eccleſiæ ſuæ.

Inter cætera verò bellorum mala hoc eſt, quòd literarum ſtudia impediuntur, & diſcentium cœtus diſſipantur. Quod nunc duabus florentiſſimis Academiis accidit, *Lipſicæ* & noſtræ.

Eſt autem dignum bonitate virorum Principum Scholaſticos exulantes excipere & tueri. Quare hunc *Petrum* tibi commendo, cognatum viri honeſtiſſimi Præceptoris tui.

D Mitto etiam breviſſimam annotationem rerum in *Miſnia* noſtrâ hactenus geſtarum. Nam longiorem Hiſtoriam circumferre non eſt tutum. Conjungamus autem vota, ac vera Pietate Deum æternum Patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti* precemur, ut piam & ſalutarem pacem *Germaniæ* reſtituat. Tibi certè ex animo opto, ut in Republica pacatâ & florente virtus tua conſpici poſſit. Bene vale. Die viceſimo ſecundo Januarii, E Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo.

Illuſtri & Magnifico D. Iohanni Baroni in Waldſtein S. D.

Epiſt. 35. ILluſtris & Magnifice Domine; Utrumque prædixit ipſa Dei vox: In hac delira mundi ſenecta, futuras eſſe majores regnorum & Eccleſiæ dilacerationes, quàm fuerunt antea: & tamen inter has ruinas ſemper fore aliquem cœtum; qui F ſonet Euangelii vocem, & verè invocet Deum, in agnitione Mediatoris. In eo certè eſſe melius eſt, quàm eſſe ſocium & miniſtrum crudelitatis eorum, qui delere manifeſtam veritatem Euangelii conantur.

Ut igitur, cùm Filius Dei, Dominus noſter *Jeſus Chriſtus* crucem ſuam geſtabat, *Simon Cyrenæus* partem oneris ſubibat: ita piè faciunt homines, nati in illuſtribus familiis, qui leniunt piis & doctis Paſtoribus miſerias.

G Spero autem tuâ authoritate aliquo modo poſſe reprimi injuſtam ſævitiam eorum, qui paſtori *Sacenſi* minitantur. Legi ejus reſponſionem, & judico piam & modeſtam eſſe. Ideo illuſtrem dominationem tuam oro, ut quantum fieri poteſt, mitigare acerbitatem inimicorum ſtudeat.

Dolendum eſt, viros doctos, ſalutaria docentes, & modeſtè viventes pelli. cùm tales omni curâ, propter gloriam Dei & ſalutem populi retinendi & fovendi eſſent. Sed agnoſcamus Eccleſiæ ærumnas, & pii lenire eas ſtudeant. Bene & feliciter valeat illuſtris Dominatio veſtra. Die *Iacobi* Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo.

Reverendiſſimo D. Ioſepho, Eccleſiæ Chriſti, quæ eſt Conſtantinopoli, Patriarchæ ſanctiſſimo ſalutem ex Græco converſa.

SEmper quidem Eccleſia Dei in hac vita, ſicut navicula inter fluctus, multis procellis agitatur: nunc vero in languida hac mundi ſenecta magis quàm olim turbatur. Quod cùm videmus, ſæpe cum gemitu precamur Filium Dei, Judicem omnium hominum: ut quamprimum veniet & triumphum agat, univerſámque Eccleſiam ad viſibilem Dei conſuetudinem adducat, ubi erit Deus omnia in omnibus beatis. Deplorantibus autem nobis communem calamitatem: nonnihil attulit nobis ſolatii narratio *Demetrii*, ex quo audivimus, Deum adhuc mirando modo ſervare Eccleſiam non exiguam in *Thracia, Aſia,* & *Græcia*: quemadmodum olim tres viros in fornace *Babylonica* ſervavit. Itaque gratias agimus vero Deo, Patri *Ieſu Chriſti*, quod potenti manu in tanta multitudine impiorum, & immani odio Dei flagrantium hoſtium, ſibi ſervat cœtum, qui Filium ipſius *Ieſum Chriſtum* rectè colit atque invocat: ac precamur, ut ſemper ubique terrarum Eccleſiæ ſanctæ colligantur, & conſerventur. Vidit verò *Demetrius* ipſe noſtros congreſſus, ac doctrinæ noſtræ auditor fuit. Commemorare ergo poterit, nos verâ pietate retinere ſacras literas tam Prophetarum, quam Apoſtolorum: ſanctarum etiam ſynodorum de dogmatibus canones, atque patrum doctrinam: *Irenæi, Athanaſii, Baſilii, Gregorii, Epiphanii, Theodoreti*, aliorúmque, qui cum his conſentiunt: vetera autem deliramenta, *Samoſateni, Manichæorum, Mahometiſtarum*, omniúmque execrandorum hominum, quos reprobat ſancta Eccleſia, deteſtamur: ac docemus pietatem eſſe veram fidem, & obedientiam juxta leges divinas nobis traditas: Non ſuperſtitiones, aut cultus humanâ authoritate inſtitutos, quos indocti *Latinorum* Monachi excogitârunt ſine mandato Dei. Oramus igitur & vos, qui ſapientiâ excellitis, nè fidem habeatis calumniis, quas fingunt contra nos hoſtes quidam veritatis: ſed juxta legem, & naturalem & divinam, pariter utramque partem audiatis, & veritatis ac legis divinæ patroni ſitis: quemadmodum ſcitis opus hoc cultum eſſe Deo longè gratiſſimum. Vale Reverendiſſime Pater. In *Saxonia.* Anno poſt Domini noſtri *Jeſu Chriſti* in aſſumpta carne œconomiam milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono. *Philippus Melancthon.* Epiſt. 36.

Reverendiſſimis Dominis & reverendis Patribus, Cardinalibus, & Epiſcopis in Synodo Tridentina congregatis, Mauritius Saxoniæ Dux & Elector S. D.

Epiſt. 37. REverendiſſimi Domini, & Reverendi Patres, Cum Cæſarea Majeſtas, Dominus noſter Clemen-

Clementiſſimus voluerit, ut ex Eccleſiis noſtræ ditionis aliqui ad Synodum mitterentur, noluimus ejus voluntati deeſſe, præſertim cùm & nos optemus veritatem illuſtrari propter gloriam Dei, & piam ac perpetuam in Eccleſiis totius orbis terrarum concordiam conſtitui. Quæ duæ res omnibus hominibus maximè expetendæ ſunt, præcipuè verò iis, quibus Deus gubernationem commendavit.

Miſimus igitur ad Synodum hos tres viros, *Eraſmum Sarcerium*, *Valentinum Pacaeum*, & *Philippum Melancthonem*, quorum & mores honeſtos eſſe, & ſtudium pacis & publicæ concordiæ prædicari intelligimus.

Hos ut benignè audiatis, publicè exponentes, quid de omnibus controverſiis communi conſenſu Eccleſiæ noſtræ doceant, petimus. Ipſis etiam mandata dedimus, ut piè, placidè, & ſine privatis affectibus recitent & declarent doctrinam, quam exiſtimant univerſæ Eccleſiæ neceſſariam.

Scitis autem pro veſtra excellenti ſapientia, hos veſtros Conſeſſus intueri Deum Judicem: Et univerſam Eccleſiam in cœlo & in terra expetere primùm, ut gloria Filii Dei verè illuſtretur, & ſauciæ conſcientiæ ſanentur, & vera eis invocatio monſtretur: Deinde, ut talis concordia conſtituatur, in qua non ſtabiliantur veteres abuſus.

Neque enim grata Deo, neque durabilis eſſe tranquillitas ſine veritate poteſt.

Negari autem non poteſt, manifeſtos quoſdam errores, & non levia vitia in Eccleſiam irrepſiſſe, quæ diſſidiis hujus temporis occaſionem præbuerunt. De his tantis rebus & audire vos Eccleſiarum querelas, & remedia ſalutaria quærere, ſapientiâ veſtrâ dignum eſt.

Oramus autem Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, ut vulneribus Eccleſiæ veteribus & recentibus medeatur ipſe, ſicut *Samaritanum* illum ait ſaucio viatori opem tuliſſe. Quâ imagine cùm ſeſe exprimeret, oſtendit ſe affici noſtris calamitatibus, & velle ſe nobis opitulari. Bene valete. Datæ *Dreſdæ* Idibus Januariis, Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo.

Ad Hermannum Archiepiſcoporum Colonienſem principem Electorem, S. D.

Epiſt. 8. ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps; Etſi privatim mihi benevolentia Reverendiſſimæ Dominationis tuæ gratiſſima eſt: tamen multò magis Reipublicæ causâ gaudeo, quod Reverendiſſima D. T. ſic animata eſt, ut non inflammare & exulcerare Eccleſiæ mala violentis conſiliis, ſed ſanate veris remediis cupiat.

Nec verò dubium eſt, quin ubique terrarum, ac præcipuè in *Germania*, multi pii aſſiduis votis & lachrymis optent, ut divinitùs tandem aliqui gubernatores Eccleſiarum, authoritate præſtantes, excitentur ad ſuſcipiendam hanc curam, ut Eccleſiam multis veteribus erroribus ſqualentem repurgent, & recèns laceratam immani Principum ſævitiâ, & variis diſcordiis diſtractam, rurſus concilient & recreent. Plurimi enim Principes & Epiſcopi non modò privatim exercent in pios crudelitatem indigniſſimam *Chriſtiano* no-

A mine, ſed jam publicè nefarium bellum nobis minantur. Quâ ex re & Eccleſiæ & *Germaniæ* vaſtitas ſecutura eſt, niſi aliquorum moderatio hæc conſilia impediet.

Scimus autem te hactenus & à ſævitia abhorruiſſe, & alienum eſſe à conſpiratione contra nos facta. Quare nunc in te potiſſimùm intuemur, à te petimus, ut cùm in tanto faſtigio Eccleſiæ & hujus *Germanici* Imperii collocatus ſis, cogitationem & curam de Eccleſia, & de patriæ ſalute B ſuſcipias.

Quid hic conventus pariturus ſit, nondum ſcio. Sed ſi induciæ erunt exigui temporis, adhortor te per *Chriſtum*, ut poſtea omni contentione perficias, ut verâ deliberatione Reipublicæ conſulatur. Synodus Pontificia etiamſi procederet, tamen augeret tantùm publica mala, non ſanaret. Conſtat enim quales ſint cupiditates, qualia judicia potentiorum, qui ſoli in Synodo ſuffragationem habere volunt. Ideo opus eſt C *Germania*, non ſolùm bonis, ſed etiam magnanimis Principibus, & verè *Germanis*, qui non metuant Pontificiam tyrannidem, ſed auſint veteri jure Eccleſiæ de ſalute patriæ deliberationem inſtituere.

Quoties enim non expectata *Romani* Pontificis authoritate de graviſſimis controverſiis Synodi habitæ ſunt? Ut contra *Samoſatenum Antiochiæ* convenerunt præcipui in *Aſia* Epiſcopi, priuſquam res ad *Romanum* Pontificem deferre D tur. Fuerunt & *Alexandriæ* & in *Aſia* frequentes Synodi non indictæ à *Romanis* Pontificibus. Denique extant etiam multa *Gallica* exempla, & aliarum in *Europa* Eccleſiarum. Quia Epiſcopi docti & pii judicabant ad ſuum officium verè pertinere, ut celerrimè conſulerent ſuis nationibus.

Nunc in tantis diſcordiis, cùm pluſquam *Neroniana* ſævitia exerceatur, cùm propoſitâ propoſitione injuſtiſſimâ adverſarii noſtri palàm noE bis crudele bellum denunciârint, quid agunt Epiſcopi in *Germania*? Alii fœdera & συμμαχίας faciunt, ad civile bellum contra nos movendum. Alii metu, potentiorum voluntatibus morigerantur.

In tantis fluctibus Eccleſia velut navis jactatur, in qua & ipſis gubernatoribus fideles nautæ interficiuntur, laxantur remi, evertitur malus, perfodiuntur latera. An exiſtimant rectores, qui tali tempeſtate deſunt, Deum non futurum tantæ negF ligentiæ vindicem?

Cùm autem tu unus oſtendas te jam authorem pacis & concordiæ futurum eſſe, non dubito tuam voluntatem Deo gratam eſſe. Nam *Petrus Medmanus*, quem propter eruditionem, pietatem, facundiam, & optimos mores, tibi quoque probari intelligo, narrat nobis, te non vulgari ſtudio incenſum eſſe & emendandi Eccleſias & ſarciendæ concordiæ. Id ut adjuvet Deus ex animo precor.

G Opto autem talem concordiam, quæ non inducat caliginem veritati, neu veteres errores aſtutè affictâ excuſatione ſtabiliat. Sicut in *Enchiridio* quodam *Coloniæ* edito fieri animadverti, in quo cùm nos hoſtiliter oppugnemur, & condemnemur, non monſtratur aditus ad Concordiam, ſed diſſidia magis inflammantur. Nihil tam abſurdum eſt, quod non poſſit effici concinnius, ſi

callidi

calli̇di artifices adhibeant ſua pigmenta, ſeu, ut A *Euripides* vocat, *ονια φάρμακα*.

Sed ſimplex veritas propter duas graviſſimas cauſas potius quærenda eſt, videlicet, nè gloria Dei obſcuretur, deinde ut firma & ad poſteritatem durabilis Concordia conſtituatur. Nam fucoſa non ſunt durabilia. Optandum Igitur eſt, ut ſimplex veritas in Eccleſiis extet & luceat. Nec ulla res eſt viro Principe dignior, quam veritatis amor ac propugnatio. Itaque precor Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, ut mentem & conſilia tua gubernet, ut Eccleſiæ ac patriæ opem B feras.

Profectò ſæpè miror, in quibuſdam Principibus tàm ferrea pectora eſſe, ut non ſaltem patriæ miſericordiâ moveantur, ut de communi pace cogitent. Eminere bonitas in familiis heroicis debebat. At nonnulli ita nos extingui ac deleri cupiunt, ſimul ut cognatum & civilem ſanguinem ſitiant; Nec ſumptis armis quis ſit futurus poſtea modus, aut finis crudelitatis pro- C ſpiciunt.

——— *Alta ſedent civilis vulnera dextra,*

inquit *Lucanus*. Nam bella civilia ſemel mota, non facilè ſedantur, & adferunt diſſipationes diſciplinæ, politiæ, & Eccleſiarum, *Syllanas* Tyrannides, & alia multa inſanabilia mala, quæ omni curâ Principes cavenda putarent, ſi quâ patriæ miſericordiâ afficerentur.

Tibi verò *Germania* perpetuam gratiam de- D bebit, quòd & impia inimicorum noſtrorum conſilia deteſtaris, & autoritatem tuam ad conſtituendam pacem conferre ſtudes.

Beati pacifici, quia Filii Dei vocabuntur. Hac voce etſi omnes invitat *Chriſtus* ad ſtudium tuendæ publicæ tranquillitatis: tamen præcipuè Epiſcopos, qui ſunt Duces publici conſilii, hortatur, ut ſint autores pacis. Nec dubito quin graviſſima autoritate hujus præcepti ita confirmatus ſit animus tuus, ut labores & pericula libenter E ſubiturus ſis faciendæ pacis causâ.

Hæc ſcripſi prolixiùs dolore etiam incitatus, hoc præſertim tempore. Quare R. D. T. veniam mihi dabit.

De mea profectione ad R. D. T. reſpondit Dux *Saxoniæ*. Parum momenti adferre privati homines poſſunt. Sed tamen opera noſtra bonis Principibus deeſſe non debet. Et ego ſummâ voluntate accurram ad R. D. T. cum id mihi permittet Dux *Saxoniæ*, cui operam in Schola promiſi. Ac F ſcio eum libenter R. D. T. gratificari. Bene & feliciter valeat R. D. T. Die decimo ſeptimo Martii, Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo nono.

Iacobus Sadoletus Philippo Melancthoni, S. D.

Epiſt. 39. CArpentoralli cùm eſſem, quo in loco ſtatutum habere me credens domicilium perpetuum G vitæ fortunarúmque mearum omnium, repentè tamen inde decedere, & *Romam* redire juſſu Pontificis Maximi ſum coactus: Sed cùm ibi eſſem, accidebat mihi fermè quotidie, ut aliquid nanciſcerer de ſcriptis tuis, quæ ego & propter excellens ingenium tuum, & propter elegantiam ſtyli atque orationis libentiſſimè legere ſolebam.

Id cum ſæpiùs facerem magnáque in legendo delectatione afficerer, ſenſi paulatim mihi incendi animum ad quandam benevolentiam nominis tui, uſque eò quidem, ut miro quodam ſtudio tecum ineundæ amicitiæ tenerer. Etſi enim nonnulla erat inter nos opinionum diſſenſio, ea tamen animorum diſſidium apud ingenuè eruditos minimè faciebat.

Jámque erat mihi deliberatum ſcribere ad te, primáſque aperire amicitiæ fores, cum ſubitò ut dicere cœperam, ad urbem accerſitus, & per cauſam appropinquantis Concilii, earúmque rerum tractandarum & conſultandarum, quas mox in Concilio agi oporteret, è mea Eccleſia, ubi decennio manſeram, evocatus, Pontificis hujus optimi & prudentiſſimi judicio tacito, inſcius atque imprudens in ampliſſimum ordinem S. R. E. Cardinalium cooptatus ſum. Hæc res effecit, ut meæ voluntati in dandis ad te literis obſequerer tardiùs. Non enim dici poteſt, ut ex illa priſtina, pacata atque felice vita, in hanc tumultuoſam & plenam ſtrepitûs traductus ſum, quæ ſolicitudines, quàm multæ & graves curæ, eædémque permoleſtæ me exceperint. Quod quidem mihi neceſſe fuit accidere.

Hanc enim ego vitam & prius judicio fugeram, & alteram illam item judicio fueram perſecutus. Quarum nunc utraque cum mihi contra animi ſententiam ceciderit, nec lætari poſſum habere me quod noluiſſem, & neceſſariò doleo amiſiſſe quod diligebam. Sed quoniam Deo parendum eſt de nobis ſic ſtatuenti, dabimus nos operam, quantum per ejus auxilium opémque licebit, ut honorem hunc rectè integréque adminiſtremus. Quod autem noſtræ inſtitutæ eſt ſcriptionis, non eſt paſſus meus, mi *Philippe*, in te animus, diutius hoc à me officium differri, quin ut primum è turba & moleſtiis animus emergere cœperat, literas ad te darem, pignus meæ propenſæ in te voluntatis, & invitamentum in me tuæ. Si id quod ego in te amando meæ exiſtimationi de tuis eximiis virtutibus tribuo, tu humanitati tuæ, ut me pari benevolentiâ complectaris, eſſe dandum duxeris. Quod quidem te rogo uti facias, neque me ſitientem familiaritatis tuæ deferas. Non ego enim is ſum, qui ut quiſque à nobis opinione diſſentit, ſtatim eum odio habeam. Arrogantis eſt hoc & elati animi, non manſueti & comis, quas me potiùs ad partes natura mea vocat. Sed faveo ingeniis, virtutes hominum colo, ſtudia literarum diligo. In quibus tu ut doctrinæ & ingenii, ſic amoris mei non mediocres partes poſſides, nec dubito quin tu eâdem mente & voluntate ſis præditus. Iſto enim animo, qui tam liberaliter artibus ingenuis expoſitus ſit, nihil agreſte neque aſperum ineſſe poteſt. Quò etiam majorem mihi ſpem virtus tua facit, meas hoc apud te ponderis literas habituras, ut qui locorum ſpaciis disjuncti ſumus, animis tamen & benevolentiâ conjungamur. Quod ego maximè aveo expectóque, tibique prorſus perſuaſum cupio, in numero eorum, qui te diligunt & florentem cupiunt, quorum magna eſt profectò, pro tui nominis celebritate, multitudo, me principem locum appetere, nihilque vehementiùs cupere, quam dari mihi locum probandi tibi reipsâ & declarandi amoris erga te mei. In quo tu ſi anſam mihi aliquam occaſionémve

ve meæ explendæ hujuſce cupiditatis præbueris, magno me abs te beneficio affectum arbitrabor.

Omnia quidem quæ tibi grata eſſe ſenſero, tanto ſtudio ac diligentiâ exequar, ut nec fide quiſquam majori nec benevolentiâ poſſit. Sicut & mea natura officii inprimis colens, & ſuſceptus jam erga te amor, & perpetuum meum erga doctos viros ſtudium poſtulat. Vale, mi doctiſſime *Melancthon*, & nos tui amantiſſimos dilige. *Romæ* decimo quinto Calend. Julii, Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo ſeptimo.

Reverendiſſimo Domino Thomæ Archiepiſcopo Eccleſiæ Cantuarienſis, &c. S. D.

Epiſt.40. REverendiſſime Domine Præſul, Et ex *Alexandro* viro optimo & mihi veteri amicitiâ conjunctio; & ex multis aliis bonis & doctis viris intellexi, Te præclaram doctrinæ laudem cum eximia pietate conjunxiſſe. Itaque ſæpè gratulor *Britanniæ* veſtræ talem Epiſcopum, quales ſi haberet Eccleſia aliquantò plures, non difficulter & concordiâ orbis terrarum conſtitui, & ſanari Eccleſia poſſet.

Cùm autem non dubitarem, quin ad cæteras virtutes humanitatem ſummam adjunxiſſes, duxi tibi commendandum eſſe hunc bonum virum *Alexandrum Aleſium Scotum*. Is proficiſcitur in *Britanniam*, ut exhibeat R. T. quoddam meum ſcriptum, in quo R. P. T. animadvertet me conatum eſſe, ut diligenter & utiliter explicarem & quantum poſſem mitigarem pleraſque controverſias.

Sed judicium de toto ſcripto libenter & R. P. T. & ſimilibus viris doctis & piis permitto, à quorum judicio nunquam in Eccleſia *Chriſti* diſſentiam. Itaque ſi vel ſtudium meum vel ſcriptum probabis, rogo ut R. P. T. adjuvet hunc *Alexandrum*, ut Regiæ Majeſtati libellum exhibere poſſit.

Cæterùm ipſius *Alexandri* tanta eſt doctrina, probitas, & in omni officii genere diligentia, ut nullam poſſit ad virum ſapientem adferre cõmendationem majorem, quàm ſuam virtutem. Proinde fore ſpero, ut pro tua prudentia & pietate libenter complectaris hominem. Rogo tamen, ſi quid noſtræ literæ apud R. P. T. valent, ut meâ etiam causâ aliquid ſtudii addas ad ea officia, quæ tuâ voluntate in eum collaturus es.

Judicium verò ſuum de meo ſcripto poterit mihi R. P. T. per hunc *Alexandrum* ſignificare. Commendo me R. P. T. ſummo ſtudio. Bene valeat R. P. T. ad illuſtrandam gloriam *Chriſti*. Menſe Auguſto, Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo quinto.

Reverendiſſ. Domino Thomæ Archiepiſcopo Cantuarienſi S. D.

Epiſt.41. REverendiſſime Domine, Et Epiſtolam & libros quos miſiſti reddidit mihi *Germanicus* adoleſcens ex *Anglia* in patriam rediens, Menſe Maio. Legi certamen, & doleo eos, qui quærunt vetera teſtimonia, non velle perſpicuitatem eorum agnoſcere. Nec verò dubium eſt, quid ſaniores in veteri Eccleſia ſenſerint. Sed impoſturas audi. Multis libris novæ & nothæ ſententiæ aſſutæ ſunt. Id in *Theophylacto* accidiſſe certum eſt. Nam quod *Oecolampadius* in ſuo Codice vertit (cum quidem rem non probaret) ſed vertit tamen: id in noſtro Codice prorſus deerat. Idem accidit in *Bedæ* libris, quos tamen arbitror apud vos inveniri incorruptiores. Mitto vobis partem Enarrationis *Symboli Niceni*, & mitto tanquam cenſoribus, tibi, *Laſcio*, *Bucero*, *Petro Martyri*, & aliis doctis & candidis. Bene valete. Die viceſimo octavo Maii, Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo.

Reverendiſſ. Domino Thomæ Archiepiſcopo Cantuarienſi S. D.

REverendiſſime Domine Archiepiſcope, Scimus utrumque voce divinâ prædictum eſſe, & futuras eſſe majores confuſiones generis humanî in hac ultima & delira mundi ſenecta, quàm fuerunt antea, & tamen etiam inter Imperiorum ruinas Filium Dei collecturum eſſe æternam Eccleſiam. Hac me conſolatione in his *Germaniæ* tumultibus ſuſtento. Epiſt.42.

Comperimus hoc anno mirabiliter protectas eſſe Eccleſias in ea ora *Pannoniæ*, quam nominant *Tranſylvaniam*. Eduxerunt *Turci* magnos exercitus *Tartarorum*. Hos in *Pannoniam* ducturus erat *Walachorum* Tyrannus crudeliſſimus. Hic in ipſo apparatu tantæ expeditionis à ſuis propter crudelitatem interfectus eſt. Ita dilapsâ multitudine ſervatæ ſunt Eccleſiæ *Pannonicæ*.

De bellis *Germanicis* eò nihil ſcribo, quia noſtræ literæ tardè ad vos perferuntur. Interea multa fiunt magis ἀξιόλογα. Nunc verò mitto ad R. D. T. duos libellos, ac oro R. D. T. ut curet alterum exhiberi inclyto Regi, alterum ejus doctori. Quoquo autem modo de his noſtrorum hominum ſtudiis iſthic judicatur: tamen mihi placet noſtros honorificè ad vos ſcribere. Et Mathematum ſtudia commendari Regi omnium eruditiſſimo honeſtum eſt. Bene & feliciter valeat R. D. T. Salutem opto illuſtri & reverendo Viro *Johanni* à *Lasky*. Die quarto Julii. Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo tertio.

Reverendiſſ. Domino Thomæ Archiepiſcopo Cantuarienſi S. D.

REverendiſſime Antiſtes, Scripſit ad me *Gualterus Scotus*, ſe amanter à te exceptum eſſe, propter teſtimonium, quod à nobis diſcedenti dederam. Gaudeo & illius & meâ causâ. Nam non minus illius ſecundis & adverſis rebus, quàm meis moveor, tibique reverenter gratias ago. Epiſt.43.

Cùm autem in *Britanniam* & hic meus amicus *Franciſcus Dryander Gualtero* notus profecturus eſſet, literas à me petivit, non ut cuiquam oneri eſſet, ſed homo peregrinus ut veteri more, quem iſtic patronum habeat καὶ πρόξενον, ut *Græci* vocabant, quærit.

Arbitror jam iſtic & alios quoſdam eſſe, quibus notus eſt, quorum de *Franciſco* judicia cum audieris, haud dubiè ſumma voluntate, & ſingulari benevolentiâ eum complecteris.

Familiaritas ei mecum eſt multorum annorum. Verè ſervamus hoc *Homericum* inter nos, ut hoſpes tanquam

tanquam frater diligatur. Etiam judicio eum A
complexus ſum. Penitùs enim perſpexi ejus opi-
niones & mores, ac animadverti eum excellenti
ingenio præditum eſſe, & præclarè inſtructum e-
ruditione & de controverſiis rectiſſimè judicate,
ac prorſus alienum eſſe à fanaticis & ſeditioſis opi-
nionibus. Morum etiam gravitatem ſingularem
ipſe citò cognoſces. Et his ornamentis tantis addit
veram Dei agnitionem & invocationem.

Talis cùm ſit, quæſo ut eum complectaris. Uſui
etiam eum fore in Academia aliqua arbitror. B
Scribo brevius & ſimplicius propter temporis an-
guſtiam, quæ mihi ad has literas ſcribendas nunc
contigerat; Téque oro ut veniam des Epiſtolæ
ſubitò effuſæ, quam tamen veram eſſe judicabis
ipſe, ubi *Franciſci* ingenium, eruditionem, & mo-
res dierum aliquot conſuetudo oſtenderit. Bene &
feliciter vale. Idibus Januarii, Anno milleſimo
quingenteſimo quadrageſimo octavo.

Reverendiſſ. Domino Thomæ Archiepiſcopo C
Cantuarienſi S. D.

Epiſt.41. REverendiſſime Domine, Etſi *Jonas* pater ſcie-
bat te filium ſingulari benevolentiâ jam com-
plecti: tamen ut intelligeres nos hoc tuum bene-
ficium magnifacere, voluit me de filio ad te ſcri-
bere. Quod cum feciſſem, ecce adferuntur filii
Jonæ literæ, in quibus mihi ſermonem quendam
tuum narrat de quæſtione non obſcura, ſed quæ
duriter concuſſit Eccleſias, & concutiet duriùs, D
quia Gubernatores illi tantæ rei non quærunt ve-
ra remedia.

Nihil autem in hac Epiſtola præter meum do-
lorem indicare volo, qui tantus eſt, ut exhauriri
non poſſit, vel ſi tantum funderem lacrymarum,
quantum vehit undarum *Albis* noſter, aut apud
vos *Tameſis*. Vides multiplices explicationes, &
olim excogitatas eſſe, & nunc excogitari: quia
negligitur ſimplex & ſincera vetuſtas. Ac lon-
giorem diſputationem nunc non eò tantum omit- E
to, quia properant tabellarii: ſed etiam quia non
amo labyrinthos, ut vides omne meum ſtudium in
multis materiis fuiſſe, ut extarent planè evoluta.

Illud autem te oro, ut deliberes cum viris bonis
ac verè doctis, & quid ſtatuendum, & quâ mode-
ratione initio in docendo opus ſit. Ego optarim
ut & in priore Epiſtola ſcripſi, non tantùm de hac
quæſtione, ſed de quibuſdam aliis rebus edi ſum-
mam neceſſariæ doctrinæ ſine privato ullo affe-
ctu, deliberatis & adſcriptis ſuffragiis piorum & F
doctorum, qui eſſent adhibiti ad eam delibera-
tionem, nec relinqui poſteris ambiguitates tan-
quam μῆλον ἔριδος.

Synodus *Tridentina* veteratoria decreta facit,
ut ambiguè dictis tueatur ſuos errores: Hanc ſo-
phiſticam procul ab Eccleſia abeſſe oportuit. Mi-
nimum eſt abſurdi in rebus veris rectè propoſitis:
Invitaret igitur & rerum bonitas & perſpicuitas
ubique bonas mentes.

Nimis horridæ fuerunt initio *Stoica* diſputatio- G
nes apud noſtros de Fato, & diſciplinæ nocuerunt.
Quare te rogo, ut de tali aliqua formula doctrinæ
cogites.

Nunc rurſus de *Jona*: Cum videas ingenii in
eo vim egregiam eſſe, & omnium Philoſophiæ
partium initia eum rectè didiciſſe, ac mores bo-
nos eſſe, & naturam divinitus ad eloquentiam fa-

A ctam eſſe: te oro, ut eum tibi commendatum ha-
beas. Reipubl. Deo volente & uſui & ornamento
magno futurum eſſe ſperamus. Bene vale. Anno
M.D.XLVIII.

Ioh. Bellaio Langæo Epiſcopo Pariſienſi, S. D.

ETſi multorum literis & prædicatione cognovi, Epiſt.43.
te & rectis ſtudiis magnopere favere, & cu-
pere, Eccleſiæ tranquillitati verâ ratione conſu-
B lere; tamen certo conſilio nihil ad te literarum
dedi hactenus. Nunc autem in tanto communi
periculo, non ſolius *Galliæ*, ſed univerſæ Eccleſiæ
totius orbis terrarum, non potui me continere
diutiùs, quin apud te, ſi nihil aliud, tamen deplo-
rarem Eccleſiæ calamitates.

Nam cùm regnum *Gallicum* longè florentiſſi-
mum ſit, & ſi licet dicere, caput *Chriſtiani* orbis,
magnam vim habet exemplum præſtantiſſimæ
nationis. Si igitur ſemel apud vos decretum fue-
C rit, non ſolùm fanaticos ſpiritus, aut ſeditioſos
coercere, ſed prorſus nullam admittere emenda-
tionem doctrinæ Eccleſiaſticæ, & præſentia vitia
Eccleſiæ ſummâ vi defendere, magna de ſpe boni
viri ubique gentium dejicientur, qui quanta ſit
autoritas *Galliæ* non ignorant. Sequentur enim
exemplum *Galliæ*, cæteræ nationes. Quæ ex re,
quantum periculum Eccleſiæ, quæ cædes ſecutu-
ræ ſint, quæ doctrinæ diſſipatio, quæ confuſio: e-
rum, nihil opus eſt, apud te virum ſapientiſſimum
D diſputare.

Itaque te propter gloriam *Chriſti* rogo, ut, quod
facis, mitigare animos Principum ſtudeas, & hor-
tator ſis, ut rationem ineant, quâ ſanari Eccleſia
poſſit, non magis magiſque lacerari.

Judico & ipſe coercendos eſſe, & fanaticos ſpi-
ritus, qui pernicioſas opiniones habent, & homi-
nes ſeditioſos. Sed quoniam abuſus cuidam re-
prehenſi ſunt, multi pii & docti viri quærunt pu-
rum doctrinæ genus, non cupiditate ullâ, ſed ſtu-
E dio veræ pietatis. Ac præſertim *Gallica* natio exi-
mium habet pietatis ſtudium.

Scio fatum eſſe Eccleſiæ, ut in eam ſæviant in-
docti & impii: ſed tamen prudentes viri mitigare
hos impetus debent.

Vides de maximis rebus exortas eſſe contro-
verſias, quæ vix poterunt armis opprimi. Ac
mihi neque ad tranquillitatem Eccleſiæ, neque
ad autoritatem eorum qui præſunt, utilis videtur
injuſta ſævitia. Cúmque maxime ſit optandum,
F ut Epiſcoporum autoritas magna ſit, non aliâ ra-
tione id effici poſſe videtur, quàm ſi dent operam,
ut genus doctrinæ extet certum, quod ſanet am-
bigentes animos. Ita poterunt obſiſtere fanaticis
ſpiritibus, ſi ſtudia bonorum & doctorum reti-
neant ipſi.

In quam ſententiam plura dicerem, niſi ſcirem
te hæc omnia, pro tua ſapientia, longè meliùs per-
ſpicere, quàm à me dici queant. Tantùm oran-
dum te duxi, ut complectare animo Eccleſiam,
G quandoquidem in ea urbe gubernas Eccleſiam,
quæ principem Scholam habet totius *Chriſtianæ*
Reipubl.

Nec dubito, quin in tanto doctiſſimorum homi-
num cœtu permulti ſint, qui & optimè conſul-
tum velint Eccleſiæ *Chriſti*, & intelligant qui-
bus rationibus concordia rectè conſtitui poſſit.
Horum omnium oculi atque animi in te non ſo-
lùm

lùm tacitis votis intuentur, ſed etiam lacrymis petunt, ut autoritate tuâ horteris Principes viros, nè injuſtâ crudelitate laceretur Ecclèſia, nè opprimantur vera ſtudia, nè obruatur gloria *Chriſti*, nè diſſipentur Reſpubl.

Nec verò tantum *Gallia* hoc te orat, ſed etiam omnes boni & docti in univerſa *Germania*, qui & autoritatem tui muneris intelligunt, & nôrunt te propter excellentem doctrinam & pietatem maximè dignum eſſe, cui in illa celeberrima urbe Eccleſiæ gubernatio commendata ſit. Ego quidem & mollire controverſias ſemper conatus ſum, idemque adhuc ago, meámque ſententiam ſemper cum Eccleſiæ, hoc eſt, doctorum, & bonorum ac tui ſimilium, judicio conjungam. Vale. Anno M.D.XXXV.

Petro Paulo Vergerio Epiſcopo S. D.

Epiſt. 44. REverendiſſime Domine, Mitto exemplum *Confeſſionis* & *Apologiæ*. Etſi autem alia quædam fortaſſis monumenta noſtrorum accuratiùs ſcripta ſunt: tamen & hic libellus teſtatur, nos non diſcedere à vero conſenſu Catholicæ Eccleſiæ *Chriſti*.

Ego verò etiam dehiſcere terram mihi prius optarim, quàm velim pugnare cum iſto auguſto Eccleſiæ cœtu, in quo Filius Dei regnat.

Non poteſt autem negari plurimum fuiſſe tenebrarum & errorum in doctrina Monachorum. D
Quare res ipſa flagitavit emendationem. Et nunc utinam Pontifices quærerent idoneas concordiæ vias, quibus certè noſtræ voluntates non ſunt defuturæ. Idque velim te tali prudentiâ, eruditione, & virtute virum aliis exponere, nec ineptorum calumnias reformidare. Bene vale. *Wormaciæ.*

Baldaſſaro Appromnitz Epiſcopo Vratiſlavienſi, S. D.

Epiſt. 45. REverende Domine, Poſtquam intellexi, te ad hoc faſtigium evectum eſſe, gratulabar Eccleſiæ talem gubernatorem, cujus moderationem judicabam in his diſſidiis Eccleſiaſticis, ſalutarem Eccleſiæ fore. Nôram enim & animum tuum naturâ placidum, & aſſiduitatem in optimarum artium ſtudiis, & audiebam, te non abhorrere ab eorum ſententiis, qui cenſent ſine ſævitia moderatis rationibus, in Eccleſia concordiam conſtituendam eſſe.

Etſi autem propter veterem noſtram notitiam libenter ad te aliquantò ante ſcripſiſſem, de his ipſis rebus, quarum cogitatione te in hoc tuo munere exerceri exiſtimo: tamen hactenus neſcio quæ verecundia me remorata eſt. Nunc addit animum mihi vir nobilis à *Scheling*, & conventus argumentum ſuppeditabat, in quo nunc agitur de doctrinæ conciliatione.

Delecti ſunt ſex: *Julius Pflug*, *Eccius*, *Groppertus Colonienſis*, *Bucerus*, *Heſſianus* quidam & ego, ut de doctrina colloquamur, & controverſias verè dirimamus.

Ea enim eſt virtus Imperatoris *Caroli*, ut veras & pias ſententias pateſieri, & in Eccleſiis extare velit, ac diſertè veritatem inquiri juſſerit. Aliquid ſpei oſtendit duorum præſtantium virorum

A *Julii* & *Gropperi* moderatio. Ideo jam de certis Articulis formulæ, ut ſpero, mediocres propoſitæ ſunt.

Multi præſtantes viri ordinum omnium, etiam Principes, ſunt hortatores, ut hæc diſſidia piis modis dirimantur: & videtur Imperatoris voluntas non abhorrere à modeſtis conſiliis. Cùm autem negari non poſſit, res multas, utiles & neceſſarias patefactas eſſe Eccleſiæ in eo genere doctrinæ, quod amplectimur, optarim te etiam tuam autoritatem conferre ad hæc moderata conſilia mul-
B torum præſtantium virorum, quæ & Deo grata ſunt, & Reipubl. ſalutaria, & certè tuâ functione digniſſima.

Precor igitur Deum, ut animum tuum exuſcitet ad juvandam communem ſalutem.

Magnum & ſalutare Dei munus eſt talis Paſtor, qui in tantis tenebris & diſſidiis, & doctrinæ lumen in Eccleſia accendere, & diſſipatum gregem revocare ad piam Concordiam ſtudet, ut hym-
C num illum cum Angelis pariter omnes canant: *Gloriam Deo, & terræ pacem, & lætitiam hominibus.* Hæc ſcripſi bono & ſimplici ſtudio, quæ ſi intellexero tibi grata fuiſſe, ſæpiùs ad te iiſdem de rebus ſcribam. Benè & feliciter vale. Calend. Maii. *Ratisbonæ*, Annò milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo.

D. Iohanni Abbati in Heilsbrun, S. D.

REverende Domine, utinam exemplo tuo plures revocarent Collegia Monachorum ad veterem formam, & abjectis ſuperſtitionibus vera ſtudia doctrinæ & pietatis reſtituerent: Ea res multis modis prodeſſet Eccleſiæ. Ibi enim erudiri pauperes Scholaſtici poſſent, deligendi poſtea ad gubernandas Eccleſias, & exemplum ipſum ornaret noſtram cauſam. Epiſt. 46.

Nunc ut alibi ſuperſtitiones impediunt ſtudia,
E ita alibi occupantur hæc prædia à Centauris, Eccleſia defraudatur.

Atque utinam ſaltem aliqui *Græcum* verſum meminiſſent, in quo dicitur elabi in judicio is, qui multa furatus eſt, & pauca Judicibus dedit. Fortaſſis & his ignoſci poſſet, ſi quædam occupantes, partem deciderent ad uſus Eccleſiaſticos. Sed horum rapacitas impediri poſſet, ſi tuum exemplum alii imitarentur.

Etſi autem judico tibi habendam eſſe ſumptu-
F um rationem, nec magnam turbam in una domo ali poſſe: tamen te rogo ut hunc juvenem *Ulricum Piſcatorem Norlingenſem* rurſus in tuam domum recipias. Audio enim antè quoque ibi fuiſſe. Nunc exul & egens à parentibus quærit hoſpitium aliud.

Scis Eccleſiam in hoc mundo exulare, ac nuſquam habere certam ſedem. Decet igitur membra communi calamitate affici. Quare te valde oro propter *Chriſtum*, ut hunc recipias.
G Si etiam meæ lucubrationes aliquid videntur prodeſſe Eccleſiæ, rogo ut propter meam commendationem libenter ei hoc beneficium tribuas.

Ego in his publicis periculis ſæpè cogito præcipuam hanc cauſam eſſe, cur Deus pacem nobis tribuerit, quia noſtræ politiæ ſunt veluti nidus pauperum Sacerdotum & Scholaſticorum.

rum. Ut igitur parienti Halcyoni mare ſit placidum in media bruma: Ita Deus propter hos hoſpites à noſtris politiis arcet bella. Præſtemus igitur hoc officium eò liberaliùs, & à Deo præmia publica & privata expectemus. Hæc ſcripſi ad te familiariùs, fretus tuâ pietate, téque rogo, ut hanc Epiſtolam boni conſulas. Bene vale. II. Octobr. Anno M. D. XL. *Wormaciæ.*

D. Abbati in Heilsbrun S. D.

Epiſt. 47. HOmerus narrat *Ulyſſis* ſocios mactâſſe boves Solis, & carnes boum toſtas horribiliter mugiiſſe, ut prodigio monerentur ſacrilegi, quantum ſcelus ſit diripere bona ad ſacros uſus deſtinata, ac poſtea autores facti omnes naufragio periiſſe.

Non obſcura eſt exempli ſignificatio. Quomodo bonis Eccleſiarum multis jam ſeculis Epiſcopi & nunc Centauri abutantur, non eſt obſcurum: Sed pœnæ etiam in conſpectu ſunt.

Laudanda eſt igitur pietas tua, quòd de tuis facultatibus juvas Scholaſticorum ſtudia, qui Eccleſiis uſui futuri ſunt. Nec dubito mitigaturum Deum eſſe pœnas publicas propter ſuam Eccleſiam, Parcet igitur illis, qui fovent Eccleſiæ ſtudia, ſicut in excidio *Hieroſolymæ* pepercit iis, qui *Hieremiæ* ſervierunt, ut aulico *Æthiopi*, qui nominatur *Abdemelech.*

Eſt autem hic adoleſcens *Francus Nicolaus* admodum bono & modeſto ingenio prædıtus, *Latinè* bene loquitur, ac Philoſophiæ Elementa & doctrinam *Chriſtianam* probè didicit. Magnum autem ſpecimen eſt honeſtæ mentis, quòd orbatus parentibus, patrimonium ſuum ſtudiis literarum impendit. Quare æquum eſt, viciſſim eum ab Eccleſiâ, cui uſui eſſe poterit, juvari.

Valde igitur te oro, ut eum non ſolum in Collegium tuum recipias, ſed etiam exerceri cures, & aliquando ad Eccleſiam aliquam docendam provehas. Spero mores ejus placidos & voluptati ſenibus, & exemplo junioribus fore, & eruditio prodeſſe Scholaſticis quoque aliis poterit. Bene vale. Die XIII. Octob. Anno M. D. XLI.

Epiſcopo Naumburgenſi, Erneſto Principi Palatino, S. D.

Epiſt. 48. ILluſtriſſime Princeps, Non dubito, quin ut Princeps quiſque optimus eſt, & Eccleſiæ *Chriſti* amantiſſimus: Ita maximè cupiat adjuvare & tueri ſtudia literarum. Porrò C. T. non ſolùm amore pietatis antecellit aliis multis, ſed eruditionem etiam tantam adjunxit, ut certare cum doctis & claris profeſſoribus in præcipuis artibus poſſit. Quare ſcio C. T. ex animo literis favere eáſque libenter provehere, ut ad Eccleſiæ utilitatem conſerventur.

Sic cùm de te ſentiant ſtudioſi paſſim, erit humanitatis tuæ, eorum officia non aſpernari, qui tibi monumenta & labores dedicant.

Plinius inquit, ſcriptores ſui temporis non fuiſſe in admiratione apud Principes. *Quia Principes deſierunt laudanda facere.* Sed cùm tui mores ſint ſanctiſſimi, cùm vita tota ad *Chriſti* gloriam deſtinata ſit, non gravatim permittes nomen tuum celebrari. Pertinet enim ad exemplum, honeſtos Principes luculentis ſcriptis ornari.

Dedicavit igitur C. T. *Georgius Æmylius* eruditum & pium Poëma, quod cum leget C. T. magnopere rogo, ut oſtendas ipſius officium tibi gratum eſſe. Spero & genus verſuum te probaturum eſſe

Digni laude ſunt, qui conferunt ingenii venam ad ornandam gloriam Dei, qui eſt ingeniorum autor. Tales ſunt Principum liberalitate adjuvandi, ut alii etiam ad diſcendum invitentur. Quare rogo C. T, ut ſpecimen voluntatis ſuæ erga literas hoc tempore huic *Æmylio* oſtendat. Ego id quod in eum contuleris, in me collocatum judicabo. Bene valeat. C. T. Anno M. D. XXXIX.

Ad eundem, nomine Iohannis Erneſti Ducis Sax. Epiſtola à Philippo ſcripta.

REverendiſſime atque Illuſtriſſime Princeps, Epiſt. 49. Petivit à nobis commendationem ad R. P. V. quidam nobilis Adoleſcens ſcholaſticus, hujus Academiæ *Petrus* de *Neumarck.* Cùm autem non dubitemus, quin R. P. V. ſuâ ſponte & faveat ingeniis, & provehere ſtudioſos ad utilitatem Reipubl. cupiat, libenter dedimus huic juveni literas, & ut haberet apud R. P. V. teſtimonium morum ac ſtudiorum ſuorum, & ut rogaremus R. P. V. ut propter noſtram commendationem majore benevolentiâ hunc juvenem complecti velit.

Nam cùm ſit ex ditione *Naumburgenſis* Epiſcopatus, exiſtimavit ſe neceſſario ſuo tempore opem & auxilium à R. P. V. tanquam à Principe ſuo petere poſſe.

Vixit hic triennium ſingulari modeſtiæ fama, & in his communibus literis, quæ primæ ætati traduntur mediocriter profecit, & nunc ſe ad Juris ſtudium contulit. Hæc ſtudia nullo in odio ſunt, & ad humanitatem & ad Reipubl. tranquillitatem proſunt, ut optimè judicare R. P. V. poteſt. Nec verò dubitamus, quin etiam R. P. V. ad Principis munus pertinere arbitretur curam & tuendi & ornandi honeſtas artes Reipublicæ utiles.

Commendamus igitur R. P. V. hunc *Petrum* de *Neumarck*, & rogamus, ut R. P. V. conferat ei aliquod ſacerdotium, unde ſtudiorum ſumptus tolerare poſſit.

Scit R. P. V. eleëmoſynam Deo gratam & Reipubl. utilem eſſe, juvare ſtudioſos honeſtarum artium, quæ quidem pulcherrimum ornamentum ſunt *Chriſtianæ* religioni.

Tot cauſis ſperamus commendationem præſertim à nobis profectam plurimùm valituram eſſe. Neque enim hic recenſere attinet, quæ conjunctio & neceſſitudo inter nos ſit ſanguinis. Tantum illud dicemus: Cùm fuerit amicitia clariſſimis majoribus noſtris, cum R. P. V. ac ſingulare & honorificum judicium de virtute R. P. V. nos quoque ſtudia omnia & officia noſtra ad R. P. V. deferimus. Quare ut propter nos aliquid ad benevolentiam erga hunc *Petrum* addat R. P. V. etiam atque etiam rogamus. Bene valeat R. P. V.

Reverendo D. Friderico Abbati ad S. Egidium Norinbergæ, S. D.

EX Domino *Oſiandro* intellexi te non ſolùm Epiſt. 50. gravi morbo conflictari, ſed etiam acce-

dere innſitatos pavores, & animi certamen & luctam. Cœpi igitur eò magis vicem tuam dolere, quia ſimilitudo tui periculi me de meo morbo admonuit, qui me proximâ æſtate ſubitò oppreſſerat, cùm nulla corporis ægritudine laborantem ſoli dolores animi horribiliter proſtratum penè extinxiſſent.

Proinde etſi ſciebam non deeſſe tibi aliorum conſolationes: tamen & ego aliquid ad te ſcribendum eſſe duxi, quia, ut in veteri verſu dicitur, *Ægrotanti magis grata eſſe ſolet ægroti oratio.*

Videò Eccleſiam *Chriſti* jam renaſcentem concuti non uſitatis aut levibus, ſed miris & ingentibus periculis & terroribus. Ideo nos quoque præparemus animos ad nova & aſpera certamina, privata & publica.

Furit Diabolus, ſeu quia rurſus illuceſcere Euangelium dolet, ſeu quia ſcit non procul abeſſe diem judicii, in quo Filius Dei Tyrannum in nova & æterna ſupplicia abjiciet. Hunc ille Tyrannus diem præſagiens jam furit, & diſſipare prius omnia conatur, ut ægrefaciat victori Filio Dei.

Sed tamen Dux noſter Filius Dei non defuturus eſt nobis in hac poſtrema dimicatione. Excitemus igitur animos, & illam veram vocem Euangelii ceu claſſicum audiamus: Exuberat gratia ſupra delictum. Nec peccata noſtra, nec mundi juſtitiam, nec Diaboli potentiam anteferamus victimæ pro nobis mactatæ, quæ eſt Filius Dei.

Ornent adverſarii noſtri, quantum velint, ritus ſuos: tamen quia obſcurant gloriam Filii Dei, neceſſariam cauſam habemus, cur adverſemur. Diabolus ipſe exaggeret quantum volet, noſtra crimina: tamen non pluris ſunt facienda, quàm victima ſemel pro nobis oblata in Cruce, cujus meritum nobis applicat Pontifex *Chriſtus*, aſſiduè pro nobis interpellans Patrem.

Etſi autem dura militia eſt, & experiri hæc animorum certamina difficile eſt: tamen hæc exercitia pios erudiunt & confirmant. Abſit à nobis orium, quod habent *Epicurei*, quales ſunt adverſarii Euangelii. Nec dubitemus Filium Dei, per hæc infirma organa tamen illuſtres triumphos acturum eſſe, repreſſo Diabolo.

His me cogitationibus ipſe ſuſtento: has oppono igneis Diaboli telis.

Scriberem autem prolixiùs, niſi ſcirem Euangelii doctrinam, quæ eſt fons veræ conſolationis, ut *Chriſtus* inquit, ſaliens in vitam æternam, tibi bene notam & meditatam eſſe. Oro autem Deum Patrem liberatoris noſtri *Jeſu Chriſti*, conditorem rerum omnium, & patrem conſolationis, ut te confirmet & ſervet. Bene vale. Die viceſimo ſeptimo Novembris, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo. *Wormaciæ.*

Friderico Nauſeæ, Epiſcopo Viennenſi, Conſiliario Regio, &c. S. D.

Epiſt. 51. REverende Domine, Memini congreſſum noſtrum, cum ante annos quindecim mecum in patria mea de his ipſis controverſiis loquereris, cum ſingulari ſignificatione benevolentiæ erga me tuæ, ubi intelligere potuiſti meam voluntatem non abhorrere à moderatis conſiliis. Nunc quoque opto, ut viri boni, docti, & pruden-

A tes, quærant piam moderationem controverſiarum tantarum. Ad hanc rem ut autoritatem tuam conferas, te maximè rogo.

Teſtis etiam meæ voluntatis *Praſinus* eſſe poteſt, cui mea ſtudia nota ſunt. Sed hîc à nemine adhuc ad ullam deliberationem vocatus ſum. Quare expectavi publicos congreſſus, ubi moderatè, quod ſentio, dicturus ſum.

Ad te verò libenter accedam, & propter memoriam veteris congreſſus, & quia ſpero te non
B defuturum communi ſaluti. Sed locum mihi vel in hoſpitio tuo, vel alicujus amici, conſtituito. Nam in templo, ſcis quales ſint hominum congreſſus & concurſus. Bene vale. Locum & tempus indicet *Praſinus*. *Wormaciæ*, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo.

Friderico Nauſeæ S. D.

C LEvatum te eſſe dolore, quem calculus adferebat, gaudeo: Téque opto ſervari incolumem, ad Eccleſiæ *Chriſti* utilitatem. De me ſcito, minimè naturâ ſuſpicacem eſſe. Viciſſim velim de me, ſi quas habes ſuſpiciones, ex animo tuo ejici. Epiſt. 52.

Occupationibus impeditus ſum his diebus, quò minus ad te venerim. Sed tamen accedam, cùm primum potero.

Eccleſiæ & Reipubl. utilitatem & tranquillitatem ſic opto, ut piam concordiam morte mea
D redempturus ſim. Sed vides, quantula ſit autoritas ſingulorum, & non velim opprimi doctrinam Eccleſiæ ſanctæ ſalutarem & neceſſariam. Hoc ſi obtinere poſſumus, de cæteris ego quidem litigare non ſoleo. Bene vale. Plura aliàs. *Wormaciæ*, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo.

Friderico Nauſeæ S. D.

E REverende Domine, Ex animo opto, ut feliciter convaleſcas, ac libereris à Lithiaſi. Novi enim, quanta ſit ejus mali ſævitia. Ac niſi ſcirem te habere peritiores medicos, ipſe accurriſſem. De negotio conventus non habeo quod ſcribam. Epiſt. 53.

Expoſui totam meam ſententiam in pagellis, quas intelligo te apud Illuſtrem Dominum de *Granvella* vidiſſe. Nec tacebo, ſi meo loco juſſus fuero dicere ſententiam. Nec antea dicendo cui-
F quam nocere volui. Dedi operam, ut res utiles ex tanta varietate controverſiarum excerperem, & juventuti commendarem. Atque hujus meæ voluntatis teſtis eſt Deus. Et arbitror multos bonos probare conſilium meum, & lucubrationes. Et natura à rixis abhorreo. Sed committam hæc Dei judicio. Quandocunque voles, ad te veniam.

De alienis voluntatibus paciſci nec poſſum, nec volo. Meam ſententiam ingenuè aperiam,
G ubicunque fuero interrogatus. Bene & feliciter vale. *Wormaciæ*, Anno M.D.XL.

Illuſtriſſimo Principi Guilielmo Landgravio adoleſcenti, S. D.

ILluſtriſſime Princeps, Gratiam tibi habeo, quòd ad me tam amanter ſcripſiſti. Mihi enim Epiſt. 54.

enim nihil optabilius eſt benevolentiâ mei Principis, cui præcipuè & debeo & cupio omnia vitæ meæ conſilia, & omnes actiones probare. Tibi quoque honeſtum eſt, inquirere in ſubditorum mores, & delectum adhibere, inter eos quorum conſuetudo tibi dedecori eſſe poſſit, ut verſu veteri dictum eſt,

Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos.

Erunt autem literæ apud me tuæ, tanquam benevolentiæ erga me tuæ pignus, ac viciſſim omnibus ingenii nervis, & omni animi contentione perficiam, Deo juvante, ut bonis moribus & virtute favorem tuum, & aliorum honeſtorum hominum tuear.

Hortarer autem te ad literarum ſtudia, & ad virtutem, ſi mea ætas plus autoritatis haberet. Sed habes domeſticos monitores officii tui, primum ac præcipuum, patrem tuum, qui propter ingenii præſtantiam & ſapientiam autoritatem habet eximiam, apud omnes Reges & nationes. Audias igitur & Patrem, & virum gravitate ac moderatione animi præcipuâ præditum *Philippum Rittesel*, & Præceptores tuos, quos Pater tibi propter prudentiam & fidem adjunxit.

Hi ſciunt bonum Principem & ſalutarem patriæ & Eccleſiæ, quæ eſt altera & verior Patria, imaginem Dei eſſe in terris. E contra verò malum Principem & pernicioſum Patriæ & Eccleſiæ, imaginem Diaboli eſſe graſſantis in genus humanum horribili ſævitiâ. Maximè igitur opto, ut ita gubernes aliquando Patriam, ut omnes boni te velut imaginem Dei venerentur.

Id autem ut conſequaris, neceſſe eſt, ut eruditione te inſtruas, & ad virtutem te exuſcites ac adſuefacias, & quoniam ad hoc opus eſt auxilio Dei, precor Deum ut te ſervet & regat, ut ſis tibi & univerſæ Reipubl. ſalutaris. Bene vale.

Epiſcopo cuidam in Gallia, S. D.

Epiſt. 55. REverendiſſime Domine, Non dubito te virum Sapientiâ & virtute præſtantem, & in hoc faſtigio Eccleſiæ collocatum, ſæpè cogitare & horum Temporum calamitates, & earum cauſas ac fontes deplorare. Etſi autem ſalutarem medicinam, ſeu fata ultimæ Senectæ mundi ſeu cupiditates aliquorum impediunt: Tamen interea bonos viros decet vel gemitu oſtendere, quid probent, & Rempubl. quantum quiſque ſuo loco poteſt, ſapienter juvare.

Quod cùm te facere multi ſciant, nos quoque quanquam procul abſumus, tamen de te ſæpè cogitamus, & animi tui vota intuemur, & virtutem prædicamus. Sæpè etiam illud *Homericum* recitamus

Τοιῦτοι δέκα μοι συμφράδμονες εἶεν.

Cùm igitur *Petrus Peruſinus* in *Germania*, in qua non vulgaribus artificiis undique bella accenſa ſunt, manere diutius non poſſit: in *Galliam* proficiſci conſtituit, eámque ob cauſam literas ad te flagitavit, ut oſtendere poſſet exilii cauſas, & teſtimonium de ſuis moribus. Exiſtimo autem propter tuam liberalitatem multos ad te confugere, ſed in ea turba ut huic etiam *Peruſino* aliquem tribuas locum, te oro. Comperi enim eum eſſe virum honeſtum, integrum, & amantem piorum ſtudiorum, propter quæ literatorum congreſſus in gentibus tam procul diſſitis appetivit.

Ego etſi in hoc communi incendio *Germaniæ*, magno in periculo ſum, tamen iis me conſolationibus ſuſtento, quas Deus Eccleſiæ ſuæ tradidit, ac ſpero Filium Dei Cymbam ſuam, in qua & ſum & manebo, ſedatis his fluctibus ſedaturum eſſe. Bene vale. Die VII. Martii, Anno M. D. XLVII.

Tarnovio Capitaneo Cracovienſi S. D.

PErgratum mihi fecit *Johannes*, vetus amicus, quod in conventu *Ratisbonenſi* me non levibus conflictantem curis adiit. Epiſt. 56. Senſi enim ipſius congreſſu & dulciſſimis ſermonibus, mediocriter animum defeſſum recreari. Cùm autem & de patria, & de hac ſua militia, in quâ nunc verſatur, ea mihi narraret, quæ fortè requirebam, ſæpè eum rerum ſeries ad tuas res geſtas ac virtutum tuarum prædicationem deducebat. Quâ oratione, cùm delectari me animadvertiſſet, hortator mihi fuit, ut ad te ſcriberem. Geſſi morem homini amico, præſertim cùm affirmaret tibi literas noſtras non ingratas fore.

Ego verò, cùm de naturæ humanæ imbecillitate, ac inconſtantia cogito, ſæpè omnium *Europæ* gentium hiſtorias animo repeto, ac collapſa imperia, & fractam virtutem plurimorum deploro.

Græcia, quæ olim domicilium erat virtutis & libertatis, nunc barbaricâ ſervitute oppreſſa eſt. *Italia* non ſolùm vetus Imperii decus, ſed etiam militiæ ſtudia amiſit. In *Germania* extinctâ veteri diſciplinâ & gravitate, qui nunc ſunt clari duces?

Hæc cùm cogito, mirari ſoleo gentem *Henetam*, quæ etſi antiquitate cæteris anteit, nondum tamen effœta tot ſeculis, gloriam rei militaris, & regni decus inter florentiſſimas nationes tuetur, ac perpetuò clariſſimos duces gignit.

Quàm longa ſeries eſſet, ſi inde uſque ab *Antenore*, aut *Telepho*, aut *Stilicone* gentis *Henetæ* Duces uſque ad *Caſimiri* Regis ætatem recenſere velim.

Gratulor igitur hanc perpetuam felicitatem genti veſtræ, quæ nunc quoque virtute & ducum gloriâ cæteras nationes antecellit. Neminem enim hoc tempore ducem *Tarnovio* anteferre poſſumus. Hujus victoriæ celebrantur, & propter magnitudinem rerum geſtarum, & propter utilitatem. Nam hic unus cuſtos eſſe hujus partis *Europæ* adverſus *Scythicam* barbariem exiſtimatur.

Hoc decus & Reipublicæ *Chriſtianæ*, & tibi gratulor, & opto, ut Deus rerum conditor te ſervet, & vocet aliquando ad res gerendas majores, ac liberandam à *Turcica* barbarie, & Tyrannide univerſam *Europam*. Ad hanc tantam rem, cùm opus ſit regum opibus & concordiâ: pii omnes vota faciunt, ut Deus Regum animos excitet, ut tot gentium Eccleſias tegere, conſiliô & junctis viribus tandem velint.

Hæc ad te ſcripſi, ut meum ſtudium tibi declararem. Nam cùm arma veſtra bonarum rerum doctrinam præcipuè defendere debeant, viciſſim decet ordinem noſtrum viros fortes amare & colere. Ego verò inprimis veſtræ gentis præſtantes viros amo. Quare me viciſſim, ut complectaris, te etiam atque etiam oro. Bene

& feliciter vale. *Ratisbonæ* die IX. Julii, Anno M.D.XLI.

Domino cuidam Hungarico S. D.

Epiſt.57. ILluſtris & magnifice Domine, Multorum animos miſerabiles ruinæ regnorum movent, ut dubitent an Deo curæ ſit Eccleſia. Sed non ſolùm Deus monet, diſcernendam eſſe Eccleſiam ſuam à mundi imperiis: ſed etiam inter regnorum ruinas mirandis modis eam ſervari. Sic ſervavit eam deleta *Hieroſolyma* à *Chaldæis*: Sic poſtea ſervavit eam, cum poſt *Cyrum* interfectum rurſus dominarentur Reges, inimici doctrinæ propheticæ.

Speremus igitur & nos, manſuram eſſe Eccleſiam perpetuò, etiamſi regna mutantur, & hac ſpe foveantur pii doctores ab omnibus Eccleſiæ membris. Videmus *Eſaiam* precari, ut quanquam magnæ tenebræ poſt ipſum ſecuturæ ſint: tamen Deus ſeminaria aliqua ſervet, nè doctrina penitus extinguatur. *Obſigna*, inquit, *legem in diſcipulis meis*, id eſt mentes confirma; ut doctrina de hominum ſalute ad poſteros perveniat. Hoc votum decet primum & præcipuum eſſe in omnium hominum pectoribus, maximè verò gubernatorum.

Cùm autem audiam, te etiam inter claſſica & armorum fragorem, cum invocatione Filii Dei conjungere Evangelii ſtudium, ut hæc neceſſe eſt conjungi, ſcripſi ad te quanquam ignotus, ac te obteſtor, ut hunc *Sigiſmundum* virum honeſtum, & non ſolùm in lingua *Latina*, ſed etiam doctrina Eccleſiaſtica præclarè eruditum complectaris.

Simul autem precor, ut in tantis tumultibus Eccleſias & ſtudia *Hungaricæ* gentis tuis officiis foveas, ut *Danielem* & alios adoleſcentes doctrinæ deditos foverunt aliqui Principes in excidio *Jeroſolymæ*, ut poſtea illorum virtute Eccleſia, ſicut accidit, inſtauraretur. Non dubito enim paulò pòſt repreſſâ *Turcicâ* barbarie, Deum in *Pannonia* Eccleſias & ſtudia doctrinæ & virtutis inſtauraturum eſſe.

Id ut fiat, jam curandum eſt, nè deſint ſeminaria. Et quicunque erunt eventus, bonæ menti magna levatio eſt mœſtitiæ, tali tempore bene voluiſſe Eccleſiæ. Et tamen adfirmo Deo juvante hoc ſtudium, & hos conatus juvandæ Eccleſiæ utiles fore. ut *Pſal.* inquit, *Euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua, venientes autem venient, portantes manipulos ſuos.*

Labores tui Deo placebunt, etiamſi hoc luctuoſo tempore fructus nondum perſpicimus. Nec *Jeremias* vidit laborum ſuorum fructum, ſed poſteritas ab ipſo ſervata vidit, & videbit ipſe cum univerſa Eccleſia in cœlis. Idem de fructu noſtrorum laborum ſperemus. Oro autem Ducem Eccleſiæ *Chriſtum*, ut te protegat, regat, & juvet. Bene & feliciter vale, Vir fortiſſime. An.M.D.XLV. Die XXVII. Martii, quo Filius Dei reviviſcens ex morte, teſtatus eſt ſe æternâ vitâ, & gloriâ Eccleſiam ornaturum eſſe.

Rectori Academiæ Tubingenſis, & reliquis Profeſſoribus, S. D.

Epiſt.58. VIri clariſſimi, Etſi non dubitabam, quin Illuſtriſſimus Princeps, Dux *Wirtemb.* de ſuâ voluntate ipſe literas ad vos daturus eſſet, tamen exiſtimavi me vobis gratum facturum eſſe, ſi ego quoque perſcriberem, quàm honorificè de ſtudiis, deque Academia ſentiat, & quantopere eam cupiat conſervare & ornare.

Poſtquam enim literas veſtras legit, & inſpexit ordinationem: me ad ſe accerſivit, ac diligenter interrogavit, quid exiſtimem deſiderari in ſingulis profeſſionibus, & quomodo eis conſuli poſſe arbitrer. Ibi cùm ſimpliciter ei judicium meum expoſuiſſem, primùm ſanctè affirmavit: ſe inter præcipuas partes Reipubl. Academiam ponere, & eloquenter expoſuit, quantas utilitates Reipubl. tueatur Academia bene conſtituta, quòd extinctâ doctrinâ opt. artium, nec propagari, nec conſervari Religiones poſſint, nec retineri in judiciis & imperii juſtitia.

Addebat hanc animo ſuo infixam eſſe opinionem, ſe nec Deo gratiorem cultum ullum præſtare, nec alia in re ulla, de ditione ſua, & de poſteritate melius mereri poſſe, quàm ſi efficiat, ut Academia rectè inſtituatur.

Hanc voluntatem dicebat ſe nunquam depoſuiſſe, tametſi harum rerum deliberationes aliquandiu extraxiſſet, propter quorundam conſilia parum accommoda temporibus.

Hæc Illuſtriſſimus Princeps longâ oratione commemoravit, méque vobis ſignificare voluit, ut vobis certò perſuadeatis, ipſum neque Academiæ, neque Profeſſorum utilitatibus defuturum eſſe.

De ordinatione veſtra reſpondit: ſe ſummâ voluntate illam confirmaturum eſſe, & commiſſurum executionem ordinationis nominatim Senatui Academiæ. Ac nè quid mora afferat incommodi, addidit ſe brevi rem perfecturum eſſe.

De reditibus, inquit, ſi modò vera autoritate certior reddatur, ubi acceſſione opus ſit, & quomodo utiliter collocanda ſit, non defuturam Academiæ liberalitatem ſuam.

Conſilium veſtrum de accerſendo aliquo erudito Profeſſore ſacrarum literarum, item de Juriſconſulto vocando, maximè probat. Nam & ad juvanda ſtudia, & ad invitandos animos exterorum, exiſtimat id conſilium profuturum eſſe. Scribetur igitur ad *Brentium* quamprimum. Dabuntur etiam literæ ad aliquem Juriſconſult. modò ut vos hominem idòneum & verſatum in foro indicetis, cujus voluntatem exploraveritis. Me quoque jam ad *Brentium* ſcribere juſſit.

Hæc duxi vobis ſignificanda eſſe, ut & judicium Principis de publicis ſtudiis ſciretis eſſe graviſſimum & honeſtiſſimum, & intelligeretis, voluntatem ejus erga vos optimam eſſe. Vos pro veſtra prudentia & fide hoc præſtabitis Reipubl. ut voluntatem Principis adjuvetis, cupientis ſtudia conſervare, nec deterriti vel temporum difficultatibus, vel iniquis judiciis, ſpem de conſtituenda ſchola abjiciatis.

D. *Sichardus* & D. *Leonhardus Fuchſius* diligentiam & fidem dignam viris bonis in negotio Academiæ juvando adhibuerunt. Ego me vobis commendo, ac polliceor mea ſtudia atque officia Academiæ non defutura eſſe, ſi qua in re potero de vobis bene mereri. Bene & feliciter valete. Datæ *Nortingæ* die Octobr. decimo quinto, Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo ſexto.

Rectori

Rectori & Senatui ejuſdem Academiæ Tubingenſis, S. D.

Epiſt.59. CLariſſimi & Doctiſſimi viri: Quoties de publicis ſtudiis & de Academiis, in quibus ſeminaria ſunt Eccleſiæ, cogito (quando autem non obſervatur animo hæc cogitatio, poſtquam tanta certamina exarſerunt?) refloreſcere Academiam veſtram magnopere gaudeo, quam ornatam tot eruditis gubernatoribus ſpero ad poſteros conſervaturam eſſe, cùm cæteras honeſtas artes, tum *Chriſtianæ* doctrinæ puritatem, & vindicaturam Eccleſias à barbarie & vaſtitate. Hanc ob cauſam omnes ſingulari obſervantiâ colendos mihi eſſe duco. Cum autem extent viciſſim non obſcura teſtimonia benevolentiæ erga me veſtræ, etſi neminem decet in aliena Republica ut dicitur, πολυπραγμονεῖν, tamen cauſam Adoleſcentis orphani vobis commendare auſus ſum, de qua ut ad vos ſcriberem, cùm ab ipſius propinquis, tùm verò etiam ab aliis præſtantibus viris rogatus ſum.

Opinor aliquibus iſthic notum eſſe *Sebaſtianum Aitinger Ulmenſem*, Secretarium Principia *Cattorum*, ingenioſum hominem. Huic frater moriens filium commendavit, quem *Sebaſtianus*, ut fidelem tutorem & patruum decuit, paterno animo complexus eſt. Quare etſi patrimonium erat anguſtius, quàm ut inde ſumptus habere poſſet ad literas diſcendas, tamen patruus, ut eſt amans doctrinæ, de ſuo aliquid decidit, quod contulit in ſtudia pupilli.

Nunc cùm adoleſcens, tyrocinium, ut dicitur, in Grammaticis depoſuerit, & quadam cum ſpe verſetur in literis, cupit eum patruus in Academia gradum facere ad cæteras diſciplinas, ſi tamen in tanta inopia Adoleſcenti alienâ liberalitate conſuli poterit. Intellexit autem apud vos locum reliquum eſſe pauperi Scholaſtico in Sodalitio, quod alitur legato Doctoris *Martini Plancii*. In id Sodalitium ut recipiatur hic Adoleſcens *Aitingerus*, valde rogamus & *Sebaſtianus* Patruus & ego.

Scitis præcipuum officium pietatis eſſe Orphano opitulari. Et huic Adoleſcenti orbato ambobus parentibus, nihil reliquum eſt præter ingenii bonitatem. Nam ut familia ingenioſa eſt, ita huic natura, quæ tribuit bonam indolem, aliquanto magis propitia fuit quam fortuna, quæ non addidit tantum patrimonium, ut ſine alieno auxilio prima ætas excoli & provehi poſſet.

Spero fore, ut animos veſtros moveant hæc duo, orbitas adoleſcentis, & indoles. Accedit etiam illud, quod æquum eſt, adjuvare eos qui Reipublicæ ſerviunt. Porrò *Sebaſtianus* eſt Secretarius fœderatorum, qui propter veræ Religionis Profeſſionem conjuncti ſunt. Id munus cùm molem occupationum non vulgarem contineat, *Sebaſtianus* egregiè fidem & induſtriam fœderatis probat. Et hæ operæ, ut ad defenſionem communis tranquillitatis, ita ad ſtudiorum conſervationem pertinent. Erit igitur viciſſim habenda ratio ejus, pro quo petit.

Denique exiſtimo, vos in hac re libenter gratificaturos eſſe iis Principibus, qui ingentibus laboribus hæc noſtra ſtudia & noſtras Eccleſias de-

A fendunt. His prædicabimus & ego, & *Sebaſtianus* veſtrum beneficium.

Quantum valere apud vos pietate & prudentiâ excellentes, hæ cauſæ petitionis noſtræ minimè ambitioſæ, ſed piæ & honeſtæ debeant, vos optimè intelligitis. Ideo ſcripſi breviùs, vóſque etiam atque etiam oro, nè huic Orphano, bonæ ſpei Adoleſcenti deſitis.

De me verò ita perſuadebitis vobis, me & privatam benevolentiam veſtram plurimi facere, & B in publicis negotiis, in quibus pariter optimâ conſcientiâ verſamur, libenter meam ſententiam cum veſtra conjuncturum eſſe. Noſtras enim amicitias ad publicam concordiam & communem utilitatem referre præcipuè decet. Bene & feliciter valete. Datæ *Witebergæ*. Die XXIV. Auguſt. Anno M. D. XL.

Philippus Melancthon.

C *Ad Academiam Francofordienſem ad Oderam ſitam.*

APud *Xenophontem Cyrus*, cùm proponit edictum, ut agricolis parcatur, addit cauſam, Epiſt.60. quia in ipſo etiam belli incendio proſpiciendum ſit, ut quàm minimum ſit belli. Id ſuo quemque loco imitari decet. Etiamſi concutiuntur imperia, cujus rei multæ ſunt cauſæ, tamen interim quædam fœdera communia religionis & naturæ ſervari oportere ſciamus. Diligamus Eccleſi- D am ubicunque eſt, diligamus cognatos & amicos ubicunque ſunt, & eis leniamus ærumnas. Ita in ipſo bello minus erit belli.

Id cùm ab Illuſtriſſimo Electore *Marchione* factum ſit, in hoc bello, qui & lenire mala publica ſtuduit, & tanquam *Neſtor* inter Duces pacificator fuit, & privatim multis opem tulit, virtus ejus perpetuâ laude digna eſt. Ego quoque Celſ. ejus & publico & meo nomine gratias ago.

E Deinde quòd Academia veſtra exemplum ſui Principis imitatur, ac mihi in hoc exilio defert hoſpitium, vobis etiam pro iſta erga me benevolentia gratias ago, ac levationem mearum miſeriarum magnam fore ducerem, ſi contingeret in illa frequentia Doctiſſimorum virorum, qui omnium artium cognitionem complectuntur & fovent, vivere: Cúmque nondum certam ædem habeam, aliquantò poſt de mea voluntate, & ad Illuſtriſſimum Electorem *Marchionem*, & ad vos F copioſiùs ſcribam.

Na[illegible] accerſitus ſum *Witebergam*, ut de tabulis noſtri naufragii deliberemus, & rationes quædam referendæ ſunt. Adſum etiam editioni quarundam lucubrationum, quas multò ante propter utilitatem Adoleſcentiæ inſtitui. His abſolutis, fortaſſis mea peregrinatio in alia loca ſuſcipienda erit, quam ut Deus gubernet oro, qui cùm ſit fons doctrinæ, & Eccleſiæ conditor & ſervator, toto eum pectore oro, nè ſtudia G doctrinæ extingui ſinat, ſed ſervet, tùm alias Academias in quibus rectè invocatur, tùm verò veſtram quæ unica in his regionibus nunc domicilium eſt cœleſtis doctrinæ, & integræ Philoſophiæ. Bene valete. Quinto Calend. Auguſti, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo.

Gratiarum actio ad Senatum Reipubl. cujuſdam Scholaſtico præſcripta.

Epiſt.61. NIhil mihi accidere honorificentius hac quidem ætate potuit, quàm ut is ordo, cujus judicium eſt graviſſimum, me honeſto teſtimonio, in danda commentatione ornaret. Deinde cum aditum mihi ad *Philippi* familiaritatem literæ veſtræ patefecerint, ſpero hoc officium veſtrum ſtudiis meis plurimum profuturum eſſe. Reddidi enim Epiſtolam veſtram *Philippo*, qui mihi non ſolùm officia ſua liberaliter detulit, ſed etiam veſtrum, in juvandis civibus, & ornandis diſciplinis ſtudium valde prædicavit.

Itaque cum mihi nihil optabilius benevolentiâ veſtrâ fuerit, & commendatio veſtra mihi plurimum profuerit, gratiam vobis habeo maximam, & omni contentione ingenii enitar, ut mores, voluntatem, & ſtudia mea probetis, egóque ad veſtrum judicium univerſum vitam meam componam. Exiſtimo enim ſummam laudem eſſe boni civis, placere ampliſſimo ordini in patria. Præſertim autem cùm peculiari beneficio a vobis adfectus ſim, majore curâ præſtare debeo, quàm cæteri, nè in me gratitudo deſideretur. Cúmque ſtudia noſtra ad communem utilitatem debeant referri, polliceor me daturum operam omnibus viribus, ut ex meis ſtudiis olim aliquid utilitatis ad Rempubl. perveniat.

Nunc verò illud vos orandos eſſe duxi, quoniam ſcitis mihi patrimonium pertenue eſſe, ut ſi qua erit occaſio me juvandi, aliquando rationem meæ inopiæ habeatis. Eſt enim honeſtiſſimum vobis, tueri & juvare literas, quarum quidem defenſionem Deus etiam ſummis ordinibus commendavit. Quare ut mihi quadam cum ſpe in optima ſtudia ingreſſo non deſit veſtra liberalitas, vos etiam atque etiam oro. Perficiam enim & diligentia in diſcendo, & in omni officio modeſtia, ut beneficium veſtrum bene collocatum judicaturi ſitis. Bene valete.

Danielo Stibaro, Canonico Wirtzburgenſi, S. D.

Epiſt.62. QUod fauſtum felixque ſit, expatiatus ſum ad *Joachimum*, ut amici ſummâ fide, prudentiâ, & doctrinâ præditi ſermonibus per aliquot dies fruerer. Hic congreſſus utrique noſtrûm eò fuit jucundior, quòd allatis hoc ipſo tempore literis tuis, quaſi interveniſſe tu quoque noſtro colloquio videbare.

Fuit autem mihi gratiſſimum, quòd ex tuis literis cognovi, te memóriam noſtræ veteris conſuetudinis retinere. Nam cùm de ingenio tuo ſemper præclarè exiſtimaverim, veluti divinans, te aliquando magno uſui atque ornamento Reipubl. futurum eſſe, magnopere amicitiam tuam expetivi. Quare & conſtantiâ tuâ delector, & benevolentiam tuam præſidio mihi futuram eſſe confido.

Utinam verò amicitia noſtra prodeſſe etiam aliquid Reipublicæ poſſit. Non enim author aut approbator ero unquam, ullius immoderati conſilii, & meam opinionem libenter ad bonorum & prudentum judicia adjungam, qui in commune cupiunt Eccleſiæ conſulere.

Hæc eo ſcribo, ut cùm in literis tuis animum erga me tuum perſpexiſſem, confirmarem tuum de me judicium, téque rogo, ut tibi perſuadeas, me propter tuam ſingularem virtutem, amicitiam tuam facere plurimi.

Acceſſionem dignitatis gratulor tibi, & precor, ut fauſta felixque ſit tibi & Reipubl. Statues enim divinitùs in hoc faſtigium te evehi, ut autoritatem tuam ad communem pacem & Eccleſiæ ſalutem conferas, & patriæ periclitanti aliquid opis afferas.

Viro nobili, & præſtanti virtute & doctrinâ, Domino *Mauritio ab Hutten*, ut me reverenter commendes, te etiam atque etiam rogo. Gratulaberis etiam ipſi meis verbis gradum honoris honeſtiſſ. in quo præclarè de Eccleſia mereri poterit. Bene & feliciter vale. *Tubingæ.* Die feſto Angelorum. Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo ſexto.

Commendatio & interceßio pro Francisco Mugera homine Græco.

VEnit ad nos in Conventu *Ratisbonenſi* hìc *Franciſcus Mugera* Vir *Græcus*, quem cùm animadvertiſſemus eruditè loqui & ſcribere *Græcâ Linguâ*, multis de cauſis gaviſi ſumus, nobis cum eo commercium eſſe ſermonis, ut de ſtudiis & Eccleſiis ejus gentis, quæ olim præcipuam doctrinæ, virtutis, & pietatis laudem habuit, quædam interrogaremus. *Epiſt.63.*

Expoſuit igitur nobis ſe in oppido *Achaia*, cui nomen eſt vetus *Patra*, natum eſſe, ac in ſcholis docuiſſe literas, & veteres *Græcos* oratores & poëtas juventuti enarrâſſe. Narrat enim reliquias *Græcæ* gentis, quæ ſparſæ ſunt paſſim, adhuc magnâ conſtantiâ veram religionem & *Chriſti* doctrinam retinere: & utcunque literarum poſſeſſionem tueri.

Poſtquam autem illud oppidum in quo præfuit Scholæ à *Turcis* captum eſt, & magna multitudo civium crudeliter mactata: ait ſe cum paucis divinitùs ſervatum, hoſtium manus effugiſſe, ac maluiſſe ſub Regibus *Chriſtianis* exulare, quàm inter *Turcas* in patria manere, qui ut barbari victores, non ſolùm ſuperbè, ſed etiam crudeliter dominantur victis.

Et quoniam afficitur calamitate patriæ & plurimarum Eccleſiarum, ſcripſit adhortationem ad Invictiſſ. Imperatorem *Carolum*, ut bellum *Turcis* inferatur ad liberandam Eccleſiam oppreſſam miſerrimâ ſervitute.

Cùm autem & de Eccleſia & diſciplina ſciſcitaremur, ſatis eruditè pleraque reſpondit, & ritus ac ſententias Eccleſiæ *Græcæ* ita expoſuit, ut appareat eum in Eccleſiaſtica doctrina rectè inſtitutum eſſe, pios ritus amare, & *Chriſtum* Filium Dei ſervatorem noſtrum pio pectore colere. Cúmque in ea familiari conſuetudine duorum menſium liceret nobis ejus ingenium conſiderare, judicamus eum placidis & honeſtis moribus præditum eſſe.

Narrat autem & fratrem ſuum captum eſſe: Ad hunc redimendum & liberandum ex Barbarica ſervitute ſe petere Eleemoſynam. Pium eſt officium, moveri nos calamitate *Græcæ* nationis, quæ non ſolùm literis & doctrinâ

reliquas

reliquas gentes inſtruxerit, ſed etiam diu ſuſtinuit ac repreſſit, atque arcere à reliqua *Europa Turcarum* arma conata eſt, nec virtute ſuperatâ, ſed quodam terribili fato concidit, quod etiam cæteris gentibus minatur ſimiles clades, niſi emendatis moribus iram Dei placabimus.

Decet igitur nos de noſtro periculo cogitantes, ac defenſionem à Deo petentes, benigniores eſſe erga miſeros, *Turcica* crudelitate oppreſſos. Ac præcipuè levare ærumnas eruditorum ſtudeamus, cùm Eccleſia *Græca Lingua* monumentis opus habeat. *Ratisbonæ*. Die IX. Maii, Anno M. D. XLI.

Deſiderio Eraſmo Roterodamo

Epiſt. 64. SAlutem in *Chriſto Ieſu* Dolet mihi vehementer, *Eraſme* Clariſſime, in eam venire tibi ſuſpicionem, nebulonis cujuſdam calumnia, quaſi notare velim, ἢ ϰαλοβελίζειν nobiles illos Commentarios tuos ſacrorum. Ridiculum ſanè, τὸν ὑψιβρεμέτην Δίοντα velle ſummo *Jovi* obſtrepere. Deinde iniquum, de optimè merente malè mereri.

Hic verò tuum ipſius animum appello, tamne eſſe credas malis imbutum moribus? Adeòne ſcelerata detrahendi libidine, qui ſit tibi antea judicio bonorum virorum probatus? Quæſo te per pietatem, ita putes, & illum διαβόλιχον quadruplatorem (Satis enim conjicio qui ſit) meâ ſimplicitate iniquiter abuſum: & accepta nos tibi ferre ſtudia omnia noſtra, ſi qua ſunt, ut authori & parenti.

Scio rem tibi leviorem videri, quàm ut pluribus agatur; Alioqui teſtes candoris mei allegare poſſem, quibus fidem habeas. Quanquam hoc ſanè non pernego, primùm viſa in paraphraſi mihi quædam δύσξενα καὶ ταχεα: ſed altiùs perpendenti aliter videtur. Hinc ille, ſat ſcio, Tragœdiæ argumentum duxit.

Verùm judicia ſtudioſorum ut recta, ita libera eſſe decet. Cæterùm nullius mihi rei conſcius ſum. Ignoſce ſi quid hac parte peccavi, per *Ieſum* χριστὸν. Nec enim tam oſcitans *Eraſmi* lector ſum, ut ex illo ipſo nondum didicerim, quid præceptori, quid fratri in χριστῷ debeam.

Hæc paucis, nam & magno animi mei dolore, & quod aiunt, αὐλογχίδιαζόμενος, iniquo etiam tempore ſcripſi. *Martinus Lutherus* ſtudioſiſſimus nominis tui, per omnia tibi probari cupit. Vale Vir Clariſſ. Ex *Lipſia*. IX. Januarii, Anno M. D. XIX.

Eraſmo Roterodamo S. D.

Epiſt. 65. NOn injuriâ quereris de moribus eorum qui Euangelium hoc tempore profitentur, mi *Eraſme*. Nam & hi qui dignitatem tuam adlatrârunt, obliti mihi planè & humanitatis & religionis videntur.

Debebatur enim ſic merito de Republica & tali ætate, melior gratia: & ſi qui in Eccleſiis, ſeditioſis concionibus multitudinem concitant, in literas ſæviunt, & civilem diſciplinam univerſam labefaciunt, ſibi regnum parant, non *Chriſtum* docent.

Diſſimillimus horum *Lutherus* eſt, nec rarò deplorat, privatis cupiditatibus prætexi religionis vocabulum, ab his quoque, qui cum Phariſaico Pontificis regno bellum gerere videri volunt. Quanquam autem his malis vehementer commo-

A veatur, tamen cùm hæc ſcandala excitari à Diabolo judicet, in hoc, ut opprimatur quoquomodo Euangelium, negat ſe debere ϰαταπροδοῦναι, aut publicam cauſam deſerere.

Tu verò improborum quorundam vitiis ita offendi videris, ut cauſæ quoque & doctrinæ ſuccenſeas. Fortaſſe tibi conſilii ratio conſtat, verùm ego metuo, necubi hac ratione Euangelium periclitetur. Neque enim negare potes, quin Euangelii doctrinam complectatur *Lutheri*

B cauſa.

Nam cum in ſummâ diſputationes *Lutheri* omnes partim ad liberi arbitrii quæſtionem pertineant, partim uſum ceremoniarum contineant, de priori jam olim animadverti te diſſidere. At de poſteriore magna ex parte convenit, quæ cùm tuo judicio ſit aliqua Euangelii pars, videndum tibi certè, nè patiare opprimi.

Quidam ex Philoſophis dicere ſolebat, *dextrâ ſe tradere Philoſophiæ præcepta, verùm hæc ſiniſtrâ*

C *excipi à diſcipulis*. Fit hoc multò verius in Theologicis: Sed eſt iniquiſſimum, doctrinæ imputare, *quidquid peccant auditores*.

Quare te rogo, mi *Eraſme*, primum nè credas, *Lutherum* cum iis facere, quorum meritò reprehenduntur mores, deinde nè doctrinæ propter cujuſquam ſtultitiam aut temeritatem iniquior ſis.

De *Lutheri* animo licet conjecturam facere nullo negotio. Nam ut Pontificis cauſam omittam,

D certè nunc declarat, quantùm abhorreat à crudelitate, atque ambitione, & ſeditioſis conſiliis omnibus, cùm magno capitis famæque diſcrimine, ſe novæ cuidam factioni ſanguinariorum doctorum opponit.

Tu Catalogum texis, ubi colligis improbiſſimos omnium bipedum, quos cum *Oecolampadio*, & ſimilibus conjungas, quæſo quid oportuit?

Ego integrâ conſcientiâ dogmata *Lutheri* non poſſum damnare, facturus id etiam fortiter, ſi

E cogant ſacræ literæ. Quod ſive ſuperſtitionem, ſive ſtultitiam alii interpretentur, meâ nihil refert. Certè nec hominum autoritate, nec ſcandalis ullis revocari me ab hac ſententia patiar.

Quod ad διατριβὴν de *libero arbitrio* attinet, æquiſſimis animis hic accepta eſt. Tyrannis enim fuerit vetare quenquam in Eccleſia ſententiam de religione dicere. Debet id eſſe omnibus liberum, modò nè privati adfectus admiſceantur. Perpla-

F cuit tua moderatio, tametſi alicubi nigrum ſalem aſperſeris. Verùm non eſt tam irritabilis *Lutherus*, ut devorare nihil poſſit. Proinde pollicetur ſe in reſpondendo pari uſurum eſſe moderatione.

Forſan autem multis profuerit, diligenter excuti locum de *libero arbitrio*, quorum ſi conſcientiis ſervitur, quid attinet ad publicam cauſam privatos affectus adferre? Jam ubi iracundia animum

G tranſverſum rapere cœperit, non video, qui tanto negotio ſatisfacere poſſit.

Mihi *Lutheri* erga te benevolentia perſpecta eſt. Ea ſpem facit ſimpliciter reſponſurum eſſe. Viciſſim officii eſt tui, mi *Eraſme*, cavere nè quâ majore invidiâ hæc cauſa per te gravetur, cui primum ſacræ literæ ſuffragantur non obſcurè: deinde quam ipſe nondum damnaris, ut contra conſcientiam

ſcientiam etiam facturus videare, ſi oppugnes vehementiùs. Poſtremò ſcis probandas eſſe non contemnendas Prophetias.

Apud me tutò depones, quicquid ad me ſcripſeris. Malim enim emori, quam fidem fallere. Jam & hoc volo tibi perſuadeas, religioſiſſimè te a nobis coli & amari. *Neſenum* hîc amiſimus, hominem fidum & tui valde amantem, quo caſu vix aliud in vita mihi acerbius accidit. *Lutherus* te reverenter ſalutat. Nolui eſſe moleſtus tibi longiore Epiſtolâ, alioqui plura ſcripturus. Vale feliciſſimè, pridie Calendar. Octob. Anno M. D. XXIV. Utinam impetrari abs te poſſit, ut vertas *Æſchinis* & *Demoſthenis* ἀντιπάλους λόγους.

Eraſmo Roterodamo S. D.

Epiſt. 66. ETſi mihi ſemper aliàs literæ tuæ gratiſſimæ fuerunt, tamen proxima Epiſtola multò fuit jucundior, quàm ulla unquam antea. Nam cùm aliquandiu de tua erga me voluntate dubitâſſem, quia in priore *Hyperaſpiſte* extant quædam animi ſubirati ſigna, exemerunt eam mihi ſolicitudinem hæ literæ tàm amanter, tamque honorificè ſcriptæ. Neque enim obſcurè perpetuam erga me benevolentiam ex eis cognovi. Itaque *Dilfo* magnam gratiam habeo, qui & teſtimonium tuæ voluntatis & amoris mihi attulit, & optatiſſimam occaſionem ad te ſcribendi præbuit.

Longum eſſet recenſere cauſas omnes ſilentii mei, quo hactenus uſus ſum. Verùm illud te oro, quamvis ut cauſam potiùs ſuſpiceris fuiſſe, quàm mutationem voluntatis erga te meæ. Ego enim quantum tibi privatim præter alios debeam, memini, & libenter prædicare ſoleo. Et cùm fieri nequeat, quin illi ipſi etiam, nobis chariſſimi ſint, quorum ingenia ſtudiaque miramur, rapiunt me, vel ſi repugnarem, in amorem tui excellentes ingenii tui dotes.

Quod cum ita ſit, non exiſtimes futurum, ut cujuſquam immodico ſtudio adducar, ut tecum inimicitias exerceam.

Hæc de meo officio putavi eſſe ad te ſcribenda, quæ ſi tibi probabuntur, facilè liberabis me ſuſpicionibus illis, quæ ſparſæ ſunt in priore *Hyperaſpiſte*. In poſteriore enim animadverti me clementiùs tractatum eſſe.

Quanquam enim non ſoleo diſſimulare, quid de controverſia illa ſentiam, tamen nunquam ita amavi *Lutherum*, ut veluti inſtruxerim ejus in diſputando vehementiam. Tantum abeſt, ut nunc adjuvare velim, & ut ita dicam, oleum igni addere. Atque hujus mei judicii ipſe mihi *Lutherus* optimus teſtis eſt. Utinam vero non eſſet tam atrox certamen inter vos ſuſceptum. Neque ſatis enim habuit fortaſſe tuæ dignitatis rationem *Lutherus*. Et tu viciſſim illum mirificè deformâſti, quem quidem virum ego meliorem eſſe judico, quàm qualis videtur, facienti de eo judicium ex illis violentis ſcriptionibus ipſius.

Plus profutura erant Eccleſiæ utriuſque veſtrum ſtudia, ſi ad ſananda hæc diſſidia conferrentur. Et faciat *Chriſtus*, ut conſileſcat hæc inter vos contentio, εἴη ἀναζωπυρηθεῖσα ἔτι, ἐν τῶν ὀργιζομένων, ἀλλὰ τῶν καλλιόνων ἐπιλανθανομένων.

Video te *Neſeno* etiam ſuccenſere. De quo velim mihi credas, fuiſſe eum ad extremum uſque

A ſpiritum tui ſtudioſiſſimum. Nunquam enim non honorificentiſſimè de te loqui ſolebat. Neque dubitem vel juratus affirmare, ſemper illum ſingularem in te colendo pietatem præſtitiſſe. Non eſt autem vel prudentiæ, vel humanitatis tuæ de amico mortuo diverſam opinionem temerè concipere. Et extinctus eſt tali mortis genere, ut etiam ſi quid in aliqua vitæ parte peccâſſet, oblivíſci conveniret, nequid miſeris manibus oneris acce-

B deret.

Quod pergis ſtudia literarum juvare, precor *Chriſtum*, ut tuis laboribus faveat, pro quibus etiamſi hæc ætas parum grata eſt tibi præclarè merenti, tamen, ut ſpero, Judicium melius poſteritatis erit. Ego quoque has literulas, & hæc ſtudia conterrita tumultu horum temporum utcunque propugno, tanquam gregarius aliquis miles, tua ſigna ſequens.

Articulorum [illegible], de quibus ſcribis, optârim

C tibi non diſplicuiſſe. Hîc in magnam reprehenſionem incurrit, quia moderatior fuit, quam quidam voluerint. Sed mihi nihil unquam erit antiquius publicâ pace, cui cum ſervirem, adhortatus ſum eos, qui in Eccleſiis docent, & quidem de Principis mandato, ad moderationem. Vale feliciter. Ex *Iena Duringorum*. X. Calend. April. Anno M. D. XXVIII.

Martino Luthero Doctori Theologo S.

D

Epiſt. 67. HEri dimiſimus *Wellerum* ſatis bene oneratum literis: qui tamen ſi rectè ratiocinor, non antevertet hunc nuncium. Scripſi tibi quæſtionem non de efficiente cauſa traditionum, ſed de finali: Utrùm poſſint ejuſmodi obſervationes vel opera à ſanctis electa ſine certo mandato Dei, cultus eſſe, ſive ut Scholæ loquuntur λατρείας. Ut ſi *Bernhardus* jam rectè ſentiens eligat certum jejunium, vel ordinem hac opinione, ut per hoc opus agat

E Deo gratias: an rectè judicet. Ego ſentio eum falli. Itaque quinta cauſa traditionum, quæ poſita eſt in charta ad te ſcripta non valet.

Mitto tibi quæſtiones, quas propoſuit hodie nobis τῶν τοῦ αὐτοκράτορος ἀδελφῶν τυγχάνοντος· ita ut ad te perferrentur: de quibus expectatur tuum judicium. Summo candore præditus nobis viſus eſt, καὶ ὁ δίκαιος δοκεῖ πάντων εἶναι ἐπιεικέστατος. Reſpondebis igitur, ac te oro ut boni conſulas literas, in quibus ſubinde ſunt ζητήσεις. De quibus enim rebus

F aliis potius ad te ſcribam? Novi nihil habemus. Vale. V. Calend. Auguſt.

Martino Luthero S.

Epiſt. 68. SPero te accepiſſe faſciculum literarum noſtrarum, in quibus ſcripſimus quid hîc geratur. Novi nihil interim accidit, quod relatu dignum ſit. De cauſa noſtra nihil adhuc decretum eſt, & ferè mihi videntur variare ſententiæ. Inter-

G dum aliqui ad æquitatem delabuntur, quos tamen ſubitò depravant rurſus improborum calumniæ.

Poſtulatum eſt privatim à Principibus, ut deferant hanc cauſam. Noſtri hodie reſpondent, & exponunt Cæſari prohiberi ſe religione, quò minus prodant hanc cauſam. Adverſariorum confutatio nondum eſt exhibita nobis.

Περὶ

Περὶ ζηλώσεων amabò te reſpondeas mihi. Nam & votorum cauſa in ea diſputatione periclitatur. Quòd ſi εὐχαριστίας opus inſtituere liceat, licet eâdem ratione vovere. Itaque conſequetur, vota eſſe cultus ſeu λατρείαν ut vocant in ſcholis, & obſervari neceſſe eſſe. De his rebus rixor interdum cum meis ſodalibus. Quare gratum facies nobis omnibus ſi reſponderis.

Oecolampadius ſcripſit contra me Dialogum, ut mihi videtur accuratiùs, quàm ſolet alioqui: quem afferam, ſi quando Deus me reduxerit iſtuc. Amabò te reſcribe de traditionibus. Re ipsâ experior, eas habere, ut *Paulus* ait, ſpeciem ſapientiæ; & tamen introſpectæ ſunt inanes: atque interim iſtà ſpecie cruciant conſcientias. Vale feliciter.

D. Martino Luthero S.

Epiſt. 69. Literæ tuæ, in quibus de noſtro ſilentio quereris, magno nos dolore affecerunt. Scripſimus enim ſatis copioſè ſingulis ſeptimanis: ſed neſcio quo fato accedat hoc malum, ad acerbiſſimas ac miſerrimas curas, in quibus hîc verſamur, ut culpam contrahere judicemur quò minus ad nos ſcribas.

Cæſar ſatis benignè ſalutat noſtrum Principem: ac velim viciſſim noſtros erga ipſum officioſiores eſſe. Ea de re utinam Juniorem Principem noſtrum literis admoneres. Nihil Cæſare mitius habet ipſius aula. Reliqui omnes crudeliſſimè nos oderunt.

Fui his diebus apud *Saltzburgenſem*, qui me benè longâ & rhetoricâ commemoratione cruciavit omnium motuum, qui bis annis extiterunt: adſcribit nobis omnia hæc incommoda, addebat Epilogum planè ſanguine ſcriptum.

Hodiè primùm, quod fœlix & fauſtum ſit, exhibebuntur noſtræ Confeſſionis articuli. Nam hactenus omne tempus conſumptum eſt in proœmiis Conventûs, in propoſitione & commemoratione malorum publicorum. *Romæ* ſoluto *Bononienſi* Conventu, quædam mula peperit, & partus habuit pedes gruis. Vides ſignificari exitium *Romæ* per ſchiſmata. *Landgravius* probat noſtram Confeſſionem, & ſubſcripſit. Multùm proficies, ut ſpero, ſi tuis literis confirmabis eum. *Brentius* aſſidebat hæc ſcribenti, unà lachrymans: is jubebat tibi aſcribi ſalutem. Vale feliciſſimè. Poſtridie *Joannis Baptiſtæ*.

D. Martino Luthero S.

Epiſt. 70. Longa fuit deliberatio adverſariorum noſtrorum, an *Carolo* Imperatori permiſſuri eſſent, ut ſuo judicio deligat Principes & Doctores, qui de controverſiis amanter colloquantur. Tandem invenerunt acutum σόφισμα. Permittunt ita, ut liberum ſit ipſis, eos rejicere quos non probant. Audio ſtomachatum eſſe Imperatorem audito hoc ſophiſmate. Quæritur occaſio ad eludendum totam collationem: Id ab ipſis fieri mihi non diſplicet. Habes brevem hiſtoriam, ſed integram eorum, quæ hactenus in Conventu acta ſunt.

Nos ſcholaſtici aliquoties collocuti ſumus familiariter. Ac ſpero omnium voluntates & judicia congruere.

Opinor quaſdam meas voces perlatas eſſe πρὸς τὸν μακεδόνα: quare multis verbis teſtatus eſt, ſe non ſejuncturum eſſe ſuam ſententiam à noſtris, nec à confeſſione. *Marchio* Elector adeſt & familiariter exceptus & auditus eſt ab Imperatore. Sic initia ſunt horum congreſſuum ὥσπερ συμπόσιον ἀσυχέστερα καὶ γλυκίονα.

Magnos cruciatus mihi dextra adfert. Nunc tandem luxationem factam eſſe judicant: ſed publica magis angunt animum meum. Benè & feliciter vale. XIV. April. Salutem opto honeſtiſſimæ Conjugi tuæ, liberis dulciſſimis, & toti familiæ.

D. Martino Luthero S.

Hodie, videlicet die *Ambroſii*, initium dicebatur futurum eſſe publicarum deliberationum. Sed moram interveniſſe audio, propterea quòd nondum conſtitui potuit, diſſidentibus duobus Principibus *Macedone* & *Mezentio*, quâ ratione in conſeſſu conjungantur, nè alteruter per contumeliam excluſus videretur. Tantæ res ac dignæ heroicis viris hîc aguntur. Epiſt. 71.

Meminiſti cùm Princeps noſter lectâ *Odiſſeâ* ridebat *Homericas* ut ipſe loquebatur ineptias: Sed profectò ita eſt: Multò majores ſunt has conventuum ineptiæ; dignæ videlicet propter quas nunc dexteram ferè amiſi, & ſæpe alias inſignes plagas accepi.

Scriptum tuum contra *Mezentium* hîc aviditſimè legitur: qui etſi multùm molitur καὶ βυσσοδομεύων contra noſtros, tamen videntur divinitùs abhorrere ab eo omnium mediocrium hominum voluntates. Pædagogus eum arte regit: cujus conſilia ut diſſipet Deus oremus. Superat reliquos Principes *Macedo* Comitatu & reliquis aulicis pompis. Cæſar nondum in publicum prodiit, quoad hîc fuimus. Benè & feliciter vale.

Exanimor cogitans τῆς ἀγχόνης πανουργίας καὶ συκοφαντίας. Quare velim ſtatuas, longè me apud te malle verſari, quàm apud illa τέρατα ἔχοντα τὰ ὀνόματα ἀγγέλων. *Fabrum Viennenſem*, qui tam multos inſulſos libros ſcripſit, tam multos pios crudelibus ſuppliciis adfecit, velut faber *Berillus*, extinctum eſſe certum eſt, & jam illi quæſitor *Minos* urnam movet. Iterum vale.

Reverendo viro, eruditione, virtute & ſapientiâ præſtanti D. Martino Luthero Doctori Theologiæ, inſtauratori puræ Evangelii doctrinæ, patri ſuo chariſſimo S. D.

Reverende D. Doctor & chariſſime pater, Epiſt. 72. Gratias vobis ago quòd toties, támque amanter ad nos ſcripſiſtis. Nunc Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* oramus, ut vos omnes domum reducat incolumes. Mitto vobis & aliis amicis pagellam, continentem *Pannonicas* hiſtoriolas ab honeſtis viris ſcriptas, quorum integritas & fides nobis nota eſt. De *Romani* Pontificis morte, & aliis rebus quas ſignificatis, hic ante veſtras literas, nihil audivimus. Sed intra triduum ſpero nos habituros à *Danubii* ripa literarum volumina. Honeſtiſſima matrona conjunx veſtra, mittit medicamentum, quod petiiſtis. Benè & feliciter valete. Die XVIII. Februarii.

Viro

Viro optimo D. Martino Bucero docenti Euangelium Argentorati, ſuo amico S. D.

Epiſt.73. EXhibui noſtris formulam ſcriptam à te, ut meminiſti: dedi etiam *Luthero* tuas literas & reliqua tua ſcripta. Primum autem hoc tibi planè confirmo, *Lutherum* nunc amanter de te & de tuis collegis ſentire ac loqui.

Deinde formulam ſeu ſententiam illam non damnat ille quidem, ſed tamen paciſci nondum vult, ſed agendum cenſet cum *Oſiandro* & *Brentio*, aliiſque ut idem illis placeat. Præterea cenſet explorandas eſſe voluntates concionatorum in veſtris urbibus, & ſi ego quidem expoſui noſtris ea, quæ mihi de *Suevicis* concionatoribus narrâſti.

Eſt igitur mitior: ſed tamen negotium differri vult, quod mihi multis de cauſis optatiſſimum eſt. Nam & vobis maximè utile eſt tempus adhibere in conſilium, tum ad deliberandum, tum ad moliendam cauſam. Et ſunt jam futuri conventus πραγματικοὶ qui præbebunt occaſionem hac de re diligentiùs deliberandi.

Nunc meum erit ſcribere ad *Lutheri* ὁμοψήφους: Nec tibi interim opus eſt aliquid cum tuis agere, donec ego de noſtrorum ſententiis reſcripſero. Hæc mora nihil habebit incommodi, ut ſpero.

De meo animo velim tibi perſuadeas, te & cæteros bonos viros συμμύστας à me ex animo amari. Quò ſpectârint mea conſilia à principio, facilè animadverti poteſt, nempe ut re deliberatâ communiter, & veritas patefieret, & concordia conſtitueretur. Nec judico utile eſſe Eccleſiæ, ſingulos, contempto fratrum judicio, νεωτερίζειν, & adhuc omnibus votis opto, ut tandem aliquando amanter & liberè pii ac docti viri inter ſe colloqui poſſint.

Non velim ſciens offundere caliginem veritati, nec diſperſas Eccleſias magis etiam perturbare. Sed ſi poſſim conciliare Eccleſias, & conſcientiis ambigentibus conſulere, maximè optarim. Mea ſcripta teſtantur, quàm multa in dogmatibus explicarim, quæ antea confusè à noſtris diſputabantur. Utinam & in hoc negotio aliquid opis Eccleſiæ adferre poſſem. Collegi omnia teſtimonia, quæ reperire potui utriuſque partis, ut de iis colloqui poſſemus. Mira eſt diſſimilitudo. In *Epiphanio* nihil reperi, niſi hæc verba de Baptiſmate & Cœna Domini: Verè homo factus, baptizatus eſt *Chriſtus*, ut etiam ipſi venientes acciperent condeſcenſus ipſius virtutem, & illuminarentur ab ipſius illuminatione, ut hic impleatur Prophetæ dictum, in transſmutationem virtutis, in exhibitionem ſalutis, virtutis panis à *Hieruſalem* accepti, & fortitudinis aquæ. Itaque in *Chriſto* hic fortes reddimur virtute panis, & fortitudine aquæ, ſic tamen ut non panis, nobis ſit virtus, ſed virtus ipſius Panis. Nam cibus quidem eſt Panis, virtus autem in ipſo ad vivificationem eſt. Nec aqua nos mundat ſolùm, ſed fortitudo aquæ per fidem & efficaciam, ac ſpem, & myſteriorum perfectionem, & ſanctificationis nomenclaturam fit nobis ad perfectionem ſalutis. Benè vale. III. Febr. M. D. XXXV.

Clariſſimo viro, & egregiâ virtute & eruditione prædito, D. Petro Martyri, Euangelium docenti in Schola Argentinenſi, amico ſuo S.

CUm graviſſimam conſolationem tuam ad D. *Martinum Bucerum* ſcriptam legiſſem, valdè te diligere cœpi. Lucebant enim in oratione & ingenii acumen, & eruditio ſingularis, & vera pietas, quarum virtutum conjunctione nihil pulchrius, nihil amabilius cogitari poteſt: Itaque viciſſim abs te peto, ut benevolentia tua me complectaris. Epiſt.74.

Fatebor autem quod res eſt, me tuâ oratione non ſolùm oblectatum; ſed etiam confirmatum eſſe in his certaminibus. Valdè enim me movit imago, quam nobis intuendam propouis, cùm dicis, tunc ſibi Diabolum maximè accerſere cladem, cùm atrociſſimè ſævit. Neque unquam acriùs ſævit, quàm cùm evertere Ducem noſtrum *Chriſtum* conatus eſt. Maximè igitur in eo prælio ſuccubuit, & ſecuta eſt poſtea magna univerſi orbis mutatio.

Hîc me de omnibus Eccleſiæ temporibus admonuiſti. Maximæ rerum converſiones poſt *Pharaonis*, poſt *Maxentii* furores ſecutæ ſunt.

Interfui autem multis Conventibus quaſi prælüs mutuis. Sed nunquam videor incidiſſe in ſycophantas rabioſiores, & impudentiores. Quare Conſolatio tua mihi pergrata fuit.

Sed peto etiam, ut nos & univerſam Eccleſiam precibus Deo commendes: Hac enim ſpe nos præcipuè ſuſtentamur, quòd quorum mentes Deus vocat ad hoc munus & excitat, eorum laborem adjuvat, ut ſcriptum eſt: ὁ θεὸς ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλειν, καὶ τὸ ἐνεργεῖν, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, hoc eſt: Ut quædam pars generis humani officia præſtet Deo grata, & nè totum genus humanum furenter adverſetur Deo, & pereat.

Vides quaſſari orbem terrarum pernicioſis bellis: Negligi, imò vaſtari Eccleſias à Pontificibus & Regibus. Interim nos noſtrum officium modeſtè faciamus, ac Deo exitus commendemus, cui cura erit, nè Eccleſia funditùs pereat. Et fortaſſis ideo eam in urbibus *Germanicis* collocavit, quæ aliquanto habent tranquilliora & moderatiora imperia, quàm ullæ aliæ gentes. Quare hoc tuum hoſpitium tibi gratuleris, ac Eccleſiam ibi tuâ ſedulitate ornare ſtudeas. Benè & feliciter vale. *Sturmio* ſalutem opto. XIV. Julii, Anno M. D. XLIII. *Bonnæ.*

Doctori Caſparo Crucigero S. D.

SCripſi vobis antea, Epiſcopum ſecuturum eſſe formam *Noribergenſem*; Eratque ante meum adventum inſtitutus liber ad exemplum *Noribergenſe*. Retinuit pleraque *Bucerus*, quoſdam articulos auxit, ut eſt copioſus. Mihi cùm omnia relegiſſem, attribuit articulos περὶ τῶν ἀναγκαίων, de Creatione, de peccato Originis, de Juſtitia fidei, & operum, de Eccleſia, de Pœnitentia. In his conſumpſi tempus hactenus, & legi de ceremoniis Baptiſmi, & Cœnæ Domini, quæ ipſe compoſuit. Epiſt.75.

Arbitror pene finitum eſſe opus. Avellam igitur me quamprimum. Nam ſecuturas eſſe longas deliberationes

liberationes & tardas ratiocinor. Sunt & in aula & in tota regione docti quidam & nobiles, qui expetunt veram emendationem Eccleſiarum; Sed reliqua turba, ut alibi, aut non curat, aut repugnat bonis conſiliis.

Colonia liber editus eſt non tàm contra *Bucerum*, quàm contra univerſam doctrinam Eccleſiarum noſtrarum, & contra noſtros Principes. Poëta operis eſt *Carmelita* ille benè ſaginatus, & *Bacchi* ac *Veneris* ſacerdos. Titulum operi fecerant: *Judicium Cleri & Academia.* Cùm autem ſaniores in Collegio Comites quidam vidiſſent, ſcriptum dignius eſſe ſcurris, quàm Clero, juſſerunt mutari titulum, ac teſtati ſunt, id opus non probari ſuo Collegio. Addita eſt ergo tituli correctio, pro Clero jubent legi *Clerum Secundarium*, Nothos videlicet cleros intelligunt.

Petulantiſſimè conviciatur doctrinæ & *Luthero*, & in loco de conjugio ſpurcitie & obſcœnitate verborum utitur, quam vix in lenone ferrent aures mediocrium hominum. Convitia ex *Plauti* fabulis lecta ſunt, quibus fortaſſe *Carmelita* ille magis delectatur, quàm *Pſalmis*.

De Republica nihil habeo, quod ſcribam. *Belga* affirmant Imperatorem *Carolum* in *Italia* eſſe. Sed aula *Colonienſis* præter *Belgicos* ſermones nihil habet de ea re: Veſtras res ſcire mallem. Audio etiam *Turcicum* exercitum veniſſe *Belgradum*. Benè & feliciter vale. Salutem opto Reverendis Viris D. *Doctori Martino*, & D. *Paſtori*, quibus has literas oſtendes.

D. Caſparo Crucigero S. D.

Epiſt.76. ACceſſit mihi ad cæteras moleſtias, quas hic non mediocres pertuli, hoc incommodum, quòd nullas à vobis literas accepi de ſchola & de rebus domeſticis, ac mitti poſſe ſcit *Paulus Eberus*. Nam N. *Lipſicus* mercator frequentes mittit tabellarios. Per hunc ſcripſiſſem ad vos ſæpiùs, ſi quid literarum à vobis accepiſſem.

De Eccleſiis in ditione Epiſcopi *Colonienſis*, & bona ſpes eſt, & initia mediocria ſunt. Nunc adeſt *Hedio*, & Epiſcopus ipſe cum aliquot præcipuis Comitibus & aliis conſiliariis: Conſumpſit in relegendo ſcripto Ordinationis Eccleſiarum quinq; dies continuos. Diſputavit graviter de multis rebus, & doctrinam Evangelii rectè intelligit ac conſtanter amplectitur. Nunc librum legunt Canonici ſummi Templi *Colonia*. Conventus in proximam ſeptimanam indictus eſt. De nobilibus & civitatibus non dubitant, quin Principis ſententiam ſecuturi ſint. De Collegio ſummo cavetur dignitati & opibus, tamen quid ſit futurum dubito.

Mihi Princeps permiſit, ut domum redeam, & ſtatui iter ingredi XVIII. Julii. Sed nobilitas contendit, ut paucos dies ipſis tribuam in conventu, ut reſpondere *Gropperi* Orationibus poſſint. Nondum promiſi. Nam expecto literas ex *Smalkaldia*. Sed Deo juvante, etiamſi paucis diebus impedior, tamen brevi vobiſcum ero.

De bello coràm. *Galli* agros latè vaſtant in finibus, ut exercitibus Cæſaris deſit frumentum. Ita ſimul miſeram plebeculam fame necant, & aliò avertere bellum conantur. Non juvant *Juliacenſem*. Is nunc ferè toto ſemeſtri unum quoddam oppidum ſuum circumſidet. Sed hæc coràm.

De *Moſhameri* Decani *Patavienſis* morte non dubito quin audieritis. Tam multis horrendis Exemplis monemur, ut in timore Dei obediamus Evangelio, nec calumniemur res rectè traditas, ut ſatis audacter faciebat *Moſhamerus*. Academia *Colonienſis* ad Senatum contra me & *Bucerum* exhibuit venenatiſſimum ſcriptum, & reſpondimus ſatis planè. Benè vale. XII. Julii. Reverendo D. *Paſtori* Eccleſiæ ſalutem opto. *Bonna.*

D. Caſparo Crucigero S. D.

CHariſſime *Caſpar*, Non ſi tantum lachrymarum fundere poſſem, quantum aquæ flumen *Albis*, & veſtra & noſtra mœnia præterfluens pleno alveo volvit, exhauriri meus dolor poſſet, quo excrucior propter cladem, in qua noſter Princeps, qui certè dilexit Eccleſiam & juſtitiam, captus eſt. *Epiſt.77.*

Et multæ magnæ cauſæ in hoc luctu concurrunt: Miſericordiâ captivi ingenti afficior. Video ſecuturam doctrinæ mutationem & novas diſtractiones Eccleſiarum: Deinde quantum decus, diſſipatâ ſcholâ noſtrâ extinguitur: Nos divellimur. Profectò ſi quis adhuc conſiliis locus eſſet, iſtic in conſuetudine veſtra & ad aras veſtras vel mori malim, quàm in hoc exilio vagari, in quo tamen quotidie contabeſco. Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* ſervet domi *Paſtorem*, te & *Paulum* & alios collegas. Benè vale. Anno M. D. LXVII.

D. Caſparo Crucigero S. D.

NOn opinor vos aut longius iter facturos eſſe, aut diu abfuturos domo. Quod cur exiſtimem, coràm exponam: Nunc περὶ [illegible] τὰ [illegible] audi. Idem liber, de quo *Ratisbona* diſſeruimus, nunc *Auguſta* rurſus in theatrum affertur. Antea exploſum putant propter actores, ut de ſua quadam fabula *Terentius* inquit. Nunc habet æquiores auditores; præter ſolum Ducem Electorem *Saxonia*, qui nondum [illegible]. Nec leviter ei iraſcitur ὁ [illegible]. *Epiſt.78.*

Etſi autem in libro [illegible] quædam dempta ſunt, tamen pleraque ſunt eadem. Nuſquam agnoſco tuum veterem [illegible] *Julium*, ac mallem, ipſum τὰ περὶ [illegible] ſcripſiſſe.

Nec formula retenta eſt, quam *Ratisbona* compoſuimus. Ἐν [illegible], περὶ [illegible], agnoſco [illegible]. Et hæc ſunt concinniora, quàm priùs fuerunt. Sed adduntur palàm abſurda, [illegible].

Etſi de obſcuris quæſtionibus non movi tunc certamina, tamen palàm abſurda comprobare impudentia eſt. Miror Principes autores conſilii de libro. Qui ſi volent has leges imponere ſuis, [illegible] plenæ erunt civitates. Deum oremus, ut ſuâ mirandâ ſapientiâ impediat pernicioſa conſilia.

Errat ὁ [illegible], ſi me unum putat reſtagaturum eſſe, Lapides clamabunt, ut Filius Dei inquit. Et metuo [illegible] certaminum [illegible] inſtare, cujus erit [illegible] hæc nova [illegible]. Neſcio

ſcio quid addam in tanta mole argumenti amplisſimi, in quo & deplorare communes miſerias, & deliberare de nobis ipſis debebam. Sed ut ſpero coràm plura. Salutem opto tuis collegis, quibus hanc Epiſtolam ſolis oſtendere poteris. *Ἐξίων.* Die Paſchatos. M. D. XLVIII.

D. Caſparo Crucigero S. D.

Epiſt. 79. ET dolore & irâ penè conſumor, cogitans de publicis malis, & horum autoribus, & de aliis cauſis communium miſeriarum. Nec dubito te quoque in magno mœrore eſſe, qui vides utriuſque oppidi calamitatem, quorum utrumque tibi patria eſt. Cum nuper *Deſſæ* eſſemus, ibique *Ioachimus* eſſet unà, ſomniabam me ſupplicem à Duce *Mauritio* petere, ut parceret noſtræ *Sareptæ.* Recitavi in lecto ſomnium *Ioachimo* & *Eraſmo.* Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* oro, ut mitiget pœnas, & pacem clementer reſtituat. Bene vale. Die II. Januarii, Anno M. D. XLVII.

D. Caſparo Crucigero S. D.

Epiſt. 80. HAnc Epiſtolam hodie cùm ſcriberem, dies me admonebat de victoria *Maccabei*, quem ſcis XIII. die menſis Februarii Adar, acie viciſſe *Nicanorem* ſuperbè minitantem templo. Etſi autem gratias ago Deo æterno Patri Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, quòd & tunc protexit, & ſervat hactenus Eccleſiam: tamen bellatores conferens magno in dolore ſum.

Cùm cauſam poſt homines natos pulcherrimam haberent noſtri, & omnium bonorum oculi in tota *Europa* in eos intuerentur, quantum ſeſe deformârunt ipſi? Sed his exemplis commonefacit nos Deus, ut cœleſte auxilium & petamus & expectemus. Hâc fide miſerias noſtras placidiùs feramus.

Hic aiunt miſſos a *Mauritio* veniſſe *Aldenburgum* ad deliberationem de pace. Qua de re ſi quid habes, ſignifica. Epiſtolas mitto, quas monſtrare potes R. D. *Paſtori* & Clariſſimo Viro D. *Pontano.*

Meminiſti & Propheticas & *Græcas* hiſtorias, quæ narrant Reſpublicas ſpe externorum auxiliorum deceptas magnas ſibi calamitates accerſiviſſe. Nos quoque vidimus mota bella ſpe talium auxiliorum quæ omnia tetros exitus habuerunt, ac miror noſtros tam citò oblivisci *Iuliacenſe* exemplum. Sed hæc coràm. Magnopere te oro, ut horteris quæſtorem N. ut tenuioribus collegis aliquid corradatur. Benè vale. XIII. Februarii, Anno M. D. XLVII.

D. Caſparo Crucigero S. D.

Epiſt. 81. ΕΝ *δίνῃσι* inquit *Paulus, σπλάγχνα οἰκτιρμῶν.* Nec verò dubito te miſericordiâ affici & Eccleſiæ & civium & collegarum noſtrorum, quorum egeſtas cum tibi nota ſit, leniamus eis miſerias, quantum poſſumus. Curabis igitur mox mitti pecuniam. Clavem *Vitus* mittit, & *Paulo* dat mandata. Si viæ nondum occupatæ ſunt ab hoſtibus, arbitror mox poſſe mitti. Sed velim à Quæſtore noſtro notum & exploratæ ac probatæ fidei hominem his tabellariis addi.

Scriptum *Lipſicum* vide, quomodo *τὰ ἐκκλησιαστικὰ* λέγει. Ut ille in Tragœdia inquit, *Non armis tantum*, ſed quod triſtius eſt, *σεσοφισμένοις διαλογισμοῖς* oppugnamur. Nos confugiamus ad invocationem Dei, ut in *Pſalmo* inquit *David: Ego verò orabam.*

Julius alterum ex paſtoribus Eccleſiæ *Naumburgenſis* ſtatim coëgit abdicare functionem, quam alteri indocto mandavit, cujus concionem cùm audiſſet populus, fremens diſceſſit, improbatâ vanitate. Benè vale.

D. Caſparo Crucigero S. D.

Epiſt. 82. MEminiſti *Thucydidæam* deſcriptionem ſeditioſi temporis, in qua dicitur eos videri conſtantiſſimos cives, qui accendere odia maximè ſtudeant. Audivi ante menſem circumferri decretum *Ambſdorfianum*, quod affirmat deſertores eſſe Euangelii miniſtros, qui, cùm defenſionem non habeant, hoſtibus ſe dedunt.

Etſi & ipſe parricidia hoſtium deteſtor: tamen hanc tàm duram ſententiam non probo. Rectiùs Comes *Albertus* Quæſtori *Iſlebiano* dixit: *Nunc enim jure belli meus ſis, mihi promittito homagium, ut loquuntur. Cum jure belli eris alterius, illi promittito.* Ac rectè judico diſcernendum eſſe caſum deditionis à caſu Confeſſionis. Deinde voluntas ſpectetur in iis, qui talia decreta condunt, & partes munire volunt. Ego non judico ſophiſmata ferenda eſſe, & pias mentes magis turbandas, præſertim cum & fruſtra præcipiant *ἀδύνατα*, & multorum voluntates alienent. Satis miſeriarum eſt in deditione, non augeamus dolorem piis. Nollem igitur ſcriptum *N.* edi *ὁ δεύτερα λέγει τοῖς ἐμποτέροις.* Deinde ſi deliberationes ſunt de pace, ſpargi convitia in vicinum non eſt utile. Duas vobis Epiſtolas mitto, quas Reverendo D. *Paſtori* & D. *Pontano* leges. Benè vale & reſcribe. Die meo Natali XVI. Februarii. Anno M. D. XLVII.

D. Caſparo Crucigero S. D.

Epiſt. 83. ΑΠᾶς μὲν ἀνὴρ αἰετὸς περάσιμος· ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πάτρη. Ferrei animi vox eſt, nec rectè fit collatio Aquilæ & hominis. Nos enim ad ſocietatem Oeconomicam & politicam nati, non poſſumus nobiſcum familias circumducere. Deinde amamus patriam, propter amicorum conſuetudinem, & propter ſtudiorum & officiorum ſocietatem. Ego me fateor magno in dolore eſſe, & propter calamitatem publicam, & hoc meum exilium, in quo ſæpè cogito de communi exilio generis humani, quod primam patriam amiſit. Sed agamus gratias Filio Dei *κατάγοντι ὑμᾶς*, qui ut ſpero, *καὶ νῦν κατάξει ὑμᾶς*, in noſtros alveolos. De ſcripto *Meniano* dices Typographo, me præfationem miſſurum eſſe, & in fine additurum plura, ut promiſſis autoris reſpondeant libri capita. Scriptum eodem argumento editum eſt titulo *Regii Selmi.* Agnoſco autorem *Baſilium*, qui ineptè cumulat *ἁμάξας βλασφημιῶν.* Mitto pagellam de recentiſſimis narrationibus. Mittam certiora, ubi redierit ex *Philyra* noſter tabellarius. Leges hanc pagellam D. *Paſtori* & *Paulo.* Salutem opto omnibus *συνήγοις*, in Eccleſia. Benè vale. Pecuniam Academiæ à vobis miſſam accepi, & rationes *Pauli* manu ſcriptas,

ſcriptas, ac vobis amicorum nomine gratias ago. A
Bene vale.

Caſparo Crucigero S. D.

Epiſt.84. VIdimus heri ad veſperam horâ octavâ in Aëre, meridiem verſus, ignes, ingentes flammas ſpargentes, magni incendii inſtar, duos primùm, mox quatuor, deinde rurſus duos, poſtea in unum coeuntes, qui & aliquoties, quaſi deficiente materiâ, fere penitùs extingui, illicóque iterum in clariſſimas lætiſſimaſque flammas erumpere videbantur. Vidimus plerique eos, fere ad horæ dimidium, nec tamen evanuerunt. Judicârunt nonnulli, pagi aut oppidi cujuſdam conflagrationem eſſe. Sed ſatis clarè apparebat, non humi ſed in aere ſuperno ignes illos eſſe. Cœlum alioqui nubilum, & pluvium fuit, nec ulla ſtellula conſpiciebatur. B

Quid ſit, quidve portendat, ignoramus. Adfirmat *Hervagii* familia à proxima die Veneris ſibi viſum hoc ſpectrum. C

Horrenda nobis nunciantur de ſeditionum facibus, accenſis in ſuperioribus *Germaniæ* civitatibus. Deus æternus Pater *Jeſu Chriſti*, horribiles illas flammas incendii publici per *Germaniam* extinguat, aut cœleſti igne totam hanc mundi machinam diſſolvat, nóſque in æternum ſimul à præſenti miſeria liberet. Amen. Bene ac feliciter vale, & pro nobis ora. Datæ *Gothæ*, Die VIII. Calend. April. Anno M. D. XLVII. D

Caſparo Crucigero S. D.

Epiſt.85. ETſi ſapienter inquit Vir fortiſſimus apud *Homerum* ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ· Tamen non poſſum non retrò reſpicere ad cauſam ærumnarum noſtrarum. Idémque multis aliis accidere exiſtimo. Ac plus aliquanto, cauſarum cogitatione cruciantur animi, quàm ipſis eventibus. Sed hunc dolorem etiam ferre diſcamus, & à Deo petamus mitigationem ærumnarum. E

Bucerus ſingulari conſilio, ut ratiocinor, ſuam civitatem nobis purgat. Ad me nihil opus eſt hac Apologiâ. Scio omnes ſpes illi pependiſſe à N. qui poſtquam ἔπλυξε, ἀλίαιον δεύτερον ὡς κλίνας πλευρόν, nunquam dubitavi, eam abjecturam clypeum & haſtam.

De mittendo gubernatore ſtudiorum doctrinæ ad montem *Carpathum*, ſcio *Eraſmum* Medicum ſuam operam offerre, qui tamen priùs iſthîc cum doctoribus Medicinæ deliberabit. Si alius erit mittendus, cenſeo deferendum id negotium illi, qui nunc eſt in patria. Et judico idoneum eſſe, & ipſe ſibi & Reipubl. plus profuturus eſſet, in eo munere, quàm in politicis diſputationibus, quas appetivit. F

De *Aleſio* nihil agi nunc poteſt. Scripſi qualemcunque Epiſtolam, ut voluiſti, quam legito, & ſi placet utere. Ridebimur à Jureconſultis, quòd ſperamus manſuram eſſe noſtram *Sareptam*, Sed Deus poteſt nos ſervare. B. V. G

Caſparo Crucigero S. D.

Epiſt.86. CHariſſime *Caſpar*, πάντοτε τὴν νέκρωσιν τοῦ κυρίου ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι περιφέροντες. Suſtentemus autem nos fiducia miſericordiæ Dei, qui affirmat ſe inter afflictos, ipſum invocantes habitare. Quòd ſcribis de commonefaciendo Principe, nimis ſera hæc ſunt conſilia. Ruimus in fata multis erroribus. At initiis occurrere facilius erat. Sperarem autem nunc quoque flecti poſſe αὐτοκράτορος animum ad pacem, ὁ ἡμέτερος ἐθελογνώμων ἐκεῖνος. *Stigelius* huc miſit nuncium ac petit ſtipendia ſolvenda pro duobus anni quadrantibus. Solvi ei æquiſſimum eſt; Et ſolvam, vel ſi de meo deducendum eſſet. Leniamus & cæteris tenuioris fortunæ collegis miſerias, quantum poſſumus.

Ego tanto dolore afficior, intuens hanc miſerabilem diſſipationem & fugam, ut manſiſſe me optarim. Et ſi quod erit intervallum, redibo ad vos. Deum autem æternum patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* oro toto pectore, ut ſervet Eccleſiæ reliquias, & ſedem doctrinæ ſuæ in noſtro oppidulo defendat, & tibi vires corporis reſtituat integras. Bene vale.

Præpoſitis Eccleſiæ Interbocenſis.

REverendi viri & amici chariſſimi, Neſcio quid reſponderit D. *Georgius*. Non enim licuit colloqui, ſed meum conſilium eſt, ut & maneatis in Eccleſia, & aliquantiſper, ut compeſcatis violentiam, injurias has toleretis taciti, ſicut & *Abraham* & alii multi aliquantiſper tacuerunt, cùm injuria afficerentur & ipſi & alii. Nam omnino aliquas ferri neceſſe eſt. Ac ſemper Eccleſia aliquam ſervitutem aliàs magis, aliàs minùs duram patitur. Speramus brevi ex veſtra civitate diſceſſuros eſſe hoſtes noſtros. Nam dux Elector jam cum exercitu eſt in urbe *Gothanâ*. Deus det piam & ſalutarem pacem. Bene valete. Die Natali Filii Dei, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto. *Epiſt.87.*

D. Nicolao Medlero S. D.

CLariſſime Domine Doctor, & amice chariſſime. Etſi ſcio tibi non deeſſe conſilium, tamen pro noſtra amicitia ſcribendum eſſe duxi de contentione inter te & *N.* orta. Non novi fontes negotii. Naturam N. novi. Ideo tibi conſulo, prorſus ut nihil ſcribas contra eum. Si res cognoſcetur præſente *Crucigero*, moderatè dicas, quæ neceſſe eſt dici. Cæterùm cum illo homine nihil contendas. Noſtram Epiſtolam ad *N.* tibi mitto, etiam de Rectoris ſententia. Sed N. Epiſtolam noluimus cuiquam oſtendere, quæ quidem magis ipſi *N.* nocere poſſet apud prudentes, quàm tibi. Scis me non rudem Tyronem eſſe in hac militia tolerandarum injuriarum, nec me pœnitet multorum diſſimulâſſe & obruiſſe ſilentio inſulſiſſimas calumnias. Et omnibus amicis idem do conſilium. Quia Deus profert tandem vera; & defendit eos, qui propter publicam utilitatem privatæ iracundiæ frenos injiciunt. Bene vale, & reſcribe. Datæ die lætiſſimi congreſsûs *Mariæ* & *Eliſabeth*, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto. *Epiſt.88.*

Georgio Majori S. D.

TUam lugubrem Epiſtolam & ipſe in luctu accepi. Nam ante triduū mihi ſignificatum eſt, *Epiſt.89.*

Annam filiam meam in *Pruſſia* ex hac vita evocatam eſſe. Quare ſi exempla leniunt dolorem, ego te ſocietate luctûs, & veris non ſimulatis lachrymis conſolari ſtudeo: Etſi verè hoc dicere poſſum, tuo etiam dolore me affici. Sed Deo obtemperemus. Non enim in *Democriti* aut *Epicuri* ſchola verſamur, ſed in Eccleſia Dei, ac verè ſtatuimus Deo nos curæ eſſe, & morientes evocari in æternam Dei, *Chriſti*, & Apoſtolorum conſuetudinem. Hac nos conſolatione ſuſtentemus. De cæteris rebus in hoc tuo luctu nihil agendum eſſe cenſui, & coràm loqui tecum velim. Nam & cauſas tui conſilii ſcire me referret, & aliæ te Eccleſiæ expetunt. Bene vale. XXIX. Februarii. M.D.XLVII.

Georgio Majori S. D.

Epiſt.89. MAgiſter *Simon Wolframus* Vir doctus eſt, & verâ pietate Deum colit, & nunc conflictatur inopiâ. Cùm autem in vicinis Eccleſiis, quas nunc inſpici à te audio, exiſtimem talis viri uſum eſſe poſſe, magnopere te oro, ut & propter Filium Dei, & propter Eccleſiam eum amplectaris, & juves, & eum alicui Eccleſiæ præficias. Qua in re, ut meâ etiam cauſâ magis annitaris te oro. Foveamus noſtrum gregem, quantum poſſumus. Quod ſi faciemus, Deus etiam nobis aderit, & noſtros cœtus defendet, ſicut certè hactenus mirabiliter defendit. Dies eſt hodiernus XXV. Martii, quo antè annos 5509. *Adam* conditus eſt, & poſt lapſum reductus ex morte, & poſtea eodem die Filius Dei conceptus eſt, poſt annos 3951. Deinde eodem die poſt annos XXXIV. in cruce victima pro nobis factus eſt. Cùm tantis beneficiis Deus nos affecerit, meritò ei gratias agamus. Bene vale.

Georgio Majori S. D.

Epiſt.90. E*Xurgat Deus & diſſipentur inimici ejus.* Hanc precationem hodie in *Pſalmo* Eccleſia Dei ſonat, ad cujus vota nos quoque noſtra vota & gemitus adjungâmus, ac petamus, ut Filius Dei ſedens ad dexteram Dei æterni Patris, nos defendat, ac piam & ſalutarem pacem Eccleſiis noſtris reſtituat. Utinam Principum πολυπραγμοσύνας non miſcuiſſent privata negotia cauſæ Eccleſiæ. Sed Deus leniat pœnas. Coràm de communibus ærumnis, & noſtris itineribus colloquemur. Meos interea regito. Bene vale. Die M.D.XLVII.

Iuſto Ionæ Theologiæ Doctori S.D.

Epiſt.91. COràm, ut ſpero, Deo juvante de ea deliberatione colloquemur, de qua literas ad me *Brunſwigam* miſiſti. Video utrique longiora exilia propoſita eſſe, quæ feremus ducente nos Filio Dei, qui ideò ſedet ad dexteram æterni Patris, ut dona det hominibus invocantibus ipſum. Mihi levat mœſtitiam conſciendia rectæ voluntatis, & ſtudii illuſtrandæ veræ doctrinæ: Sed tamen ad hanc conſolationem adjungo cogitationem promiſſionum divinarum. Affirmat Deus ſe in afflictis habitare. Sumus igitur Dei domicilia, quæ & reget & cuſtodiet. Bene vale.

A

Iuſto Ionæ S.D.

CUm ſciamus, Res humanas & imperia propter multas cauſas habere crebras mutationes, Eccleſiam verò Dei æternam fore: in illam tanquam in arcem firmiſſimam nos quoque includamus, in qua Filius Dei *Emanuel* teſtatur ſe nobiſcum eſſe, & huic tribuet aliqua hoſpitia in Politiis. Ideóque etſi atrociſſimæ minæ nunc undiq; B ſcribuntur: tamen ſperemus Deum cuſtodem fore harum Eccleſiarum, in quibus vox Euangelii ſonat. Me etiam cogitatione *Pſalmi*, qui nunc legitur erigo, in quo eſt hæc divina concio: *Quare fremuerunt gentes?* *Epiſt.92.*

Vellem te hodiè prinſquam iter ingreſſus es, nobiſcum fuiſſe. Nam *Argentoratenſes* literæ allatæ ſunt. Illud etiam hodie nobis ſignificatum eſt, *Fridericum Palatinum* ſenem veniſſe in oppidum *Franciæ*, ubi nunc eſt *Carolus* Imperator, quod non C procul à *Wirtzburg* ſitum eſt: Quod ſi ita eſt, arbitror etiam *Macedonem* per eum de Pace agere: ſed hæc aliquantò poſt audiemus. Vale. XVIII. Decemb. M.D.XLVI.

Iuſto Ionæ docenti Euangelium in Salinis S. D.

MEminiſti *Heſiodi* dictum, qui ait vicinos magis amandos eſſe, quàm cognatos, qui D procul abſunt. At contra nos, vicini Principes, quos ſingulari ſtudio coluimus, arma ſumpſerunt: Alii nos deſerunt. Rex *Danicus* qui procul abeſt, noſtris ærumnis piè adficitur. Miſit ἐφόδια liberaliter viduæ Doctoris *Lutheri*, tibi, Paſtori Eccleſiæ noſtræ, & mihi, ſingulis quinquaginta Joachimicos. Sed ex ſingulorum pecunia unum Joachimicum in itinere ſenex nuncius, civis noſter, Vir integer, ſumpſit. Exhibuit itaq; ſingulis XLIX. & ego ἐπίμετρον addidi nuncio de meo liberaliter. E Sunt igitur penes me XLIX. Joachimici tibi exhibendi, quos ad te mittere decreveram per hunc tabellarium. Sed mutavi conſilium metuens periculum. Mitto igitur literas Regias, & Pecuniam dabo vel tuo nuncio, ſi quem mittes, vel exploratæ fidei homini, ſi quem ad te iter facere intellexero. Nuncio huic dedi mercedem. Bene vale. Calendis Februarii. M.D.XLVII. *Epiſt.93.*

Reverendis & clariſſimis viris D. Iuſto Ionæ F *Doctori Theologiæ: D. Chiliano Goldſtein D. Iuris, amicis ſuis Chariſſimis* S.D.

SYnodus *Tridentina* telam exorſa eſt, ad ſtabiliendа Idola, & habebit applauſores, etiam in iis Eccleſiis, quæ hactenus nobiſcum ſenſerunt. Gratæ erunt aliquibus Principibus illæ bellæ & ſuaves πιθανολογίας, accommodatæ ad cupiditates ipſorum: & aulici Theologi, qui à Dominorum nutu pendent, oſtendent ſe non diſſentire. G Quare & noſtris Eccleſiis & cæteris omnibus, opto pios & rectè eruditos doctores, & *Andream* initio vobis, non privato affectu, ſed judicio commendavi. Nunc autem in hoc ipſius & meo luctu, non potui ſcribere adhortationem, ut maneat. Nam & mihi ante biduum ſignificatum eſt, *Annam* meam filiam in *Pruſſia* mortuam eſſe, & arbitror jam *Andreæ* in luctu parcendum eſſe. *Epiſt.94.*

Bene

Bene valete. 1 Martii. Anno M.D.XLVII.

Iuſto Ionæ S.D.

Epiſt. 95. EXpectamus adhuc exordia congreſſus, quæ qualia futura ſint, nè adverſarios quidem conſtituiſſe audio. Adſunt Theologi *Italici*, *Hiſpanici*, & *Narbonenſes*, nec multò majore παρρησίᾳ res in ſynodo Pontificia fuiſſet acta. Quare ſuſpicor adverſarios non hoc egiſſe, ut *Germanicarum* Eccleſiarum tranquillitati conſulerent: ſed ut nos præjudiciis hujus conventus obruerent; poſteaquam ſynodus Pontificia non proceſſit. Sed defendet nos Deus Pater liberatoris noſtri *Jeſu Chriſti*, quem & vos orabitis, ut ſuam Eccleſiam ſervet & gubernet.

Caroli Imperatoris Voluntatem mediocrem eſſe arbitror. Dixit enim *Norinbergenſi* Legato, ſe velle non ſolùm concordiam conſtitui, ſed etiam veritatem patefieri, ac poſtulavit, ut *Norimberga* Legatos ad conventum mitteret. Adfirmant & alii, non deeſſe Imperatori, voluntatem rectè conſtituendæ tranquillitatis Eccleſiaſticæ, ſi viam ſciret rei tantæ conſtituendæ. Inter noſtros Dei beneficio adhuc concordia eſt. Principem *Georgium Anhaltinum* ſuſpicor in patriam rediiſſe. *Iulius* adeſt nomine *Moguntini*, & ducit ſecum manipulares egregios, *Menſingerum*, & *Conradum Braun* autorem Decalogi ſcripti in judicio Cameræ.

Si conventus proceſſerit, exordia habebunt multa certamina, in quibus profectò te deſiderabimus. Bene vale, & ſalutem dicito D. D. *Martino*, & ejus honeſtiſſimæ conjugi. Dn. *Paſtori*, & M. *Paulo*. *Wormatiæ*. VII. Novembris. Anno M.D.XL.

Iuſto Ionæ S.D.

Epiſt. 96. OPinor me tibi viro ſapienti & perſpicaci totum eſſe perſpectum, cum annos jam XX. in maximarum rerum deliberationibus verſati ſimus, ac fortaſſe plures modios ſalis unà abſumpſerimus. Nec amo occultationes, Nec puto laudem eſſe ſapientiæ amicos fallere. Quare me quidem tibi ſemper ſimplicitſimè aperui. Imò totum pectus, & omnia domeſtica & publica apud te deponere ſolitus ſum. Cum igitur me nôris, cauſas ſilentii alias non quærito, præter eas, quæ impediunt officia amiciſſimorum: aut occupationes, aut mœſtitiam aliquam. Sumus homines, & *Græcus* verſus mihi in ore eſt: εἷς ἐστὶ συγγενὴς τι λύπη καὶ βίος. Deo juvante conſtantiam amicitiæ in hac vita præſtabo, ſperoque futurum, ut ea in æterna conſuetudine dulciùs fruamur. Nam mihi breve curriculum teſtat ad mortem. Diu nihil ſcripſi, quia nemo flagitavit literas, & quia de Repub. nihil habebam ἀξιόλογον, ac nè nunc quidem habeo, etſi ſæpè ex urbe *Vangionum* literas accipio. Rixæ ſunt de judicio Cameræ, de arbore *Marcolphi* utrinque; Etſi ego quidem de his conſiliis non judico, tamen ſcio adverſarios veræ doctrinæ tantùm de luce Euangelii extinguenda, & interficiendis omnibus cogitare, qui non oſtendunt ſe eſſe hoſtes veræ doctrinæ. Sed Deo hæc curæ erunt. Bene vale. Die dulciſſimi congreſſus *Mariæ* & *Elizab*. & aliorum Piorum, qui nos de noſtris etiam colloquiis admonent. Anno M.D.XLV.

Iuſto Ionæ S.D.

Epiſt. 97. AIunt *Timotheum Atticum* (cui pingebant dormienti, fortunam injicere Inſulis, & Urbibus retia) quanquam inprimis fortunatus videretur, tamen domi audientem *Platonis* ſermones de natura, & cauſis multarum rerum deploràſſe ſuam infelicitatem, quòd vitam in illiteratis occupationibus ageret. *Platonem* verò prædicâſſe beatum, quòd ſine interpellatione, in cogitatione dulciſſimæ doctrinæ viveret. Hæc cum queſtus ſit ille *Atticus*, ignarus cœleſtis doctrinæ, quantò magis nos queri debebamus, ejuſmodi rebus, quæ alienæ ſunt à literis, impediri noſtra ſtudia. Sed oremus Deum, ut nos faciat organa ἐλέους, οὐκ ὀργῆς. Agamus Deo gratias, quòd hactenus mediocrem & dulcem concordiam harum Eccleſiarum nobis dedit, & hanc omni ſtudio, arte, moderatione tueamur.

Recèns in Belgio matrona nobilis cum duabus filiabus publicè & piè educatis cremata eſt, propter piæ doctrinæ confeſſionem, & audio eas non fuiſſe contaminatas malis opinionibus. Cumque junioris filiæ ſupplicium dilatum eſſet, ut ſpectaculo frangeretur, interrogata poſtea, an recantatura eſſet? Reſpondit, ſe ituram ad matrem, & ſororem in Cœlum: Ita & de ipſa ſumptum eſt ſupplicium. Quas rupes, quos ſcopulos non moveret hæc aſperitas? Nec poteſt hæc ſævitia diuturna eſſe: Sed Filium Dei Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum* oremus, ut nos regat, & ſervet has Eccleſias & Politias. Anno M.D.XLV.

Iuſto Ionæ S.D.

Epiſt. 98. DOlor quavis occaſione recrudeſcit. Ita cùm harmum aſpicerem, quem miſiſti, cùm de Lege *Moſi* cogitarem, quæ Sacerdotibus geſtantibus onus gubernationis, attribuit harmos, mox venit in mentem *Lutheri*, qui tot jam annis, humeris ſuis magnam molem negociorum ſuſtinuit: & ſæpè ſalutaribus conſiliis magna pericula depulit. Sed oremus Deum ut nos juvet. Viciſſim tibi mitto ἀντίδωρον. Filii Curriculum ut Deus regat opto, quod adhuc quidem tale eſt, ut tibi voluptati eſſe debeat, & cœpit guſtare forenſem doctrinam, quam certè judico eſſe Philoſophiæ partem. Anno M.D.XLVI.

Iuſto Ionæ S.D.

Epiſt. 99. VUlt Deus Eccleſiam commonefacere de primo exilio cùm ex Paradiſo ejecti ſumus. Vult etiam nos de exilio ſui Filii cogitare, quem fecit ἁμαρτίαν, ut nos propter eum, & per eum fieremus δικαιοσύνη θεοῦ. Ideò Eccleſiam ſemper exercuit variis exiliis. Harum cauſarum cogitatione etiam ærumnas noſtras æquioribus animis feramus. Ubicunque ſumus, curæ erimus Filio Dei. Studiis literarum, ut ſedem aliquam Deus attribuat, toto eum pectore oro, & peti idem multorum Piorum votis exiſtimo. Teque oro ut nobiſcum tua vota conjungas. In Synodo *Tridentina*, editus eſt Articulus περὶ δικαιοσύνης πίστεως, qui audacter & impiè damnat vocẽ Euangelii ſonantem in Eccleſiis veſtris. *Marchio Albertus Caſimiri* filius captus eſt ab exercitu Electoris *Saxonici*,

ducens exercitum ad opprimendos & interficiendos cives in *Salinis*. Mitto tibi libellum cujus lectionem voluptati tibi fore ſpero. Bene vale, Die Æquinoctii verni, & reſcribe. An. M.D.XLVII.

Reverendo viro, eruditione & virtute præſtanti, D. Iohanni Bugenhagio Pomerano Doctori Theologiæ, Paſtori Eccleſiæ Dei in oppido Wittembergæ, Patri ſuo colendo, S.D.

Ep. 100. INgentem dolorem annos totos decem circumtuli, in quo de paterno affectu erga natos cogitanti, ſæpè in mentem venit has στοργὰς naturæ hominum inſitas eſſe, ut ſint commonefactiones de amore æterni Patris erga Filium, & deinde erga nos. Removeamus igitur à Deo *Stoicam* torvitatem, & verè nos ab eo diligi ſtatuamus, cùm condita στοργὴ in natura hominum teſtetur in ipſo etiam eſſe verum & flagrantem amorem. Etſi autem de filiæ morte eas mihi conſolationes propono, quas ſcribis; tamen cùm & ſenſus aliquis maneat Paterni deſiderii & doloris, & ad domeſticum vulnus accedant Publici dolores, multò acriores, hic me concurſus miſeriarum non leviter excruciat: Sed Deum oro, ut publicas & privatas calamitates nobis mitiget. Ago etiam ei gratias, quòd filiam meam in tranquilliorem vitam evocavit: Vobis etiam gratias ago, quod in meo mœrore, tàm paterno animo mecum doletis, & Deum oro, ut vos, veſtræ Eccleſiæ domeſticæ & publicæ ſervet incolumes, & vobis Eccleſiam publicam & domeſticam ſervet. Scriptum *Bohemicum* ad vos intra paucos dies adferam, & de refutatione Synodi vobiſcum deliberabo. D. Epiſcopo *Naumburg.* ſalutem opto. Bene & feliciter valete. Die XXIX. Martii. Anno M.D.XLVII.

D. Iohanni Bugenhagio S.D.

Ep. 101. REverende Domine Paſtor; Etſi in tanta ſolitudine veſtra de publicis periculis, non libenter onero vos negotiis: Tamen cauſa viduæ *Martini* Oeconomi indiget veſtro patrocinio. Erit felicior defenſio, ſi erga viduas & orphanos erimus benefici. Scripſi de bobus ad quæſtorem, & ad conſulem. Tantùm hoc petimus ut negotium illis commenderis. Rem petit juſtam, ut aut emantur ibi boves, aut concedatur, ut ipſa abducat eos. Benè & feliciter valete. Die XXII. Novembris.

Reverendiſſimo D. Nicolao ab Ambſdorff Epiſcopo Naumburgenſi, eruditione & virtute & pietate præſtanti, ſuo Patrono cum obſervantia colendo S.P.

Ep. 102. ETſi in communi luctu ſciebam dolorem veſtrum extincto Reverendo Patre noſtro, D. *Martino Luthero*, eò acerbiorem fore, quò magis paterno amore vos complexus eſt, & verebar mœſtitiam cognitâ morte ſummi viri & amici tui, valetudini tuæ nociturum eſſe: Tamen cùm adeſſet tabellarius, neceſſarium eſſe duxi de re tanta ad te ſcribere. *Iſlebiæ* evocatus eſt ex hac ærumnoſa vita Reverendus Pater D. *Mart. Luth.* inter preces pias, ut intelliges ex narratione ad Principem Electorem ſcripta, quam addidi.
A Etſi autem genus morbi nondum ſatis ſcimus, tamen audio eum in tota illa peregrinatione nunquam rectè valuiſſe. Cùm enim non procul ab oppido abeſſet, & iter pedibus faceret, horridis ventis eum afflantibus, queſtus eſt vehementer ſe lædi ſævitiâ frigoris, & ventorum, & ſentire ſe periculoſas anguſtias pectoris. Adfuit veſter affinis D. *Melchior*, qui dicit eum quoque vix recreatum eſſe ſumptis aromatis. Audio autem ſimiles ei pectoris anguſtias ante annum domi
B ſuæ, cum nudus in Saxea cloaca menſe Decembri ſederet, accidiſſe: quæ tùm eum, quod ſcio, adeò atrociter excruciârunt, ut diceret ſe faciliùs acerrimos cruciatus, quos adfert calculus, toleraturum eſſe, quàm hanc compreſſionem: Sæpe autem nunc *Iſlebiæ* tales ei anguſtiæ redierunt, ut tandem naturâ ſuperatâ, Vir tantus extinctus ſit.

Etſi autem in magno dolore multos bonos homines ubique eſſe non dubito, tamen ſcio tu-
C um mœrorem longè majorem fore, quia iſte nec ullum amicum habebat vetuſtiorem, nec chariorem, nec tu aliter eum, quàm patrem dilexiſti. Habes igitur privatim cauſam doloris maximam. Deinde & publicæ accedunt. Nam poſt ejus obitum videntur ſecuturæ multæ aliæ calamitates, ſed te propter Deum oro & obteſtor, ut conſolationibus divinis, quæ nobis in Evangelio propoſitæ ſunt, te ſuſtentes, eáque in re & nos, & publicam Eccleſiam reſpicias. Bene & feliciter
D vale.

De ejuſdem D. Lutheri obitu Epiſtola Philippi ad Iuſtum Ionam ſcripta nomine Wittenbergenſis Academiæ, S.P.

REverende D. Doctor, amice chariſſime; Hodie Ep. 103.
manè triſtiſſimas literas tuas accepimus: quarum alteras ad Illuſtriſſimum Principem Electo-
E rem, alteras ad Reverendum D Paſtorem Eccleſiæ noſtræ de morte Reverendi Viri & chariſſimi Patris & Præceptoris noſtri D. *Martini Lutheri* cum ſignificatione mæſtitiæ ingentis ſcripſiſti. Erat ille omninò currus & auriga Iſrael à Deo excitatus, ut Evangelii miniſterium inſtauraret & repurgaret, quod res ipſa oſtendit. Neceſſe eſt enim fateri, per eum pateſactam eſſe doctrinam, quæ ſupra humani ingenii conſpectum poſita eſt. Tali Doctore & Gubernatore nos orbari,
F magno dolore afficimur, non ſolùm propter noſtram Academiam, ſed etiam propter univerſam totius Orbis terrarum Eccleſiam, quam conſiliis, doctrinâ, autoritate, & Spiritus ſancti auxilio regebat. Ac plurimùm cogitatione periculorum & tempeſtatum, quæ poſtquam ille ab hac ſtatione avocatus eſt impendent, movemur. Scimus autem te quoque magno in luctu eſſe, propter ſimiles cauſas, quibus nos angimur. Oremus igitur Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, qui
G dixit, *Non relinquam vos Orphanos*, ut Eccleſiam ſuam regat ac ſervet, & pro beneficiis, quæ per D. *Lutherum* nobis exhibuit, ei gratias agamus, & *Lutheri* memoriam grati retineamus. Hunc autem ad te nuncium peculiariter miſimus, ac petimus, ut mox nobis ſignifices, quo die hîc adfuturi ſitis. Datum XIX. Februar. Anno M.D.XLVI.

D. Ni-

D. Nicolao ab Ambſtorff, Epiſcopo Naumburgenſi S.

Ep. 104. REverendiſſime Domine: ut Eccleſia Dei verè Orphana, inter hæc imperia mundi intuetur pios Paſtores, & verè Epiſcopos, & ab eis conſolationem petit: Ita nunc puella, Domini *Pauli* filia Orphana, neceſſario ſuo tempore, a quo imploraret auxilium potiùs, quam a paterno amico, & verè Epiſcopo? Quare quòd liberalitatem erga eam exercuiſtis, pietas veſtra Deo grata eſt, & pro ea viciſſim Deus his Eccleſiis & politiis benefaciet. Nos quidem & puellæ nomine, & ſponſi, & noſtro gratiam habemus, & Deum Patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſto* precamur, ut has Eccleſias, quæ certè ſimiles ſunt puellis Orphanis, defendat ac regat, & ſervet vos, & alios pios doctores, tanquam oleas feraces in domo Dei, nec ſinat extingui lucem Euangelii, & notitiam Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, ſed multorum pectora verâ pietate accendat, & pia ſtudia doctrinæ, & morum diſciplinam tueatur, ut veris laudibus, inter nos in hac mundi ſenecta celebretur verus Deus æternus Pater Domini noſtri *Ieſu Chriſti*, cum Filio ſuo, & Sancto Spiritu. Has optimas res Deus impertire ſolet, per veros Epiſcopos, quos quidem vocat *συνεργοὺς*, id eſt, *laboris ſocios*. Quod poteſt autem majus præconium cogitari, quàm divinâ voce dici, ſocium divini laboris? Veneremur igitur pios paſtores, in quorum numero longo jam tempore, Veſtram quoque R.D. ſervire divinitùs videmus, & ut diutius ſerviat in domo Dei optamus. Bene & fœliciter R.D.V. valeat. Die nuptiarum filiæ Domini *Pauli Knodt*, quæ ut ſint fauſtæ & fœlices, faciat Deus æternus Pater D.N.I.C.

Doctori Iohanni Pfeffingero, Superintendenti Lypſenſi S. P.

Ep. 105. E*Untes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua*, inquit *Pſalmus*, ſignificans Doctores pios in magnis & variis periculis circumferre Euangelium. Sed fontes nôſti, unde vera remedia haurienda ſint. Ex iis conſolationem petito: Ferendæ ſunt omninò aliquæ injuriæ, & hac ſpe ferendæ, quia exitum Deus gubernaturus eſt, de cauſa & voluntate noſtra aliquantò poſt teſtificaturus. Qua de re etiam mea exempla aliqua recitare poſſem. Sed nunc magis à me conſilium, quàm conſolationem expectas.

Primùm igitur hoc rectum eſſe judico, non deſeri à te Eccleſiam, ad quam ritè vocatus es. Ejus vocationis ſanctitate plus moveri te velim, quàm dolore injuriarum, quæ ab iis oriuntur, qui hoc ipſum agunt, ut te extrudo, inveniant aſtutè ſe inflectentem ad doctrinæ corruptelas.

Deinde cenſeo te Principi tuo aſſentiri debere, qui toties aſſeverat a *Carolo* Imperatore non quæri doctrinæ oppreſſionem in Eccleſia tua receptæ, & poſſe tacere de Imperatoris voluntate. Etſi enim exitus monſtrabit, quid agatur: tamen interea, dum tali teſte probetur, Imperatoris voluntatem non impugnes. Nihil enim eſt opus judicare de ignota cujuſque voluntate. Nobis quibus Dux Elector *Saxoniæ* præeſt, bellum ille denunciavit, ac nominatim mentionem fecit quorundam negotiorum, quæ verè ad doctrinam pertinent, nec interea olim dixit ſe toleraturum eſſe ſententias, publicè receptas apud nos. Etſi igitur video quarundam maximarum rerum oppreſſionem quæri, tamen nunc quidem te de illis pugnare non velim.

Mihi ipſi magna fuit contentio cum multis *Auguſtæ*, ne interereretur confeſſioni quæſtio: An *Romanus* Epiſcopus antecellat aliis. Diſplicent enim mihi in Eccleſia omnes de Principatu rixæ, & magno cum dolore vidi aliquos ſibi ſumere poteſtatem majorem, quàm ipſe *Romanus* Pontifex ſibi ſumit. Verùm hoc agi volui, ut extaret doctrina neceſſaria rectè explicata, quòd ipſum impediebant aliqui, qui Principes ſibi devinciebant illecebris diſputationum de Pœnitentia.

Potes igitur de Imperatoris voluntate, & de re obſcura & Politica, & aliena à tuo munere tantiſper ſilere, donec tempus veritatem in lucem proferat. Sæpè ſpecioſis involucris Veritas aliquandiu tegitur, quæ tamen Deus poſtea retegit. Omiſſâ igitur mentione harum rerum ambiguarum aliquantiſper, interea ſtationem tuebere, in qua te Deus collocavit, & eodem veſtigio propugnabis veritatem, & ſalutarem doctrinam. Expones cauſas harum miſeriarum eſſe, non tantùm Principum affectus, ſed & populi & Principum multiplicia peccata: ut omnium politiarum converſiones calamitoſæ, pœnæ fuerunt, ſunt, & erunt communium ſcelerum. Dices de pœnitentia, de fide, de petenda mitigatione miſeriarum: Objurgabis maledicos, qui odia in utraque parte irritant: Flectes animos auditorum ad miſericordiam erga calamitoſos: Hortaberis eos, qui valent Autoritate, ut conſilia pacis reſtituendæ in Patriâ inter cognatos quærant.

Denique quantum poſſumus, Eccleſiam, concordiam, & mutuam benevolentiam alamus, quæ etiam aliquando profutura eſt ad pacem inter Principes conſtituendam, & Deo grata eſt, etiamſi lacerantur imperia. Quod fit multis de cauſis, quarum ſeries nunc tota non perſpicitur. Interim tamen etiam in motibus iſtis imperiorum vult Deus manere Eccleſiam. Hanc igitur omnibus officiis pietatis foveamus, & oremus *Deum*, ut ipſe inter nos Filio ſuo Domino *Ieſu Chriſto* hæreditatem æternam colligat, nec ſinat extingui doctrinæ ſtudia, ſed concedat mediocria hoſpitia Eccleſiis & diſciplinam ac pacem tueatur. Bene vale. Die XXIIJ. Novemb. Anno M.D.XLVI.

D. Iohanni Pfeffingero S.P.

REverende vir, & amice chariſſime, Multæ graves cauſæ ſunt, cur profit præſertim hoc turbulento tempore, non fieri crebras mutationes docentium in Eccleſiis, ſi modo rectè doceant & mores ſint tolerabiles. Quare & vos retineri *Lypſiæ* maluimus, præſertim cum audiremus benevolentiã Eccleſiæ erga vos non vulgarem eſſe. Sed Ampliſſ. Senatus *Vratiſlavienſis* in literis ad me ſcriptis commemorat Eccleſiæ ſuæ pericula, nec remittit obligationẽ, & arbitramur in eandem ſententiã ad vos ſcribi copioſiùs: Itaq; conſiliũ, quod eſt ſimpliciſſimum, duximus eſſe rectiſſimum. Ep. 106.

Cùm Senatus *Vratiſlavienſis* non remittat obligationem, exiſtimamus vos rectè facturos eſſe, ſi Ampliſſimo Senatui *Lypſico* reverenter exponatis

neceſſariam cauſam migrationis: Vos in illo communi dolore permotos eſſe, ut promitteretis Eccleſiæ *Vratiſlavienſi*, nec remitti ab iis obligationem: Quare cùm vincti tenemini veſtra promiſſione, Petatis veniam dari neceſſitati? Si dimittent, nulla dubitatio reſtat; Sed ſi nolunt dimittere, in ſeſe culpam derivabunt, & quærent, quomodo vos vel Illuſtriſſ. Principis Electoris literis vel ſuis excuſent. Id enim niſi facturos ſe eſſe oſtendant, migratio neceſſaria eſt.

Etſi autem ſcimus Vobis non deeſſe conſilium, tamen quid nobis videatur, planè ſcripſimus. Et hanc viam agendæ hujus rei ſimpliciſſimam & minus perplexam eſſe, maximéq; convenire fidei, & gravitati veſtræ judicamus. Poteritis tamen & vobiſcum, & cum paucis aliis, quorum fidem & ſapientiam magnifacitis, ac præcipuè cum Viro Clariſſimo D. Doctore *Ludovico Fachſio*, ſi adeſt, de eadem re deliberare.

In hac tanta mœſtitia temporum non mirum eſt vos invitatos ad aliam Eccleſiam, citius implicatos eſſe obligationi. Quare exiſtimationis veſtræ nunc ratio habenda eſt; quod ſperamus factuum eſſe Prudentiſſ. Senatum, & tamen ſimul Eccleſiæ *Lypſica* conſulturum, quam quidem & nos piè & fideliter regi & tranquillam eſſe maximè optamus. Bene & feliciter valete. Die XX. Auguſti, Anno M.D.XLVII.

Friderico Miconio Paſtori Eccleſiæ Gothanæ, nomine Acad. Witt. S.D.

Ep. 107. VEnerande *D. Paſtor*, Scimus harum regionum Urbes, hoſpitia eſſe Eccleſiæ Dei, ut erat Viduæ *Sareptanæ* domus, cùm *Eliam* excepiſſet. Ideo ſecundis & adverſis rebus Urbium in his regionibus affici nos decet. Ac inprimis animadvertimus Civitatem *Gotham* eximia pietate fovere Eccleſiam, & literas, & dulcem ibi Concordiam eſſe Gubernatorum Eccleſiæ & Senatus, multúmque prodeſſe cæteris *Thuringicis* oppidis ad pietatem & concordiam Exemplum Eccleſiæ *Gothanæ*. Quare & ſingularis noſtra benevolentia eſt erga oppidum veſtrum, & magno dolore nunc propter civium detrimenta afficimur, quibus domicilia, & multæ res domeſticæ incendio perierunt. Tuo etiam dolore movemur, quem ſcimus aſſiduo conſpectu miſeriarum valdè excruciari.

Nec tamen dubitamus, quin iis conſolationibus te erigas, quæ in Evangelio nobis traditæ ſunt. Multa ſunt enim Eccleſiæ peccata, propter quæ caſtigatur. Sed non accendit *Deus* totam iram ſuam adverſus nos, imò miſericordiæ ſuæ in ira recordatur. Vidit *Eſaias* inflammari multa oppida à *Senacherib*. Vidit *Ieremias* ipſam Urbem *Jeroſolymam*, & Templum incendio deleri, & tamen ſciebant non deleri Eccleſiam. Hac conſolatione nos quoque ſuſtentemus, & quidem hic annus exemplum memorabile oſtendit.

Vaſtare harum regionum Eccleſias, Dux *Brunſvicenſis* conatus erat: Sed Deus eum repreſſit: Interim verò nè ſecuri laxemus nobis frenos, & nos & alii multi caſtigamur aliis mitioribus pœnis. His commonefieri nos de noſtris peccatis, pœnitentia, fragilitate, invocatione Dei ſciamus. Denique conſideremus, ut in Eccleſia, cauſas omnium calamitatum humani generis, & voluntatem Dei. Harum rerum cogitatione & tibi & aliis dolorem lenias.

Ut autem oſtenderemus noſtram benevolentiam erga Eccleſiam veſtram, miſit Academia veſtris pauperibus centum florenos. Id exiguum munus, ut boni conſulatis, oramus. Scitis enim mediocres difficultates eſſe, propter quas hæc officia fiunt anguſtiora etiam apud eos, qui liberalitatem exercere cupiunt. Benè vale. Anno M.D.XLVI.

Iuſto Menio S.D.

ETſi cogitatio omnis de bello dolorem adfert bonis mentibus: tamen legi ſcripta de jure defenſionis non eſt inutile. Levatio enim mœſtitiæ eſt, cùm conſcientia eſt tranquilla: ſciens adverſarios moviſſe bellum, ut deleant Evangelii doctrinam, & interficiant pios Sacerdotes, & eorum conjuges, & filias ad ſtupra rapiant: Et intelligens defenſionem Principibus mandatam eſſe. Talis conſcientia ardentiùs petere à Deo auxilium & protectionem, & ſpe firmiore expectare poteſt. Ideo vobis libellum de defenſione mitto, cujus lectionem ſpero vobis jucundam fore. Alterum exemplum detis Domino Cancellario: Sed eâ conditione, ſi adeſt Illuſtriſſimus Princeps, ut ei legat. Bene valete. Datæ *Witt.* die Æquinoctii verni. Anno M.D.XLVII. Ep. 108.

D. Alexandro Aleſio S.

ETſi ſum occupatus, & variis doloribus excrucior: tamen propoſitiones de loco *Paulino* ſcribam, ſi tempus diſputationis ſignificaveris. Solitudo non eò tantum mihi moleſta eſt, quia non abducunt me amicorum colloquia, à cogitatione miſeriarum noſtrarum: ſed etiam de his ipſis materiis, quas ſcribo, deſidero συζήτησιν eruditorum, quâ me ſcis & commonefieri, & excitari. Profectò ſtudiis ſolitudo non eſt conveniens, in inquiſitione veritatis. Illis fortaſſis grata eſt, qui non veritatem quærunt, ſed ſuæ voluptatis cauſâ legunt. Benè vale. Ep. 109.

D. Alexando Aleſio S.

Ψυχῆς νοσούσης ἰατροί εἰσι λόγοι, præſertim amicorum, & doctorum. Auget autem mihi ſolitudo mæſtitiam, adeò ut contabeſcam, videámque mihi vitæ ærumnoſæ finem inſtare. Tuum ſilentium, tali præſertim tempore, cùm ſcias me deſiderare literas tuas, miror; Ac ſcis mea officia anteà, multis leniſſe curas. Sed exiſtimo non minus te angi communibus Eccleſiæ periculis. Sumus enim, ut vides, ſpreti & inviſi pluribus, imò καθάρματα καὶ περιψήματα dicimur. Deum autem æternum Patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti* oro, ut opem ſuam veritati ferat, & nos rurſus erigat, & vulneribus noſtris medeatur, quod facturum eſſe non dubito. Ep. 110.

Lycaon in *Saxonia* novum bellum accendit, & *Carolus Helvetius* minitari dicitur. Qui ſi ideò multa movet, ut deleat doctrinam, procul adhuc ab eo fine mihi abeſſe videtur. Sed his de rebus tuas literas expecto. Ego abſoluta Dialectica, ſi vivo, de novo exilio deliberabo, eriſque alter [illegible]. Nam hanc ſolitudinem ferre non poſſum.

ſum. Quæſo explores, an *Paulus* iſthinc diſcedens aliquid ad me ſcripſerit, ut certè exiſtimo. Mitte igitur ſi quid eſt ad me literarum à *Paulo* iſthic relictum. Ideo enim hunc Tabellarium miſi, ut tandem literas à vobis extorqueam. Famam de novo Pontifice audiviſſe te arbitror. Bene vale. Salutem opto D. *Ziglero*, &c.

D. *Alexandro Aleſio* S.

Ep. 111. NOn dubito te, ut cæteros doctos & bonos viros in hoc triſti bello, intuentem & præſentes ærumnas *Germaniæ*, & magnam confuſionem gubernationis futuram ad poſteros, in magno dolore eſſe. Verè enim nunc illud tempus eſt, de quo *Eſaias* inquit: *Angeli pacis amarè flebunt.* Incidit ætas noſtra in mundi ſenectam, de qua prædictum eſt, majores in ea confuſiones imperiorum, & Eccleſiæ futuras eſſe. Sed tamen hac nos conſolatione ſuſtenemus, quòd Deus ſemper ſibi aliquam colligit Eccleſiam, &, ut *Eſaiæ* verbis utar, ſemen ſanctum, in eo ipſo cœtu ſervabit, in quo erunt doctrinæ Evangelii ſtudia. Hac ſpe & ipſi doctrinam propagemus, & adjuvemus diſcentes, donec poſſumus. Quod te iſthic fideliter facere intelligo: cùm & in templis & in Scholis doctrinam gubernes.

Cùm autem intellexiſſem, iſthic quoſdam otioſos juvenes Scholam, Dei beneficio & graviſſimo Senatûs conſilio benè conſtitutam, turbare; dolui, & tibi & aliis ad mœſtitiam communem, hanc moleſtiam accedere, déque ea re, quid mihi videretur, amanter ſcribendum eſſe duxi. Etſi enim neminem decet in aliena Rep. πολυπραγμονεῖν, nec ego mihi hoc ſumo, ut cuiquam iſtic aliquid præcipiam, tamen cùm fœdus debeat commune eſſe docentium, ſperavi te meas literas boni conſulturum eſſe.

Audio quoſdam de nova Schola deliberare. Etſi conſilii cauſas non penitùs novi, tamen arbitror, ad Eccleſiæ & civitatum concordiam, & ad juventutis diſciplinam retinendam utilius eſſe, in eadem Schola, velut in iiſdem caſtris ſimul omnes Doctores & auditores convenire. Nam diverſa docentium agmina, haud dubiè diſcordias accenſura eſſent. Quare, ut ego exiſtimo, benè conſules concordiæ publicæ, ſi eris hortator, nè præſens Schola divellatur, præſertim cùm in ea rectè inſtituta ſint ſtudia, & diſciplina honeſta ſit, & Doctores ſint concordes.

Olim Poetæ finxerunt, *Aſtraam* pulſam ex magnis urbibus, in rure aliquandiu manſiſſe. Ita nunc literæ pulſæ ex Principum ditionibus, in quibus delentur bellis ornamenta civilia, rurſus in civitatibus honeſtis hoſpitium quærunt. Ac omnes prudentes, quantum poſſunt, decet omnibus viribus, literas ab interitu vindicare. Nam extinctis literis, etiam doctrina cœleſtis amittitur, quæ ut ſervetur, præcipua cura omnium hominum eſſe debet. Bene vale, & hanc epiſtolam ſummo candore animi ſcriptam boni conſule. M.D.XLVII. XXVII. Aprilis, quo *Noha* egreſſus ex arca, ante MMM.DCCC.L. vidit Eccleſiam mirando modo ſervatam eſſe. Quam ut nunc quoque ſervet Deus in magnis periculis fluctuantem, ardentibus votis oremus, & ſicut ille ſenex *Nauclerus* ſuæ familiæ doctrinam optimâ fide tradit: Ita nos quo-

A que literas & Evangelium ad poſteritatem tranſmittamus. Iterum vale.

Andreæ Oſiandro S.D.

EGo verò & habeo tibi gratiam, & debere me profiteor, quòd mihi literis tuis amantiſſimè ſcriptis toties lenire mœſtitiam ſtudes. Etſi enim non nunc primùm dolere incipio: tamen ut fit in longis morbis, major eſt in παροξυσμῷ, morbi vis B & ſenſus. Jam olim me & adverſariorum furores, & multa noſtra, ac mea quoque errata excruciârunt. Fero igitur hæc, non ut *Tyro*, ſed animo mediocriter præparato, & miſceo dolori preces. De exitu cogitans cohorreſco. Erunt enim tetræ et horrendæ confuſiones, utra pars vicerit. Sed fortaſſis fatalis eſt converſio hujus Imperii, & *Platonica* illa periodus circumacta eſt. Deum oremus, ut mitiget pœnas, & publicas & noſtras. *Cardano*, ſi quid habes, impertias. etſi ἀναπολλὰ λέγοντα C vaticinia legenti ſæpè in mentem venit, quod apud *Euripidem* in *Helena* nuncius inquit: ἀλλά τοι τὰ μάντεων ἐσεῖδον, ὡς φαῦλ' ἐστὶ καὶ ψευδῶν πλέα. Certè res vatum aſpexi quàm improbæ ſint & plenæ mendaciorum. Mitto vaticinium non confictum, ſed à D. *Pomerano* deſcriptum ante annos aliquot *Brunſwigæ*, & habemus alia. Bene vale. Die XIII. Auguſt. M.D.XLVI.

Ep. 112.

Andreæ Oſiandro S.D.

D

CUm Epiſtolam tuam legiſſemus ego & *Hieronymus Schreiber* civis veſter, & intelligeremus te non prorſus de ſalute adoleſcentis *Juliacenſis* deſperare: ſanè gaviſus ſum, te benè ominari. Sed mihi ſubit animum, non de illo uno, ſed de omnibus Principibus cogitare. Ep. 113.

——— *Ruit alto à culmine Troia.*

Sic profectò fatalis mutatio huic imperio impendet. Meminiſti *Platonis* dictum, quod *Ariſto-* E *teles* in πολιτ. recitat, ἀρχὴν δ' εἶναι τούτων, ὧν ἐπίτριτος πυθμὴν πεμπάδι συζυγεὶς, δύο ἁρμονίας παρέχεται τρὶς αὐξηθείς. Sic & ego video abſolutas eſſe has harmonias *Germaniæ*.

Quingenti anni ſunt poſt legem latam de Electoribus. Id fuit tempus, quo exacto inſignes fuerunt converſiones *Athenarum*, *Spartæ*, *Romæ*, Regni *Solymi*, et aliorum. Huc adde degeneres pleroſque Principes. Nihil heroicum in multis familiis; Uſuris et ære alieno oppreſſi plerique, et F βδελυγμία in expilationibus eſt infinita. Ac memini *Capnionem* dicere, cùm alluderet ad liberationem *Iſraelitarum*: Quando duplicantur lateres, venit *Moſes*. Etiam geneſes aut triſtes ſunt aut δυσειδεῖς. Ad hæc ſigna accedunt ἰδιοπραγίαι, luxus, et alia vitia. Arbitror igitur ventum eſſe ad metam.

Propterea Deum Patrem æternum Domini noſtri *Jeſu Chriſti* oremus, ut ſervet Eccleſiam ſuam, et ſervet aliquas politias, Eccleſiæ hoſpitia, ut fa- G miliam viduæ *Sareptanæ*.

Hæc refero ſtudia, et has ſpe adhortor ſcholaſticos ad diſcendum.

Dani ingens bellum parant, ut *Batavos* et marinos reprimant. Quid cenſes futurum, ſi rurſus ex illo *Balthico* ſinu effluxerint illæ ferociſſimæ gentes? Sed omitto hæc. Etſi habere te exiſtimabam geneſes *Chriſtiani* Regis *Daniæ*, qui nunc

regnum

regnum tenet, & Ducis *Mauricii*; miſi tamen, A
teque rogo, ut conſideres: & cùm de ipſis, tùm
vero de illo *Ariſtotelis* loco ſignifices, quid velit
ænigma *Platonis*. Nam quid alii interpretentur
memini. Te audire cupio, cujus ſcio eſſe excellens
de rebus Mathematicis judicium, & dexteritatem
ſingularem. Bene vale, Chariſſime *Andrea*.

Iohanni Brentio docenti Evangelium in Salinis Suevicis S.D. B

Ep. 124. QUod fauſtum fœlixque ſit, Frater ad te proficiſcitur adoleſcens, dignus, quem non ſolùm propter naturæ conjunctionem, ſed etiam propter ſuaviſſimos mores diligas. Quoties eum intueor, effigiem animi atque oris tui videor mihi videre. Itaque talem tibi fratrem gratulor, vobiſque ex animo opto, ut fœliciter mutuâ pietate frui poſſitis. Erit jam adhibendus πρὸς τὰ ςυχεῖα τῆς φιλοσοφίας, καὶ τὰ μαθήματα, quorum C
habet occaſionem hic diſcendorum. Volo enim eum ad Philoſophiam traduci.

Scripſiſti aliquoties de Sacramentariis, & Concordiam dehortaris, etiamſi inflexerint ſe ad *Lutheri* ſententiam. Mi *Brenti*, Si qui ſunt, qui de Trinitate, aut aliis Articulis à nobis diſſentiunt: cum iis nullum mihi fœdus erit, & execrandos judico. Spero autem nullos eſſe inter eos, qui præſunt Eccleſiis, in iis civitatibus, quæ noſtris conjunctæ ſunt. Tu ſi quid habes exploratum, D
ſignifica.

De *Sebaſtiano Franco*, qui *Ulmæ* eſt, audivi graviſſimè conquerentem *Bucerum*, & affirmabat eum diſplicere bonis viris *Ulmæ*, maximéque *Frechto*. Itaque promiſit nobis *Landgravius* ſe de eo coercendo ad *Ulmenſes* ſcripturum eſſe.

Cæterùm de concordia nihil adhuc eſt actum. Tantùm ſententias *Buceri* huc pertuli. Optarim autem me de controverſia tecum coràm poſſe loqui. Ego me non facio judicem, & libenter cedo E
vobis, qui præeſtis Eccleſiæ, & veram *Chriſti* præſentiam in Cœna affirmo. Non velim eſſe autor aut defenſor novi dogmatis in Eccleſia, ἐγὼ δὲ πολλὰς τῆς παλαιᾶς συγγραφῆς μαρτυρίας ἔχω, αἳ ἄνευ ἀμφιβολίας ἑρμηνεύουσι τὸ μυστήριον σῶμα ὄντα, καὶ τρανῶς, ἐναντίας δὲ μαρτυρίας οὐκ, ἢ ταράττει, ἢ νόθον, συμφέρον δὲ ὑμῖν, ἐν παλαιᾶς γνώμης ἐμμένειν, ταῦτα δὲ ἐγχειρεῖν τὴν ἀρχαίαν ἐκκλησίαν, φαύλην δίκην δηλοῦσας, ἄνευ σοφιστικῆς καὶ ἄνευ τυραννίδος.

Multi in *Gallia* & alibi interficiuntur propter F
hanc ſententiam. Et multi applaudunt talibus judiciis ſine ratione, & furorem Tyrannorum confirmant. Et res ut verum fatear, non leviter me cruciat. Itaque tantum hoc te oro, ut hac de re nihil temere ſtatuas, ſed deliberes etiam ξὺν τῇ παλαιᾷ ἐκκλησίᾳ.

Maximè veſim concordiam fieri ſine ulla Sophiſtica. Sed optarim etiam bonos Viros amanter inter ſe conferre poſſe de re tanta. Ita poſſet coire concordia ſine ſophiſtica. Non enim dubito, G
quin libenter totum dogma eſſent abjecturi adverſarii, ſi exiſtimarent eſſe recens. Scis enim multos inter illos, viros optimos eſſe.

Nunc ipſi ſe ad *Lutherum* inflectunt. Et quidem moventur nonnullis teſtimoniis Eccleſiaſticorum ſcriptorum. Hîc quid cenſes faciendum? An vetabis etiam colloqui nos? Equidem optarim nos, A
& de hac re & de aliis multis ſæpe conferre unà poſſe.

Vides in cæteris Articulis & ipſos, & nos multa explicare dexterius: poſtquam diligentius inter nos agitari cœperunt. Sed deſino, & te oro, ut hanc Epiſtolam in optimam partem interpreteris, & lectam ſtatim cõcerpas, nec ulli oſtendas. Rogo item, ut mihi copioſe reſcribas. Sed omninò hac de re aliquando tecum colloquar. Bene vale. XII. Januarii M.D. XXXV. B

Iohanni Brentio S.D.

MItto tibi formulam ſententiæ *Buceri*, quam nunc in publicis ſcriptis non obſcurè profitetur. Ep. 115.
Lutherus etſi non planè damnat: tamen nondum voluit pronunciare. Facit, ut tibi quoque viſum eſt expedire, ut tempus in conſilium adhibeamus. Juſſus ſum autem ad te, & alios multos ſcribere, & veſtras ſententias explorare: An tolerandos eſſe judicetis ſic ſentientes ac docentes. C

Qua de re volo ut mihi reſpondeas, καὶ μὴ ἄγαν σοφιστικῶς. Nam ego non pugno cum eis. Exiſtimo autem, ut ad *Phœnicem* ſuum inquit *Achilles*: καλόν τοι σὺν ἐμοὶ τὸν κήδειν, ὅς κ᾽ ἐμὲ κήδῃ. Libet enim tecum jocari. Sed extra jocum conſulamus in commune, tranquillitati Eccleſiarum. De multis magnis rebus tecum aliquando coràm loquar. Bene vale. Frater Dei beneficio rediit ſalvus & incolumis, eritque mihi curæ. M.D.XXXV. D

Iohanni Brentio S.D.

COllectam exilio pubem, miſerabile vulgus, Ep. 116.
vocat *Æneas* multitudinem ſuæ navigationis ſociam. Tale eſt noſtrum agmen. Non enim ſolus *Eraſmus Albertus* exulat. Quis noſtrûm certam ſedem habet? Ego annos circiter quindecim exilia quotidie expectavi, & adhuc expecto.

Alius alio præſentes ærumnas fert æquabiliùs. E
Ideo non ſubitò deſerimus omnes ea loca, in quæ ſeu ventis, ſeu potiùs fato & Dei conſilio delati ſumus. Sed quò fata vocant, pietas ſecura ſequetur.

Deum æternum Patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti* oro, ut me regat, ut ſim & maneam σωφρονικόν, & ut mei labores proſint veræ Eccleſiæ.

Eraſmum quæſo, ut conſiliis tuis regas. Gandeo eum in Repub. honeſta ſedem eſſe nactum: Nam & rectè tenet doctrinam Eccleſiæ Dei, non vitia- F
tam opinionibus fanaticis, & Deum timet, & moneri ſe in gubernatione, à te præſertim, quem diligit, patietur. Benè vale. Die XVII. Aprilis, quo die ante annos MMM. DCCC. LII. *Noa* arcam ingreſſus eſt.

Iohanni Brentio S.D.

EX literis Academiæ *Lipſica* intelliges Ducem *Saxoniæ Mauritium* cupientem inſtaurare ſtu- Ep. 117.
G dia doctrinæ Eccleſiaſticæ in Academia, magnopere velle te adhibere Gubernatorem, ac juſſiſſe, ut voluntas tua exploretur. Nam ſi cognoverit te non gravatim venturum eſſe *Lipſiam*, & vel anni vel biennii operam his regionibus præſtare velle, ſcribet ad te ipſe de voluntate ſua copioſiùs.

Etſi autem ſcio te ultrò Eccleſiæ, ubicunq; terrarum potes, libenter opitulari, & ſi quâ eſt opus ad-

adhortatione, in aliorum literis ſatis erit autoritatis: tamen ita viſum eſt quibuſdam, ut meas literas adjungerem, quod propter veterem & nullâ temporum varietate labefactatam amicitiam noſtram concedi mihi arbitrabantur, ut vehementiùs hanc cauſam apud te agerem. Geſſi morem viris optimis, qui graves conſilii ſui cauſas habebant.

Quanquam autem multa ſolent incidere, propter quæ Senatus noſter domi te & tanquam in ſpecula eſſe mallet: tamen Eccleſia veſtra, Dei beneficio, ita conſtituta eſt, ut aliquandiu uſurariam tui operam aliis concedere poſſit. Quare non ſolùm te adhortor, ſed etiam oro, ut operam tuam *Lipſicæ* Academiæ deferas.

Cauſæ duæ veræ & graves ſunt. Scis Deum ſemper addidiſſe Eccleſiis agmina aliqua literis dedita, quorum hoc proprium munus fuit, ut explicationem locupletiorem cœleſtis doctrinæ certis teſtimoniis traditam conſervarent, propagarent & defenderent; Scis ita ſcholas habuiſſe Prophetas, *Baptiſtam*, *Chriſtum*, Apoſtolos. Ac tantum momenti ea res habet, ut quoties Scholæ Eccleſiis adjunctæ diſſipatæ ſint; aut doctrinæ genus mutatum ſit, aut denſæ tenebræ Eccleſiam oppreſſerint. Accidit enim illud, quod eſt apud Prophetam: *Quia repuliſti ſcientiam, repellam te.*

Agamus igitur gratias Deo, quòd alicubi literarum reliquias, tanquam ex naufragio colligi concedit, & nos quantum poſſumus, ea in re Eccleſiæ ſerviamus.

Me quidem hæc una cauſa in Academia, in militia profectò laborioſa, ut nihil aliud dicā retinet.

Scio te iſtic in tuo munere præclarè de Eccleſia mereri: Sed hæc pars etiam non eſt negligenda. Hic ſeminaria excolenda ſunt, ut poſteritati proſpiciatur. Hæc animo intuearis, quæ ſi Scholæ conticeſcent, aut nullos habebit Doctores, aut ineruditos, qui non poterunt ſuſtinere præcipuam ſui muneris partem, videlicet doctrinæ explicationem & defenſionem.

An ἀπὸ κοινῆς, ἐπὶ τὸ βῆμα, ut olim dicebatur, producemus Oratores, ad muneris omnium maximi te difficillimi functionem? Quare te etiam atq; etiam obteſtor, ut hanc profeſſionem, juvandæ Academiæ cauſâ ſuſcipias.

Alterum argumentum tibi fortaſſis harum regionum ignaro videbitur levius. Sed ſi quid mihi vel judicii, vel diligentiæ in conſideranda Republ. tribuis, ſcito graviſſimum eſſe.

Lucet in Duce *Mauricio*, Dei beneficio, indoles ad virtutem egregia: Mihique de fatalibus periculis *Germaniæ* cogitanti, hic juvenis unus, aliquanto pòſt præſidio univerſæ *Germaniæ* futurus eſſe videtur.

Quanquam autem conſtanter Eccleſias tuetur, & de ſtudiis bene ſentit: tamen etiam mediocrium Principum benevolentiam, non ſolùm aſſiduitate & ſtudio, ſed etiam arte quadam alere & confirmare convenit.

Scio Eccleſiam non debere humanis præſidiis niti, nec mihi quæro defenſores, ſed ipſis Principibus, Eccleſiæ, politiis, juventuti nos conſulere decet. Vult Deus & commonefieri Principes à nobis de ornamentis vitæ, & nos illorum animos quâdam dexteritate conciliare. Quanto comitas eſt *Eſdræ* & *Nehemiæ* erga Regem *Perſicum*?

Hæc diligentia ſeu prehenſatio, & neceſſaria eſt & non inutilis, etiamſi non ſemper obtinemus optima. Pugnandum eſt tamen arte.

Impetrat *Daniel* reditum civibus: Id decretum vivo *Cyro* rurſus mutatum eſt, neque tamen *Daniel* deſiit iiſdem Regibus ſervire, ſed injuriâ diſſimulatâ manet in ſtatione, & eventus expectat ſecundiores. Οὐ δύναται ἄνθρωπος λαμβάνειν οὐδὲν, ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, inquit *Baptiſta*. Τότε οὖν ἡ στρατεία μάλιστα εὐτυχεῖ ὅταν ἡγῆται καὶ χορηγῇ ὁ Θεός· δεῖ δὲ ἡγεμόνι αὐτῷ ἕπεσθαι.

Scis in omni gubernatione plurimùm eſſe ærumnarum: Quare nos commoditate noſtrâ ſicubi poſſumus bonis Principibus lenire moleſtias convenit: Itaque facilius obſequamur, καὶ εὐκολώτερον. Hac tuâ facilitate reddes hunc Principem ſtudiis & ordini noſtro devinctiorem.

Expoſui tibi meam opinionem ſimpliciter, ut ſentio: Meos mores & meam Philoſophiam in hoc genere bene exprimens: etſi mea Oratio aliquantò minus habet ſeveritatis, quam tua. Sed hoc tuum iter etiam ſeveriſſimis cenſoribus probare poſſes. Quid enim honeſtius quàm juvare ſtudia & Eccleſiam? Quid? quòd ea eſt civitatis diſciplina, ea concordia omnium, qui docent Eccleſias, ut non difficilem adminiſtrationem fore arbitrer?

Aliquid fortaſſe negotii erit in conſtituendo foro Eccleſiaſtico: Cæteræ partes, viro docto in Schola, ubi inter doctiſſimos verſaberis, etiam jucundæ eſſe poterunt. Quantam voluptatem ex *Ioachimi* conſuetudine capies? Cujus prudentiam & fidem arbitror tibi magno uſui: Eruditionem verò & humanitatem illam genuinam, ac prorſus nullo tinctam fuco, ſolatio futuram ſtatuo.

Interdum & mihi exſpatiari ad vos licebit, aut vobis ad nos. Nam, Dei beneficio, adhuc ea eſt utriuſque ſcholæ concordia, ut utramque ferè unum Collegium dicere poſſis. Ad hunc conſenſum confirmandum autoritas tua etiam multùm conducet.

Quid mihi videatur expoſui. Nunc & Deum precor, ut tuum conſilium gubernet, & te oro, ut me ſimplici animo hæc ſcripſiſſe ſtatuas, ac verè ita judicare: rectè te facturum eſſe, ſi Principi in hac re gratificeris. Vale. Die Brumæ. M.D.XLII.

Iohanni Brentio S. D.

REverende vir, & chariſſime frater: Scio te Ep. 118.
magno in dolore eſſe, tùm propter alias Eccleſiæ ærumnas: tùm verò præcipuè propter domeſtica diſſidia noſtrarum Eccleſiarum, ac aſſiduis gemitibus orare Filium Dei, qui ſe pingit in *Samaritani* Medici exemplo, ut vulnera noſtra ſanet.

Plus autem proficerent & tuæ & aliorum piorum preces, ſi in pluribus eſſet ſtudium mendæ conjunctionis, & parcendi ægro corpori: Sed hæc ultima & languida Eccleſiæ ſenectus habet majora deliria, quàm olim habuit ætas felicior.

Oſiandrica contentiones non leviter & Eccleſiam & Civitatem *Norinbergenſem* concutiunt. Quare ex duabus Academiis, *Lipſicâ* & noſtrâ vocati ſunt *Aleſius*, *Jacobus Pomeranus*, & *Mauritius Helling* ad dijudicationem controverſiarum, & adjuncti ſumus *Joachimus*, & Ego.

Etſi non recuſo dicere quod ſentio: tamen quis talibus congreſſibus raro tolluntur diſſidia; non pro-

A proficiſci huc malueram. Sed ſpes mihi oſtendebatur, te quoque & alios ex veſtra Academia adfuturos eſſe.

Sequutus ſum igitur cæteros huc proficiſcentes, ubi cùm cognovissem diſputationes moveri plures, & intricatiores, quàm antea moras eſſe audieram: te valde deſiderare cœpimus, ac de multis magnis rebus tuum præcipuè judicium flagitamus.

Nam, ut alia multa omittam, qualis confuſio
B eſt; Si tantum dicatur, Homines fieri juſtos inhabitatione Patris, Filii, & Spiritûs Sancti? Nec diſcernantur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus? nec Mediatoris obedientia & intercesſio diſcernantur ab effectione? nec reconciliatio diſtinguatur à ſequenti ſanctificatione? nec explicetur vetus dictum, Nunquam dari Spiritum Sanctum ſine Filio?

De his tantis rebus piè & placidè colloqui amicos oportebat. *Oſiander* ſe non evolvit, & μῆλον
C ἔριδος objecit. Quare te oro, ut ad nos expatieris, ſi potes: aut conſilio nos juves. Nam maximè optarim noſtras ſententias congruere, ut ſperamus nos in tota æternitate verum Deum unâ voce celebraturos eſſe. Benè vale. *Norimbergæ*. Die XXIV. Septemb. M.D.LV. Salutem tibi reverenter optant *Aleſius* &. cæteri amici multi, qui huc nobiſcum profecti ſunt.

Paulo Ebero S.D.

D
Ep. 119. QUod fauſtum felixque ſit, *Erphordiam* veni pridie ejus diei, qui *Laurentio* dicatus eſt. Delector enim Viri fortis recordatione. Hodie *Wimariam* proficiſcor, quò Principis literis accerſitus ſum, fortaſſis ut de furoribus ſcholaſticorum, qui iſthic tumultus atroces excitârunt, aliquid audiam. Mihi crede, majorem mihi dolorem ſama eorum tumultuum attulit, quàm ullæ moleſtiæ totius hujus peregrinationis.

E Etſi autem coràm audies Hiſtoriam rerum in *Ubiis* actorum, tamen ſummam nunc ſignificabo. Poſtquam liber, quo forma inſtaurandarum Eccleſiarum deſcribitur, à *Bucero*, & me abſolutus eſt, Epiſcopus adhibitis aliquot Comitibus, & Equeſtris loci viris doctis & prudentibus, & me, legi ſibi totum librum ordine juſſit, attentiſſimè audivit, de multis locis accuratè diſſeruit, quædam ſuo judicio correxit, interdum ſuæ opinioni noſtras ſententias prætulit.

F Controverſias Eccleſiaſticas penè ut artifex intelligit. Miratus ſum ſenis aſſiduitatem. Nam diebus quinq; huic labori quaternas horas matutinas tribuebat.

Poſtquam decrevit ipſe ſecum de libro, conventum egit, in quo delecti ſunt ex omnibus præcipui Viri, qui librum unà legerent & expenderent. Tandem igitur Comites, equeſter ordo, & legati civitatum magno conſenſu librum comprobârunt, & pollicentur Eccleſias ad eam formam inſtauraturos eſſe.

G In Collegio *Colonienſi*, etſi multi ſummo loco nati rectè ſentiunt, tamen πλείονες οἱ κακοί· hi refragantur: Sed impedire non poſſunt quò minus Eccleſiæ in ditione rectè conſtituantur. Cæteri etiam ordines longâ oratione à Collegio petierunt, nè quid contra Epiſcopum moliatur, ac palàm teſtati ſunt, ſe dominum benè meritum defenſuros

A eſſe. Epiſcopus mox à conventu ad Imperatorem *Carolum* profectus eſt, non tàm ſui negotii cauſâ, quàm propter *Iuliacenſem*. Cætera narrabo coràm. Meæ filiæ dicito ſalutem, ac ſignifices ei, me in itinere eſſe. Audio & ſomniavi filiam meam *Sabini* conjugem apud vos eſſe. Bene & feliciter valete. Die divi *Laurentii Erphordiæ*. Anno M.D.XLIII.

Paulo Ebero S.D.

B
PRorſus hîc nauticam vitam vivimus: Nam ho- Ep. 120.
ſpitiũ eſt in ipſa ripa *Rheni* in ſtatione navium, unde perpetuus fœtor ſentinæ nobis admodum moleſtus eſt. In hoſpitio, ut in navi, menſa, lectus, focus, omnia ſunt unus ſcalmus. Vina cruda. Coquendi ratio, ut in *Weſtphalia*. Non enim exiſtimes ſimilem eſſe, hujus Galliæ munditiem, ut eſt *Rheni* tractus ſuperior. Nunc etiam expectatur Cæſaris exercitus, qui per hæc loca deſcenſurus
C putatur. Ex vicinia audimus ploratus plebis, videmus fugas virginum adultarum. Quo igitur animo hîc me vivere putas? Et accedunt curæ de ſchola & de rebus domeſticis, de quibus miror, te nè literas toto hoc ſemeſtri ſcripſiſſe.

Jam etiam ἀνεπιτελῶν conventum *Spirenſem*, quem *Carolus* Imperator indixit. Bone Deus, de quibus nugis tumultuantur inter ſe ſummi orbis Principes! Et hoc ipſum bellum ex futili cauſa ortum eſt. Nos igitur noſtrum officium ſedulò
D agamus, & agnoſcamus hos tumultus pœnas eſſe fatales mundi, & interim literas Eccleſiæ ſervare ſtudeamus. Mihi crede, inter tot curas meas, non minùs angor de Academia, quàm de ulla re alia. Et cùm vobis antea mea ſolicitudo nota ſit, huic veſtræ negligentiæ ſuccenſeo, qui nihil literarum miſiſtis.

Mitto vobis libellum hîc editum, quem dabis *Crucigero*, niſi antea vidit Exemplum. Nam *Ioachimo* & D. *Ionæ* miſi per quendam Equitem *My-*
E *ſnum*, qui mihi à D. *Iona* literas attulerat.

Si rediit *Franciſcus Hiſpanus*, dicas ei, ut omninò retineat *Friſium* illum, quem novit, donec rediero. Nam hîc collocabimus eum in conditione certa & præclara functione. Sin autem abeſt *Hiſpanus*, tamen *Friſium* illum inquirito, nomen non memini. Sed eſt Doctor Theologiæ, Vir doctus & ingenioſus. Fortaſſis jam titulum diſſimulat. Sed ex aliis *Friſiis* percunctare, an adſit, & jube eum expectare iſthic meum adventum. Vale. XIII. Julii,
F Anno M.D.XLIII.

Paulo Ebero S.D.

ETſi in tanta confuſione orbis terrarum optan- Ep. 121.
da mors videtur: tamen cùm in Eccleſia Dei vivamus, non decet nos fractos metu ἀποκαρτερεῖν. Ut igitur me jubes curare valetudinem, ita viciſſim te adhortor, ut quanta diligentia humana ef-
G fici poteſt, tueare ipſe tuam valetudinem: téque & Eccleſiæ communi & domeſticæ ſerves. Mihi temperantia unius diei profuit: ac *Platonicum* illud ſequor, quod quia tibi quoque profuturũ eſſe judico, adſcribam: Διὸ παιδαγωγεῖν δεῖ διαίταις πάντα τὰ τοιαῦτα καθ' ὅσον ἂν ᾖ σχολή, ἀλλ' οὐ φαρμακεύοντας κακὸν δύσκολον ἐρεθίζειν.

Mitto tibi *Joachimi* Epiſtolam, ex quâ intel-
ligo

ligo incolumem perveniſſe in urbem *Ieram* quòd gaudeo. Illud verò δυσχεραίνω, quòd cum nec tantas dolendi cauſas habeat, quantas nos habemus, nec ſimili in periculo ſit, nimium indulget mœſtitiæ ac iracundiæ. De rebus publicis ſcribito, quoties habebis tabellarios. Bene vale. III. Martii: Anno M.D.XLVII.

Paulo Ebero S.D:

Ep. 122. SI quid opis adferre poſſim patriæ (nam Academiam & ejus ſedem verè judico eſſe patriam) libenter vitam profunderem. Nunc quid conſilii cui dare poſſumus? Princeps abeſt, ignotæ ſunt nobis aulicæ voluntates, omnia plena ſunt ſuſpicionum, vel etiam odiorum. Taceo igitur & Deum oro, ut miſerias iſtas leniat Principi, populo, & nobis. Miſi hunc tabellarium iſtuc quodam veſtri deſiderio, cùm tamen dubitarem an Urbs pateret.

Mitto & paginas *Vito* Typographo, addendas *Meniano* ſcripto.

Paulo Ebero S. D.

Ep. 123. QUòd concionibus te *Davidis* erigis valde laudo conſilium & pietatem tuam. Nec enim fruſtra ſe Deus patefecit ex illa arcana ſede prodiens, cùm adfirmat ſe exauditurum eſſe noſtros gemitus, & opem nobis laturum in periculis. Credamus adfirmanti Deo, nec *Tridentinum* decretum audiamus, quod jubet mentes, *Pyrrhoniorum* more, ἀπορεῖν. Deducit ad divina ſcripta nos & *Paulus*, inquiens: *Quæcunque antea ſcripta ſunt, ad doctrinam noſtram ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Non ſunt igitur inania διαλόγια, ut Philoſophica παραμυθίαι, ſed verè oſtendunt opem. Mitto tibi verſiculos de *Pſalmi* ſententia expreſſos, quos ſi placebunt, dabis Typograpo.

Paginas dialecticas dedi *Iohanni Aurifabro*: placet conſilium de editione in alia officina. Sed utinam Deus ſtudiis doctrinæ pacem reſtituat, nec ſinat deleri res rectè illuſtratas. D. *Plicardo* conjugem honeſtiſſimam cum natis ex matre Centaurorum miſſam eſſe valde gaudeo. Deus liberet nos à Centaurorum ſævitia, & cuſtodiat noſtram *Sareptam*. *Iohannes Schloſſerus* vocatus eſt ad miniſterium Evangelii in oppido *Freyſtadio*, ubi *Gigantis* collega erit. Petit ritu veteri & pio ordinationis publicæ confirmari vocationem. Id indicabis D. Paſtori. Salutem opto omnibus Reverendis & Chriſſ. D. Doctoribus & collegis. Bene vale. XXII. Aprilis. M.D.LXVII.

Paulo Ebero S.D.

Ep. 124. HIc tabellarius ex ducatu *Luneburgenſi* Epiſtolam adfert, ſcriptam à Scholaſtico Academiæ noſtræ, nato in familia Equeſtri, qui teſtimoniũ petit à Rectore de ſtudiis & moribus. Etſi autem ſatis ἐγκρατῶς (οὐ γὰρ τοῦ ἐπὶ κατέλαβε) petit Teſtimonium, non indicans eos, quibus notus fuerit: tamen quia nuncius narrat ſe loca hoſpitii ejus nôſſe, gratificemur ei. Si hoſpites narrant mediocres fuiſſe mores, ſcribatur Teſtimonium. Audio γάμον eſſe, & fortaſſis aditum habet εἰς ἱερατικὸν τάγμα ut iſti quærunt talia φιλοχρηματοῦντες, Ideo arbitror ei opus eſſe Academiæ literis. Bene vale. Poſt mei miniſtri reditum, ad vos proficiſcar, Deo juvante, ut *Stigelianam* pecuniam adferam, ac de cæteris tecum loquar. Iterum vale. Die quâ celebratur memoria admirandi Conſilii divini, quo æternus Pater Filium Victimam fieri voluit, & in eum omnium noſtrûm peccata conjecit.

Paulo Ebero S. D.

VNus fuit *Macedo*, apud quem liberè mihi de Repub. conqueri licuit. In noſtra aula nemo eſt, apud quem tuto poſſem ullam edere moderatam vocem. Ita ſunt omnia vaniſſimis ſuſpicionibus infecta. Sæpè antea fui hortator moderatorum conſiliorum. Nunc fortaſſe ſerum eſt, de moderatione, de armis deponendis concionari, præſertim poſtquam *Macedo* de pace agere deſiit. Ep. 125.

Ego totam hanc lucubrationem conſumpſi in quodam ſcripto de illa admirabili divinæ & humanæ naturæ copulatione, quæ facta eſt Filio Dei aſſumente humanam naturam. Quod haud dubiè teſtimonium eſt evidentiſſimum nos curæ eſſe Deo, nos inquam, qui filium venientem non aſpernamur, ſed audimus, & ut Pſalmus inquit *oſculamur*. Hunc Filium Dei fratrem noſtrum, os ex oſſibus noſtris, *Ieſum Chriſtum* oro, ut ſervet te & conjugem tuam, & filios, & nos omnes gubernet, ut non dubito adfuturum Eccleſiis noſtris. B.V.

De Conjugio, ad Amicum,

PRecor æternum Patrem liberatoris noſtri *Ieſu Chriſti* conditorem naturæ rerum, & autorem hujus ſocietatis hominum, & dulciſſimæ ac ſuaviſſimæ conjunctionis conjugum, ut faveat tuo conjugio, & faciat ut ſit fauſtum, felix, tranquillum, & fœcundum. Cúmque ipſe optimè intelligas, qualis animi moderatio huic vitæ generi conveniat, & ingenio ſis ut ſemper judicavi, non aſpero, non moroſo præditus, ſpero te diligentiâ, & comitate tuâ perfecturum eſſe, ut hæc nova vivendi ratio tibi ſit jucunda & ſuavis. Quam ad rem conducet, ſi animo intueberis voluntatem Dei de hoc vitæ genere, & multiplices conſolationes divinitùs propoſitas, ut te in hac varietate fortunæ, cui tota hæc mortalis natura obnoxia eſt, erigant & gubernent. Vult enim Deus intelligi ſua beneficia, & ex omnibus difficultatibus excerpi bona, ut eis fruamur, ac grati Deum celebremus. Ep. 126.

Lætare, inquit, *cum adoleſcentula conjuge*, & ut eſt non ſimulata, ſed vera & ardens στοργὴ inter cervum & cervam, ita jubet complexum conjugum plenum eſſe veri amoris, ac plenum ſuavitatum. Mirabili conſilio Deus hanc vitam variis voluptatibus referſit, ut autorem agnoſcamus, nóſque verè ei curæ eſſe ſtatuamus, ac præcipuè conjugio hanc ſuavitatem Deus addit, ut ſocietatem juvemus ardentiùs & majori ſtudio colamus.

Paulus etiam hoc addit, hunc conjugum amorem eſſe imaginem ardentiſſimi amoris Filii Dei erga Eccleſiam. Quem quidem & nos imitari debemus. Itaque intuens conjugem ſimul

cogita-

cogitabis, hac te conſuetudine admoneri, ut ſimili amore Eccleſiam complectaris. Ac profectò profani ac duri ſunt, qui ita fruuntur hac ſuavitate, ut obliviſcantur Eccleſiæ: nec aliquando cogitent, domeſticum amorem imaginem eſſe debere amoris erga Eccleſiam, hoc eſt, ad literarum & doctrinæ defenſionem, præſertim cùm hæc tota ſocietas vitæ ideo inſtituta ſit, ut in ea luceat Dei notitia, quæ quidem maximè in familiis & inter conjuges celebrari debet, quod cum ſit, tota conſuetudo eſt dulcior, & adeſt Deus opitulator leniens incommoda, ſicut ſcriptum eſt de pio marito: hauriet voluptatem à Deo.

Iohanni Heſſo S.D.

Ep. 126. SAlve frater chariſſime. Falleris, *Heſſe*, ſi quem putas te mihi chariorem. Quem ut primùm agnovi, ita ſum complexus, ut alium neminem. Neque enim modium illum philoſophorum expectandum cenſeo in *Chriſtiana* amicitia, quem illi antè exedendum arbitrantur, quàm amicum voces eum, qui cum familiaritas aliqua intercedit tibi. *Chriſtianum* pectus omnia habet in aperto, ut videar mihi ſemel te totum noviſſe. Quare velim ſic ſentias, (nihil enim φιλοφρόνως ſcribo, ſed ſimpliciter ac verè) vehementer amari te à nobis. Quod ſtudium reipſâ olim declarabimus.

Ægré jam multos menſes deſideravimus literas tuas. & tabellio qui has attulit, non plus uno die nobiſcum fuit, ut commentari de quibus volebam, cum homine non licuerit. Negotium fecit ejus feſtinatio reſpondendi ex tempore, alieniſſimo, ita credas, loco. Ut valeas opto, magis verò optarim, ut quocunque modo valeas, animo ſis *Chriſtiano* veréque forti. Rudimentum puta *Chriſtianæ* militiæ, ſi valetudo parum læta ſit. Archetypon *Chriſtum* habes, quem effinges modis omnibus: proximè verò effinxeris cruce, imò ut dicam θεολογικῶς, implebis quod deeſt afflictionibus *Chriſti* in Carne tua.

Molbano tam brevi ſpacio, fieri vix potuit noſtri copia, tamen commentatus ſum cum homine quædam ἀεὶ παιδαγωγεῖν, vulgaribus ſcholis mirè cupiens addi rationem condendi carminis; Rhetorica, uſúmque declamandi, quatenus res permittit. Et quia Philoſophicum quid poſcebat, cenſui ipſi ſibi ſcribendum de natura hominis, de qua nondum video dignè quiddam ſcriptum à noſtris hominibus. Animantium, gemmarum, herbarum, elementorum, ſulminum, ac ventorum naturas *Plinius* ſuppeditat. De homine nemo, quod ſciam, aptè ſcripſit. Quidam mihi de anima *Caſſiodorum* impenſè laudavit, quem nondum vidimus, brevi ut ſpero viſuri. Is ſi quid habebit dignum ſtudio, mittam. Ego in obeliſcis ſententiarum oſtendam, quibus locis in natura hominis hallucinati ſint magiſterculi illi τριβόλοι.

Gratias ago pro muneribus, magis autem pro tam amico animo, à quo hæc proficiſcuntur. Mi *Heſſe*, nolim putes auctorari animum meum muneribus. Quare parciùs donatum velim, & poſthac hoc genus nugas omitte. Aſpernarer donum, niſi ſcirem ab candido pectore profectum, nec in hoc miſſum, ut nos tibi obſtringas jure ἀντιδώρων ut cum Jureconſultis loquar, ſed ut teſſeris ſtudium tuum in nos; qui certè ex animo tibi bene volumus.

Callimachum excuſum typis vidimus ac legimus, pulchrè placet. Placet & *Sanaſarii* carmen, quanquam alicubi ſui diſſimilis ſit. Nec credas, quantum geſtierim his mihi verſibus decantatis:

> ——— *Sopor ſuus humida miſcet*
> *Æquora, ſopito conniven͂t ſidera cœlo.*

Atque hæc quidem erant, quibus ad Epiſtolam tuam reſponderemus. Nunc ad tuum προμήθειαν reſponſuri. Libellus *De paupertate Euangelica* nondum eſt typis expreſſus. Epiſtolam *Eraſmi* ad Cardinalem *Moguntinum* probè deſcriptam & à me recognitam mitto. Mitto item *Huſſum* & contra *Colonienſes* & *Lovanienſes*. Et declamationem meam in *Paulum*, unà cum longa Epiſtola in eodem libello tibi inſcriptam.

Orationem tibi dedicaveramus. Sed officii gratiam legatus quidam Cæſareanus intercepit, cui inſcribenda fuit oratio, aulæ ſtudio, hoc eſt, aſſentandi gratiâ. Sic enim ſenſim & nobis Theologis faciendum videtur juvandæ publicæ cauſæ ſtudio. Oratio durinſcula eſt infeliciter excuſa. Politiorem ſpero videbis aliam, eámque ſolius tuam. Argumentum juſtificationis in quo verſatur ſedulò *Paulus* nondum dignè tractavimus, quanquam nec iſto modo quiſquam veterum ſcriptorum tractaverit.

Doctor *Martinus* hoc tempore occupatior eſt, quàm ut poſſit enarrare Prophetam aliquem, quanquam futurum ſperem, ut parte laborum abſoluta, niſi eum nobis Deus eripiat, impulſus ſcribat Commentarios vel in *Geneſin* vel in *Eſaiam*. Nam non paulò difficilior *Geneſis* eſt *Eſaia*. Id quod jam experimur, qui in ea fere toti ſumus. Ac neſcio an hoc tempore aliquid aſſecuturi. Infidi codices *Latini*, *Hebraicis* male reſpondent. Interpretes ita frigent, ut me propemodum pudeat ignaviæ noſtræ, qui omnibus artibus expolitis & perveſtigatis, in iis literis ceſſamus, quibus nihil ſalutarius, nihil verius, nihil elegantius, nihil ſublimius fingi poteſt. Neque enim in eorum ſum ſententia, qui craſſulas & idioticas putant ſacras literas. Crede, *Heſſe*, majus aliquid & ſublimius eſſe, quàm ſit hominum philoſophia.

Matthæum nondum abſolvi. Nec eſt quod annotationes ſeu ſcholia noſtra deſideres. Breviùs æquo tractavimus Euangeliſtam, magis προοιμιαζόμενοι ac præludentes juſtæ enarrationi. Jam ad obeliſcos ac *Pauli Romanos* accingor. Obeliſcorum opus creſcit mirè. Nam non ut cœperam annotationes, ſed locos communes ſcripturus ſum de Legibus, de Peccato, de Gratia, de Sacramentis, déque aliis myſteriis. Secutus ſum Rhetorum conſilium, qui locis communibus comprehendere artes jubent. Commentarium in *Romanos* ſive excudere placuerit, ſive non, ad te mittam diligenter deſcriptum, in quo philoſopheris.

Mirè vellem de ſtudiis tuis aliquid ſcripſiſſes. In Veteri Teſtamento multum negotii fieri tibi facilè credo. Quin tu in Novo verſare primùm, diligenter excutiendo ac meditando. Habes *Martini Galatas*, qui ſint *Theſei* fili vice, quod in labyrinthis harum literarum tutò ſequi poſſis.

Habes

Habes & quoſdam *Auguſtini* libellos. Et præter hæc, nihil. Nolo nimium tribuas *Origeni*, aut qui hunc ſecuti ſunt in enarratione ſacrorum.

Nondum certum eſt meditari *Eraſmum* cenſuram in *Auguſtinum*. Scripſit in eum futilis quidam *Anglus Edvardus*, multa odioſè inſectatus, in quibuſdam etiam fœdiſſimè lapſus. Tamen gaudebunt ſophiſticarum literarum patroni, anſam ſibi datam calumniandi bonarum literarum principem. *Martini* conciones conabor ſingulis feſtis dictas, adornare ſic, ut excudi poſſint. Inſignem, interim dùm abes, locum tractavit de ſacramento Euchariſtiæ, quem mitto, coactum in capita. Faciet enim ad inſtitutum tuum. Ipſe eandem tractabit copioſe *Germanicâ* oratione. Interim nolui te carere. Præter hunc, *Emmanuelem* & *Melchiſedeck*, Et Sabbathum tractavit. *Emmanuelem* ex verſiculis meis intelligis, Nobiſcum Deus, tollens peccatum, & confirmans per gratiam. *Melchiſedeck* Rex juſtitiæ eſt. Juſtitiæ Rex autor gratiæ eſt. Sabbathum eſt, quo natura operari ceſſat, Sed in nobis *Chriſtus* operatur. Hæc cogitatione ſequeris.

Novi quod ſciam nihil eſt. Rumore vulgi, & probabili quidem, jactantur hîc diræ Pontificiæ, quibus *Martinus* dicitur devoveri. Nos omnia ingenti animo expectamus. Tu pro nobis ora. Emori malim, quam ab hoc viro avelli, tamen ſi ita fuerit viſum Opt. Maxim. ferendum eſt, ἀνάγκῃ ut *Græcus* poëta ait. *Erphordiani* de *Lipſica* diſputatione non judicabunt, abſterriti, ut credo, exemplo *Colonienſium* & *Lovanienſium*. *Parrhiſii*, quid facturi ſint neſcimus. Ante paucos dies è *Parrhiſiis* accepimus, eſſe ibi quendam primi nominis Theologum, qui noſtras partes etiam ſcripto tueatur. Cujus ſi qua ad nos venerint exempla, & tu videbis.

Eccius Romam profectus eſt. Pontifici Maximo ſuum librum de *Romana* Tyrannide judicandum oblaturus eſt. Vide hominis glorias. Scripſit & *Lypſiæ* quidam *Minorita* contra *Martinum* de *Petri* poteſtate, opinor *Lipſenſium* ſuffragiis adjutus, quem librum nondum vidimus, nempè quem nondum abſolverint *Chalcotypi*. Jam excuditur hic *Martini* de bonis operibus nondum abſolutus libellus. Item, *Feltkirchii Licentiati* contra *Colonienſes* & *Lovanienſes*.

Crotus nihil ex *Italia* reſpondet. Salutabis hominem per me amicè. Extemporalitatem excuſabit tabellio. Vereor ut legere quædam in hac Epiſtola poſſis, verùm ſarciemus alio tempore, ſi qua hæc jactura eſt. *Adrianus*, qui *Lovanii* docuit *Hebraicas* literas, conductus eſt à Principe *Friderico*. En ejus Epiſtolam ad *Crantualdum* & *Vittigerum Hebraicam*. Multis ad vos linguis ſcribimus, quantumvis occupati homines. Vale animæ dimidium meæ, & ſæpe ſcribe. Die XVII. Aprilis, Anno M. D. XX.

Iohanni Heſſo S. D.

Ep. 127. QUanta ſit fragilitas rerum humanarum quotidie multi & graves caſus admonent homines. Amiſimus *Mezaleri* filium, optimæ ſpei puerum, ſed admodùm imbecilli corpore, ut eventus oſtendit. Invaſerat enim morbus Ictericus: Medici adhibiti ſine periculo eum ægrotare judicârunt, ſed ſequuta colica & Epilepſia ita afflixit corpus, ut paulo pòſt adoleſcens extinctus ſit. Scio te & multos bonos viros in magno luctu fore. Mihi quoque magnum dolorem adſert hic caſus. Nam & propter memoriam patris, & propter ipſius adoleſcentis ingenium diligebam adoleſcentem. Meque ſtudioſè audiebat, ac feliciter promovebar. Sed oportet nos morem gerere voluntati Dei: Et non dubito eum ad meliorem vitam traductum eſſe, quia ex eo numero eſt, de quibus *Chriſtus* inquit: *Non eſt voluntas Patris, ut pereat unus de parvulis iſtis*. Hanc conſolationem duco vobis tuendam & magnifaciendam eſſe. Et adoleſcens admodum erat amans pietatis & doctrinæ *Chriſtianæ*. Committo vobis matrem, ut eam conſolemini. De te accerſendo jam habitæ ſunt deliberationes. Quæſo ſignifices mihi voluntatem tuam. *Wittebergæ* M. D. XXXIX. Die viſitationis *Mariæ*.

Iohanni Heſſo S. D.

EXhibebit vobis Magiſter *Iohannes*, civis veſter, brevem quidem, ſed tamen veram hiſtoriam noſtri congreſſûs in Urbe *Vangionum* cum *Eccio*. Ubi edetur diſputatio, leges res ipſas. Utinam potuiſſemus pergere, ac de cæteris materiis diſſerere. Nam hæc prima controverſia de peccato in renatis adhuc tenuior eſt. Sed hic congreſſus fuit eis προγύμνασμα tale, ut non videantur rurſus admiſſuri diſputationem publicam. De conventu *Ratiſponenſi* adhuc incerta res eſt. Nam & de loco ambigitur: aliqui *Normbergam*, alii *Wormaciam* anteferunt *Ratiſponæ*, & Imperatorem *Carolum* adverſa valetudo hactenus detinuit *Spiræ* & *Edelbergæ*. Deus gubernet & ſervet Eccleſiam Filii ſui Domini noſtri *Ieſu Chriſti* qui pro nobis victima factus eſt. Minantur Eccleſiæ hinc Tyranni addicti impiis Pontificibus, illinc *Turcica* barbaries, & exercent nos aliæ ærumnæ. Planè imago eſt temporis *Maccabeorum*: Ideo oremus Deum, ut nobis adſit. De rebus *Turcicis* & *Pannonicis*, quæſo aliquid ſignificate. Benè vale. Die meo natali M. D. XLI. XVI. Febr. Saluta meis verbis amanter D. *Ambroſium Moibanum*. Mitto tibi ſententias hîc proximè diſputatas, in quibus eſt *Wormacienſis* cauſa. Ep. 128.

Iohanni Heſſo S. D.

ACcepimus tuas literas *Lutherus* & ego de *Bohemo Medico*, redditas à *Michaele Carnoviano*. Sed, mi *Heſſe*, invidit nobis omnibus fortuna *Bohemum* illum medicum. Nam paucis diebus pòſt, cum jam accepiſſet tuas literas humaniſſimè ſcriptas, deceſſit è vita, extinctus, ut multi ſuſpicantur, veneno à quodam ὁμοτέχνῳ. Maximum ſui deſiderium reliquit amicis omnibus. Erat enim & probus, & in curanda mentagra ac peſtilentia feliciſſimus. Cujus rei poſſem multa exempla narrare. Itaque & æmuli, cum alioqui detraherent ei cæteras artes & laudes, tamen hæc duo præconia relinquere Ep. 129.

ei cogebantur. Ac mihi viſus eſt etiam de aliis morbis prudenter judicare. Ego planè familiariter doleo, eum nobis tam immaturâ morte ereptum eſſe. Sed poſtquam ita Deo viſum eſt, fati vis ferenda eſt. Hæc ad te ſcripſi, ut intelligeres nuncio *Michaeli* non fidem aut diligentiam, ſed fortunam defuiſſe. Commendo igitur tibi *Michaelem*, ſi qua in re adjuvare poteris.

Novi planè nihil habemus. Nam de pacificatione, quam *Moguntinus* molitur, votum adhuc magis eſt, quàm ſpes. Utrinque certorum hominum cupiditate conſilia pacis impediuntur, etſi noſter Princeps non deſinit ſummo ſtudio ac fide de pace agere. *Chriſtus* fortunet honeſta conſilia. De *Turcis* hic ſilentium eſt, de quibus ſi quid habes certi, obſecro te, ut mihi ſignifices. Benè ac feliciter vale. *Lutherus* juſſit tibi ſuis verbis ſalutem adſcribi. Feria V. μετὰ τὴν τῆς ἁγίας τριάδος.

Iohanni Heſſo S. D.

Ep. 130. ETſi vincis me aſſiduitate ſcribendi, tamen amore, ſtudióque mutuo paria ſemper me facturum eſſe ſcio. Quare te rogo ut boni conſulas, quòd interdum non reſpondeo literis tuis, ídque condones occupationibus his, in quibus verſari me non ignoras. Tu interim gratiſſimum mihi feceris, ſi præſertim de veſtratibus rebus ſæpiſſimè mihi ſcripſeris. Conventus nunc agitur Principum noſtrorum, in quo deliberatur de Synodo, quæ etiamſi non eſſet futura, tamen noſtris proſpiciendum eſt, nè imparati opprimamur. Adſunt *Lutherus*, *Oſiander*, & plurimi alii ex civitatibus concionatores. Adhuc initia ſunt Conventûs. Ideo de rebus ipſis nondum ſcribo, de quibus poſt κρίσιν, aliquid à me expectabis. Benè vale. D. *Andream Sarmatam* virum optimum & egregiâ humanitate ac doctrinâ præditum tibi commendo.

Johanni Heſſo S. D.

Ep. 131. DEum æternum Patrem liberatoris noſtri *Ieſu Chriſti*, qui verè eſt autor vitæ, oro ex animo, ut tuam vitam defendat, téque ſervet incolumem, graſſante lue in veſtris regionibus, eoque beneficio glorificet ſuum nomen, ac declaret ſe ſuos milites protegere. Nunc lues & in *Thuringia* graſſari cœpit. Labaſcit orbis terrarum & impendet fatalis aliqua mutatio. Nec dubito te, quanquam urbis mœſtitia ſatis exercet animum tuum, tamen circumferre oculos, nunc in *Pannonias*, nunc in *Germaniæ* partem. Oremus Deum, ut & *Turcicam* Barbariem reprimat, & ſedatis *Germanicis* tumultibus Eccleſias ſuas ſervet. Ac ſpero placidam κατάστασιν. Etſi heri literas accepi, in quibus ſcribitur pulſo *Brunſuicenſi* aliquos jam ſe paráſſe, ut eum reſtituant in patriam. Sed in ſpeciem hoc moliri eos arbitror, ut ſunt θρασύδειλοι. Si quid moverint, excitabunt magnum motum. Deus adſit noſtris. Benè vale. Die *Auguſtini*. Anno M. D. XLII.

Iohanni Heſſo S. D.

Ep. 132. ETſi vident Reges & Principes *Turcicum* tyrannum jam graſſantem in *Pannoniis*, *Ger-*

A *maniam* etiam appetere: tamen nunquam magis inter ſe diſcordes fuerunt. Conventus *Norinbergenſis* nihil adhuc quidem, niſi acerrima certamina habuit, de *Geldria*, de *Brunſuicenſi*, & de talibus domeſticis negotiis. Communis ſalus *Europa* poſtponitur rebus privatis. Nec ſuis nec Eccleſiæ periculis Principes afficiuntur. Impendent igitur fatales pœnæ, quas ut Deus mitiget oremus, & animos noſtros confirmemus, nè propter hæc pericula abjiciamus ſtudium Eccleſiarum docen-
B darum & fovendarum. Certum enim eſt Deum Eccleſiæ reliquias conſervaturum eſſe, etiamſi Imperia variè diſſipabuntur. Hac de re aliquid dixi in *Paulina* oratiuncula, quam tibi mitto pro illa prima quam tibi ante annos duos & viginti inſcripſi.

Simul autem tibi commendo *Cratonem*, qui & prædicat tua beneficia cum magna gratitudine, & rogat ut nunc ſibi viaticum alicunde conficias apud eos, quorum ſcis voluntates erga ſtu-
C dioſos propenſiores eſſe. Offert operam Reipub. vel apud vos vel alibi. Et ſi poterit diutiùs nobiſcum eſſe, inveniet conditionem honeſtam. Nam & literis ac ſolidâ doctrinâ præclarè inſtitutus eſt, & mores ſunt honeſtiſſimi. Rogo igitur, ut ejus egeſtati opem ferri cureris, hoc difficili tempore. Nec volet oneri vobis eſſe deinceps, ubi jam à vobis adjutus ex his difficultatibus emerſerit. Magnopere oro, ut ſi ego videor mediocriter ſervire ſtudiis, meâ causâ etiam ju-
D vari *Cratonem* cures. Tuus codex *Nazianzeni* eſt penes *Camerarium*, ut opinor. Nam *Baſilea* habent ſimilem, & ut audio, locupletiorem. Perſpexi totum, & quanquam monumentum eſt dignum Bibliothecis, propter controverſiam de Trinitate, tamen præter eam cauſam, non multa continet διδασκαλικά. Benè & feliciter vale. Die Æquinoctii verni, M. D. XLIII.

Iohanni Heſſo S. D.

E

HOrtator fui huic Magiſtro *Iohanni Pecelio Suidnicenſi*, ut ad vos proficiſceretur, ubi exiſtimabam in locis tranquillioribus facilius inventurum munus Eccleſiaſticum. Sed tamen Deum oramus, ut pœnas mitiget. Integritas autem & eruditio hujus Magiſtri *Iohannis* eximia eſt, & diu nobis cognita & perſpecta. Feliciter docuit *Budiſſinæ* & *Torgæ*. Poſtea præcipuam ſcholam *Brunſuicenſem* gubernavit, delectus ad Ep. 133.
F eam rem ſingulari conſilio. Nunc cum ætas ſit maturâ Eccleſiæ gubernandæ, optârim eum præfici alicui Eccleſiæ, quam ad rem eum vobis commendo. Benè valete. Die XXVIII. Octob. M. D. XLVI.

Iohanni Heſſo S. D.

CUrionem ſemper propter ſingularem doctrinam in univerſa Philoſophia & ſummum Ep. 134.
G candorem feci plurimi: quare cum iter ad vos haberet, duxi eum tibi commendandum eſſe. Spero te talem virum propter excellentem virtutem ultrò complexurum eſſe: Peto tamen abs te pro noſtra amicitia, ut eum etiam noſtrâ cauſâ amanter excipias, & diligenter adjuves in his negotiis, quorum cauſâ proficiſcitur. Scio optimè collocari in eum beneficium: atque idem tu

tu judicabis, cùm hominem familiariùs nôſſe experis. Quicquid in eum vel ſtudii vel beneficiorum contuleris, putabo in me ipſum collatum eſſe. Valde enim volo ejus dignitati & commodis conſultum. *Romanos* meos haud dubiè jam vidiſti, in quibus *Pauli* cauſam expoſui diligenter: Sed tuum judicium requiro. Benè vale. M. D. XXXII. Die *Lucæ*.

D. Ambroſio Moibano Paſtori S. D.

Ep. 135. Tuam concionem ad Epiſcopum *Uratiſlavienſem* legi, quæ mihi quidem cogitanti de ſollicitudine Eccleſiarum veſtrarum lachrymas movit. Scio ubique in *Germania*, præſertim in ditionibus Epiſcoporum, multas eſſe Eccleſias ſine paſtoribus. *Eichſtetenſis* cùm ea de re apud *Carolum Contarenum* quereretur, reſpondit *Carolus*, ſe ex *Italia* miſſurum *Italos* Sacerdotes, quos præficeret. Rident nos, mi *Ambroſi*, & ſeditioſos ac ἀλάστορας patriæ & Eccleſiæ vocant. Ideo deſino eis concionari. Donec Deus mihi vitam concedet, doctrinam piam, ut potero, explicabo, ut ſcholis ſerviam. Ab illis Collegiis Epiſcoporum non expecto emendationem rerum. Metuunt Pontificis *Romani* fulmina, metuunt Reges, metuunt nobilitatem, denique OMNIA METUUNT PRAETER DEUM. Scio quid mihi acciderit tentanti quorundam voluntates. Quare noſtrum officium faciamus & Deum precemur ut Eccleſias noſtras ſervet ac defendat adverſus *Turcorum* arma, & det pios paſtores, & gubernet juventutis ſtudia. Illos Canonicos ſinamus frui ſuis opibus, & ἐντρυφᾶν τοῖς νόμοις καὶ μεγαλύνεσθαι ἐκκλησιῶν. Benè vale. IV. Decembris. Anno M. D. XLI.

D. Ambroſio Moibano S. D.

Ep. 136. Credo equidem te, ut multos alios pios penè contabeſcere curâ & mœſtitiâ in his publicis & *Germaniæ* & Eccleſiæ periculis. Hoſtis barbarus eſt in vicinia, præſidia tarda ſunt, ſi qua ſunt: & quod eſt indigniſſimum hac natione, ἄνευ στρατηγοῦ. Fratres Cæſares impediti ſunt. Etſi igitur magnæ mutationes rerum metuendæ ſunt, tamen nos, qui ſcimus Eccleſias funditus deleri non poſſe, non frangamur animis, ſed ſperemus à Filio Dei auxilium. Stat pro populo ſuo Dux magnus, inquit *Daniel* de his ipſis temporibus. Salutem opto D. *Heſſo*, & toti Eccleſiæ veſtræ, quam Deo curæ eſſe non dubito. Benè vale. Die XXIX. Decemb. Anno M. D. XLI.

D. Ambroſio Moibano, D. Heſſo, & M. Winclero S. D.

Ep. 137. Non dubito nos cæteris Eccleſiis debere hoc officium confirmandi τὰς χειροτονίας, ut *Paulus* docet in Epiſtola ad *Titum*, & teſtatur *Nicena* Synodus. Quare Deum precor, ut vocationem *Bartholomæi* comprobet, & miniſterium adjuvet, ſicut promiſit ſe piis miniſtris adfuturum eſſe. Et quanquam horribiliter graſſatur *Turcica* Barbaries, tamen ſpero & confido Eccleſias Deo curæ futuras eſſe. In principibus quid ſpei ſit, neſcio. Ego me hac conſolatione ſuſtento, quod ſcio ſcriptum eſſe apud *Danielem* de his ipſis tem-

A poribus: Tunc ſtabit Dux Magnus & præliabitur pro filiis populi ſui. Hoc duce *Chriſto* reliquiæ Eccleſiarum ac ſtudiorum ſervabuntur. Fuerat exortus apud nos inter Duces *Saxoniæ* tumultus à *Caronicorum* furiis excitatus, de oppido Epiſcopi *Miſnenſis*: Sed Dei beneficio, rurſus ſedatus eſt. Labore & magnis contentionibus *Landgravii* perfectum eſt, ut iterum dimiſſi ſint exercitus, quos contraxerant Duces *Saxoniæ*,
B ut ex ipſo *Bartholomæo* audietis. Benè & feliciter valete. Die Aprilis XVII. Anno M. D. XLII.

D. Ambroſio Moibano S. D.

Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua, ſed venientes adferebant manipulos ſuos, inquit *Pſalmus*, ut ſcis, ſignificans inter magna pericula propagari doctrinam, & colligi æternam Ep. 138.
C Eccleſiam. Sed Deus aliquem cœtum, à quo invocatur, proteget, & ſervabit reliquias, quas quidem pii Doctores fovere etiam debent. Hic Magiſter *Johannes Pecelius Suidnicenſis* vir honeſtus & doctus eſt: Feliciter olim *Budiſſinæ*, & *Torgæ* docuit, poſtea *Brunſuigæ* præcipuam ſcholam gubernavit, & ad id munus ſingulari conſilio delectus eſt. Nunc me hortatore, in loca tranquilliora proficiſcitur, & ſuaſi, cùm ætas, eruditio, mores congruant Eccleſiaſticæ gu-
D bernationi, ut potiùs ſerviat in miniſterio Evangelii. Quare vos Eccleſiam ei aliquam commendare optarim. Benè vale. Die XXVIII. Octob. Anno M. D. XLVI.

D. Ambroſio Moibano S. D.

Reverende vir, & amice chariſſime, Quod Ep. 139. fauſtum & fœlix ſit, proficiſcitur ad te Filius *Zacharias*, me etiam probante conſilium de
E profectione. Nam & ipſe pio deſiderio parentum afficitur, & vobis ſpero ejus conſpectum voluptati fore, & ut lætus complectare tuos, toto pectore opto. Rectè didicit *Zacharias* philoſophiæ initia, & ſpero eum Eccleſiæ Dei utilem fore. Nam & mores ſunt honeſti. Filius *Johannes* nunc *Auguſtæ* eſt, quò & ipſius diſcipuli profecti ſunt, & mihi in aliorum Epiſtolis ſalutem adſcribi juſſit. Decrevit etiam ſuæ valetudinis cauſâ dedere ſe artis Medicæ ſtudio: qu... re ſpero firmiorem fore, cùm erit ætatis ἀκμῇ. Nam ſæpè animad-
F verti corpora adoleſcentum ante ἀκμήν, cùm creſcerent, multis morbis conflictati, quæ poſtea confirmata ſunt, conſumptis illis humoribus redundantibus. Dominus noſter *Jeſus Chriſtus* Filius Dei, te & tuos clementer ſervet. Benè vale. XXII. Octob. *Oſiander* movebit non parva certamina. Deus adſit nobis.

Erhardo Sneppio S. D.

G Nuper ſcripſi tibi de meis privatis rebus, in Ep. 140. quibus eam & prudentiam & fidem præſtitiſti, ut libenter & fatear & prædicem, me tibi per omnem vitam debere, daboque operam, ut re tibi gratiam aliquando referam. Sed nunc de publicis. Princeps *Cattorum* ſignificat nobis, magnoperè ſe optare, ut moderatè tractes *Blarerum*. Ego etſi ſcio, te non ſolum fideli-

ter, ſed etiam prudenter verſari in miniſte- A rio Evangelii: tamen non potui facere, quin ad te ſcriberem, præſertim poſtulante Principe. Primùm, mi chariſſime *Erharde*, vides viciniam, quæ ſi damnari ſuas Eccleſias penitùs viderit, quanta eſt futura conſcientiarum perturbatio, quantum odium totius renovatæ doctrinæ? Mihi illa fulmina anathematum nunquam placuerunt, etiamſi quid in aliquibus deſiderabam. Deinde cum ſpes ſit aliqua fore, ut B de concordia agatur in illo ipſo Articulo Cœnæ Domini, diſputationes quaſdam in illud tempus optarim rejici.

Hodie egi cum *Luthero*, de formula Concordiæ, quam ſcis propoſitam eſſe à *Bucero*. Ait ſe eam probare, modò ut ſic ſentiat. Scis autem qualis illa formula fuerit. Confitetur, datis rebus illis Pane & Vino, verè & ſubſtantialiter adeſſe *Christum*. Ego quidem nihil requirerem ampliùs. Sed tibi non fero leges. Tan- C tùm te oro propter *Christum*, ut cogites ſananda potiùs, quàm exacerbanda eſſe hæc diſſidia. Me non pœnitet mei conſilii, quod hactenus à his rixis ferè omnino abſtinui. Ac de tota re malim coràm tecum loqui. Spero autem fore, ut hac de re Principes cogant aliquam Synodum, idque brevi; Et ſcio hoc in deliberationibus eſſe. Jam aditus ad Concordiam patefactus eſt per eam interpretationem, de qua cum *Luthero Bucerus* convenit; Deinde per *Ambroſii* in- D terpretationem, de qua tecum convenit. His occaſionibus utamur ad conciliandas Eccleſias, & ſanandas mentes ambigentes. Magnum eſt fateri præſentiam veram & ſubſtantialem. Illa ſcis ignota fuiſſe veteri Eccleſiæ, quæ de mutatione Panis, de diviſione corporis & ſanguinis plerique poſtea diſputarunt. Hæc ſcripſi optimo ſtudio, idem ſpectans & ſentiens quod tu. Non enim tecum pugno, nec patrocinor adverſariis. Sed conciliari Eccleſias optârim, & viciniæ E ſtatu afficior, téque hæc in optimam partem interpretaturum eſſe ſpero, idque ut facias te etiam atque etiam oro. Benè & feliciter vale. XVI. Septembris, M. CC. XXXIV.

Erhardo Sneppio S. D.

Ep. 141. NUlla in Cœlo & in terris ardentior vox audita eſt, quàm precatio Filii Dei in illo admirando agone, in quo orat æternum Patrem, ut faciat, ut nos unum in ipſo ſimus. Ad hujus F ſummi Sacerdotis noſtri precationem, ſcio te quoque vota, gemitus, & lachrymas tuas adjungere; Et ſpero conſenſum in his Eccleſiis, ipſo filio Dei juvante, manſurum eſſe. Reſponſionem meam de communicatione ἰδιωμάτων, & de Mediatore ad Marchionem, vobis miſſurus ſum, quamprimum totam deſcripſerò. Et te volo, ut Judicem legere; præterii quædam, de quibus tecum & cum aliis, omnino Deo juvante collo- G qui volo. Viro integerrimo D. *Stigelio* gratiam & debeo & habeo, quòd ad nos acceſſit. Benè vale.

Erhardo Sneppio S. D.

Ep. 142. QUanquam in hoc communi Eccleſiæ & harum regionum luctu, aſſiduam mœſtitiam ubique bonæ mentes circumferunt: tamen ubi Eccleſiæ tranquillæ ſunt, & judicia voluntatéſque de doctrina congruunt, ſi non minor eſt dolor, tamen minùs impeditur invocatio. Tali loco cum ſis, & habeas collegas, viros bonos, & doctos, ſpero tibi nonnihil leniri exilii difficultates, téque pro ut ad nos interdum ſcribas. Semper enim & vox doctrinæ apud nos vobiſcum congruet, & benevolentia erit perpetua. Nec bene faciunt quidam veteres amici noſtri, qui nunc Eccleſias noſtras falſis probris traducunt, cum quidem miſericordia ſervitutis noſtræ magis adfici debebant. Ipſi enim in libertate minùs ſuſtinent certaminum quàm nos. Sed hæc alias. Collega noſter *Vitus Winſhemius*, vir doctus & integer, ad vos expatiatur, quem ut complectaris, te adhortor. Mihi cum eo vetus & firma amicitia eſt, multis illius officiis erga me confirmata, & ſtudia hic præclarè adjuvit. Spero ejus congreſſum tibi gratum fore. Benè vale, XIX. Julii. Salutem opto collegis.

Erhardo Sneppio S. D.

POſt iter *Davidis* noſtri, Dux *Lignicenſis* Ep. 143. *Lipſiæ* cum *Joachimo* de ſuis Eccleſiis collocutus eſt, eique mandata ad me dedit. Mitti ad ſe petit Virum doctum, gravem & peritum gubernationis Eccleſiarum, qui ſit & lector Theologicus in Urbe *Lignicia*, & inſpector Eccleſiarum totius ditionis. Additurus eſt & alios lectores, ut coràm ex *Joachimo* & me audire poteris. Genus hominum placidum & officioſum eſt. Linguæ ſonus non alienus à noſtra conſuetudine, Mundities victus eximia eſt. Itaque certam, piam, & honeſtam functionem ibi habiturus es, ſi eam accipere voles. Benè & feliciter vale, & quamprimum voluntatem tuam ſignificato. Die XXII. Maii.

Erhardo Sneppio S. D.

DAbis veniam mœrori & occupationibus Ep. 144. meis, qui non ſcribo prolixiùs. Primùm autem ago gratias Deo, quod *Lycaonem* repreſſit, nè plus noceret. Mitto autem pagellas meæ reſponſionis de vicinorum controverſiis, quas ego non movi, ſed reſpondi interrogatus. Nunc mihi Elector *Marchio* valde iraſcitur de priori parte, de qua inter ſanos nullam controverſiam fuiſſe aut eſſe exiſtimo, ſed vult me approbatorem eſſe *Iſlebianæ* propoſitionis, quod *Chriſtus* mortuus ſit ſecundùm divinam & humanam naturam. Quis unquam ſic locutus eſt? Poſſem tibi longam Iliada de his calumniis ſcribere, ſed Deo me commendo. Oro autem, ut legas & ſeverè judices. Nec disjunxi me unquam à te & à tui ſimilibus, nec me disjungam. Nec unquam volui novi dogmatis autor eſſe, ſed communem doctrinam ſonantem in Eccleſiis noſtris colligere & recitare conatus ſum, eo ordine, quem junioribus in diſcendo prodeſſe exiſtimavi. Et ſemper oro Filium Dei, ut ipſe Eccleſiam doceat, ſervet, gubernet, & me faciat organum Eccleſiæ utile.

Mihi nec potentiam nec opes quæſivi. Injurias tuli non leves, & nunc fero. Optarim autem

propter

propter gloriam Dei, & propter communem ſalutem quam plurimos in his Eccleſiis docentes conjunctiſſimos eſſe, [illegible]. Ac vides quanta ſint agmina, quæ palàm oppugnant Eccleſias noſtras. Et quotidie velut è *Titanum* ſanguine novi hoſtes naſcuntur: *Stenckfeldii* recens ſcriptum miſit mihi Senatus *Auguſtanus*, & refutationem flagitat; Jam *Stancarus* in *Polonia*, *Staphylus* in *Sileſia*, *Margita* in hac vicinia, *Funccius* in *Pruſſia* nos allatrant. Placidius & ex his regionibus, & ex hac vita diſcedam, ut hanc ingeniorum rabiem effugiam. Sed oro Filium Dei cuſtodem Eccleſiæ ſuæ ut nos gubernet & ſervet aliquos cœtus rectè docentes, & rectè diſcentes ac vera eum invocatione celebrantes. Benè vale & reſcribe, præſertim de tuo & generi tui viri doctiſſimi judicio de noſtris pagellis. Genero tuo Salutem opto. Die natali *Lutheri*.

Erhardo Sneppio S. D.

Ep. 145. I*Slebius* ſcripſit deprecatricem Epiſtolam ad Illuſtriſſimum Principem Ducem *Wirtebergenſem*. Eam ut tu optimo Principi exhibeas, oro te, & quidem per *Chriſtum*, qui hæc officia reconciliationum, ut ſcis, requirit, maximè placatum nobis Principem cupimus & efficiemus Deo volente teſtatum omnibus officiis, quæ nos quidem præſtare poſſumus, ut intelligant omnes, nos honori Illuſtriſſimi Principis ex animo favere. Et verſamur nos, qui docemus, in aliqua Reipublicæ parte. Ideò optandum eſt, ut Principes etiam propter hunc noſtrum laborem, quem Eccleſiæ & Reipublicæ præſtamus, ſint nobis placatiores. Me hìc tenuerunt adhuc *Anglicæ* diſputationes, ſed, ut ſpero, brevi te videbo. Rogo te, ut cauſam *Iſlebii* habeas commendatam. Benè vale. Poſtridie Paſchatis.

Erhardo Sneppio S. D.

Ep. 146. CUm veræ Eccleſiæ omnis generis pericula & agones propoſitos eſſe ſcias, ſpero te forti animo terre difficultates, quæ iſtic ut audio tibi acciderunt. Intellexi enim te migraturum *Stuggardia*. Quare cum utiliſſimè poſſis Eccleſiæ *Chriſti* ſervire in *Myſia* noſtra, quæ jam paret ſucceſſori Ducis *Georgii*, Duxi ad te ſcribendum eſſe, téque adhortandum ut in noſtras regiones te conferas. Nam extincto Duce *Georgio*, Eccleſiæ *Myſorum* inſtaurabuntur. Cogita autem, quantum acceſſio ampliſſimi Ducatus ad Euangelii propagationem, & ad publicam pacem allatura ſit momenti. Has tantas res diligentiâ tuâ in his locis adjuvare poteris. Quare te adhortor, ut ad nos *Wittebergam* venias, auditurus qualis tibi conditio in vicinia proponatur. Magna humanitas eſt gentis *Myſorum*, qui etſi *Homeri* ætate duriùs vivebant, tamen nunc nihil eâ natione civilius eſt. Illam tamen laudem, quam eis *Homerus* tribuit cùm Hominum juſtiſſimos vocat, tueri diligenter ſtudent. Peto autem ut quam primum mihi reſpondeas. Literas tuas *Ioachimus* ad me mitti curabit. Benè vale. Dominica *Iubilate*. Anno M. D. XXXIX.

[illegible]

Erhardo Sneppio S. D.

OPto, ut *Chriſtus* gubernet miniſterium tuum, ac provehat ad gloriam Dei, & ſalutem Eccleſiæ. Profectò enim nulla in terris difficilior eſt adminiſtratio, quàm Eccleſiarum hoc præſertim tempore, inter tot Scandala, in tanta vulgi licentia, in tanta ingeniorum petulantia. Sed hæc pericula vincet *Chriſtus*. Has literas reddet tibi vir optimus *Sigiſmundus Purus Auſtriacus* Sacerdos, qui nos audivit multos annos, & doctrinâ, gravitate, pietate & moderatione eximiâ præditus eſt. Diſcedit ex his regionibus propter valetudinem, alioqui libenter ejus operâ hìc uſi eſſemus. Commendo igitur eum tibi: Eſt enim idoneus ad docendam Eccleſiam. Quare ut ejus rationem habeas, te etiam atque etiam oro. Illuſtriſſimo Principi me ut commendes rogo. Decet nos propter publicam Eccleſiæ concordiam, ut mutuo nos amore complectamur, & ornemus Euangelium etiam Concordia noſtra. B. V. Ep. 147.

Erhardo Sneppio S. D.

GRatulor & Illuſtriſſimo Principi & vobis omnibus reditum ex *Auſtria* in patriam, de quo quòd me certiorem reddidiſti valde delectatus ſum & officio tuo, & literis, quæ quidem plenæ erant amoris erga me tui. Rogo itaque te, ut benevolentiam erga me tuam conſerves. Nam ego profectò ad utilitatem Reipublicæ ſummâ curâ refero & ſtudia omnia mea & conſilia. Deo volente, proximo vere viſere amicos iſtic conſtitui. Hunc Sacerdotem hominem probum tibi commendo, pollicetur mihi ſe ex tua voluntate facturum eſſe omnia. Nec habet aliam migrationis cauſam, niſi valetudinem. Novi nihil habebam. De Synodo non dubito, quin Cæſar in *Italiam*, præcipuè hanc ob cauſam venerit, ut Synodum indici curet. Magnæ deliberationis res erit, noſtris Principibus cogitare, quid & quomodo acturi ſimus? téque adhortor in hanc cogitationem ut incumbas, etſi nihil æqui ſpero poſſe impetrari à Pontificibus. Et ut vereor, aliqui ſimulabunt ſtudium Pontificis, ut perturbent *Germaniam*. Sed hæc alias. Benè vale. Pridie divi *Martini*, Anno M. D. XXXV. Ep. 148.

Erhardo Sneppio S. D.

HAs literas dedi *Laurentio Benio* Scholaſtico noſtro, propter quod ipſe affirmabat, tibi ſuam cauſam notam eſſe. Ait ſibi ab Illuſtriſſimo Principe ſpem factam eſſe alicujus ſacerdotioli ſeu ſtipendii, unde ſumptus ſtudiorum tolerare poſſit, ſi à me commendationem iſtuc rediens adferret. Cum igitur adoleſcens tantùm flagitet teſtimonium, quod ut impertiamur, jure gentium cogimur, dedi ei has literas, tibique confirmo hunc *Laurentium* ingenio valere, & naturam habere capacem bonarum diſciplinarum. Hìc benè promovit in literis, ſed paupertas ejus impedivit nonnihil. Diu enim victum ſibi operâ ſcribendi quæſivit. Si Illuſtriſſimus Princeps tantùm flagitat teſtimonium, rogo ut Ep. 149.

ei recites hanc meam Epiſtolam. Et puto te ſine offenſione ejus cauſam poſſe Illuſtriſſimo Principi commendare, ſi qua ei antea ſpes facta eſt. Si adjuvabitur ab Illuſtriſſimo Princi̇pe, *Tubingam* ſe conferet. Feceris honeſtè, ſi ingenium tale excitaveris & adjuveris. Scis enim hoc tempore rationem habendam eſſe Juventutis magnoperè, nè in tanta diſcentium paucitate, literæ & religionis doctrina extinguatur. Commendo, totum negotium tuæ prudentiæ & fidei. *Lutherus* Dei beneficio rectè valet, & hæ regiones tranquillæ adhuc quidem ſunt, & ut diu ſint, faciat *Chriſtus*. De *Turcis* etiam rurſus ſilentium eſt. Aiunt *Adrianopoli* exercitum *Turcicum* Peſtilentiâ diſſipatum eſſe. Bene Vale. XII. April.

Erhardo Sneppio S. D.

Ep. 150. SI fieri poſſet, mallem tibi nullos commendare, nè quid moleſtiæ tibi afferrem, ſed interdum hæc officia extorquet mihi neceſſitas. Illud autem cavebo, nè tibi homines malos aut improbos commendem. Hic tabellarius eſt *Lauffenſis*. Diu fuit Scholaſticus Academiæ noſtræ, poſtea quæſivit victum labore chalcographico, quem propter oculorum debilitatem, ſuſtinere diutiùs non poteſt. Homo probus ac modeſtus eſt. Quærit in patria aliquam conditiunculam ſibi & liberis ſuis. Ducitur communi hominum natura, ut domi apud ſuos vivere malit, quod mihi video non contingere poſſe unquam, etſi id promiſerunt *Aſtrologi*: Sed ego negotiis involvor & obruor. Commendo tibi hunc tabellarium, ut quantum potes, eum juves. Benè Vale. Dominica *Cantate*. M. D. XXXV.

Erhardo Sneppio S. D.

Ep. 151. SCripſiſſem prolixiùs, niſi hodie fuiſſent mihi longiores Epiſtolæ adornandæ ad Academiam *Tubingenſem*, quam ego non minùs amo, quàm noſtram. Spero utramque fore domicilia præcipua & *Chriſtianæ* doctrinæ & veræ Philoſophiæ. Mitto jam eò hominem excellenti doctrinâ præditum in *Græca* & *Latina* lingua, qui futurus eſt ibi profeſſor, ut ſpero. Conterraneus eſt Divi *Hieronymi*: Nomen eſt ei, *Magiſtro Matthia Garbicio Illyrico*. Tibi quoque eum commendo. Quæſo ut de veſtris rebus, de ſtatu Eccleſiarum, deque noſtra amicitia aliquid ad nos ſcribas aliquando. Nam te propter pietatem & ſingularem virtutem amo, ut quàm maximè. *Lutherus* te ſalutat. Has literas reddet tibi conterraneus noſter *Ludovicus Bebius* Vir doctus & probus, excultus in Academiis & aulis, quem tibi commendo. B. V.

Erhardo Sneppio S. D.

Ep. 152. VAlde delector amore tuo & benevolentiâ ſingulari, téque rogo, ut te à me ex animo amari ſtatuas. Veni *Tubingam*, ut ſum pollicitus, & cùm *Ioachimum* Dei beneficio mediocriter valere gaudeo, tùm verò & mihi voluptati fuit videre refloreſcentem Scholam. Habetis enim hîc multos egregiè doctos viros: Et *Ioachimi* voluntas optima eſt erga Scholam. Quare optandum eſt, ut aula horum ſtudia & voluntates præclaras adjuvet. Nam cùm horum temporum perturbationes, & ea quæ impendent cogito, magnopere contendendum vobis omnibus puto, ut hanc Scholam conſervetis. Niſi enim in hac & aliis ſcholis conſervatæ fuerint reliquiæ literarum & piæ doctrinæ, metuo funditus perituras eſſe. Scis autem curam retinendæ eruditionis pertinere & ad Principes, & ad cæteros qui præſunt. Illuſtriſſimus Princeps *Wirtebergenſis* clementer mihi ſignificavit ſuam voluntatem. Reſpondi ut ex me audies, ſi meâ operâ poſſem aliqua ex parte uſui Reipublicæ eſſe, mallem hìc apud *Ioachimum* quàm alibi vivere. Sed non video, quomodo poſſim avellere me ab iis, cum quibus hactenus verſatus ſum. Benè & feliciter vale. *Ioachimius* te amanter ſalutat. Brevi ero tecum.

A B C D E (margin letters)

Erhardo Sneppio S. D.

ETſi mihi tua benevolentia gratiſſima eſt, tamen meminiſti me ſcribere non tam conditionem me, quàm Principis benevolentiam expetere. Agnoſco enim meas vires non eſſe pares illis certaminibus, quæ iſtic præſertim in Academia, cujus ſenſum non ignoro, ſuſcipienda erunt. Itaque rem totam permiſi judicio ac voluntati Principis noſtri. Si omnino vult uti Dux meâ operâ, faciliùs impetrâſſet mihi commeatum, ſi ad tempus flagitâſſet. Sin illud agitur, ut mihi conſulatis, méque ex hoc exilio in patriam revocetis, illud etiam vobis cogitandum erit, an ſuſtinere ea certamina poſſim, ad quæ acceſſor. Sed ſcribam certiora, ubi voluntatem Principis noſtri cognovero, totámque rem voluntati Dei permitto. Benè vale. Ep. 153.

Erhardo Sneppio & Iohanni Brentio S. D.

HIc tabellarius flagitavit à me literas ad vos, & commendationem, in qua rogem, ut ſuâ operâ utamini in aliqua Parochia. Senex eſt honeſtus: Nam diu apud nos vixit. Nomen eſt *Georgio Torſo Norinbergenſi*. Non libenter ſum vobis oneri, ſed tamen facere non poſſum, quin homines calamitoſos ac bonos vobis commendem. Scio vos eſſe viros pios καὶ ζηλοῦντας τὴν ἀγάπην ἣ πάντα στέγει [illegible] στέγει. Cogor enim officio, nè deſim talibus. Benè valete. XIV. Septembris, Anno M. D. XXXV. Ep. 154.

Erhardo Sneppio S. D.

HAnc ad te Epiſtolam, chariſſime *Erharde*, ſcribo, Die XVII. April., quo ante annos MMM. DCCC. XXXI. *Noha* in Arcam ingreſſus eſt, quo exemplo teſtatus eſt Deus, ſe in diluvio orbis terrarum, hoc eſt, omnibus terribilibus mutationibus imperiorum mirabiliter ſervaturum eſſe Eccleſiam. Cum enim pericula ſint in conſpectu, hoc exemplum & ſimilia cogito, ut me ad invocationem Dei exuſcitem. Oremus, optime *Erharde*, Deum æternum Patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti*, ut Principes gubernet, & ſervet Eccleſias. Ep. 155.

F G (margin letters)

cleſias. Hodie iter ingredior profecturus ad *Colonienſem* Epiſcopum, etſi jam deliberationes abſolutas eſſe arbitror. Dedi autem hanc epiſtolam huic miſero *Stephano Ilsfeldenſi*, fratri mei famuli, qui in quadam perturbatione animi ſui tam longum iter ad fratrem in *Saxoniam* ſuſcepit. Narrat ſe duxiſſe uxorem, à qua cùm eam non plus duobus menſibus habuiſſet deſertus eſt. Mulier eum accuſat impotentiæ. Et ipſe fatetur ſe nunc quidem vires viriles amiſiſſe, ſed initio conjugii habuiſſe ſe incolumes adfirmat: ſéque faſcino & incantatione aliquâ læſum judicat: Sed quoquo modo ſe id habeat, ſi mulier eum deſeruit, ipſe extra culpam eſt. Illud tantum metuit, nè patrimonium amittat. Non video, cur amitteret ſi illa tantum allegat impotentiam. Rogo igitur te, ut hominem miſerum conſilio tuo & autoritate tuâ juves. Magnæ ſunt humanæ miſeriæ, quas lenire noſtris officiis quantum poſſumus & donec Deus concedit, ſtudeamus. Noſtra Academia Dei beneficio tranquilla eſt. Bene & feliciter vale, & aliquando ad me ſcribito. Die viceſimo ſeptimo Aprilis.

Erhardo Sneppio S. D.

Ep. 156. ACcepi tuas literas, de *Lypſico* negotio graviter ſcriptas & plenas amoris erga me tui. Nunc *Cruciger* & *Fridericus Myconius* præſunt Eccleſiæ *Lypſicæ*. Reddet tibi hanc Epiſtolam *Bernhardus Ebreus*, qui cupit vivere in veſtra regione. Quærit igitur munus æditui in aliqua Eccleſia. Ideo autem hinc diſcedit, quia ejus uxor conſuevit clàm cum alio, poſtea ortâ ſuſpicione furti de ipſa, mulier malè ſibi conſcia fugit. Quia verò non tolerabitur illa in noſtris oppidis, ſequi adulteram & fugitivam *Bernardus* noluit. Ipſe extra culpam eſt. Quare tibi eum commendo. Et hæc ſcripſi planè, nè ſecus de ipſo ſuſpiceris. Eſt homo probus. Quæſo ut propter hoc noſtrum teſtimonium habeas eum commendatum. In *Myſia* noſtra jam in omnibus oppidis Dei beneficio Eccleſiæ emendatæ ſunt. Bene vale. Die decimo ſecundo Septembris, Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo nono.

Erhardo Sneppio S. D.

Ep. 157. CUm ante annos duodecim *Ratisbonæ* eſſem, donabatur mihi Siclus gentis *Judææ*, quem *Luthero* donabam. Nuper verò *Norimbergæ* ſimiles fieri curavi. Et eram vobis allaturus, ſi iter per *Turingiam* feciſſem. Nunc in valle *Joachimica*, eos quidam imitati ſunt, ſed literæ agreſtiùs formatæ ſunt: mitto tamen. Mei fuerunt integri τετράδραχμοι. Neſcio pondus hujus numiſmatis quod in valle *Joachimica* amici cudi curaverunt, téque oro ut hanc ſignificationem benevolentiæ non aſperneris. Mitto & Academiæ *Gryphiſwaldenſis* reſponſionem ad *Baltici Periclis* ſcriptum. Bene & feliciter vale. Die decimo primo Maii. Salutem opto vobis omnibus.

Erhardo Sneppio S. D.

Ep. 158. CUm tabellarium ad te proprium poſt paucos dies miſſurus ſim, ſcribo breviùs. Interea mitto *Roſtochianam* Epiſtolam ſcriptam à Viro integerrimo *Burenio*, qui hoſpiti tuo, Viro præſtanti virtute & eruditione, D *Franciſco* notiſſimus eſt: Sed arbitror te in hac noſtra vicinia retineri poſſe, de qua re coràm loquemur. Conjugium *Victorini* & filiæ hoſpitis tui, ut ſit fauſtum & felix faciat Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* caſtus & caſtitatis amans, conditor generis humani. Bene vale. Die quarto Maii.

Ad Victorinum Strigelium, S. D.

CLariſſime *Victorine*: Sæpe recitavi verſus qui extant apud *Platonem* de concordia doctorum: ὁ χρυσὸς ἀγλαὸς, οὐδ' ἀδάμας ἴσως ἀστράπτει πρὸς ὄψιν, ὡς ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὁμοφρόσυνοι τινές. *Ep.* 159. Non aurum, non adamas ita fulgent, ut gratus eſt fulgor, conſenſus bonorum. Etſi autem cœleſtia dicta in eam ſententiam alia habemus graviora: tamen & hanc veterem vocem ſæpe repeto, ut ſtudium concordiæ in noſtro agmine confirmem. Audio iſtic neſcio quæ femina tumultuum ſpargi. Te oro, ut gravitate tuâ & animi moderatione totam eam rem diſſimules & obruas. Tacendo faciliùs ſanabitur id incommodum. Expatiabor ipſe ad vos quamprimum, & mederi iſti malo conabor. Mitto ad te adoleſcentem *Claudii Cantiunculæ* Juriſconſulti filium. Videtur puer bono ingenio eſſe, & ait ſe diſcedere ex Patria ſponte ſuâ, quòd Pater imperet quædam ſuperſtitioſa, quæ ſine offenſione conſcientiæ fieri non poſſint. Rogo ut quæras aliquem amicum cui ſerviat adoleſcens, & à quo victum aliquantiſper habeat. Bene vale. Die decimo quinto Julii, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo.

Ad Victorinum Strigelium S. D.

CHariſſime *Victorine*, Hic auditor tuus *Francus Altentorpius* narravit mihi ſe profecturum eſſe ad *Jera* Urbem, ac rediturum *Parthenopen* explorato ſtatu Academiæ in *Tyrigetis*. *Ep.* 160. Facies igitur mihi rem gratam, cùm reverſus fuerit, ſi ſignificabis, quid tecum in *Tyrigetis* actum ſit. Etſi enim peregrinos exercitus in eam regionem etiam adduci metuimus: tamen in Urbe nihil periculi fore ſpero, quæ ut doctrinæ domicilium & arx maneat, magnopere opto. Sed ſi redieris ἄπρακτος, deliberatio tibi de *Balthici* litoris Academia integra eſt. Expecto igitur vel tuas literas, vel teipſum. Etſi autem *Francum* tibi notum eſſe & probatum arbitror, quòd te ſtudioſè & audivit & colit: tamen ut eum amplectaris meâ causâ, magnopere te oro. Servire Eccleſiæ Dei vel in ſcholis, vel in templis cupit, & doctrinæ *Chriſtianæ* cognitione, & literis benè inſtructus eſt, & ad hoc ornamentum adjungit morum Sanctitatem convenientem iis qui membra Eccleſiæ Dei eſſe volunt. Sicubi igitur occaſio erit, juvabis & ornabis eum. Bene vale & reſcribe. Die II. Aprilis, Anno M. D. XLVII.

D. Victorino Strigelio S. D.

CUm *David* noſter ad vos expatiaretur, ac ipſo die quo *Auguſtini* memoria celebratur iter ingrederetur, *Ep.* 161.

ingrederetur, libenter ad te ſcripſi, & ut *David* utrique noſtrûm chariſſimus ſine meis literis ad te veniret, & quia de *Auguſtini* curriculo cogitans, veſtra etiam ſtudia intuebar. Bibimus enim rivulos *Auguſtini*, vel potiùs ab ipſo ad fontes deducimur, qui ſunt puriores, quàm ulla hominum ſcripta. Oremus autem Filium Dei, Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, qui ſubinde excitat doctores ſalutares, ut nos quoque regat, & ſcandala ſanet, & noſtris vulneribus medeatur. *Davidis* noſtri carmen tibi mitto, quia nihil aliud nunc ad manum habebam. Reverendo Viro D. *Erhardo Sneppio* Salutem opto. Bene & feliciter vale. Die *Auguſtini*.

D. *Victorino Strigelio* S. D.

Ep. 162. MIhi verò ſemper ἔναυλος ἐν ὠσὶ manet vox Filii Dei in agone precantis, ut faciat æternus Pater, ut unum ſimus in ipſo. Quare me ſcias nequaquam oblivîſci conjunctionis noſtræ. Satis erit certaminum de magnis rebus, nec ſolùm cum Pontificiis, ſed etiam cum aliis. Heri accepi faſciculum, in quo chaos erat novarum opinionum: Et poſſem multa de magnis rebus ſignificare. Filius *Menii* ſcripſit ad patrem. Quæſo igitur ut cures per tuum Socerum, aut alios certos homines hunc faſciculum literarum ad eum mitti. Commendo tibi hunc *Pannonium Stephanum*, honeſtum hominem. B. V. Die viceſimo quarto Septembris.

D. *Victorino Strigelio* S. D.

Ep. 163. IN hac communi mœſtitia aliquod eſt, ut Medicorum verbo utar, quaſi μαλακτικὸν ingentium dolorum, concordia eorum qui in Eccleſiis harum regionum docent. Hanc & mutuâ benevolentiâ, & aliis officiis alamus. *Saxonicarum* civitatum paſtores edent commune ſcriptum contra corruptelas doctrinæ, quas continet *Sphynx Auguſtana*. Interea & ὁ κόλαξ μαγείρων defenſionem edet *Sphyngis*. Sed ſi conſenſum noſtrum tuebimur, iſtius βωμολοχίας minùs nocebunt. Doleo mœſtiſſimas Eccleſias magis etiam turbari ab iis, qui corruptelas doctrinæ obtrudere conantur. Sed ſpero Deum exauditurum eſſe multorum piorum gemitûs, & nobis opitulaturum. Bene vale.

D. *Victorino Strigelio* S. D.

Ep. 164. CAſta Deus mens eſt, caſtâ vult mente vocari: Et quidem ut intellectu caſtitatis diſcernatur à naturis immundis, ideò in genere humano caſtitatem ſanxit, quam virtutem quotidie cogito in invocatione. Eſt autem & conjugii fides, caſtitas. Quare & gratulor tibi vitæ genus caſtum, & Deo placens, & oro Deum æternum Patrem Domini noſtri *Ieſu Chriſti*, conditorem generis humani, & autorem caſtitatis, & fœderis conjugalis, ut faciat, ut conjugium tuum ſit fauſtum & felix, & tibi, ſponſæ, ac parentibus jucundum, & ut poſteritas habeat Eccleſiam, & hoſpitia tranquilla. In Academia vox doctrinæ eadem eſt, quam audiviſti, nec ad nos pertinent conſilia [illegible] τινα τεχνάζειν, etſi, ut in ſervitute, mul-

A tum ærumnarum ſerimus. *Steſſelius* ornatus eſt teſtimonio publico, quem quidem dignum omnium eruditorum benevolentiâ judico. Bene & feliciter vale. & reſcribe. Die viceſimo ſecundo Februarii.

D. *Victorino Strigelio* S. D.

DOctiſſime *Victorine*, Cum hic adoleſcens *Arnſtadienſis Henricus Cranchfeld*, in Aca- Ep. 165.
B demiam veſtram profecturus eſſet, petivit à me teſtimonium de ſuis moribus, & tibi nominatim commendari voluit. Hanc igitur Epiſtolam ei dedi, téque oro ut eum complectaris. Natura bona eſt, & ad facundiam idonea: & mores ſunt honeſti & placidi. Etſi autem & *Stigelii* ac tui amore maluit in veſtra Academia eſſe: tamen valetudo etiam coëgit eum quærere loca ſalubriora. Noſtrum oppidum planè eſt, ut de *Aſcra* inquit *Heſiodus*: χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ, οὐδέποτ' ἐσθλῇ.
C Ego in hoc æſtu duorum menſium penè extinguor, nec cibos habeo, nec potum naturæ meæ convenientem. Spero autem brevi me ex hoc triſti carcere in cœleſtem Patriam & Academiam diſceſſurum eſſe. Hac ſpe interea faciliùs has miſerias fero. Mitto tibi & *Nicolao* libellos hîc recèns editos, quia alias paginas non habebam ad manum, Domino *Stigelio* Poetæ optimo & vobis omnibus ſalutem opto. Bene vale. Die *Johannis Baptiſtæ* doctoris noſtri.

D

D. *Victorino Strigelio* S. D.

SPero prudentes de mea voluntate erga Eccle- Ep. 166.
ſiam ex meis ſcriptis judicare poſſe. Opto certè, ut conſenſus doctrinæ in Eccleſiis harum regionum retineatur, & hanc ob cauſam labores & certamina ſuſtineo. Nec ero ſocius aut σύμμαχος eorum, qui mutare doctrinam aut turbare invocationem piorum in his Eccleſiis conantur.
E Te quoque adhortor, ut veterem noſtram amicitiam tuearis, præſertim cùm *Ecebolus* nobis omnibus jam bellum inferat. Scribit enim adverſus *Aquilam*, ſed ita ut per illius corpus me petat; & tamen in *Marchia* etiam nondum mutatio Eccleſiarum facta eſt. Sed ſcribit mihi Vir doctiſſimus Medicus *Wilickius* mandâſſe Principem, ut doctrinam quam hactenus ſonuerunt, ibi Eccleſiæ populo proponant, ſed ita, nè nominatim reprehendant ἢ [illegible]. Scribam plura
F aliàs. Nam nunc ad hominis miſeri negotium abducor, pro quo deprecatio facienda eſt, de quo cogitanti venit in mentem, me quoque aliquanto poſt inter captivos in ſimili fortuna fore. Sed commendo me Deo χειραγωγῷ. Bene vale. Die V. Septemb.

D. *Victorino Strigelio* S. D.

CLariſſime vir & amice chariſſime, Orate, in- Ep. 167.
G quit Filius Dei, *ut in meſſem ſuam extrudat Deus* ἐργάτας *fideles & ſalutares*. Hoc ut ardentiùs petamus, paſſim Eccleſiarum orbitate moveamur, de qua magno cum dolore cogito. Vix jam mediocres doctores Urbi tantæ *Auguſtæ* invenire poſſumus, quæ ſuis jam literis te vocat. Etſi autem accepi tuam reſponſionem, tamen

men neceſſarium eſſe cenſui, exhiberi tibi Senatus Epiſtolam. Meminimus & Reverendus D. *Sneppius* & ego, audire nos *Auguſtæ* multorum civium diſputationes de multis rebus, quæ oſtendebant initia doctrinæ inerudité eis tradita eſſe. Judex improbabat morem ſtrangulandi fures, & ſtrangulabat tamen. Et poſſem alia majora recitare. Ideo valde opto, ut ad hanc inſtaurationem habeant doctores idoneos. Ut ſcis dici, ἀρχὴ ἥμισυ παντός. Non hoc mihi ſumo, ut me veſtris deliberationibus ingeram. Tantùm oro, ut ſi ipſe proficiſci in patriam non voles, viros idoneos nobis indices. Exempli causâ plurimùm refert, etiam Eccleſiam in ea Urbe rectè conſtitui. Bene vale. Die XIII. Novembris.

D. Victorino Strigelio S. D.

Ep. 168. VEnerande vir & amice chariſſime, Ut his diebus, poſtquam Filius Dei conculcato capite Draconis victor ex morte ad matrem & Apoſtolos redit, dulciſſimi congreſſus fuerunt & aſſidua colloquia Filii Dei, primorum patrum quos jam veſtierat immortalibus corporibus, & matris, & Apoſtolorum: ita me vellem jam iiſdem de rebus vobiſcum poſſe colloqui. Et neceſſe erit, nos de novis controverſiis conferre ſententias: Non enim ſolo ἰδιοζηλεύειν. Jam me D. *Vito* adjunxiſſem, niſi me moleſta vincula retinerent. Excipies autem amanter hos communes amicos. Exempla Orationis de Duce *Friderico*, tibi, & Socero tuo, & *Nicolao* mitto, & vobis omnibus Salutem opto. B. V. Die Paſchatos.

D. Victorino Strigelio S. D.

Ep. 169. CLariſſime vir & amice chariſſime, Scripſit ad me Senatus *Auguſtanus* Imperatorem *Carolum* conceſſiſſe, ut Eccleſias ſuas ad normam Confeſſionis *Auguſtanæ* conſtituant. Sic nominant Confeſſionem Eccleſiarum noſtrarum. Hoc edictum pene ſimile eſt *Cyri* edicto, quo reditus exulantibus *Judæis* concedebatur. Petunt autem *Auguſtani* indicari viros idoneos ad miniſterium Evangelicum. Ac eò plus refert idoneos viros & concordes eò mitti, ne, ſi nova diſſidia ibi orirentur, Imperatorem ſuæ conceſſionis pœniteat. Indicavi igitur antea Reverendum virum D. *Erhardum Sneppium*, cum tantùm inſpectorem peterent. Nunc plures petunt. Te igitur & *Davidem* indicavi, téque oro, ut cogites quantum referat illi urbi rectè conſuli, & piam in ea concordiam conſtitui. Nec verò dubito te patriam amare & deſiderio amicorum tuorum, quos ibi habes non vulgares, affici. Sed magis Eccleſiæ neceſſitate moveamur, quæ ita lacerata eſt in ea urbe, ut non ſine magno dolore illam deformem diſſipationem & ſcan[illegible] cogitare poſſim. Contra, ſi pia ibi concordia reſtitueretur, rurſus & vicinia ſanaretur, & *Italiæ* exemplum prodeſſet. Quæſo igitur ut non recuſes & Eccleſiæ & patriæ opem ferre. Scribam eadem ad *Davidem*, téque ut mihi reſpondeas oro. Bene vale. Die V. Octobris.

D. Victorino Strigelio S. D.

Ep. 170. CLariſſime vir & chariſſime frater, Graviſſimo conſilio Dux *Boruſſiæ* Academiam in illa ultima *Germaniæ* ora, in Urbe *Regiomontana* collocavit, & conſervare cupit, ut Evangelii ſemina latiùs in vicinas gentes ſpargi poſſint. Judicat autem ita eam feliciter reſtitui poſſe, ſi tu ibi ſtudia doctrinæ gubernes, quia tuam eruditionem, pietatem, & in omni officio rectitudinem, doctis & bonis omnibus probari intellexit. Quare te orat ut in *Boruſſiam* ad docendum venias. Viaticum dari curavit, & ſtipendium offert majus quam in cæteris Academiis dari ſolet. Hæc cum ſignificare me tibi voluerit, ut literæ ejus, quas mitto, oſtendunt, Principi pio & qui multis gentibus benefecit, & in hac ſenecta de poſteritate ſollicitus eſt, gratificandum eſſe cenſui. Scio tuos labores in Academia noſtra, & *Turingicis*, profuiſſe multis: Sed ibi propagares doctrinam in multas regiones, quæ hactenus vocem Evangelii non audiverunt. Scribo breviùs, quia tibi non deeſt conſilium. Certè collegam virum eruditiſſimum, & modeſtiſſimum *Johannem Aurifabrum* ibi habiturus eſſes, cui quàm diſſimilis ſit is, qui jam tibi adjunctus eſt, cogites, quem cum ſe nondùm totum aperuerit exiſtimo aliquanto poſt majora bella moturum eſſe. De meis laboribus judicium doctis & bonis viris, tui ſimilibus libenter permitto, & me filio Dei commendo. Bene vale. Die VI. Martii.

D. Victorino Strigelio S. D.

Ep. 171. CLariſſime vir & chariſſime frater, Hoc die, videlicet ultimo Martii, *Hieronymus Stridonenſis* anno ſuæ ætatis nonageſimo primo mortuus eſt, anno poſt nativitatem *Chriſti* ex Virgine CD.XX. anno poſt captam à *Gotthico* Rege *Alarico Romam*, ſexto. Fugit ille ex *Europa* in ſolitudinem *Palæſtinæ*, & Sycophantas, & bella *Gotthica*. Nos quò poſſumus fugere? Minitantur *Germaniæ Turci* & *Galli*: Et in omnibus locis multum eſt periculorum ab Inquietis ingeniis. Sed tamen Deus ſervabit reliquias ſuæ Eccleſiæ, cujus cives & te & nos eſſe non dubito. De *Boruſſiaco* negocio intellexi tuam recuſationem. Volo autem inter nos æternam amicitiam eſſe, & ſi mihi dabit vitæ ſpacia longiora Deus, declarabo etiam benevolentiam ſi quibus officiis potero. Bene & feliciter vale, chariſſime frater.

Ad Vitum Theodorum S. D.

Ep. 172. QUæſo te, mi *Vite*, ut per hunc tabellarium de voluntate Doctoris, & omnibus veſtris rebus ſcribas. Nos non minus ſumus hîc Monachi, quàm vos in illa veſtra arce. Nihil enim videmus hîc, nihil audimus quod quidem delectet. Atque hoc nomine vos beatiores eſtis, quòd minus multa iſtuc perferuntur, quæ nobis moleſta ſunt. Quicquid pariet novi, conventus, ex me ſcies. Hodie aut cras dicitur adfuturus *Landgravius*. Vale.

Vito Theodoro S. D.

Ep. 173. GRatam mihi rem ſcripſiſti, quod ad me de Doctoris valetudine, déque aliis rebus ſcripſiſti. Nulla alia in re potes mihi magis declarare quàm officio ſcribendi, quanti me facias.

Propterea

Propterea rogo vel quotidiè ſcribas. Poteris enim ad *Ioachimum*, ad *Oſiandrum*, aut *Wenceſlaum* mittere, qui curabunt ad nos perferri. A

De valetudine Doctoris, & de ſomno ſanè ſum ſolicitus. Tuum erit officium, præſtare vel communicatione ſermonis, vel aliis artibus ut cubitum eat animo quàm minimè occupato: tametſi ſcio cujuſmodi ſint ejus πάθη, quàm non poſſint ei excuti humanis rationibus. Confugiamus igitur ad Deum. Noſtri rectè valent. Cæſar expectatur, brevi huc, ut aiunt, venturus: Sed de his ad Doctorem ſcripſi. B

D. Doctori dices nos ei vinum illud veſtrum invidere. Nam hic miſerè eſurimus & ſitimus. Bibimus Necharinum neutiquam Nectareum, ſed adeo tenue, adeo auſterum, adeo crudum, ut primo ſtatim die *Chriſtianum* Cancellarium conjecerit in κοιλίαν. Ego de me emo *Creticum*, quod unà bibit *Pontanus* interdum. Si dominus Doctor valebit & erit incolumis, omnia rectè habebunt. C Nam etiam de conventu bene ſperare jubemur. Vale & reſcribe ὡς τάχιστα. Ego brevi excurram ad vos, ut adferam D. Doctori recognoſcendam *Apologiam*, quæ Cæſari exhibebitur. Vale. Poſtridie Crucis.

Vito Theodoro S. D.

Ep. 174. OFficium tuum, mi *Vite*, fuit mihi gratiſſimum. Literæ etiam jucundæ fuiſſent, ſi lætiora de Doctoris valetudine ſcripſiſſes. Nunc te oro, ut hortator ſis Doctori ad curandam valetudinem, & remittendos labores. Hac in re putes te univerſæ Eccleſiæ operam navare, quam hoc gubernatore aliquam habemus. D

Uxori Doctoris lectiſſimæ fœminæ fac ut ſcribas per hunc noſtrum tabellarium. Juſſi enim eum expectare veſtras literas. Civis eſt *Auguſtanus*, & à nobis conductus, ut *Witebergam* proficiſcatur. Poterit igitur nobis inde literas afferre. Rogo te etiam atque etiam, ut ſæpe ad nos ſcribas. Cæſar nondum adeſt. Quæ ſit de voluntate Cæſarei conſilii fama ex literis ad Dn. Doctorem ſcriptis intelliges. Ridebis unà cum Doctore propoſitiones factas contra *Eccii* calumnias. Sunt ineptæ. Sed ſic ars deluditur arte. Vale. E

Vito Theodoro S. D.

Ep. 175. IAm expectabam à te literas, cùm has ad te darem. Nihil enim dubito, quin Tabellarii noſtri ad vos pervenerint, qui hanc unam ob cauſam miſſi ſunt, ut certò redderentur literæ. Scire cupio, utrum ſit factus placatior Doctor, & quid judicaverit περὶ τῆς ἀπολογίας. F

Hic nihil jam agitur. Nam adverſarii adhuc deliberant quid reſpondendum ſit, poſtquam noſtra confeſſio exhibita eſt. Expecto prodigioſas calumnias ὃ πάνυ μικρὸν τοῦ ἀντικείμενοι ὅτι πεπλέχθαι. Res geritur per *Fabrum*, *Campegium*, & ſimiles. Hos habemus Judices. Quid igitur futurum ſit, facilè exiſtimari poteſt, niſi Deus nos ſervaverit. Orabitis igitur Deum pro nobis. Vale. G

Vito Theodoro S. D.

MEdicus reſcribit Doctori, ac videtur requirere, ut Doctor remittat acerrimum ſtudium, unde hic morbus oritur. Scis Doctorem expoſtulare mecum ſolere, quòd ſuorum præceptorum de curanda valetudine obliviſcar. Eadem jam de ipſo amici judicant. Quare te rogo, ut eum admoneas, ut ſibi quoque ſapiat, μισῶ σοφιστὴν ὅς τις οὐχ αὑτῷ σοφός. Ep. 176.

Inſtat meo judicio κρίσιμος conventus, quam aliqui mitiorem fore promittunt opinione noſtrâ. Verùm mihi non perſuadent.

Wellerus nuncius habet literas ad quendam quæſtorem de ſtipendio Doctoris, quas juſſi ad ipſam Dominam perferri. Hoc quoque indicabis Doctori.

Viſus eſt mihi ſtomachari propter meas diſputationes. Ego tamen non dimitto eum. Inſtauro enim certamen, neque id facio aliam ob cauſam, niſi ut collatis ipſius cogitationibus cum noſtris, ſi quando opus ſit, commodiùs iſta explicare queam. Tu igitur placabis mihi eum, & rogabis, nè gravetur reſpondere. Vale.

Vito Theodoro S. D.

SIgnifica mihi, mi *Vite*, utrum Doctor acceperit depictam *Viennæ* obſidionem, quam ei miſi. Quod ſi nuncius noſter non reddidit, manifeſta eſt perfidia. Miſi enim bello adornatam, & pictam imaginem, ac ſuſpicor nuncium vendidiſſe. Aliquoties conduximus nuncios, ac deprehendi in hac *Suevica* natione non ſolum inſignem eſſe ſtoliditatem, ſed etiam perfidiam, hominibus *Germanis* indigniſſimam. Vale. Ep. 177.

Vito Theodoro S. D.

NOn potui impetrare, ut ex aula certus nuncius ad vos mitteretur. Videntur enim aliqui de induſtria τὰς ἐσχάτας ἰατρείας negligere. Itaque variè afficior, cum reputo, quales exitus habeant violenta conſilia. Ep. 178.

Cives tui ex *Norico* valde ſuccenſent nobis, quòd reddimus Juriſdictionem Epiſcopis. Fremunt & alii ſocii, & indignantur regnum Epiſcopis reſtitui. Ego tamen etiam duriores conditiones arbitror nobis accipiendas eſſe, propter publicam Eccleſiæ tranquillitatem, & concordiam. Sed fatalis aliqua neceſſitas urget *Germanos*.

Hæ literæ ſerò ad vos pervenient: Tu tamen operam dabis, ut reſcribat *Lutherus*. Nondum enim ab illo accepimus reſponſum [illegible] iſtis de rebus, de quibus maximè cupiebamus [illegible] audire ſententiam. Vale.

Vito Theodoro S. D.

MAgis ut morem retinerem ſcribendi, dedi *Aquilæ* literas, quàm quòd haberem dignum quicquam relatu. *Eccius* his diebus queſtus eſt apud ſuum quendam amicum, Cæſarem pene tertiam ſcripti ſui partem induxiſſe: ac ſuſpicor Ep. 179.

ſpicor præcipua libri ornamenta deleta eſſe, hoc A eſt, inſignia mendacia & Sycophantias ſtolidiſſimas.

Τὴν ἀμνηστίαν ἐπαινοῦντα aiunt etiam in eo concilio dixiſſe. ſibi videri non profuturam ad pacem & concordiam illam odioſam commemorationem omnium, quæ ante annos decem vel ſcripta ſunt, vel acciderunt. Nihil tamen audivimus pacatum. Orabitis igitur χριστὸν, ut nobis donet exitum tranquillum Conventûs.

Nulla magna res adhuc fuit in deliberatione B Imperialis Senatûs, propter cauſam religionis; quæ cùm ita extrahatur, mirum eſt hic de omnibus rebus ſilentium. Quotidie mittuntur *Romam* ad Pontificem nuncii, qui qualia habeat conſilia, non ſatis ſcire poſſum, etſi intellexi, quid de Confeſſione noſtra initio judicaris. Vale.

Vito Theodoro S. D.

C

Ep. 180. HAbeo tibi gratiam, mi *Vite*, tàm officioſè curanti noſtra mandata. Si Deus reddet nobis tranquillitatem, dabimus operam, ut intelligas te hæc officia apud gratum hominem poſuiſſe.

Jam mihi eundum eſt ad *Campegium* Cardinalem. Sum enim acceſſitus. Is mihi egregiè verba dat, cum quidem ſuaviſſimè diſputet: tamen alibi nos impugnat. Ait ſe poſſe concedere uſum utriuſque ſpeciei, & conjugium Sacerdo- D tum. De Monachis autem clave non errante, diſpenſari non poſſe.

Audi novam religionem Pontificum. Nunc primum quærunt ubi erret clavis, cùm hac omiſſâ quæſtione antea nihil non potuerint ſolvere & ligare. Vale.

Vito Theodoro S. D.

Ep. 181. ANte prandium ſignificavi tibi, me ad lega- E tum *Campegium* ire, à quo cum rediſſem, intellexi nuncium, qui literas attulerat, ad vos rediturum eſſe. Duxi igitur tibi perſcribendum eſſe quid cum illo egerim. Summa fuit orationis illius, ſe nihil poſſe decernere, niſi de voluntate Principum *Germaniæ*: tametſi quarundam rerum relaxandarum poteſtatem habeat, quâ invitis Principibus uti non ſit utile.

Porrò voluntas Principum eſt, ut dùm cogatur Synodus, omnia reſtituamus in veterem ſta- F tum. Fortè ad legatum veniebant *Eccius* & *Cochlæus*, ex quibus ſatis videor intellexiſſe nihil cogitare adverſarios, niſi ut vi opprimant nos. Nondum hæc promulgata ſunt: Sed tamen non multò arbitror mitiora nobis decreta proponentur. Vale. Die VIII. Julii.

Vito Theodoro S. D.

Ep. 182. DE noſtra cauſa nihil adhuc decretum eſt. O- G randus eſt igitur *Chriſtus*, ut flectat Principum animos ad pacem, qui atrociſſimè nobis minantur. *Capito* & *Bucerus* adſunt. Id hodie certò comperi. Nam ita latent, ut non quibuſlibet ſui copiam faciant: Me tamen rogaverunt, ut ad ſe veniam. Nondum acceſſi, nec puto id utile eſ-

A ſe. Dicuntur de me inimiciſſimè loqui.

Scripſi *Luthero* quandam quæſtionem, de qua percupio eum mihi reſpondere: Quare gratum mihi facies, ſi eum horteris, ut in tempore reſpondeat mihi. Fortaſſe enim opus erit eâ diſputatione ubi reſponderint ἐν ἀντιθέσει. Vale. Poſtridie *Margaretæ*.

Vito Theodoro S. D.

B TAndem audivimus Confutationem noſtræ Ep. 183. Confeſſionis; Sed audivimus tantum. Nam ut nobis exhibeatur, impetrare non poſſumus. Id meo judicio fit certo judicio prudentum, qui vident fabriliter ſcriptam, ſi prodeat magis obfuturam cauſæ, & irritaturam ingenia noſtrorum.

Adhæc Sycophantæ Theologi obtruſerunt eam optimo Imperatori, ut ſuo nomine prælegi curaverit. Hanc κοινῶς ſuæ factioni circum- C dare voluerunt, ut nobis terribiliores eſſent. Nunc ſi proditet, parùm reſponderet dignitati Cæſaris.

Boni Viri omnes in noſtris partibus viſi ſunt mihi tranquilliore ac firmiore animo eſſe facti, auditis illis ineptiis. Intelligunt enim nullam apud adverſarios religionis ſcientiam eſſe.

Quanquam autem quâ ſententiâ ſit Cæſar, oſtenderit: tamen adhuc de eo mitigando habentur conſilia. *Chriſtus* largiatur nobis pacem. Tota D res ab adverſariis agitur miris technis ac dolis. Iidem ſunt, & adverſarii, & Judices. Vale. Die VI. Auguſti.

Vito Theodoro S. D.

ISlebius ſcribit *Luthero* miram quandam hiſto- Ep. 184. riam de quodam *Spirenſi* ſpectro. Res & diligenter inquiſita & explorata, maximèque ἀξιόπιστος. Nec eſt difficilis interpretatio prodigii, E præſertim ſi verum eſt, quod dicunt, reſpondiſſe illos impoſtores Spiritus, ſe *Auguſtam* ad Conventum proficiſci. Nam hæc conſilia pacis turbare conabuntur. Sed *Chriſtus* reſpiciat & defendat nos adverſus Diaboli crudelitatem.

Nihil adhuc certi de exitu Conventûs polliceri poſſum. Nam res trahitur utrinque diſputationibus, parùm facientibus πρὸς ἔπος. Talis eſt aulæ Philoſophia, longè diſſidens à noſtris opinio- F nibus.

Valde peccamus, mi *Vite*, quòd in aulam importamus δυσκολίαν. Quare nihil in vita unquam ardentiùs optavi, quàm ut me quamprimum ex iſtis aulicis deliberationibus prorſus vel cum magno meo incommodo expediam. Vale. Die VIII. Auguſti.

Vito Theodoro S. D.

G OSiandro dices me nactum eſſe duas formas Ep. 185. *Græcæ* Miſſæ: Quarum altera *Chryſoſtomi*, altera *Baſilii* eſt. Has initio harum turbarum Princeps *Fridericus* curavit ſibi è *Venetiis*. Additæ ſunt quæſtiones, ad quas *Janus Laſcaris* reſcripſit ſuâ manu.

De privatis Miſſis reſpondet, apud *Græcos* in Parochiis

ſui inuſu Sacramentalem præſentiam, & dixi, datis his rebus, *Chriſtum* verè adeſſe, & efficacem eſſe. Id profectò ſatis eſt. Nec addidi incluſionem, aut conjunctionem talem, quâ affigeretur τῷ ἄρτῳ τὸ σῶμα aut ferruminaretur, aut miſceretur. Sacramenta pacta ſunt, ut rebus ſumptis, adſit aliud.

Hoc cùm ita ſit, προσκείμενον addi non oportuit: aut ſi additur, non eſt referenda πρὸς τὸν ἄρτον.

Tu quod diſputas de unione hypoſtatica aut σωματικῇ, primum in vocabulo erras. Hypoſtatica vocatur perſonalis unio, qualis ſola eſt divinæ & humanæ naturæ in *Chriſto*. Talem unionem τοῦ ἄρτου nec Papiſtæ ponunt, & certè novum eſt, & haud dubiè ἄτοπον. Ergo illo vocabulo in hac cauſa uti te nolo.

Nec tu hoc volebas, eſſe unionem hypoſtaticam τοῦ ἄρτου καὶ σώματος, ſed realem, ut eſt ferri & ignis in ignito ferro (utamur enim qualicunque ſimilitudine) ſeu, ut eſt vaſis & potus. Ego verò, etſi, ut dixi, realem pono: tamen non pono incluſionem ſeu ferruminationem, ſed ſacramentalem: hoc eſt, ut ſignis poſitis, adſit verè *Chriſtus* efficax.

Quid requiris ampliùs? Et huc decurrendum eſt tandem, niſi defendas illud, quod nonnulli jam dicunt, ſeparatim tradi corpus & ſanguinem. Id quoque novum eſt, ac nè Papiſtis quidem placiturum. Error fœcundus eſt, ut dicitur. Multas quæſtiones parit illa phyſica conjunctio: An ſeparatim, an ſint incluſæ partes: quando adſint: an extra uſum? Horum nihil legitur apud veteres.

Neque ego, mi *Vite*, inveham has diſputationes in Eccleſiam, eóque tam parcè dixi in locis de hoc negotio, ut à quæſtionibus illis juventutem abducerem.

Habes in ſumma, & κεφαλαιωδῶς quid ſentiam. Sed utinam juſta deliberatio de tota re aliquando haberetur, remotis aliquantiſper affectibus, καὶ τῇ σοφιστικῇ, duobus ſæviſſimis Tyrannis. Si tibi hac ſimplici reſponſione non ſatisfecero, expectabo à te longiorem diſputationem.

Ego hoc modo & religioſè, καὶ ἁγνῶς, & verecundè de ſymbolis me loqui exiſtimo & proximè ad veterum ſententiam accedere. Nunc plura ſcribere non vacabat. Reddet tibi has literas quidam concionator *Bernenſis*, qui his diebus nobiſcum fuit. Animadverto eſſe eruditum & pium. Hic etiam ſymbolis uſus eſt. Quæſo ut eum amanter excipias. Die *Georgii.*

Vito Theodoro S. D.

VT ille Regum præſtantiſſimus apud *Herodotum*, negat ſe velle ἰσοβαλλεῖν: ita multo magis nos in Eccleſia conferre ſententias decet. Quare de illa tota cauſa optarim pios & doctos Viros integrè colloqui: ſed ita ſi non adferant duas res veritati inimiciſſimas, τὴν σοφιστικὴν, καὶ τὴν αὐθάδειαν. Quid enim fuerit indignius, quàm ſi dicturus in Eccleſia ſententiam, expetas hanc laudem, quæ eſt in *Epidico* de Sycophanta: Qui Ep. 128.

Legum atque Jurium fictor, conditor cluit.

Scripſi tibi ſimpliciter, quid ſentiam, nec decerpo aliquid ἀπὸ τῆς ἰσχ. Scio enim verè & ſubſtantialiter adeſſe *Chriſtum*, & efficacem eſſe, cùm ſymbolis utimur. Synecdochen tu quoque concedis. Sed addi diviſionem ac diſtractionem τοῦ σώματος καὶ αἵματος, novum eſt prorſus & inauditum univerſæ veteri Eccleſiæ.

Hac de re ſcripſeram longiorem Epiſtolam, ſed poſtea cogitavi, de tota cauſa integram diſputationem me, cùm primum potero ad te ſcripturum eſſe, collectis omnibus & teſtimoniis & argumentis, quæ quidem memini.

Nam illud ſcias, ampliùs decennio nullum diem, nullam noctem abiiſſe, quin hac de re cogitarim. Scribam plura aliàs. In his regionibus Dei beneficio adhuc tranquillitas eſt.

Corvinus & *Cymaus* adſunt ex *Cattis*, qui affirmant multos apparatus belli, nullos exercitus in *Cattis* eſſe. Domino *Hieronymo Bomgartnero* dicito reverenter ſalutem meis verbis, & mihi curæ eſſe ſuum propinquum, & alterum *Schurſtabium*. In *Bomgartnero* omnino probum & verecundum ingenium eſt. Nuper admodum cum eo egi etiam vehementinſculè de ſtyli exercitio. Sed hæc ipſi copioſiùs ſcribam his proximis diebus. Scito enim me non modò confici, ſed interfici ærumnis & laboribus. Bene & feliciter vale. Die XXIV. Maii.

EPISTOLARVM PHILIPPI MELANCTHONIS

Liber Quartus:

Qui pene totus inſcribitur IOACHIMO CAMERARIO *Pabepergenſi.*

OPERIS

SVBIECTARVM EPISTOLARVM

AD

ILLVSTRISS. PRINCIPEM ET DOMINVM

D. AVGVSTVM

Ducem Sax. Landgravium Duringiae, Marchionem Misniae, Septemvirum creandis *Imperatoribus Romanis*, Principem optimum atque clementiſſimum,

Prooemium

IOACHIMI CAMERARII PABEPERGENSIS.

Cum & mihi in hoc ſeculo ſcriptionum tam feraci libuerit nónnihil vel multum potiùs mearum cogitationum chartis illinere & divulgare, necnon aliorum quoq; lucubrationes meâ operâ exornatas proferre in lucem: In nullo omnium opere quod elaboraretur ad editionem ſtudio meo, vel dubitationis tantum oblatum, vel metus incuſſum, vel inter conſiderandum hæſitationis & moræ illatum eſt, quantum in hoc epiſtolarum, quas modò curavimus tandem exprimendas, Philippi Melancthonis *ad me, libro. Quæ etſi illa quidem, me autorem non habent, meæ tamen ſunt, ad me nimirum ab ipſo miſſæ. Putavi autem hujus facti rationem eſſe reddendam, & de tota re aliquid prænarrandum, ut demonſtraretur, quid maximè me ad edendas iſtas epiſtolas impuliſſet, & ſiqui (id quod prævidebam fore) malevoli reprehendendo editionem, hac etiam in parte à malitia non recederent, iis quaſi reſponſione meâ non ſatisfieret quidem illis (quorum nulla oratio reprimere poſſet audaciæ improbitatem) ſed opponeretur tamen ea defenſio, quæ Veritate nitens & per ſe conſiſteret, & ad bonos omnes plurimum haberet momenti ac ponderis. Præcipuum autem eſt, quod me hoc tempore, veluti calcaribus admotis, inſtigavit, ut has epiſtolas ederem, Ingraveſcentis ætatis, & valetudinis minus firmæ animadverſio. Qui enim nullo modo hæc ſcripta perimenda, ac conſervanda potius omnibus modis eſſe ſtatuiſſem, non duxi illa relinquenda aliorum quorumcunque arbitrio, vel abjecta ut obſoleſcerent, vel alieniore fortaſſe tempore editionéque ut proferrentur in medium: Ac potiùs enitendum, ut me adhuc vivente & mediocriter valente communicaretur cum omnibus lectio horum, quicunque illam non aſpernarentur. Quod enim fieret cernebam, & erat ante oculos quorundam temeraria impudentia in divulgandis quibuſdam hoc in genere, quibus neque legentibus utilitas ulla conciliatur, & infamantur nomina honeſta, quæ ibi perſcribendo ingeruntur. Iam id etiam meâ referre putabam, ut iſta edita haberent non quaſi advocatum quemvis alium: ſed me ipſum patronum, & ubi opus eſſet, aſſertorem atque vindicem: Cujus omne proprium futurum eſſet periculum, & qui, ſi qua fortè invidia extitiſſet, ipſe eam ſuſtineret, denique cujus cauſa eſſet ſua, neque alterum crimine oneraret. Perſuaſum autem mihi fuit, fructuoſam fore lectionem harum epiſtolarum, ſive aliqui cognoſcere multarum rerum atque caſuum ſuperioris ætatis ſeriem vellent, ſive erudita ſapientia doctrina delectarentur. Nam & plurima in his epiſtolis luculentè ſunt de ſtudiis opt. diſciplinarum ac artium (quæ* Græco *Philoſophiæ nomine ſignificantur) tam explicata quam indicata: Et quæ annis retro 28. acciderunt (quod eſt tempus unam hominum ætatem à* Græcis *triginta annis definitam ſuperans) attinguntur, notantur, exponuntur, enarrantur. Vt autem illæ liberales diſputationes, ſic hæ quoque narrationes elegantes, liberæ, diſertaq; & veræ epiſtolis potiſſimùm continentur. Nam ex animi ſententia maximè ac ſimpliciter cuncta hoc pacto & cõmemorantur & cõmunicantur. Cum ſit autem in rebus humanis & hac in terris vita nihil pulchrius, præclarius, honeſtius, jucundius, Amicitia, quam inter aliquos pietatis Virtutiſque ſimile ſtudium junxit, & animorum inclinatio, voluntatúmque conſenſio copulavit: In epiſtolis hujus inprimis conſpicitur illuſtris effigies & expreſſa imago. Quam contemplantes non agreſtes neque inhumani majore afficiuntur voluptate, quàm ullius picturæ venuſtatem atque artificium attendentes. Vt autem* Apellis Zeuxidoſve, *aut alterius eximii pictoris tabulæ, non ſolùm propter artis excellentiam, ſed paucitatem quoque, in aliarum multitudine, magni factæ ſunt atq; fiunt: Sicque Amicitiæ veluti deſignata adumbra-*

taq; etiam ſpecies rarior, eo ſpectatu dignior atq; precioſior eſt, judicio bonorum omnium. Cujus nomen hoc turbulento ſeculo, propemodum obliteratum eſt, nedum rei appareat efficacitas & operis perfectio. Mihi ſanè ignota non ſunt deſertiones complurium, qui à Philippo Melanchthone *& ſummâ benevolentiâ comprehenſi, & non vulgaribus beneficiis affecti, quoſq; credidit ille ſeſe amicos habere, deſcruerunt, & pro debita grati animi memoria, rependerunt odium atq; maledicta: Aliqui adoriendo palàm, aliqui occultiùs atq; inſidioſè, prætendentes etiam, homines ſcilicet religioſi, prætermiſſioni officii ſtudium veritatis, & perquam nugatoriè, de iis, quæ ipſi proferunt maximè dubiis ac fallacibus, commemorantes* Ariſtotelicum *dictum:* Amicus Plato, amicus Socrates. *Verùm ubiq; jam fere, ſi quòd adhuc reſtat:*

Nomen Amicitia eſt, nomen inane fides:

Quemadmodum ait Poëta. Suaviſſima quidem eſt in animo meo recordatio familiaritatis conjunctioniſq; cum duobus in mea vita curriculo. Quorum me alter major ætate, alter minor fuit: ii ſunt Philippus Melanchthon *&* Danielus Stiber. *Anteceſſit enim ille annis totis tribus, hic paulo pluribus me fuit poſterior. Vterq; autem verâ affectione animi me dilexit, & charum habuit amoris magnitudine ſingulari. Et nihil eſſe ſimulatum aut fictum, difficilibus adverſiſq; rebus (quibus periculum hac in parte fieri ſolet) declaravit. Atque de* Danielo *nobilitate generis, virtute, dignitateq; & honoribus præſtanti viro, alibi nonnihil à me dictum eſt.* Philippi *autem admirabilis erga me benevolentia, & multos adhuc ſuperſtites teſtes habet, & his epiſtolis perſpicuè oſtenditur. Atq; erunt (in quo me non puto falli) ut ad celebrandum me, magis quam aliam ullam ob cauſam, nunc in medium proferri hæc ſuſpicentur, aut prædicent quoq;. Neq; (ut verum fatear) quæ præconia de me fieri poſſent ſpecioſiora, video. Fortaſſe etiam perhibebuntur quædam aſſeverando perſcripta, quæ aliter ſeſe habere poſtea compertum ſit. Et aliqui obtrectando conſenſum noſtrum arguent, de impendentium calamitatum metu, præſentium malorum dolore, cura quietis ac concordiæ, & odio diſtractionis atque turbarum, & ſtudio cupiditateq; avertendi cauſas infelicitatis univerſæ. Non etiam nulli hoc aut illud carpendo, quaſi minus fortiter, conſtanter, rectè factum dictúmve notabunt. De qua nimis licenter exultante levitate inflatorum hominum opinione & ſibi & Reipubl. pernicioſa, & qui ſuis vociferationibus excitato vento popularis applauſus, plenis velis provehuntur miſcendo ſacra & profana: aliis locis compluribus deploratæ ſunt à me juſtiſſimæ querelæ, in ſenſu præſentium ærumnarum, & ſolicitudine in poſterum de ſalute Reipubl. & patriæ communis, quæ eſt eximia in fide* Ieſu Chriſti *conſociatio. De his igitur modò plus verborum non faciemus, neq; omnino faciendum eſt. Quicquid moliantur, & quorum machinationes quò tendant, prudentes intelligunt, ut ad hos jam commonefactione opus non ſit, cum illi utilibus & ſalutaribus monitis non ſolùm non meliores, ſed deteriores quoq; reddantur, & rabies eorum irritetur. Neq; mihi quaſi collatis ſignis dimicare cum quoquam veluti hoſte congredientem, animus eſt ac libet. Id quod ſuo ſeculo furioſè factum fuiſſe conqueritur* Gregorius *Theologus, eo ille quidem dolentiùs, quo in altercationibus de rebus divinis, & doctrina veritatis cæleſtis, iſta veſania importuniùs frequentaretur. Quemadmodum & nunc fieri cum maxima triſtitia animorum ſuorum pietatis & religionis amantes cernunt. Non autem alienum duxi & verſus querelæ* Gregorianæ *aſcribere, factos* Latinos *qualicunq; interpretatione mea:*

——————atque etiam ipſi
Ceu ſtructa infeſtis certantes cominus armis
Stant acie: divina & Zelus vincula rupit
Contra fas exardeſcens: Diſſolvit Amoris
Concentum & ſimul omnem, & nomina ſola reliquit.

De perſcriptis verò affirmativè iis, quæ dubia fuiſſe nonnunquam reperiretur, hoc dici poſſe exiſtimo: Non multum referre, quâ formâ orationis aliquid efferatur. Philippus *autem* Melanchthon *aſſuefecerat ſeſe ad loquendum planè & aſſeveranter. Id quod ſervabat etiam ſcribendo, cum ipſe quidem nihil comminiſceretur aut fingeret, ſed comperta audítáve referret, quæ quidem cognitionem habitura non inutilem viderentur. Et per omnia:*

Verax vir ille ubique, non duplex erat,

Sicut Hector *de ſe apud* Euripidem *inquit. Audivi & hoc aliquando nomine accuſari* Phil. Melanchthonem, *quod familiariùs uti quibuſdam videretur, & non oſtenderet inimicum illis ſeſe eſſe, vel alienatione, vel etiam oppugnatione, quorum rationes & ſententia de rebus divinis neq; ipſi probarentur, & à veritatis cæleſtis pura doctrina crederentur diſcrepare: De quibus mentionem quoq; fieri paulò cõmodiorem, intolerabile duceretur. Sed hoc crimen inferri apparet ab imperitis bonarum artium, & in ficta pietatis oſtentatione, humanitatis ſenſus omnis expertibus. Et doctrina enim* Chriſtiana *præcipit pacificam cum omnibus mortalibus pro cujuſq; parte, conſuetudinem, & exempla habemus maximorum, & religionis pietatiſque laude clariſſimorum virorum* Baſilii *ac* Gregorii, *qui nequaquam concordibus illius ætatis eruditis & doctis quibuſdam literas familiariter*

miliariter

miliariter ſcriptas miſerunt. Neq; me fugit, detorqueri contra hæc quædam alicunde ſacrarum literarum dicta. Sed calumniatores ubiq; inveniri ſtudent, quo depravatio in iis, quæ lacerant, aſperſo veluti fuco aliquo ac pigmento reconcinnetur. Quos contenti & conſcientia bona & imitatione excellentium pietate & religione virorum, etiam ad iſta latrando obſtrepere ſinamus, & non violantes ſanctitatem fidei, placere Deo æterno lenitatem ac manſuetudinem; et diſplicere credamus feritatem atq; truculentos mores. Quod quidem frequentes inſunt in his epiſtolis deplorationes querelarum de miſeriis publicis atq; privatis (nam hoc quoq; vix effugiet ſycophantarum morſus). & crebra indicia ægritudinis, mæſtitiæ, anxietatis de publicarum privatarúmq; rerum ſtatu: Enumerat nimirum miles vulnera, ſecundùm poëtam. Quod verò ad mei nominis famaq; celebrationem attinet: Cur de me bonam optimi Viri exiſtimationem, & laudatum me fuiſſe ab laudato non gaudeam, cauſam nullam eſſe puto. Aurum optant, inquit Pindarus, alii immenſi ſpacii campos: Ego vero civibus acceptus atq; gratus ſim, donec corpus meum terræ mandem. Neq; ego diligi cognoſciq; ſententiam judiciumq; de ingenio & ſtudiis meis, eorum, quos conſtat integros & probos, bonarúmq; literarum ac artium principes fuiſſe, non expetendum cenſeo, cum præſertim iſtud teſtimonium mihi ſic tribuatur, ut nemo aliter, quam eſſe hoc ſincerum atque grave, ſuſpicari poßit. Quid enim commodi emolumentive à mea fortuna aut conditione ſperari potuit? propter quod aſſentando adulandóq;, de me, contra animi ſententiam ab ullo, nedum à Philippo Melancthone, prædicaretur aliquid ſplendidius. Hoc ſanè non negaverim: Vel naturali quadam bonitate, vel voluntatis erga me propenſione, vel ſenſu humanitatis ſingulari, charius æſtimâſſe eum in me nonnulla, quàm fortaſſe mererentur, & pluris feciſſe, quàm fieri ſeverâ conſideratione deberent, ſummóq; erga me amori indulgentem (quem erga illos quos complectitur, cæcum eſſe ſolere Plato ſcripſit) non tam exquiſitè verum, quàm opinionem interdum ſuam narrâſſe. Quod cujuſmodi ſit expendendum, & hac in parte cenſuram permitto aliis, & in cogitatione de benevolentia, humanitatis, amoris erga me Philippi Melancthonis ſignificatione, facilè & libenter acquieſco. Nam mihi de me ipſo, hoc in animo eſt: Quorum tecta ſunt peccata. Cum autem ſubjectißima conſideratione, peculiari ſtudio quaſi dedicationis, harum epiſtolarum librum tuæ, Illuſtrißime Princeps Auguſte, inclytæ excelſitati putaverim eſſe mittendum: De Philippo quidem Melancthone tuam Illuſtrißimam virtutem & æquitatem do cognitricem, de me fero judicem. Adverſus enim malevolorum omnium criminationem abs te ille abſens præclarè defendetur, apud omnes, qui de ipſo ſententiam dicere debent & poſſunt. Mihi autem, quicquid tua Illuſtrißima clementia decreverit de iſto facto meo & aliis omnibus, juſtißimè pronunciatum, ex animo videbitur. Exploratam enim & notam habeo Illuſtrißimæ clementiæ erga Philippum Melancthonem tuæ ſinceram conſtantémq; affectionem: Et quicquid Illuſtrißima excelſitas tua ſtatuerit, illud, ut veritate fundatum, in omnem partem, ſine ullius alterius appellatione, comprobando amplectar. Nam id pronunciabitur certè Illuſtrißimæ excelſitatis tuæ incorrupta ſententia, quòd nemo bonus & integer, neque (quemadmodum olim locuti fuere) decuriatus, mutaturus ſit. Philipp. omniſſo Melancthonem, & propter perſpectam probitatem, conſtantiam, fidem, Tuam illuſtrißimam clementiam magnifeciſſe, & dilexiſſe propter ingenii doctrinæque excellentiam ſcio, experiendo illius ſolertiam rebus dubiis, & difficilibus animi præſentiam, & periculoſis fortitudinem. Quibus benignitas Dei æterni felicitatis aliquid etiam aſperſit, ardentißimis precibus ipſius impetratum. Quibuſcunq; enim rebus & negotiis hic vel præfuit, vel interfuit, eorum omnium exitus mediocrem habuere proſperitatem, contra plerorumq; ſæpe opinionem ac multorum voluntatem. Nunquam ita ille ceßit, ut veritatis patrocinium deſereret, aut proderet cauſam. Neque ſic tamen reſtitit, próq; ſua parte propugnavit, ut temerè, protervè, immoderatè, per contendendi cupiditatem atq; contumaciam faceret quicquam. Et conſtat tractationum earum, quibus ipſe adhibitus non fuit, nequaquam ſimilem fuiſſe fortunam. Culpent ſanè lenitatem ejus & obtrectent moderationi, & timidum appellent, & tanquam labaſcenti interdum neſcio quam ignominiæ maculam oſpergere conentur vehementes aliqui & importuni, audaces, feroces, dummodo Dei æterni adjumento, ea conſuluerit & egerit Philippus Melancthon, quæ & Reipublicæ profuerunt, & Eccleſiam Ieſu Chriſti, huicq; ſervientia opt. diſciplinarum & artium ſtudia, ſuſtentârunt, ornârunt, auxerunt: & ubicunq; ipſe affuit, ibi vel fructuoſa fuerint conſilia & conducentes actiones illius, vel non nocuerint certè aut detrimentum attulerint. Cum iſta nomini Philippi infeſta cohors tanquam tempeſtatis aut incendii ſævitiâ quacunq; pervaſit, ibi vaſtitatis & ſtragis ingentia damna, ſibiq; ipſi adeo afflictionis cauſas dederit. Quod neq; eſſet ea animorum firmitas, ut alicubi ipſi conſiſtere turbidis temporibus auderent, neq; incitatum tamen furorem vellent coercere, & conſcientiâ malâ atq; vecordiâ timidi, & improbitate ac petulantiâ effrenati. Atq; jactitant oſtentántq; glorioſi iſti quoddam robur animorum invictorum mirificum. Qui non niſi in ſpe fortunæ proſperæ exultare, & multitudinis commotæ duces eſſe, & illa minùs arridente, fugiendo ſubtrahere ſeſe, maláq; devitare conſueverunt, ſimiles prorſus Athenionis & Apellicontis, & Lyſiæ Tarſenſis, & Ariſtionis, & ſi qui alii aliquem principatum, quiete & præ-

ſente

ſente ſtatu conturbando concupiverunt. Vt quidnam iſta Gigantea ac Cyclopea ſoboles ſpectet, & quorſum tendat, conſiderandum tamen providendumq;, & quouſq; etiam progredi fortè poſſit, conjectura proſpiciendum eſſe videatur. In hoc autem genere inprimis loquace, cum audacia illud abundet, neq; prorſus hebes ſit, ſuperat impudentia, & calliditas eminet cavillando. Quæ audierunt à ſapientioribus & doctioribus, eorum nonnulla vendicare ipſi ſciunt, & his uti tanquam ſuis. Quæ verò non potuere quaſi comprehendendo, ut ita loquar, concoquere, & ſua quodammodo facere, ea obtrectando everti ſtudent, & declamitando, & libellos varios emittendo vulgus infatuantes. Cum Veritatis intelligentia paucis contenta ſit. Sed nihil eſt omnium, quo magis freti ſint, quam maledictorum conviciorumq; & inſectationum apparatu. Quem terrorem objiciunt ſtatim omnibus, qui ipſis adverſantur, vel non omninò aſſentiuntur. Etſi ille verò terror non eſt tanquam Gorgonis, *ut magnopere metui debeat, ſed ejus inſtar, quam* Mormo Græci *vocant, ſpeciem quandam ad percellendum puerorum animos idoneam, & huic ætati terribilem, ridiculam cæteris: fit tamen, ut verecundiores iſtam quoq; petulantiam, veluti mulieris procacis & meretriculæ fugientes, cum eis congredi diſputando vereantur. Sanè, quia non ſolum nihil fere eſt pudoris in ulla ætate his temporibus reliquum, ſed procacis audaciæ & protervæ temeritatis fluctibus vita tanquam mare commotum agitatur, ideo vix aliter fieri poteſt, quàm ut per ſummam licentiam hæc diſſolutè & perditè degatur, exultante procurrendo uniuſcujuſq; confidentia immodicè poſtquam & libertas maxima contigit, & quaſi vinculis vel ſolutis vel ruptis præſens tutitia, ob prioris ſervitutis indignitatem elatior fit, & cumulatur iracundia. Itaq; neſcio quo pacto omnes propemodum jam ſi non inſolenter atque indomitè, minus certè verecundè ſeſe gerunt, in ſubita improvidi curſus concitatione, Secundum ſimilitudinem* Homericam:

> In ſtabulo ut quem fortè diu ad præſepe ligatum
> Tædet equum paſtus, ruptis hic fertur habenis,
> Et latum ingrediens campi procurrit in æquor,
> Dum petit undantis ſibi nota fluenta lavacri,
> Eminet elataq; caput cervice ſuperbum,
> Sed juba per diffuſa humerum jactatur utrumq;.
> At ſpecie ipſe ſua gaudens ac robore fretus,
> Inſultans alacriſq; ſolo communia quærit
> Pabula, & in cognatum inhiat proprii gregis agmen.

Quæ eſt imago conceſſæ libertatis nimiæ, vel arreptæ etiam per occaſionem licentiæ, cum non ratione aut ordine aut conſideratione ullâ vel ſuſcipitur vel agitur quicquam, ſed impetus & inconſulta vehementia, & effrenata præcepſq; animi impotentia, cupiditatúmq; inſtigatio dominatur in factis atq; dictis. Sunt autem talia tempora gravia & magnis difficultatibus referta. Quid enim poteſt in iſto tanquam procellarum fragore, & tantâ caligine veluti nimborum, prudentiæ, moderationi, placidis admonitionibus, & omnino ſalutarium præceptorum adjumento eſſe loci? Iſtis autem ſocietatis humanæ præſidiis ſublatis, expoſita eſt nimirum vita communis vaſtitati & exitio, per barbariæ immanitatem, in religionis ſanctitatem & civilem neceſſitudinem graſſantis. Platonem *ferunt interrogatum, qua tandem acceſſione homines ſuæ ætatis aucti eſſent? Reſpondiſſe:* Eo quod improbitatis puderet neminem. *Quod malum eſt extremum & ultimum in hominum miſeria. Nam oraculum exiſtimandum, id quod pædagogus* Plautinus *ait:* Eum periiſſe, cui periit pudor. *Quod ſi quando non modò penuria pudoris, vel interitus quoque hominum vitam depravat, ſed conturbat etiam temeraria dementia pertinacia, indulgens ipſa ſibi in omnibus: Quid aliud pietatis veritatiſq; amantibus, & ſtudioſis virtutis bonarúmq; artium faciendum eſt? quam ut ſibi videant, in Dei æterni caſta veneratione, & ita ab ipſius miſericordia protecti, tanquam prælio commiſſo & diſſipatâ acie, ab exitii imminentis periculo ſeducantur. Verùm de iſto hominum genere nunc locum non eſſe mentioni copioſiori, neq; omnino opus, ut verba fiant, ſupra dixi: De rebus quoq; longior eſt habita oratio, quàm fortaſſe debuerit, aut ſaltem oportuerit in hoc quidem ſcripto, Itaq; quaſi diſceptando hactenus compellationi Illuſtriſſimæ Excelſitatis tuæ, iſta me inſeruiſſe, ſatis habeatur, & venia detur, ſi quid fortè eſt dictum immanſuetius. Reliqua eſt bona ſpes mea, Illuſtriſſimæ clementiæ tuæ, multas ob cauſas non injucundam fore Epiſtolarum harum lectionem, in quibus non tam compta & perpolita accurato & exquiſito ſtudio elegantis & venuſtæ compoſitionis, quàm pura, diſtincta, perſpicua, uſitata oratio, & rebus, de quibus habetur, conveniens, non poterit non honeſtiſſimis blanditiis legentes delinire. Quod ſi quis fortè tanquam cotidiana ac trita minúſque ſpecioſa forma alicubi offendetur: Is neque tempus quaſi ad elimandum fuiſſe relictum autori cogitet, & in epiſtolis nequaquam requiri curam ſolicitæ elaborationis, ſciátq; adeo* Philippum *voluntatis inclinatione ad hoc genus, certo quodam conſilio, propendiſſe. Precationum quidem piarum non modò ſententia repetita, ſed verba quoq; uſurpata, quæ eſſent introducta conſuetudine atq; nota: Et*

anxietatem

anxietatem indicant in miſeriis animi, & affectionem verammentis, in ea, quorum conſiderationem comprehendiſſet, intenta atque defixa. Res autem profectò, de quibus ſcribitur, ejuſmodi ſunt, ut quamvis leves, quædam exileſq; videantur, non tamen liberali cognitione ſint indigna. Quædam vero attendentibus utilitatem haud contemnendam poterunt afferre. Et incidit noſtra ætas in ea tempora, quibus antea multis ſeculis remotiora caſuum admirabilium eventa, ad noſtras terras acceſſere propius, inq; adeo has incubuerũt: Mutatis moribus, ſtudiis, ſententiis hominũ, totiuſq; penitùs vitæ rationibus. Apparuerunt detecta multa antehac latentia & occulta vitia in re Eccleſiaſtica, & patefacti errores ſunt doctrinæ: Gubernationibus publicis magnæ allatæ difficultates: Externorum inteſtinorúmq; bellorum clades ac formidines objectæ horribiles atque triſtes. Ac privatæ quoq; res plurimorum incommodis novis affecta, & hominibus cura datæ negotiorum gravium & improviſorum anxiæ atq; formidoloſa. Quibus omnibus varios & multiplices ſermones excitari, & ſuppeditari literarum argumenta diverſa neceſſe eſt. Atq; ſcimus in hôc genere tantam libertatem fuiſſe ſeculi hujus, ut illa ad licentiam animadvertendam redundaret. Quæ autem ad ſeſe & proprium quendam reſpectum pertinere Phil.Mel. *arbitraretur (ea erant Duo potiſſimum: Religio & ſtudia ſapientiæ) De illis & ſcripſit & eſt locutus utilia ac bona. Neq; ego inficior non aliquod aliquãdo minus cautè ipſum protuliſſe, & mandaſſe literis confidentiùs, non attendentem aut curantem coram quibus præſentibus verba fierent, & de iis, quibus literæ mittebantur, haud malè ſuſpicantem, non admittentem quoq; interdum admonitionem amicorum, ut eſſet aliquanto circumſpectior. Sit hoc vitium. Vitium certè eſt hominis probi & ſimplicis & aperti, & alieni ab omni ſimulatione ac dolo, & ideo nullis ſuſpicionibus locum relinquentis. Ea enim fere ſuſpicari de aliis homines conſuevere, quorum ipſi ſibi ſunt conſcii. Nam quod ad librorũ ſcripta de utriſq; attinet; Religionis & pietatis doctrinam ille in diſſimilitudine tractatuum & diſputationum varietate diſſipatam minuſq; cohærentem collegit, & coagmentatam unius quaſi corporis compage devinxit: Neq; ſupervacanea admiſcens, neq; omittens non modò neceſſaria, ſed quicquam etiam eorum, quibus additis opus eſſet ad cognitionem fructuoſam & explicationem fidelem, ſecundùm ſanctæ Eccleſiæ* Chriſti *catholicæ & orthodoxæ conſenſum. Hæc ipſius diligentia atq; elaboratio doctrinam Religionis ac pietatis nunc quoq; fulcit, & impedimento eſt multorum conatibus turbulentis, qui rurſum illam diſtrahendo & confundendo, & commenta ſua ingerendo, per diſſidia ad vulgus autoritatem & magiſterium ſibi quærunt. Nam ſecundùm veteris* Græci *verſus ſententiam: Seditione orta, improbiſſimis quoq; atq; deterrimis honos habetur. Studia autem bonarum literarum atq; artium jacentia ac ſqualida, & erexit* Phil. Mel. *ſublevando, & detergendo expurgavit. In quo etſi negotiorum innumerabilium occupationes neq; cogitationibus, neq; ſcriptionibus ocium neceſſarium conceſſere: Id tamen ille præſtitit, ut & veritas exquireretur ſtudioſius, & ad hanc via apertior magiſq; directa, inq; literarum ludis ratio inſtitutionis minus & inepta eſſet & laborioſa. Reſtituta facies eſt quædam honeſta diſciplinæ liberali, deformitatis quibuſdam maculis eluendo deletis: & ex ſpinis atq; ſalebris barbariæ & argutiarum, in planum & expeditum iter deducta opera ſcholaſticæ, ut diſcipuli & comprehendere aliquid intelligendo, & certas, firmas, illuſtres, utiles ſententias oratione perſpicua & non horrida neq; abſurda poſſent exponere. Quod illius inchoatum & ad mediocrem altitudinem eductum ædificium, non modo non abſolvi aut ſartum tectum præſtari quidam ſtudent, ſed in convellendo ac deſtruendo occupari videntur, neq; ſimplicitatem illam neq; elegantiam probantes, & renovantes verſutias imperiti rudiſq; ſeculi prioris, quaſi rerum ſua iſta non verborum cura, & ſingulare in hac affectata perverſitate acumen inſit. Quid quod quidam præcepta artium quoq;, quarum* Phil. Mel. *diligentiſſimus Magiſter extitit, jam ſpernunt, & ne pueris quidem rectè & congruè emendatéq; loquendi ac ſcribendi, & ſermonis diſerti atq; conſentanei rationem atq; viam docendo demonſtrari debere perhibent. Hæ enim certè ſunt artes præclaræ, & ad omnem doctrinam eruditionémq; neceſſariæ, Grammatices ac Dialectices. Quarum illi præcepta nugas ineptiáſq; appellando derident, delabente ſcilicet in eos neſcio unde cognitione ſingulari, & facultate eximia intelligendi dicendiq; in ora hiantium ultrò involante. Quos velati delicias facientes in ſordibus & vanitate opinionum ſuarum, quæ arrident, ea complecti & magnifacere & grata h[illegible]ere patiamur: Nos autem vera, recta, laudabilia pro virili tueamur, præſertim non ſolum pulchritudinem habentia, ſed utilitatem quoq; conjunctam: Habentes tuam, Illuſtriſſ. Princeps, clementiſſimam excelſitatem eam, quæ & velit totà mente, & viribus divinitùs tributis valeas defendere, & omni injuriâ ac periculo prohibere, cupientes amplecti à* Phil. Mel. *religionis & pietatis conformatam ſimul ac confirmatam doctrinam, necnon bonarum literarũ & artium introductã & demonſtratam rationem ac viam ingredi atq; perſequi: Neutiquam paſſura, ut in hos ſtudioſiſſimè cultos ſanctitatis & humanitatis hortos, tanquam apri vaſtatores immittantur, & ſtrages edantur evellendo præclarè conſita, et fructuosè enata excindendo. Nos autem, quibus in hoc curriculo propoſitum eſt et Deum æternum caſtè venerari, et placidè, tranquillè, appoſitè, ad publicam utilitatem, et commoditates privatas vitam degere, precibus piis non deſinimus implorare miſericordiam Dei æterni, orantes totis pectoribus, ut propitio illius favore tua Illuſtriſſ. excelſitas, totáq; Illuſtriſſ. domus veſtra ſalva incolumiſq; ad Reip. et propriarum terrarum tutelam atq; cuſtodiam benignè conſervetur, et felicitate perpetuâ augeatur, utq; hoc præſidium toti reipublicæ, et inprimis ſuæ ditioni poteſtatiq; ſubjectis populis ſtabiliatur, præpotentente manu ipſius omnia adverſa, nocentia, triſtia depellente, et conciliante immenſa benignitate ejuſdem ſecunda, proſpera, læta: tuæq; Illuſtriſſ. pietatis atq; virtutis conſilia actionéſq; ſemper & omnibus in rebus ac negotiis fortunante.*

TYPO-

EPISTOLARVM PHIL. MELANCTHONIS
LIBER QVARTVS.

Ioachimo Camerario fratri ſuo Bambergæ S. D.

Epiſt. 1. MActe iſtius animi, mi *Ioachime*, & obdura adverſus fortunam. Id verò facilè C fiet, ſi ob oculos poſueris τὴν τοῦ χριστοῦ εἰκόνα, ad quem non aliâ ratione propiùs acceſſeris, quàm ferendis tot malis. Neque dubitare debes, quin ille ſit felicem καταστροφὴν huic fabulæ inventurus: ſcis quo animo hæc ad te ſcribam. Nolo autem eadem toties ingeminare, nè videar κατὰ παροιμίαν, δὶς κράμβην. Cum ipſe ſatis intelligas, unde adverſum communes caſus petendum ſit remedium. Expectat te *Quintilianus* hactenus, quod dignum interpretem neminem ha- D bere licuerit. Niſi alienum eſt à rationibus tuis, nihil poſſis magis pium ſuſcipere, quàm ſit docendi provincia, quæ, quanquam ſordida videatur, tamen à piis contemni non poteſt. Verùm his de rebus ipſe tecum ſtatues. Ego nec optare, nec velle aliud poſſum, quam quod ſit commodum tibi. Semirbeticus ille, neſcio cur ſit iniquior nobis, cum tamen, quod jurato credas, candidiſſimè, optimáque fide, ſemper & cum ipſo omnia & de ipſo apud amicos egerim. Non ſcribam ad hominem E στωμύλον ut video ineptientem, quod ſi videtur, ſcribas tu ad eum, ut ſalutet nos aliquando per epiſtolam, qui eum, ita me Deus amet, unicè ſemper dileximus, eúmque animum, non uno beneficii genere teſtati ſumus. Sed ut video, barbarum ingenium eſt. Verùm ſinamus homini mores ſuos. Hic nihil eſt novi. Quæ de Alphabeto ſcribis, nonnihil commoverunt. Vereor enim nè vir ille privatam contumeliam, quam putat, ulturus, novo ſcandalo cauſam euangelicam oneret. Satis multos erit jam tumultus ille *Fran-* F *ciſci*: Sed fiat voluntas Domini. Vale, ſuaviſſime frater. IV. Non. Januarii, anno XXII. quo die tuas accepi.

Sebaldus Lipſiam heri profectus eſt, neſcio qua de cauſa. *Vetus teſtamentum* cuditur, in quo recognoſcendo modò nonnihil negotii nobis fit.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 2. ACcepiſtin' tandem, *Ioachime*, literas noſtras? G Scripſimus enim, niſi fallimur, quaternas. Quod unicè cupiam, ſi quo poſſim officio, pro meo erga te amore moleſtiam animi tui levare. Atq; utinam efficacius ſit hoc genus conſolationum, quod unum adhiberi à nobis poteſt. Præſentiſſimum remedium omnium calamitatum, vel me tacente, ſcis à *Chriſto* tibi petendum eſſe. Quòd ſi divitias crucis nôris, facilè ſuperaveris triſtiſſima quæque. Neque dubito firmiorem animum C fore, ſi te conſoleris contemplatione eorum, quæ velut in theatro piis omnibus exhibuit cœleſtis pater, in hiſtoria *Abrahami, Iſaaci, Iacobi, Ioſephi.* Nunc alios prætereo. Vix credas, quam me horum caſus, quomodocunque perturbatum, erigant. Vides optimo ſeni *Iacobo* jucundiſſ. uxorem eripi, poſt & filium. At quam conſtanter tulit *Ioſeph* duriſſimam in *Ægypto* ſervitutem? nimirum ſentiens, quod res eſt, nullum vitæ genus à pietate alienius eſſe, quam quod vacet cruce. Neque ignoro ego rideri hæc à palliatis Magiſtris. Et D rectè quidem. Nam Euangelium μωρίαν vocat divinus Spiritus. Tu memineris te *Chriſti* eſſe. Nimium diu torques nos deſiderio literarum tuarum. Scribe ubi primùm poteris. Nos hìc partim publicæ, partim privatæ calamitates cruciant. Vide quanta nos invidia ille nuper exortus dux belli inteſtini oneret. Aut fallor ego, aut *Iulianus* ille animo concepit. Sed quàm multos fruſtratæ ſint cogitationes magnificæ, te non fugit. Vale ὦ παμφίλτατε. Calend. Januar. Anno M. D. XXIII.

E

Ioachimo Camerario S. D.

AManter feciſti, mi *Ioachime*, quòd per bibliopolam *Iohannem* illum *Lipſicum*, me ſalutâſti. Epiſt. 3. Mirum eſt quàm cupiam ſcire ſatis nè feliciter & ex animi ſententia omnia ceſſerint iter facienti. Certè nos tibi optimè precamur, optamúſque, ut niſi periculi metus te detinuerit, ἐν ἀρχῇ redeas. *Paumgartnerum* ſalvum eſſe volo. Nondum video F illi huc maturandum eſſe iter. Hodie certò accepi, eum quem dixere nuper cum adeſſes mortuum, adhuc ſupereſſe. Quid dicam? quò me vertam? noſtro periculo furit. Quanta nos invidia onerat apud omnes bonos? & provocat *Eraſmum*, in nos ut videtur vehementiùs ſæviturum, quàm in illum συγγραφέα. Vale in χριστῷ noſtri memor. Pridie *Bartholomei*, anno XXIII. *Fuchſis* me commenda. Fratri nomine meo optimè precaberis. Commendabis hunc noſtratis *Sileſium* & *Paumgartne-* G *ro*.

Ioachimo Camerario S. D.

POſtridie quàm redii domum *Lipſia*, venit huc Epiſt. 4. *Petrus Suevenius*, evocaturus hinc, & conducturus urbi *Suevo*, Juriſconſultum. *Cicero* ridet *Trebatium* & portenti loco putat, in *Britannis* Juriſconſultum eſſe. Quid de *Pomeranis* dicas haud ſcio

ſcio an non minus horridis, quàm fuiſſe putantur *Britanni*. At hi magnâ mercede propoſitâ invitant ad ſe πολιτικοὺς ἄνδρας καὶ δημηγορικούς. Suaviſſimè cum *Petro* nugati ſumus totum quatriduum. Inter cætera jubebat, ut & *Michaelem* & te ſuis verbis ſalutarem. Hæc hactenus, nihil enim habeo quod juvet ſcribere. περὶ διαλογισμῶν erant certè, quæ ſcriberem: ſed quoties illius controverſiæ in mentem venit, mirabiliter excrucior & pene exanimor. Utinam urgerentur, omiſſis ματαιολογίαις, ut vocat *Paulus*, ea quæ ædificant conſcientias. Video, video *Joachime*, in publica cauſa privatis affectibus nimium indulgeri. Tranſcripſi tibi ex *Platone* τὰ περὶ ἁρμονίας τῶν ἄνευ λόγου, quanquam ſatis fuerat locum indicare. Et ego non tam bellus ſcriptor mihi videor, ut putem te noſtras nostras valde mirari. Hac de re nuper ἐπίγραμμα ad *Ionam* feci, quod aſcribam, ut impleam chartam,

Pingere more meo Graias conare figuras,
Non noſtros digitos exprimet illa manus.
Noſtra exempla tamen vicero Iechimus, & alter
Chaſper, Apelleam provocet iſte manum.
His æquum eſt laudem ſcribendi cedere, verùm
A Muſis calamos cepit uterq; ſuos.

Satin' ineptus videor tibi, qui ad te verſus auſim tales mittere? Quid cum *Eobano* περὶ βουκολικῶν egeris, & de itinere reſcribe omnia diligenter. Saluta *Michaelem*, & *Seilerum*. Non poſſum præ animi moleſtia ſcribere, ſic me exercet θεολογικὸν negotium. Quoquo modo expuere ex animo hanc miſeriam cupiam. Vale, III. Januarii, anno XXIIII.

Ex ſecundo libro Platonis de legibus
Char. 215.

ΕΝ αἷς δὴ παγχάλεπον ἄνευ λόγου γιγνόμενον ῥυθμόν τε καὶ ἁρμονίαν, γιγνώσκειν, ὅ, τι τε βούλεται καὶ ὅτῳ ἔοικε τῶν ἀξιολόγων μιμημάτων, ἀλλ' ὑπολαβεῖν ἀναγκαῖον ὅτι τὸ τοιοῦτόν γε πολλῆς ἀγροικίας μεστὸν πᾶν, ὁπόσον τάχους τε καὶ ἀπταισίας καὶ φωνῆς θηριώδους σφόδρα φίλον, &c.

REMEDIUM EX VOLATERRANO.

Oculos ex omnibus minimum attrectari jubet *Galenus*. Si levis morbi cauſa ſit, tantùm noxia ſubtrahenda, quæ quatuor ſunt, Fumus, Sol, Lectio, Vinum immodicum. Aqua prius tepida, deinde frigida diluendi. Et ſi oporteat, lacte, & oleo roſaceo linendi. Si altior incubuerit cauſa, quæcunque illa ſit, maximè hoc remedium proderit, in com. *Cæſaris Augusti* repertum. Piper & crocum teres diligenter, cum vino æquè ac ſucco fœniculi, quibus mellis Attici modicum, ſimul & fellis vituli ſeu vulturis addito. Deinde hoc collyrium in pyxide repoſito ac ad omnes oculorum morbos utitor.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 5. GRatulor tibi reditum in patriam ſuaviſſ. *Ioachime*. Angebar enim nonnihil, undique obſeſſis viis, præſertim tempore mercatûs *Lipſici*. Domeſtica mala non dubito quin correcturus ſit *Chriſtus*, qui certò nos reſpicit. Tuas literas longiores περὶ τοῦ α. β. καὶ τῶν ἄλλων accepi nundinis quartus. Hodie *Heſſi* tetraſtichon, cui utinam ἐξήγησιν adſcripſiſſes, nam ego ut ſcis *Philip-*

A *pus* ſum, non οἰδίπους. De negotio εὐχαριστίας non aliud adhuc ſuſceptum video, niſi ut hac occaſione, in intricatas, obſcuras; & profanas quæſtiones ac rixas conjecti animi, à conſpectu doctrinæ neceſſariæ, tanquam turbine quodam auferantur. Ego rem committo *Chriſto*, ut gloriæ ſuæ, pro ſua ſapientia conſulat. Et ſpero adhuc conſtanter eum ἀποκαλύψειν ἡμῖν καὶ ἀεὶ ταυτὶ τοῦ πράγματος τὴν ἀλήθειαν. Novi nihil habeo. *Ballerbo-*
B *dus* ἑλληνίζει σπουδαίως. Placet mihi indoles liberalis in adoleſcente. Nuper ἐν τῷ μέγαρον ex more regem domi noſtræ pueris creavimus. Fortè advenerat & *Ballerbodus*, & lata lex eſt, ut quoties habentur comitia, ſuum quiſque ſcriptum adferat. Victori προεδρία decernitur in convivio. Ibi *Ballerbodus* eleganti carmine προεδρίαν meruit: nec puduit eum nobiſcum ac cum pueris colluſitare. Quod ego documentum καὶ δεῖγμα liberalis ingenii interpretor. Puerilia ſcribo, ſed quæ ego ma-
C gis pia duco, quàm omnes iſtorum ψευδοθεολόγων diſputationes καὶ κενάς. Ego mihi ita conſcius ſum, non aliam ob cauſam unquam τεθεολογηκέναι, niſi ut vitam emendarem. Iſti viderint quid ſpectent. Θαυμᾶς noſter miris quibuſdam ænigmatis me his diebus pene excarnificavit. *Eraſmi* literas ad me acerbiſſimè ſcriptas tibi ac *Michaeli* & illius hoſpiti legendas mitto. Ac ſcripſit acerbiores ad *Urbacclium*. Nam is ante biduum hic fuit. Cætera brevi coràm. Nam ſi animo ſatisfacere
D cupiam, non queam deſinere cum ad te ſcribo. Vale, ὦ ἀδελφὲ dimidium noſtri, καὶ ἀδελφοὶ οὐχ ὡς οἱ ψευδοθεόλογοι καλοῦσιν, ἀλλὰ γνήσιοι. Dat. τῇ κυριακῇ, κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν. Scripſi hodie aliquot Epiſtolarum volumina. Nuper *Micyllum* ſalutavi tuo nomine Cave negligas ullam ſcribendi occaſionem. Meum prologum εἰς ἀνώνυχον mitto tibi, nè ἀσυμβόλως tuo carmine fruamur. Vale. M.D.XXIV.

Ioachimo Camerario S. D.

E DEfatigatus ſum hodie antelucanis operis, dum aliquot epiſtolas abſolvo. Sed videor mihi recreari, & reſpirare, ubi ad te ſcribere cœpi, vellem liceret longiſſimè. Sed tabellarius properat. Invitat me *Hieronymus Noribergam* honorificâ conditione. Ego abſterreor imbecillitatis meæ conſcientiâ, præterea hic hæreo, ceu vinculis *Vulcaniis* impeditus. Et planè lupum auribus, quod aiunt. Et quidem καὶ τὴν φιλοσοφίαν, opto urbi illi commodiorem profeſſorem, & locupletiore Epiſt. 6.
F facundiâ contingere. Ego meo me pede metior. Scripſi multis verbis in hanc ſententiam *Hieronymo*. Sed tu, mi *Ioachime*, quid conſilii das? Res redibit mihi non ut illi tandem ad raſtros, ſed ad merces meas, de quibus ſæpe jocabar. Hic deſiderium tui magnum omnibus reliquiſti, ſed mihi diuturnum: crucior enim non vulgariter, quod à te diſtraxit me utriuſque fortuna Non modò in domeſtico illo uſu noſtro, & de ambulationibus, ſed in omnibus ſtudiis te requiro.
G Sed perferam hæc, modò fortunet Deus inceptum tuum. Rogo autem, mi *Ioachime*, quod eſt æquum vel alieno præſtari, ut redames nos verè & ex animo tui amantes. Poſtularem illud meritis dari, ſi qua mea in te extarent, ſed non ſinit fortuna mea, declarare & teſtificari amorem erga te meum. *Lutherus* mittit ſpecilla, quorum tu eras oblitus, & ſalutat te reverenter. *Eraſmo* nondum

cœpit

cœpit reſpondere, tam varie, ut ſcis, occupatus. A
Michaelem ſaluta, & ſcribite per occaſionem. Vale feliciſſimè. Prid. Calend. Novembris, Anno M.D.XXIV.

Ioachimo Quæſtorio, S.D.

Epiſt.7. FFres, mi *Ioachime*, noſtras ineptias. Heri ad te binas, hodie addo tertias, videórque mihi tanquam coram nugari tecum: qua in re ſiquid pecco aut abuti videor tuo ocio, veniam da B
quæſo, amori meo. Heri cum fortè in *Ciceronis* locum incidiſſem περὶ Κύρου παιδείας, venit in mentem, quod recepiſti te curatu nobis, ſi quo modo poſſes, exempla *Xenophontis*. Libuit ejus rei te commonefacere. Nam mihi jam literæ, ac muti congerrones quærendi ſunt, poſtquam veſtrâ conſuetudine frui non licet, quæ certè ſæpe pro bibliothecis etiam mihi fuit, καὶ ἀντὶ χορῶν. *Ionas* heri pollicebatur ſe ſcripturum, ſed nôſti hominis ῥᾳδιουργία. Habeo quædam, quæ non eſt C
tutum committere literis, quo magis deſidero te, magiſque crucior. Verùm ego hunc dolorem fortiter feram, modò tibi bene ſit, Quod faxit χριστός. Expecto abs te literas de ſtatu rerum tuarum, quas tametſi ego juvare non poſſim, tamen cupio cognoſcere. Aliis alia ſunt vicia. Ego mirè afficior amicorum rebus cum ſecundis tum adverſis. Nam mihi crede miſerabile fatum *Neſeni* ita me nonnunquam commovet, ut perhorreſcam toto corpore. Mitto epiſtolam ad *Baumgartnerum* D
de noſtro negotio. Nam in tuum ſinum iſta mihi omnia ſunt effundenda. *Michaelem* ſaluta. χριστὸς cuſtodiat vos. Anno milleſimo quingenteſimo viceſimo quarto.

Ioachimo Camerario S.D.

Epiſt.8. CUm ego negotiis multiplicibus diſtrahar, neque tamen occaſionem ullam prætermittam mittendi literas ad te, debebas tu eſſe magis ſedu- E
lus in ſcribendo. Quamvis enim moleſtiæ & difficultates tibi multæ offerantur, certè non tam triſtia neque ταραχώδη καὶ ἀνήνυτα negotia objiciuntur atque mihi. Quæſo igitur te, ſæpe & multum mihi ſcribito. Potuiſti præſens perſpicere, & omnino perſpexiſſe te confido affectionem amoris mei erga te. Credo divinitùs nos conjungi, & noſtram conjunctionem profuturam rebus communibus ſpero. Etſi quæ ego à primâ ætate ſtudia coluì, quibuſque tu jam incipis eminere, ea non F
magnifieri à pleriſque video & indignor. Et metuo nè hoc tantum bonum ingrato ſeculo noſtro oſtenſum Deus mox rurſum ſit erepturus. Multa mihi veniunt in mentem hoc loco, quæ poſſent rectè dici, ſcribi non placet, quo magis colloquia noſtra deſidero, & doleo diſceſſione tuâ abrupta eſſe. Quæ tamen tanti non facio, ut malim his fruendo ſerviri meæ cupiditati, quàm tuis rationibus conſuli. Vale. *Catharina*. Anno milleſimo quingenteſimo viceſimo quarto. G

Ioachimo ſuo S.D.

Epiſt.9. PRæter opinionem accidit, ut diſtulerit abitum in craſtinum noſter tabellarius, quare à prandio rurſus ſcripſi, tametſi nihil haberem novi. A
Libuit tamen confabulari tecum, tanquam cum præſente. *Slechta* cauſa miſi nuncium in *Boemos*, huic literas dedimus ad *Haſſenſteynium* περὶ ἀργυρίδων λόγων. Is intra paucos dies redibit, bona ſpes eſt allaturum quæ volumus. Quod ſi *Ariſtidæ* copia nobis facta fuerit, mittemus tibi certè δεῖγμά τι operis. *Politianus* valde laudat orationes κατὰ φιλοσόφων. Ego quomodo hoc argumentum tractârit homo copioſus, mirificè cupio cognoſcere. *Lutherus* dies aliquot non ſatis B
bellè valuit. Credo angi etiam publicis illis σκανδάλοις. Interea à *Sigemundo* ex *Francofordia* literas accepi, in quibus te quoque multis verbis ſalutat. Scripſit autem penè ἰδιωτικῶν. Ex *Francofordia* cum *Carino* domum profectus eſt. Ego hic vivo, non aliter atque in ſolitudine. Sodalitia τῶν τῶν ἀγαθῶν ferè nulla, quibus ego nullo modo delector. Itaque domi velut claudus ſutor deſideo, quod in tali valetudine mihi permoleſtum eſt. Vale feliciſſimè. Saluta tuos. χριστὸς ſervet vos. C
Anno M.D.XXIV.

Ioachimo Camerario S. D.

EX literis tuis de itinere, déque reditu tuo in patriam, quæ volebam cognovi. Fuerunt itaque mirabiliter jucundæ. Primúmque illis acceptis, reſpirare videbar à moleſtia, quam ex tuo diſceſſu conceperam, quæ fuit ſanè gravior aliquanto, quam ut libeat de ea ſcribere. Sed vincam Epiſt.10.
D imbecillitatem meam, modo tuo bono verteris ſolum. Et nihil hic erat, quod retinere te poſſet. Hic hederæ ſine honore jacent, ut ait ille. Gratulor tibi reditum, optóque ut fortunet *Chriſtus* tua conſilia. De *Epicedio*, quod ſcribis, mi *Ioachime*, ζῆλ' οὕτως, ut nulla ſit cauſa, cur edatur, alia; certè caſus ille meretur defleri. Non tam amici memoria ac deſiderium cruciat, quam illud ipſum horrendum genus mortis. De genere verſuum, déque ipſo opere nihil attinet ſcribere.
E Nam de ingenio tuo, déque facultate illa tua, vel in ſoluta oratione, vel in faciendo verſu, quid ſentiam, malo ex aliis te audire, quàm ipſe perſcribere. Et tamen ἀγωνιστὰς καὶ ἀσκήσαντας, aut tu mihi videre ruinam literarum ſuſtinere poſſe, aut præterea inter noſtros homines id nemo poterit. Quam ob rem te adhortor, ut quod facis, pergas ſedulò facere, & illa tua ſtudia urgere. Nos hic incredibili labore provinciam noſtram tuemur. Nam laborem etiam tuus abitus auxit: ſcis
F enim quantam vim habeat αὐτὰ δὴ ἐγκώμιον *Ariſtiden* accepi. *Platonem* ſibi delegit exagitandum. Tractat enim diſputationem quæ eſt in *Gorgia* illius. Sed ubi erit tantum ocii, curabo tibi δεῖγμα, unde guſtum operis facias. Hodie accepi, de exilio, novum libellum, videtur bene Latine loqui, verùm inſpexi tantum, miſiſſem, ni conveniſſet ut ego priùs legerem, quippe cui verè nunc exulem, & à patria, & à vobis diſtractus. *Chriſtus* ſervet te. Pridie *Barbaræ*. Anno
G M.D.XXIV.

Ioachimo Camerario S.D.

SCripſi nuper ad te adeo, verum quia decrevi neminem hinc ad te mittere ſine noſtris literis, dedi huic etiam epiſtolam. *Simon* ex *Heidelberga* ſcribit ſe in *Quintiliano* recognoſcen- Epiſt.11.

do diu jam eſſe, rem extrahi medici culpâ. Et tamen liberaliter pollicetur, proximis nondinis ſperare ſe miſſurum eſſe recognitionem. Ex *Francofordia* ſcribit *Micyllus*, conditionem ſe ῥίγγειν. Atque hæc multis ad *Juſtinianum*, quod vix credas, quàm me delectet, vel ipſius, vel literarum cauſâ, quas ille videtur exciraturus eſſe. Et vides opus eſſe non mediocribus ingeniis adverſus vulgi καὶ τῶν σοφιστῶν μανίαν, ad tuendam rem literariam. Mihi gratias agunt *Francofordiani*, quod talem miſerim doctorem. Mitto τὴν κωμῳδίαν. B Sed aliæ ejus literæ ſunt clarius ſcriptæ. De choris ſcribit. Ego præter ea quæ ſunt apud *Pollucem*, nihil habeo. Et haud ſcio an plura extent. In *Sophoclem* χίλια habemus, ibi videro. Hodie in menſa cum fortè interrogaretm filiam, ubi *Ioachimus* ac *Michael* eſſent, illa ſubjecit, reverſurum celeriter utrumque, quæ cum perbellulè eb albutiviſſet, ego cogitare ſic cœpi, Aut omina nihil ſunt, aut hi brevi redibunt, quod utinam veſtro commodo fiat. Sed C extra jocum, ego ſeriò decrevi, ubi primum finet hyems, te viſere; Nam omnino hæ occupationes meæ talibus feriis interrumpendæ ſunt. Tu ſcis illud:

Ocia corpus alunt, animus quoque paſcitur illis.

Ego quaſdam nugas ſcribere inſtitui, quarum argumentum ſpero tibi placiturum. Oratio etiam placeret, ſi tua mihi Νηρίτης eſſet, aut *Michaelis* ἀκρίβεια. *Ariſtides* ſic ſatis placet, videtur voluiſſe Atticus eſſe, nôſti id genus, imbecillitati hoc D nomen prætextimus. Vale. *Michaelem* ſaluta καὶ συμφιλολογοῦντα *Seylerum*. Iterum vale. Poſtridie Conceptionis, Anno milleſimo quingenteſimo viceſimo quarto.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 12. BAmburgenſis ille nuncius reddidit literas tuas, cum verſiculis de *Nauſea*; gratiſſima erant omnia, πλὴν τοῦ ποιητικοῦ. Et quia nuncius E ſibi iter eſſe ad *Balthicum* mare dicebat, nolui ad illas reſpondere copioſius. Hoc epiſtolion dedi nuncio poſtulanti à me indicium aliquod, quo ſuam fidem tibi probaret: fortaſſe aucupatur pecuniam abs te, nôſti hos πολύτροπους, ἀλλ' ἐγὼ συμβουλὴν ἴδμεν. Vale feliciſſimè. Prid. Cal. Februarii, Anno M.D.XXIV.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 13. NOn dubito quin adventûs noſtri expectatio- F ne factum ſit, cur aliquandiu nihil ſcripſeris, alióqui ſilentium tam diuturnum impatientiſſimè ferrem. Porro ego cum impenſè cupio expatiari, téque ac *Michaelem* complecti, tum occaſionem primo quoque tempore excurrendi capto. Sed hactenus me res domeſticæ detinent. Nam ante ferias Saturnalium vulgi, is dies nuptiarum *Camiciani* fuit, Die *Hilarii* filiolus mihi natus eſt, non ſine periculo. Nam mater triduo ante, dum in culina verſatur incautiùs, collapſa, uterum graviter ad- G flixerat ſolo, id in cauſa fuit, cur immaturum adhuc fœtum ediderit. Et præterquam quod uxoris valetudo, & ſobolis infirmitas domi nos alligabant, ipſi etiam ita affecti eramus, ut ſine ſumma ſolicitudine procul domo abeſſe non poſſemus. Ego autem tecum vacuo ac libero animo eſſe cupio, ut vobis frui poſſim. Proinde extrahi- A tur paulisper adhuc conſilium de profectione. Poſtridie Calend. Mart. à *Caroloſtadio* ſunt allatæ, cuibus poſtulat, ſi queat publicâ fide, colloqui cum *Luthero* de ſuo negotio. Erant literæ ſic ſatis humanæ, ſed nonnihil tamen habebant aculeorum. Poſtulabat tabellarius eo ſtatim die dimitti. Reſpondit itaque *Lutherus*, ſe ad te miſſurum literas Principum, aut per te reſponſurum quid impetrârit. Nihil præterea. Ego nihil minus puto futurum, quam ut ulla quieta ac moderata con- B ſilia admittantur. Videt illud Alphabetum adplaudere multitudinem, cujus favorem & gratiam jam olim mihi viſum eſt pluris, quàm divina humanáque omnia facere. Aut παλιγγενεσίᾳ quadam immutatum eſt, aut incredibili ambitione μανίας. Libenter enim utor *Demoſthenico* verbo. Ego, quantum poſſum in his turbis, conſolor me precibus. Domeſtica incommoda, præ publicis, ita me ames *Joachime*, vix ſentio. Mea valetudo ſenſim fit deterior, uxor convaleſcit, C & infans bonam ſpem nobis facit, fore ut vivat. Scitus & elegans videtur. Spero brevi conventuros nos. Vale feliciſſimè. *Michaelem* & hoſpitem illius humaniſſimum virum ſaluta. Poſtridie τῆς κυριακῆς τῶν. μ. Anno M.D.XXV. Mitto non injucundum hominis *Itali* de exilio ſcriptum.

Ioachimo Camerario S. D.

D PErgrata mihi tua in ſcribendo ſedulitas eſt. Epiſt. 14. Accepi enim binas abs te brevi temporis intervallo. Poſteriores attulit pumilio ille, qui quanquam ſit vappa, tamen hic non fefellit te. Præſertim autem hoc tempore plurimum voluptatis attulere literæ tuæ, quod ancipiti valetudine aliquandiu conflicter. Dies jam multos à prælectionibus publicis ferior, coactus illâ meâ implacabili propemodum inſomniâ. Hanc auget etiam animi mœror, quem partim publica ma- E la faciunt, partim domeſticæ curæ. Quanquam enim ſolatio ſit parva filiola, recèns natus infans, uxor: tamen cum meam valetudinem reſpicio, & præmetior periculum illorum, ſi—: ſed nolo δυσφημεῖν ipſe mihi, certè σωτηρίας καὶ περὶ λοιπῶν μελλόντων crucior. Interea nemo ſodalium aut amicorum eſt, in cujus ſermonibus magnopere acquieſcere poſſim. *Lutherus* eſt ille quidem noſtri amans, ſed is, quod potes credere mihi tute, κακοπαθεῖ & angitur varie, ut ejus quoque F vicem, cum familiariùs colloquimur, dolendam mihi putem, reliqui aut non vacare mihi poſſunt, aut vulgus ſunt. Ubi auram hanc non admodum vernam ferre poterimus, iter ad te ſuſcipere decrevimus. Spero nos ſecundùm ferias palmarum iter ingreſſuros eſſe. Eriguut me nonnunquam ſacra, ad quæ video in his malis tanquam ad ancoram verè ſacram confugiendum eſſe. περὶ τοῦ ἀδ. ſubinde graviùs ſuſpicari cogor, malo conſilio motam eſſe hanc tra- G gœdiam. Pueros meos cogito *Lipſiam* ad *Lutherum* aliquantiſper mittere, nam aër noſter neſcio quid minatur. Hæc per *Aurogalli* puerum ſcribo, profecturum ad *Dacicum* Regem. Per *Chriſtianum* χρυσοχόον reſpondebo περὶ θεολογικῶν. Vale. X. Cal. April. Anno milleſimo quingenteſimo viceſimo quarto. *Michaelem* ſaluta & illius hoſpitem.

Ioachimo

Ioachimo Camerario S.D.

Epiſt. 15. DE filiolo nato per *Vuolfgangum Spengleri*
παιδαγωγὸν ſcripſeram ad te, cum hàc iter fa-
ceret *Syndicus* ille *Noricus*. Poſtea alia per *Auro-*
galli puerum, quas epiſtolas ſi accepiſti, teſtatam
opinor tibi eſſe meam in ſcribendo diligentiam.
Nam tu amanter facis, quòd nullam prætermittis
occaſionem ſcribendi. Pridie hujus diei accepimus
B literas allatas huc a quodam ſacerdote, homine, ut
quidem videtur, non immodeſto. In illis mones
περὶ ἀιτιολογικῶν. Eſt res mihi curæ, & τῷ Θεολόγῳ
oſtendi literas tuas, ut videret à bonis vitia flagi-
tari hac in re ſententiam & judicium ſuum. Intel-
ligo autem opus inſtitutum eſſe, quare ſpero brevi
abſolutum iri. Eſt enim apud iſtum inprimis, ἀρχὰ
ἥμισυ παντός. Tu videre mirificè tecum luctari, &
cum animo tuo de religione conflictari. Hunc ego
ἀγῶνα ſanè tyrocinium eſſe pietatis interpretor,
C & ſignificationem timoris Dei. Sed hic tibi præ-
ſtandum eſt, dum diſputas, ſint ne illi motus animi,
ψυχικοὶ ἢ Θεόπνευστοι, dum ἐθελοντὴς περὶ τῶν certiorem re-
quiris, ut firmo animo ſis, & qui ſe divinæ volun-
tati permittat, etiamſi non ſtatim, quæ tu velles, &
ut velles, Deus dederit. Opinor & nunc multos, &
olim naſcentis Eccleſiæ temporibus innumerabi-
les à religione deſciviſſe, propterea quòd non ſta-
tim contigerit uberiorem guſtum facere cœleſti-
um illarum rerum, quas promittit religio. Certè
D ὁ περίφρων in hanc ſententiam multa diſputavit.
Tantùm hoc habe, certas conſolationes καὶ θεοπνεύστους
haud fere ſentiri, niſi in magnis calamitatibus, &
ſeriis animi anguſtiis. Nam per crucem ſe *Chri-*
ſtus nobis oſtendit. Egóq; ita ſentio, niſi in malis,
abuſuros nos eſſe donis illis, Ideóque ſatius eſſe hu-
mili & dejectâ mente expectare beneficia Dei,
quàm præire illi ac præſcribere, quomodo & quid
debeat dare. Quid, quod illa ſæpe carnali adfectu
petuntur. Noſtra quærimus, non ut illi placeamus,
E ſed ut nos lauti ſimus. Idque latè patet. Ergo de
Dei conſiliis de te, noli diſputare, & utere bonis
quæ concedit grato ac pio animo, ac perge facere,
quod debes. Cætera ſine ut curet ipſe, quemadmo-
dum ad fratrem *Ioab* inquit, II. *Reg*. X. Quid e-
nim fit iſtis diſputationibus, niſi ut exulceretur a-
nimus adverſus judicium Dei? quo peccato non ali-
ud in mundo majus eſt. Idq; eſt, quod dicunt, le-
gem iram operari. Propterea cum ſæpe alias, tum
ad *Ro*. XII. *Paulus* præcipit, ut ſpe gaudeamus, ut in
F tribulatione patientiam præſtemus, ut aſſiduo ore-
mus. An tu *Ioachime* negabis te patri eſſe curæ?
Nondum dices ſentit illius benignitatem animus.
Imò verò jam obruitur illa lux animi moleſtiâ,
ac diſputationibus iſtis, quæ tamen erumpet atque
emicabit juxta conſilium Dei. De hac re deq; aliis
tuis quæſtionibus coram brevi, ut ſpero. Ego dum
his diebus ocium valetudo ac ferias fecit, in medi-
corum libris legendis bonam temporis partem
conſumpſi: Inveni & veterum περὶ γλυκείας ῥίζης
G ſententias, ea eſt, quam vocant noſtri corrupto
Græco nomine *Lycirizam*, *dulcem radicem* vertit
Plinius. Sed hoc à *Dioſcoride*. Hæc ſcripſeram, cum
venit *Stiberus*, & veſtras literas καὶ τῷ α. δ'. reddit.
Has ego priùs perlegi, quàm pergerem. Porro, vi-
ſum eſt abſolvere hanc epiſtolam. Juſſi autem ut
mox & *Stiberus* ſcriberet. Erat enim mane abi-
turus nuncius. Hoc inquam diſſentit à *Dio-*
A *ſcoride Plinius*, quòd echinata folia γλυκύρριζον di-
cit habere, *Dioſcorides* ἐοικότα σχίνῳ id eſt Lenti-
ſco. Et Lentiſcus ſanè cujuſmodi ſit, non eſt igno-
tum. Tu quid ſentias ſcribe, atque etiam an ejuſ-
modi folia ſint radiculæ veſtratis. Libuit adſcribe-
re, quæ de ea legeram ἐκ τοῦ Θεοφράστου in *lib* 9. περὶ
φυτῶν, ut veſtratem radicem rectiùs noſceres.
γλυκεῖα δὲ καὶ ἡ σκυθικὴ καὶ ἔνιοί γε καλοῦσιν αὐτὴν εὐθὺ
γλυκεῖαν ῥίζαν. γίνεται δὲ περὶ τὴν μαιῶτιν. χρησίμη δὲ πρός
τε τὰ ἄσθματα καὶ πρὸς βῆχα ξηρὰν, καὶ ὅλως τὰ περὶ τὸν θώρακα
B πάθη. ἔτι δὲ πρὸς τὰ ἕλκη ἐν μέλιτι. δύναται δὲ καὶ τὴν δίψαν
παύειν, ἐάν τις ἐν τῷ στόματι ἔχῃ. διὸ ταύτῃ τέ φασι καὶ τῇ ἱππάκῃ
διάγειν τοὺς σκύθας ἡμέρας καὶ ἕνδεκα καὶ δώδεκα.
Hæc *Theophraſtus*. *Stomaticam* dixit *Plinius* glycy-
rizam eſſe: *ſtomachicam* putavit *Hermolaus* legi
debere. Sed hinc apparet quid voluerit *Plinius*.
ὁ διδάσκαλος ad te ſcribit. περὶ τῶν παλαιῶν, ſed bre-
viter. Tota res ἐν τῷ ἀντιλογητικῷ copioſe tractabi-
tur, ut ſpero. περὶ τοῦ α. β'. Senatus Principis decre-
verat ut daretur commeatus, ἄρχων ipſe recuſat.
C Scis ejus naturam. Nunc omninò puto profectu-
rum illud alphabetum *Malhuſium*, unde non lite-
ras modo alias, ſed omnes cives etiam ejicient, qui
ἀναμαίνεσθαι nolunt. Regnum ibi gerit *Thomas*. Ego
pro certo accipio, nuncium miſſum eſſe ad accer-
ſendum τὸν α. ς'. Tabellarius τῷ α. ς'. quantum ego
accipio, præter meritum tam tragicè queſtus eſt
de noſtra urbe. Sed committamus hæc Deo, nos
noſtræ conſcientiæ atque vitæ conditionem vi-
deamus. De profectionis conſilio tractabo cum
D *Stibero*. *Michaeli* ſalutem dices noſtro nomine. Et
mihi medici interdixerunt uſum librorum. At ego
bonam *Dioſcoridis* partem interea percurri. Et
ἐτυμολογίαν *Latinam* pueris abſolvi. Hæc ego non
ſcribo ambitioſe, verùm, ut infelicitatem meam
conſideres; cui nec in tam mala valetudine ocium
eſt. Vale feliciſſimè, mi *Joachime*. Saluta amicos.
Domi noſtræ in crepuſculo. Die Martis μετὰ τὴν τῶν
βαΐων. M.D.XXV.

E *Ioachimo Camerario* S.D.

FAcio profectò mi *Joachime*, quod ſcribis, mé- Epiſt. 16.
que in his malis, quantum poſſum munio, ſu-
ſtentóque præſidio ſacrarum literarum. Neque
enim aliud ſatis firmum adverſus tantam vim,
tantóſque impetus vallum, præter illas, invenio.
Sed valetudinis incommoda nunc auget *Suevicus*
ille perniciociſſimus motus. Bis enim ita jam
quaſſavit animum meum, ut penè exanimârit.
F Hoc agitabat diu jam Satan, ut religionem, ut ci-
vilem diſciplinam, ut res bonas omnes civili bel-
lo everteret. Idque fit prætextu religionis. *Chri-*
ſtus homicidam ab initio fuiſſe Satanam dixit;
Nec eſt quòd putemus nunc aliud agere, quàm ut
faces injiciat, & incendium excitet quoquomo-
do. Hoc ſpectabant portenta, quæ nata ſunt tam
multa proximo anno, vitulomonachus certè
depravationem *Lutheranæ* doctrinæ in carna-
les & pernicioſas opiniones ſignificabat. Ar-
G cus noctu à me viſus in nubibus in *Loſeri* do-
mo ſignificabat haud dubiè popularem motum.
Nam ſimillimus mihi viſus erat ante popu-
larem motum *Vuirtenbergicæ* ditionis. Hæc cum
expendo, cum colligo vitia ἀρχόντων, quæ ſunt
innumera, cum furorem multitudinis, cum ex-
empla hiſtoriarum. divinique judicii ſignificatio-
nem conſidero, nullam habeo ſpem fore, ut ſtent

diutiùs Reſpub. Et cum angor valetudinis cauſſâ, tum hæc accedit perturbatio, cui nullo modo par ſum ferendæ. Et liberi mei hic etiam obverſantur oculis meis, animóque, qui certè, ſi qua Reſpub. eſſet futura, aut civilis diſciplina, haberent receptum aliquem & lares aliquos, tametſi hæc res non admodum me exerceat. Vides itaque, mi *Ioachime*, cur meum conſilium de profectione non maturem, neque enim mutavi. Sed tam triſti tempore non fuit ulla peregrinatio ſuſcipienda eo ubi τῷ κακῷ δαίμονι omnia imputantur. Et erat eundum cum tanta frequentia comitum, qui noſtram profectionem celebriorem etiam redditurі erant. Poſſem excuſare valetudinem, ſed quia vulgare hoc eſt, parum fortaſſe fidei habet, tametſi facilè mihi credas: Et *Sebaldus* docebit, his proximis diebus acriter me vexatum eſſe inſomniâ, & medici abſtinere jubent, a ſole, & vino, ſi quis laboret [illegible]. Neque tamen congredi tecum deſpero. Ipſe cum uno aliquo comite clam ad te hinc evolabo. Erat hoc etiam cur modo non admodum liceret ire. Omnibus modis *Sebaldus* erat me pertracturus ad ſe: noſti hominis vehementiam καὶ [illegible], [illegible]. Ejus res ego non admodum adjuvare ibi poſſum. Et tamen, ſi quid poſſum, literis fecero. His ego rationibus adductus hoc tempore, his comitibus optimis certè & ſanctiſſimis juvenibus & ſtudioſis mei, ſed propter ſpeciem celebritatis, nimis multis, & hac valetudine, profectionem nolui maturare. Sed expectabis nos tamen. Ego nihil antiquius, & nihil majus in terris duco, quàm ut tibi, ſicubi res poſcat, gratum faciam. Et hoc officium eſt ex illo ordine notáque vulgari, cujuſmodi exigere religioſè non ſolemus. καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. *Lutherus* articulos ruſticorum ſcripto publico improbabit, & tamen Principes ad æquitatem hortabitur. Me nunc extrahit *Lutherus* ex oppido ad ſuos certè invitum. Ac ſic properabat, ut in ipſo die Paſchatos excurreret. Evocatur propter neſcio quæ negotia Eccleſiæ illic conſtituendæ. Vale καὶ εὐτύχει. *Michaelem* & hoſpitem illius, tuóſque amicos omnes ſaluta noſtro nomine. Pro publico ſtatu non deſiſto orare, idq; ut vos faciatis, túque *Michaëlq*, vehementer rogo, nec volo te dubitare aut diffidere, quin tuæ preces exaudiantur. Exercet Deus fidem noſtram vel diſſimulando, vel differendo. *Lutherus* te ſalutat. Anno milleſimo quingenteſimo viceſimo quinto.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 17. SEbaldus nos extra oppidum ſecutus eſt hodie ad *Bitterfeldium* uſque. Ibi cum fortè ad amicum quendam *Norimberga* ſcribi poſtularet, adjeci has ad te literas, propterea quod hæc venerant in mentem in itinere cogitanti de motu *Suevico*. Quæſo, ut diligenter explores an ad hanc factionem latronum ſe noſtrum Alphabetum contulerit, quem alii jam ſuſpicantur fulminare, καὶ πάνυ τυραννικὸν πνεῖν, non quidem, ut *Pericles*, ſed ut *Spartacus* aliquis aut *Bargulus*. Cupio etiam ſcire, an inter ruſticos ſit *Ciconia* [illegible] anteſignanus. Is pollicetur ſibi imperium orbis terrarum, & ferunt intra quadriennium futurum, ut rerum potiatur, & inſtauret ſacra, & Reſpub. tradat ſanctis viris tenendas. Sic prædicant, Apparuiſſe aliquando angelum, qui dixerit ei, futu-

A rum ut *Gabrielis* ſolium occuparet, quibus verbis regnum promiſſum putant. Hæc dubitabam, an ex me antea audiſſes: propterea ut ſcires, perſcripſi ad te, qui cum ego omnes cogitationes animi mei uno communicare, apud quem deponere omnes curas ſoleo. Vale καὶ εὐτύχει. Datæ *Bitterfeldii* Anno M.D.XXV.

Ioachimo Camerario S. D.

B TUas literas hodie, paulò ante quàm flagitaret ad te noſtras *Patus*, acceperam. Intelligo in quo verſeris diſcrimine. Nemo enim bonus vir, dum utraque pars iniquum poſtulat, videtur aut promoturus aliquid in proponendis remediis horum malorum, aut ſatisfacturus alterutri parti. Proximum eſt ergo, ut quos huc, in extremo ſuo periculo, vocat patria, ii morem gerant, ſi non patriæ, certè voluntati Dei, qui hanc operam fortaſſe fortunabit in conſtituendo ſtatu civita- Epiſt. 18.
C tum. Ego, cum omnium terrarum pacem à *Chriſto* peto, tum tuam etiam ſalutem, túque conſilia illi commendo. *Bambergenſis* ille civis pridie abierat, quàm ego literas ad eum abs te ſcriptas accepiſſem. Videris angi, [illegible]. Quid ita? Legem inquis nolim ferri. An tu legem ferre putas eum, qui permiſerit doceri Evangelium? quum Pater præceperit, *Hunc audite*, & *Chriſtus* malè precetur recuſantibus audire. Hoc magis eſt videndum, ut idoneum habeat [illegible]
D [illegible]. Scis autem quam illi rari ſint, cujuſmodi peſtes ſint rerum publicarum quidam, cum [illegible] tradunt [illegible], de reditibus, déque innumeris aliis, quæ ad civilem adminiſtrationem pertinent, ad *Chriſtum* nihil. Nos hic in ſummo diſcrimine verſamur. Nam noſtrorum quidem Principum [illegible] ſic ſatis eſt quieta. Et tamen, ſi ſucceſſerit res *Mencero*, niſi *Chriſtus* nos ſervârit, actum fuerit de nobis. *Mencerus* pluſquam *Scythicam* crudelitatem præ
E ſe fert, & dici non poteſt, quàm dira minetur omnibus, qui ſeditionem improbant. Saluta *Michaelem* & hoſpitem. Agè verò exuſcita te, & in his malis diſce Deo fidere. Hic ludus, hæc ſchola eſt *Chriſtianarum* rerum. Vale. Idibus Maiis, Anno M.D.XXV.

Ioachimo Camerario S. D.

PLus menſem jam paſſim erronum more va- Epiſt. 19.
F gor. Ex *Iſlebia* cum domum rediſſem, mox cum *Caſpare Crucigero Magdepurgam*, inde *Torgam*, heri domum ventum eſt, ubi accepimus ex amici cujuſdam non levis literis, ad *Francuſium* in *Turingis*, legionem *Monetarii* fuſam ac victam eſſe, magnum numerum ruſticorum eſſe jugulatum. Ipſe vivus captus eſt, cum tamen ſub primam coitionem aufugiſſet, & ſe in quodam monaſterio monialium abdidiſſet. Miſerum hominem, in illis ipſis latibulis captus eſt, in quæ
G maximè ſæviit, & donatus Comiti *Erneſto* à *Mansfeld*, quem appellabat ipſe *Ridiculum* ſuâ linguâ. Ego etſi graviter afficior cæde miſeræ turbæ, quanquam cogantur Principes latrocinium opprimere, tamen, ſi eſt ut ſpero, gaudeo captum eſſe ducem ſeditionis; Non tam, quòd ſpes eſt fore res tranquilliores, quàm quòd extat non leve documentum ſpiritus quem jactabant.

jactabant. Bone Deus, quale regnum, quam ſuaviter ſibi ſomniârunt? quibus vaticiniis ementitis perpulit ad induenda arma ſtultam multitudinem? Quoties pollicitus, ſe in prima acie futurum, cœleſtibus oraculis juſſum, ut publicum civitatum ſtatum mutaret. Hæc fefellerunt omnia. Itaque quantam maximam poteſt animus gratiam capere, habeo *Chriſto* precórque, ut cætera etiam fortunet, & vicia Eccleſiæ mitiùs emendet. Nunc evocamur *Erfordiam*, nudius quartus huc allatæ ſunt literæ ſenatûs ad conſtituendum urbis ſtatum. Tu, mi *Ioachime*, erige animum fiduciâ in *Chriſtum*, & adjuva Rempub. precibus tuis. Video animum tuum vehementer angi non modò publicis malis, ſed conſcientiæ morbis. Major opinione eſt *Chriſti* bonitas, mi *Ioachime*, nec tu adſpernere vocantem ad ſe omnes qui ſunt onerati. Vale, *Michaelem* ſaluta, & hoſpitem ejus. De veſtris rebus nihil jam certi habemus. Die Veneris poſt *Cantate*. Anno M.D.XXV.

Ioachimo ſuo S. D.

Epiſt. 20. CUm veniſſet huc D. *Stiberus*, expoſuiſſetque quanto in periculo verſarere, cenſebat, ex re fore tua, ſi qua προφάσει domo evocareris. Ego tametſi non video, quomodo à patre diſcedere poſſis, tamen mitto literas & ſcholæ, & ſenatorum Principis amanter ſcriptas, quæ, quanquam ſint ad πρόφασιν ex conſilio *Stiberi* comparatæ καὶ ἐσχηματισμέναι, tamen quæſo ita perſuadeas tibi, ſerio nos eſſe tui cupidiſſimos. Verùm de toto negotio pro tua prudentia ſtatues. Si conſultum videbitur, domo ſecedere aliquantiſper, latere nuſquam potes commodiùs, meo quidem judicio, quam hic. Et inter nos ſcio non tantùm hoſpitalem neceſſitudinem contractam eſſe, ſed optimis & ſanctiſſimis auſpiciis junctam amicitiam, ut nemo poſſit eſſe jucundior hoſpes, quam tu. De *Franciticis* rebus nuper ex *Molhuſanis* caſtris quædam ſ'lata ſunt, quæ ſi vera ſunt, bonam ſpem faciunt, fore, ut ibi latrocinium opprimatur. *Turingorum* tumultus oppreſſus eſt. De *Mancero* ſumptum ſupplicium in caſtris, qui in corona, cum precaretur ſibi ignoſci, flens dixit, fateri ſe, quod majora juſto ſuſcepiſſet. Et ſeſe aliquoties multitudinem arma induentem voluiſſe ab incepto revocare, quod cum non poſſet obtinere, invitum ſe perrexiſſe, & vulgi voluntati obſecutum eſſe. Hæc videntur nè tibi πεπλασμένα; Mihi quidem miſera conſcientia, & deſperatio videtur. Expectamus confeſſionem ejus, de qua quanquam multa audivi, tamen nihil ſcribam, donec acceperimus. Σταυρὸς ille πλανηθεὶς eſt *Francofordiâ* pulſus planè divino quodam caſu. Niſi enim Deus ſervatam voluiſſet urbem, ille cum ſuo quodam ſatellitio, locupletiores omnes trucidâſſet. Bellè nè videtur hæc factio ſeſe aperire, & oſtendere orbi, cujuſmodi ſpiritu afflata ſit? Ego à Principe *Palatino* vocatus fui in patriam, ut ibi de ruſticorum articulis pronunciarem. Sed detulerat conditionem, ut ſcripto reſponderem, ſi mihi venire integrum non eſſet. Itaque miſi confutationem articulorum ruſticanorum, & conſilium adjeci, quod fortunet *Chriſtus*. Circum urbem meam *Brettam*, arſit tota vicinia hoc civili incendio. Et cupiebat in oppidum irrum-

A pere propter prædam. Nam ex *Francofordia*, quæ in *Sueviam* invehuntur, ea propter motum *Sueviticum*, relicta ſunt omnia in noſtro oppido. Sed manſerunt in fide cives mei. Ego te, mi *Joachime*, rogo ut quantum potes animum à mœrore recipias, & patienter feras judicium Dei. Crede mihi non eſt leve peccatum ſtomachari & ſuccenſere voluntati Dei in adverſis rebus. Scis quàm diſpliceant illi, in *Exodo*, qui clamitant: *Eſt ne Deus inter nos?* Graviter adverſa ferunt, negant ſe Deo B curæ eſſe. Quin potiùs oremus, ut acciſis rebus Deus opem ferat. *Orate*, inquit *Paulus*, *ſine ira*, id eſt, ferentes adverſa æquo animo. Et, ſine hæſitatione, hoc eſt, nè dubitate, quin reſpiciat hæc Deus. Si *Iſraelitas*, optimis temporibus, cum Prophetæ plurimi, cum ſanctiſſ. Reges, imperarent, graviter afflixit, ut impios puniret, duraret pios, & metum incuteret his qui corrigi poterant: Cur nos, qui de regno caduco nullam habemus ſimilem promiſſionem, non ferremus æquo animo iſtam rerum mu- C tationem? Et nulla fuit civitas, *Græcas* ac *Romanam* meminiſti, nullum regnum, ubi non ſæpe ſint πολιτειῶν commutatæ. *David*, cum à filio regno ejiceretur, tametſi ſperaret fore ut reſtitueretur à Deo, ac defenderetur, tamẽ id Deo ſimpliciter permittit, laturus, ut videtur, placido animo, quicquid in eum conſuleret Deus. *Si non placeo*, inquit, *fiat voluntas Domini*. Hæc in his malis, quæ certè graviter afficiunt me, tamen leniunt ſæpe dolorem, & levant animum. Nec alia remedia talium mor- D borum, aut efficaciora ulla video, quibus quanquam non dubito, quin ipſe utaris, tamen ego volui pro amore erga te meo, ſicut illa, Nepenthes quoddam miſcet, ita adhibere ea pharmaca ad conſolandum te, quorum vis mihi uſu cognita & ſpectata eſt. Vale feliciſſimè. *Michaelem* ſaluta & tuos omnes. Poſtridie Pentecoſtes, Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto. *Secerius* ſperaverat ſe iter facturum per *Franciam*. Sed mutavit conſilium, atque per *Francofordiam* cum *Iſlebio* E profectus eſt.

Ioachimo Camerario S. D.

NIhil habeo quod miſerrimis temporibus *Epiſt.* 21. ſcribam, mi *Ioachime*, niſi me optare, ut ſis ſalvus. Valde angor, quod abs te tam diu nihil mittitur literarum. Itaque te per amicitiam noſtram rogo, ut de tuis rebus diligenter ſcribas, & F ex *Coburga* potes. Hic de exercitu confœderatorum mira, deque alienatione urbium à Principibus ferebantur: Quibus de rebus tuas expecto literas, quanquam hæc ſunt ἐξ ἡμῶν id eſt πρὸς ἡμᾶς, quo in ſtatu tuæ res ſint. Multi apud vos honeſti homines profugerunt, quorum exilio, crede mihi, vehementer perturbor. De *Da. Stibero* video te ſolicitum eſſe. Is eſt apud nos domi noſtræ, & quanquam mihi propter ſingularem modeſtiam placeat juvenis, tamen propter tuam commendatio- G nem eſt jucundiſſimus. *Michael* valde deſiderat literas tuas. In noſtris regionibus divino beneficio Alcedonia ſunt. Mediocri ſeveritate noſter Princeps uſus eſt ſeditioſis multandis, ea res incuſſit vulgo terrorem, ut nihil uſquam moveatur. Et pleriſque locis ſunt arma vulgo erepta. Ditio Electoris, ut vocant, non modò quieta & pacata fuit hactenus, ſed ita etiam tranquilla, ut nulla

motus ullius ſuſpicio, nullus hic metus fuerit. Et in aliis fere omnibus urbibus in ſeditioſos eſt animadverſum. Hic nulla carnificina, nullum ſupplicium auditum. In δωδεκατομίᾳ illa cohærebant de quibus ſcripſiſti, ſed ſunt conciſa. Et noſtri indiligentiam noſti in ſcribendo. ἀπολογητικὰ promittitur adhuc. Vale. Idibus Julii. Anno M.D.XXV.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 22. NOn poteſt dici, quàm atrocia, quàm tragica nuncientur de *Franciscis* rebus. Et cum alia multa me ſolicitum habent, tum ſæpe tui venit in mentem. Hæc una eſt conſolatio, quòd promiſit Deus futurum, ut non extendat virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum. Seditioſi, divino haud dubiè conſilio, pœnas contempti magiſtratus dedere, & eo facto ſatis declaravit Deus, quàm ſint humana ſibi curæ. Spero itaque & illos ſalvos fore, qui ab illa impia factione alieni fuerunt. *Caroloſtadius* ſcripſit huc ſupplices literas, dabitur à nobis opera, ut amanter adjuvetur. Ejus uxor hodie in urbem ad nos opinor veniet, nam heri vocavimus, ſummâ fide diligentiâque curabimus, nè quà re egeat. Literas tuas, ſi unquam alias, nunc ardentiſſimè cupio. Vale. *Chriſtus* téque patrémque & familiam tueatur. V. Cal. Jul. Anno M. D. XXV.

Ioachimo ſuo S. D.

Epiſt. 23. SEmper cogitavi hoc miſerrimo tempore te à patre diſcedere, neque debere neque poſſe. De illis autem breviſſimis literis tuis facilè intellexi, quantis curis & anxietatibus conflictaretur animus tuus. Nam qui mortem minimum malum eſſe ſtatuit φοβερώτατον ἁπάντων τῶν φοβερῶν, ſecundùm veteres, eum neceſſe eſt mirabiliter afflictari. Neque non venit in mentem mihi, quid te maximè perturbet. Vides enim quid prætexatur fœdiſſimis & nefariis auſis, & nè infamia aliqua redundet in eam doctrinam cui aſſenſi ſumus, reformidas, &, quemadmodum planè ſignificas, conſideratio iræ divinæ te proſternit. Sed contra hæc proximis literis noſtris efficaciſſ. remedia tibi demonſtravimus, quibus uti & hanc medicinam accipere ſtudebis. Crede mihi valde tibi hæc ſunt profutura. Hoc etiam cogita, cum omnia ita confuſa & intricata ſint, nullâ ratione nullóque conſilio humano ut explicari poſſint, relinquendum totum negotium Deo & quieſcendum. Ipſe enim conficiet. Quapropter à curis his, quantum poteris, id quod & ipſe intelligis, inanibus abduces animum tuum. Quæ egiſti & Deo placent, & ab hominibus laudantur, pietatis nomine erga patrem & non etiam nullius in patriam. Quæ tamen ignoſcere tibi potuit, ſi hoc tempore à te relinqueretur, pater deſerendus nullo modo fuit. Quare quæcunque ſequentur, ea & præſenti animo excipies & fortiter perferes, & munies te adverſus omnes eventus ſacrarum literarum armis. Nam alia omnia infirma ſunt, à quibus ſapientiſſ. viros in magnis malis non fuiſſe adjutos ſcimus. In omnibus adverſis habes perfugium certiſſimum & tutiſſimum portum, Miſericordiam Dei. Erige te igitur καὶ θάρσει. Id enim optimum. Nam jacentibus ὁ διάβολος vehementiſſimè inſultat. Ad-

A verſus quem nos ἐν τῇ χρείᾳ audere & confidenter ἀνδρίζεσθαι decet, nequaquam λειποταξιοῦντας, ſed tuentes locum noſtrum tanquam in acie bonos milites. Vale. Anno M.D.XXV.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 24. ΕὖὖΕὖ πράττειν. ὅτι μὲν ἔμελλε πρὸς ὑμᾶς ἡ φήμη ἡ οὐχ ὁμοία περὶ τοῦ γάμου τοῦ Λουθήρου ἀφίξεσθαι, ἔδοξέ μοι περὶ τούτου τήν γε ἀλήθειαν, καὶ ὡς γνώμης ἔχω, σοὶ ἐπιστέλλειν.
B μηνὸς ἰουνίου ἡμέρᾳ ιγʹ. ἀπροσδοκήτως ἔγημε τὴν Βορείαν ὁ Λούθηρος, μηδενὶ τῶν φίλων τὸ πρᾶγμα πρότερον ἀναθέμενος, ἀλλ' ἑσπέρας πρὸς δεῖπνον καλέσας τὸν Πομερανὸν, καὶ Λουκᾶν τὸν ζωγράφον, καὶ τὸν νομικὸν Ἀπελλὴν μόνους, ἐποίησε τὰ εἰθισμένα προτέλεια. θαυμάσειε δ' ἄν τις τυχὸν, τῷ δυστυχεῖ χρόνῳ, καλῶν κἀγαθῶν ἀνδρῶν πάντοτε ταλαιπωρουμένων, τοῦτον οὐχ οἷον εἶναι συμπάσχειν, ἀλλ' ἐκκαλίζεσθαι σχεδὸν τῷ παντάπασιν, ἀμελῶς ἔχοντα τῶν ἐπικρεμαζόντων κακῶν, ἐλαττουμένης γε τῆς δόξης αὐτοῦ, ὅτε μάλιστα χρείαν ἔχει ἡ γερμανία φρονήματός τε καὶ ἀξιώμα-
C τος αὐτοῦ. ἐγὼ γοῦν ταῦτα οὕτω πως γενέσθαι οἶμαι. ὁ μὲν ἀνήρ ἐστιν οὐδαμῶς τῶν μισανθρώπων οὐδ' ἀγαμελίτων. τὸ δὲ τῆς συνήθους διαίτης οὐκ ἀγνοεῖς. ἐξ ὧν τὰ λοιπὰ ἐνθυμεῖσθαί σε τοῦ γράψασθαι ἐμὲ, δοκεῖ εἶναι βέλτιον, ὥστε τὸ γενναῖον τἀνδρὸς καὶ μεγαλόψυχον καταμαλαχθῆναί πως οὐδὲν θαυμαστόν. ἄλλως τε καὶ τοῦ γεγενημένου οὐδαμῶς ἐπονειδίστου ἢ ψεκτοῦ ὑπάρχοντος. εἰ γάρ τι ἕτερον θρυλλεῖται ἀπρεπέστερον, ὅτι ψεῦδος τοῦτο καὶ διαβολή ἐστι, φανερόν. ἡγοῦμαι δὲ γαμεῖν αὐτὸν καὶ ὑπὸ τῆς φύσεως ἀναγκασθῆναι. οὗτος δὲ βίος ταπεινὸς μὲν, ὅσιος δ' ἐστὶ, καὶ
D ὅστις ἕτερος. καὶ τίμιος ὁ γάμος ἐν ταῖς ἁγίαις τῶν γραφῶν εἶναι λέγεται. τὸ δὲ ἄκαιρον καὶ ἀπροσδόκητον, ὡς ἔοικε, τῆς πράξεως, ἐν ᾧ μάλιστα τὸ μεμψίμοιρον δῆτα καὶ φιλαίτιον τῶν ἐχθρῶν ἀνευρήσεται ὅπως μὴ καὶ ἡμᾶς διαταράξῃ. τούτου γὰρ ἴσως καὶ κρύφιον καὶ θειότερόν τι ὕπεστι· περὶ οὗ πολυπραγμονεῖν οὐ δεῖ, οὐδὲ φροντίζειν ὑμᾶς τῆς φλυαρίας τῶν ἐπιτωθαζόντων καὶ λοιδορούντων τινῶν, ὅτε ἀσέβειαν περὶ τὸν θεὸν, ὅτε περὶ τοὺς ἀνθρώπους ἀρετὴν ἀσκούντων. ἐγὼ δὲ αὐτὸν τὸν Λούθηρον ἐπιλυπότερόν πως ὄντα ὁρῶ καὶ ταραχθέντα διὰ τὴν τοῦ βίου μεταβολὴν, πάσῃ σπουδῇ καὶ εὐνοίᾳ ἐπιχειρῶ παραμυθεῖσθαι. οὐδὲ τολμήσειαν ἄν γε ὡς πταίσμα-
E τος τοῦτο καταψηφίσασθαι, καταδείξαντος δὲ τοῦ θεοῦ ἡμῖν πολλὰ τῶν παλαιῶν ἁγίων πταίσματα, ὅτι θέλει ἡμᾶς βασανίζοντας τὸν αὐτοῦ λόγον, οὐκ ἀξίωμα ἀνθρώπου ἢ πρόσωπον σύμβολον ποιεῖν, ἀλλὰ μόνον τὸν λόγον αὐτοῦ. πάλιν δὲ, ἀσεβέστατός ἐστιν, ὅστις διὰ τὸ διδασκάλου πταῖσμα καταγινώσκει τῆς διδαχῆς. ἀλλ' ἐγὼ, καθάπερ εἶπον, οὐδὲ προσέχεσθαι νομίζω ἐνταῦθα ἀναπολόγητόν τι, ἢ καὶ ὅλως ἐγκαλεῖσθαι ἄξιον. ἔτι δὲ τεκμήρια πολλὰ καὶ σαφῆ ἔχω τῆς φιλοθέου εὐσεβείας αὐτοῦ, ὥστε τοὺς ἐπιγελάζοντας καὶ βλασφημοῦντας τὸν Λούθηρον, οὐδὲν ποιεῖν ἄλλο, ὥσπερ τῶν συκοφαντῶν
F καὶ βωμολόχων ἔργον, ἀπανταχόθεν ἀθροιζόντων, ἀφ' ὧν τῆς ἀναιδοῦς γλώττης κατηγορίαν δύναιντ' ἂν ἐφοδιάσαι. ἔστι δὲ, κατά γε τὴν ἐμὴν γνώμην, οὐδ' ἀνωφελὴς ἡ εἰσιοῦσα ταπεινότης τις ἢ συντυχία, τοῦ ὑψοῦσθαι καὶ ἐπαίρεσθαι ἀεὶ ἐπισφαλοῦς ὄντος, οὐ μόνον τοῖς ἐν ἱερωσύνῃ, ἀλλὰ καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις. τὸ γὰρ εὖ πράττειν, ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν γίνεται, οὐ μόνον, ὡς ὁ ῥήτωρ φησὶ, τοῖς ἀνοήτοις, ἀλλὰ καὶ τοῖς σοφοῖς ὁμοίως. ἐπὶ πᾶσι δὲ, ἄλλος βίος ἄλλων, κατὰ τὴν παροιμίαν, δίαιταν καθίστησι. ταῦτα πρός σε ἐμακρολογησάμην, ὥστε μὴ ὑπὸ τοῦ παραδόξου συμβάντος
G ἄγαν σε ταράττεσθαί τε καὶ ἀθυμεῖν. οἶδα γὰρ ὅτι μέλει σοι τῆς τοῦ Λουθήρου εὐκλείας, καὶ τοῦ ἄμεμπτόν τε καὶ ἀνέγκλητον διατελεῖν ὄντα αὐτόν. Veſtrorum mihi pergrata conſuetudo eſt in his turbis, quos miror diſcedere iſtinc vos eſſe paſſos. Patrem officioſiſſimè tractato, & puta te hanc illi pro paterno amore gratiam debere, καὶ ἀντιπελαργεῖν. De *Franciscis* rebus abs te literas expecto. Vale feliciter. Tabellarius,

A rius, qui has reddet, rectà ad nos rediturus eſt. Iterum vale. Die XXI. Menſis Julii, An. M.D.XXV.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 25. NUnquam fuit mihi moleſtius cujuſquam hominis ſilentium, quàm tuum hoc tempore. Itaque te rogo ut tuam conſuetudinem ſcribendi renoves, próque tua erga me benevolentia hoc officium mihi impertias. Suſpicari me multa quæ nollem in tam diuturno ſilentio cogis. Cum *Pacio* ſum ipſe locutus de *Ulpianis* ſacerdotiis. Is reſpondit his proximis diebus mihi *Lipſiæ*, habere ſe quendam amicum, qui quærat ſacerdotia. Itaque & reditus perſcribi juſſit, & quantâ pecuniâ aſciſcant novos collegæ, ſeu quantâ pecuniâ redimantur, ſicut ipſi vocant, ſtatuta. Item quanti faciat *Ulpius*, & cætera hujuſmodi ante perſcribi volebat, quam quicquam promitteret certi. Hæc ſi videtur ſignificabis iſti noſtro amico. *Eraſmus* ſcripſit *Emſero*, ſe antea de libero arbitrio nihil pronunciâſſe, nunc ſe & aſſerturũ eſſe in libertatem τὴν ψυχικὴν ἄνθρωπον & διαβαλεῖν τὸ ἀντιλεγόμενον καλῶς, ut verear quàm ſit virulenta futura μονομαχία. De tuo negotio jubeo te eſſe forti animo. Nam Deus gubernabit inceptum, cui curæ nos eſſe certè credo. Vale & reſponde. Prid. Calen. Martii, Anno M.D.XXVI. *Sophoclem* exiſtimo te accepiſſe proximè hinc miſſum.

D *Sigiſmundo Gelenio viro eruditiſſimo*, S. D.

Epiſt. 26. SEnatus *Noribergenſis* civibus ſuis ſcholam conſtituere parat. Eam ad rem me quoque adhibuerunt, uti de meo conſilio profeſſores conducerent. Ego, quia tibi plurimum tribuo, inter cæteros te quoque judicabam accerſendum eſſe, quo in perpolienda urbis ſuæ juventute uterentur. Proinde mihi negotium dedit Senatus, ut tibi per literas exponerem, & quid ipſi abs te petant, & E alia de quibus facilè ſtatuere poſſes, quæ ſit ſcholæ forma futura. Ego ὕστερον πρότερον, quod aiunt, quod genus ſcholarum in urbem invehere cupiant, primùm perſcribam. Præter puerilem ludum, ubi primæ literæ traduntur, & infantia ad Grammaticas præceptiones informatur, adoleſcentibus, quorum firmior eſt ætas, quique Grammaticen perdidicerunt, veteri more Rhetorica, eáſque literas, atque artes omnes, quæ ad humanitatem teneros animos inſtituunt, tradi volunt. Eſtque F conductus *Eobanus*, quo ex noſtris hominibus nemo adhuc felicior Poeta fuit, qui cum Poetas enarret, tum ad carmen ſcribendum adoleſcentiam aſſueſaciat. Perpulimus & *Ioachimum* noſtrum, ut operam iſtis addiceret. Erunt & qui mathemata tradant. In hac ſchola judicavimus magnum momentum ſtudiis juventutis excitandis te poſſe afferre. Itaque te rogat Senatus *Noribergenſis*, ut rei literariæ provehendæ cauſa in ludum liberalem ad ſe pertrahi patiaris. Mercedem G annuam centum aureos decreverunt. Sub paſcha cupiunt illo profeſſores convenire. Et placuit, ut *Ioachimus* & tu, inter vos ipſi compararetis, uter *Græce* doceat, uter *Latinas* hiſtorias enarret. Nam ejus rei arbitrium vobis permittitur. Habes conſilii noſtri ſummam & voluntatem Senatus. Ego hac in re quid ex uſu tibi ſit facere, non ſtatuo. Verùm hoc confirmare poſſum, te non alibi de literis uberiùs mereri poſſe, quàm in ea urbe, quam non dubium eſt longè principem eſſe aliarum in *Germania* civitatum. Et cum urbis diſciplina & tranquillitas hominem ſtudioſum trahere poſſit, tum fore ſpero, ut ſodalitium literatorum te ad ſuſcipiendam hanc cõditionem invitet, quorum tibi mores ac ſtudia valde probari compertum habeo. Quare ſine, ut abs te res literaria impetret, ut cum conjunctiſſimis hominibus ſuſcipias provinciam literarum conſervandarum, B quæ, quo ſint in periculo vides, & jam à te tuique ſimilibus opem implorant, defendíque jure quodam poſtulant. Et cum hi, qui rerum potiuntur, ſummâ voluntate cupiant hoc virtutis & vitæ rectè degendæ inſtrumentum in urbes accerſere, eáque in re veſtram operam requirant, illiberale eſt, vos optimè ſentientium hominum ſtudiis deeſſe. Quicquid ſtatueris *Hieronymo Baumgartnero Norimbergam* ſignificato. Nam ſi placuerit conditio, cupiunt te ſub paſcha *Noribergam* concedere. Vale C feliciſſimè. Nos tui ſumus. *Vitenbergæ* in *Saxonia*, Cal. Januarii, Anno M.D.XXVI.

Ioachimo Camerario S.D.

POſtridie paſchatos hic adoleſcens iter in patriam ſuſcepit, cui, tametſi nihil haberem quod ſcriberem, tamen hoc epiſtolion dedi, ex more, nè quem hinc ſine literis ad te meis dimitterem. An- Epiſt. 27.
D gor de tuo reditu, de quo, cum primum poteris, fac me quæſo certiorem. De mea re nondum eſt in aulam relatum, ſed referam his feriis, quibus opinor pluſculum ocii fore purpuratis noſtris. περὶ τῆς ἀντιστρατείας nihil audio. Nos velut in navi adverſâ tempeſtate, fracto malo, amiſſis velis, abruptis remis vehimur. Itaque votis tantùm pugnandum eſt & precibus. Atqui ego non tam bellum metuo, quam quædam alia graviora ἄρρητα καὶ ἀθέμιτα. Vale feliciter. Poſtridie Paſchatos. De *Eobano* ſi quid habes ſcribito. Anno M.D.XXVI.
E

Ioachimo Camerario S.D.

Epiſt. 28. ECquid unquam legiſti ſcriptum acerbius, *Ioachime*, quàm *Eraſmicũ* ὑπερασπιστήν; Eſt is planè aſpis. Quo animo acceperit *Lutherus*, nondum ſcio. Sed ego jam iterum obteſtatus ſum hominem per omnia ſacra, ut ſi quid reſpondere velit,
F breviter, ſimpliciter ac ſine conviciis diſputet. Statim edito *Lutheri* libro dicebam exituram hanc contentionem in crudeliſſimam criminationem. Id accidit, & tamen puto φορτικώτερα ſervari ab *Eraſmo* in ſecundam operis partem. Me planè immerentem magnâ invidiâ onerat, cum mihi partem operis & quidem odioſiorem imputat. Sed decrevi muſſitare hanc injuriam, atque utinam *Lutherus* etiam taceret, quem cum ætate uſúque inter tot mala ſperabam mitiorem aliquando fu-
G turum, video ſubinde vehementiorem fieri, tales illi & pugnæ & adverſarii offeruntur. Ea res ſanè animum meum graviter cruciat. Sic eſt, Niſi Deus conſuluerit huic tumultui, & ſervarit nos, quàm vereor nè, quò non oportet evadant hæ contentiones. Sed profectò hæ res ſingulares ſunt, & θεῖα πράγματα. *Mutianus* pridie Paſchatos in lecto manè repertus eſt mortuus. Id huc *Draco* ſcripſit. Tu, ut

ut valeas curato. *Chriſto* nos curæ eſſe non dubito, & hac ſpe non difficulter fero hæc mala, quæ me multipliciter oppugnant. Vale. Die Mercurii poſt octavam Paſchatos, Anno M D.XXVI. Nondum reſponſum eſt ex aula de commeatu.

Ioachimo Camerario S.D.

Epiſt.29. QUod bonum, fauſtum, felixque ſit, venimus heri *Norbergam*, *Mica*, *Secerius*, & ego. & puer meus, *Eobanum* reliquimus *Forchemia*. Nam equus ejus ita claudicabat, ut pergere ulterius non poſſet, hodie meum equum illo mitto, quo huc pervehatur *Eobanus*. Statim ſub cœnam venerunt ad nos ſalutaturi *Hieronymus* & *Ebnerus*, rogant de te déque *Eobano*. Ego illis de te, quemadmodum dixeras, promitto te brevi adventurum eſſe. Id ut faceres, te valde orare me juſſerunt. Sed ego ob eam etiam cauſam maturare te velim, ut citiùs hinc, confectis rebus, domum recurrere poſſim. Nam eo me multa retrahunt, ſcholæ publica neceſſitas, res familiaris, Principis voluntas, cui obſequi & debeo & volo. Item tempora turbulenta, quibus ſi quid adverſi impendet, malo domi in complexu liberorum & uxoris verſari, quàm uſquam gentium. Nam ſi queam domo abeſſe, nuſquam profectò cupiam, quam tecum eſſe, nè quidem ἐν μοναχῶν τόποις. Vale, ſalutabis reverenter meis verbis tuum patrem & τὴν δάμαρτα. Nondum licuit colloqui cum *Hieronymo* de veſtris ædibus, nos tamen divertimus ad *Ægidianum* Monaſterium. Nam in *Auguſtiniano* magnam ſolitudinem eſſe videbam, cum eo primùm diverti vellem. Tu, niſi aliud placet, in noſtrum κατάλυμα recipias te. Iterum vale. Anno M.D.XXVI.

Ioachimo Camerario S D.

Epiſt.30. HEri nos *Coburgam Sylveſter* deduxit, nóſque ſummâ comitate in itinere tractavit. Mirè oblectarunt me ſermones ejus, quos tum de moribus *Italiæ*, tum de noſtris ſtudiis habuit, quibus, etſi non licuit ei verſari ſatis diu in literis, tamen favere ex animo videtur. Ea virtus quia rara nunc eſt in illo ordine, non parum laudis meretur meo judicio, nôſſe videlicet, admirari ac laudare diſertos, ut pueri *Junonis* avem. De te ſoliciti fuimus. Itaque te rogo per noſtram amicitiam, ut ad me primo quoque tempore de tuis rebus ſcribas, quo mihi officio μὰ τὴν φιλοστοργίαν, nullum abs te jucundius præſtari poteſt. Hodie, priuſquam *Coburgâ* abeo, eſt hic mihi cum quodam nugatore ſacerdote rixandum περὶ τῆς ἀλλαγῆς ἐν ζητήμασι. Id accedit ad alias moleſtias ac curas, quæ ſubinde, quo propiùs venio *Saxoniam*, augeſcunt magis atque magis. Ex *Saxonia* adhuc omnia pacata ſingulari Dei beneficio nunciantur. Vale. V. die Junii. Anno M.D.XXVI.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt.31. HEri *Cordato* epiſtolam ad te ſcriptam dedi, hodie tuas literas accepi, qui dies eſt feriarum viſitationis *Marianæ*. Utinam *Carolovicio* contigiſſet mei copia, cum ob alia, tum quod eram *Jugulo* pollicitus, me, ſi poſtularet *Carolovicius*, daturum mutuo pecuniæ quantum vellet. Et dediſſem, nam ab ejus patruo viro in primis honeſto, id mihi haud dubiè fide optimâ perſolutum fuiſſet. Neque gravatim recipio ejus cauſam agendam apud amicos, ſi quid ad ſuos ſcripſerit. *Stibero* gratulor contigiſſe, ut videret *Italiam*, magnam felicitatis partem ducet, ſi rectè novi, cum hominibus ejus gentis doctiſſimis atque humaniſſimis habuiſſe conſuetudinem. Ac vide, ut meis verbis illum reverenter ſalutes, ſi quando ad eum ſcripſeris. Amo enim ejus & candorem & hunc animum honeſtarum artium ſic ſitientem. De literis eſt illa verior quàm vellemus querela. Sed nos noſtrum officium fortiter faciamus, nec deſeramus τάξιν aſſignatam nobis divinitùs, in propugnandis ac juvandis ſtudiis liberalium artium. Deus adjuvat, ut ſcis, facientes.

Et, *Multa dies, variúſque labor mortalibus ævi,*
Retulit in melius ————

Nam ſi conſileſcent aliqua ex parte hæ turbæ, fieri non poteſt, quin rurſus magnis hominum ſtudiis literæ in urbes revocentur. Ego meam διαλεκτικὴν perpolio. Nunc enim pueris meis trado, quos per univerſam ἐγκυκλοπαιδείαν χειραγωγεῖν ſtatui. Et jam ad mathemata adhibui, in quibus dum & ipſe verſor, de te ſæpe cogito, nec nihil operæ tibi ea in re navare decrevi. Venit hodie in mentem figuræ quâ uſus eſt in ſuo libello *Oecolampadius* κατὰ τὴν ὑπεξαίρεσιν ἰδέαν, de qua, cum fortè legeremus *Norberga* id ſcriptum, ſcio nos dubitâſſe. Ego exemplum hodie in primo *Ethicorum Ariſtotelis* reperi, nec duxi rem indignam eſſe, quam tibi perſcriberem. Libet enim nugari tecum, quia hic nemo eſt noſtrorum amicorum, qui ejuſmodi nugis delectetur. *Coburgum* hortare, ut huc mittat *Theocriti* exempla, ſum enim enarraturus. *Heſiodi* commentariolum accepi. De *Hippocratis* vinculo *Hieronymus* mentionem facit contra *Vigilantium*. Sed eum locum tranſiliit *Eraſmus*, tametſi adparet, *Hippocratem* præcepiſſe non ligari ſolùm furioſos, ſed alligari quoque læſa ac fracta membra. *Eobanum*, *Micam*, & *Dazerum* meis verbis reverenter ſaluta. Brevi per *Apellum* ſcribam copioſiùs, nam is paucos poſt dies ad vos proficiſcetur. Vale. Die Viſitationis. Anno M.D.XXVI.

Ioachimo Camerario S.D.

INcredibile eſt, quàm pœniteat me, non totam hanc æſtatem apud vos manſiſſe, tum valetudinis causâ, tum propter alia multa, quæ piget ſcribere. Nemo unquam ſervus in piſtrino occupatior fuit, atque ego ſum, tametſi nihil agere videar. Et valetudo eſt, ut ſcis, impar his laboribus, & malè me cruciant multa alia, quæ tuâ unius conſuetudine mitigari omnia poterant. Deum immortalem, quàm verè dictum eſt, amicum igni & aquâ magis neceſſarium eſſe! Quod cum ita ſit, vide quàm ſim infelix, qui tam procul à te, quem ego verè & ſtatuo amicum eſſe & adpellare ſoleo, abeſſe cogar, & carere quibuſdam utilitatibus amicitiæ noſtræ. Tu *Micam* habes, ego hic neminem, ἴμονον. Sed ſunt, ut vocat *Plato*, λεσχηνείας, plenæ curarum & moleſtiæ. Sed ſatis eſto querelarum. Tu vide ut ſæpe ſcribas ad nos. Eram multa per *Apellum* & tibi & *Micæ* & *Eobano* ſcripturus. Sed ille citius meâ opinione hinc abiit, & ego nunc non admodum valeo. Ad *Sigemundum* ſcripſi, quam epiſtolam mitto. Ab *Eobano* poſtules eos Pſalmos, Epiſt.32.

Pſalmos, quos mihi præſenti fecerat, & mittas huc. Ego interea Pſalmum quintum breviculum illum, qui incipit, *Jubilate*, commutavi verſiculis, & nuper *Longicampiano*, qui nobiſcum *Torgam* expatiatus fuerat, feci redeunti [illegible]. Id quanquam imperfectum eſt, miſi tamen, ut rideres, ſunt enim nugæ. Ab *Eobano* & *Mica* literas flagito, quas quidem ego liberaliter compenſabo, ſed per ocium. Vale feliciſſimè. Die Mercurii poſt ferias *Marianæ* viſitationis. *Stromero* eram miſſurus libellum *Officiorum*, ſed is nondum erat glutinatus: brevi mittam. Saluta meis verbis D. *Stromerum* & *Baumgartnerum* & *Durerum*. Anno M.D.XXVI.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 33. APellum exiſtimo, jam ad vos perveniſſe, in quo excipiendo, mi *Ioachime*, nullum te officii genus prætermittere velim. Eſt enim, ut ſcis, & eruditus, & invidiam quandam à ſuo ordine propter noſtras literas ſuſtinet. Sed accidit ei res acerba hoc tempore, filiolam amiſit. Id ad eum ſcribit *Lutherus*. Ipſe, quia ſcio animum ejus tot jam domeſticis funeribus labefactatum non ſatis habere virium ad acerbitatem luctus perferendam, te rogo per *Chriſtum*, ut levetis officiis, ſtudiis, & quibuſcunque poteſtis ſolatiis illius dolorem. Hic à noſtris amicis datur opera, ut uxoris animus nonnihil recreetur, de qua nè ſit ſolicitus, ſciat eam recte valere, præterquam quod in luctu eſt. Nos ipſi miſerè valemus. O me ſcelestè ſtultum, qui paſſus ſum me à vobis divelli, quibus, poſtquam diſceſſi ab uxore & liberis, nihil jucundius habere poſſim! *Stromero* libellum *Officiorum* mitto, eámque meam procraſtinationem excuſaturus per epiſtolam, ſi ſiviſſet valetudo. Vereor enim, ut quia ſeriùs mittitur, ſatis grata gratia futura ſit, [illegible]. Tu reſponde, an *Francus* tabellarius noſter hæc tibi exhibuerit, eſt enim non optimæ fidei nuntius. Mitto & faſciculum literarum, quem quæſo ut cures reddi illi cui inſcriptus eſt, & exige ab illo reſponſum, agitur enim de *Gallo* quodam juvando, qui hic ſtrenuè eſurit. *Eobanum*, & *Micam*, & *Durerum* meis verbis reverenter ſalutato. Vale. Prid. *Margaretæ*, Anno M.D.XXVI.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 34. DE adverſo caſu *Apelli* ſcripſeramus ad vos, ut luctum ac mœrorem optimi viri levaretis. Eas literas intelligo non eſſe redditas vobis antequam abiret iſthinc *Apellus*. Rediit enim domum planè ejus rei ignarus. Nunc noſtræ partes ſunt, revocare illum, quantum poſſumus à luctu. Quanquam ut dicam, quod res eſt, rem tantam animo magno fert. [illegible] ſæpe cogito, doleóque ejus vicem familiariter. Sed cum rem reputo diligentiùs, video gratulandum hoc illi eſſe, quòd in te integra ſuorum perfidiam experitur. Nam cum mihi pe imbecilli animo eſſe viſus ſit, nullo modo perferre hanc ſtatus alienationem, ductâ uxore, potuiſſet. Neque non metui ſemper, ut eſſet ſatis animi adverſus invidiam habiturus, quæ mutationem vitæ undique ſecutura erat. *Horatius* ſcribit *Herculem* poſt tot exantlatos labores comperiſſe, cum invidia ſummũ certamen reſtare. Itaque ad vincendam invidiam

A mihi crede planè *Herculano* animo opus eſt. Exiſtimo autem & te nonnihil in iſto noſtro amico roboris deſiderare. Quare facilè patior [illegible] differri, dum ille ſuorum voluntates melius exploret, dúmque plus virium colligat ad rem inviodiſſimam perferendam. De meis miſeriis poſſem tibi non unam [illegible] ſcribere, ſi per valetudinem liceret. Decubui ſummo cum periculo dies plus XII. déque mea vita, non ipſe tantum, B ſed & medicus jam deſperârat. Si me videas, planè cadaver eſſe putes præ ut fui, cum apud vos proximè eſſem. Et tamen erat tum mira macies corporis mei. Decrevi domum proficiſci ad thermas, ubi paulum me recreâro & æſtus remiſerit. Et cum [illegible]. Nam me canicula penè extinxerat. Faciam autem iter per *Noricum*, cupio enim te videre & colloqui tecum. *Micam* & *Eobanum* ſaluta meis verbis reverenter. Adamantem *Seſleri* accepi, cui C aliàs ſcribam. Nam profectò nunc per invaletudinem non potui. Vale. Die III. Auguſti, Anno M.D.XXVI. *Paccius* eſt in comitiis *Spiræ*.

Ioachimo Camerario S. D.

MItto tibi literas ad *Sigiſmundum* ſcriptas, quas ideo non obſignavi, ut legeres, & pro tua prudentia ſtatueres, utrum mittendæ ſint. De D ea tibi re cum *Hieronymo* conferendum eſt. *Nigro* nondum miſi tuas literas. Noſtri enim neſcio quid conſilii habent, qui prohibent adhuc me hominem accerſere. Ego tamen in hac ſententia adhuc ſum, ut putem accerſendum eſſe. Non poſſum plura ſcribere, nunc enim domo evocor ad neſcio quæ negotia. Vale feliciſſimè, una cum amicis noſtris. Anno M.D.XXVI. Epiſt. 35.

E *Doctiſſimo viro D. Sigiſmundo Gelenio* S.D.

REddidit mihi literas tuas adoleſcens ille ex equeſtri ordine, cui perferendas ad me dederas, in quibus de conditione, quam tibi Senatus *Norібergenſis* detulit, reſpondes. Porrò non modò mihi & amicis noſtris, ſed optimo cuique ex Principibus viris *Noribergæ* acerbum fuit, eam te conditionem recuſare. Nam quia eruditionem tuam & alias ingenii dotes, non ab uno prædicari audierant, in hanc ſpem erant adducti, ut promit- F terent ſibi, ſi ſuſcepiſſes hanc provinciam, magnum te momentum ad excitanda publica ſtudia allaturum fuiſſe. Neque tamen deſperant te permoveri poſſe, ut te *Norібergam* conferas. Itaque rurſus ad te eadẽ de re ſcribere juſſus ſum. Quòd enim verecundè excuſas in his literis, quas ad me ſcripſiſti, oneris magnitudinem, quódque non habeas conſuetudinem docendi, non ſatis magna, meo judicio, ratio eſt recuſandi negotii. Primùm enim æquum eſt te nobis, hominibus amicis de G ingenio tuo judicantibus aſſentiri, qui propter multas graviſſimas cauſas ſentimus te publicis ſtudiis magnam utilitatem ea in urbe afferre poſſe. Deinde candor eſt liberaliter in publicum conferre quantum quiſque poteſt, ſi noſtram operam flagitet Reſpublica. Vides autem te tanquam voce Reipub. compellari & rogari, ut literas in hoc tumultu orbis terrarum periclitantes adjuves. Epiſt. 36.

adjuves. Neque verò dubium eſt, quin vice literarum commoveare. Sed hæ ita poſſunt reviviſcere, ſi tua tuique ſimilium induſtriâ juventur. Quare te adhortor ad ſuſcipiendam hanc docendi provinciam. Nulla enim alia in re meliùs mereri poteris de tuo ſeculo, quàm ſi pro virili bonarum artium ſtudia excitaveris. Exiſtimo autem te pro tua humanitate cupere de aliis bene mereri, ac ſentire bonos viros debere operam dare, ut in juvandis ac ſervandis bonis communibus, juxta proverbium, ἄνθρωποι ἀνθρώποις dii fiant. At ille mihi vere diis ſimilis fuerit, qui hæc ſtudia excoluerit, per quæ proximè ad immortalitatem accedimus. Sed addixi, inquies, *Bemmii* operas *Frobenio*. Nihil à te vir optime petitur, quod non poſſis honeſtè præſtare. Nam ſi ea una res obſtat, quo minùs concedas *Noribergam*, aget cum *Frobenio* ſenatus urbis, ut fidem tuam liberet. Proinde hoc ſcire cupiunt, an ſi permittat *Frobenius*, pertrahi *Noribergam* poſſis. Multæ profectò cauſæ ſunt, quæ te invitare eò debebant, quas ſi omnes colligerem, viderer de tua prudentia dubitare. Sed hæc eſt præcipua, quæ perpellere animum tuum debebat, quod ex Republica videris facturus, ſi eo in loco ſtudia bonarum literarum inſtauraveris. Quæſo itaque te, ut de tua voluntate *Baumgartnero* reſpondeas. Senatus præſtabit, & ut fides tua liberetur, & ne te ſuſceptæ conditionis pœniteat. Vale feliciſſimè. Menſe Julio in *Saxonia*. Anno M.D.XXVI.

Eraſmum quæſo ut mihi places, nam quod ſuſpicatur *Lutherum* meâ uti operâ, valde errat, ego enim neque illis acerbis conflictationibus delector, nôſti enim meam naturam, & inprimis hos duos nollem inter ſe commiſſos eſſe. De cauſa autem inprimis quidem Deo, ſed & bonis viris ſententiam meam me probaturum eſſe confido, iterum Vale.

Ioachimo Camerario S.D.

Epiſt. 37. CUm *Urbano* in itinere *Erfordiæ* ſuaviſſimè confabulatus ſum. Id moleſtiam ex itinere conceptam levavit. *Lipſiæ* poſtea cum amicis fuimus hilaruſculè. Et acciderat tum jocularis quidam tumultus inter Magiſtros ac Juriſconſ. quem prolixèriſimus. Quidam enim ex Juriſconſultis in feriis corporis *Chriſti* inter Magiſtros in ſupplicatione ierat, magnum, ut ſcis, eo in loco flagitium. Cum domum rediſſem nihil ibi novi erat, præterquam, quod *Luthero* natus fuerat ante aliquot dies filiolus. Meum ſomnium fefellerat de filiola. Sed tu ſcis illud:

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte.

Nos hìc in noſtro piſtrino ſtrenuè exercemur. *Chriſtus* faxit ut hi noſtri labores proſint Reipub. Meam fidem libero, *Ioachime*, mitto enim vobis ξενοφῶντ☉ codicem promiſſum tibi ac *Hieronymo* communiter habendum. Itaque veſter erit κτῆσι. Sed χωρὶς *Mica* nolim vos invidere. Quanquam enim noſter *Mica* diſſimili quodam genere Philoſophiæ delectetur, atque hoc ξενοφῶντ⟨ι⟩ eſt, tamen puto lectionem hujus autoris non ingratam fore illi. Tu reſcribe, an acceperis hanc epiſtolam & codicem. Si de veſtris rebus ſuero certior factus, brevi vos reviſam. Nam non admodum me αἱ ἀθῆναι αὗται delectant. Vale feliciter. Dominica poſt diem *Ioannis*, Anno M.D.XXVI. Sa-

A luta amicos, & Pſalmos factos ab *Eobano* mihi mitte. Cantionem *Baumgartnero* mitto, ejus autorem eſſe accipio *Plinium*, Cancellarium *Bavariæ*, cui *Rodolfus* Dialecticam inſcripſit.

Ioachimo Camerario S.D.

ANte duas horas hodie literas ad te dedi cuidam nuntio *Noribergenſi*. Poſtea adit me hic ſacerdos, rogans ecquid velim ad vos ſcribere. Epiſt. 38.
B Multa erant quæ cupiebam, ſed ipſe videbatur ſerius ad vos venturus. Itaque tantum dedi Pſalmi exemplum, de quo nuper ſcripſeram. ἰσόλιθον exemplum non habebam; & dignum erat quod periret. O me ineptum magis quam *Dionyſius* unquam fuit *Philoxeno* poemata recitans, qui vobis audeo meos verſus mittere, elegantiſſimis hominibus inſulſa poemata! Sed ignoſces mihi, mi *Joachime*, qui cum mihi cano non ingenii famam, ſed ſolatia miſeriarum captans, non poſſum tamen
C facere, quin tecum communicem, qui cum ſeria jocóſque miſcere ſoleo. De *Sigiſmundo* placet tua deliberatio, & profectò me eadem cura tenuit. Ego me λεπτῇ ἐλπίδι ſuſtento. Vale. Die III. Auguſti, Anno M.D.XXVI.

Ioachimo Camerario S. D.

HEri dedi cuidam adoleſcenti hinc diſcedenti literas ad te perferendas, in quibus ſcripſi, Epiſt. 39.
D me tibi ἐπιστολὴν epiſtolam *Pyrrhonis* contra me, mittere. Eam non incluſeram iſti faſciculo. Id errore accidit. Nam dum ſupputamus de dodrante, quot digitis conſtet, & obruunt me ituri noſtri ſodales ruſticatum, oblitus ſum addere *Pyrrhonianas* literas meis. Porro, Apologiam ad *Pyrrhona* eidem adoleſcenti dederam, quam quia non eras intellecturus, ſine illius literis, cupiebā & has ſtatim tibi mittere. Itaque hodie incidi in quendam *Sebaldum Tilium*, ſuum officium libe-
E raliter mihi deferentem, qui ad vos iturus erat. Ei dedi *Pyrrhonis* literas. Arbitror autem ante ad te perventuras has, quàm, quas illi adoleſcenti dedi pedibus iter facienti. Leges omninò ſcriptum dignum *Pyrrhone*, hoc eſt homine non ſimpliciter furioſo. Ego ſummâ lenitate in reſpondendo uſus ſum. Fac reſcribas mihi de utriuſque literis, & noſtris & *Pyrrhonis*, acceperiſne eas. De dodrante, rectè tibi reſpondi: miſi ſimul & nomina menſurarum, gratum opinor corollarium,
F adjectum dodrantis enarrationi. Vale feliciter. Poſtridie Iduum Auguſti. Saluta amicos. Anno M.D.XXVI.


Ioachimo ſuo S. D.

VEnit hodie mihi in mentem, ut ſignificarem tibi de *Nigro*, quid egiſſem. Princeps *Lignicienſis* conducit profeſſores literarum, Juriſcon- Epiſt. 40.
G ſultos etiam & medicos. Scripſi itaque *Ligniciam*, ut eò accerſerent *Nigrum*, nec vulgari commendatione à me ornatus eſt: idque *Nigro* ſignificavi. Spero rem ſucceſſuram eſſe. Eſt & aliud quod volo. Noſter *Pomeranus*, Vir optimus, vidit meas pugillares tabulas, ſaxeas illas, quas mihi *Stromerus* donabat, & cupit habere ſimiles. Tu ſi vis apud illum non mediocrem gratiam inire, quæſo te,

te, ut pulcherrimum illi codicillum pares, mei ſimilem. Ego vero non unos tantùm pugillares mitti huc vellem, ſed ut minimum duos, ut plurimum ternos. Nam eſt mihi novis opus. His diebus legi apud *Senecam* de Rhetore *Albutio* hæc verba: *Splendor orationis quantus neſcio an in ullo alio fuerit, non* λέξις *magna, ſed* φράσις. Ita hæc extant in *Baſilienſi* editione, quæ ideo putavi tibi perſcribenda, ut cogitares & quid inter λέξιν ac φράσιν interſit, & an illo loco de quo nuper quærebamus, ſcribi poſſit λέξις. Video nobis *Græcos* etiam *Rhetoras* conſulendos eſſe. Sed ceſſo tandem nugari. Vale. Anno M.D.XXVI.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 41. DE dodrante nihil eſt quod ampliùs dubites. Nam omninò in magnitudine metienda duodecim digitos ſignificat, ex Unciæ novem ſunt pedis. Sed de Auguſti ſtatura deceptus ſum. Nam cum domum à ruſticatione rediſſem, per ocium feci exemplum *Romani* pedis, quale extare *Romæ* adhuc ſcripſit *Leonardus Porcius*, poſtea metitus Auguſti magnitudinem comperi, non uſque adeo monſtroſam brevitatem pedum quinque & dodrantis eſſe. Nam me aliquantum excedit ea magnitudo, & opinor à tui corporis modo non multum abeſſe. De qua re ut certiùs judicare poſſes, depinxi dimidiatum pedem, ut vides, hìc in * margine, planè inſtar ejus qui eſt in *Porcio*. Scis nos antea in eodem *Suetonii* loco hæſiſſe, nec potuiſſe ſtatuere de eo. Nunc videtur ſatis planus. Itaque non neceſſe eſt *Durero* negotium facere, eique, ſi quam nobis operam navavit in hac re, magnas agito gratias, & dicito me παλινῳδοῦντα, & correxiſſe ſententiam imprudenter, nec ante re expenſâ ſcriptam. καὶ ταῦτα δὴ μὲν ταῦτα. De menſurarum vocabulis nihil adhuc muto, habes itaque a me poſtquam & rei nummariæ rationes & menſurarum vocabula explicuimus, totum *Budeum* magnum ſanè librum, pro quo vides te in meo ære eſſe, deberéque drachmas quatuor, tanti enim venditur Codex in bibliopoliis. Sed extra jocum, mi *Ioachime*, ſcio nihil aut in his ſtudiis, aut hiſce meis fortunis præſtare me poſſe, quòd tuæ erga me benevolentiæ ullo modo reſpondeat. Sed ſi rectè inter nos amamus, debemus non officia exiliter ad calculos revocare, ſed ſuâ dignitate metiri amicitiam, eámque gratis colere. Quare illa tuæ epiſtolæ pars, quâ mihi multis verbis gratias agis, pro hac tibi navata opera, minimè neceſſaria fuit, præſertim cum ex eo genere hæc ſint, quod tibi domi multò feliciùs, quam mihi naſcuntur. Sed omitto hæc. Venio ad inimici noſtri querelas. Cujus, quia me ſcis in eo genere Philoſophiæ verſari, nempe *Ariſtotelico*, quòd in ſapientem affectus cadere non negat, ementita criminatio me initio nonnihil commovit. Nam ignoſcendum puto bono viro, ſi in famæ diſcrimine perturbetur. Poſtea verò quam hæc παράδοξα refrixit, & hi motus tanquam venti quidam conſiluerunt, cœpi totam rem, tanquam alienam fabulam, vacuo animo ſpectare, & conſiderare. Ibi, cum cogitarem ſatis eſſe culpa vacare, nec me præſtare vulgi ſermones debere, facilè depoſui omnem ex animo moleſtiam. Eſtque mihi poſtea δεύτερος πλοῦς, ſicut *Ariſtoteles* præcipit, inſtitutus, ita ut primo illo animi impetu repreſſo, ſtatuerem nihil adverſus inimicum vehementius eſſe faciendum, planéque ubi me ei purgaſſem, ſi nollet mecum in gratiam redire, ipſum contemnendum. Hoc ego conſilio clementius ad eum ſcripſi, malimque ſanari ejus animum, quàm quod eſt in proverbio, crabronem irritari. Tu verò, quia in perfectiore Philoſophiæ genere verſaris, profiteris enim ἀπάθειαν, da quæſo operam, nè cum homine furioſo multum tibi negotii ſit, nè quo mei amore ſtudióque nimio prolapſus, facias aliquid, quod contra tuam dignitatem ſit. Nihil in hoc toto negotio fieri abs te mihi gratius poteſt, quàm ut tuæ tum ſalutis tum dignitatis rationem habeas. Quòd ad rellea provocat, facilè fero. Quem enim teſtem inveniet, qui tantâ ſit impudentiâ, ut auſit adfirmare me dixiſſe: eum nullius eſſe hominem precii, nullas literas ſcire, & hoc genus alia quæ ego nunquam ſomniavi? Neq; enim ideo contumeliâ debet à me affectus videri, quia prætulerunt ei alios profeſſores, iis quibus hæ res fuerat mandata. Quin tum illis non mecum de tota re expoſtulat? At enim cum nullum teſtem ſui mendacii producere poſſit idoneum, ſi *Catonem* audimus, vici opinor. Fertur enim *Cato* ſcripſiſſe: Sic eſſe moribus majorum traditum, obſervatúmque, ut, Si quid inter duos actum eſſet, neq; tabulis neq; teſtibus planum fieri poſſet, tum lis ſecundum eum daretur, qui ex his vir videretur melior. Ego autem qualis ſim, videant alii. Certè meus adverſarius ſuis ipſe ſe coloribus pingit in illa, cujus exemplum tibi miſi, epiſtolâ. Quàm multa enim ibi manifeſtè falſa in me, in ſcholam noſtram, & hanc urbem, dum vult facetus eſſe, ſumma cum impudentia evomuit? Fac à me læſum eſſe, quid hoc ad *Vviteberga*m, quid ad *Lutheranam* cauſam? quæ ſi voluiſſem exagitare in mea ad ipſum epiſtola, ſenſiſſet profectò neque ungues neque dentes mihi deeſſe. Proinde, ſi placari non vult, ſinas eum valere, nec cum eo ampliùs concertes. Sic enim permitto tibi hanc cauſam, ut malim te facere quod te dignum eſt, quam quod illo. Si quid in me ſcripſerit, capiemus tum ex re conſilium. Habes meam de toto negotio ſententiam. De mea profectione video te eſſe ſolicitum, ſperabam equidem ſtatim ubi ſe calor fregiſſet, me hinc evolaturum eſſe, ſed multa me, ut ſcis, domi alligant. Et tamen adhuc ſpero, me à *Lipſicis* nundinis ad vos profecturum eſſe. Nam quia domeſticam ſcholam dimittere cogito, non ante *Lipſicas* nundinas ea res confici poteſt. Princeps *Heſſorum* molitur ſcholam, quod ideo ad te ſcribo, ut ſi τῷ ἑταίρῳ τὰ παρόντα fortè non arriderent, tu ſtatim ad *Adamum* ejus rei gratiâ ſcriberes, nam ego certa quadam de cauſa ibi tuas literas plus ponderis, quàm meas habituras exiſtimo. Sin autem contra officium videre tibi facturus, fac ut ſciam collegæ tui voluntatem, nam ſi veſtris civibus οὐ μέλει ἢ ὑμῶν ἢ τῆς ἐπανόδου, aliud ſcilicet conſilium capiendum eſt. *Sigemundi* literas remitto. De quibus aliàs. Sum enim nonnihil hac ſcriptione defatigatus. *Eobano* gratias age ampliſſimis verbis, qui me ſuo carmine ornarit, ad quem per ocium & ipſe ſcribam. Saluta meis verbis amicos. Vale. Pridie Natæ *Mariæ*.



Joa-

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 42. DEdi heri nuncio veſtrati literarum mearum faſciſculum perferendum ad vos, in quibus unam longiuſculam ad te ſcriptam miſi. Hodie ad me *Cordatus* ſtatim à prandio, cum ego ad ſcribendum διὰ τὴν ἀσιτίαν parum idoneus eſſem. Nolui tamen eum vacuum dimittere. *Sigemundi* literas mittere cupiebam, ſed cum quærerem, non poteram ſtatim inter reliquas chartas invenire. Curabo tamen nè intercidant. Videntur mihi vel propter ipſam brevitatem figuratæ eſſe, ac vereor, nè qui abalienent eum à nobis, quem tamen, quia bonum virum eſſe duco, non opinor admiſſurum eſſe, ut in ſuos mores videatur hæc culpa cecidiſſe, ut amicos, non alienos à literis & ſtudiis ſuis, queri quiſquam poſſit non ſatis diligenter cultos eſſe. Si iſle rectè præcipit, δίκην ὡς νῦν δῆ, cur non redamaret etiam amantes ipſum unicè. *Micam* & *Eobanum* ſaluta, & per *Cordatum* reſcribe. Sed age hoc in primis volo mihi confici: in *Sileſias* noſtrum πυῤῥῶνα proficiſci velle opinor. Eâ de re quid conſtituerit, jube ut nunc reſpondeat. Nam hoc ſtatim autumno eo ut veniant profeſſores, Princeps poſtulat. Stipendium promittitur L. aurei. Si recuſat ille eam conditionem, alius nobis quærendus eſt. Vale. Anno M.D.XXVI.

Ioachimo Camerario S.D.

Epiſt. 43. CUm jam à me abiiſſe *Cordatus*, ecce in *Sigemundi* literas forte incido, quas tibi, nè in me deſiderares diligentiam in hoc genere, ſtatim duxi etiam mittendas eſſe, itaque addidi prioribus literis & has. Nihil video cauſæ cur diutiùs rixemur cum *Pyrrhone*. Ego ſi tibi ac *Micæ* meam cauſam poſſum probare, nihil amplius poſtulo. Et ut ille ſibi unum *Platonem* pro universa multitudine eſſe dixit, ita ego vos mihi pro *Areopagitico* ſenatu eſſe ſtatuo. Quare ſi vobis ſatisfacio ſinamus iſtum valere. Nos nobis καὶ ταῖς μούσαις canamus. Tantum hoc expedias, ut ſcribat, an velit ſuſcipere conditionem indicatam. Vale. IV. Non. Septemb. Anno M.D.XXVI.

Non puto nobis laborandum eſſe, quis ſurrogetur in *Sigemundi* locum. Nam ſi feriò ſchola veſtris curæ erit, ipſi alium quærent ex tuo conſilio. Sin ſimulata iſta eſt erga noſtra ſtudia benevolentia, ſolicitudine laboréque noſtro nihil proficeretur.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 44. QUæſo te, tantúmne eſt ab re tua? nôſti reliqua. Non ſunt, inquis, iſta aliena. Quid igitur ſunt? οὐ γὰρ προσήκοντα δὴ πρὸς τὴν ἡμετέραν εὐσέβειαν, οἱ πρὸς ἡμᾶς ἄρα. Dices me σοφίζεσθαι, unde naturaliter abhorreo. Etſi iſta enim ideo, quia nos attingunt, non videri aliena poſſunt, quia tamen à noſtris moribus & ſententiis recedunt, omnino aliena ſunt putanda. Quare ſi me amas, id quod te facere mihi perſpectum eſt, nè ſis ſolicitus amplius in hoc negotio. Quod vel in ſeipſo evaneſcens abſumetur, ὥσπερ τὰ ἀράχνια. Vel ſi quid ex ſe gignet, crede mihi, ulciſcetur idipſum parentem. Subjicit enim mentio facta τῶν ἀραχνίων

A verſus veteris neſcio cujus: ἀγρεῖ δὴ ἀράχνη παῖδας, ὡς παιδεύεται, θεῖον γὰρ τίκτει πρὸς τὸν εἰλάτην. Levitatem iſtam contemni nobis honeſtiſſimum eſt. Neque fieri à nobis quicquam poterit, quod iſti generi magis dolat. Vale. Anno M.D.XXVI.

Ioachimo Camerario S.D.

IN itinere dum *Lipſiam* ad mercatum vehor, tuam longiuſculam epiſtolam unà cum *Eobani* ac B *Michaelis* literis accepi, quæ me magnâ voluptate affecerunt. Nam & mediocrem eſſe ſtatum veſtræ ſcholæ, & vos amari valde lætor. *Chriſtus* faveat veſtro labori, ac his miſerrimis temporibus conſervet literarum reliquias. De *Hiſpanico* itinere locutus ſum cum ſcriba Comitis *Alberti* viro prudenti mihique amiciſſimo. Is ita putat non gravatim facturum eſſe Comitem, ut Commeatum à ſenatu veſtro tibi petat. Expecto itaque quid ſtatueris. Ego quod decreveris, rectum pu- C tabo, ac precabor ut bene eveniat. Comes ipſe vir ſummo ingenio eſt, & ingenioſorum admirator, quæ virtus eſt in nobilitate rariſſima. Ad omnes tuæ epiſtolæ partes non libuit reſpondere hoc tempore. De *Pyrrhone* & gaudeo te eſſe tantâ moderatione animi, & hortor ut pergas eſſe tui ſimilis. Scribit ad me, & quidem placatutus, ita contumelioſè, nihil ut ſe dignius ſcribere potuerit. O facetum hominem! Queritur indicatum ſtipendium tenuius eſſe, quàm ut vel ad ſitim D reſtinguendam ſatis ſit futurum. Tu credis hunc ἔμπεδον ſanum eſſe, mihi non videtur. Tu rectiſſimè ut valeas valde opto. *Chriſtus* vos cuſtodiat. *Franciſcus* ſalutat te ac *Michaelem*. Anno M.D.XXVI. Epiſt. 45.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 46. COmes *Albertus* à *Mansfeld* legatus populorum *Germaniæ* in *Hiſpanias* ad Imperatorem E profecturus eſt. Ad hoc iter quæritur aliquis qui *Latinè* calleat, cujus uti vel in ſcribendo, vel loquendo operâ alicubi poſſit. Ambiunt eum locum multi. Sed apud Comitem noſtri quidam amici tui mentionem fecerunt. Itaque te omnibus Comes præfert, cupitque te ſibi adjungere, ſi ſine cujuſquam incommodo abeſſe *Noriberga* poſſes. Iter credo ingredientur menſe Novembri. Hæc ego juſſus ſum tibi ſignificare. Video autem te avelli à ſchola veſtra non poſſe, præſer- F tim in tam exiguis ſcholæ initiis, quæ ſi quid te abſente accipiat incommodi, vereor, ut unquam unum teruntium veſtri cives in ullas literas collaturi ſint. Nôſti hominum voluntates, καὶ μάλιστα τοῦ ἑταίρου. Deinde eſt longinquum iter, in quod, ſi te conjeceris, magna nos tenebimur ſolicitudine. Hæc cum cogitarem, dubitabam profectò, an Comitis voluntatem tibi ſignificarem, metuebam enim, nè quid cupiditate viſendi illas terras ſtatueres, quod parum è re tua G eſſet. Sed duxi tamen tibi hæc ſcribenda eſſe, confiſus tuâ prudentiâ. Tu delibera cum *Michaele*, quid ſit tibi rectiſſimum. Fortaſſe velles, ut Comes ad Senatum veſtrum tuâ cauſâ ſcriberet. Id mihi certâ quadam ratione non videtur facturus, nè quid videatur poſtulare, quod illi ſine incommodo præſtare non poſſint. Quicquid decreveris, mox ſignifica per peculiarem tabel-

tabellarium. Vale feliciter. Pridie Calend. Octobris, Anno M. D. XXVI.

Ioachimo Camerario S. D.

*Epiſt.*47. EXpectabam de *Hiſpanico* itinere aliquanto certiores abs te literas, quia res celeritatem requirebat. Nunc ambigis, & rem ad me rejicis, Tibi ita commeatum dari, ſi ego *Norибergam* interea concedam. Hac conditione in hoc negotio minimè utendum fuit, quæ, ut obtineatur, tamen extrahet conſilia profectionis longiùs, quam oportuit. Reſpondebo tibi breviter de hac conditione, verùm τὴν ἀρχὴν ἐσφαλμένω. Cum mea tibi voluntas ſatis nota ac ſpectata ſit, abs te peto, ut, ſicubi fortuna vetat me tibi gratificari, in amicitia noſtra, & in hac officiorum communicatione, quandam admittas ὑπείκειν καὶ ὕστερον ἀνελευθερίας. Et quod in comœdia ſervus contendit ab hero, ſinas abs te amicum impetrare, ut dum ſedulò conor, ſi quid expedire tibi non poſſum, boni conſulas. Ego, mi *Ioachime*, tuâ causâ domo, uxore, conſpectu liberorum carere poſſum etiam diutiùs, quàm nunc poſcebar tes. A ſchola ſine commeatu diſcedere non poſſum, quem poſſem equidem impetrare à Principe; Sed longa ea fabula fiet, ac vix poſſim impetrare, niſi arte. Sed dii meliora, quam ut aſtutè aliquid adverſus Principem faciam. Habes itaque rei ſummam, me non poſſe hinc ſtatim, atque velles evolare, ὡς ἀργαλέον παρ᾽ ἐμὸν κῆρ, ὃ ζῶν καὶ θεοῖς, δοῦλον γενέσθαι, Nam quæ ſequuntur, profectò religione addere prohibeor. Et eſt in ipſa ſervitute ſatis mali, etiamſi commodum dominum nactus ſis. Nihil igitur inquies meâ causâ hac in re facies? Ego, mi *Ioachime*, quia non deſperabam te, ut in re præſenti, animadvertere poſſe etiam alias rationes, quibus iſthinc te explices, Præſertim cum habeas in partibus propinquum tuum, ſtatim cum tuas literas accepiſſem, *Mansfeldiam* contendi, ut & explorarem quando Comes iter ingreſſurus eſſet, & literas ad Senatum veſtrum poſtularem. Aberat autem Comes procul in *Saxonia*, ubi conventus aguntur à Principibus *Saxonicis*. Et expectare eum diu nolui, nè tempus amitteremus, ſi quam fortè invenires rationem. Hoc ibi ex quodam Comitis amico viro graviſſimo accepi: Comitem non eſſe iter ingreſſurum intra dies quatuordecim. Hoc tibi ſignificandum duxi, ut ſi Deus offerret aliquam occaſionem hujus rei ex ſententia perficiendæ ſcires, quantum reſtaret adhuc temporis. Mihi videris intra hoc tempus, aut circiter, poſſe accurrere. Et cum amicis in aula ita conſtitui, ut, etiamſi Comes interea quærat alium (Nam de te nihil certi poſſumus nobis polliceri, & illi eſt opus aliquo,) tamen, ſi veneris, neminem tibi prælaturus ſit. Si conveniſſem Comitem, haberes ad Senatum literas. Sed ſi domum redierit, ea tamen de re videro. Verùm in his temporis anguſtiis, non ſunt tibi ullæ literæ expectandæ. Neque ego non aliquam meam tibi operam polliceor. Si Senatus veſter commeatum à Principe impetrarit, non gravatim ad vos proficiſcar. Sed mihi non videretur magnopere periclitatura ſchola veſtra, ſi tibi alius quiſpiam interea vicarius detur. Scio enim gravatim Principem mihi commeatum daturum eſſe. Jam eſt honeſtum veſtræ urbi, de ſuis aliquem addere legationi. Volet Comes uti operâ tuâ, ſi hoc quoq; cupis ſcire, alicubi ſcribendo *Latinè*, fortaſſe aliquando & *Germanicè*. Nonnunquam & interprete te utetur. Ipſe quidem tui percupidus eſt, & ingenio liberali eſt. Sed tu de hac tota re cum tuo propinquo conſilium capias, & id ſtatuas, quod honeſtiſſimum videtur, non quod maximè cupis. Ego quidem malim te *Noribergæ* manere, ſed nihil volo tibi præſcribere. Vale. *Iſlebiæ*. Die Martis poſt ferias *Simonis* & *Iudæ*. *Chriſtus* cuſtodiat te.

Ioachimo Camerario S. D.

NOndum, mi *Ioachime*, facultatem conficiendi negotii noſtri amiſimus. Nuper enim ſignificavit mihi ſcriba Comitis *Alberti*, Comitem per *Noribergam* iter eſſe facturum, ubi coram liberare te poſſit, ſe tamen interea cum eo etiam de literis ad ſenatum veſtrum ſcribendis acturum eſſe. Profectio ad Decembrem uſque differtur. Hæc ego ideo ſignificanda tibi duxi, ut ſi nondum excogitâſti rationem, quâ te explices, non magnopere laborares. Non vero tamen, ſi potes, huc te accurrere. Cur tu inquis non ad nos? Ego, mi *Ioachime*, intelligo, quam hac parte parum ſim officioſus. Nam amicum non tantum illa μικρὰ θεραπεύματα præſtare, ſed etiam graviora officia oportuit. Sed tu ſcis, ut hîc hæream, vinculis propemodum *Vulcaniis* alligatus. οὐ γὰρ χαλκῷ δούλους. Et tamen ſi ſenatus veſter rogârit mihi commeatum, cupio ad vos evolare. Et referret meæ valetudinis hinc aliquantiſper abeſſe, quæ ſic eſt debilitata & fracta, ut omnem vitæ longioris ſpem abjecerim. Nihil hic me præter noſtras literulas delectat. Nonnihil operæ ſucciſivæ mihi jam in μαθήματα collocatur, καὶ τὰς ἀρχὰς, videor mihi propemodum comprehendiſſe. Eſt autem in eo genere veriſſimum τὴν ἀρχὴν ἥμισυ εἶναι παντός. Has ego mutas agitare inglorius artes, ut *Virgilii* verbis utar, malo, quàm τυραννίδα habere. Expectabam à Comite literas, itaque nondum ad te peculiarem nuncium miſi. Hanc epiſtolam mitto *Lipſiam*, nec ſatis ſcio an ſit ad te perventura. *Blicarus* rediit. Pro quarto ſenario mitto quatuor ſenarios. Vale. Saluta *Eobanum* & *Micam*.

Βίος δ᾽ ἄναλγος καὶ τοιόνδ᾽ οὐδ᾽ εἶναι,
Ὅτι τῷ θεῷ ἡμῶν μέλει. ὁ γὰρ μακρά.
Τὰ σφάλματ᾽ οἶδεν, πάντας ὥσπερ ἠμελημένως
Αὖθ᾽, φυλάσσει ἅπαντας ὡς πατὴρ θέλει.

Ioachimo Camerario S.D.

*Epiſt.*49. HEri à nobis *Socerli* miniſter abiit, cui ideo nihil dedi literarum, quia tot ſcriptis aliis epiſtolis defeſſus eram. Hodie hinc parat abitionem *Ulricus*, qui ex graviſſimo morbo cum primum cœpit convaleſcere, vel ſpem potiùs ſalutis concipere, judicavit ad ſe recreandum & confirmandum, nullum fore præſentius remedium, quàm ut hinc ſtatim diſcederet. Cum eo iter ingreditur meus popularis *Blicarus*. Huic dedi hanc epiſtolam, nè vacuus ad vos veniret. Scis autem eum mihi à puero non modò notum, ſed etiam familiarem fuiſſe, & eſſe ingenio perquam modeſto. Quare non dubito, quin ejus ad vos adventus tibi jucundus ſit futurus, tuámque erga eum benevolentiam, quibus poteris officiis, declaraturus ſis. τὰ γὰρ φίλων κοινά, καὶ κοινοὶ φίλοι. Quanquam autem

non dubitabam, quin hoc ultrò vel meâ cauſa facturus eſſes, tamen rogandum etiam te eſſe duxi, ut hoſpitem qui hinc officii gratiâ *Ulricum* ſequitur, familiarius etiam complecłereris. Sed de itinere *Hiſpanico* quid ſtatuiſti? anxiè literas tuas expecto. *Longicampiano* dedi tuas literas legendas de artificio faciendorum globorum, quod mihi aliquanto ante prædicârat. Nunc gravatim videtur aliis oſtenſurus. Ego tamen, ut ſpero, ab eo impetrabo, ut vobis deſcriptam totam ejus rei rationem mittat. Multum enim nunc eo utor. Tu ſi cœpiſti ad μαθηματικὴν adjicere animum, præclarè facis, precórque ut bene fortunent Muſæ tuum conſilium. Ego eodem genere ſtudiorum valdè delector, & cupio propiùs cognoſcere. Si habuiſſem tuas literas de *Hiſpanica* profectione, cum *Ulrico* ad vos jam profectus eſſem. Vale. Anno M. D. XXVI.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt.50. HOdie inter prandendum ex *Caſparis Mulleri* literis accepi, te, quod fauſtum felixque ſit, in *Hiſpaniam* cum Comite *Alberto* proficiſci. Erat autem ea dies, ni fallor, ipſa, quâ tu ab *Harcinia* ingreſſus es, quâ de re expecto tuas literas. Nihil unquam mihi perinde putes in votis fuiſſe, mi *Ioachime*, atque ut te ſalvum & incolumem ſtatim iterum videam. Itaque *Chriſtum* optimum maximum precor, ut te cuſtodiat ac ſervet in tam longinquo itinere. Rogavit me *Chriſtianus Faber* hodie ut ad te ſcriberem, ut vel in *Hiſpanica* aula, vel *Eſlinga* apud judicii Imperatoris prætorem *Marchionem à Baden*, peteres ſibi excudenti *Latina* βιβλία, ut ſcis, privilegium, nè cui liceret recudere intra annos aliquot; Quare te rogo, ut primum *Eſlinga* eâ de re agas, indéque reſcribas, quid effeceris. Quod ſi ibi non ſucceſſerit, in *Hiſpania* apud Cæſarianos, ſi qua erit occaſio, idem tentes. Invidiam facere non magnam τὰ ἅγια βιβλία poſſunt, quæ exibunt ἄνευ ἐπιγραφῆς τοῦ διδασκ. Si quam tamen ullo modo videbitur res factura invidiam, tu vide, ut tibi proſpicias. Id etiam *Chriſtus* juſſit. Multa cupiebam ſcribere. Sed neque domi eram, neque vacuo animo eram. Una hæc res in votis mihi eſt, ut te ſalvum iterum videam. Vale feliciſſimè. Die Merc. poſt ferias *Catarinæ*. Reſcribe ex itinere ſi quid me amas.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt.51. QUid cauſæ eſſe ſuſpicer, cur tam pertinaciter taceatis. Præſertim cum ego jam toties *Michaeli* ſcripſerim. *Lipſicis* nondinis nullam à vobis literam accepi, quod non credas, quàm mihi moleſtum fuerit. Ibi reſcivi mutatam rem eſſe de legatione comparata in *Hiſpanias*. Ea res mihi magnæ voluptati fuit. Nam te domi eſſe malebam, quàm periculoſum ac longinquum iter ingredi, cum quibuſdam diſſimilibus tui, ut aliud nihil dicam. Nunc te per noſtram amicitiam, aut ſi quid aliud habes charius, rogo, ut mihi, quo in ſtatu res veſtræ ſint, ubi gentium ſis, ſcribas. Nihil accidere ad animum meum gratius eo officio poteſt. Ex tuis literis videto, quando rectè convenire poſſimus. Sunt enim multa, quæ tecum vellem & in tuum ſinum. Nos pertenui valetudine utimur, ſed tamē diligentia me ac τῇ λεπτῇ διαίτῃ ſuſtento. *Lon-*

A *gicampianus* convaluit, quo cum agam de ratione fabricandæ ſphæræ, quam veſter mathematicus ſcire deſiderat. Utinam liceat mihi vobiſcum unū menſem ponere. Spes enim quædam me tenet, ita poſſe fieri, ut quod adhuc in diſciplinarum, quæ ſic vocantur, ἀκριβείας deſidero, illius conſuetudine perficiatur, & tibi quoque fortaſſe non inutile fuerit, συμφιλολογοῦντι σοι ἡμᾶς. Sed erat hoc quoque ſcribendum: Noſter *Henricus Vangio* Rex factus eſt, Vale. Saluta amicos *Eobanum* & *Michaelem*, Die
B Januarii XXIII. Anno M. D. XXVII.

Ioachimo Camerario S. D.

ACcepi binas literas abs te, quarum alteras *Cordatus*, alteras *Richelius* attulit, ex quibus intellexi eas, quas antea ſcripſeras, mihi redditas non eſſe. Nihil audivi libentiùs unquam, quàm quod ſcripſiſti de tuis rebus. *Chriſtus* faveat incepto, & aſpiret conſiliis tuis, & totam rem juvet *Epiſt.52.*
C ac regat. Expecto τὸ ἰσθμὸν, de quo te rogo, ut primo quoque tempore ſcribas. Mi *Joachime*, cogitavi ſemel atque iterum de tuo negotio. In tantis malis humani generis vide, ut te diligenter. & tuam ſalutem *Chriſto* commendes. Id unum ſi feceris, ſatis adverſus omnes caſus præſidii habebis. Neque enim dubium eſt, quin in hac vitæ mutatione multa incident, quæ animum tuum offenſura videantur. Tu tamen confide Deo. Eſt, ut ſcis, turris fortiſſima nomen Domini. *Micam* ſaluta
D meis verbis, eíque bene precare. Saluta *Eobanum* & *Hieronymum*, & utrique meum ſilentium excuſa. Neque enim habeo quod ſcribam, & ocioſas Epiſtolas ac inanes ipſi non libenter legunt fortaſſe, id temporis meliùs collocaturi, quàm ſi ἄλλα ſcripta legant. Iterum Vale. Die regii convivii. Anno M.D.XXVII. Quid autem fiet de æquatoriis? de quibus ſcripſi ad *Micam*, miror ejus ea de re ſilentium.

E
Ioachimo Camerario S. D.

TUas literas accepi, in quibus de die, in quem ſponſalia conſtituta erant, ſcripſiſti. Sed ſub idem tempus ego in aulam ad judicium quoddam evocabar. Ita factum eſt, ut etiamſi voluiſſem ad vos proficiſci, ante Martias Calendas non potuerim ad vos pervenire. Sed conveniemus ut ſpero brevi, cum tu res tuas compoſueris aliquanto melius, & tranquilliore animo eris. Nunc *Chriſtum* *Epiſt.53.*
F precor, ut conſilio tuo faveat, téque gubernet ac ſervet. Etenim ſi credere nos *Chriſtus* voluit, cum ait, *quos Deus conjunxit*, Deum hujus ſocietatis autorem eſſe, profectò ſperare nos juſſit, & flagitare, ut hanc totam ſocietatem regat & fortunet Deus. Ego nullam firmiorem conſolationem hac, in hoc toto negotio reperio, quæ quoniam ſæpe meum animum erexit, ad tuam mæſtitiam, & perturbationem diſcutiendam aliquid momenti viſa eſt allatura eſſe. περὶ τῆς μετοικήσεως non
G ſatis prudenter deliberatum eſſe quereris. De qua re breviter tibi reſpondebo. Vides quanta in caligine verſentur animi noſtri, & quàm procul abditum ſit τὸ μέλλον, quod cum ita ſit, optare potiùs debemus, ut divinitùs regamur, quàm noſtris conſiliis, quando & diligentiſſimè cogitata ſæpe eventus, quos minimè vellemus, ſequuntur. Itaq; etiam *Xenophon* ſcripſit, οὕτως ἔχει ἀρχόμενα σο-

φίᾳ

[illegible] Proinde te velim præſentem fortunam æquo animo ferre, & exiſtimare, non ſine divino conſilio te in hunc locum, nihil tale ſomniantem adductum eſſe. Et tamen; ut hoc tempore, non alia in urbe, moderationem vel imperii, vel eo rum qui tenent Rempub. neq; modeſtiam civium majorem reperias. Adde quod non procul tuis penatibus, quod inter propinquos & cognatos multos verſari iſthic contingat. Quid quod etiam exempla domeſtica habes. Nam & antea tuæ familiæ homines in ea urbe commoratos eſſe ex te intellexi, quæ tu auſpicia ſequi potiùs [illegible] debes, quàm inanibus curis præſentia bona, quæ tibi Dei benignitate, multa obtigerunt, corrumpere. Me vide, quanto infelicius exulem procul domo, procul amicis ac cognatis, inter eos homines, quibus cum, ſi neſcirem *Latine* loqui non poſſem. Adde quod hoc in loco, qui invidiâ maximâ ardet apud omnes gentes: Jam & in ipſa urbe non ſatis cohærent eorum animi, qui rerum potiuntur. Inter horum diſſentientes voluntates homini moderato, & in aliqua publica functione verſanti, quantum periculi ſit, non ignoras. Ego tamen ingenti animo hæc fero, & pertinaciter hic hæreo, nullâ profectò meâ vel prudentiâ vel diligentiâ fretus, ſed Deo, in cujus me tutela eſſe libenter ſentio, habeoq; quædam non vana ejus rei teſtimonia. Quare te quoq; mi *Ioachime*, jubeo bono animo eſſe, & bene ſperare, ac tuas fortunas, tuam ſalutem Deo committere. Is unus eſt in tot malis humanis tutus receptus ac portus. *Pater*, inquit ille, *& mater dereliquerunt me, Dominus autem ſuſcepit me* De fratre quod ſcribis, valde me delectavit. Neq; vero dubitavi unquam, ex quo illum vidi, quin ſumma in eo eſſet humanitas. Hunc tu ut viciſſim ames & complectaris omni genere officii, te, ſi ſinis, valde etiam rogo. Scis qui eadem de re & antea mei ſermones fuerint. *Micæ* gratias ago, quod libros & tabulas Aſtronomicas mihi curavit. XVIII. exempla tabularum tantum accepi. Sic enim narrat mihi meus miniſter, qui numeravit, ſed pecuniam primo quoq; tempore totam vobis mittam. Vale feliciter. IV. Cal. Mart. *Franciſcus* & *Riſenſteinus* tibi ac *Micæ* juſſerunt aſcribi ſalutem. *Febanum* meis verbis ſalutabis. Et, ſi permittis mihi, tuam ſponſam. Hic accepimus quæri a ſenatu urbis *Noricæ* medicum non omnino tyronem, quod ſi verum eſt, de noſtro [illegible] velim amicos noſtros cogitare etiam hortaris. Ego in his regionibus ſcio eſſe clariores alios, Sed quantum judicare ipſe poſſum, neq; diligentiorem neque prudentiorem ullum adhuc vidi. Et uſus ſum ipſe in mei corporis curatione non paucis. Sed neminem animadverti rectiùs judicâſſe. Curavit & alios quoſdam hic, de quorum ſalute ſumma deſperatio erat. Hanc rem quæſo ut ita cum amicis communices, ut tamen clam habeatur. Anno M. D. XXVII.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 54. DE fratre tuo biduo ante attulerat Doctor *Chriſtianus* ſed incertum rumorem, quàm tuas literas accepi, quæ me in mediis *Hilarib.* tum enim accepi, pro meo erga te & tuos omnes amo-

A re, graviſſimè afflixerunt, neq; magis de fratre cœpi angi, de quo certè mirabiliter angebar, quàm de te, deq; patris vita. Nunc quoniam plane animi pendeo, nolo meum dolorem pluribus verbis proſequi. Statim properavi in aulam, non quod arbitrarer noſtros in magna gratia eſſe apud illos, ſed quòd experiri tamen, ut in maximo periculo, hæc quoque remedia vellem. Ita placuit Principi, ne ſcriberetur ad *Epiſcopum*, ſed ut ad eum mitteretur legatus *Herbergius*, qui *Coburgam* tenet, cui aie-
B bant non eſſe iniquum admodum veſtrum *Epiſcopum*. Ego ſi meâ morte tuorum ſalutem redimere queam, mi *Ioachime*, non defuturus ſim boni viri & boni amici officio. Id autem te rogo per *Chriſtum*, ut in re tanta memineris Dei voluntati nos æquo animo parere debere, neq; ego adhuc deſperavi, in bona cauſa, exitum felicem. Illud etiam vereor, necubi, cum tuo periculo voles fratri conſulere, facias aliquid inconſideratius. Quare ita agas hanc rem, tuæ ſalutis tamen ut oblitus non vi-
C deare. Mitto tibi literas duorum ex noſtra aula ad *Epiſcopi* fratrem de tua cauſa. *Hesburgum* opinor jam ſuam legationem obiſſe. Non alias mihi moleſtius fuit, tam procul abs te abeſſe. Sed te rogo, ut ſignifices mihi primo quoq; tempore, vel quid ſperetis, vel quid acciderit. *Chriſtus* ſervet te ac tuos. Datæ poſtridie Id. Mart. anno XXVII.

Ioachimo Camerario, aut Michaeli Rottingo Noribergæ S. D.

D
ACcepi, quid reſponderit *Epiſcopus Heſſergio.* Epiſt. 55.
Nec opinor tibi ignota eſſe. Ea fere ſunt, quæ reſponſurum ſuſpicabamur: Non poſſe de negotio fratris tui ſine conſilii ſui ſententia conſtitui. Sed ad finem adjecta eſt clauſula, daturum ſe operam, ut intelligi poſſit, profuiſſe interceſſionem Ducis *Saxoniæ*, tuo fratri. Hic etiam locutus ſum cum Domino ab *Heidek*. Is pollicebatur ſibi rem curæ fore. Sed video in Deo nobis ſolo ſpem eſſe opor-
E tere. Tu tamen, mi *Ioachime*, primum vide, ut tuæ ſalutis rationem habeas, neve te in aliquod periculum temere conjicias, dum illi voles conſulere. Sic enim fratri optime conſulueris, cum & tibi proſpexeris. Deinde te rogo, ut ſignifices mihi, quo in ſtatu res ſit, aut qua in ſpe ſitis. Ego ſi quid alicubi facere me poſſe putas, quidquid illud eſt, libenter obibo. Sed quo loco ſim, quâ fortunâ vides. Me deſiderium tuorum literarum valde cruciat. Et accedit jam domeſticus dolor ad id ipſum.
F Noſter *Pomeranus* periculoſe ægrotat, ab apoſtemate aurium, quod quale morbi genus ſit, ex medicis audire potes. Non poſſum ullâ oratione perturbationem animi mei explicare. Tam multa ſunt, cur hujus viri valetudine adverſâ conſternatus ſim. Vos ut pro eo oretis, rogo. Vale. *Michaelem* velim ſæpe ſcribere, ſi quidem tu occupatus aut abſis aut ſcribere non queas. Deus vos ſervet, & eripiat ex hoc periculo fratrem. Vale. Anno M. D. XXII.
G

Ioachimo Camerario S. D.

L*Ipſiæ* accepi tuas literas *Salveldi* ſcriptas, cum Epiſt. 56.
biduo ante longiorem illam epiſtolam accepiſſem. Itaque, quanquam dubitabam an ad te venturus eſſet *Sicerius*, dedi ei tamen has literas, in quibus utinam poſſem aliquid ſcribere,

quod juvaret cauſam veſtram, aut imminueret tuum dolorem. Sed ego nihil habeo conſilii, quod prodeſſe fratri poſſit. Conſolatio autem nulla alia ſcribi poteſt, quam ea, quam ſcio tibi notam eſſe ut in adverſis rebus meminerimus, nihil ſine certo Dei conſilio accidere, & ſperemus Deum aliquando nobis opem laturum eſſe. Sic enim adverſas res *Paulus* perferri juſſit, hunc portum oſtendit, cum ait: *Orate ſine ira & ſine haſitatione*. Hæc ſi tibi ignota eſſe arbitrarer, ſcriberem ad te longius. Nunc etiam dolore impedior, quo minùs libeat μακρηγορεῖν, tametſi illâ eâdem me conſolatione ſuſtentem, & ſperem fore, ut reſpiciat, & ſublevet fratrem hac calamitate Deus. *Pomeranus* convaleſcit. Reliquum eſt, quod te oro, nè quid inconſideratè facias, nève dolore, aut iracundiâ victus, videare parùm habuiſſe tuæ ſalutis rationem. *Chriſtus* gubernet & cuſtodiat te, mi *Ioachime*. Vale feliciter. Anno M. D. XXVII.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 57. QUì dicam hoc accidiſſe, ut tu prius ſcires quid conſilii domi meæ ceperit meus miniſter, quam ego? Ego enim ex tuis literis primum cognovi eum iſtuc proficiſci cupere. Eram eum iſtuc ipſe miſſurus, ſed aliquanto poſt, nondum enim arbitrabar morbum maturuiſſe curationi. Sed cum ipſe his comitibus delectaretur, & proficiſci jam vellet, non fuit humanitatis meæ, ejus voluntati adverſari. Commendo eum tibi. Dedi viaticum, ſed ſi erit ei opus pecuniâ iſtic, te quæſo, ut meâ fide ei alicunde cures. Solvam enim libenter. Nuper dedi *Muſuro* faſciculum literarum, quas ſi accepiſtis, cognoviſtis totam hiſtoriam mei cum *Iſlebio* congreſsûs. Nunc rurſus acceſſor in Aulam, neſcio qua de cauſa, ſúmque cras iter ingreſſurus. Verùm opinor me defunctum eſſe illâ contentione *Iſlebianâ*. Aliud quiddam fit neceſſe eſt, cur modò hinc evocor. Diſputationem meam κατ᾽ ἀναβαπτιστῶν abſolvi, ſed accipiam mecum, ut de ea cum *Luthero* colloquar. *Caroloſtadius* clam diſceſſit ex *Saxonia*, in *Sleſiam*, ut fertur, multis non dubium eſt, quin ſit novam aliquam tragœdiam excitaturus. Mihi non lubet malè ſuſpicari. Sed jam in aula reſciſcam, num quid audierint eum moliri. Hæ regiones divino beneficio adhuc ſatis tranquillæ ſunt. *Anabaptiſta* minùs hìc tumultuum adhuc, quàm in aliis quibuſdam *Germaniæ* partibus excitârunt. Sed niſi conjuratio patefacta eſſet, horribilis motus fuiſſet exortus. *Viti* noſtri cauſam, de qua ad *Hieronymum Baumgartnerum* ſcripſi, tibi commendo. Scis enim quanti faciam *Vitum*. Et hoc tempore eſt ei noſtro auxilio opus. Vale. Anno M. D.XXVII.

Epiſtolam à *Luthero* accepi hac horâ prinſquam tuas literas obſignâſſem, hanc tibi miſi.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 58. DIu jam abſum domo, miſſus unà cum aliis quibuſdam ad inſpiciendum ſtatum Eccleſiarum. Interea apud nos aër peſtilentiam minari cœpit. Mea ancilla *Wella*, quam nôſti, ut opinor, periit, non quidem domi meæ. Nam aliquanto ante nupſit. Sed tamen apud eam mea uxor, quia ſingulariter eam amabat, fuit, nonnullo cum periculo. Hoc tantum in *Turingia* ſignificatum eſt:

A De uxore quid fiat, planè neſcio. Ita mirabiliter de ſalute uxoris, liberorum, & multorum aliorum ſolicitus ſum. Nec mihi licet, in tanto diſcrimine domum redire. Scripſi bis quid velim fieri. Accipio te ſcripſiſſe ad me, verùm literæ nullæ adhuc ad me perlatæ ſunt. Quæſo te, ut, quoniam nihil diu jam abs te habeo, ſcribas ad me de omnibus rebus tuis. Ex *Brandenſteynio* redeunte ab *Epiſcopo* tuo, audivi quàm non poſſit ullo modo ille οὐκ οἶδ᾽ ὅτι καὶ λέγω, veſter placari. Afferebatur tamen à B confœderatis ſuſceptam eſſe fratris tui defenſionem. Nullam habeo firmiorem conſolationem, quàm quæ eſt in ſacris literis: *Bonus Dominus his, qui tribulato ſunt corde*. Tu quoque confide & Deum ora, ut vos cuſtodiat. Vides quantis in periculis hæc noſtra vita verſetur, è quibus eluctari non poſſumus ſine divina ope. Tu quoq; gratulare tibi, quòd contigit prorſus otium à publicis rebus. O ſapientem *Socratem*, quem ſcribunt mori maluiſſe quàm accedere ad Remp. Ego in moleſtiſſi- C mis negotiis hoc tempore, & quidem nullo cum fructu, quantum video, verſor. Adeo ſunt omnia perturbata partim inſcitiâ docentium, partim improbitate. Nunc video quid ille profugus molitus ſit. Non putavi hominem tam nequam eſſe. Tu pro nobis Deum orato. Puerum *Eraſmum*, quia non probabam aëris quotidianas pene mutationes, mecum domo eduxi. Eſt & mecum *Iohannes Vangio*. Ita aliqua parte ſolicitudinis levatus ſum. Vale feliciter. *Cala*.

D

Ioachimo Camerario S. D.

IN *Turingia* accepi magnum faſciculum literarum, quas diverſis temporibus ſcripſeras. Sed noſtri contubernales retinuerant apud ſe omnes, donec per certum hominem ad me mitti poſſent. *Franciſcus* non ita multò ante eas huc attulit. In his fuit epiſtola de Synaxi, quæ me peculiariter delectavit, non tantum ideo, quia erat elegantiſſimè E graviſſiméq; ſcripta; ſed etiam, quia gaudebam in te tantum roboris eſſe, ut à domeſticis malis aliquantiſper abducere animum ad talium rerum cogitationem poſſis, quæ etiam ſi nihil voluptatis aut ſolatii afferunt, tamen paulìſper ſenſum acerbiſſimi doloris, quem ex calamitate fratris percipis, minuunt. Eſt, ut vides, voluntati Dei mos gerendus, qui certo conſilio nos affligit, non ut perdat, ſed ut ad ſui cognitionem invitet. Proinde minimè te frangi animo, mi *Ioachime*, oportet, ſed con- F fidere noſtram ſalutem, vitam, ac fortunas Deo curæ eſſe, quod in ſecundis rebus non ſæpe animadvertimus. Sed erigunt nos ad hujuſmodi cogitationem adverſæ. Hortor igitur te, ut ingenti animo feras hanc fortunam, exitum ut ſpero, Deus gubernabit. De controverſia illa Theologorum tecum aliquando prolixè commentari cogito. Scis me toto jam biennio exerceri hac quæſtione. *Lutherus*, ex quo abſui domo, graviſſimè ægrotavit, de genere morbi mitto ad te epiſtolam ejus. *Ionas* G filiolum minorem natu amiſit. Urbs *Witeberga* infeſta eſt peſtilitate, quod malum quanquam adhuc ſatis clemens eſſe dicatur, tamen coegit nos ſcholam inde abducere. *Iena* conſedimus aliquot. Ego duas ancillas extuli, quarum alteram *Wellam* ſcis valde modeſtam mulierculam fuiſſe. Meus filiolus etiam conflictatus eſt periculoſiſſimo morbo, ſed tamen Dei voluntate convaluit.

Epiſt. 59.

convaluit. Reliqua mea familia, Dei beneficio, incolumis eſt. Vale. *Ienæ.* Poſtridie Idus Auguſti. M. D. XXVII.

Hic habemus literas. in quibus eſt: Cæſarem agere de Synodo cogenda, quâ de re ſi quid audiſti, ſcribe quæſo; Nam nihil perinde omnes hoc tempore optare debebamus.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt.60. FOrtè in hunc tabellarium incidi, nec potui tam multa quam vellem ſcribere. De literis ad Concilium regni *Germanici* ſcribendis ſignificaveras priore epiſtolâ, te mihi iterum ſcripturum eſſe. Ita accidit, ut nullam ejus rei mentionem fecerim in meis proximis literis. Nunc poſtquam intelligo, quid velis, primo quoque tempore agam apud aulicos noſtros, ut Princeps fratris tui cauſam commendet Concilio. Tu tamen ante nondinas *Lipſicas* ad me ſcribito. Optarim etiam formam aliquam ſeu argumentum perſcribi, quod in illis literis Principis maximè valiturum eſſe putes. Nam ſub nondinas primùm opinor me poſſe hanc rem conficere, quia nunc procul ab aula abſum, & hìc ſum neſcio quomodo alligatus. Non tamen amittam occaſiones ſcribendi primo quoque tempore ad noſtrum Cancellarium hac de re. *Chriſtus* ſervet tuum fratrem ac te. Nec video ulla humana auxilia reliqua eſſe. Nam verum eſt, quod ſapientiſſimi Poëtæ ſcripſerunt: Juſtitiam exceſſiſſe hinc ad ſuperos. Hoc mihi voluptati fuit, te in literis eſſe. Ego nunquam fui alienior à noſtris ſtudiis, quam hoc tempore. Nec una cauſa eſt ejus rei. Sed hæc aliàs. Vale feliciter. Anno M. D. XXVII.

Ampliſſimo viro D. Hieronymo Camermaiſter, &c. amico ſuo S. D.

Epiſt.61. ESt hic adoleſcens quidam ab *Hanboſen*, miſſus huc ante ſeſquiannum, & commendatus nobis per literas ab eo, qui annis ſuperioribus quæſtor fuit in aula veſtra. Illius pueri præceptor laudat mihi in eo probitatem ingenii & mores, ſed negat idoneum eſſe ad diſcendum, & putat ex re pueri eſſe, ſi removeatur à literis, & ad aliud vitæ genus traducatur, præſertim cum mores non poſſint culpari. Hoc, ut ſignificetur ei, à quo nobis puer eſt commendatus, valde peto, ut cum pueri cognatis agat, ut eum domum revocent, priuſquam mores degenerent in hoc ocio, quandoquidem negligenter diſcit. Habet amicum cujus ſumptu hic vivit, virum, ut apparet, valde honeſtum, qui, quia offendetur negligentiâ pueri, placandus eſt, & hortandus, ut ſervare puerum malit quàm perdere, & potiùs ad id vitæ genus, ad quod natura eum finxit, admovere. Neque enim omnes idonei ſunt ad diſcendum literas, in quibus tamen aliæ quædam virtutes ſunt. Et prodeſt, uniuſcujuſque bona potiùs excitare & provehere, quam ingenium non peſſimum propter unum aliquod incommodum delerere. *Viteberga*, XXIII. Febr. Anno M. D. XXVIII.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt.62. HEri accepi tuas literas, quæ quoniam hilariuſculè ſunt ſcriptæ, mirificè me delectant. Etenim cum voluptatem ſingularem mihi animi tui æquitas affert, tum rebus omnibus tuis, vel ſecundis, vel adverſis, non ſecus ac meis, commoveri ſoleo. Totam fabulam diſſenſionis, quæ neceſſario noſtro mecum eſt, perſcripſi *Michaeli*. Eam epiſtolam mitto tibi quoque legendam, ſi tamen æquo animo tantas ineptias legere poteris. De mea dignitate, quod ſcribis, eſt ſanè gratum, me tibi pro tua ſumma erga me benevolentia curæ eſſe. Quòd ſi autem dignitas eſt in rectè factis potiùs, quemadmodum nos Philoſophi ſentimus, quàm in virtutis præmiis dignitatem ut ſpero retinebimus. De præmiis verò non admodum laboro, ſenſi jam olim in quanto odio quibuſdam eſſem. Et vulgi ſtudia non nunc primùm amiſimus, quæ ſi magnopere moviſſent me unquam, magis fortaſſe ſuccenſerem hoc tempore iſti ſcurræ, qui me planè ludos deliciáſq; facit, ſed apud gregales ſuos maximè. Ego tamen nihil alienum meo officio, per iracundiam facturus ſum. Nec tantopere exiſtimatio mea curæ mihi eſt, ut velim eam defenſam cum publico incommodo. Nunquam enim judicavi quenquam vel mediocrem virum eſſe, præſertim πολιτευόμενον, qui rumores ante ſalutem poneret, quiq; è vulgi applauſu penderet. Quòd ſi ille in Epigrammatis, quæ non ad uſum aliquem neceſſarium, ſed tantùm ad jocos ſcribebantur, inquit: *Rarus me juvat auribus placere:* Nos quoq; in graviſſima cauſa bonorum virorum judiciis contenti ſimus. Cætera ſunt in literis ad *Michaelem* ſcriptis. Epigramma inſcribendum *Hippocrati* eſt ſanè ſuaviſſimum. Sed ſi adhuc apud te habes codicem, quæſo ut ipſe inſcribas, ita duplicabis beneficium. Ac tantum abeſt, ut deformari codicem hac inſcriptione putem, ut gratius id mihi ornamentum auro ac gemmis futurum ſit. *Apellum*, opinor, non patiemur abſtrahi à ſchola noſtra. Die divæ *Catharinæ*, cum eſſem *Torgæ*, natus eſt mihi Dei beneficio filiolus. Vale feliciter, & meis verbis uxorem tuam reverenter ſaluta. Fratrem tuum audio liberatum eſſe, quanquam autem duras conditiones arbitrer ei impoſitas, tamen gaudeo ex cuſtodia illa extractum eſſe. Cætera mutabit in meliùs Deus aliquando. Scis illud:

Multa dies, variuſq; labor mutabilis ævi
Rettulit in melius.——

Iterum vale feliciſſimè. Poſtridie τῆς ὑπαπαντῆς. Mitto tibi *Lutheri* epiſtolam proximè mihi miſſam. Anno M. D. XXVIII.

Ioachimo Camerario S. D.

CUm rediret huc miniſter meus, ego *Stolberga* aberam, expatiatus ad *Gulielmum Reyſenſteynum*, à quo cum domum rediiſſem, exhibuit mihi *Joannes* & literas tuas, & *Hippocratis* codicem. Non agam tibi ambitioſè gratias, quia id alienùm noſtrâ familiaritate videri poteſt. Verum non poſſum facere, quin hoc ſcribam: Mihi, quanquam in te colendo non captarim unquam utilitatem aliquam, ſed amavi te, quod vel juratus dicere poſſum, captus admiratione humanitatis ac doctrinæ tuæ, tamen cum hoc munus, tum alia omnia abs te profecta eſſe gratiſſima. Hoc tantùm in hac re vereor, te hoc tempore conflictantem tot domeſticis incommodis, onerari à me quoque. *Epiſt.63.*

Nam video magno emptum eſſe codicem. Ita-
que precinm etiam libens miſſurus ſum, ſi id tu
patiaris. Sæpe cogito de tuis rebus. Quanquam
autem ſcias, unde petenda ſint adverſus tot injurias
fortunæ ſolatia, tamen ego quoque duxi te hortan-
dum eſſe ad animi æqualitatem, quâ adhuc uſus
es, retinendam. Gaudeo non poſſe ſævire in tuum
corpus eos, qui in fortunas tuas tantum ſibi licere
putant. Téque rogo, ut in illa urbe, cujus hoſpitio
ſatis commodo hactenus uſus es, te contineas,
téque cum uxore oblectes. Atque hoc meum vo-
tum *Chriſtus*, cui confido nos curæ eſſe, approbet.
Cum ita res ferent, ut quærendus ſit alius locus,
non deſpero, quin aliquid conſilii Deus in his te-
nebris nobis oſtenſurus ſit. Tu modò ingente ani-
mo præſentem fortunam toleres. Cum patre be-
ne actum eſſe judico, quod ex his miſeriis ereptus
eſt, eíque opto, ut feliciter quieſcat. Accepi à meo
reditu *Græcam* epiſtolam, quâ de re ſcribis; ea cum
ſit maximè hic celata, tamen iſthic, ut video,
θρυλλεῖται. Sed ſi adhibebor in comitatū, nihil enim
adhuc certi ſcimus, te decrevi videre. περὶ δ᾽ ἀριθμῶν,
non numerant eo modo *Hebræi*, quo *Herodotus*.
Cum erit ocium exponam, quatenus diſſentiant à
Græca hiſtoria. Eſt enim in promptu. Tu quod ve-
niam petis, quod *Græcè* ſcripſeris, non rectè facis.
Ego enim etſi ipſe *Græcè* non ſoleo ſcribere, tamen
illo tuo genere literarū mirificè delector, videórq;
mihi cum eas lego, veterum alicujus ſcriptum le-
gere. Nolo ſcribere de te, quod *Plinius* de *Adria-
no*, nè ipſas quidem *Athenas* tam eſſe *Atticas*;
Sed hoc verè affirmare poſſim, cum ab *Atticis* diſ-
ceſſi, nullius orationem mihi magis quàm tuam
placere. Non profectò *Syneſii* aut ſimilium, quo-
rum circumferuntur epiſtolæ, in quibus præter ſen-
tentiarum affectatas argutias nihil eſt, quod mag-
nopere mirari quiſquam poſſit. De me verò hoc
tibi reſpondeo, cur *Græcè* rarò ſcribam, quod *Ho-
ratius* ſibi accidiſſe inquit, ſcribenti *Græcos* ver-
ſus:

——————Venit me tali voce Quirinus,
Poſt noctem mediam viſus, cum ſomnia vera,
In ſylvam non ligna feras.

Sed deſino. Eram ſanè occupatus, cum hæc
ſcripſi, quare dabis mihi veniam, ſi videor tibi
plus ſatis ineptus. Vale feliciſſimè. *Chriſtus* ſer-
vet te ac uxorem tuam, tuóſque omnes. Ex *Iena*.
Die III. Nonarum Mart. Noſter *Vitus* ſalutat te,
& juſſit tibi ſignificari, ſe uxorem, puellam *Tu-
ringiacam* civis *Ienenſis*, viri mediocris filiam du-
xiſſe, quod bene vertat.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt.64. SCholam noſtram, quod fauſtum, felíxque ſit,
in *Saxoniam* remiſimus. Me hìc tempeſtas ha-
ctenus retinuit, & morantur nonnihil negotia Ec-
cleſiaſtica, quæ me ſanè toto hoc ſemeſtri ſtre-
nuè exercuerunt. Sed ſpero me, cum domum re-
diero, fore liberiorem. Nam ibi ſunt, in quos
oneris pars rejici poteſt. Ego præter laborem,
ſummam etiam invidiam ſuſtineo, quia non ob-
ſequor quorundam vehementiæ. Sed de his rebus
tecum, cum primum potero, decrevi coram col-
loqui. *Eraſmi* epiſtolion ad me ſcriptum mitto ti-
bi, nihil enim habebam aliud hoc tempore, quod
magnopere requirere te arbitrabar. Sunt ſanè
ſuaves literæ, niſi fortè irrideor. Sed libet mihi

A candidiùs de illo ſentire. Mitto etiam meam re-
ſponſionem, in qua brevior fui, quàm res ferebat.
Sed multæ mihi cauſæ fuerunt breviſſimè ſcriben-
di. Addidi unam Epiſtolam ſcriptam ad *Cocle-
nium*, ac neſcio cur addiderim, niſi quia nemi-
nem habeo, cui legam, & de uno te noctes ac
dies cogito, tibi recitare mea, tua ſcripta audire
cupio. Noſter *Nigellus* videtur mihi fieri paula-
tim à me alienior. Hoc accedit ad alias meas mo-
leſtias, quas hoc tempore ſuſtineo. Sed privata in-
B commoda facilè fero. Publica mala magis me ex-
carnificant. Ex noſtris quidam κατὰ φῶν feruntur
ad turbandam tranquillitatem communem. Sed
Deus reſpiciat ac ſervet nos, qui certè hactenus
nos juvit. Te quoque, mi *Ioachime*, hortor, ut
eam ſpem retineas, nec excuti tibi patiaris, ſed a-
nimum adverſus fortunæ injurias erigas. Dixi
Blicaro cōſtituiſſe me brevi iſtuc proficiſci. Epiſto-
læ *Eraſmica* ad te ſcriptæ exemplum videre cupio,
ſi tamen mittere non eſt moleſtum. Vale felici-
C ter. *Eobano* & *Michaeli* ſalutem dicito meis ver-
bis. VIII. Cal. Aprilis. Anno M. D. XXVIII.

Eraſmo S. D.

ETſi mihi ſemper aliàs literæ tuæ gratiſſimæ Epiſt.65.
fuerunt, tamen proxima epiſtola multò fuit
jucundior, quàm ulla unquam antea. Nam cum
aliquandiu de tua erga me voluntate dubitâſſem,
quia in priore *Hyperaſpiſte* extant quædam animi
D ſubirati ſigna exemerunt eam mihi ſolicitudinem
hæ literæ tam amanter, támque honorificè ſcri-
ptæ. Neque enim obſcurè perpetuam tuam erga
me benevolentiam ex eis cognovi. Itaque *Delfo*
magnam gratiam habeo, qui & teſtimonium tuæ
voluntatis & amoris mihi attulit, & optatiſſimam
occaſionem ad te ſcribendi præbuit. Longum eſ-
ſet recenſere cauſas omnes ſilentii mei, quo hacte-
nus uſus ſum. Verùm illud te oro, quamvis ut cau-
ſam potiùs ſuſpiceris fuiſſe, quam mutationem
E voluntatis erga te meæ. Ego enim quantum tibi
privatim præter alios debeam, memini, & liben-
ter prædicare ſoleo. Et cum fieri nequeat, quin
illi ipſi etiam, nobis chariſſimi ſint, quorum in-
genia, ſtudiáque miramur, rapiunt me, vel ſi
repugnarem, in amorem tui excellentes ingenii
tui dotes. Quod cum ita ſit, non exiſtimes fu-
turum, ut cujuſquam immodico ſtudio adducar,
ut tecum inimicitias exerceam. Hæc de meo of-
ficio putavi eſſe ad te ſcribenda, quæ ſi tibi pro-
F babuntur, facilè liberabis me ſuſpicionibus illis,
quæ ſparſæ ſunt in priore *Hyperaſpiſte*. In poſterio-
re enim animadverti me clementiùs tractatum
eſſe. Quanquam enim non ſoleo diſſimulare, quid
de controverſia illa ſentiam, tamen nunquam ita
amavi *Lutherum*, ut veluti inſtruxerim ejus in diſ-
putando vehementiam; Tantum abeſt, ut nunc ad-
juvare velim, & ut ita dicam, oleum igni addere.
Atq; hujus mei judicii ipſe mihi *Lutherus* optimus
teſtis eſt. Utinam verò non eſſet tam atrox certa-
G men inter vos ſuſceptum. Neq; ſatis enim habuit
fortaſſe tuæ dignitatis rationem *Lutherus*. Et tu
viciſſim illum mirificè deformâſti, quem quidem
virum ego meliorem eſſe judico, quàm qualis vi-
detur facienti de eo judicium ex illis violentis ſcri-
ptionibus ipſius. Plus profutura erant Eccleſiæ u-
triuſque veſtrum ſtudia, ſi ad ſananda hæc diſſidia
conferrentur. Et faciat *Chriſtus*, ut conſileſcat hæc
inter

inter vos contentio, ὡς ἔδει ἀγαπητὰς εἶναι, οὐ τῆς [illegible], ἀλλὰ τῆς [illegible]. Video te *Neſenו* etiam ſuccenſere. De quo velim mihi credas. fuiſſe eum ad extremum uſque ſpiritum tui ſtudioſiſſimum. Nunquam enim non honorificentiſſimè de te loqui ſolebat. Neque dubitem vel juratus affirmare, ſemper illum ſingularem in te colendo pietatem præſtitiſſe. Non eſt autem vel prudentiæ, vel humanitatis tuæ de amico mortuo diverſam opinionem temerè concipere. Et extinctus eſt tali mortis genere, ut etiam ſi quid in aliqua vitæ parte peccâſſet, oblivíſci conveniret, nè quid miſeris manibus oneris accederet. Quòd pergis ſtudia literarum juvare, precor *Chriſtum*, ut tuis laboribus faveat, pro quibus etiam ſi hæc ætas parum grata eſt tibi præclarè merenti, tamen, ut ſpero,

Judicium melius poſteritatis erit.

Ego quoque has literulas, & hæc ſtudia conterrita tumultu horum temporum utcunque propugno, tanquam gregarius aliquis miles, tua ſigna ſequens. Articulorum ἐξήγησιν, de quibus ſcribis, optarim tibi non diſplicuiſſe. Hic in magnam reprehenſionem incurrit, quia moderatior fuit, quàm quidam voluerint. Sed mihi nihil unquam erit antiquius publicâ pace. cui cum ſervitem, adhortatus ſum eos, qui in Eccleſiis docent, & quidem de Principis mandato, ad moderationem. Vale feliciter. Ex *Iena Duringorum.* Decimo die Calend. April. Anno milleſimo quingenteſimo viceſimo octavo.

Coclenio, S. D.

Epiſt. 66. FAcilè perpulit mè *Dilfus*, ut ad te ſcriberem. Tanta enim eſt ſuavitate ingenii, ut vel repugnantem potuerit in ſuam ſententiam adducere. Ego autem huc ſponte ibam. Jam olim enim cupio me in tuam amicitiam inſinuare. Nam ex multis teſtibus cognovi, non modò quàm feliciter in omni doctrinæ genere verſeris, ſed etiam quantam humanitatem cum eruditione minimè vulgari copulaveris, quâ ſocietate nihil eſt in univerſa natura aut melius aut amabilius. Et habeo quendam domeſticum præconem tuarum laudum *Joannem Ryſſenſteynium*, qui tecum aliquandiu *Lovanii* familiariter vixit. Neque verò te de fama tantùm novi, ſed aſpexi propius has tuas virtutes, propemodum, ut *Græci* dicunt, αὐτόπτης factus. Legi enim quædam tua poëmata, quæ ſpecimen præbent non modò doctrinæ, ſed etiam ingenii atque animi tui. Proinde cum te plurimi facerem, ſæpe optavi mihi occaſionem amicitiæ tecum jungendæ offerri. Peto igitur abs te, ut me inter eos, qui ſunt tui nominis ſtudioſiſſimi, numeres. Exiſtimo ſimile quiddam abs te petere *Joachimum* ac *Eobanum*, quos cum propter eorum virtutem libenter recepturus ſis in amicitiam, non poterit fieri, ut nos excludas, κοινὰ γὰρ οἱ φίλων φίλοι. Eſt autem cum *Joachimo* ea mihi neceſſitudo, ut cum à domeſtico amore diſceſſi, nemo mortalium illo mihi charior ſit. *Eobanus* autē etiam publicis ſcriptis ſuam erga me benevolentiam teſtatus eſt. Ab his, quoniam divellere me non poteris, quæſo ut ſinas abs te quod peto impetrari. Sed ego jamdudum plus ſatis ineptus ſum. Cætera narrabit *Dilfus*. Vale feliciter. Ex *Iena Duringorum*. Decimo die Calend. April. Anno milleſimo quingenteſimo viceſimo octavo.

Ioachimo Camerario S. D.

SIc ſum defatigatus ſcribendis epiſtolis, & neſcio quibus aliis nugis ſub diſceſſum *Secerii*, ut non potuerim tibi, & veſtro ſodalitio reſpondere. Excuſabis igitur illis meum ſilentium. De *Dureri* morte ſama citiùs huc è *Francofordia*, quam è *Noriberga* perlata eſt; ſed ego, ut fit, nolebam tantam rem temerè credere. Doleo tali & viro, & artifice *Germaniam* orbatam eſſe. Hic *Capellum* amiſimus ſubito quodam leti genere extinctum, ampliſſimæ ſpei juvenem. Tunc aberam ego in *Turingia*. Quod ſcribis te metuere bellum, agnoſco tuas ſolicitudines, & amorem erga nos perpetuum. *Marchio* nihil movet, ἄλλοι τινὲς θορυβοῦσι. Tota ea res nota eſt veſtræ urbis Principibus. Deus obtulit nobis pulcherrimas occaſiones pacis faciendæ. Sed quidam ex noſtris ſociis non ſatis dextrè utuntur illis, ut videri queant bellum, quàm pacem malle. Tota res Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται. Vale feliciter. Mitto tibi *Eraſmicam* tuam. & addidi quandam *Stibari* epiſtolam ſanè probabilem, quia animadverti te eam requirere. Anno milleſimo quingenteſimo viceſimo octavo. Epiſt. 67.

Joachimo Camerario S. D.

CHriſtophorus reddidit mihi tuas literas, cum quidem in tota urbe apud celebriores mercatores requiſiſſem eas. Fui libenter hic cum *Iulio*, & cum *Corricio* meo quondam diſcipulo. *Iulius* mirificè te prædicabat, ac veris laudibus, ſi quid ego judicare poſſum, ornabat. Itaque tacitus optabam iſtic eum abs te conventum eſſe. Vir eſt optimus, & admirari Philoſophiam cœpit, quæ res, ut facilè potes exiſtimare, me delectat. *Eraſmi* epiſtolam accepi, quam tibi mitto, nolui enim exemplum mittere certo quodam conſilio, τὸ κα[illegible] *Iulius* non valde probat. Dixi ei de tuo conſilio. valde igitur rogavit, ſi quid miſiſſes, ut ſibi oſtenderem. Hæc ſcribo *Lipſiæ*, jam iter ingreſſurus, ut redeam domum. Novi nihil planè audivi *Lipſiæ*, tametſi multos conveni, qui ex *Italia* nuper redierunt, ὁ [illegible] latet domi ſuæ. Inter τὸν ὁμώνυμον ἐμοὶ, de quo ſæpe jam ſcripſi, & illum *Ibericum* magnæ dicuntur eſſe inimicitiæ. Nobilior jam probat noſtra conſilia, illius improbat. Vale feliciter, χαῖρε te cuſtodiat. *Chriſtophorus* dicebat te juſſiſſe, ut cultros tibi emeret. Emi igitur ipſe tibi & uxori tales, qualibus ego delector. Vale. Decimo die Calend. April. Anno milleſimo quingenteſimo viceſimo octavo. Epiſt. 68.

Ioachimo Camerario S. D.

GRatulor tibi filiolam natam, ac precor *Chriſtum*, ut & ipſam, & te patrem, matrémque ſervet. Cum enim ſit autor conjunctionis veſtræ Deus, cúmque illius beneficio contigerit ſoboles, Sic enim ſcriptum eſt: *Ecce hereditas Domini, filii*: & ſperare & poſtulare debemus, cuſtodem eum nobis affuturum eſſe. Hanc te ſpem concipere unà cum nomine Patris & curis paternis oportet.

A tet. De *Ciceroniano* riſi profectò tuam σπουδήν. Planè, quod pace autoris dixerim viri ſummi, mirificus libellus eſt, nec videtur in aliud ſcriptus, niſi ut *Longolii* manes darent quorundam dictorum pœnas. *Bembi* epiſtolam mitto. Eſtque addita quædam *Pici*, contraria illi, in qua, quanquam nec genus orationis, nec ſententiam probem, tamen quædam me argumenta delectaverunt. Mihi ad hæc ſtudia parum eſt ocii. Bonam diei partem nunc collocamus in recognitionem *Eſaiæ*, verſi à *Luthero*. Reliquum diei conſumo in *Salomonis Proverbiis* enarrandis. Id oneris nobis
B impoſuit *Secerius*. Et hic excuduntur τὰ ἠθικὰ *Ariſtotelis*, quæ non ſine magno labore in tanta negligentia Chalcographorum emendari poſſunt. Et addo Scholia, quæ adjuvent nonnihil Lectorem in tam obſcura & perplexa diſputatione. Ad hos labores accedunt operæ quotidianæ, præterea cognitio cauſarum matrimonialium, cui me ſæpius, quàm vellem, intereſſe oportet. Accedunt
C curæ publicæ multæ, hoc præſertim tempore. De bello quæ fuerint conſilia noſtra exponam tibi aliquando coram. Nam nec brevibus explicari poſſunt, & non eſt tutum omnia literis committere. Ego tamen bonâ in ſpe ſum, fore ut ſine dimicatione negotii quod reliquum eſt etiam conficiatur. Summâ vi obſtitimus, nè inferretur bellum. Quorundam conſilium erat, ſtatim indicere ac inferre bellum, & occupare hoſtium ditionem, priuſquam ullæ pacis conditiones offerren-
D tur. Sed Deus ab eo propoſito mentes τῶν δυνατῶν revocavit. Tu orabis Deum, ut propter Evangelii gloriam, ſedet hunc tumultum. In his noſtris regionibus adhuc Dei beneficio ſumma tranquillitas eſt, quam precor, ut Deus faciat diuturnam.

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

Fama de *Turcis* conſilverat, nunc iterum percrebreſcit. Horribiles rumores huc afferuntur de
E expeditione *Turcica*. Et dicuntur indicta eſſe comitia ad Calend. Julii in urbe *Ratisbona*. De his rebus quæſo te, ut mihi ſi quid audiſti, ſcribas. Vale feliciter, & ignoſce tam negligenter ſcribenti. Die Solſtitiali. Saluta *Eobanum* meis verbis reverenter. Anno milleſimo quingenteſimo viceſimo octavo.

Ioachimo Camerario S. D.

F *Epiſt.70.* QUæ te curæ, mi *Ioàchime*, nunc ſerò exercent, eædem nos, non tantùm μετὰ πόλεμον, ut aiunt, ſed etiam multò ante vehementer cruciârunt. Non deerant monitores in illis deliberationibus, qui rationarentur, quemadmodum & tu prudentiſſimè colligis, quid periculi futurum eſſet, ſi bellum minarentur, non etiam inferrent; Si offenſione patefactâ, inimicorum odia multò magis accenderent. Neque ſtultè diſputabant, nullam cum inimicis fidam ac certam pacem, qua-
G licunque conditione fieri poſſe. Recitabantur exempla malitiæ quorundam, quoties bellum paràſſent, ac pene denuntiâſſent, fuiſſe militum copias ante biennium firmiſſimas contractas, & nobis huc ob oculos adductas. Id periculum divinitùs diſcuſſum eſſe. Talem exitum non ſemper ſperandum eſſe. Multos odia certorum hominum ad bellum, multos certa victoriæ ac ſecuturæ commoditatis ſpes incitabat. Nos tamen ſumma contentione bellum diſſuaſimus, tametſi intelligebamus, quorundam animos noſtris ſententiis mirabiliter offendi. Neque ego ignoro hujuſmodi conſilia eventis, &, ut noſter civis inquit, κατὰ τὸ ἐκβὰν, ponderari. Sed nos quod ſenſimus, ſequendum putavimus, qualiſcunque exitus impenderet; judicavimúſque potiùs in conſilium adhibendam eſſe Dei voluntatem, quàm vel iracundiam noſtram, vel ſpem. Non planè intelligo, quid tu reprehendi ſignifices. Verùm ſuſpicor hoc vulgo diſputari, aut non fuiſſe oſtendendum belli terrorem, aut etiam inferendum illud fuiſſe, quia hæ minæ apud inimicos odia auxerint, & videatur exemplum inimicis oſtenſum eſſe, quo per occaſionem adverſus nos uſuri ſint. Ab aliis verò, qui noſtræ parti bene voluerunt, hunc inanem apparatum irrideri, judicari etiam minus roboris eſſe, & quandam nos timoris ſignificationem præbuiſſe, quia pacem, quàm bellum maluimus. Hos enim exiſtimo eſſe ſermones eorum, quos ſignificas conſilia noſtrorum improbare. Moverunt mihi ſtomachum iniquiſſima iſtorum judicia. Neque enim concedo eis, ut plus eos de noſtra ſalute, aut etiam de publica tranquillitate ſolicitos eſſe credam, quàm nos eſſe convenit, qui plurimum periculi ſuſtinemus. Vellent aliqui, ut opinor, delectos eſſe τοὺς ἀνυγιέντας ipſis ocioſè ſpectantibus, tanquam in theatro fabulam aliquam, & alieno periculo, ac, ut dici ſolet, de alieno tergo, ſibi partam eſſe ἀσφάλειαν. Sapiunt profectò, ut ille in comœdia inquit. Verùm nobis ſpectandum fuit, non quid homines judicaturi eſſent, ſed quid Deo probare poſſemus. Itaque contenti noſtræ conſcientiæ judicio, non moremur vulgi ſermones, & exitum rerum obſcuriſſimarum atque incertiſſimarum Deo committamus. Sed redeo ad id unde paululum diſceſſi, ut exponam tibi aliquam noſtri conſilii rationem. Optârim & ipſe, non fuiſſe contractum exercitum, aut oſtenſum belli terrorem: Sed hoc obtineri non potuit, ἵνα γὰρ προσαναλάβωμεν περὶ ταύτας συμβουλίας, καὶ περὶ τοῦ ἐψηφίσαντο οἱ ἄρχοντες ἀρχὴν πόλεμον, καὶ τὰ ὅπλα δεινὰ ἐπεσκεύαζον, καὶ τοὺς ξένους μισθοῦσθαι, καὶ τὰς ξυμμαχίας μεταπέμπειν Noli enim putare, prodito conatus iſtius indicio leviter commotos eſſe noſtrorum animos, præſertim τοῦ ἤθους ὑμετέρου ἐμοί. Nam illi perſuaſum fuerat de archetypis, commemorabantur σφραγῖδες. Breviter mirabiliter incenſus erat. Poſtea nos accerſiti diximus ſententias, & quanquam videbamus, quid eſſet periculi, ſi bellum oſtenderetur, Id enim impediri non poterat, non etiam inferretur, hoc tamen potiùs cenſuimus, ut pacis conditiones inimicis proponerentur. Magnæ cauſæ erant, cur apparatus totus impediri non poſſet. Hoc igitur obtinuimus, ut de pace agi paterentur, ut adhiberent διαιτητὰς τῆς εἰρήνης, καὶ τὸν τῆς ἡμῶν πατρίδος ἐπίσκοπον. Nam quibuſdam placuerat, μὴδ' ἀναμείναντας εἰρήνην ἢ διαλλαγὰς ἐμβαλεῖν εἰς τὴν πολεμίαν χώραν. Facilè autem pro tua prudentia colligere poteris, quæ nos argumenta moverint, videbatur infinita cædes futura, & cætera mala omnia, quæ in bellis civilibus accidunt, μεταβολαὶ ἁπασῶν τῶν πολιτειῶν, perturbatio religionum multò latior, direptio templorum, novæ tabulæ, & alia innumera, ut etiam ſi juſtiſſima

belli

belli ſuſcipiendi cauſa eſſet, tamen cunctanter aggredi conveniret, ὅτε δὴ ἄδικον ἰδέαν ἡμῶν, ὅτε δουλείαν, ὅτε φιλονεικίαν, ὅτε διαπεπλῆσθαι περὶ τὸν πόλεμον. ἄλλως τε καὶ τῆς αὐτοκρατορικῆς προσδοκωμένης δουλείας ἄθεν. Et quoniam natura putantur homines poſt factum ſapere rectiùs, ego ſæpe nunc mecum diſputo de illo noſtro conſilio; eúmque collegi omnia, tamen in hac ſententia maneo, pacem petendam fuiſſe. Itaque cum neque diſſimulare tantam injuriam poſſent οἱ ἄρχοντες. Legiſti enim certè τὸ μελιτίτου exemplum; Et movebantur noſtri etiam aliis argumentis, non tantum illa fama conjurationis, itum eſt ad arma, non ut bellum inferretur, ſed ut ad æquas pacis conditiones pertraherentur inimici. Cupiebamus hoc agi aliò modo, cupiebamus impedire belli apparatum. Sed ut gubernatori curſus tenendus eſt, quem ſinunt venti, non quem rectiſſimum eſſe novit: Ita nobis, cum impedire apparatum nullo modo poſſemus, ſatis fuit hoc obtinere περὶ τῶν διαλλαγῶν. Et haud ſcio an Deus voluerit, ne noſtri leniùs agerent. Quia non dubium eſt, quin ſuperbè reſponſuri fuerint quidam imparatis. Noſter Princeps, & quod mireris, filius etiam, valde abhorruerunt à bello. Et filius, magna ex parte ſuis conſiliis, ſuóque labore, quod mihi affirmanti credere te velim, hanc qualemcunque tranquillitatem confecit, quam ut efficiat *Chriſtus* perpetuam, optare debemus. Et noſter ἄρχων magnam moderationis laudem aufert, qui cum eſſet paratiſſimus, cúmque tot injuriis irritatus ſit, tamen iracundiam vicit, ac ne ſtipendium quidem flagitavit in conditionibus, ut appareat, nihil eum aliud, quàm pacem voluiſſe. Pecuniam ſi qui petiere, excuſet ſanè illos, quod dicitur à poëta priſco, αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθή. Sed inquies, quid ſi falsò credita eſt conjuratio? Scio non ſignâſſe quoſdam qui perhibentur. Et cujus poëma ſit, illa ipſa κατασκευή, non enim prorſus conficta res eſt, tempus palam faciet. Nôſti illud *Pindari*: ἁμέραι δ' ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφώτατοι. *Otho* cauſam dicet his proximis diebus apud multorum Principum legatos, qui in *Heſſiam* ejus rei gratiâ miſſi ſunt. Habes hiſtoriam ferè totam, quam ſcripſi tibi ad levandas aliqua ex parte animi tui moleſtias. Quanquam enim de exitu nihil poſſum promittere, tamen arbitrabar te æquiore animo fore, ſi perſpectis noſtris rationibus, intellexiſſes, nihil à nobis improbè factum eſſe, & cognoviſſes, quanta noſtra fuerit diligentia in retrahendis à bello quibuſdam cupidis hominibus. De eventu non minus ſolicitus ſum quàm tu. Sed ille eſt ἐν γούνασι θεῶν, qui nos & ſervavit hactenus ſingulari clementiâ, &, ut ſpero, non deſeret in poſterum. Quantum ego judicare poſſum, horribile bellum ſuit futurum, niſi Deus prohibuiſſet, ac mentem tantopere amantem pacis atque ocii noſtro Principi dediſſet. Proinde minimè dignus eſt, cui iſti quos ſignificas, maledicant, cum quodam ipſius beneficio hoc tempore pacem habeant. Et quanquam exitus eſt incertus, tamen iſta ejus voluntas ac probitas laudem atque amorem meretur. Hactenus πολιτικά. Deſidero prudentiam in illo, qui ex *Lutheri* epiſtola profert verba, quæ recenſes in tuis literis. Non enim ſcripta eſt, ut pro concione recitetur. Sed quid deceat iſti non vident, cum toties legant in *Paulo* τὸ εὐσχημόνως περιπατεῖν. Nunquam vacavit ad *Haloandrum* ſcribere, & ſanè prohibeor pudore. Quæſo igitur, niſi tibi aliter videtur, ut ei ſignifices meis verbis, plurimi eum à me fieri, méque amicitiæ ejus cupidiſſimum eſſe. *Julio* meis verbis ſalutem reverenter dicito, ad quem cum redierit in *Myſiam*, advolabo, quàm primùm occaſio erit, ut cum eo de *Italorum* ſtudiis confabuler. Doctum hominem *Lazarum* audivit, & quidem in philoſophia. Nam eſt apud nos *Suevus* quidam *Schillingus*, cui cum utroque, id eſt, *Julio* ac *Lazaro* mediocris uſus fuit. Tuum commentarium κατὰ τῶν μισοπάλων libenter legam. Mihi ſic ſatis interdum ineptus videtur ille cenſor, & haud ſcio, an totus libellus ſcriptus ſit, ut quædam ulciſcatur falsè cujuſdam dicta, de quo mortuo ſtyli pœnas ſumit, contra *Atticam* legem, quam πρὸς Λεπτίνην recitat *Demoſthenes*: μὴ λέγειν κακῶς τὸν τεθνεῶτα, ſed faciam finem. Sum enim defatigatus non ſcribendo, libenter enim tecum quaſi colloquor, ſed quia hac nocte valde incommodè dormivi. Hoc quoque te ſcire volo, his diebus hic ſententiam adverſus *Alexandrum* latam eſſe, ut remittat *Torgiaco Menelao* uxorem. Vale feliciter cum uxore ac liberis. Saluta meis verbis *Eobanum* ac *Michaelem*. *Lutherus* juſſit aſcribi tibi ſuis verbis ſalutem. Ex *Witeberga* Idibus Julii, Anno M. D. XXVIII.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 71.

STatim à *Lipſicis* nondinis in *Turingiam* ad ſtatum Eccleſiarum inſpiciendum profectus ſum. Ibi cum in aulam veniſſem, egi primùm omnium de negotio τοῦ ἐλαστικοῦ. Narravit itaque mihi Cancellarius, ſe de ea re cum Principe collocutum eſſe, rogo in quam ſententiam. Is reſpondit, ſe ex *Ebrardo* audiſſe, petere τὸν ἐλαστικὸν præfecturam aliquam exiguam. Ad eam rem benignè ac liberaliter reſpondit Princeps, cupere ſe tali viro gratificari, ſed nunc præfecturam nullam vacuam eſſe. Mirabar rem hoc modo ab *Ebrardo* ſuſceptam eſſe. Nam præfecturæ per occaſionem petendæ ſunt, cum ſiunt vacuæ. Dixi igitur quæ mihi videbantur ex literis illius, non laborare eum magnopere de præfectura; ſed ambire mediocre ſtipendium, ut noſtris adjunctus, tutior ſit. Hanc dixi ſummam conſilii illius eſſe. Meum non fuit præfinire ſtipendii vel modum vel formam, & ſcis me harum rerum imperitum eſſe. Sed bene promittebant noſtri amici. Si igitur ὁ ἐλαστικὸς vult confici rem, ſcribi curet ad *Dolſcium* de ſuo conſilio ac voluntate. Facilè opinor impetrabit, quod volet. Vidi hic exemplum epiſtolæ ad Νικόλαον ſcriptæ, de qua tu, ut video, non ſine magna cauſa queſtus es. Eſt ſanè violenter ſcripta, ſed ego non tam autori iraſcor, qui ſui ſimilis eſt, nunquam enim magnopere videre ſtuduit, quid hominum judicio deceat, idque certo quodam conſilio, vel fato etiam, quàm illi qui talem epiſtolam non eſt veritus iſthic circumferre & oſtentare. Perlata eſt ad *Agricolam* noſtrum γείτονα. Is miſit huc ad Ποιμένα noſtrum, & poſtulat decerni quæſtionem in ἀμφικτύοσι. Scribit literas valde minaces. Ita maxima de nihilo naſcitur hiſtoria. Nam

quantum

quantum ego ſuſpicor, mittetur illius epiſtolæ exemplum ad omnes Principes, ad Cæſarem, ut illis perſuadeatur noſtrum tumultûs cupidum eſſe, & belli facem, & hujuſmodi alia, quæ affingi ex arte, non illa quam nos profitemur, rhetorica, ſed ex ſycophantica ſolent. Sed Deus corrigat iſtiuſmodi [illegible] noſtra. Vale & delectare tuo ocio. Nos in miſerrimis negotiis verſamur. Iterum vale, ex *Wimaria*. Fuit mecum his diebus *Portunus*, qui mihi maximæ voluptati fuit, quia tuum nomen ſemper habet in ore. Prædiolum quoddam a Principe conſecutus eſt. Anno mileſimo quingenteſimo viceſimo octavo.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 72. NEgotium [illegible]. curabo diligenter ac fideliter. Ante triduum rediens huc ex aula *Apellus* narravit mihi [illegible] de eadem te cum *Ebrardo*, neſcio ubi, collocutum eſſe. Cum hoc igitur primùm communicanda ſunt conſilia noſtra. De illo, quo de *Græcè* ſcribis, eadem fere ſum ſuſpicatus. Ducebar enim quibuſdam conjecturis, in quibus hæc quoque fuit, [illegible]. Qui ſic ſunt, valde delectantur ingeniis ſuis. Quantæ noſtræ contentiones fuerint [illegible], ſubobſcurè tibi nuper ſignificavi. Sed arbitrabar, te hominem prudentem facilè intellecturum eſſe, quanti res negotii, quantæ contentionis fuerit. Ardebat enim [illegible], Et videbatur incenſus ab illo Tragico, qui [illegible]. Qua ex re quid conſequatur, quid ſuſpicari cogamur pro tua prudentia facilè poteris ratiocinari. Non defutura erat probatio. Nam de ea re initio etiam diſputatum eſt, ſi illa [illegible] fuiſſet firma. Cætera relinquo tibi cogitanda. Ego gratias ago Deo, quod non permiſit nos probare belli conſilium. Plus enim boni inſcientes, quàm ſcientes fecimus. Nam quidam vehementiſſimè contendebant, ut ſibi fides haberetur. Quanquam non dubito, nos nunc in maximo odio eſſe, quia exiſtimo quoſdam putare, tutius ſibi fuiſſe, diſceptare armis quàm jure. Vide, mi *Joachime*, quanto in periculo verſemur, irritatis inimicorum odiis, atque auctis vanitate iudicii, alterius autem vel facilitate, vel incogitantiâ, vel etiam timore [illegible] illi. Quanquam illud quidem quid dicam? [illegible], ut ſupra ſcripſi. Ego hac curâ penè abſumor, cum cogito, quanto ſcandalo onerata ſit optima cauſa. Neque habeo quo me ſuſtentem [illegible]. Scriberem tibi multò plura, ſi eſſet tutum res tantas committere tabellariis. *Faber* ex *Boemia* ad me ſcripſit, hortatúrque, ut deficiam à cauſa, habiturum me defectionis præmium, conditionem aliquam apud *Ferdinandum* Regem. Et interpretatur me labeſcere, quia in libello inſpectionis Eccleſiarum fuerim [illegible], in quo tu vides nihil aliud me ſcripſiſſe, quàm quod paſſim tradidit *Lutherus*. Et tamen, quia ſine aſperitate verborum ſcripſi, judicant iſti, ſcilicet homines acuti, me diſſentire à *Luthero*. Audi generoſam vocem *Iberici* noſtri. Quidam magnus cum eo in convivio, Nam ibi tantum [illegible], fortè de libello inſpectionis confabulabatur, ibi cum eſſet mentio de confeſſione injecta, de qua quid ſcripſerim ſcis, & caput illud huic non valde probaretur, ſubjecit *Ibericus*, debere ipſos dare operam, ut eam libertatem, quam nunc ſint conſecuti, retineant, alioqui futurum, ut iterum à nobis redigerentur in ſervitutem. Nos paulatim veteres traditiones renovare. Illa vox ſtatim ad nos à miniſtris, ut fit, perlata eſt. Ita vides quid de nobis ſentiant non ſolùm inimici, ſed hi qui harum partium voluerunt videri. Sic eſt, ut ſcripſit *Thucyd.* [illegible]. *Michaeli* mittam pecuniam ex his nondinis. Nam *Jonam* convenire modò non licuit. *Eobano* quoque ſcribam è nondinis. Te quæſo, ut ſtatim mihi ſignifices, an hanc epiſtolam acceperis. Ex *Francofordia* nondum redierunt noſtri, qui ſi quid attulerunt nobis, quod arbitrabor te quoque ſcire oportere, perſcribam diligenter è *Lipſia*. *Sebaldus* noſter adeptus eſt lectionem inſtitutionum, quod illi bene vertat. [illegible], præſertim [illegible]. Stultos nos, qui cum iſta noſtra Philoſophia eſurire maluimus, quàm ſectari quæſtuoſas illas artes. Vale feliciter cum tua conjuge & filia, Idibus Septembris, Anno M. D. XXVIII.

Nullo modo patiaris te noſtri amore adduci, ut domo exeas ad nos profecturus. Nam heri comperi quoſdam, quos tu fortaſſe non arbitraris inimicos tibi eſſe, aut te nè nôſſe quidem, atrociſſimè de te locutos eſſe, qui quidem ejuſmodi ſunt, quibus in odio eſſe glorioſum ducere debeas.

Ioachimo Camerario S. D.

QUanquam nihil habebam, quod ſcriberem, tamen ut aſſiduitatem tibi meam probarem, dedi hanc epiſtolam Doctori noſtrati *Lutheri* [illegible] iſtac iter habenti. Ducit ſecum *Fachſum* doctorem è *Lipſia*, hominem ingenioſum, Noviſti opinor, proficiſcuntur enim *Tubyngam* ad cauſam *Landgravii* agendam de comitatu *Catorum*. Ego ad urbis veſtræ laudem pertinere putavi, ut tales hoſpites honorificè excipi curaretis. Ea itaque de re cum *Baumgartnero* deliberabis. Eſt inepta, ut vides, mea [illegible]. Sed bene audire urbem veſtram cupio apud hujuſmodi homines. Gratum fiet noſtro, ſi oſtendetur ei armamentarium. Vir eſt magnus, ac ſapiens, [illegible]. Si quid igitur cum eo voles, [illegible], in quo veriſſ. ſcriptum eſt, nervos ineſſe atque artus ſapientiæ. Tu tamen potes his te mihi gratiſſimam rem facturum eſſe, ſi eum ambitioſè etiam exceperis, ac reverenter, [illegible]. Eſtque mihi multus cum eo uſus. Miſi tibi ante dies decem opinor epiſtolam plenam [illegible], ad quam, quæſo te, ut reſpondeas, ac velim *Græcè*, ut ſignifices Epiſt. 73.
mihi,

mihi, ſatis nè intellexeris ea quæ tibi ſubobſcurè ſignificavi. Ego valetudine miſerâ utor, ſentióque ſubinde eam fieri imbecilliorem. Sed nihil malim, quam ſtatim è vita excedere, niſi me cura de liberis teneret, quos, ſi quid acciderit, volo tibi eſſe commendatos. Negotium τῆ ἀ-λόγω eſt mihi curæ, déque eo brevi ſcribam, quid effecerimus. *Chriſtus* ſervet te ac tuos. Vale feliciter cum uxore ac filia. Tertiâ Calend. Octobris, Anno M. D. XXVIII.

Saluta reverenter amicos, *Micam*, & *Eobanum*. Ab *Eraſmo*, audio, mihi ſcriptum eſſe: literas, cum accepero, mittam tibi videndas.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 74. HEri ſerò huc venit D. *Hieronymus*, quem quidem ego valdè prædicâſſe audio officia veſtrorum; ſed ego nondum cum homine potui colloqui. Tantum paucis ſalutavi. Nunc redit ad vos. Da operam, quæſo, nè ulla ex parte in veſtris humanitatem ulla in re deſideret. Ego non ignoro quam ſim ineptus, dum iſta curo. Sed nihil vereor, mi *Joachime*, propter noſtram amicitiam, omnes meas curas, quamvis ineptas, in tuum ſinum deponere. Et hanc meam ſolicitudinem, ſi quid refert, *Hieronymo Baumgartnero* indices. Habeo enim nonnullam cauſam hujus meæ voluntatis, quam te ſuſpicari, quàm ſcribere malo. Hodie tabellarium exiſtimo huc venturum eſſe, miſſum *Witebergæ*, qui mihi afferet, ſi quid interea dum abſum, ad me ſcripſiſti. Si quid ad me voles ſcribere his duobus menſibus, ſi poteris, *Wimariam* mitte ad Cancellarium. Quanquam etiamſi *Witebergam* miſeris, curabunt mei, ut ſtatim ad me perferatur. Invitus abſum domo, & verſor in negotiis moleſtiſſimis. Nec me pigeret laboris, ſi quid proficeremus. Sed oportet nos obſequi temporibus. Vale feliciter. *Eobanum* & *Michaelem* ſaluta. Vale feliciſſimè cum uxore & filia. Ex *Wimaria*, Anno M. D. XXVIII.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 75. ADoleſcenti, quem mihi commendâſtis, non ſum defuturus, ſicubi meâ operâ uti volet. Nunc apud *Vitum Noricum* habitat, qui ei futurus eſt velut operarum exactor, exercendi ſe in noſtris ſtudiis. Audiet præterea elementa Juris civilis. Id enim ejus propinqui ab eo poſtulant, quorum conſilium ego ſanè vehementer probo. Soleo enim ut ſcis juvenes hortari, ut ſequantur literas, quæ faciant πρὸς τὰ ἄλφιτα. Quid enim aliud faciant in tam perverſis hominum judiciis, & tam miſeris temporibus, ubi virtuti non eſt honos? De mea valetudine gaudeo te bene ominari. Sed *Cricius* errat, qui me, quia non decumbo, incolumi valetudine eſſe judicat. Sentio attenuari quotidie corpus, ac paulatim vires deficere. Illa etiam diæta, quæ antea conciliabat ſomnum, nunc impedit, & commutari tamen ſine aliquo incommodo non poteſt. Sed hæc me non admodum angunt, libenter enim ex his quaſi vinculis evolabo, cum evocabit Deus, modò ut ipſe ſit mihi propitius. Alia ſunt quæ me magis afficiunt. Creſcit Eccleſiæ diſſidium. Legi nuper epiſtolam *Billicani*, in qua totam *Lutheranorum* [illegible] doctrinam condemnat. Incipit mirari *Dionyſium*? quid dicam? mihi quidem, quiſquis illum tantopere ſuſpicit, ut præ eo τὰ τῆ λόγω omnia contemnat, ſanus eſſe non videtur. Quæ in illo, aut ſimilibus litera de juſtificatione, de gratuita remiſſione peccatorum, de fidei vi ac natura, de jure magiſtratuum, & aliis quibuſdam locis, quos hic noſter aperuit? Et tamen audet ſcribere, nec præceptorum, nec ſacramentorum rationem rectè traditam eſſe à noſtris, ac inianire, qui Eccleſiam apud nos eſſe exiſtiment. Hæc ideo tibi ſcribo, ut *Spenglero* dicas. Nam huic quædam cum illo eſt notitia, non ut illum admoneat, ſerum enim videtur eſſe, ſed ut meminerit [illegible] ſi tamen me monitore indiget. Ego per occaſionem ad *Billicanum* ſcribam. Contuli in meos annales res hoc anno geſtas optimâ deſcriptas fide. Ibi ſeriem earum rerum cognoſces de quibus tecum aliquoties jam. Prodeſt memoriam tantarum rerum conſervari, quanquam nunc quidem celandæ ſint. Tu tamen olim in lucem proferre debebis perpolitas, & pictas artis coloribus. Nunc ego illuſtrare non poſſum, tantùm in narrando mediocrem adhibeo prudentiam. Mei *Vangiones* ſunt in urbe *Galliæ Genabo*, ſic dicunt à Cæſare vocari *Aurelianum*, quo nunc *Cricius* proficiſcitur. Rogo te ut, quoniam te ſemper & amârunt & coluerunt, ſcribas ad eos, ſcis enim eos à me quoque valde amari. Ad extremum te oro, ut forti animo ſis, ſæpe enim vituperat *Chriſtus* ὀλιγοπίστους. Et fidei imbecillitas ſolet triſtitiam animi parere. Vale. Die III. Id. Octobris, Anno M. D. XXVIII. *Chriſtus* ſervet te ac tuos.

Ioachimo Camerario S. D.

QUod aliquandiu diſtuli ad te ſcribere, non modò occupationes in cauſa fuerunt, ſed etiam ærumnæ tum publicæ tum privatæ, quæ quoniam tantæ ſunt, ut nulla earum ſolatia ex his ſtudiis, ex quibus alioqui ſoleo communium malorum remedia petere, auferre queam, propemodum me literarum, & ſtudiorum noſtrorum pertæſum eſt. Ita fit ut ſcribere etiam pigeat. *Carmina*, inquit ille, *proveniunt animo deducta ſereno.* Et hæc noſtra qualiacunque ſunt, vacuum animum requirunt. Sæpe etiam ad te cupientem ſcribere, fratris tui recordatio retundit, quem opto ut Deus tandem ex his malis liberet. Nam auxilii nihil habeo præter hæc vota. Quantum autem doleam tali me tempore, tibi, ut pro noſtra conjunctione debebam, nihil opis afferre poſſe, non poſſum verbis explicare. Commendâſti mihi quendam ſacerdotem, cui, quanquam mihi ſatis notus eſt, tamen etiam tuâ cauſâ cupio conſulere, ſicubi queam. Sed *Neapoli*, priuſquam tuæ literæ advenerant, jam erat deſignatus Paſtor. Proinde alius locus quærendus eſt. Miror autem, cur iſtic non malit eſſe, niſi id eſt, quod ſuſpicor, quod, quo quiſque loco eſt, putat ſe miſerrimum eſſe. Ejus rei uterque noſtrum conjecturam de ſuo animo facere poteſt. Quòd ſi nulla magna cauſa eſt quærendi alias ſedes, meo judicio prudenter fecerit, ſi iſtic manſerit. Libellus *Epiſt. 76.*

A bellus ille, quem edi poſtulat *Spenglerus*, eſt in aula, &, ut opinor, edetur. Quidam alius ſimilis, ſed brevior aliquanto *Latinus*, minimè in hoc ut ederetur ſcriptus, *Witeberga* me inſcio excuſus eſt, quem nihil dubito ad vos perveniſſe. Nihil habet, niſi quandam puerilem κατήχησιν, ut ita dicam, *Christiana* religionis. Et tamen hic tam brevis libellus, quas Tragœdias excitavit? compoſuit quidam è noſtris peracerbam ſanè cenſuram in id ſcriptum. Et expecto ab eo acerbiorem. Nunc de me aiunt eum triumphare, tan-
B quam ſi Regem *Gallorum* in acie cepiſſet. Sed ego dabo operam, ut intra nos componatur hæc res, & vincam meâ moderatione atque humanitate iſtius vehementiam. Reprehendit, quòd non doceam inchoari pœnitentiam ab amore juſtitiæ, quòd de legis prædicatione urgenda nimius ſim, quòd alicubi malè detorſerim ſcripturas, quòd quibuſdam locis *Christianam* libertatem læſerim. Facit me bis *Papiſtam*. Sic ego audio apud ami-
C cos. Nolo autem te hac diſſenſione quicquam moveri, Dabit mihi, ut ſpero, Deus hanc mentem, nè quid faciam, quod augere diſcordias Eccleſiaſticas poſſit. Et in illa ipſa κατηχήσει quid aliud ſecutus ſum, niſi, ut neceſſaria in Eccleſiis docerentur, omiſſis controverſiis pleriſque, quæ vel non intelliguntur, vel ad pietatem parum conducunt. Itaque præcidi quædam, ut prudens Lector intelligere poteſt, diſſenſionum ſemina. Fui *Torga* proximo menſe, atque ibi unà *Lu-*
D *therus* erat, qui cum multa mecum eſſet locutus de ſuis afflictionibus, mirabiliter etiam me perturbavit. Ad hæc, jacet ille deformatus omninò ſcriptis, quæ quibuſdam non videntur ἀπαραίτητα. Et cum ipſius miſericordiâ moveor, tum me graviſſimè angit publica Eccleſiæ perturbatio.

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

Et, niſi *Christus* promiſiſſet ſe nobiſcum futu-
E rum eſſe uſque ad conſummationem ſeculi, profectò timerem totam religionem penitùs his diſſenſionibus obrutum iri. Veriſſimum enim illud eſt: *nimium altercando veritatem amitti.* Διλέχθη δὲ τῇ ἀληθείᾳ πολλὰ περὶ συνθέξεως, καὶ περὶ τῆς παραδόξου ὑπὸ τινων δογματιζομένης συμμίξεως τῆς ἄρτου καὶ σώματος τοῦ Χριστοῦ, ἀλλ' ἐκεῖνος ἀπεκρίνατο μηδὲν διισχυριζόμενος καὶ διαβεβαιῶν ἄνευ χρόνου καὶ σκέψεως. Ego nullo modo puto mihi hanc controverſiam adhuc attingendam eſſe. Quanquam autem ſatis hic negotii habeam, tamen κατὰ τῶν ἀναβαπτιστῶν
F cogito aliquid ſcribere, vides quos ubique tumultus excitent, cum nullam neceſſariam rationem ſui dogmatis habeant. Hæc cum ſcriberem, vexabat ἡ τῆς κωλικῆς, quâ dies jam quinque laboro. Cauſam eſſe hæc *Turingiaca* vina puto. Multa tecum volebam in his literis commentari, ſed partim impedior morbo, partim ejuſmodi ſunt, ut literis committenda non putarim. Quanquam has ipſas literas, cum legeris, rogo te ut
G concerpas. Tuam ſortem quæſo te, ut æquo animo toleres. Sæpe arbitratus ſum me peccâſſe, quod non hìc te vel nolentem retinuerim. Sed multæ cauſæ ſunt, cur alibi te eſſe ſatius eſſe exiſtimem. Vale feliciter.

Mitto vobis *Pſalmum*, *Dixit dominus*, ad excitandum *Eobanum*, quem verè in hoc genere

A Regem eſſe ſtatuo. Ages ei meis verbis ampliſſimas gratias, quod edidit illos à ſe factos Pſalmos. Ego ejus literis reſpondebo, cum plus erit otii. Vale iterum. Datæ X. Calend. Novembris, Anno M. D. XXVIII.

Ioachimo Camerario S. D.

HEri accepi literas tuas, in quibus admones me negotii *Othonis*. Scis me toto penè ſe- *Epiſt.77.*
B meſtri abfuiſſe *Witeberga*. Quare, cum primùm ea de re ſcripſiſti, nihil agere, cum domo abeſſem, potui. *Velcurius* collocutus eſt cum *Ambroſio*. Iſque videtur non abhorrere à veſtro negotio. Sed queſtus eſt ſibi nimis duras leges imponi. Idque & mihi videtur. Quòd ſi minùs aliquanto fœnebris pecuniæ repeteretur, videtur conditionem accepturus. Proinde deliberabit cum amicis *Otho*, quid æquum eſſe arbitrentur. Ego, quia audio his proximis diebus *Ambroſium*
C huc venturum eſſe, de ejus voluntate certiora ſcribam ad vos non ita multo pòſt. Scripſi ad te ante paucos dies epiſtolam longinſculam, & querelarum plenam, quo genere literarum talibus tuis temporibus uti non debebam. Sed, ubi dolet, aiunt, ibi quiſque habet manum. Ita ego ad deploranda noſtra mala vel invitus delabor. Neque nunc ſum æquiore animo. Nec me tam domeſticæ miſeriæ conturbant, quam mala publica, quæ tanta ſunt, ut jam videantur ipſis re-
D mediis exacerbari. Noſter *Arceſilas* mirificè affictatur. Orabis igitur *Christum*, & ut ſervet virum, & ut gubernet periculoſiſſimis tempeſtatibus. Quæſo te, ut ſæpiùs ad nos ſcribas. Ego viciſſim, ſi intellexero te hoc officio meo delectari, ſcribam frequentiùs. Nuſquam magis acquieſco, quàm in tuis dulciſſimis literis. *Mica* ſolvam diligenter, quod pro *Pſalmis* debeo. Vale. Datæ III. Id. Novemb. An. M. D. XXVIII. Uxorem tuam, & amicos omnes meis verbis re-
E verenter ſaluta.

Ioachimo Camerario S. D.

HAs literas dedi cuidam bono ac docto viro *Epiſt.78.* *Johanni Harlemenſi*, qui cum diu apud nos verſatus eſſet, nunc propter minaciſſima edicta, quæ in *Belgio* propoſita ſunt adverſus eos, qui videntur eſſe noſtri ſtudioſi, cogitur ex *Saxonia* diſcedere. Conſtituit autem aliquantiſper in ur-
F be veſtra commorari, ubi ſperat ſibi nihil periculi à ſuis fore. Rogavit igitur me, ut ſe tibi commendarem, ut haberet aliquem, cujus vel notitia, vel amicitia commendationem aliquam ipſi afferret. Cupit innoteſcere medicis. Nam in ea arte multos jam annos verſatur. Nec aliam ob cauſam ambit illorum familiaritatem, niſi ut poſſit ocioſus cum illis συμφιλοσοφεῖν. Non hoc agit, artem ut exerceat, nec periculum eſt, nè ἄλογος ἀλόγῳ. Quæſo itaque te, mi *Joa-*
G *chime*, per amicitiam noſtram, ut des te huic *Harlemenſi*, & ſicubi opus erit, adjuves eum. Nihil petit præter vulgaria illa καὶ μικρὰ φιλοφρονήματα. Nec commendarem tibi eum, niſi pudor ejus ſingularis eſſet mihi perſpectus. Erit igitur humanitatis tuæ, non deeſſe viro bono ac docto in hoc officii genere, quod ſine mo-

leſtia

leſtia præſtari poteſt. Pluribus verbis agerem tecum niſi mihi tua in omni genere humanitas nota eſſet. De literis tui fratris proximè admonuiſti, de quibus cum cogitâſſem multò ante ad te ſcribere, tamen neſcio quomodo oblitus ſum. Opinor te jam in hoc conventu, noſtri enim nunc apud vos ſunt, eam rem confecturum eſſe. Sed ſi non confeceris, nos hic tamen, ut ſpero, perficiemus. Hactenus, quia in aula non fui, nihil egi, & niſi aſſim monitor καὶ ἐργοδιώκτης, alia negotia, quæ ſunt infinita, excutiunt hujus rei memoriam. Mirabilis eſt rerum facies hoc tempore, quod ut vides planè eſt *Marticum*. Ille *Argivus* jam ſurit, conſcribit exercitum, & cœlum territat armis. Nos quantum poſſumus hominem dehortamur à violentis conſiliis. Omnia bene habitura eſſent, ſi iſtius poſſet ingenium vehemens καὶ [illegible] regi. *Blicarus* uxorem duxit, quod fauſtum felixque ſit, filiam ſororis *Lutheri*. *Spenglerus* miſit ad me quandam deliberationem, de quâ brevi reſpondebimus *Lutherus* & ego. Addidit literas, in quibus περὶ τῆς συνόδου, jam in meam ſententiam it, quod aliqua ex parte meas ſolicitudines levat, quæ quidem tantæ ſunt, ut nulla humanâ ope, nullo humano conſilio poſſint mihi eximi. Vale feliciter. *Lipſiæ* in nundinis. Nonis Januarii, Anno milleſimo quingenteſimo viceſimo nono.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt.79 CUm *Figulus* ad vos iter haberet, facere non potui, quin ei literas darem, quanquam quod ſcriberem, non habebam. Nolo enim te perpetuis querelis, moleſtiâ majore afficere. Apud nos tranquillæ res adhuc ſunt, ſed ille de quo nuper, non quieſcit, quem quidem noſtri ſummâ fide conantur retinere. Sed quantum profecturi ſimus, ὅσῳ δεῖ γνῶναι κτλ. Quidam ἀργυρεῖς dicuntur optare, ut *Turca* potius adveniat, quàm αὐτοκράτωρ. Hoc quid ſit, ſatis intelligis, metuunt non *Hiſpanos*, ſed alterum, ut ſuſpicor, quem rectè ratiocinantur, ſi quid movebitur, [illegible] τοῖς πράγμασι. De *Anglis* multa dicuntur, quæ cum exiſtimem tibi eſſe notiora, omitto. De rebus *Italicis* à te expecto literas. Meum miniſtrum vobis commendo. Vale feliciter. Die decimo Calendas Februarii, Anno milleſimo quingenteſimo viceſimo nono. Saluta meis verbis amicos, *Eobanum* & *Micam*. Meo *Johanni* des hunc Joachimicum.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt.80. HEri accepi tuas literas, ad quas quoniam eram occupatiſſimus, non potui jam reſpondere. *Lutherus* rectè valet, ac miror, quæ res occaſionem præbuerit illi fabulæ de ejus interitu fingendæ. De me ſimilis rumor *Argentinæ* ſparſus eſt. *Hieronymo Baumgartnero* dicas, *Spenglero* miſſam eſſe noſtram ſententiam περὶ τοῦ μὴ ἀντιστῆναι [illegible], καὶ ὅπως [illegible] ἄρχοντι [illegible]. Non licuit ea de re mittere τὸ καθόλου σύγγραμμα. Sed cum iſtuc venerimus, oſtendam. Si enim procedent Comitia, iter iſtuc habebimus. De aliis rebus igitur omnibus coram. Vale feliciter. Anno milleſimo quingenteſimo viceſimo nono.

Ioachimo Camerario S. D.

VEnimus *Spiram* pridie τῆς κυριακῆς τῆς περὶ τοῦ ἀσώτου. Hodie, qui fuit poſtridianus dies ejuſdem Dominicæ, expoſita ſunt Cæſaris mandata, [illegible]. Decretum *Spirenſis* conventus, qui ante biennium fuit, abrogatum eſt. πολλαὶ καὶ μεγάλαι ζημίαι conſtituuntur in eos, qui non obtemperent novo edicto. Cætera ſunt περὶ τελῶν τιμωρίας. Habes ſummam eorum, quæ adhuc geſta ſunt, facilè intelligere potes, quanto in periculo verſemur. Nunquam fuit tanta frequentia ullis comitiis ἀρχιερέων, quanta in his eſt. Et quidam vultu ſignificant, quantum nos oderint, & quid machinentur. Sed *Chriſtus* reſpiciet & ſalvabit populum pauperem. Planè enim ſumus in hac urbe, καθάρματα, καὶ περιψήματα. Scis multa me ſolitum in noſtris deſiderare, ſed hoc loco non id agitur, ut noſtra vitia corrigantur; Illud agitur, ut optima cauſa opprimatur. Quod, ut ſpero, prohibebit *Chriſtus*, ac diſſipabit conſilia gentium, quæ bella volunt. Amabo te, ſcribe mihi per nuncios urbis veſtræ, qui nunc quotidie iſtinc mittuntur. A me expectato viciſſim omnium rerum hujus conventûs hiſtoriam fide optimâ ſcriptam. Saluta meis verbis uxorem tuam, *Eobanum*, *Micam*, *Hieronymum* & *Spenglerum*. De tua hiſtoria alias. Vale. Ex *Spira*. Anno milleſimo quingenteſimo viceſimo nono. Epiſt.81.

Ioachimo Camerario S. D.

VTinam feliciter domum redieris. Nos hic rixamur adhuc iis de rebus, quæ cum adeſſes, in conſilio Principum jactabantur; Nihil adhuc convenire potuit. Ac nobis quidem ſatis æquæ conditiones feruntur, ſed quoniam attingitur cauſa δήμων κοινωνιῶν, nolunt eas conditiones recipere πόλεών τινων πρεσβευταί. Ita pendet res in incerto. Ante biduum venit huc legatus Pontificius *Thomas Picus* Comes *Mirandulæ*, qualia mandata habeat, nondum audivi. In literis βασιλέως κλητικῶν nihil erat novi, purgat ſe, quod per ipſum non ſteterit hactenus, quo minus pax fieret. Obtuliſſe ſe Cæſari magnam pecuniæ vim, ut redimeret obſides, vult videri magnâ affectus injuriâ, quod obſides non ſint redditi. Hoc fuit in illis literis. [illegible], quod in ſumma pecuniæ nominanda, uſi ſunt veteri appellatione ſeſtertii. Nihil habeo præter hæc, quod quidem in mentem venerit, literas à te expecto. περὶ τύχης ſi quid habebis, ſignifices nobis. Præfationem in *Danielem* miſi *Secerio*, quæ mihi prorſus non placet, ſed hoc tempore non potui melius ſcribere. Saluta *Eobanum*, *Micam*, & uxorem tuam. Vale. Die V. Id. April. Anno M. D. XXIX. Epiſt.82.

Ioachimo Camerario S. D.

HActenus argumentum ſcribendi defuit. Heri pronunciata eſt illa decreti formula, de Epiſt.83.

qua tibi dixi, in qua videmur obligare noſtros A
adverſarios, ut retineant Pontificias leges. Ita-
que noſtri oppoſuerunt proteſtationem, in qua
declârant, ſe non conſentire, de ea formula, ſub-
ſecutæ ſunt aliquot civitates noſtrorum prote-
ſtationem. habes rem horribilem. Duæ ſunt
imperii factiones, quas *Faber* & *Eckius* ſuis illis
ſtultis & nefariis conſiliis, dicendum enim quod
res eſt, contra ſe mutuò armant. ἀλλὰ δοκεῖ μοι τὴς
ἀπαλλάττουσα τῆς ἡμετέρας οὐκ ἄνευ φόβου εἶναι, καὶ ἴσως με-
ταμελήσει τῆς φατνιᾶ πράγματος. Ambiunt nunc no- B
ſtros, ut maneant, ſignificant, ſe moderaturos
decreti acerbitatem, quid ſit futurum neſcio.
Nos ſine periculo eſſemus, ſi noſtri paulum mo-
dò eſſent commodiores, ac in aliis negotiis præ-
berent ſe æquiores, de conferenda pecunia ad
Turcicum bellum, & ad ſumptus regiminis Im-
perialis. De oratore Pontificio ſcripſi tibi an-
tea quid egerit, fuit omnino ſummiſſa & timida
oratiuncula, adhortabatur ad apparandum bel-
lum adverſus *Turcas*. πλεῖ γ' ἡμῶν ἐπικαλούμενοι. C
Quod ad fidem attinet, ſummo dolore afficitur
S. D. quod audivit veteres hæreſes cum novis in
Germania ſeri, & paulatim ſerpere. Neque durius
quicquam dixit. Deinde hortatus eſt, ut qui ha-
ctenus perſeveraverint in Eccleſia, ſic loqueba-
tur, manerent in ſententia, & ſi qui ab Eccleſia
diſceſſiſſent, ad eam redirent. Ad extremum
excuſabat, quare hactenus non coegerint Syno-
dum. Nihil habebam amplius. *Chriſtus* ſervet
& gubernet te, fortaſſe intra biduum abituri ſu- D
mus, ſcribam ex itinere, cum primùm potero.
Vale feliciter. *Fabro* nihil ſcripſi, nolo enim ho-
minem ſtultiſſimum & impudentiſſimum hoc
afficere honore, ut glorietur ſe mecum pugnâſſe,
Non. Maii, Anno M.D.XXIX. Vale feliciſſimè.

De ſigno expectat *Mylo* quid reſpondeas. Hic
ferunt *Helvetios* civile bellum moviſſe, ac jam
maximos utrinque exercitus in armis eſſe. *Faber*
hujus famæ vel autor, vel amplificator eſt, Si quid
ea de re habes, quæſo, ut ſignifices nobis. *Pſal-* E
mos Eobani expecto. Vale feliciter. Amicum tu-
um velim non obligari jurejurando eorum, qui
initiantur. Adhibebit te in conſilium fortaſſe.
Hæc mea fuit ſententia, in quam vellem eum
adduci poſſe, nè reciperet illas ordinum leges, &
conſecrationes.

Ioachimo Camerario S.D.

Epiſt. 84. DE eo periculo, quod noſter amicus vitavit, F
quæ me itémq; aliis narrantibus cum adeſ-
ſes cognoviſti, ſunt veriſſima, & à me celebrabũ-
tur aliquando per occaſionem aliquo ſcripto. O-
mninò eſt ille divino auxilio ereptus quaſi è fau-
cibus eorum, qui ſitiunt ſanguinem innocen-
tum. Et me conſiderantem ea, quæ iſti planè
hoſtes Veritatis agere non deſinunt, potentes in-
citando contra reprehenſores eorum, quæ nè
ipſi quidem poſſunt aut audent jam defendere,
nonnunquam illorum ſubit miſericordia, magis G
quàm metus propter nos, & veniunt mihi in
mentem *Pindarica* illa, quibus malorum & in-
vidorum animos negatur delectari præceptis do-
centibus non eſſe repugnandum Deo, σταθμᾶς δὲ,
inquit, τινὸς ἑλκόμενοι περισσᾶς, ἐνέπαξαν ἕλκος ὀ-
δυναρὸν ἑᾷ καρδίᾳ, πρὶν ὅσα φροντίδι μητίονται τυχεῖν,
nôſti locum in *Pythiis*. Et ita eſt profectò, ut A
ingrediantur lubricum iſti iter impingendo ſti-
mulis calces, ut ibidem dicitur. Nam etiamſi ex
nobis aliqui opprimantur, non tamen ideo obti-
ceſcet vox Veritatis. Utinam modò cauſa optima
rectè agatur. De quo reliquum eſt, ut invocemus
Filium Dei, orantes, ut nobis largiter impertiat
Spiritum ſuum ſanctum ὁδηγὸν εἰς πᾶσαν ἀλήθειαν.
Cyclops ille nunc ferocem ſe facit, quia à Regi-
bus auditur. Quâ occaſione utinam iſtud genus
non abuteretur ad publicam privatámque mul- B
torum perniciem. Sed in quæ tempora incide-
rimus, vides. Quòd autem aliquos, quaſi nos
compoſuerimus fabulam, argumento ex illa diſ-
ceſſione confictо, de tota re loqui ſignificas, fe-
rendum ſcilicet eſt, nam cogimur ferre alia gra-
viora. Modò ille evaſerit, quod factum eſt Dei
beneficio, loquatur quiſque quod volet. Nos
tamen quod verum eſſe ſcimus, & glorioſum
opus Dei commemorare debemus, ad laudem
C illius & noſtram conſolationem. Quòd ſcri-
bis queſtum eſſe amicum illum tuum, Me ni-
mis ἀποτόμως reſpondiſſe de quæſtione ſua;
Neſcio quid potuerim aut debuerim responde-
re aliud. Et eram illo tempore non ſolum mul-
tis negotiis occupatiſſimus, ſed variis etiam cu-
ris graviſſimè perturbatus. Jam quid poteſt diſ-
putando de talibus rebus explicari? Ante om-
nia enim unumquenque ſeipſum in conſilium
adhibere oportet, & decernere non tantùm quid
D faciendum ſibi putet, ſed etiam quid confidat
ſe ſuſtinere poſſe. Hortando autem addere a-
nimum eventu tam dubio, habet magnum pe-
riculum Sed tu ſi affuiſſes, quod optare illum
ſcribis, fuiſſent omnia faciliora. Nunc quod
factum eſt ipſe boni conſulet, & tu probabis.
Ut ille autem ſequatur quod optimum & rectiſ-
ſimum ſit, ex animo opto. Vale. Die *Geor-*
gii, Anno milleſimo quingenteſimo viceſimo
nono.

E

Ioachimo Camerario S. D.

NOn dubito, quin magnopere admireris, cur *Epiſt.* 85.
nihil ſcripſerim ad te ſub exitum comitio-
rum. Ego verò, mi *Ioachime*, ita fui perturbatus,
ut primis diebus penè extinctus ſim, omnes *dolo-*
res inferni oppreſſerant me. O felices, qui abſtinent
à publicis negotiis! Scribam itaque tibi breviter
κεφάλαια rerum, ut cognoſcas, quid me tantopere
F cruciet. Redii huc neutiquam afferens domum,
illam, quàm ſolebam, hilaritatem, ut ex *Sebaldo*
intelliges. Initio conventus ſcis horribile edi-
ctum propoſitum eſſe à Pontificia factione, ut pa-
reamus edicto *Wormacienſi*. Si quis nolit parere;
ut proſcriptus habeatur ſine ulteriore, ut loquun-
tur iſti, declaratione. Sed hæc tam atrox ſen-
tentia poſtea mitigata fuit, & poſt longum cer-
tamen, capita quædam comprehenſa, quæ jam
ſunt edita. Nè hæc quidem nobis placebant, quia
G in his hoc erat poſitum, ut qui hactenus ſervâſ-
ſent veteres traditiones, cogerentur & in poſte-
rum ſervare. Nobis αὐτονομία concedebatur. At
nos non voluimus obligare alios. Erat in articu-
lis etiam, ut Eccleſiaſtica Juriſdictio redderetur
Epiſcopis. Erant quædam περὶ λειτουργιῶν, quæ
recipere non potuimus. Et quia additum erat
decretum

decretum περὶ δείπνου κυριακοῦ, quo damnabantur A quidam nominatim; Id quoque attigimus. Nondum ſciebamus, quid de capitibus quæ ad nos pertinebant, facturi eſſent, & noluimus ſtatim à nobis divelli quoſdam non nimis pertinaces, καὶ δὴ οὐ πάνυ ἐπιεικεῖς περὶ ἐκείνου πράγματος ψῆφον ἐνεγκεῖν. Non igitur condemnavimus ullos, ſed diſputavimus, controverſa eſſe rejicienda ad Synodum, ante eos, qui accuſarentur, vocandos eſſe, nè indictâ causâ queri poſſent, ſe damnatos eſſe. Si qua vis adverſus eos pararetur, verendum nè B ἐξωτικοί τινες in *Germaniam* adducerentur, id quoque providendum eſſe, nè accideret. Et hæc diſputabamus tantùm, nequaquam defenſuri hos aut illos, neq; verbum ullum facturi amplius, ſi capita ad nos pertinentia eſſent mitigata. Ecce autem interea veniunt legati quidam, ad Principes noſtros, qui de retinendo ſuperioris conventûs decreto, quod aliquo modo tuetur ipſos, pactum faciunt. Poſtea igitur & noſtri contabamur damnare τοὺς ἐξωτερικούς, & ſenatus Im- C perii, dum nos illos damnare contamur, nullam correctionem aut interpretationem illorum capitum tolerabilem inſtituunt. Ita accidit, ut illa ederentur quemadmodum vidiſti. Poſtridie veniunt *Marchio Badenſis*, & *Henricus Brunſuicenſis*, leniunt capita, & nos improbamus quædam, ut poſtulabatur. Verùm Rex nolebat illam interpretationem recipere, ſic diſceſſimus. Principes tamen de pace, inter ſe pacta fecerunt. Poſtea reſcivi, cupere quoſdam cum noſtris & urbe D veſtra fœdus facere. Ibi cœpi horribiliter angi, nollem enim à nobis defendi aliena, ἄλις γὰρ τῶν οἰκείων φορτίων. etſi an ad hujus defenſionem fœdus expetatur, nondum planè ſcio, ſed dum metuo omnia, mirabiliter animo conſternari cœpi. Et in illa ipſa conſternatione ſenſi, quantum ſit vitii in quibuſdam. Dolebam item, quòd non ſtatim autor vel certè ſuaſor ſeparationis fuiſſem. Cogitabam occaſionem datam eſſe, per quam latiùs ſerpat βεβηλότης. Veniebat in men- E tem banc rem imperii & religionis mutationem afferre poſſe. Infinita ſunt, quæ me adhuc excruciant. Tam parva momenta quantam vim habent? Cum ego nihil contra conſcientiam fecerim, tantùm timidus in damnando fui eos, quos nondum ritè audieramus. Et quidem eſt Synodi illa cognitio, quod me maximè ut in dolore conſolatur, & tamen permulta ἁμαρτήματα δοκῶ, niſi Deus errata noſtra corrigat. Adhuc ſum in ea opinione, omnes bonos & pios fœderibus iſti- F uſmodi opponere ſeſe oportere, ſed jam Deo eventum permitto. Neceſſario tuo literas certis de rebus miſi, nec obſignavi, ut prius legeres, quàm illi exhiberes. Sed volo exhiberi, & tu diligenter agito cum eo & cum affine tuo, ut curent quod peto. *Chriſtus* reſpiciat nos. Nunquam enim periculi plus fuit. Vale feliciter. Poſtridie πεντηκοστῆς. νυνὶ σύγγραμμα διὰ χειρὸς ἔχω ἐκδοθὲν περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων. Anno milleſimo quingenteſimo viceſimo nono. G

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt.86. Occupationes quotidianæ, quarum magna eſt varietas, abducunt animum meum nonnihil à conſpectu earum rerum, quæ me rede- A untem è Comitiis tantopere angebant. Itaque dolor, tametſi eximi nullâ vi humanâ mihi poſſit, tamen interdum eſt hebetior quàm fuit. Et ea ſunt conſecuta alicubi, ut me minus pœniteat non fuiſſe prorſus ἐμοὶ ψῆφον ἐκείνοις. qui dicuntur autores eſſe ejus tumultus. Intelligo conſilia omnia iſtorum eò ſpectâſſe, tum ut nos ab his, tum ut quoſdam ab illis ſejungerent. Non hoc agunt, ut Eccleſiæ conſulant. Tumultum in *Helvetiis* ſedatum eſſe ex tuis literis accepi, & ferebatur B idem in aula. Verùm heri ſero huc allatum eſt ſine certo autore, *Tigurinos* prælium commiſiſſe cum neſcio quibus, ac ſuperiores diſceſſiſſe. De *Turcis* nihil habemus explorati. Et ὁ βασιλεὺς nihil præſidii adversùs illos comparare dicitur. Fama hîc fuit quoſdam moliri res novas. Sunt & in *Saxonia* conſcripti equites à *Brunſuicenſibus*, credo nè ſe commovere poſſint iſti, qui ab illis conducti ſunt. Omnino certum eſt pecunia externa multos in *Germania* ſolicitari, ut aliquid move- C ant, ſed *Chriſtus* reſpiciat nos, & propter ſui nominis gloriam retineat pacem. Meus frater ſcripſit mihi, cum quidem caſu nactus eſſet nuncium, matrem noſtram deceſſiſſe, non ſatis clarè ſcribit, ſed conjicio *Synancha* extinctam eſſe. Negligor omnino à meis. Nam & de morte vix paucis verbis ſcribit, & præterea nihil ſignificat earum rerum, quas meâ intereſt ſcire, ſed hæc recenti dolori & luctui aſcribam. De *Ocami* dialogis habeo tibi gratiam, tametſi ſunt frigi- D diores, quàm putâram, nulla planè in illo toto genere ſolida eſt doctrina. Mitto tibi, ut promiſeram *Spiræ*, *Plutarchi* φιλοπραγμοσύνης, habes eruditas nugas pro nugis *Ocami*, ſed varietas rerum delectare poteſt hominem ocioſum, at mihi ſubinde minus ocii conceditur, & ſi quid contigit, malo conſumere in aliis ſcriptoribus. De *Pothino* quod mones, ſi tamen rectè intellexi literas tuas, nè quid ad illum amplius ſcribam, geram tibi morem. Et ſcis me E antea non magnopere ambiviſſe ejus amicitiam. Vide quantum judicii ſit noſtris inimicis; Illum amant, qui multorum dogmatum ſemina in ſuis libris ſparſit, quæ fortaſſe longè graviores tumultus aliquando excitatura fuerant, niſi *Lutherus* exortus eſſet, ac ſtudia hominum aliò traxiſſet. Tota illa tragœdia περὶ δείπνου κυριακοῦ ab ipſo nata videri poteſt. Quàm non iniquus eſſe videri alicubi poſſit *Ario*, & illius factioni quàm nos hîc cõſtantiſſimè improbavimus? Quæ litera F in libris eſt magnopere digna viro *Chriſtiano*, de Juſtificatione, de jure Magiſtratuum? Horum locorum perfectam tractationem à magnis viris requiro. Sed tollant eum, qui non nôrunt. Ego nunc rixor cum turbulentis quibuſdam. Adhæc, inſtitui *Enchiridion dogmatum Chriſtianorum*, ut quid de omnibus fidei articulis ſenterimus, poſteritas judicare poſſit. Nam ſæpe mihi ſtomachum movet veterum Pontificum negligentia, ſive inſcitia, quòd nullus ordine complexus eſt ſummam *Chri-* G *ſtianorum* dogmatum, niſi illa fortaſſe ſcripta ad nos non pervenerũt. De multis magnis rebus vix ſuſpicari poſſumus, quid ſenſerint veteres. Cauſam de divinitate Filii video firmiſſimam eſſe, & ſanè gaudeo me in promptu tam multa habere de re tanta teſtimonia. Mitto tibi chartam de menſuris & re numaria, teq; rogo, ut in myropo-

ſiis jubeas tibi oſtendi ſextarium, ejúſque menſuram mihi mittas, ut conferam cum his quos vidi. Ac vidi duos, aliquantum diſſimiles. Nam *Sebaſtianus Urbachius* curaverat ſibi arte fieri menſuram illam, ea erat minor aliquanto, quàm uſitata eſt. Dialectica mitto *Michaeli*, quæ nuper recognovi, & poſteriores duos libellos retexui, & ita tractavi, ut totam artem complexum me eſſe putem. Rogo te, ut quæras, quod genus veſtimenti fuerit ἐπενδύτης. Scio quid *Suidas* dicat. Sed ego hiſtoriæ alicujus teſtimonium requiro. Valde vellem te, quoniam abundas ocio, omnium difficilium verborum Novi Teſtamenti explicationem colligere. Gratus labor ſtudioſis futurus eſſet. Nos jam *Germanicam* editionem recognoſcimus. Vale. VII. Calend. Auguſt. Anno M.D. XXIX. *Johannem* meum tibi commendo.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 87. ROgavi te in proximis literis, ut colligeres interpretationem vocum inſignium & ſubobſcurarum in Novo Teſtamento. Mihi crede laborem ſumpſeris utilem, ſi eam rem ſuſceperis. Incidi poſt illas literas in duos locos in *Actis*, quos planè non intelligo. Obſecro te, quid vocat δεξιολάβους *cap.* 23. nam exemplum aliud non invenio, tantùm exponunt παραφύλακας. Sed ego exemplum requiro. *Cap.* 27. magna contentio eſt *Stunicæ* cum *Eraſmo* de *Artemone*. Mihi nec *Stunicam* videre contigit, nec *Eraſmi* poſtremam recognitionem. Nec uſquam invenio *Artemonem* apud *Græcos*. Neque tamen aſſentior iis, qui locum mutant, ut ſicut illi cenſent, legendum putem τὸ ἀρτέμονα, etſi quod eruditi vocant ἱστίον, video vocari ἀρτέμονα. Et eo loco velum intelligi poſſit, neque repugnet ipſa hiſtoriæ ſeries. De his quæſtionibus velim te mihi reſpondere. Cum nuper legerem apud *Pontanum* tuas literas, in quibus de quodam, quem *Græcè* nominas, ſcripſeras, riſit ille, & nomen *Græcum Saxonicè* interpretabatur, ut ſignificaret, *facere negotium aliis*, & rectè interpretatus eſt. Ecce autem ille iraſcitur in literis, quas πρὸς τὸ ὑμέτερον ἄλφιον ſcribit: ὅτι τὰς συνθήκας καὶ συμφωνίαν ξὺν τοῖς ἔξω ἐπαινοῦσιν ἠθετησεν. Nos tamen arbitror ituros ἐς τὴν διάλεξιν. De meis acerbiſſimis doloribus nihil poſſum ad te ſcribere. *Georgium* filium puerum elegantiſſimum amiſi; Id acceſſit ad alias meas miſerias ac ærumnas, quibus hoc tempore conflictor. Mitto tibi enarrationem duorum librorum ἠθικῶν *Ariſtotelis*. In fine inſunt Grammatica quædam de altera navigatione, quæ te videre velim. *Vitum* meâ cauſâ ſic excipias, ut intelligat meos amicos tibi curæ eſſe. Vale. Saluta amicos. χαίρε ſervet familiam tuam Die V. Calend. Septemb. Anno M. D. XXIX. Si iſtic inveniri poſſunt in bibliopoliis exempla *Urſpergenſis*, mitti cures mihi quatuor aut quinque.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 88. QUantopere requiram literas tuas hoc tempore, facilè potes exiſtimare. Nulla res eſt, in qua perinde acquieſcam, atque in tuis ſcriptis. Quare te rogo, ut conſuetudinem veterem A tuam in hoc officii genere retineas. De congreſſu *Marpurgenſi* non habeo quod ſcribam, de aliis capitibus doctrinæ *Chriſtianæ* omnibus convenit, tantum controverſia de cœna explicari non potuit. Leges capita quæ ibi compoſita ſunt. Tantùm triduanum colloquium fuit. Et adverſarii leniores viſi ſunt, quàm fore arbitrabar, reliqui omnes præter *Lutherum*, fuimus κωφὰ πρόσωπα. Nam *Landgravius* properavit dimittere conventum propter peſtilentiam graſſantem eo B loco. Cætera narrabit *Oſiander*, qui mirificè delectavit *Lutherum* & nos omnes. Si *Brentius* cum eo *Norimbergam* venerit, amabò te, des operam, ut eum ſalutes, κοινοὶ φίλοι ut ſcis. Vale. In *Heſſis*. III. Non. Octob. M. D. XXIX. Salutant te *Ebrard à Than, Lutherus, Jonas, Caſpar*.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 89. SUmmis animi doloribus impediebar, quo C minus poſſem multa ſcribere, cum quidem nihil magis velim, quam iis de rebus tecum cõmentari, quæ me tam miſerè cruciant. Filioli interitus graviſſimè me afflixit, ſed is dolor aliqua medicina levari poteſt. Hi cruciatus, quos ſuſtineo διὰ τὰ ἐκκλησιαστικά, nulla ratione mitigari poſſunt. Nullus abit dies, quo non optem ex hac vita diſcedere, ſed omittam iſta, nam cauſam totam ſcribere non audeo. Hìc nihil novi prorſus habemus, quod quidem arbitrer te aut D cupere ſcire, aut requirere. Nam *Turcicos* tumores, & *Italicos* iſtìc meliùs nôſtis, de quibus te rogo, ut mihi quàm plurimum ſcribas. Nonnulli hic ferunt Cæſarem jam de more Pontificis pedes adorâſſe. *Jonas* hìc componit libellum de *Turcis*, cujus operis ſylvam nos congeſſimus. Nec feci aliud quicquam à reditu à *Cattis*. Attuli à *Lango* huc *Epiphanii Græcos* libros περὶ αἱρέσεων qui mihi valde placent. Propemodum hiſtoriam veteris Eccleſiæ continent, ex his decrevi excerpere E ἐπιτομήν. De vocabulis in Novo Teſtamento poſitis ſcripſi tibi antea, ut obſcuriora explicanda ſuſcipias. Valde mihi jucundam rem faceres & utilem ſtudioſis, ſi eum laborem non defugeres. Vale feliciſſimè. Poſtrid. Id. Novembris, Anno M. D. XXIX.

Ioachimo Camerario S. D.

QUòd ſcribis putare te non experi talem do- Epiſt. 90. F ctrinam, qualis eſſet explicationis tuæ λέξεων in illo genere, cum aliud quærant & ſpectent plerique, quanquam nimis eſt verum; hac conſideratione tamen te deterreri ab honeſtiſſimo conſilio & utiliſſimo labore nolim. Non intueamur τὸν ξύγκλυδα ὄχλον. Quid enim futurum eſt, ſi aliquando turbæ iſtæ conſileſcent, & non extabit certa cognitio eorum, ſupra quæ omnis veritatis ſcientiam fundari ſcimus? Sed tu facies tamen, quod erit tibi commodum & arridebit. περὶ τῆς G ἱστορίας, habet ſe res ita, ut nuper ſcripſi. ἱστορικὰ in illo libro ſunt multa, & indicantur magis quidem, quàm exponuntur eæ res, quæ alibi non extant. Diſputatio autem hujus autoris περὶ δογμάτων, omnino languidior eſt, & illæ etiam narrationes non ubique diſertæ ſunt, & alicubi negligenter perſcriptæ. Sed nôſti illud,

τὸ

ἐν μὴ ἀξίᾳ τάξει. Quæſo te, nè nullam occaſio- A
nem mittendi mihi literas prætermittas. Potes habere, opinor, quando vis, cui illæ dentur perferendæ, & tibi ad ſcribendum ocium eſſe ſpero. Et mihi lectione tuarum literarum nihil eſt jucundius. Vale. Calend. Decembr. Anno M. D. XXX.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 91. ACcedit Cæſar, & veniendum nobis eſt *Auguſtam*. Iſtac igitur tranſibimus. Tu hoſpitium parato. Erit autem mihi manendum quaſi gregario militi in exercitu, neque concedetur meo arbitrio pergere. Quod ſi obtineri poſſet, accurrerem ad vos, vel etiam advolarem. Nondum ſcio quando iter ingrediendum ſit. Quidam de Martio loquuntur, quidam de Aprili, ἢ δεδίσκαλ. ſubſiſtet opportuno aliquo in loco, ἴδετω γὰρ δεῖσθαι ἡμῖν παρεῖναι ἐν τῷ συλλόγῳ. Sed de his, déque meis ingentibus curis, & ſolicitudine infinita & graviſſimis doloribus exponam coràm omnia. Nam neque facilè illa ſcribi poſſunt, neque ſunt pleraque literis committenda, iſta præſertim, quæ an primum in tuas mânus perventuræ eſſent. dubitabam. Vale. Id. Febr. Anno M. D. XXX.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 92. SI quid habes, quod *Luthero* aut ſignificandum, aut mittendum eſſe putas, huic nuncio, qui has literas iſtuc perferet, trades. De tua valetudine, déque omnibus rebus tuis, quæſo te, ut me certiorem facias. Nam exercet hæc quoque ſolicitudo animum meum, tot alioqui miſerrimis occupatum curis. Cæſar, quod bene vertat, brevi dicitur affuturus. Jam enim pervenit ad *Oenipontem*, adducit, quemadmodum narrant, ſecum Cardinalem *Cajetanum*. *Norimbergæ* de *Campegio* audiveramus, ſed hìc affirmant *Cajetanum* eſſe, quod mihi ſanè ſcrupulum injecit. Eſt enim homo incivilis, quo genere nihil eſt intractabilius. Pluris, ut vereor, autoritatem ſui *Thomæ*, quàm Rempubl. quam Eccleſiæ pacem faciet. Orabis igitur Deum, ut adjuvet nos. *Heſſus* creditur venturus eſſe, præmiſit enim ſuum Cancellarium, *Ficinum* illum, nôſti, opinor, hominem. Valde te oro, ut mihi & ſtatim & ſæpe ſcribas. Hic reperi τοῦ ταυρομάχου libellum de ſimulacris templorum, in quibus aſſeverat magno ſupercilio, omnia abolenda eſſe. Eò delabuntur iſti belli diſputatores, abjectâ doctrinâ de Juſtitia fidei. Paulatim ἰουδαΐζοντες totum nobis *Moiſen* imponere conabuntur. Ad eam rem, nunc habent idoneum σύμμαχον *Stadianum*. Vale feliciter & reſcribe. III. Non. Maii, Anno M. D. XXX.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 93. DE Chirurgo commiſeram rem cuidam meo amico, ſed iſtius diligentiam vicit *Hopelius*. Hic enim reſcivit prius jam ad vos profectum eſſe Chirurgum. Ego ſi quid aliud reſciero, ſcribam. Interea vos iſtic de homine Interrogabitis. Tuam valetudinem velim te diligenter curare. Magnum fructum capiam ex hac propinquitate

A locorum, in quibus verſamur, ſi quotidie ad me ſcripſeris. Neque ego decro officio, cum quidem aliquid habuerimus. Noſter *Dolſcius* heri venit ab Imp. & affirmat eum hâc ſeptimanâ moturum eſſe ab *Oenoponte*, ut ad conventum quàm primùm veniat. Tu de Sextili neſcio quid ſomnias, ex illa tua febricula, niſi divinas fortaſſe, nihil ante Auguſtum Menſem nos hic acturos eſſe. Nam & Mathematici prædicunt, ſub Autumnum fore ſidera magis propitia diſputationi-
B bus Eccleſiaſticis. Noſter *Dolſcius* largiter pollicetur περὶ αὐταρκείας, ſed unus nos exercet ſcrupulus. Juvenis ille, de quo dixi, planè videtur ἀλλοχλίζων. Tu vale feliciſſimè & ſaluta tuam familiam & amicos. Anno M. D. XXX.

Ioachimo Camerario S. D.

SCripſi tibi nuper me cuidam dediſſe mandatum inquirendi Chirurgi. Ex iſto etiam intellexi eum *Northergam* profectum eſſe. Hanc Epiſt. 94.
C rem velim explores meus miniſter. Cæſar hic expectatur adhuc, ac mihi quidem non videtur ante Pentecoſten affuturus, de voluntate ejus nihil affirmare poſſumus, nullam adhuc ſignificationem oſtendit iracundiæ. Sed tamen audio diverſas eſſe ſententias conſilii Cæſariani, alii cenſent Cæſarem debere edicto propoſito. ſine ulla cognitione, damnare cauſam noſtram; alii contra, cognoſcendam eſſe, & corrigenda vicia Eccleſiarum. In hac ſententia dicitur eſſe *Mercurinus* ὁ ἀρχιγραμματεύς. Vir ſummus & moderatiſ-
D ſimus, quem aiunt dicere, ſe hac ſpe ſecutum eſſe in adverſa valetudine Cæſarem, quod arbitraretur fore, ut hæc mala ritè ſanarentur. Violenta conſilia ſe nolle attingere, quia res oſtenderit *Wormaciæ*, nihil profeciſſe illam damnationem iniquam. Nihil adhuc audivi hìc memoratu dignius, delectat enim me tanti viri vox atque ſententia. *Chriſtus* gubernet nos. Ego Apologiam paravi ſcriptam ſummâ verecundiâ, neque his de
E rebus dici mitius poſſe arbitror. Intelligo hoc τοὺς ἀρχιερέας moliri, ut omnino nihil agatur de negotiis Eccleſiaſticis. Sperant opinor moram & tempus ipſis profore, ut res in veterem ſtatum reſtituatur. Sed quidam & inprimis *Felinus* noſter, vereor ut ſemper poſſint retineri in officio. Vale feliciter. Pridie vocem *Jucund.* Anno M. D. XXX. Saluta *Eobanum* & *Micam*. De *Eobani* negotio ſcripſi *Hieronymo Baumgartnero*. Erit mihi curæ, modo ut ſciam, quid expediat fieri.
F
Ioachimo Camerario S. D.

HEri, quod fauſtum felixque ſit, exhibita eſt Cæſari Confeſſio noſtra, & lecta publicè. Epiſt. 95.
Attentio dicitur Principum major opinione fuiſſe. Ego mutabam & refingebam pleraque quotidie, plura etiam mutaturus, ſi noſtri συμφερόμενοι permiſiſſent, ac tantum abeſt, ut lenius juſto ſcriptum fuiſſe judicem, ut verear etiam mirum in modum, nè qui ſint offenſi libertate noſtrâ. Nam
G *Valdeſius* Secretarius Cæſaris vidit, antequam exhibuimus, ac planè putavit πικρότερον eſſe, quàm ut ferre poſſent adverſarii. Mira[illegible]γχων videas, ſi legas mei *Ariſtarchi*, de quo ſcribis, apologiam. Me ſanè non magnopere commovent hujuſmodi Critici. Animus eſt occupatus multò miſerrimis curis, non propter cauſam

 noſtram

noſtram, ſed propter noſtrorum hominum incuriam. De me, volo te bono animo eſſe, quia commendo me Deo, ἀλλὰ δαιμόνιόν τι exercet nos, de quo non poſſum niſi coram loqui. Vale & reſcribe. Utinam poſſis nanciſci iſtic apologiam noſtram legendam, ſed Cæſar vetat excudi. Iterum vale. Anno milleſimo quingenteſimo viceſimo nono.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 96. ADverſarii nondum reſponderunt, ſed intelligo confutationem jam eſſe abſolutam, & intra biduum aut triduum prodituram. Aiunt Cæſarem imperaturum, ut omnia in priſtinum reſtituantur, donec has controverſias judicaverit Synodus. Hæc dicitur eſſe conſilij ſumma. Quod niſi mitigabitur hæc ſententia, quos motus excitatura ſit, facilè potes exiſtimare. ὁ τῆς ἡμετέρας ἀλιτήριος hujus atrocis ſententiæ autor eſſe fertur, qui ſi paululum remitteret de ſua pertinacia, quam ſcis eum habere planè ferream, omnia hic eſſent faciliora. Habes πάντα περὶ πάντων. *Capito* ex *Argentina* adeſt, ſed latet, ac nuper petivit à *Moguntino* ſe admitti in colloquium. *Moguntinus*, cum diceretur contra nos ſententia, quam ſupra perſcripſi, noluit intereſſe, quia pridie acerrimè pugnans, non poterat placare illum τὸν τῆς ἡμετέρας. Ac doctores Theologi, qui ſunt in aula *Moguntina*, ab *Eccio* excluſi ſunt ex illo conciliabulo, quod contra nos habent. Sic agitur res factioſè. Vale feliciter. *Arnoldus* narrabit tibi *Hiſpanicorum* procerum optimum conſilium de noſtra cauſa. *Arnoldum* tibi commendo. Annò milleſimo quingenteſimo triceſimo.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 97. QUanquam certi nihil habebam, tamen nè rediret *Eobanus* vacuus, dedi ei has literas. Nondum nobis reſponſum eſt, verùm audio paratum eſſe contumelioſiſſimum ſcriptum, quod recitabitur in ſenatu Imperii. Noſtræ doctrinæ aſcribent, quicquid fuit his annis motuum in *Germania*, quicquid extitit pernicioſorum dogmatum. Poſtea petent à nobis, ut Cæſari permittamus judicium, ſi non aſſentiemur, mandabitur, ut omnia in integrum reſtituantur, dum cogatur Synodus. Hæc ſunt decreta jam ab ipſo Principum Senatu, quæ niſi Cæſar mitiget, ita proponentur. *Moguntinus* & alii quidam exceſſerunt ex iſto non ſanè, ut videtur, admodum pio concilio. Ego multos prehenſare ſoleo, & *Campegium* etiam Cardinalem. Sed omninò videntur ſperare ſe his terroribus nos oppreſſuros eſſe. Quòd ſi non ſucceſſerit, deinde decurrent, ut ſpero, ad alia conſilia. Vale. Habes omnia. Die tertio Idus Julii. Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo. Vides inſtare Calendas Sextiles, & parum adhuc egimus hìc.

Ioachimo Camerario S. D.

Epiſt. 98. SPero te jam feliciter rediiſſe domum. *Chriſtus* faciat, ut feliciter valeatis túque & uxor & filiæ. Hodie primùm ſpes eſt oſtenſa inſtitutæ pacificationis, de qua habebantur deliberationes, cum adhuc adeſſes. Adverſariis placet, ut deligantur utrinque bini Principes, bini conſiliarii, & terni θεολόγοι, qui conferant de controverſiis Eccleſiaſticis. Res eſt ut vides periculi plena. *Chriſtus* gubernet exitum. Nihil præterea interim accidit. Poſtea ſcribam, ſi quid acciderit dignum memoratu. *Georgii* carmen mitto tibi & *Eobano*, ut emendetis, & mox edatis. Non enim diu manſuri videmur. Et ego non minùs quàm tu cupio videre οἶκον ἐμὸν & meos liberos. Nunc ſum, vocatus πρὸς τῆς ἀρχηγίας τῆς σεβαστῆς πόλεως. De Quadripartito Πτολεμαίου *Latino* & *Græco*, etiam atque etiam oro te, ut mittas; ἔῤῥωσο. Id. Auguſti, Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo.

Salutat te *Juſtus Jonas* amantiſſimè, D. *Ioannes Rpelius* & ego *Iſlebius* ſalutamus te & jubemus μυριάκις, ὅτι τὰ πεπληρωμένα σαρμάτων γραμματεῖα βιβλίων τὰ ὁμοῖα. Salutat te *Brentius* in Domino, brevi futurus aſtrologus.

Ioachimo Camerario S. D.

NOn dubitabam, quin Apologia noſtra videretur futura lenior, quam mereatur improbitas adverſariorum. Ego tamen complexus ſum ea, quæ ſunt in cauſa præcipua. Juriſdictionem totam καὶ τὸ ἀξίωμα reddo Epiſcopis. Hoc fortaſſe urit quoſdam, qui ægrè patiuntur ſibi libertatem ſuam adimi. Sed utinam vel duriore conditione pacem redimere poſſimus. *Cornelius Schepperus* affirmat bonam ſe ſpem pacis vivo *Mercurino* habuiſſe. Hoc extincto, neminem eſſe in aula pacis autorem, qui modò valeat autoritate. Nactus ſum *Hiſpanum* ſecretarium, qui benignè pollicetur, & jam de mea ſententia cum Cæſare & *Campegio* collocutus eſt, ſed tota res eſt tantùm ἐν γούνασι θεῶν. Orabitis igitur *Chriſtum*, ut det pacem. Interdictum eſt concionibus non tantùm noſtræ parti, ſed etiam adverſariis. Imperator tamen, retinendæ Majeſtatis cauſâ vult conſtituere concionatorem, ſed qui tantùm recitet Evangelium & Epiſtolam χρηματικῶς. Vide miram ſapientiam Aulicorum. Sic ſe habent principia. *Feliunus* etſi adhuc nobis obtemperat aliqua ex parte, tamen vereor, ut in officio futurus ſit. Habes noſtra omnia præter quandam fabulæ ſimillimam, ſed certam & veram hiſtoriam de *Judæis*, qui infinitum exercitum contraxerunt ad invadendam *Paleſtinam*. Vale. Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo. Epiſt. 99.

Ioachimo Camerario S. D.

NOn poſſum in aula impetrare, ut certus hinc ad *Lutherum* tabellarius mittatur. Ideo jam alterum ad te faſciculum mitto, neque tamen ille reſpondet. Id etiam fato aliquo accidit opinor, ut effugiant è manibus αἱ ἁρπυιαὶ τῆς νεφέλης. Mihi non perinde cupidi videntur pacis nonnulli, ut oportuit viros bonos & amantes religionis. Quidam legati mirificè mihi ſuccenſent, quod videor reſtituere Epiſcoporum regnum. Ep. 100.

Sacramus

Sacramentarii nequiquam amanter ea de re expoſtulavit mecum, novâ quadam & inuſitatâ nimis verborum acerbitate, ſic eſt ut ſcribit *Thucydides*, τὰ ἐν μέσῳ ἀμφοτέρωθεν κτείνονται. Utinam id mihi accidiſſet jam olim, nè nunc videre hæc vicia partium cogerer. Non enim libet ſupereſſe Reipub. Nihil hic adhuc decretum eſt, ſed res extracta eſt ἐμοῦ πραγματεύοντος. Nunc ut video finenda res eſt, ut κατὰ ῥοῦν feratur. Vale feliciter. III. Cal. Septembris, Anno M. D. XXX.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 101. MItto tibi literas meorum liberorum ad te ſcriptas, in quibus commendant tibi meam ſalutem. Ac mihi quidem gratiſſimum eſt, liberos meos jam intelligere amicitiam noſtram. Neque tibi opinor inhoneſtum, talem de te opinionem habere hanc ætatem, quæ alieniſſima eſt ab omni ſuſpicione aſſentationis. Amabò te mittas mihi exemplum *Græcarum* epiſtolarum, quas *Severinus* excudit. Cupio enim habere integrum locum de Synodis, quem hìc vidiſti annotatum in meo *Paulo*, ex quadam epiſtola *Nazianzeni*. Non admodum me movent vulgi clamores de meis conſiliis atque actionibus. Ideo jubeo te bono animo eſſe. Vale feliciter. Calend. Septemb. M. D. XXX. *Georgii* carmen tibi mittimus hìc excuſum.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 102. DE *Græcis* epiſtolis habeo tibi gratiam. Et ne referam etiam, duxi tibi ſignificandum, quo lòco invenias epiſtolam, quam requiro de Synodis. Ad *Procopium* ſcripta eſt, & continetur in Pag. x. 2. à tergo, ſed ut levarem te labore quærendi, deſcripſi *Græcè*, & addidi *Latinam* interpretationem, ut mihi corrigères. Nam in exemplari *Severiano* mendoſa pluſcula ſunt. Emendavi quædam ut vides, & ſecundùm emendationem meam ſum interpretatus, ſed à te non ſolùm verba meliora requiro, ſed etiam ſententiam aptiorem. Ubique mira eſt obſcuritas *Gregorii*. Vides me etiam in conventu, & in miſerrimis curis ac doloribus tamen Grammaticas quæſtiones agitare. Pacem videremur conſecuturi, ſi paulo eſſent æquiores ac tractabiliores iſti, qui meam ἐπιείκειαν reprehendunt. Nunc præter noſtros nemo ſuſtinet audire ullam moderatam vocem. Quod me rogas, nè quid iratus dicam adverſus tuos quoſdam amicos, ego, mi *Ioachime*, verè hoc prædicare poſſum, me tuâ causâ hactenus dediſſe operam nè qua vox durior erumperet mihi adverſus iſtos quos ſignificas. *Ebnero* filius ſcripſit, multò plenius exponens cauſas meorum conſiliorum. Nam ego compoſui epiſtolam, & fingo illum recitare ſermones non meos tantùm, ſed noſtri *Neſtoris*. Si quis iſtuc ſcribit me maledicere tuis amicis, magnâ me injuriâ afficit, prorſus ut à me veſtrorum voluntates abalienet, quorum gratiam, etſi non contemno, tamen non faciam tanti, ut præferam his rationibus, quæ me in illam induxerunt ſententiam, quam in his dixi negotiis. Sed de his coram. *Luthero* mittes has literas. Vale. IV. Id. Septembris, Anno M. D. XXX.

Προκοπίῳ ὁ Θεολόγος.

ΕΧω μὲν οὕτως, εἰ δεῖ τἀληθὲς γράφειν, ὥστε πάντα σύλλογον φεύγειν ἐπισκόπων, ὅτι μηδεμιᾶς συνόδου τέλος εἶδον χρηστόν, μηδὲ λύσιν κακῶν μᾶλλον ἐσχηκυῖαν, ἢ προσθήκην. αἱ γὰρ φιλονεικίαι καὶ φιλαρχίαι, ἀλλ᾽ ὅπως μή με φορτικὸν ὑπολάβῃς οὕτω γράφοντα, καὶ λόγου κρείττονες, καὶ θᾶττον ἄν τις ἐγκληθείη κακίας ἑτέρων δικάζων, ἢ τὴν ἐκείνων λύσειε. διὰ τοῦτο εἰς ἐμαυτὸν συνεστάλην, καὶ μόνην ἀσφάλειαν ψυχῆς τὴν ἡσυχίαν ἐνόμισα. νῦν δὲ καὶ τὴν ἀρρωστίαν ἔχω προστιθεῖσαν τῆς κρίσεως, ἀεὶ σχεδὸν τὰ τελευταῖα πνέων, καὶ οὐδὲν ἐμαυτῷ χρῆσθαι δυνάμενος. διὰ τοῦτο συγγινωσκέτω μὲν ἡ σὴ μεγαλόνοια, πειθέτω δὲ διὰ σοῦ καὶ ὁ εὐσεβέστατος βασιλεύς, μὴ ῥᾳθυμίαν ἡμῶν καταγινώσκειν τῇ ἀσθενείᾳ, δι᾽ ἣν οἶδε καὶ συγχωρήσας ἡμῖν ἀπελθεῖν ἀντ᾽ ἄλλης εὐεργεσίας τὴν ἀναχώρησιν.

Procopio Gregorius.

Siquidem dicendum eſt, quod res eſt, verè hoc ſcribere poſſum, omnes Epiſcoporum ſynodos fugiendas eſſe, quia nullius Synodi exitum vidi utilem, aut magis finem malis afferentem, quàm incrementum. Contentiones enim & ambitiones ineffabiles ſunt, abſit ab hoc, quod ita ſcribo, verbi invidia. Et facilius eſt aliena vicia reprehendere, quàm corrigere. Ideo me contineo, & ſtatuo tantùm in precibus habiturum me eſſe certam tranquillitatem. Et quia vix jam extremum ſpiritum duco, propter imbecillitatem non ſum idoneus ad judicandum. Neq; ullam ad rem gerendam ſuppetunt vires. Ideo velim mihi ignoſcas, & pientiſſimo Imperatori me excuſes, nè imbecillitatem meam interpretetur deſidiam eſſe. Neque enim ignorat ſe mihi petenti propter illam cauſam præ alio beneficio conceſſiſſe, ut in ſeceſſum commigrarem. Expecto & tuam verſionem.

Ioachimo Camerario S. D.

LUthero mitto literas, quas cupio mox ad eum perferri. Ages igitur cum *Spenglero*, ut ſtatim ad eum mittat. Ego cogor hanc curam ſuſcipere, quia noſtri planè ceſſant. De magnis rebus illum conſulo. Noſtra negotia omnia pendent adhuc incerta, cum adverſariis diſputamus, quantum profecturi ſimus, neſcio. Vale feliciter. Poſtridie Id. Sextil. M. D. XXX. Ep. 103.

Ioachimo Camerario S. D.

QUod de meis actionibus atque conſiliis tantopere ſolicitus es, facis officium & viri optimi & hominis amiciſſimi. Ego autem ſpero fore, ut mores me tibi mei, quos habes ſatis notos, purgent. Quicquid egimus, egimus communicato conſilio cum his, qui ſimul adhibiti ſunt ad hæc negotia. Sicubi privatim collocutus ſum cum privatis, id ad alios nihil pertinet. Et ab eo tempore, ex quo abes, tantum ocii non fuit nobis, ut privatim cum ullo poſſem ulla de re commentari. Nulli autem tunc erant hac de re ſermones, nunc nati ſunt, poſtquam patefactum eſt, quid nos concedamus Epiſcopis. Hoc malè habet ſcilicet quoſdam immoderatiores, reddi juriſdictionem, reſtitui πολιτείαν Eccleſiaſticam. Ep. 104.

hoc

hoc interpretantur reſtitutionem dominationis Pontificiæ. Neque ignoro, cur tantum abhorreant ab hoc conſilio. Ægrè patiuntur civitates reduci in urbes illam Epiſcoporum dominationem. Et ſapiunt, ſed quo ore eripiemus eis, ſi nobis permiſerint doctrinam? Quid? quod omnia quæ largiti ſumus, habent ejuſmodi exceptiones ut hoc metuam, ne Epiſcopi exiſtiment offerri ῥήματα ἀντὶ ἀλφίτων; ſed quid potuimus aliud? Quanquam ut ego quod ſentio dicam. Utinam, utinam poſſim non quidem dominationem confirmare, ſed adminiſtrationem reſtituere Epiſcoporum. Video enim, qualem ſimus habituri Eccleſiam, diſſolutâ πολιτείᾳ Eccleſiaſticâ. Video poſtea multò intolerabiliorem futuram Tyrannidem, quàm antea unquam fuit. Adhæc, nihil adhuc conceſſimus adverſariis, præter ea, quæ *Lutherus* cenſuit eſſe reddenda, re bene ac diligenter deliberatâ ante Conventum. Neque ego non additurus eram aliquid quaſi auctarium, publicæ pacis causâ. Cujus fortaſſe aliqui nunc rationem non habent, qui, ſi quis exorietur motus, utinam non abjicerent non modò has noſtrorum diſputationes, ſed univerſam religionem. Heri dictæ ſunt ſententiæ à noſtris, de reſtituenda poteſtate Eccleſiaſtica. Et convenit inter *Saxonem*, *Marchionem*, & *Luneburgenſem*. *Heſſi* cuntantur, & diſſimulant ſententiam veſtri legati. Quidam animis intuentur τὰ ἀντίλογα [?]. Hujus conſiliis applaudent, ſi videbuntur ipſis profutura. Planè nihil fieri ab illis noſtris accuſatoribus candidè ſuſpicor. Itaque non valde doleo meas actiones ab illis reprehendi. Ego nullius in hoc negotio gratiam aucupatus ſum, pacis cupidum me & fuiſſe & eſſe non obſcurè confiteor. Neque adhuc intelligo, quid habeant conſilii iſti, qui malunt omnia funditùs perire, quàm in rebus non maximi momenti alicubi adverſariis morem gerere. Quem ego locum, quem articulum neceſſarium deſerui? Imò effeci etiam, ut fateri cogeretur *Eccius*, juſtitiam contingere per fidem. Sed facio finem hujus apologiæ. Brevi coràm hac de re copioſiùs confabulabimur, modò *Chriſtus* fortunet exitum negotii. Nunc enim deliberat Cæſar, quid de nobis ſtatuere velit, poſtquam non omnia convenerunt. Pridie Calend. Septembris, Anno M. D. X X X.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 105. IAm obſignaveram priores literas, cum inter colloquendum cum noſtris amicis, venit in mentem *Eccianus* joci, quem putavi dignum eſſe, qui ad te perſcriberetur. Heri inquit, Cæſarem imprudenter feciſſe, quòd non ſtatim ingrediens in *Germaniam*, in ſingulis urbibus inquiſiverit in *Lutheranos*. Id ſi feciſſet, audiſſet ferociſſimè reſpondentes, & præterea multa monſtra hæreſium. Hæc inflammâſſent Imperatorem ad totam hanc factionem delendam. Nunc factum eſſe mitiorem, poſtquam diſtulit inquiſitionem, ac primum in conventu cœpit audire hanc cauſam, ubi *Pontani* χρυσολογίᾳ [?], & meis ὁμιλίαις [?] effectum eſſet, ut non perinde caleret, quemadmodum cauſa poſtularet. Hæc ille dixit heri in noſtro colloquio ludens. Sed vides non deeſſe judicium aut prudentiam inimicis noſtris. Quanquam ego quidem *Eccio* ſatis amicè utor. Audio brevi nos abituros eſſe. Vale feliciter. Anno M. D. XXX.

Ioachimo Camerario S. D.

STibarus miſit huc faſciculum literarum, in quo erat epiſtola ad te ſcripta, quam vides. Ep. 106. Inerat & breviſſimum epiſtolium *Eraſmi* ad me, quod nihil continebat, niſi querelam quandam de *Baſilienſibus*, qui propoſuerint edictum, ut Sacerdotes aſportent res ſuas ex urbe, argumentatur hæc belli σπέρμα [?] eſſe. Nec dubitat, quin à *Romano* Pontifice incitetur ad bellum ſuſcipiendum Imperator. *Caſpar Mullerus* præripuit tibi epiſtolam, ſed eâ lege, ut tibi oſtendat rediens iſtac. Non valde pugnavi cum homine amico utrique, cum eſſet adeo brevis epiſtola. Accepi & libellum *Oecolampadii*, in quo mecum litigat, miſſum à *Stibaro*. De nobis hic nondum decretum eſt, neque accipimus adverſarii conditiones, quas propoſuimus. Tantò plus vident, quam quidam, qui ſe nobis amicos eſſe dictitarent, qui eâ conceſſione vociferabantur ſolidam τυραννίδα Epiſcoporum reſtitutam eſſe. Intelligunt enim, quid habeat illa conceſſio incommodi, quanquam ego optimo animo ſemper putavi iſta concedenda eſſe. Quo jure enim licebit nobis diſſolvere πολιτείαν Eccleſiaſticam, ſi Epiſcopi nobis concedant illa, quæ æquum eſt eos concedere? Et ut liceat, certè non expedit. Semper ita ſenſit ipſe *Lutherus*, quem nulla de cauſa quidam, ut video, amant, niſi quia beneficio ejus ſentiunt ſe Epiſcopos excuſſiſſe, & adeptos libertatem minimè utilem ad poſteritatem. Qualis enim cedò futurus eſt ſtatus ad poſteros in Eccleſiis, ſi omnes veteres mores ſint aboliti, ſi nulli certi ſint præſides? Reſcribe, utrum has literas, item priores longiuſculas acceperis. Valè feliciter. Prid. Non. Septemb. Anno M. D. XXX.

Ioachimo Camerario S. D.

NOndum pronunciatum eſt de noſtra cauſa. Ep. 107. Agnoſcis uſitatum jam exordium. Sed non poſſum ſimplicius univerſum ſtatum rerum noſtrarum deſcribere. Heri, item hodie erat abiturus noſter Princeps. Retinuit eum tamen Cæſar, pollicitus ſe intra triduum pronunciaturum eſſe. Quod bene vertat. Hæc mora quid ſignificet neſcio, tantum hoc ſcio, Cæſarem cupere rem ad ocium deducere mediocribus conditionibus. Atque utinam noſtri non deeſſent ſibi ipſis, ἡμέτεροι σύμμαχοι γὰρ αὐτοὶ οἱ πάντας ἄνους ἐν αὐτοῖς δαιμόνων εἶναι [?]. Sed quando fiet ut nihil deſideremus? Multi non cogitant, ſi res ad arma deducta ſit, tantam Eccleſiæ diſſipationem futuram eſſe, tantam imperii mutationem, ut nunquam ullo tempore iterum conſtitui Reſpub. queant. Contineo me jam domi propter malevolorum ſermones, & ſcripſi his diebus apologiam confeſſionis noſtræ, quæ ſi opus erit, exhibebitur, opponetur enim confutationi adverſariorum, quam prælegi audiviſti. Scripſi accuratè & vehementer. Tui cives huc miſerunt

ſerunt eodem argumento compoſitum librum, de quo brevi, ut ſpero, coràm. Miſi tibi nuper faſciculum literarum ad *Lutherum* ſcriptarum, & huic colligata erat epiſtola ad te ſcripta, quam ſignificas te accepiſſe ſine illo faſciculo. Suſpicor reſignâſſe aliquos. Itaque per eos nihil mittam amplius. Valeant & fruantur ſuis conſiliis. Nunquam habebunt me ſubſcriptorem. Nolo enim rem ad illos ἀκυρώτους trahere, id quod illi apertè faciunt, qui mea conſilia improbant. Hunc faſciculum per occaſionem *Luthero* mittes. Valè feliciter. XI. Calend. Octobris, Anno M. D. XXX. Expecto interpretationem atque ἐπανόρθωσιν epiſtolæ *Gregorii*, quam miſi.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 108. HAs literas dedi miniſtro Doctoris *Johannis Ruellii*, ut te de noſtro reditu certiorem redderem. Quanquam opinor jam ad te perveniſſe famam. Conſtitui me ipſe cras in equum conjicere, ut ad te quamprimùm accurram. Sed haud ſcio, an hoc non permiſſuri ſint mihi noſtri. De Cæſaris ſententia jam audiſti. Cæſar propoſuerat moderatiſſimam ſententiam, relicturus nobis ſpacium deliberandi, utrum ad XV. Aprilis recepturi eſſemus veteres omnes *Romanos*, ſed una particula inſerta corrupit totam rem. Quia Cæſar ſatis confutâſſet noſtram confeſſionem. Hæc particula poſtremò impedivit concordiam, ἀλλ' οἱ βουλευτίζοντες ἐκεῖνοι μονονουχὶ μόνοι ἐκώλυσαν ποιεῖν εἰρήνην, ἐπειδὴ οἱ ἀντίδικοι πρόθεσιν συνθήκας ἐποιοῦντο. ἀλλὰ περὶ τούτων, cum unà erimus. Video eſſe fatalia mala. *Leopardus* in vaticiniis antiquis ſignificat eum, qui ſit futurus exitio [illegible]. Et ſcis Abbatis *Ioachimi* & *Smalcaldenſe* vaticinium. Hoc veſperi decrevimus tecum cœnare, *Iohannis Ruellius*, *Caſpar Muller*, ego & *Iſlebius*. Curabis igitur parari cœnam, ſi tamen uxori commodum eſt. Vale. *Rota*. De convivio *Jonæ* promiſſo, poſtea videris, ἔῤῥωσο. Anno M. D. XXX.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 109. PRorſus nihil habebam quod ſcriberem, dedi tamen officii causâ literas *Michaeli*. Apud fratrem tuum fuimus, qui mihi ſatis tranquillo animo eſſe videtur. Diſputabamus de periculis horum temporum, quæ cum ſint infinita, hæ latebræ etiam optandæ videntur prudenti viro, etſi incommoditate magnâ nequaquam carent. Accerſivit nos & *Andreas Fuchſius*, & quæſtiones quaſdam dedit perferendas πρὸς τὸν θεολόγον, de quibus jam ei reſpondimus. De Liturgia te etiam atque etiam oro, ut diligenter quæras mihi & ἐτυμολογίαν, & exempla ſignificationum. Ex *Auguſta* nondum quicquam habemus novi, tu quicquid habueris, ſignificabis. Ego viciſſim ſi quid reſciero καὶ τὰ ἀπὸ τοῦ τριπτολέμου, perſcribam. Ante biduum ὁ δεῖνα ſcripſit noſtro ſeni, & de Cataſtrophe Conventûs adeo nihil meminit, ut de induſtria diſſimulare putetur, donec ſe inſtruxerit. Noſter θεολόγος ſatis æquo animo eſt, tametſi videatur valetudine non admodum firmâ uti. Tu feliciſſimè vale cum univerſa familia. *Coburgi*. *Michaelem* admonebis περὶ τῶν ἰδίων ἀποστόλων. Anno M. D. XXXI.

Ioachimo Camerario S. D.

NEque de edicto *Auguſtenſi*, neque de actis *Smalcaldenſibus*, neque de electione Regis *Ferdinandi* quidquam habebam, quarum rerum ſolicitudo, cum me ita exerceat, ut cogitare præterea nihil queam, non potui hoc tempore multa ſcribere. περὶ τῆς ζητήσεως οἱ ἔξω ἀντιπολεμῶν, parciùs nunc interrogamur, nec nos dehortamur apparatum. Multæ enim incidere occaſiones neceſſariæ & juſtæ defenſionis poſſunt. πῦμα κακὸς γείτων. Et tanta aliquorum malitia eſt, ut ſi viderent prorſus imparatos eſſe noſtros, ex ea occaſione facinus auderent animo concipere ac tentare. Et miræ ſunt hominum δόξαι, ſic ſunt imperiti & indocti. Nemo jam movetur illâ voce: *Ne ſitis ſoliciti, ſcit enim Pater veſter in cœlis, quibus indigeatis*. Non poſſunt acquieſcere animis, niſi videant ſe ſatis magnis validiſque præſidiis munitos. In tanta imbecillitate animorum fruſtra nos iſta noſtra θεολογούμενα περὶ ἐκείνης ζητήσεως objiceremus. Neque ego tamen quenquam damno, neque cautionem noſtrorum reprehendendam puto, dum hoc obtineatur, in quod quidem opera a nobis datur, nè quid ſcelerate fiat. Quoties hæc ego prædixi *Auguſtæ*, quoties ſignificavi deeſſe multis animi robur, καὶ ἄλλα πολλὰ τοιαῦτα. Sed tota res & hæc cauſa, mi *Joachime*, ſingularis eſt, & δοκεῖ iſta recipere diverſas [illegible] videtur. Ideo nunc precibus maximè res a[illegible]da eſt. Etſi enim valde metuendum eſt, ne motus aliquis exiſtat, tamen ſpero καταστροφὴν fore mitiorem, quàm velit diabolus. λειτουργίας inveni in digeſtis circa finem, ſi quid tamen repereris, mihi ſignificabis. Omninò valde multum laboris ſuſtineo in *Apologia*, in loco Juſtificationis, quem cupio utiliter explicare. Benè vale. Calend. Januar. Anno M. D. XXXI. De negotio *Ulrici* ſcripſit ad illum *Blicarus*.

Ep. 110.

Ioachimo Camerario S. D.

CUm proximè ad te ſcripſiſſem, poſtridie accepi alteras tuas literas, quæ mihi videbantur prius eſſe datæ, argumentum idem erat περὶ τοῦ ἀντιπολεμεῖν. Ego neque conſilia neque actiones plerorumque ſatis intelligo. Nam illam chartam *Lutheri* truncatam quorſum opus fuit in totam *Germaniam* ſpargere? Et quaſi hoc claſſico conciuare civitates ad pangenda fœdera? Anno ſuperiore ſcis ſummis meis doloribus & curis ſimilia conſilia diſſipata eſſe. Nunc de fœdere nemo nec *Lutherum* nec me conſuluit. ἀλλὰ περὶ τῆς ζητήσεως diſertè hoc poſitum eſt, ſi de reſtitutione ageretur, nè impediremus, ſed ſi attingere perſonam Principum vellent nonnulli, quos ſcis, uterentur ſuo jure, ſi quod ei promittunt Juriſconſulti. Hanc ἐπιείκειαν tamen moderatiſſimè ſcripſit *Lutherus*, & vix extorſit illi ὁ [illegible]. Habes omnia ſimpliciſſimè. In quibus nihil eſſe peccatum à nobis, ſpero te animadvertere. De fœdere nihil magis laborandum nobis puto, & ut verum

Ep. 111.

rum fatear, ita inclinari res temporibus videtur, A ut & illud vitioſum dici oportere non exiſtimem quare redeamus ad preces. Amabò te, ſæpe mihi ſcribito. Nuſquam acquieſco, quod attinet ad hæc πραγμάτια, niſi in tuis literis. Bene vale. XIV. Calend. Mart, natali meo. Anno M. D. XXXI.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 112. IN proximis literis rogavi te, ut crebrò ad me B ſcriberes, quia his miſerrimis temporibus nihil accidere mihi gratius hoc tuo officio poteſt. Sed tu neſcio quam ob cauſam diu jam taces: ſi quâ offenſione animi duxiſti tibi ſilendum eſſe, nulla mihi res privata accidere triſtior poteſt. Hac igitur curâ velim ut me liberes. Conſilia illa τῆς συμμαχίας nihil neque ad me neque ad *Lutherum* pertinent. Anno ſuperiore quædam impedivimus, de quibus nunc non agitur. Quid agatur ergo quæris? adhuc quidem in conſilium C nemo nos adhibuit. De concordia *Taurica* etiam arbitror iſtic ſermones parum commodos ſeri. Integra nobis res eſt, & illum fucatum & ementitum συγκεκριμένον, ſic enim videbatur, ſcias nos non accepiſſe, hoc te velim *Spenglero* dicere. Etſi multa videntur adverſaris largiri, imò de tota cauſa cedere. Sed ſimplicitatem tamen requitebamus. Adhuc quieta ſunt hîc omnia. *Chriſtus* faciat, ut ſit diuturna pax. Decretum Conventûs *Auguſtani* jam eſt editum, quod quid D novi allaturum ſit, brevi ſciemus. De *Turcis* adhuc confirmantur rumores. Amabò te reſcribe. *Apologia* mea nondum abſoluta eſt, creſcit enim op[illegible]nter ſcribendum. Tu ſi quid περὶ λειτουργίας [illegible]erim reperiſti, communices mihi. Bene vale cum tota familia. Non. Martii, Anno M. D. XXXI.

Ioachimo Camerario S.D.

Ep. 113. ADoleſcens, cui has literas dedimus, dice- E batur ſtatim ad nos rediturus eſſe. Quare duxi te admonẽdum eſſe, ut per eum reſcriberes, quod ſi feceris, magnum me abs te beneficium accepiſſe putabo. Valde enim crucior tam diuturno ſilentio tuo. Scribes autem quidquid habebis περὶ τῶν πολιτικῶν πραγμάτων. Nos enim prorſus nihil audimus hoc tempore, quod quidem magnopere gaudeo. Sed vereor, ut hoc gaudium diuturnum futurum ſit. Nam hæc æſtas F non videtur mihi ſine aliquo motu abitura, & intelligo quotidie currere & recurrere *Veredarios*. *Chriſtus* reſpiciat nos: Nulli generi hominum unquam periculum majus fuit, quàm nobis. Nec odia acerbiora fuiſſe unquam ullius factionis, quam noſtri nominis, colligo. Itaque non alibi quærendum nunc eſt auxilium, quàm apud Deum, qui exaudit gemitus pauperum. Multi exeunt libelli, qui prægravant nos. Vidiſti opinor carmen de porcis ab illo noſtro artytico por- G co, ut videtur, ſcriptum, in quo ego parum comiter, pro noſtra reconciliata gratia, tractor. Et ineptius ſcriptum edidit *Cocles*. Et *Caroloſtadius* rurſus in proſcenium ſuum redit, me ſanè leviter perſtrinxit, niſi fortè brevi alia editurus eſt violentiora. *Lutherus* valetudine impeditur, quo minus abſolvere potuerit hactenus illa, quæ habet in manibus. Et mea *Apologia* tardiùs procedit atque res poſtulat. Adeo ubique conflictamur variis malis, quæ tamen, ut ſpero, Deus referet in melius. Benè vale. XVI. Cal. April. Anno M. D. XXXI.

Ioachimo Camerario S. D.

ETſi innumerabilia extant in me collata beneficia tua, nihil tamen unquam gratius ad Ep. 114. animum meum accidit, quàm quod me proximâ ſolicitudine liberâſti. Habeo igitur tibi gratiam, quo tu genere officii, ſi te rectè novi, nullum aut majus ducis, aut requiris amplius. περὶ τῶν πολιτικῶν οὐδὲν ἔχω γράφειν. Continetur enim adhuc conſiliis noſtrorum ὁ ἡρακλείδης. Sed adverſarii tantam nunc quaſi de induſtria ſævitiam oſtentant, ut non ſimus reprehenſuri conſilia iſtorum, qui hanc extremam crudelitatem negant ſe eſſe laturos. ὁ ἀρχιερεὺς vicinus magnum terrorem incuſſit omnibus bonis viris in urbe ſua. καὶ οὐ πάνυ τυχὼν ὥσπερ ἐβούλετο. λέγεται ἐμπεσεῖν εἰς νόσον δεινήν. *Apologia* mea his diebus edetur, curabo igitur ut habeas. Sum aliquoties concionatus aſperiùs, poſtquam video adverſarios omnem pacis mentionem repudiare. *Smalcaldenſis* ille vates nihil dubitat affirmare, ſibi etiam vigilanti ac videnti, dixiſſe virum candidâ fulgentem veſte, poſt illud ſomnium: Memineris eorum, quæ vidiſti, brevi enim evenient, & interpretatur de futuris motibus. Benè vale. III. Id. April. Anno M. D. XXXI.

Ioachimo Camerario S. D.

ACcepi his paucis diebus aliquot epiſtolas Ep. 115. tuas, & amoris erga me tui plenas, & commemoratione multarum rerum refertas, quibus non poſſum reſpodere αὐτῷ τῷ μέτρῳ, nihil enim habeo dignum quod ſcribam, præter hoc unum, quod adhuc eſt εἰρήνη. *Chriſtus* faciat ut ſit diuturna. *Palatinus* καὶ ἀρχιερεὺς *Moguntinus* dicuntur de pacificatione agere. Sed quid hactenus perfectum ſit, nondum ſcio. Deus reſpiciat gemitus & lachrymas miſerorum apud nos, & largiatur pacem. Nam in hominum conſiliis nihil ſpei reliquum eſt. Mitto tibi *Lutheri* literas ad *Fuchſum*, ſero inquies, ſed ejuſmodi negotium eſt, de quo nos non ſatis judicare poſſumus; itaque non valde urgendum putavi noſtrum hactenus in tanta varietate occupationum, & in adverſa valetudine, nunc ſic ſatis valet. Scripſit etiam veſtris διαλόγους περὶ ζητήματος τινος, de conditionali Baptiſmo, ἀδοκιμάζει γὰρ ejuſmodi conditiones in Baptiſmo, quas videntur homines captioſi mutuari à forenſibus formulis. Juvenes veſtri, quos huc miſiſtis, unà habitant, & nobis curæ erunt. De altero copioſiùs ſcribo ad *Micam*. De carmine porcorum miror, quid his judicii ſit, qui me exiſtimant autorem eſſe, cum vel cæco apparere poſſit, me præcipuè ibi irrideri καὶ κωμῳδεῖσθαι. Artyticus ille omnino eſt autor, qui ſui aucupis aucupatur gratiam. Uxori tuæ mitto *Pſalterium* recens emendatum ſummâ curâ, quod tibi quoque placiturum ſpero. Brevi edet *Lutherus* etiam *Pſalmorum Rhetoricam*, hoc eſt, diſtribuet *Pſalmos* in certa genera, & ſingulorum argumenta recitabit.

citabit. Nunc inſtituit etiam *Germanicam χρονολογίαν.* Meum ſcriptum vides, in quo tamen argutias quaſdam decrevi retexere in fine loci de Juſtificatione, nam principium placet & μεθοδικόν eſt. Tuum etiam judicium expecto. Benè vale. Literas ad *Brentium* quæſo cures ei mitti, reſpondeo ei de quadam quæſtione, ſi voles lege & rurſus obſigna, valde rogo, ut eas diligenter cures ei reddendas. Anno M. D. X X X I.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 116. SPero te faſciculum literarum datum miniſtro *Secerii* accepiſſe. Quanquam igitur jam expectabam tuas literas, dedi tamen & huic tabellario epiſtolam, quia fides hominis mihi nota erat, ut te ad reſcribendum adhortarer. Annona Dei beneficio fit hìc laxior, & de aliis negotiis adhuc eſt ἀνομία. *Heraclides* nuper ſcripſit noſtro τῷ νῦν, ut mitteret ſibi baliſtam venatoriam, quia videret hanc æſtatem ſibi in venationibus conſumendam eſſe, hoc ſignum melius eſt, quàm ullum in vexillis. *Gallus* reſcripſit humaniſſimè, ac mihi tali tempore & in tanto odio non potuiſſe benigniùs reſpondere videtur. Significat ſe quoque Synodum optare, & laudat noſtros, quòd petant cogi Concilium, oſtendit ſe non ſumpturum arma contra nos, niſi hac re ritè cognitâ. Ac mihi quidem præcipuum eſſe videtur, quòd talem Synodum cogi vult, ubi liberè dici ſententiæ queant. De hoc toto quid diſputent quidam acuti, curandum non puto, ego quod dici ſolet, τὰ δεδόμενα non aſpernor. Sed non dubito, quin jam videris exemplum literarum iſtuc miſſum. Mitto tibi narrationem nuncii, qui Principum & noſtræ partis literas in *Galliam* pertulit. Vir optimus eſt, & fide dignus, & peritus morum *Gallicorum*, ubi legeris διήγημα, exhibeas *Spenglero*, méque ei commendes. Utinam omnes ſcirent quantum ſtudium, quantáq; cupiditas noſtrorum ſit & pacem conſervandi & conſulendi tranquillitati Eccleſiæ & veritatis explicandæ, minori multò invidiâ & odio laboraremus, & major ſpes eſſe poterat ſalutis Reipublicæ. Sed hæc Deo certè curæ erunt. Benè vale. Poſtridie τῆς ἁγίας τριάδος, Anno M. D. XXXI.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 117. ACcepi tuam diſputationem de prædictionibus *Caronis*. Quanquam autem iſte vehementer affirmat, ſe nihil præter ſiderum poſitum in conſilium adhibere, tamen multis non ſatis perſuadet hoc. Et ars meo quoque judicio non poteſt tam diſertè de ſingularibus eventibus pronunciare, ſed vir eſt, quantum ego quidem cognovi, candidus & *Suevica* ſimplicitatis plurimum referens. Miſit huc χρονικὰ excudenda, ſed eâ lege, ut ego emendarem. Sunt multa ſcripta negligentiùs. Itaque ego totum opus retexo, & quidem *Germanicè*, & conſtitui complecti præcipuas mutationes maximorum Imperiorum. Ad eam rem tuâ mihi operâ erit opus. De *Hercule* valdè oro, Ego enim in ea opinione ſum, unum tantùm *Herculem* fuiſſe. Nec multò aliter ſentit *Herodotus*. Rogo igitur te,

A ut diligenter perſcribas mihi, & cujas fuerit *Hercules*, & quomodo exiſtimes ab illo *Alexandrum Macedonem* ortum eſſe, cujus genus valde cupio nôſſe. Materno genere *Æacides* eſt, ſed paterno *Iſocrates* facit *Heracliden*. Significavi tibi proximè quid *Galli* reſponderint noſtris. Nunc & ex *Anglia* allatæ ſunt literæ, quas nondum vidi. Verum audio eodem ferè argumento ſcriptas eſſe: queri de abuſibus Eccleſiaſticis, & optare Synodum, ſed aiunt, dunmſculè perſtringi ipſum

B doctrinæ genus. Neque ſanè id mirandum eſt, poſtquam ita Rex à noſtro exceptus eſt. Benè vale. Die Solſtitiali, Anno M. D. XXXI.

Ioachimo Camerario S. D.

CUm cives noſtri *Ambroſius* & *Chriſtianus* Ep. 118.
Faber iter ad vos haberent, duxi eis dandas eſſe literas, etſi deerat argumentum, quia ſciebam te ſtatim, ubi de adventu tam certorum ho-

C minum audiſſes, literas requiſiturum eſſe. Gero igitur morem tuæ cupiditati, tuum animum ex meo æſtimans. Quâ in re non fallor, ſiquidem in amicitia verè illud exiſtere neceſſe eſt, quod ſcribit *Ariſtoteles*, ut ſit unus animus in duobus corporibus. Téque rogo, ut etiam cum nihil habebis, meo exemplo ſcribas tamen. Quanquam tibi in illa tam celebri urbe quotidie aliquid novi objicitur, quod nos ſcire plurimum referat. De pacificatione ex his audire potuiſti, qui

D *Francofordiæ* fuerunt. Nondum abjecta eſt ejus mentio. Itaque Deus orandus eſt, ut flectat ad pacem animos utriuſque partis. Sed ego, quoties de ea re cogito, interpellor à *Smalcaldenſi* vaticinio. Audio quoſdam permoleſtos eſſe urbi veſtræ hoc tempore, & vehementer hortari confœderatos *Suevica* συμμαχίας ut ſe adjuvent contra veſtros. Nihil eſt imprudentius iſtis, irritant animos noſtrorum, & tamen poſtea cum ventum eſt ad ἐνέργειαν, labaſcunt. Quoties hoc jam

E accidere vidimus? Quis autem illos, ſi ita ſævire verum eſt, irritat? Itaque cum hæc audio, non poſſum interdum moderari mihi, quin ut de Tyrannis loquar vehementiùs. Planè autem contrariæ res inſunt in Tyrannide, ſuperbia ſumma, & timiditas maxima. Apud nos Dei beneficio, Principum nullus apparatus auditur, ſed Comites quidam propinqui inter ſe litigant. Et prudentes viri magnopere ſunt ſoliciti, nè quis ex ea re magnus & horribilis motus exiſtat, ἀλλὰ θεοῦ

F ἐν γούνασι res eſt. De *Hercule*, déque toto genere *Alexandri*, quantum potes inquire mihi ſeriem, gratum mihi feceris. Benè vale. IX. Calend. Julii, Anno M. D. XXXI.

Ioachimo Camerario S. D.

DE illo neceſſario noſtro neſcio quomodo ob- Ep. 119.
litus ſum ad te ſcribere, cum quidem id ſæpe facere conſtituiſſem, ſed nunc poſſum certio-

G ra perſcribere, poſtquam fuit apud eum *Ambroſius* civis noſter. Is expoſuit ei de liberis, quorum ego filium natu maximum apud me habeo, alterum habet *Lutherus*. Tertium puerum, alit hic quædam honeſta mulier. Uxor videtur illum libenter receptura ſi redierit, ſed ut ex *Ambroſio* accipio, non cupit redire, & uxorem ad ſe proficiſci mavult, de ea re aget cum

muliere

A muliere *Ambroſium*. Sed ego vereor ut ſit ex
patria diſceſſura, præſertim poſtquam ſemel à
viro deſerta eſt, & idem periculum alibi metuet.
Huc accedit, quòd propemodum videtur gaude-
re mulier, quòd occaſionem nacta ſit excutien-
di mariti. Nam ego ita ſtatuo, præcipuam cau-
ſam fuiſſe domeſticam diſcordiam hujus exilii.
Quòd ſi adduci tamen mulier poterit ut ad virum
proficiſcatur, tota res perfecta erit. Nam de li-
beris nihil eſt quod angatur, Tractantur enim
B melius & liberalius apud nos, quàm apud pa-
trem tractari poſſent: Sin autem mulier decede-
re non volet, de qua re poſtea certiorem te red-
dam, & ſcribet ad ipſum *Ambroſium*, reliquum
erit, ut ſi ad vos ille venerit, autores ei ſitis, ut
huc redeat. Nam cum creditoribus tranſigere
poterimus, ſed intelligo omninò eum in hac ſen-
tentia eſſe, ne redeat, fortaſſis pudore prohibe-
tur, quanquam facile conteneſcunt tales ſermo-
nes. Illud magis me ſolicitum habet, quod ho-
C mo deſidioſus nihil unquam ſuſcepturus videtur,
quo poſſit tolerare quotidianos ſumptus. Hæc de
hac re. Cæſar *Spiræ* Conventum indicit, qui
meo judicio accendet hos tumultus. Nihil enim
expecto pacati, niſi Deus nos reſpexerit. Ac con-
tra jam accidere quidam putant quàm antea, ut
Cæſarem dehortetur frater à violentis conſiliis.
Nos tamen nunc etiam ſperemus ſanè melius, &
ſentiamus commodius. Mitto tibi *Iſocratis* ora-
tionem, quam *Georgius* exercitii causâ vertit,
D expectat eam Typographus, quare te rogo, ut ei
quàm primùm mittas. Ejuſmodi opus eſt, quod
ſine magno periculo ſub ille more corrumpere
poterit. In ſupputationibus illis non aſcripſeras
annos. Itaque diverſos annos quærere *Milichius*
cogebatur. Gratulor tibi filium eſſe natum, ac
precor Deum, ut & te & uxorem tuam lectiſſi-
mam fœminam, & filium & filias ſervet inco-
lumes. Videtur inter has conſtitutiones, altera
eſſe filii geneſis, in qua *Mars* eſt in Hieroſco-
E po, quem tamen ſubſequens *Saturnus* reddit con-
tatiorem, ſed de his aliquando coràm. De vale-
tudine tua ſum ſanè ſolicitus, & audio te peri-
culoſe decubuiſſe, mihi videtur fluxus non poſſe
ſine periculo obſtrui, quare etſi hoc quoque mo-
leſtum eſt, lenibus remediis velim te eum mo-
derari. Obſecro te de hac re diſputes cum me-
dicis iſtic. Ego laboribus & curis miſerrimis
conficior, ut rectè reſponderit veſter Aſtrologus,
me morti vicinum eſſe, quam ego quidem mihi
F ſæpius, quàm vitam opto. De monacho qui
peperit, vera eſt fama, fuit in *Marchia* quidam
præpoſitus Monialium ἱερωσύνης, cujus conti-
nentia mirificam admirationem habuit, ἀλλὰ
σοφώτατοι μάρτυρες ἡμέραι ait *Pindarus*. *Spengleri*
ſalutem *Chriſto* commendemus, qui utinam ſer-
vet incolumem Reipub. veſtræ virum optimum &
amantem patriæ. Scripſit ad me *Symon Grynæus*
his diebus, & opinor eum ad te quoque ſcripſiſſe.
Jubet enim, ut cum reſpondero, ad te mittam.
G Fuit in *Anglia*, inde affert ad me ζήτημα περὶ γάμου
βασιλέως, magnam profectò, periculoſam & diſ-
ficilem controverſiam, de qua cum reſpondero,
mittam ad te meum ſcriptum, ut tu ad *Grynæum*
tranſmittas: tum poteris ſi voles totam rem re-
cognoſcere. De *Hercule* planè mihi ſatisfactum
eſt, ego unum aliquem & quidem illum *Theba-
num Amphitryonis* extitiſſe arbitror, qui fama
rerum geſtarum occaſionem fingendi aliis dede-
rit, qui plures *Hercules* commenti ſunt. Neque
hæc *Græcis* tantum licentia conceſſa eſt, fingunt
ſimilia nunc quoque noſtri homines. De *Francis*
tuis haud dubiè falſum eſt eos à *Baltico* exortos
eſſe, fuerunt enim vicini Alpibus, ſicut *Boii Stra-
bonis* tempore. Et *Livius* in *Hannibalis* tranſitu
mentionem *Branci* facit, qui bellum geſſit cum
Allobrogibus. Habeo multa argumenta, quæ
fidem minimè dubiam faciunt, Primas ſe-
des *Francorum* in hac ſuperiore *Germania* fu-
iſſe, fere iiſdem locis, quæ nunc ſunt *Franco-
rum*. *Strabo* Βρεύνους ſcribit, *Vindelicis* vicinos,
& neſcio quibus aliis, non enim vacat inſpicere
librum. Itaque te non inſertum alienæ genti, ſed
verè *Francum* dici & haberi volo. Idque diſpu-
tabo in χρονικοῖς, In *Carolo*, quem ornabo quan-
tum potero. Neſcio an omnia ſcripſerim, quæ
volui, cum quidem aliud ex alio ſine ordine in
mentem venerit inter ſcribendum, téque oro,
ut veniam des huic meæ negligentiæ, ſed noſtri
meas miſerias, quibus condonare te hæc quoque
exiſtimo. Si quid de σιβύλλαις illis habes, ſcribito,
etſi ejus gentis fides prorſus incerta eſt. Hic fe-
runt filium *Gallici* Regis Cæſari conditiones, quas
pater approbavit, renunciare, & alia multa,
quæ me nihil movent. Mihi Dei beneficio filia
nata eſt matre incolumi, ac cætera quidem
in geneſi bene habent; hoc mihi diſplicet,
quod

Falcigero Venus eſt non bene juncta ſeni.

Et *Mars* horribiliter aſpicit domum octavam
ex tetragono. Sed *Chriſtus* eſt Dominus, cui
omnia ſubjecta ſunt etiam aſtra. Tu vale feliciſ-
ſimè. Poſtridie *Jacobi*, Anno M. D. XXXI.

Ioachimo Camerario S. D.

TOrga audivimus *Spenglerum* edito calculo *Ep. 120.*
melius habere, quod fuit nobis jucundiſſi-
mum. *Chriſtus* ſervet nobis & civem & amicum
conſtantem. Conventus indictus eſt, ut ſcis,
quod fauſtum felixque ſit. Nondum ſcio, an
noſter ſit iturus, etſi vocatus eſt publicis & pri-
vatis literis. Ego non intelligo, quid agi poſſit,
cum Pontifex præciſè recuſet de Synodo. Id ſcio
ex certiſſimorum hominum literis, ὁ ἀρχιερεὺς γο-
ητευτικῶς ἔφη, καὶ τὴν ἀντιπραξίαν τοῦτο γαλατικῶς, καὶ
ἰλλέγει ὁ βασιλεὺς τῶν βρεττανῶν. Et tamen *Suevici* ac
Elvetici tumultus ejuſmodi ſunt, nullo modo ut
ſine Synodo aut ſine armis componi aut ſedari
poſſe videantur. Obſecro te, ſcribe mihi, quæ
ſit opinio, quæ expectatio hominum de Conven-
tu, gratius mihi facere nihil potes. Fuit hic
quidam *Pariſienſis* doctor *Gervaſius*, homo, ut
videtur, inimiciſſimus noſtræ cauſæ, ἀλλὰ τοῦ βα-
σιλέως τοῦ φραγκικοῦ ἐντολὰς ἔχει περὶ τῆς χειροτονίας.
Sunt quibus videantur illæ *Gallica* eſſe magis,
quam *Francica* technæ. Sed nos, quod datur acci-
piamus & ſentiamus liberalius. Certè illæ minæ
Campegii de *Gallorum* amicitia hoc tempore ſunt
inanes, etſi moveor prædictionibus quibuſdam,
quas tibi in mentem venire neceſſe eſt, ſæpe e-
nim de illis inter nos. Niſi *Chriſtus* conſulet Ec-
cleſiæ, omnia funditùs perierint. Nam illi Reges
ſua agunt negotia, & nulli mortales nunc οὐδὲν
φιλοσοφοῦσι, de quibus rebus tecum ut ſpero brevi
corām.

A coram. Bene vale. Ex *Torga*. Literas quas addidi *Bruno* velim te mittere. M. D. XXXI.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 121. E*Rfordienſis* ſenatus deliberat de reſtituenda ſchola, & juſſit magiſtros, qui ibi reliqui ſunt ſuam ſententiam de ea re dicere. Hi cenſuerunt hanc fore aptiſſimam rationem ſuſcipiendæ rei, ſi tu & *Eobanus* revocaremini. Quanquam autem video quoſdam certo conſilio dare operam, ut res B extrahatur, tamen exiſtimo aliquando proceſſuram eſſe. Ego ſum hortatus noſtrum [illegible], ut quantum poſſet, ageret de vobis revocandis, & mihi promiſit ſe hoc ſedulò facturum eſſe. Omninò ſi id fieri Deus velit, videris mihi libentius futurus *Erfordiæ*, quàm in *Norico*, & hujus meæ ſuſpicionis habeo plurimas conjecturas. Tu tamen mihi de hac re ſcribito, quid habeas animi. Vidimus Cometen, qui per dies ampliùs decem jam ſe oſtendit in occaſu ſolſticiali. Videtur au- C tem ſupra Cancrum aut extremam Geminorum partem poſitus. Nam occidit poſt ſolem horis ferè duobus, & mane, paulò ante ſolis ortum in oriente prodit, ita cum cœlo circumagitur, proprium motum quem habeat quærimus. Eſt autem colore candido, niſi, ſiquando nubes eum pallidiorem reddunt. Caudam vertit verſus Orientem. Mihi quidem videtur minari his noſtris regionibus, & propemodum ad ortum meridianum vertere caudam. Non vidi antea Cometen D ullum, & deſcriptione hoc non diſertè exprimunt, erigit caudam ſupra reliquum corpus. Quidam affirmant eſſe ex illo genere, quos vocat *Plinius* [illegible], quia ſit acuta cauda. Id ego non potui oculis judicare. Quæſo ſcribas mihi ſcribas, an apud vos etiam conſpectus ſit, quod non opinor, diſtat enim à terra vix duobus gradibus, ſi tamen cõſpectus eſt, deſcribe diligenter, & quid judicet *Schonerus*, ſignificato. Bene vale. XIV. Calend. E Septemb. Anno M. D. XXXI. Scripſeram hanc epiſtolam cum accipio [illegible] habere eum exercitum, & facturum irruptionem in *Daniam*, ea res utinam non commoveat totam *Germaniam*. Audio & *Ferdinandum* habere exercitum, ſi quid ſcis, ſcribe.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 122. SCripſi tibi nuper de negotio *Erfordenſi*, quo de oro te, ut mihi reſpondeas. Cometen hic F judicavimus à Cancro ad Libram uſque proprio motu vectum eſſe. Quanquam autem in Libra nunc eſt *Jupiter*; tamen illius motus cauſam exiſtimant *Martis* motum eſſe, qui nunc ab Arcto diſcedit. Et planetas Cometæ ſequuntur, ut ſcis. Ecce autem [illegible] Grammaticum, quod cupio explicari à te, & exiſtimo poſſe, nota enim mihi eſt diligẽtia ſtudii tui. Annotavi autem in charta ſeparatim, locúmq; & in primis verſum, qui me G exercet, perſcripſi. Pergratum mihi feceris ſi interpretationem oſtenderis, ſi quam deprehendiſti alicubi, aut ſaltem conjecturas tuas ſcribe. De Comitiis Imperii nihil adhuc audimus. *Livius* mihi ſcripſit, eas literas tibi mitto, teq; aſſervare volo. Ego reſpondi me nullam habere ſpem pacis, poſtquam ipſi prorſus nihil velint remittere de ſuis traditionibus, de quibus quid ſentiant homines, jam oſtenderit exemplum *Vlmenſe*. Hortatus ſum, ut curent potiùs in pace à doctis & bonis viris dijudicari dogmata, quàm à vulgo inter arma, id quod futurum ſit, ſi ipſi rem ad arma deduxerint. Tuas literas expecto. Benè vale. Poſtridie Natalis B. *Mariæ*, Anno M. D. XXXI.

Ioachimo Camerario S. D.

B

REddidit mihi tuas literas graviſſimè ſcriptas diſcipulus tuus, de quib' quoniam nunc non vacabat multa ſcribere, breviter reſpondebo. Ep. 123. Ego ſi rectè calleo ſenſum iſtorum hominum, ita exiſtimo, haud iniquo animo illos laturos, non enim dicam, quod quoſdam ſuſpicari animadverto, etiam beneficii loco ducturos eſſe diſceſſum veſtrum. Quare non eſt, quòd arbitreris te aliquâ officii ratione alligari. Invidiæ velim te C ſi queam eripere, etſi profectò illi urbi optimè volo, quam etiam hoc nomine magis amo, quia tibi non ingratam ſedem atque hoſpitium aliquandiu præbuit. Sed ego ita ratiocinor, neque illos cupere vos retinere, neque ut nunc cupiant, diu vos ibi eſſe poſſe, aut futuram ibi frequentem ſcholam. Poſtremò alibi meliùs de ſtudiis publicis mereri poteris. Accedit & τὸ καλόν, Honeſtius eſt artem factitare in illa frequentia pub. Gymnaſiorum, quam ut ſpero reſtituetis. Sunt D alia multa, quæ me movent, quæ niſi arbitrarer tibi homini prudentiſſimo atque omnium momenta officiorum perpendenti, venire in mentem, ſcriberem longius. Sed potes tu quoque pertentare iſtic quorundam animos iſtorum, quid judicaturi ſint, niſi habes exploratos animos, quorum judicia plurimum ibi valent. Doct. *Hieronymus* juſſit, ut mihi ſignificetis de Stipendiis, quantâ mercede iſtinc abſtrahi poſſitis. Ita pollicetur, ſe non defuturum negotio. E Nôſti autem ingenia ejus urbis, & ſtipendiorum modum in ſcholis publicis. Itaque optarim vos civiliter petere. Nam ego ita ſentio, etiam mediocri mercede honeſtiùs vos in tali loco victuros eſſe. Scribam & *Othoni*; ſed quàm maximè potero [illegible]. De verſiculo *Græco* habeo tibi gratiam; ſuſpicabar enim [illegible] ibi comaulum eſſe, ſed movebat me *Suidas*, qui in aſtro recenſet verſum. *Livio* ita reſpondi, ut non ſperem eos epiſtolam edituros eſſe. Confero enim in F *Campegium* culpam, quòd non coierit concordia, & recito quoſdam illius ſermones, neque metuo jam odia illorum, nihil enim expecto ab eis pacati. Video ne tantum a Deo expetendam eſſe mediocrem [illegible] harum rerum. Quod Cæſar petit, ut Papa conditiones accipiat, non impetrabit, ac quo magis videas pertinax in Pontifice ingenium eſſe, mitto tibi ejus geneſin. *Milichio* puerum, quem huc miſiſti, cõmendavi, neq; enim puto quenquam magis idoneum eſſe præ- G ceptorem hic illis, qui jam aliquò uſque in literis progreſſi exercendi ſunt etiam in Philoſophiæ rudimentis. Et eſt vir ingenio ſedato, & humano. De Cometarum motu proprio nihil ambigo, quin ſequantur ſtellas, neq; id tantum de illis intelligo, quos ſub certis ſtellis velut [illegible] fieri ſcribit *Ariſtoteles*, ſed de hac te aliàs. Nuncius enim properabat, ita ut *Eobano* ſcribere non liceret,

liceret, cui dicas meis verbis ſalutem, & ſummâ fide me acturum eſſe negotium. De *Eraſmi floridis Epiſtolis* aliàs. Mitto tibi hujus anni προγνωστικὸν ſcriptum à *Carione*, téq; rogo, mihi ut viciſſim hujus generis mittas quæcunq; digna lectione putabis. Bene vale. Calend. Octobris, Anno M. D. XXXI.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 124. NIhil à te literarum accepi, poſtquam diſcipulus tuus *Hofmanus* huc advenit. Id propterea ſcribo, ut ſi quid fortè miſiſti, ſcias me non accepiſſe. Mitto tibi cujuſdam *Sarmatæ* judicium de Cometa, quod mihi videtur eruditè ſcriptum eſſe, præſertim in uno atq; altero loco. Fama huc affertur de pugna ad *Turegum* facta, in qua dicitur & *Cinglius* periiſſe, ſi quid habes comperti, totam hiſtoriam velim te mihi perſcribere, non ut *Germanorum* ſcriptores ſolent, qui nullas cauſas, nullas occaſiones, nulla conſilia, nullas ἐκβάσεις exponunt. Suſpicor occaſionem huic tumultui præbuiſſe illum *Muſium*, cui æſtate ſuperiore *Helvetii* bellum intulere. Nam accipio affuiſſe mille *Hiſpanos* in hac *Duregenſi* pugna. ὁ Ζβιγγλιάδης nondum ſcripſit de ea re, quod ſanè miror. Et vix ille quieſcet, hoc excitatus claſſico περὶ τῆς πίστεως ἀμετρήτως πολλὰ καινά, quæ non libet ſcribere. Egregium habẽt homines ἄθεοι prætextum hoc tempore, qui nullas volunt habere religiones, qui volunt omnia vincula excutere, ſimulant ſe recipere ἐμφανῆ ἀταξίαν abjectâ noſtrâ, ſed Deus his rebus remedium oſtendet. Hic annus afferet, ut ego ſpero vel καταστροφὴν vel ἀναστροφὴν τῆς καταστάσεως. Benè vale cum conjuge & liberis. Poſtrid. Cal. Novemb. Anno M. D. XXXI.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 125. DE Conventu prius omnia reſciſcitis, quàm huc perferatur. Itaq; de illis rebus nihil ſcribo. Dei beneficio adhuc tranquillæ ſunt hæ regiones. Expectatur enim decretum Conventûs, quod ſi erit hoſtile, noſtros commovebit. Nam ille, quem *Langus Auguſtæ* tantoperè contempſit, ut meminiſſe potes, putatur copiosè etiam à pecunia inſtructus eſſe, accipio & naves fabricari, quod quorſum pertineat, facilè judicare potes. Minatur *Rheno*. De Vaticiniis quod petis, ſic ratiocinor. Aliquantiſper tantùm domeſticos tumultus nobis expectandos eſſe, & καταστροφὴν aliquam Eccleſiaſticarum turbarum. Interim *Turci* erunt occupati in *Pannoniis*, deinde irrumpent magnâ vi in *Germaniam*. Quidam *Cracovienſis* miſit mihi ſuum de eclipſi Solis, quæ fuit hoc annò, judicium, prædicit interitum in *Pannonia Ioanni*. Idem affirmabat *Auguſtæ Apianus* noſter. Poſtea ſcribit *Cracovienſis* ille, *Pannonias* in *Turcarum* poteſtatem venturas eſſe, τῇ Γερμανίᾳ magnas calamitates prædicit, minatur & *Germaniæ Turcicum* bellum, de ſectis affirmat fore, ut magis increbreſcant, mortem etiam aut *Rom.* Pontifici aut alicui ex præcipuis Regibus minatur. περὶ λειτουργίας habeo tibi gratiam. In itinere venerat mihi in mentem orationis πρὸς Λεπτίνην. Itaque reverſus inſpexi, ſed commentarium non videram. Nunc te oro, ut mihi tuam ſententiam ſcribas, quam exiſtimes fuiſſe verbi ſignificationem. Video tantum in pecuniis uſurpari, pro collatione tributi. Ego verò cuperem de operis quoque publicis exemplum habere. Λῆτον quod ſcribunt eſſe δημόσιον aut certè λήϊτον, ego à λεία, hoc eſt à præda ſeu manubiis, quæ olim ſola fuit publica pecunia, factum puto. Quanquam generaliter etiam λεία κτῆσιν ſignificet, non tantum λαφυραγωγίαν, ſed quomodo convenit λειτουργία conferre pecuniam, cùm de ſuo quiſq; conferat. Itaq; de operis ſeu adminiſtratione valde cuperem habere exemplum, ſi quod eſſet. Amabò te, ſi quid reperieris, aut excogitaveris, ſcribe. Totus ſum in *Apologia* recudenda, & ornabo eam diligenter, quantum decere videbitur, & complectar noſtras controverſias, & integras exponam, quod erit utile ut ſpero. Scripſi *Michaeli* hiſtoriam de morte letiſſ. & feliciſſ. cujuſdam *Gatthani*. Tu vale feliciter. Id. Novemb. Anno M. D. XXXI. Saluta meis verbis amanter uxorem tuam & filiam.

Ioachimo Camerario S. D.

VEtus tranſlatio Centiloquii, quæ facit mentionem duodecim ſignorum in illa ſententia, quam recitas, haud dubie mendoſa eſt, *Pontanus* rectè legit, & prudenter interpretatur. Solent enim numerari ſigna, ut ita dicam, non qua proximè acceditur ad Solem, ſed qua longiſſimum eſt iter. Idq; quare fiat, ex poſitu Solis aut Cometæ exiſtimare potes. Nam ab eo quod conſpicitur, numerant, dum ad alterum redeant. Itur igitur per totum cœlum. Cæterum hoc ſcis, non poſſe conſpici Cometen ſi ſit ὕπαυγος, vel ut nunc dicunt, ſub radiis. Ideo neceſſe eſt eum diſtare ut minimum uno ſigno à Sole. Hanc diſtantiam longiore itinere euntes, dicunt eſſe undecim ſignorum. Mitto tibi & *Milichii* Scholion de ea re. Bene vale. Tuas literas expecto. Ante Nondinas Lipſicas. Anno M. D. XXXI. *Ep.* 126.

Ioachimo Camerario S. D.

DE rebus *Elveticis* nihil certi diu jam habemus. Huc nuper allata fama eſt, Duregum captum eſſe ab *Hiſpanis*, & Cinglianorum octo millia cæſa eſſe. Hæc etſi nondum credo, tamen affirmantur à multis ἀξιοπίστοις. Quæſo itaq; te, ut quicquid habes de his rebus, mihi ſignifices. Quanquam quoquomodo illa ſe habent, vix poteſt ſperari pax in hanc æſtatem. Illud eſt orandum, ut Deus det mollem καταστροφήν. Sanè caſus miſerabilis eſt, & vidi ſomnium horribili ſpecie. Erat teſtudo quæ paulatim creſcebat, & accipiebat Draconis formam: hic intumeſcens crepabat, interim ſtridens horrendum, ſicut rotæ novæ ſtridunt. Aderant autem percuſſores, qui feriebant draconem, poſtquam crepuiſſet; Et paulatim aperiens ſe Draco, continebat humanum cadaver, quod totum ſanie taboque plenum erat, & cum videret ſibi moriendum eſſe, faciem tegebat, pelle à capite ſuper faciem retracta, ſic expergefactus ſum. Mira iſta imaginum confuſio rerum ſcilicet maximam perturbationem indicat. De qua tamen nihil opus eſt ſomniis, cum ſit illa ante oculos. Nondum ſcio τὰ ἐκεῖ γιγνόμενα συνόδου πράγματα. Vides quo ruat res. *Georgius Vorchemius* tuus præceptor nunc meus eſt conviva, manſurus aliquandiu nobiſcum, cui velim *Ep.* 127.

A lim teſcribere: dedi ei tuum *Theocritum*, nondum enim viderat. Bene vale. X. Calend. Jan. Anno M. D. XXXII. *Sebaldus* miſit hunc tabellarium ad vos, per quem ut mihi reſpondeas, te etiam atq; etiam oro.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 128. ΠΕεὶ πράγματος τῆς ἀκαδημίας τῶν τυβιγγῶν accepi tuas literas, neque abjiciam negotium, B neq; deſpero perfici poſſe. ſed nemo me hoc menſe de ea re allocutus eſt. Noſter enim toto ſemeſtri non fuit in urbe τῶν τυβιγγῶν. Nec ego volo illi oſtendere, quàm vehementer hanc rem perfici cupiam. Et conſileſcunt hoc tempore talia conſilia, poſtquam in *Elvetiis* bellum motum eſt, cujus exitum hactenus expectârunt omnes homines ubique, & ſcis ita exiſtimari, ejus periculi partem ad nos pertinere, ſed agam negotium ſummâ fide & arte. Tuas *Noricas* diſputationes C percurri, ac dignas eſſe judico, quæ legantur à noſtris hominibus. Quare efficiam, ut edantur quàm emendatiſſ. Locus *Ptolemai* de diſtantia undecim ſignorum, videtur mihi mutandus, & ſemel deprehendi in tuo codice emendatum, ſecundùm ordinem ſignorum, ubi, ni fallor, contra eſſe debuit. Sed nihil mutabo, niſi adhibitis hujus generis artificibus Miror te potuiſſe ſine ſtomacho commorari tantiſper in illa inextricabili quæſtione τῆς εἱμαρμένης. Sed varietas illa exemplorum D & ſententiarum detinet Lectorem, ideo non reprehendo. Neq; ſanè hoc mihi ſumo, ut me ſperem meliora tuis efficere poſſe. His diebus ſcribam copioſiùs, etſi novi nunc nihil habemus. περὶ τῆς διαλλαγῆς agitantur adhuc conſilia, & quidam ex noſtris bene ſperant, ſed me terrent prædictiones & illæ tuæ de oſtentis diſputationes. Si *Conſtantienſes* proſcripti ſunt, erit haud dubiè bellum, quod utinam Deus probibeat. De *Caroloſtadii* morte ſi poteris, explora nobis rem, ut cerE tum ſciamus. Multa profectò terribilia exempla ſunt in tua hiſtoria. Vides quàm parum conſilii aut animi habuerint quidam ex eis, qui paulò ante toti orbi terrarum minabantur, ſed Deus reſpiciat nos. Bene vale. Pridie Cal. Jan. Anno M. D, XXXII.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 129. DE *Elvetica* hiſtoria mihi planè ſatis feciſti. F Accepi enim longiuſculam illam epiſtolam, quare tibi gratias ago. Quòd autem à me petis, ut περὶ πολιτικῶν aliquid ad te ſcribam, ſcis me nullo genere literarum ad te magis uti ſolere, cum habeo aliquid te dignum, ſed hoc tempore nihil habemus præter illam expectationem τῆς διαλλαγῆς, [illegible], qua de nuper ſcripſi tibi. Articulos, ut vocant, vidi, ſunt æquiſſimi, modò *Chriſtus* faciat, ut res procedat. Nec impedient actionem eam fœdera τῶν πόλεων, G quibus cavebitur, ſi noſtra conſilia ſequentur. Sed ego, mi *Joachime*, ſpem habeo pertenuem. ἀλλὰ θαῤῥεῖν χρὴ, & quidem confido *Chriſto*. De *Oecolampadii* morte ſcribit *Bucerus* nobis, ſed ego ſuſpicor eum animi dolore extinctum eſſe. Neq; enim potuit rem tantam & tam ſubitam perferre, homo, ut nôſti, non ſatis paratus ad tantam inclinationem ac ruinam potiùs iſtam

A ſpectandam. Quanquam autem novi nihil accidit nobis, qui de hac vulgi inconſtantia quotidie legimus doctorum libros, tamen interdum admiror tantam in iſtis imbecillitatem extitiſſe; Etſi me miſeret, ut par eſt, illorum, & graviſſimum caſum eorum dolenter fero. Sed talia exempla non ſolùm perturbare alios, verum etiam inſtruere debent. Noſter θεολόγος valetudine valde tenui utitur, ac niſi fato diutiùs ſervabitur, brevi amittemus eum. Sed orandus eſt *Chriſtus*, B uè in his turbis eripiat nobis eum. Meus frater amiſit ſuum filium, puerum elegantiſſimum &, ut mihi viſus eſt, ingenio optimo, quâ ex re magnum çepi dolorem. Vidi enim ante triennium, jam fere decennem, & callentem primas literas. Habet pater in quinto loco *Saturnum*, quem eodem loco habuit *Maximilianus*, cujus quæ fuerit domeſtica fortuna, non ignoras. Meus filius etiam ægrotat, ac videtur quibusdam τῷ ἰκτικῷ abſumi, habet enim Lunam, ut vocant, combuſtam. C Hæc domeſtica me ſanè exercent, etſi publica negotia magis me cruciant. Quanquam enim pueris in morte nihil accidit mali, præſertim hoc tempore, cum ex maximis periculis eripiuntur, tamen miſericordia ipſa incredibili me dolore afficit, tum reputantem fratris, quem maximè diligo, luctum, tum ipſos intuentem puerorum caſus. quis enim ſine dolore ſpectare iſta poteſt? ſed neſcio quomodo in hanc incidi querelam. Meo illi veteri amico, quem audio ſuccedere, de eo valde miD ror: ſuccedit autem, ut accipio, non in concionibus, ſed in prælectione. Utinam poſſim dehortari hominem à periculoſiſſ. negotio: παθὼν γὰρ ἔμαθον. Et ille habet ingenium, ut arbitror, acre καὶ ὑπέργον. Et ſunt aliæ quædam cauſæ, cur optarim eum repudiare hanc provinciam, & doctrina tamen cum ſit tanta, quantam eſſe ſcimus, cauſæ gratulor, quam acceſſione talis viri adjutum iri confido. Tua *Norica* habet jam χαλκογράφους, ſpero me his diebus habiturum chartam, quam poſE ſim tibi mittere ut habeas operis ſpecimen. De *Milichio* valde te oro, ut ei aliquid tuorum librorum dedices, unus eſt, qui cum συμφιλοσοφεῖν conſuevi, & vir conſtans eſt, nec rei familiaris cauſa abducitur à Philoſophia, ut pleriq; alii ſolent. Benè vale. Id. Jan. Anno M. D. XXXII. Gratum eſt mihi, quod *Helto* ſcripſiſti.

Ioachimo Camerario S. D.

F MItto tibi ſcriptum tuum, cui videbis me epiſtolam præpoſuiſſe, quam mihi extorſit ὁ χαλκογράφος, feci profectò invitus, ut deformarem ea, quæ abs te diligentiſſ. ornatiſſiméq; tractata ſunt. Illud enim nihil me movit, uè ſi nos mutuò prædicaremus, riſum præberemus ἢ αἰσθητικοῖς, ἢ τοῖν ἄλλοις τοῖς παρ᾽ ὑμῖν. Cæterùm apud *Gauricum* ſummam inii gratiam, quem habes operis tui candidiſſimum laudatorem, ac cõtendit à me, ut ſuis verbis te ſalutarem. Audio eum in hoc genere G diſplinarum excellere, ſed de epiſtola hactenus, quam ſpero te æqui boniqueconſulturum eſſe. Illud vereor, ut excuſare tibi poſſim de loco *Ptolemai*. Nolebam videri te aut reprehendere *Ptolemæum*, aut non aſſequi, quorum alterum etſi nihil habebat turpitudinis, tamen ipſa dubitatio ſignificationem reprehenſionis habebat, præſertim cum tu alicubi poſuiſſes exemplum, quo Ep. 130.

 eveni

everti *Ptolemæi* ſententiam diceres. Multum igitur de ea te cum noſtris diſputavi, ſcripſi aliquoties, quid dici poſſet, ac timidiſſ. mutavi: quid poſuerim videbis. Certum eſt enim *Ptolemæum* eo in loco non loqui de ullis Cometis, niſi his ſolis qui in cardinibus in ortu & occaſu apparent, hi profecto incurrerent in radios, ſi nimis vicini eſſent Soli. Quod autem de ſpacio dicit, videtur mihi à tempore æſtimandum eſſe ortus aut occaſus ita ut & latitudinis ratio habeatur, non tantùm ii gradus quærantur, quibus Cometa in Signifero à Sole diſtat, ut ſi occidit duabus horis Cometa poſt Solem, intelligatur XXX. gradibus diſtare, ſi ἐν πλάτει accipiatur illa ſpacii deſcriptio, nihil habebit obſcuri, & in tuum Cometen conveniet Verum hæc ego non poſui, nè irrideremur à technicis, qui interdum plus æquo moroſi ſunt. Illud tantum dixi, *Ptolemæum* de ſolis illis loqui in prima parte ſententiæ ſuæ, qui ſint in cardinibus. Ac noſter certè diſceſſerat à Cardine, hoc eſt, à puncto occaſûs ſic ſatis procul. Hoc in genere dictum ſpero à doctis non poſſe reprehendi. Certè noſtris ſatisfacit, & *Gaurico*. Crede mihi, mi *Ioachime*, ſæpe ſomnum excuſſit mihi hæc res. Nolim enim tibi ullam moleſtiam objicere, tuorum ſcriptorum depravatione, ſi quid autem peccavi, te per amicitiam noſtram oro, ut condones amicitiæ, quam ſcio te pro tua virtute ac fide pluris facere, quam hanc diſputatiunculam, præſertim cum nihil dolo fecerim. Expecto igitur tuas literas, téque rogo, ut hac me ſolicitudine quàm primùm liberes, quo mihi gratius facere nihil potes. Bene vale. III. Id. Martii. M. D. XXXII.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 131. HAnc epiſtolam dedi *Vlrico Sellingo*, qui hoc ſemeſtri geſſit Dictaturam Academiæ noſtræ. Vir optimus ac modeſtiſſimus eſt, & in Philoſophia bene eruditus, nec rudis eſt *Græcarum* literarum. Olim in *Italia Lazarum* audivit, hìc vero noſtros profeſſores literarum & Philoſophiæ ſtudioſiſſ. audivit. Commendo igitur tibi hominem, ut eum ſalutes atque excipias. Verti quintum *Ethicorum* magno cum labore, & addidi commentariolum. Hunc libellum ipſi dedicavi, ac de verſione omninò à te peto, ut tuum mihi judicium perſcribas, poſtquam legeris. Nondum enim erant abſoluti libelli, cum *Sellingus* abituriret, etſi Chalcographus nunc properat, ut unum atque alterum exemplum ſecum auferat *Sellingus*. Ego cum habebo exempla, tibi mittam. Dedi literas ad te & *Gaurico* Aſtronomo, quem velim te honorificè excipere & commendare Principibus civibus, ut homo *Italus* videat, eſſe in *Germania* ſuorum ſtudiorum admiratores. De Rep. nihil habeo. Nam *Francicæ* tranſactiones quomodo procedant meliùs tenes quàm nos. Bene ac feliciter vale. Poſtridie Cal. Maii, Anno M. D. XXXII.

Ioachimo Camerario S.D.

Ep. 132. EGo verò non eo ſcripſi verecundiùs, quòd vel de humanitate, vel de conſtantia tua dubitarem: ſed quia amicis verecundè uti ſoleo, quippe quos ſtatuam mihi virtutis causâ colendos eſſe.

A Quare quicquid illud eſt, non enim omnia memini, quod in illis literis te offendit, boni conſulas velim, judicéſque, profectum eſſe ab animo non ſolùm amico, ſed etiam honorificè de te ſentiente. Neque ego poſſum amicus eſſe ulli, de quo non ſentio honorificè, ſed hac commemoratione inter nos nihil admodum opus eſt. Nihil eſt quod libello tuo ſuccenſeas, nam mihi ad exemplum pertinere videtur edi hoc genus ſcriptorum, ut hæc ætas ad Philoſophiæ ſtudia B invitetur, atque hanc ipſam ob cauſam libenter edidi, téque adhortor, ut ſtudium Philoſophiæ, in quod auſpicatò ingreſſus videris, ingenti animo urgeas, nec abſterreri te ſinas vel ineptorum quorundam judiciis, qui nihil mirantur, niſi ſuas ineruditas literas, vel quòd ipſa Philoſophia ita diſſipata jacet, & indoctorum diſputationibus corrupta, ut vix quid ſequamur, & quà curſum teneamus, invenire poſſimus. Invenies autem aliquid, cum & ad veteres reſpexeris, & ad illas C tuas humaniores literas contuleris ea, quæ de Philoſophia veteres ſcripſerunt. Etenim ſi qua eſt Reſp. futura bonis omnibus enitendum eſt, ut adoleſcentia ad hoc ſtudiorum genus attrahatur, quâ in re ego quoque, quantum potero, niſi me ſtatim hi civiles tumultus oppriment, elaborabo, déque his rebus, quoties animum ab aliis curis Eccleſiaſticarum rerum abduco, cogito plurimum, quâ ratione mederi huic parti τῶν πολιτικῶν, quam ego non duco infimam eſſe, poſ- D ſimus. Ad quæſtiones tuas reſpondeo, non quod arbitrer ignota eſſe tibi, quæ collegimus *Milichius* & ego, ſed ut intelligas ſtudium noſtrum. De pacificatione *Sueinfortenſi* nihil habeo quod ſcribam, & tu haud dubiè, priuſquam hæ literæ ad te pervenient, certiora ſcies. Principia adhuc exiguam ſpem pacis oſtendunt. Quidam nondum adſunt, ut ego quidem interpretor, quo abſentes faciliùs cavillari atque evertere acta poſſint; ſed tota res eſt ut vides ἐν γούνασι θεοῦ, quem ſpero exi- E tum gubernaturum eſſe. Et ſi volet nos perire, meminerimus nos oportere victimas fieri. Et literis quibuſdam *Elveticis* intelligo, magnam deſperationem omnium rerum in ea natione eſſe. Hanc epiſtolam dedi *Gaurico* Mathematico, viro docto & humaniſſimo, quem velim te excipere ac ſalutare familiariter. Solet & verſiculos facere, quare *Eobani* nomen valde amat, habet ſecum duos juvenes, alterum *Italum*, alterum *Germanum*, doctiſſimos in Aſtronomia, fuit hic F nobiſcum toto quatriduo. Bene vale. M. D. XXXII.

Ioachimo Camerario S. D.

VEnerunt huc quidam adoleſcentes, qui prædicant ſe literas a te ſibi datas amiſiſſe in itinere, quæ res mihi accidit permoleſta. Nunquam enim avidiùs expectavi tuas literas, præſertim cum diu nihil acceperim, & ego non ſolùm de *Gaurico* & noſtris Philoſophicis ſermonibus, ſed G etiam de Conventibus multa ex te ſcire cupiam. Quare te oro, ſi quid fuit in illis literis, quod me arbitraris ſcire voluiſſe, fuerunt autem haud dubiè multa, nè graveris eadem rurſus ſcribere, & addere, ſi quid interim occurrit. Ego novi nihil habeo, niſi quòd hic mihi homo peritus narravit de *Turcis*, in *Pannonia* exiguas copias eſſe, nec de irruptione in *Germaniam* quidquam agi, Ep. 133.

agi, tantum muniri quaſdam arces *Pannoniæ* adverſus utrumq; Regem. De pacificatione bona ſpes eſſet, ſi poſſemus ἀντὶ γέροντος ἄλλον γέροντα. Sed res non eſt noſtris in manu, qui quidem pacis valde cupidi ſunt. Sed fata urgent *Germaniam*; ſi motus fuerit excitatus, ut ſcis me vereri, etſi ſpero in præſentia mollem fore καταστροφήν, tamen quantum mali in longinquum allaturus ſit *Germaniæ* atq; Eccleſiæ, utinam hi proſpicerent, qui nunc ferociſſimè omnem pacis mentionem repudiant. De quinto *Ethicorum* amabò te, ſcribas mihi tuam cenſuram. In commentario ipſe quædam, cum erit plus ocii, conabor reddere clariora. Mihi crede, non ſolùm in Philoſophia, ſed etiam in aliis ſuperioribus diſputationibus multa quotidie dediſcere cogor, nec ſine negotio me à prioribus opinionibus abduco. Tuas literas expecto, nihil enim habebam, quod ſcriberem. Doct. *Auguſtinum* ac cæteros per occaſionem ſalutabis. Bene vale. IV. Non. Junii, Anno M. D. XXXII.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 134. EXiſtimo tibi nota eſſe omnia *Francici* Conventûs acta, quorum exitus cum ſit incertiſſimus, nihil erat quod de eis ſcriberem. Non enim dubito, quin Pontificius ille ſummo ſtudio hanc pacificationem impediturus ſit. Idem fecit *Auguſtæ*, cum intelligeret in eam ſententiam propendere animum Cæſaris & certorum Principum, nequid pronunciaretur, ſed rejiceretur res ad Concilium, ſicut antea ſæpe decretum erat, publicæ tranquillitatis causâ, hic aliquoties *Campegius* adiit Cæſarem, faces ei ſubditurus, & his verbis ſcio uſum fuiſſe, non ſe agere Pontificis, ſed *Chriſti* cauſam. Et nunc literis ſuâ manu ſcriptis evocavit ad hanc rem τὸν ἀκόλουθον *Vicinum*, quem tum quoq; adminiſtrum iſtarum rerum habuit. Et habet quendam alterum γεωργὸν hujus fundi, qui ſi gubernabunt hoc conſilium, quid ſperandum eſt, niſi ut ὕστερον accidat talis, qualis eſt in *Smalcaldenſi* ſomnio picta? Et non admodum diſſimile ſomnium nuper meum fuit, de quo tamen nihil affirmo. Mitto tibi quintum librum *Ethicorum*, quem ut perlegas valde te oro, & obſerves, ſi quid aliter fuiſſe reddendum exiſtimabis, ſcis enim quàm parum habeam ocii, & profectò ſæpe divinandum eſt in *Ariſtotele* propter brevitatem. Novi autem tuam & diligentiam in hoc genere, καὶ δεινότητα. gratiſſimum mihi feceris, ſi quid emendaveris. Ego in ambiguis locis verti id, quod ſimpliciſſimum & molliſſimum videbatur, ſed expecto cenſuram tuam, non encomium. Bene vale, feriis Pentecoſtes, Anno M. D. XXXII.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 135. TUas literas accepi hodie, in quibus Geneſin Regiam petis. Quod autem de *Gaurico* ſignificas, quale ſit, non planè potui intelligere. Aberat enim epiſtola illa, neſcio cujus amici tui, quam te mittere ais de illius ſermonibus. Ideo ſcribo, ut ſciàs eam periiſſe, niſi conſultò retinuiſti. Quicquid autem eſt, non valde moror, novimus enim totius illius gentis ingenia & voluntates erga nos. Ego quicquid ei tribui officii, propterea

A feci, nè prorſus feri & contemptores earum artium videremur, in quibus ille quadam cum laude verſatur. Jure autem in eo humanitas deſiderari poteſt, ſi omnia noſtrorum hominum vel ſtudia vel officia contemnit. Sequitur quædam diſputatio de periculis illorum, qui noſtra pacificatione videntur excludi. Legiſti, quantum intelligo, noſtras rationes, quæ à nobis ita perſcriptæ ſunt, nè per nos ſtare videretur, quo minùs pax coiret, non ſolùm nobis, ſed hoc quidem tem-
B pore univerſæ *Germaniæ* valdè neceſſaria, etſi vix ullam ſpem pacis habuimus unquam. Scripſi enim tibi de quodam, quare putem eum impedire iſtam pacificationem, qui etſi audax non eſt, id quod & Geneſis illius videtur oſtendere, tamen publico quodam fato videtur trahi ad efficiendam converſionem Reip. maximam. Et non ſolùm *Romani*, ſed etiam vicini noſtri malunt omnia deflagrare, quam nos incolumes eſſe. Sed quicquid erit, Eccleſiæ video plurimum impendere mali.
C Res ſic agitur, quaſi ſtudio quidam veritatem obruere velint. Quàm ſceleſtè etiam ſinant diſciplinam omnem univerſam Eccleſiæ interire, vides. Cur hoc non agitur, ut cum dubitationes de maximis rebus hæreant tacitè in animis omnium ubique, de dogmatibus explicandis ratio ineatur? O mi *Joachime*, quàm velim hoc fieri & ritè fieri? Et mea conſilia ſemper eò tantum ſpectârunt, donec ſpem aliquam habui, hæc fore meliora: ſed omitto has querelas, nam meus ani-
D mus eſt tibi ſatis cognitus, & non ignorat hæc mala diu jam ἀνίατα eſſe. Mitto tibi geneſes eorum, quorum petiiſti, ac alterius quidem & altera circumfertur, ſed *Gauricus* affirmabat hanc veram eſſe, ſi rectè memini. *Mars* erat in fovea, in eo catalogo, quem *Cornelius Scepperus* habebat. Neque hìc multò aliter ſe habet. *Carion* habet τοῦ κεραυνοῦ, quæ paululum ab hac differt, in qua *Saturnus* & *Mars* ſunt in Quinta, ſed exemplum non habeo, miſiſſem enim alioqui. Poſtremò, ut
E etiam læti aliquid ſcribam, vidi carmen cujuſdam *Itali*, quem *Gauricus* dicebat fuiſſe *Pontani* præceptorem, in quo Planetarum motus mirificè deſcribuntur. In fine addit vaticinium de conjunctione quadam magna, in qua de his Eccleſiaſticis diſcordiis ſatis clementer vaticinatur, cætera quò pertineant, μαντικῆς ἔργον. In V. *Ethicorum* deprehendi quædam errata, quæ tamen valde difficile erit ἐπανορθοῦν. Si adhuc *Noribergæ* ſunt noſtri, dices ſalutem Doct. *Joanni*, *Pontano*
F & aliis, & dices eorum familias ſalvas eſſe. Bene vale. III. Cal. Julii, Anno M. D. XXXII.

PONTANI PRÆCEPTOR LAURENTIUS MINSATENSIS.

At quoque quæ noſtris jamjam ventura ſub annis
Eſt melior, noſtra legis vix pauca refringet.
Aſpera quæ nimiùm ſacris & dura ferendis,
Et genus omne mali tollet, pompáſq; ſacrorum,
G *Ac Regem dabit innocuum, qui terminet orbem.*
Hic reget Imperio populos, gentémq; rebellem
Imperio ſubdet, toti & dominabitur orbi.

Ioachimo Camerario S. D.

HAs literas dedi *Sebaldo* affini meo, ſodali tuo veteri, qui certi negotii causâ Ep. 136.

ad conventum *Ratiſbonenſem* proficiſcitur, etſi quid ſcriberem, planè non habebam, præter hoc unum, me mirum in modum anxiè tuas literas expectare, quod facilè potes ſuſpicari, diu enim nullas accepi, & pleraq; geruntur apud vos & in vicinia veſtra, quæ plurimum refert nos ſcire. De conventu *Noribergenſi* nihil huc perlatum eſt, niſi πρῶτον δέγμα, de exitu ſuſpicari aliquid poſſumus, ex his edictis, quæ apud nos & apud vicinos proponuntur de comparandis exercitibus, quâ in re etſi bellum *Turcicum* prætexitur, tamen multi ſuſpicantur longè aliud agi in utraq; parte. Nec ego leviter angor ſolicitudine & curâ harum rerum, etſi ſpero κατὰ σχολὴν tolerabilem. De rebus, quæ apud vos actæ ſunt, etſi ex noſtris prius ſcire pleraque potero, quàm tu poſſis reſcribere, tamen ſi quid habes, gratum mihi feceris, ſi nobis perſcripſeris. Eaſdem enim res ex tuis narrationibus & opinionibus meliùs intelligam. Non dubium eſt quaſdam ſummo ſtudio pacificationem impedire. Id ſciebam priuſquam in *Francis* conveniretur. Motus impendet, *Joachime*, magnus, autores qui futuri ſint, etſi prævideo, non audeo tamen perſcribere. Etiam aliquid agi occultè intelligo, de quibus utinam poſſem omnes cogitationes extinguere. Multa autem vulnera *Germaniæ* ſunt, quibus medicinâ opus eſt, ſed tu ſcis curationes ſæpe peccare. Me ſi hi tumultus oppreſſerint, commendo tibi memoriam noſtræ amicitiæ. Non valde angor metu privatorum periculorum, ſed Reipub. miſeret me, maximéq; Eccleſiæ, quam etſi Pontifices jam olim tyrannide oppreſſerunt, tamen hic motus etiam graviter affliget. Nullam habeo ſpem, quoquò res inclinabit, fore ut unquam ſententiam liberam dicere poſſimus de dogmatibus. Et profectò ea res neceſſaria eſt, ſi quam concordiam firmam & piam conſtitui volumus; ſi quis fortè, bello moto, propoſuerit adhortationem, nè quis impediat ſuum conſilium, ſe publicâ cauſâ moveri, & omnes vires atque conſilia ad id unum collaturum eſſe, ut dogmata ritè judicari & conſtitui, ut ſanari ambiguæ mentes poſſint, quid putas effecturus eſt? Quis hic, inquis, erit? Neſcio, neque exiſtere quenquam velim. Sed ita res ſe habent, nihil ut non metuendum eſſe videatur. Itaque mirabiliter & his cogitationibus exerceor, ſed non debeo ſcribere omnia quæ vellem. Bene ac feliciter vale. IX. Calend. Julii, Anno M. D. XXXII.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 137. VIdes, mi *Joachime*, in his pacificationibus non hoc agi, ut religioni conſulatur, ſed ſimulari neſcio qualia fœdera ad tempus per metum. Itaq; nihil mirum eſt, non procedere has tranſactiones. Quomodo enim putemus favere Deum talibus conſiliis? Epitaſis igitur alia reſtat. Et in hunc annum concurrunt omnia ſigna, Eclipſis, Cometes, & dirarum conjunctionum minæ. Poſt eam epitaſin exiſtimo fore, ut de ipſa doctrina & religione diſputetur. Interim oremus Deum, ut exitum gubernet. Conventum *Noribergenſem* puto dimiſſum jam eſſe, quo magis te iterum oro, ut mihi aliquando ſcribas, quicquid erit. Hic adoleſcens febri coactus eſt hinc diſcedere, rogavit me, ut ſe commendarem amicis, ut eorum o-

A perâ aliquod famulitium, aut in ſchola aliqua, aut apud aliquem civem conſequi poſſit: ſcis me in hoc genere, tibi non ſæpe moleſtum eſſe, tamen hujus hominis probitate & calamitate moveor, ſi qua erit occaſio, quod ſine tuo incommodo fieri velim, quæſo te, ut ejus rationem habeas. Bene vale. VIII. Cal. Julii, Anno M. D. XXXII.

Ioachimo Camerario S. D.

B APud alios libentiùs ſoleo prædicare tuam prudentiam, quam mihi non uno tempore, neq; in una re videor perſpexiſſe. Neq; tamen minoris facio ſingularem fidem in conſiliis dandis tuam. Voluntatem verò eximiam etiam exoſculor. De quibus intelligo natam eſſe epiſtolam, quam proximè ad me miſiſti plenam gravitatis, conſtantiæ & benevolentiæ, in qua ſapienter colligis multa, diſputas disertè, mones amanter. Sed ſcito ſperare me in iis, de quibus ſcri- Ep. 138.
C bis, ita cautum fuiſſe, ut nihil periculi eſſe exiſtimem. Tibi quidem & ſcripſi & ſcripturus ſum poſthac, quicquid in mentem venerit, παῤῥησιαζόμενος, ſine omni metu. Quòd ſi erga alios quoque libertate fortè noſtrâ uſi fuerimus, quis me tandem poterit reprehendere? Nam ſi ſcribimus ita ferè ad amicos, quemadmodum cum illis colloqui conſuevimus, fieri nequit, ut quaſi à juratis teſtimonium diceretur, ita omnia exquiſitè & circumſpectè proferantur. Quis autem erit jam
D inhumanus, qui illa evulgare, aut ſi quid evulgatum fortè ſit, eo in meam perniciem abuti velit? Nam exemplum illud furti quod adducis, me non admodum movet. Quid enim ſimile? Ego neminem lædendi animo, nemini obtrectandi voluntate, non odio incitatus, non commotus irâ, nullâ impulſus malevolentiâ, aut narro in literis quæ audivi αὐτοῖς τοῖς ῥήμασι plerumque, aut refero comperta, aut addo interdum quid ego judicem, quid ſperem, metuam, ſuſpicer, optem.
E Hæc fraudi mihi non eſſe debebunt, atque adeo nè poſſunt quidem prætermitti. Sed tu δυσφημίαν etiam commemoras. Ego verò ut amans bonarum artium & ſtudiorum humanitatis illius ἀκε-[illegible] quaſi forum exceptione quâdam tum declinabo, & ſequar τὸ τῶν [illegible]. Vel appellabo etiam omnium bonorum fidem & æquitatem. Sed nihil ut ſpero opus erit diſceptatione. Tibi quidem gratias habeo, & utar conſilio tuo, & iis, quæ amantiſſimè ſubjicis, parebo. Vale. V. Id. Auguſti.
F M. D. XXXIII.

Ioachimo Camerario S. D.

OPto ut hic annus fauſtus felixq; ſit tibi, nobis, & univerſæ Reipub. Hinc enim ordiri libuit, cum hæc ſcriberem calendis Januariis. Quòd ad te diu jam nihil dedi literarum, in cauſa non ſolùm occupationes meæ ſunt, ſed etiam alia quædam, quæ hic recenſere non poſſum. Mitto tibi etiam Xenium, quo nullum reperire aptius Ep. 139.
G potui, ἐξήγησιν *Pſalmorū*, ſpero tibi gratum munus fore. Addidi & vetus νόμισμα, eo quod nihil viderim ejus generis ſculptum elegantius. Et ſcio te mirari artificia, & habere iſtic artifices, qui hæc judicare poſſint. De Cometa addidi *Sarmaticum* ſcriptum, ut videas vanitatem iſtorum ſcriptorū. Valde autem te oro, mihi ut ſignifices, quid judicent alii. Nam mihi pertinàx & ſævum malum

lum minari videtur id ſidus, quia fuit in ortu, & motum habuit tardiſſimum, & ſerò deflagravit. Illud obſervavi. Cum *Ptolemæi* ſententia, de ſignis XI. rectè viſum eſt convenire. Et herclè conveniebat ſuperioris anni Cometa. Verùm iſti artifices noſtri non adhibent in judicando prudentiam. Ita ἀδιορίστως loquuntur, quaſi de his pronunciarent, quæ apparent in ipſa Solis regione ac Zodiaco. ἐν πλάτει judicandum eſt, ſed hanc diſputationem in præſentia omittam, ſcribam enim alias plura; περὶ πολιτικῶν nihil habeo niſi quod omnino ita ſtatuo, ſi *Elvetii*, ut audio, bellum inſtaurabunt, *Macedonem* excitabunt, & accidens illa quæ ſemper timui. *Eobanus*, quod fauſtum felixque ſit, migrabit *Erfurdiam*. Hic ego diſputo, quid de reliquis vobis futurum ſit. Noſtro *Hieronymo* diu jam nihil negocii *Erfurdiæ* eſt. Itaque non habeo, per quem aliquid agam. Et ſcio voluntates potentum abhorrere vel maximè à tota ſchola. *Eobanus* privatorum diligentiâ atque conſilio revocatus eſt. Exiſtimo veſtram ſcholam dimiſſuros eſſe tuos cives. Nunc igitur valde te velim mihi ſignificare εἰ ἐβούλεσθε παρ' ἡμῖν ἐγχωρεῖν, ἄλλως γὰρ οὐ πάνυ χαίρω μετὰ τῶν ἡμεδαπῶν τινα ὁμιλίᾳ, ὅμως τάχα σὺ πείθεσθαι αὐτὰ δυνήσεται ἀνὴρ φιλόπονος καὶ μέτριος. Omninò velim te mihi hac de re mox reſpondere. Vix à me ipſo impetrare potui, ut hoc ſcriberem ad te, ſcripſi tamen tandem fretus noſtrâ amicitiâ. Quòd ſi mecum ea diſputare poſſum, cur non & tecum communicem? qui cum profectò omnia, non ſecus ac mecum loqui & ſoleo, & opto, ſed rarò datur ejus rei facultas. Scripſiſſem plura, niſi interpellarent me negotia noſtra, quibus minimè delector. *Apologiam Germanicam*, & locum περὶ δικαιοσύνης, tractavi ὀρθοδόξως, quem velim te inſpicere. Si meos *Romanos* vidiſti, animadvertere potuiſti, quàm accuratè & μεθόδως eam rem explicare voluerim. Et ſpero prudentes probaturos eſſe. Illud enim egi, ut neceſſaria illuſtrarem, & quæſtiones pleraſque partim falſas partim inutiles præciderem. Vale optimè ac feliciſſimè mi *Joachime*. Et reſcribe. Calend. Januarii. Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo tertio.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 140. HEri tuas literas accepi plenas rerum plurimarum. Sed illud vellem clariùs eſſe ſcriptum, an omninò putes poſt diſceſſum *Eobani* reliquam tuos ſcholam conſervaturos eſſe. Nam neque ego iſtinc te velim avellere, ſi qua mediocris fuerit manendi ratio. Etſi enim iſta veſtra ſchola parum frequens viſa eſt, tamen animadverti plurimos optimè inſtitutos à vobis huc veniſſe; quod eo dico, quo minus te navatæ hujus operæ pœniteat. Sin autem dimiſſuri vos quoque viderentur, nec tu à noſtris abhorreres, putavi me jure noſtræ amicitiæ de ea re aliquam cogitationem ſuſcipere debere. Quod enim jubes me hanc curam deponere, non profectò, ſi velim, queam. κοινὰ γὰρ ἔχω τὰ φίλων. Velim igitur te rurſus & de illorum conſilio, ſi quid habes, & de tua voluntate ſcribere, quam ſi ſciam, faciliùs explicare ea poſſim, quæ in u-

A tramque partem mihi veniunt in mentem. Non parum etiam hujus anni aut certè proximi impendentes motus timeo. Vides enim quantum ubique prodigiorum, quæ concurſationes? κομήτην mihi miſſum eſt, quod conſpectum eſt ad *Oenipontem*. Camelus circundatus flamma & quidem reſpectans, Lupus reſpectans, ac vomens flammam. Leo prodiens extra montium fauces, quem in ipſo aditu faucium ſtans cataphractus quaſi blandiens excipit. Alterâ enim manu ju-
B bam contrectat, alterâ tenet pedem, quem ei Leo porrigit velut ſalutans. Hæc monſtra petunt Aquilam, quæ uno pede inſiſtit collem, altero petit vicinum collem, nec attingit. Neque poteſt eſſe dubium, quin Camelus reſpectans fugam *Turcicam* ſignificet. Lupus *Hungarum*, Leo, ὡς δεξιῶς σημαίνει τὴν τυραννίδα, καὶ ὁ καλόγερος ἢ ἰκέτας ὁ Colus. De *Serveto* rogas quid ſentiam. Ego verò video ſatis acutum ac vafrum eſſe in diſputando, ſed planè gravitatem ei non tribuo.
C Et habet, ut mihi videtur, confuſas imaginationes, nec ſatis explicatas earum rerum, quas agitat, cogitationes. De Juſtificatione manifeſtè delirat. περὶ δὲ τριάδος, ſcis me ſemper veritum eſſe, fore ut hæc aliquando erumperent. Bone Deus, quales tragœdias excitabit hæc quæſtio ad poſteros, εἰ ἔστιν ὑπόστασις ὁ λόγος, εἰ ἔστιν ὑπόστασις τὸ πνεῦμα? Ego me refero ad illas ſcripturæ voces, quæ jubent invocare *Chriſtum*, quod eſt, ei honorem divinitatis tribuere, &
D plenum conſolationis eſt. τὰς δὲ ἰδέας τῶν ὑποστάσεων, καὶ διαφορὰς ἀκριβῶς ζητεῖν, οὐ πάνυ συμφέρει. Illud me peſſimè habet, cum eædem res agitatæ ſint à *Paulo Samoſateno*, nihil extare, præter levia quædam apud *Epiphanium*, unde intelligi poſſit, quid judicarint, quidve ſecuti ſint hi, qui eum damnârunt. Mirum in modum crucior, cum illam & veterum, & noſtræ ætatis ἱεραρχῶν negligentiam atque incuriam conſidero. Quid cenſes Concilium fore, ſi tamen conveniet, ni-
E ſi τυραννίδα, aut Pontificum aut aliorum, ἢ μάχας τῶν θεολόγων κατασκευάς; Quis enim hoc agit, ut dubitantes conſcientiæ ſanentur, ut veritas eruatur è tenebris, ut gloria Dei illuſtretur? ſed ſpero nos de his rebus brevi coram collocuturos eſſe. Decrevi enim hoc vere ad te expatiari, ſi ullo modo licebit. *Micyllum Francofordiæ* adhuc eſſe arbitror. Volui eum *Edelbergæ* collocare, & principiò amanter à meis civibus exceptus eſt, & bene ſperare juſſus. Sed ipſe
F dum mox flagitat ſtipendii acceſſionem, nonnihil impedivit eam actionem. Nunc rurſus venit in ſpem conſequendæ conditionis *Edelbergenſis*, ſed ſi poterit apud vos eſſe, haud dubiè præferet urbem & ſodalitium hoc omnibus ſcholis. Invitatus eſt enim & à *Marpurgenſibus*. *Polybium* tibi dono, miſſum mihi ab *Anſpachenſi* quodam. Ibi ſunt illa αἰθιοπικά, de quibus memini te ad me ſcribere. Sed *Polybius* valde mihi placuit, eóque putavi dignum eſſe codi-
G cem tuâ bibliothecâ. Nam ego contentus ſum eo, quem excudit *Secerius*. Meo judicio ſapienter & perſpicuè narrat eas res, quarum memoriam voluit ad poſteros extendere: ſed tuum judicium de eo audire valde cupio. Gaudeo te *Euripidis* & *Sophoclis Thebanas* fabulas enarrare, nam, quantum ego quidem judicare poſſum,

nullæ

nullæ ſunt meliores in utriuſque Poëmatis omnibus: ſcis mihi ſemper mirum in modum *Phaniſſas* placuiſſe. De *Franciſco* quod ſcire cupis, ita ſe res habet: docet adhuc *Græcè*, ac nunc *Heſiodum* luculenter enarrat: hac proxima æſtate enarravit *Aratum*. Gratum mihi eſt, quòd meos familiares complecteris, atque ornas, amántque hi te viciſſim, & reverenter colunt. Hunc adoleſcentem *Albertum* auditorem veſtrum tibi commendo. Eſt enim perſtudioſus tui, & cupidiſſimus bonarum literarum. Me rogavit, ut à te peterem, ut ſibi poteſtatem faceres interdum te adeundi, & conſulendi de ſuis ſtudiis. Nam valetudinis causâ domum remittitur, ubi commorabitur aliquandiu, idque tempus decrevit in ſtudiis etiam ponere, cum erit poteſtas audiendi te ac cæteros profeſſores. Juſſi ut *Schonerum* diligenter audiat, hic enim & *Milichium* audivit. *Doris* res minores ſunt, ut ego quidem ſuſpicor, illis triumphis, qui paſſim editi leguntur. Vidi enim literas *Patris* ſcriptas, in quibus erat, tantum teneri *Patras*, & alia quædam in littore *Caſtella* oppugnari. *Methonem* non teneri, ac duces ſpeculatos etiam diſſuaſiſſe oppugnationem. De Corona ſpem aliquam habebant. Rectè ſtomacharis, quod quidam bene promittunt *Turcis*, ego enim omnino ſpero ruituros eſſe. Gratulor tibi natam filiolam, & *Chriſtum* precor, ut te ac matrem & totam familiam tuam ſervet. Optimè ac feliciſſimè vale. Die quinto Id. Februarii, Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo tertio.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 141. HEri primùm accepi tuas literas & alteras amici noſtri *Georgii* ſcriptas ante menſem. Nam ſacerdos, cui tradidiſtis, duxit ſecum uxorem ac liberos, turbam minimè expeditam, quæ iter ejus multis modis remorata eſt. Narravit enim mihi longam fabulam, ſed ea mora, ut ſpero, non oberit nobis. Erit enim mihi res curæ, ut primo quoque tempore perficiatur. Utinam in tempore literas accepiſſem, nam menſe Februario fuit hic ὁ ἰσμών, & ſatis hilariter. Aderant & hi, qui tibi volunt optimè, ſcio enim te his, qui judicio valent in aula, propter virtutem chariſſimum eſſe. Nunc incidit etiam alia quædam noſtrorum profectio, quanquam nihil adhuc habeo certi: ſed ita ſperant nonnulli, *Francofordiæ* conventuros eſſe Principes, περὶ τ̃ ἀποχειροτονίας. Ego tamen ſuſcipiam hanc noſtram actionem, quam χριςὸς fortunet, κατὰ γὰρ εἰκὸς ἔργα, ut nuper tibi ſcripſi. De *Stromeri* filio reſpondebo, ut petis, ἰςτέον. Dimiſi ante annos aliquot ſcholam domeſticam propter hæc negotia publica, quæ me ſæpe domo evocabant, nec nunc mihi multum concedunt ad ea ſtudia colenda ocii, quæ maximè amo. Ideo errat *Stromerus*, quod apud me filium optimè collocari poſſe putat. Hoc reſponderem etiam, ſi ille nobis eſſet etiam eſt, magis amicus, cum ſit amiciſſimus. Sed ſi volet huc mittere, idoneos præceptores inveniet, aut *Vitum Winſhemium*, aut *Amerbacchum*, quorum uterque docet optimè. Et *Amerbacchi* orationem ſanè probo. Et apud hos habebit συμφοιτητῶν frequen-

A tiam, quam ſcis etiam neceſſariam eſſe diſcentibus, ζηλοῖ γὰρ γείτονα γείτων. Quid mecum ſolus ageret? deinde quoties mihi non vacat inſpicere ſtudia eorum, qui mecum ſunt? Nihil puto te requirere amplius, ſi huc mittet, erit mihi curæ, ut optimè collocetur. Mitto tibi picturam prodigiorum, quæ nuper deſcripſi tibi cum ipſam χεῖρα non poſſem invenire, cum quidem mittere decreviſſem. Scire cupio an πολύβιον acceperis, de quo te oro, ut tuum etiam mihi ju-
B dicium perſcribas, nam mihi videtur graviſſimus & optimus autor eſſe. *Servetum* multum lego. *Tertulliano* prorſus facit injuriam, cum citat eum in hanc ſententiam, quaſi ſentiat τ̃ λόγον non eſſe ὑφεστῶτα. Ille verò clariſſimè ſcribit hoc, quod publicè ſentimus, τ̃ λόγον eſſe hypoſtaſin, non ut interpretatur *Servetus*, ſed ut nos loquimur. *Irenæus* ſubobſcurus eſt, ſed de his rebus tecum coram brevi, ut ſpero. De *Elvetiis* quicquid habebis, quæſo ut perſcribas nobis, nam
C apud nos variant rumores. Hæc ſcripſi, ut vides, properans, & profectò animo minimè ocioſo. Eram enim multis de cauſis ac magnis valde perturpatus. Tu vale feliciſſimè & fruere tuâ tranquillitate, & ſtudiis. *Dureri* paginam accepi, & reliquum expecto, habeo ipſius *Germanica* omnia, etſi mihi non ſunt uſui, tamen libenter aſſervo, propter memoriam ſummi atque optimi viri. Iterum vale feliciter cum univerſa familia. Pridie τ̃ κυριακῆς *Oculi*. Anno milleſimo
D quingenteſimo triceſimo tertio.

Ioachimo Camerario S.D.

HIc adoleſcens, cui has dedi literas, cum valetudinis causâ hinc expatiari cogeretur, Ep. 142.
decrevit paſſim ſalutare Mathematum profeſſores, cúmque eis colloqui de iſtis doctrinis, avidiſſimus eſt enim audiendi perfectos artifices, eámque ob cauſam literas ei dedi etiam ad *Apianum*,
E & ad *Tanſteterum*. Nomen huic *Joann. Manio*. Planè valet ingenio, ac divinitùs rapi ad has artes videtur, ὥσπερ οἱ τ̃ θεῶν ἐμμανεῖς. Sed noſtras literulas negligit. quibus quia non eſt inſtructus, quanto careat ornamento non animadvertit. Cæterùm ipſe ſine doctore, acie mentis plurimâ eruit ex obſcuriſſ. *Ptolemæi* tenebris, quæ facilè & demonſtrat, & ad uſum accommodat. Vixit hic partim ſuo ſumptu partim noſtræ Academiæ liberalitate. Duximus enim tale ingeni-
F um alendum eſſe ad uſum publ. Tu facies mihi gratum, ſi eum commendaveris cum *Schonero*, tum etiam pluribus aliis harum artium cultoribus. Opinor te ſolere ad *Apianum* ſcribere, aut ad alios nonnullos hujus generis artifices. Nihil enim petit hic adoleſcens, niſi hæc communia officia, quæ ſine tuo incommodo præſtare poteris. De negotio *Hopelii* ſcire cupio, an ipſe aliquid egerit, cum iſtic adeſſent Principes. Nam cum ego accepiſſem literas ipſius ad XVI. Ca-
G lend. April. Princeps noſter VIII. Calend iter ad vos ſuſcepit, cum ego audiſſem apud *Uſipetos* aliquanto poſt conventuros eſſe, ac memini me ſcribere ad te de ejus Conventûs fama. De *Norico* Conventu prorſus nihil audieram, & ſubitò incidiſſe ſuſpicor. Neque poſtea tabellarios habui ullos ad vos. Exiſtimo tamen *Hopelium*, ſi

qua

qua fuit occaſio, cum *Pontano* collocutum eſſe de iſto negotio; Et cum redierint audiam, nec deſinam urgere, ſi quid adhuc agendum reſtat. Novi nihil habemus, niſi vicinorum terrores, qui cogunt novis exemplis ſuos homines, ut veteri ritu in myſteriis utantur. Tu quam habes ſpem de his, quæ videntur impendere hoc anno, ſignificato, etſi adhuc parari nihil video. Scribe etiam aliquid de veſtro conventu, ὡς ἀεὶ τὸ σύνηθες, quam Cæſar promittit. Bene vale. Poſtridie τοῦ πάσχατος, Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo tertio.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 143. RECtè conjicis me fuiſſe ignarum hujus profectionis noſtri Ducis. Ego enim audieram antea, conventuros eſſe quoſdam ad *Uſipetes*. Nôſti hoc genus negotiorum, nullus *Euripus* tam eſt inſtabilis. Scripſi tibi his diebus per quendam adoleſcentem de hac re, ſed ad te is perveniet tardiùs, quam hæ literæ, agam ſummâ fide, ſi quid agendum reſtat. Et ſcio bonos viros apud nos tui eſſe ſtudioſiſſimos. Me velim expectes, poſſum enim minore incommodo meo expatiari, quàm tu tuo, & in his moleſtiis omnino mihi opus eſt illis remiſſionibus. Eſt hic quidam ſcholaſticus, *Paulus Eberus Kyzingenſis*, commendatus mihi à *Mica*, diſcipulus veſter bene literatus, & valde ſtudioſus, qui habuit hoc anno duodecim aureos beneficio veſtræ civitatis ex teſtamento cujuſdam *Herni*: res adminiſtratur per *Colerum*. Rogavit autem me adoleſcens, ut ad *Colerum* ſcriberem, quod ego non gravatim facturus eram, ſed video quandam tibi cum eo familiaritatem eſſe. Ideo duxi ad te ſcribendum eſſe, ut cauſam adoleſcentis apud eum agas. Petit ſibi prorogari illud ſtipendiolum, ſcio te libenter patrocinari ſtudioſis, quare hoc onus imponi tibi patiaris. Ipſe adoleſcens eſt moribus optimis, & dignus quem juvemus, ſi tamen erit opus me ſcribere ad *Colerum*, faciam. Nunc enim ſperavi me plus profuturum adoleſcenti tuâ commendatione, quàm meis literis. Bene vale. Tertiis feriis Paſchatos, Anno M. D.XXXIII. Scio *Colerum* τῷ φύσει φιλόσοφον εἶναι, ideo ſpero eum & nobis & noſtri ſtudioſis bene cupere.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 144. VTinam licuiſſet unà cum *Vito* proficiſci, ſed me remorantur adhuc non ſolum privata impedimenta, ſed etiam alia quædam. Et filius ſubitò ægrotare cœpit, & fic ſatis periculoſam febrim habet. De cauſa *Hopelii* quod tu putas magnum in illo itinere Principum occaſionem fuiſſe futuram, ſecus eſt. Nam in illis congreſſibus hujuſmodi negotia arte diſſimulant, præſertim quia τὰ τῶν φίλων ἄγει, non admodum ad ſe pertinere putant. *Pontanus* mihi dixit, contra quam tu putâſti, conveniſſe Principes, ſed hujus rei mentio conſultò dilata eſt. Nunc omninò pollicetur mihi ſummâ fide ſe rem curaturum eſſe. Et principem ait libenter ſuſcipere hanc cauſam. Nam is cujus res agitur, optimè audit apud noſtros, prædicatúrque ab omnibus vir eſſe optimus, quo teſtimonio certè lætari te ſcio. Bene vale. Non poſſum plura ſcribere de noſtris rebus, omnia ſcit *Vitus*. Me velim omninò expectes. Veniet iſtuc fortaſſe *Italus* quidam, qui olim Monachus fuit, cui cibum & victum amplius biennio dedi, nunc prætextu literarum mearum mendicat, ſi ad te venerit, nè recipias hominem in ædes, nec dederis multum. Eſt enim homo ingratus, moroſus, impoſtor, & improbus. Bene Vale. Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo tertio.

Ioachimo Camerario S. D.

VLricus *Pindarus* rogavit me, cum hinc jam abiiſſet, ut ſibi decem aureos *Noribergæ* curarem. Ea de re ſcribit *Eraſmus* patri. Id indices fratri *Ulrici*, ſi abeſt *Ulricus*, ut petat ab *Ebnero*. Nihil de hac re dixi meo miniſtro. Et tantum decem aureos volo meo nomine *Ulrico* dari. Vale. Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo tertio. Ep. 145.

Ioachimo Camerario S. D.

TUa aſſiduitas in ſcribendo, gratiſſima mihi eſt, cui ego quo minus aliquandiu reſponderim, non tam domeſticæ res, quam aliæ occupationes in cauſa fuerunt. De *Coleri* filio maximè velim gratum facere viro optimo & amanti noſtræ Philoſophiæ, ſed judico meliùs collocari adoleſcentem apud eos, qui habent domeſticas ſcholas. Scis enim opus eſſe diſcentibus literato ſodalitio, faciam tamen quicquid tu cenſueris. Novi nos nihil habemus. De fratre tantùm dixit mihi *Pontanus* nuncium miſſum eſſe. Poſtea abfuit *Pontanus*, ut quid actum ſit, nondum ſcirè poſſim: ſed dubitare non debes, quin, quantum nos quidem poſſumus, ſtudia noſtrorum non defutura ſint huic negotio, omnium enim bonorum ſumma eſt erga te voluntas. Quibus legibus & autoramentis Synodum promittat ἱεροχρησμούς, non dubito, quin ſcias. Pollicetur ſe habiturum Synodum veteri more hactenus ſervato: deinde poſtulat, ut promittant, ſe omnes Synodi ſententiis obtemperaturos eſſe, & armis ad officium coacturos, ſi qui diſſentient; nihil ſunt niſi minæ πάνυ τυραννικαί. Nos reſponſionem honeſtam ac moderatam ξυνεγράψαμεν, de qua non admodum pertimeſco ὀβελισμοὺς *Ariſtarchicos*, nam nobis conſilii factique ratio conſtat. In conventu *Smalcaldenſi*, quid actum ſit, meliùs te puto ſcire, quàm nos. Noſtri enim nondum huc redierunt. De *Ptolemæo* etſi mihi quædam venerunt in mentem, tamen quia non ſum artifex, rejeci rem ad μελλίχιον. Amabò te, maturato editionem *Ptolemæi*, nec deterreare unius atque alterius loci nondum explicati obſcuritate. Uſus enim poſtea καὶ δεύτεραι φροντίδες καὶ ξυνομιλίαι perpolient. Nôſti *Apellis* exemplum, qui proponebat picturas, ut admonitus meliores redderet, revocatas in officinam. De novo Cometa coram συμφιλοσοφήσομεν. Horribilis flamma eſt, & valde ſeptentrionalis, quod me vehementer terret. Cum *Sabino*, Deo volente, brevi veniam, qui parat iter in *Italiam* Bene vale. Die X. Calend. Auguſti, Anno M. D. XXXIII. Ep. 146.

Joachimo

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 147. QUod de negotiis Conventûs iſtius, tam diligenter, támque copioſè ad me ſcripſiſti his duobus menſibus totis, gratiam tibi & debeo & habeo maximam. Fuit enim mihi profectò officium tuum jucundiſſimum : ac facilè patior te in tabulis expenſi mihi non poſtremo loco ſcribere. Nunquam enim iiſdem de rebus certiora habebat aula, quàm nos. τὴν καταστροφὴν nondum planè ſciebam, cum hæc ſcriberem : tantùm ſignificant ex aula noſtros in itinere eſſe, & ſeu pacem ſeu inducias eſſe, de quibus tamen quidam adhuc deliberent, an ſint hoc beneficio Cæſaris uſuri. Nihil poſſum diſputare priuſquam audiero noſtros, aut certè tuas literas habuero. Interim & agam gratias Deo, qui hactenus nos mirâ bonitate texit, & precabor, ut mitia remedia ſanandis his Eccleſiarum diſſidiis adhibeat, ſi res ad Synodum deducitur : ſed nolo diſputare. Senatui urbis veſtræ reſpondimus de illa ſua politia Eccleſiaſtica, ſed pauca reſcripſimus. Nam & ille ipſe liber, quem miſerunt, perbrevis eſt, καὶ παιδαγωγικὸς μᾶλλον ἢ πολιτικός. Legiſſe te opinor, & mittere longiores diſputationes quid proderat ? Et ego νομοθεσίας, in quibus multa inſunt barbara & agreſtia, non amo, nec video, quid proſit ferre leges, quas nemo accipit, & ut accipiantur, brevi video fore, ut rurſus mutentur. Tuas literaa avidiſſimè expecto. Bene vale. Poſtrid. Calend. Auguſt. Anno M. D. XXXIII.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 148. HIc juvenis *Hamburgenſis*, verſatus in noſtra ſchola annis aliquot, officii causâ amicum quendam ſuum ad vos proficiſcentem ſecutus eſt, non tam videndæ urbis veſtræ cupiditate accenſus, quàm ſtudio tui atque *Eobani*. Hanc ob cauſam me rogavit, ut ſibi literas ad te darem. Etſi autem intelligo, quantum tibi negotii faciam hoc genere commendationum, tamen huic juveni non potui non dare literas, amo enim eum propter ingenii magnitudinem. Puto te vidiſſe Eclogam, quam nobis ſcripſit abeuntibus ad conventum *Auguſtanum* acutè & eleganter : in colloquio animadvertes eum abundare ingenio. Nihil autem peto, niſi ut aditus ei ad te pateat, quem nóſſe cupit, & cujus frui doctiſſimis ſermonibus optat. Conditiones pacis acceptæ ſunt : nunc igitur erunt aliquantiſper ἀλκυονίδες. Nam diuturna hæc pax ut ſit, optandum quidem, ſed quid eſt, quod fore ſpem faciat ? Propemodum ita ſuſpicor : *Turcas* etiam contari, poſtquam vident non exoriri in *Germania* ſeditionem, id quod ipſi ſperarunt. Audiſſe enim te puto, quàm miris technis, ut id fieret, multorum animos tentati fuerint. Quod *Eobanus* cogitat *Marpurgum*, ſi procedet res, novam deliberationem tibi quoque de univerſa ſchola afferet. *Erfordia* ſcio nuper etiam diſputatum eſſe de revocandis vobis, ſed nimis contantur. Verùm aliquid conſilii tempus afferet, ὁ βέλτιστος σύμβουλος. Plura non potui ſcribere. Bene vale. Id. Auguſti, Anno M. D. XXXIII. Saluta *Eobanum* & cæteros amicos.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 149. DIcam verè, toto hoc anno privata res nulla accidit mihi optatior tuis proximis literis, non ſolùm quòd eſſent plenæ tui amoris erga me ſummi, ſed multò magis, quòd ſignificabant te rectè valere, deinde etiam ingenti animo contra fortunam munitum ac paratum eſſe. *Sabinum* non arbitrabar ad te venturum eſſe. Has literas *Spenglero* miſi, ut tibi reddi curet, ubicunque eris. De mea valetudine intelligo ſparſos eſſe, ut fit, rumores atrociores. Diarrhœâ laboravi per triduum aut quatriduum, quam facilè depuli ſiti & inediâ : nôſti mea remedia. Cæterùm miſeriæ me curæque ac labores penè enecant, ſed animo me ſuſtento : pudet enim parum fortem videri apud te, cum tam excelſo animo te eſſe videam in rebus aſperrimis. Sed hic me annus inclementer exercuit, privata, quæ ſunt plurima, omitto. Quàm putas cruciavit me expectatio negotiorum, quæ noſtro ἀρχοντι fuere, primùm cum Duce *Georgio*, deinde cum *Erfordia* ? Verùm Dei beneficio læta utriuſque rei καταστροφὴ conſecuta eſt. Nam cum utriſque tranſacta ſunt omnia. Ab *Erfordia* magnum malum metuebam. *Brunſuicenſis*, ut ferebatur, promiſerat eis auxilia, narrabantur & alia multa, nec *Erfordienſes* adeo confidenter arbitrabamur auſuros laceſſere noſtrum, niſi aliquid magni & ſperarent & molirentur. Fuit enim, ut oſtendit exitus, recognitâ, manifeſta contumacia, incitabant & noſtrum multi perditi. Nôſti τὸ ἀφύλακτον. Quanquam autem noſtro dolebat injuria & contemptus, tamen ſe repreſſit, & moderatione egregiâ uſus eſt, quamvis optarim eum aliquanto minùs permiſiſſe præſidiariis in *Turingia* : nunc compoſita res eſt, noſtro reſtituta ſunt vetera Jura. ζημίαι etiam irrogatæ, ἀλλὰ τοῦτο μετριώτερόν ἐστι. Sanè gaudeo & ago Deo gratias non extitiſſe ex his principiis publicum incendium. Habes de noſtris regionibus omnia, περὶ ἐκκλησιαστικῶν coram colloquemur, nolo enim te ad me excurrere, ſed ego te quæram ubicunque eris. Me expectatio illorum negotiorum etiam aliqua ex parte remorata eſt. Eſt intervallum, ut vides, Eccleſiaſticarum turbarum, ſed ut in morbis oppreſſa natura. Verùm de his coram. Venio ad Philoſophiam noſtram. Phyſicen adornamus, quam edet *Milichius* : habet illas communes diſputationes, quæ in ſcholis tradi ſolebant, ſed elegimus elegantiores atque utiliores. Atque omnino do operam, ut plurimum habeat illecebrarum : cupio enim, ut ſcis, excutere veternum noſtris hominibus, quibus poſſum modis : inſerui ſuaviſſimas diſputationes & dignas homine Philoſopho. Cum autem in *Galeno* verſeris, quo nos quoque utimur, te rogo, ut nobis impertias, ſi quos locos invenies, quos arbitrabere nobis profuturos, de Temperamentis, déque aliis, quæ Phyſici magis quàm Medici quærunt. Cupimus inſerere partes humani corporis, quas ſi collegiſti, quæſo ut nobis communices. *Chriſtus* ſervet te & conjugem, & liberos tuos incolumes. Obſecro te diligenter, cura valetudinem tuam & tuorum.

tuorum. Gaudeo te ex urbe ſtatim diſceſſiſſe. *Michaelem* extra periculum eſſe gaudeo. De voluntatibus civium nihil eſt quòd ſitis ſoliciti. Deus oſtendet vobis aliquam ſedem. Ea de re etiam coram tecum diſputabo. Benè ac feliciter vale. Non. Decembris, Anno M. D. XXXIII.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 150. EGo verò, mi *Joachime*, in optimam partem accepi expoſtulatiunculam illam tuam, quæ fuit in breviore epiſtolio, ſed illud dolebam, ſentiebam animum tuum aliis de rebus vehementer angi; eámque ob cauſam de noſtro ſilentio, ut fit, queri aſperiùs. Nunc ex proximis tuis literis *Hapeli* mortem, & alia quædam tua vulnera cognovi, quæ mihi profectò magnum dolorem afferunt: non enim aliter tuis ſecundis & adverſis rebus quàm meis afficior. Sed in his malis hoc mihi ſolatio eſt, quòd video te non frangi animo, imò etiam tuas res adverſas extenuare collatas ad aliorum triſtes caſus. Hanc animi moderationem valde tibi, mi *Joachime*, gratulor: ſic eſt enim profectò, etiamſi te duriter exercet fortuna, tamen non poteſt plus in te juris habere, quàm in hominem privatum, & hoc nomine felicem, quòd nullis implicitus es ejuſmodi negotiis aut curis, quæ ullo modo τ̃ συνείδησιν μιαίνειν poſſunt. Hâc velim te conſolatione ſuſtentes, quam ſi conſiderabis, ut certè conſideras, ſpero te cætera æquiſſimo animo laturum eſſe. In hanc ſententiam cur ſcribam breviùs ϰ̀ ἀσαφέστερον, facilè potes exiſtimare. nè hæc quidem ſine ſummo dolore ſcripſi. Peſtilentiæ malum abiiſſe cognovimus, tu de reditu tuo in urbem quid ſtatueris, mihi velim ſignifices, ϰ̀ εἰ δοκεῖ παρ' ἡμῶν διελθεῖν βίον. Et ſi autem ut ſpero, brevi coram colloquemur, tu tamen interim aliquid ſcribito. Novi nihil habemus, niſi fabulas de congreſſu *Galli* & ἀρχιερέως, quæ tibi non poſſunt eſſe ignotæ. Maximè cupio ſcire exitum Conventus *Suevici*: de negotio *Alarici*, planè in eo ſum, ut arbitrer, eam rem, niſi Deus prohibeat, univerſæ *Germaniæ* allaturam mutationem maximam. Vidi nuper juvenis illius imaginem, & videtur eſſe honeſti ingenii, ac magnâ gravitate præditi. Utinam Geneſin habere poſſemus. *Hippodamus* hanc occaſionem elabi ſibi non facilè patietur, & incendent eum Pontificis conſpirationes, ſentio etiam aſperiorem fieri ἰδίως. ὁ προστάτης τοῦ δήμου. Omninò aliquid parari certum eſt. Bene, ac feliciter vale & fruere ſuavitate optimæ fœminæ conjugis tuæ ac ſuaviſſimorum liberum feliciter. *Bucolica* tua omninò videre cupimus. *Galeno* valde delector. Tu quoque velim cùm incides in locos venuſtos περὶ κρίσεων, aut de humoribus, mihi eos indices. Iterum vale. Die VI. Cal. Februarii, An. M. D. XXXIV.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 151. HEri accepi literas tuas ſcriptas XII. Calend. Febr. in quibus vehementer objurgas nos, propterea quòd videamur ſententiam mutaſſe περὶ δυναστείας ζητήσεως. Ego verò ſignificavi tibi ante menſem, quæ occaſiones moverint noſtrum, non ut ſententiam mutaret, idem enim nunc quoque ſentit quod olim. ſed ut interpretaretur. Ac poſſunt incidere occaſiones, quæ cogant illo jure publico uti, non contra Dominum, ſed contra hos, qui titulo Domini abutuntur, ut ſuum odium expleant. Non ſatis intelligere poſſum, utrum illas meas literas acceperis. Nec jam de hac re iterum moveas mihi litem, néve diſputes περὶ τῶν πραγμάτων, noſti enim illud *Xenophontis*: ὁ πάντων ῥᾷστον εἶναι νομίζω, ἐφ' ᾧ οὐκ ἄν τις αἰτίαν ἔχοι. χαλεπὸν γὰρ ἐστι τὸ παθεῖν, ὅτι μηδὲν ἁμαρτεῖν, χαλεπὸν δὲ καὶ ἁμαρτάνοντά τι ἀνεπιστάτως μὴ ἐντυχεῖν κριτῇ ἀγνώμονι. Et quantum ſit ἐν τῷ ἀγνοεῖν τὸ πραττόμενον poſitum, te non fugit, ſed fertur, ut metuo, res, κατὰ ῥοῦν ad Imperii diſſipationem. quod cum cogito, nunquam autem non cogito, incredibili dolore afficior, non tamen abjiciemus preces. Idem tu facito. In *Heſſis* in urbe *Caſſelia* φάσμα quoddam aiunt noctu obambulare viſum ſpecie terribili & cum ejulatu. Puto hoc confictum eſſe, ſed dabo operam, ut reſciſcam, téque reddam certiorem. Undique certè horribiles terrores nobis oſtenduntur. Tu bene vale. Si *Eraſmus Ebnerus* nondum iſtinc abiit, jube ut mihi mittat geneſin R. *Ferdinandi*. Non. Februarii, Anno M. D. XXXIV. *Petreius Erfordiæ* piè mortuus eſt, & fratrem admonui περὶ τῆς βιβλιοθήκης, ut corrigat eam.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 152. CUm ante biduum ad te literas dediſſem, miſi ſtatim nuncium, qui illas retraheret, ſed cum is nondum redierit, duxi poſtea meum miniſtrum *Lipſiam* mittendum eſſe, cum hac poſteriore epiſtola, cui & literas τ̃ ἀδελφοῦ addidimus, ut curaret has quàm primum inde ad vos mitti, téque magnopere oro, ut ſi alteræ priores ad te pervenerint, mihi ipſi quoque eas diſplicere atque improbari ſtatuas. Magna varietas in hac deliberatione fuit animi ac judicii mei. Sed quoniam tu nihil admodum requiris à nobis, niſi τὴν θέσιν explicationem de vocatione, reliquam diſputationem omittam. Planè ita ſentio, vocationem ſine imperio concedere nobis recuſationem. Nam cum vocatio ſit ſine imperio, prorſus ſimilis eſt petitioni, qualis ſolet eſſe Eleēmoſynæ, quam vocant, quæ ſæpe habet recuſationem, ut ſcis. Nec ſunt leves cauſæ, propter quas deſugere hoc negotium potes, quas ego eo non recenſeo, nè te deterream. Etſi enim & ipſe optarim, te cum dignitate in literis noſtris retineri poſſe, quæ & ipſæ ad Rempubl. pertinent, tamen me vehementer etiam in altera parte perturbat cogitatio τῆς πολιτείας. Puto eos qui rem ad te deferunt, in primis hoc ſpectare, ut virum bonum deligant, nec me illa ἀτυχία, quam allegas, valde movet. Sed delabor rurſus in eam diſputationem, quàm dixi me omiſſurum eſſe. Interdum hoc quoque cogito, φιλοσοφητέον καὶ πατρίδι καὶ τοῖς ἐγγόνοις. Horum causâ magis etiam ad Reſpublicas reſpiciendum eſt, in quibus etſi plurimum eſt vitiorum, tamen non omninò fugiendas eſſe colligo. *Chriſtum* precor, ut tuam mentem gubernet, & id quod optimum eſt & tibi & Reipubl. ſtatuas,

ſtatuas, & ut quicquid ſtatueris, fauſtum felixque ſit. Bene vale. Die III. Id. Februarii, Anno M.D.XXXIV.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 153. RESpondimus tibi de una quadam parte deliberationis tuæ, περὶ δύσεως βουλῆς, Nam de ſumma negotii, rectius fuit nos confiteri noſtram dubitationem. Non enim ſatis novimus Rempubl. veſtram, καὶ χωρίς. Itaque cum multum diſputavi in utranque partem mecum ipſe, oro *Chriſtum*, ut gubernet tuam mentem ad ſalutem tuam, tuam cum dico, complector etiam liberorum ac Reipubl. ſalutem: ſed deſino tibi odioſus eſſe, cum nihil afferam conſilii. De remedio petendo contra σύντηξιν, jam mihi *Pontanus* benignè pollicitus eſt ſuam operam, nec dubitat Principem etiam ſuum vobis χειρουργὸν miſſurum eſſe: affirmabat optimam eſſe Principis voluntatem erga te ac fratrem tuum, ſed age ſi non abjicis τὸν φιλοσοφικὸν βίον, reſponde mihi περὶ μετοικήσεως εἰς ἠπειρωτικὸν γυμνάσιον. Nam ego quò minus ea de re vehementiuſculè contendam, temporibus etiam ac noſtris periculis moveor. Tu quid tibi commodum ſit, σὺν ἀγαθῇ τύχῃ ſtatuito. Bene vale. Anno M.D.XXXIV.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 154 BOni conſules brevitatem literarum mearum, nam *Baſilius* citiùs opinione meâ abiit, ſpero te noſtras omnes accepiſſe, itaque reſponſum à te expecto. Remedium his diebus Princeps hic coram promiſit, curabo igitur rem, nam admonendus eſt Princeps cum in aulam redierit, περὶ τῆς κολάσεως τῆς ἀναβαπτιζομένων, etſi nos nondum de illo apparatu audimus, tamen intelligo rem agi à vicinis veſtris, &, ut quidam credi ſibi poſtulant, à *Gallis* magno ſtudio: ſi quid audies ſignificabis. Ego jam alteris literis in *Angliam* vocor, ſed de hoc tecum coram. Bene vale. Poſtrid. Non. Mart. Anno M. D. XXXIV.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 155. CUm hinc abiiſſet Princeps, triduo poſt ſtatim miſit mihi ungentum. Id tradidi *Georgio* Bibliopolæ, qui videbatur diligentiùs perlaturus, quàm οἱ περὶ τὰ χρήματα σοφισταί. Reddet autem tibi ungentum filius *Michaelis Cadenſis*, cui has literas dedi. De uſu ungenti ſcripſit mihi *Bonica* cubicularius Principis. Scribit & περὶ μέ τινός, id quoque mittam, cum primùm fuerit allatum. Nam Doctor *Caſpar* Medicus nondum rediit. περὶ τῆς συντήξεως amabò te ſcribe nobis copioſè, non enim dubito agi περὶ τῆς κολάσεως, de qua nuper ad te. *Anglus* edidit capita quædam certarum rerum, quæ apud *Spenglerum* invenies. Hæ duæ cauſæ, ut ego quidem ratiocinor, reducent nobis τὸν αὐτοκράτορα. & dicitur jam parare reditum. Itaque quidam exultant gaudio, qui ut optare & ſperare debemus, falſam ſpem concepere de Cæſare, facturum illum, ut veteres errores & vitia Eccleſiæ contra eos, qui oppugnant, defendere velit. Quòd ſi conetur, quis ſcit tamen, an etiam hac in parte victoriam illi fata decernant, de quo, ut meminiſſe potes, ſæpe diſputavimus. ὁ Βρεττανὸς magnificè promittit ut audio, αὐτὰρ ὅ γ' αἰεὶ ἐπαγγέλλεται ἄμυνειν δεινῶν τ' ἐπιτιμεῖν. Planè ἐπίτασιν τὰ δραματικά totius hujus Tragœdiæ. *Chriſtus* καταστροφὴν det mollem & utilem Eccleſiæ ſuæ. Noſter *Arceſilas* renovat certamen cum *Eraſmo*, quod mihi ſanè dolet, ὑπερήφανα τάδε in utroque me ſolicitant, ſed expecto à te literas & de tuo ſtatu & de Republ. Bene ac feliciter vale ὦ λῷστε ἀνδρῶν καὶ φίλτατε, Die V. Id. Martii, Anno M. D. XXXIV.

Ioachimo Camerario S. D.

POſteaquam ungentum ad te miſi, de quo literas dedi filio *Michaelis Cadenſis*, attulit nobis etiam τὸ μεῖζον Doctor *Caſpar* Medicus. Id dedi bibliopolæ perferendum ad te. Pollicitus eſt enim mihi ſuam & fidem & operam ea in re. Nomen eſt *Petro*, habitátque, ut intelligo, in ſuburbano quodam urbis veſtræ. Eram miſſurus per peculiarem nuncium, niſi hic mihi tam ſanctè promiſiſſet. Medicus de uſu mihi dixit, mane, item ante cœnam, videlicet poſt concoctionem, ungendum eſſe laborans membrum hoc remedio, ſed ita, ut quædam mollis frictio præcedat, ait, rem admodum calidam eſſe, & cum aperiendi tum attrahendi cauſa tam calidis utendum eſſe: hæc ſunt meo judicio ἄλογα. Ait mitius eſſe ungentum antea miſſum. *Chriſtus* faciat, ut ſint felicia remedia, & ut feliciter revaleſcat puer. De Cygnea fabuloſum eſt, quod de adultero ferebatur. Pugna inter cognatos *Romanos* etiam non uſque adeo atrox fuit, ut ferebatur. De Publ. rebus apud nos nunc mirum ſilentium eſt. Etſi enim ſciebam τὸ μανιῶδες aliquid moliri, tamen obſidio Monaſterii in *Weſtivalis* moratur eum. Fabuloſum & illud puto, quod quidam iniqui noſtris, ſpargunt *Geldrenſem* invaſurum ditionem *Cattorum* prætextu cauſæ *Naſſenſis*. Et ut verum ſit, beneſpero περὶ μανιώδους. fata ei prolixè promittunt, nec oppriment his technis cauſam religionis οἱ τύραννοι ἀρχηγοί. Expecto literas tuas de rebus omnibus veſtris. Significabis autem mihi, an utrunque remedium ad te pervenerit. Bene ac feliciter vale. Tuas literas accepi, ex quibus intellexi, ad te perveniſſe reſponſionem noſtram περὶ τῆς Σκέψεως, de qua nunc non diſputabo, tantùm precor *Chriſtum*, ut tua conſilia gubernet ad ſalutem tuam. Iterum vale feliciter. Die XI. Calend. Aprilis, Anno M.D.XXXIV. Ep. 156.

Ioachimo Camerario S. D.

IAm dederam alteras ei literas ad te, cui remedium perferendum tradidi, cum venit *Paulus Eberus* ad me, ac rogat, ut ſua ſtudia ac ſalutem ſuam tibi commendem. Ipſe ſcribit ad *Colerum*, & orat ut ſibi concedat diutiùs eo ſtipendio frui, quod ipſius beneficio habuit hactenus. Velim *Colero* perſuaſum eſſe, nuſquam collocari eam pecuniam melius in ullum poſſe, quàm in *Paulum*. Eſt enim cum moribus optimis præditus, tum verò veræ ac germanæ Philoſophiæ præcipuè ſtudioſus, maximéque abhorret ab ejus juventutis Ep. 157.

opinionibus

opinionibus quæ nunc ſpretâ verâ doctrinâ; tantum in illas artes irruit, quæ videntur πρὸς τὰ ἄλογα facere, aut certè ad κακοδοξίαν. Quare te, mi *Ioachime*, etiam atque etiam oro, ut & meo & tuo nomine diligenter commendes *Colero Paulum*, eique hoc beneficiũ impetres, ſine quo tueri ſtudia vix poterit, ſcis nobis omni ratione tuendos eſſe eos, qui de veris ſtudiis rectè ſentiunt, & ut ait *Plato*, γνησίως philoſophantur. Ac vero *Colerum* ſcio eâ virtute eſſe prædiium, ut hoc genus ſtudioſorum maximè complectendum atque ornandum ſibi eſſe ducat. Eſt enim meo quidem judicio cum φύσει, tum verò etiam τῇ προαιρέσει φιλόσοφος. In alteris literis ſcripſi mirum eſſe ſilentium de Republica apud uos, niſi quod obſidio Monaſterienſis θρυλλεῖται. Cætera videntur ſtudio occultari. Tuas literas expecto. Bene ac feliciter vale. τῇ κυριακῇ Palmarum.

Ioachimo Camerario S.D.

Ep. 158. SCire cupio, an acceperis utrunque remedium, miſi enim per homines fidos, ut mihi quidem videbantur, & precor ut ſint felicia. De noſtris rebus nihil admodum quod ſcribam habeo, nam etſi arbitrabar famam ad vos perventuram eſſe de hujus urbis incendiis, & de quodam latrunculo, qui bellum indixit ditioni *Saxonicæ*, tamen rem non puto dignam eſſe noſtris literis. Et ut ſpero beneficio Dei & vigilantiâ magiſtratuum, hoc periculum facilè depelletur. Nunc *Lipſiam* proficiſcar, moliuntur enim quidam διαλλαγάς τινας τῆς διδαχῆς, ſed ego exiſtimo paulò pòſt longè alias διαλλαγὰς faciendas eſſe. ὕστερος δὲ τῶν ἀντιστρατηγούντων victor erit, περίστασιν vides maximarum mutationum in *Germania*, ac meminiſti nos iſta prædicere ante annos aliquot. Amabò te, ſcribe mihi quam copioſiſſimè περὶ μακεδόνος, quicquid habebis. De *Sophocle* valde habeo tibi & ago gratiam. Bene vale & reſcribe. Cal. Maii, M.D.XXXIV.

Ioachimo Camerario S: D.

Ep. 159. HOdie tibi ſcripſi per *Baſilium*, nunc tibi hunc juvenem commendo, ut mihi quidem videtur, modeſtum & humanum, nec illiteratum. *Phorcenſis* eſt, ſed nunc eſt legati *Gallici*, qui nuper *Auguſtæ* fuit, comes. De meis ſermonibus incenſus eſt cupiditate videndi ac ſalutandi te, ſcis hoc genus μικρῶν φιλοπραγμάτων non eſſe adoleſcentibus negandum. Dedi ei petenti literas ad legatum de negotiis religionis, ac de Synodo: dicit legatum vehementer contendiſſe cum *Rom*. Pontifice *Maſſyliæ*, nè rem agat violenter. Bene ac feliciter vale.

Ioachimo Camerario S.D.

Ep. 160. HAnc epiſtolam dedi juveni ex equeſtri ordine *Theoderico Pleningero*, qui cum in patriam rediturus eſſet per *Noricum*, ſalutare te cupiebat. Etſi enim hic operam dedit Juri civili, tamen hanc noſtram philoſophiam etiam ſuſpicit & colit ſtudioſè. Quare mihi cum eo non ſolùm propter communem patriam, ſed etiam propter ſtudiorum ſocietatem familiaritas fuit. Et ut mores tibi magis probentur, contubernalem ſcias fuiſſe *Sillingi* compatris mei viri optimi. Eſt autem tui percupidus, cum propter noſtram amicitiam, tum etiam propter egregias virtutes tuas. Quare te quæſo, ut eum pro tua ſumma humanitate amanter excipias. Scriberem hac de re longiùs, niſi mihi tua in omni officii genere diligentia nota eſſet. Cognoſces autem hunc juvenem non ſolum eruditione, ſed etiam modeſtiâ magnâ præditum eſſe, quem quidem ob eam cauſam magis amare debemus, quod ejus *Plinii* nepos eſt, cui *Rodolphus Agricola* dedicavit libros Dialecticos. Nomen enim *Pleningerii* vertit in *Plinii* nomen. Remedium à Principe miſſum dedi ad te perferendum cuidam veſtro civi: ſignificabis igitur mihi an acceperis, bibliopola eſt *Petrus* nomine: ſed mihi venit in mentem de tabe, ſi membrum luxatum aut fractum non rectè curatum eſt, ante omnia danda erit opera, ut rurſus rectè conſentiant juncturæ, ſi modò id fieri poteſt: ſanè ſcire cupio tabis cauſam. In *Italia* dicuntur magni eſſe *Hiſpanorum* exercitus, quod ſi eo venerunt ad turbandam *Germaniam*, horribile bellum impendet. Amabò te perſcribe mihi veſtrorum conjecturas. Bene vale. Anno M.D.XXXIV.

Ioachimo Camerario S. D.

MUltas accepi eodem tempore tuas literas, postquam redii *Lipſia*, in quibus mihi ſcholaſticos aliquot commendas. quos ſcito mihi curæ futuros eſſe Id velim, ut *Colerus* etiam ſciat de eo, quem ipſe mihi commendavit. De illo duce nihil adhuc certi ſcire potuimus. Vota quidem multorum optimorum virorum cognoſco, qui optant, integrum illum ſervari potuiſſe ad res, quæ videntur impendere cum graviſſimas, tum minimè inhoneſtas: nam hæc militia eventu [illegible]. Ego certè τὸν μακεδόνα non poſſum non amare & nolim cadere. Noſter Princeps dies jam aliquot abeſt, ſubitò profectus, nec ſcimus ubi ſit, tantùm ſuſpicamur moliri eum pacificationem aliquam. Sed haud dubiè vobis omnia ſunt notiora: expecto igitur abs te literas. Hæc enim ſcripſi, partim ut videres, nos nihil habere explorati, partim ut judicium etiam meum, vel potiùs opinionem ac ſolicitudinem hac de re cognoſceres. Bene valé. Poſtridie Non. Maii, Anno M.D.XXXIV. *Ep.* 161.

Ioachimo Camerario S.D.

POſteaquam ea quæ moventur, neque noſtro conſilio ſuſcepta ſunt, neq; noſtris probantibus, ſed initio dehortantibus etiam, deſinamus aliquando de cauſa diſputare. Quamvis autẽ res difficilis & ejuſmodi ſuſcepta ſit, ut eventus conſiliũ probaturus improbaturúſve eſſe videatur, ego tamen neq; maledicere neque malè ominari τῷ ὁμωνύμῳ volo, qui fortaſſis habet cauſas, quas ignoramus, & tamẽ ſuſpicari poſſumus. Illud nullo modo putes, eum hæc ſuſcipere [illegible]. rerum domeſticarum deſperatione, quos rumores inimici illius ſpargere dicuntur. Hoc mihi exploratiſſimũ eſt: Ingenii & conſilii tantũ ei tribuo quantũ purpuratorum nemini. Vides etiam quæ ſit crudelitas, quæ εἰδωλολατρεῖαι hæreant in Eccleſia, quantâ pertinaciâ defendantur. Quid ſi Deus illa publica vitia tum punire, tum aliqua ex parte tollere decrevit? Itaque oro, ut mollis ſit καταστροφὴ & Eccleſiæ χρείᾳ utilis. De *Marpurgo* non *Ep.* 162.

dubito, quin ſit ſabula. Cæterùm nihil adhuc ſciebamus, niſi pergere τὴν μακεδονίαν. *Caſſellæ* neſcioquid memorant noctu ſuper aquis monſtri viſum eſſe, & qui viderit, eum *Lantgravio* narrâſſe omnia, ſed hunc graviter reſpondiſſe: Satis ſcire ſe nihil eſſe fidei habendũ hujuſmodi viſis. Sed narratio mendacio perſimilis eſt. Itaque operam dabo, ut mihi diligenter omnia perſcribantur ab amicis *Heſſiacis*, à quibus ſi quid accepero, curabo ut tu quoque habeas. Bene vale & me expectato. Die Aſcenſionis Dominicæ, Anno M.D.XXXIV.

Ioachimo Camerario S.D.

Ep. 163. HEri tuas literas accepi, in quibus erant ad *Pontanum* alteræ. Etſi autem exiſtimo te habere tui conſilii rationem, tamen ego longè malim hanc pecuniam conferri præſertim hoc tempore ad emptionem aliquam, omnia enim in aulis ſunt incertiſſima. & niſi res *Macedonicæ* jam ad ocium deducuntur, infinitum bellum impendet, quod implicabit noſtros præcipuè. Hic etiam metus, mi *Joachime*, fuit in cauſa, cur non contenderem vehementiùs de te iſtinc extrahendo. Loquar tamen cum *Pontano*. Nunc autem abeſt apud Principem, qui brevi εἰς τὴν Σουηβίαν proficiſcetur, niſi fortaſſe jam profectus eſt, quo proficiſcemur & alii περὶ τῶν μακεδονικῶν διαλλαγῶν acturi ἐν ὥρᾳ τῆς μητρὸς τῆς μαρίας. De rebus *Macedonicis* quicquid habebis, mihi ſignificato, etſi adhuc quidem ex aula habuimus ſatis certa: niſi nunc res componitur, mi *Ioachime*, quàm multa, quàm triſtia metuenda ſunt? Quo enim ut loco Reſpub. vides. Latè malum iſtud vagabitur, niſi hoc loco repreſſum fuerit. Urgeamus ergo preces aſſiduè & fideliter. Bene vale, tecum ut ſpero brevi ero. Poſtridie Cal. Junii, Anno M.D.XXXIV.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 164. NEgotium de collocanda pecunia diſtuli certo conſilio ad reverſionem Principis noſtri, qui modò à pacificatione domum rediit, inciderunt enim tuæ literæ in medias illas turbas. Ea cauſa fuit, cur non reſponderim citiùs. *Pontano* poſt reditum exhibui tuas literas, qui negotium totum Principi expoſuit. Nec mihi dubium eſt optimam eſſe erga te voluntatem & Principis & *Pontani*, ſed heri mihi reſpondit ex aula rediens, quæ poteris cognoſcere de adjuncta charta literis meis. Ego nunquam valde contendendum putavi: meminiſti quid mihi antea πρὸς τὸ δημόσιον viſum ſit utilius, & emtiones reperiri commodæ poſſunt, eáque in re meam tibi operam polliceor, ſicubi in his regionibus in emtionem collocari pecuniam placuerit. οἰκονομία qualis ferè ſit vides, nè illud quidem *Heſiodeum* attenditur, ἂν πλεῖον. Quare de totâ re etiamnum deliberandum eſſe cenſeo, facilè reperientur, ſi voles, qui libenter uſitatis legibus pecuniam iſtam recipiant. Tu tamen quid fieri velis mihi ſignificato, & an in hoc negotio contendendum eſſe cenſeas. Nôſti judicia plerorumque alieniſſima eſſe à noſtris cenſibus, quærunt certum

A operæ genus, hoc eſt titulum. Expecto tuas literas. τὰ μακεδονικὰ κίνημα εὖ ἦ ὁ Θεός, ut ſperavimus, ſed ejus rei ſabula nondum peracta eſt tota. Bene vale. Die V. Non. Auguſti, Anno M.D.XXXIV.

Ioachimo Camerario S. D.

SCripſi tibi nuper quid reſponderit *Pontanus* de Principis ſententia, de illo χρηματιστικῷ negotio. Etſi autem non dubito, quin facilè feras, tamen, mi *Joachime*, ſi ut debemus in hac re nihil ſpectamus, niſi τὴν οἰκονομικὴν φιλοσοφίαν, hoc eſt, ut *Ariſtoteles* judicat, τὸ ὠφέλιμον, ego non fuerim valde probaturus illam talem pecuniæ collocationem, præſertim tali tempore. Non dubito quin vel emtionem commodam poſſimus invenire, vel ſocietatem cum bonis viris, nôſti contractum, modo ſignifices mihi, quid fieri maximè velis. De *Anglicis* & *Gallicis* rebus multa habemus, ſed de his tecum deliberabo coram, ſi illud quod ſuſpicor, acciderit. Magnæ res ſunt, mi *Ioachime*, quæ in tanto veterno civitatis, ut ait *Cicero*, me ſolicitant, ſed hæc coram. *Matthiam* ornavimus uſitatis ſcholæ titulis, nec ei in poſterum mea officia deſitura ſunt, majora his uſitatis rebus, modò ut poſſim aliqua ei in re prodeſſe. Eſt enim, ut ego quidem judico, probis moribus & bene literatus, & à te mihi commendatus. In *Belgio* in cœlo miræ Imagines cõſpectæ ſunt, magnæ cujuſdam urbis obſidione cinctæ, Cæſaris, Leonis jacentis in tergo, Cameli: ſi non haberis, mittam. Bene vale. Non enim licuit plura ſcribere. IV. Cal. Septemb. Anno M.D.XXXIV. Ep. 165.

Ioachimo Camerario S. D.

SCripſi tibi de duabus rebus, Principem tibi deferre conditionem apud nos honorificam, modo ut de tua voluntate fiat certior. Deinde pecuniæ collocationem mihi curæ fore, ſi voles apud Mercatores, aut alibi ut in emtionem fundi alicujus conferatur, utrunque facilè poſſe perfici confido. Quare quid velis ſignificabis. Nam ego quidem tot jam annis περὶ τῆς ἀποδημήσεως contendere nolui propter noſtra pericula, ſed res tuæ tibi optimè notæ ſunt. Quod ad me attinet, de *Gallicis* & *Anglicis* rebus coram malim tecum loqui, quàm per literas. Miſi in *Galliam* rogatus à fratre Epiſcopi *Pariſienſis* de præcipuis controverſiis quandam ὁμιλίαν. Ab *Anglis* bis vocatus ſum, ſed expecto tertias literas, &, ut dicam quod ſentio, pœnitet me meæ βραδυτῆτος. Ex *Stutgardia* ad me ſcripſerunt Cancellarius & *Sneppius* nomine Principis, ut meam voluntatem explorarent, revocant me amantiſſimis literis in patriam. Reſpondi civiliter, nec dubito, quin iterum ſint ſcripturi, ſed me τὰ φιλάνθρωπα vehementer afficiunt. Et eſt magna cauſa, de qua tecum coram, nihil enim ſine tuo conſilio faciam. Brevi *Fuldæ* convenient, noſter ἄρχων, *Macedo*, καὶ ὁ κηρυκεύσας. Expecto autem & ἐκ τῆς Βρετανίας literas hoc Septembri. De equo non eſt ita ut audiſti. *Sillingus* privato officio mulum mihi donavit, credo ſignificans, βραδέως σπεύδειν. De *Holſatienſibus* ſic ſe habet res: bellum videtur Ep. 166.

tur durabile fore. *Holſatienſis* dux ceſſit ultrò, cum eo die eſſent eruptionem facturi *Lubecenſes.* Ita ſine dimicatione *Lubecenſes* portum recuperârunt. Inſulam regni *Daniæ* magna ex parte tenet Comes *Aldenburgenſis*, ſocius *Lubecenſium*. Cæterum Rex exul *Chriſtiernus* nondum reſtitutus eſt: Legati noſtri Principis καὶ τοῦ μακεδόνος jam fere duos menſes ibi ſunt, acturi de pace, ſed ut intelligo, ὡς αἰσθάνομαι in altera parte, in altera quidam vehementes homines, *Lubecenſes* cives, nolunt pacem fieri. Hæc ſumma rerum eſt adhuc, niſi cauſas etiam poſtulas belli utrinque, quæ ingens volumen requirunt. Hæc ſcripſiſſem diligentiùs, ſi valetudine fuiſſem meliore, & his diebus admodum me defatigârunt negotia pleraque moleſtiſſima. Nihil magis cupio quàm tecum colloqui, & quidem περὶ τῶν μεγίστων. Nec aliquandiu jam remorata res eſt ulla meam profectionem, niſi negotiorum noſtrorum, non dico varietas, ſed planè σύγχυσις. Nunc ſum in κελτοῖς, nunc ἐν σελανίῳ, nunc in his noſtris ærumnis, ſi meus eſſem, in quaſlibet ſolitudines me abdere mallem, quàm in tanta turba negotiorum verſari. *Hervagio* ſcripſi, *Pliniano* addendum eſſe ὀνομαστικὸν rerum, ac cæteræ quidem appellationes utcunque explicari poſſunt: in piſcibus valde laboramus. Amabò te vide *Moſellam Auſonii*, & tamen aliquid excuſpeſnus. Bene vale. Id. Septem. An. M.D.XXXV. Monaſterienſis urbs adhuc obſidetur, ſed periculi nunc quidem nihil eſt.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 167. ALiquandiu certi tabellarii nulli ſe mihi obtulerunt, cum quidem de rebus plurimis & magnis ad te ſcribere cuperem, nè nunc quidem omnia literis committere audeo, quod mihi hic tabellarius ignotus ſit, & dubitem, an ad te literæ noſtræ perventuræ ſint. *Spengleri* interitu magnum cepi dolorem, non ipſius cauſâ, quem ſpero feliciter ex his ærumnis in meliorem vitam conceſſiſſe, ſed quod & Rempublicam illam tali cive, & te amico integro ac fido orbatum eſſe cogitabam. ſed pareamus mi *Ioachime*, τῇ ἀνάγκῃ. Nuper etiam *Buſchium* amiſimus, ſi neſcis. Mihi quidem felices videntur, quibus excedere ex hac vita hoc tempore contingit, & illis eripi malis, quæ impendent. Quid enim jam dubitemus περὶ τῆς μελλούσης πανωλεθρίας; Nos tamen tractatione noſtrorum ſtudiorum has ærumnas mitigemus *Baſileæ* excudunt τὴν μεγάλην σύνταξιν *Ptolemæi Græce*, huic valde optârim addi *Quadripertitum*, & quidem cum tua ſeu verſione, ſeu commentario. Quare te etiam atque etiam oro, hac in re ut publicam ſtudiorum utilitatem adjuves. Hi libri & excitabunt Juventutem ad diſcendum, & præſtantiſſimas artes conſervabunt. Eſt & aliud quod volo, ſæpe jam hic enarratæ ſunt *Theorica Planetarum*, ejus opuſculi uſus perexiguus eſt, niſi poſtea ſupputationes accedant, quæ ſunt in tabulis, quæ vocantur *Reſoluta*, mihi nè intelligi quidem *Theorica* ſine illis poſſe videntur. Sunt autem olim excuſæ *Reſoluta* tabulæ ab *Ambroſio*, qui *Francofurdiæ* ad *Oderam* docet, eas recudi à vobis iſtic optârim. Bene mereri de toto hoc genere artium hoc A officio poteritis. Intelligo enim tabulas illas admodum probari, nec dubito, quin & tibi & *Schonero* ſatis notæ ſint. Magis probo ejuſmodi libellos, qui ad artem pertinent, quàm qualia multa eduntur horologia, in quibus plus eſt oſtentationis, quam doctrinæ. De utroque igitur libro, quid & tibi videatur, & quid fieri poſſit, mihi ſignificabis. Ego valetudine admodum tenui utor, ſive quòd τὸ φιλόπονον αἴτιον κακῶν, ſive quòd aliquandiu pene confectus ſum cura. B Dux *Vvirtebergenſis* acceſſivit me εἰς τὴν ἀκαδημίαν αὐτοῦ. Permiſi totam rem arbitrio noſtri Principis, κἂν ἐξῄτουν τε καὶ δεινῶς περὶ ἀποχωρήσεώς μου ἐκ ταύτης τῆς ἀκαδημίας γνώμας. *Antigonem Sophoclis*, abs te editam atque illuſtratam, non ſolùm nunc interpretor, ſed ago etiam, οὐ γὰρ ἄνευ κινδύνου περὶ μεγίστων τούτων πραγμάτων τοῖς ἄλλοις μου διαλεγόμενος τυγχάνω· etſi moderatiſſimè egi, agamque Deo volente: de his rebus coràm aliquando: ſanè περὶ τῶν σφαλερῶν κἀλεγόμενα μοῦ τὴν βραδυτῆτα, C ſed hæc Deo curæ erunt, ut ſpero. Si quid de Electione novi Pontificis *Romani* habebis certi, fac ſciam. Picturæ editæ ſunt prodigiorum, quæ in *Belgio* conſpecta ſunt. quæ ſi non habes mittam, modo enim non erant ad manum. *Sabinus* rediit ex *Italia*. In itinere *Eraſmum* convenit, nihil admodum affert novi. De *Sophocle* habeo tibi gratiam, incredibili voluptate afficior ejus lectione, præſertim in hoc meo periculo. Bene ac feliciter vale, & tuas tibi latebras gratulare. An- D no M.D.XXXIV.

Ioachimo Camerario S. D.

EX animo oro *Chriſtum*, ut te & honeſtiſſimam matronam tuam conjugem & ſuaviſſimos liberos tuos ſervet incolumes, tibique gratulor ſalvâ matre natum filium. Id eo mihi etiam jucundius fuit, quia tibi aliquam tuarum curarum levationem attulit. Agnoſco enim planè humanitatem καὶ φιλοστοργίαν tuam, quòd te ſcribis E naturâ amantem eſſe liberorum: mihi quoque illud *Euripidis* ſemper placuit, φιλῶν ἐμαυτοῦ τέκνα. μαινοίμην γὰρ ἄν. De meis profectionibus neſcio quid ſcribam. Si eſt hominis Philoſophi in diem vivere; præclarè philoſophor, nihil enim de rebus futuris conſtituo, ſed hoc nequaquam eſt Philoſophi, pendere ab aliena voluntate. *Fuldæ* reſpondit noſter Princeps, me à noſtra ſchola hoc tempore non poſſe abeſſe, ſed poſtea iterum ad F me ſcripſit quiſpiam εἰκότως τοῦ μαικῆνος, ut ſatis apparet, de domini ſententia, *Tubingenſes* flagitare diſputationem, méque intereſſe illi cupere. Ego *Suevicam* profectionem nunquam appetivi, ſed τῷ μαικῆνι cupio morem gerere. Nunc igitur noſtri iterum deliberant, & cur me ægrè dimittant, non eſt ea cauſa, quam ignari rerum noſtrarum fortaſſe ſuſpicantur, ſed aliud eſt, quod literis committere neq; volo neq; debeo, de quo quidem tecum brevi coram. Omninò enim ad G te, Deo volente, expatiabor, etiamſi non licebit in *Sueviam* proficiſci. Mihi magis opus eſt illâ longinquâ profectione, de qua antea tibi ſcripſi, ad eas res, quæ meum animum angunt, ſiquidem hoc quod decrevi, mordicùs tenendum eſt, nè quid faciam immoderatè. *Pomeranus* noſter acceſſitus eſt à ducibus *Pomeraniæ* ad Eccleſias

Ep. 168.

conſtituendas. De Monaſterienſium furóre non libet ſcribere, eſt enim acerbiſſima mihi earum rerum recordatio. Vides enim, quantum odium bonis rebus pariant ea ſcandala, ἀλλὰ θεοῦ μῆνις τῆς ἐκκλησίας, ut profectò non dubito. Quod tu ſcribis ad nos conſolandos, ut Reipublicæ cauſâ hos labores fortiter perferam, mi *Ioachime*, ſi quid boni poſſem facere, nullas difficultates pertimeſcerem, ſed & de his rebus coram. Interim colamus & ornemus literulas noſtras, & ſtudia juventutis pro virili excitemus. De *Ptolemæo* te etiam atque etiam oro, ut edi eum cures, deſcribi enim iſtic ab aliquo ſtudioſo poſſe arbitror. De *Tabulis Reſolutis* mihi velim reſpondeas. Hic edidimus *Theoricas Purpachii*: præpoſui, ut ſoleo, præfationem ad *Grynæum*. *Sabinus* narrat tuas commentationes in *Sophoclem Romæ* in admiratione eſſe. Novi præter hæc nihil habebam. τὸν γέροντα ſcis nè eſſe *Tubingæ*? Bene ac feliciter vale. Non. Decemb. Anno M.D.XXXV.

Ioachimo Camerario S.D.

Ep. 169 HEri primùm, hoc eſt, die nonô Januarii domum reverſus ſum ex *Cattis*, quò me & *Bucerum* vocârat ὁ μακεδὼν, ut ego noſtrorum, ille ſuorum ſententias afferret περὶ τῆς διαλλαγῆς in illa pervulgata cauſa. Meam ſententiam noli nunc requirere, fui enim nuncius alienæ, etſi profectò non diſſimulabo quid ſentiam, ubi audiero, quid reſpondeant noſtri. Ac de hac re tota aut coram, aut cum habebo certiores tabellarios. Ipſius Principis *Cattorum* ſumma fuit erga me comitas, familiariſſimè mecum de multis graviſſimis rebus locutus eſt, quo in ſermone nihil animadverti, quod indignum eſſet aut bono viro, aut bono Principe. Me abſente huc allatæ ſunt literæ tuæ, quas nondum vidi. Nam ut diſcedens juſſeram, *Milichio* redditæ ſunt, qui nunc abeſt *Torgæ*. Hodie alteras tuas accepi, in quibus ſunt quædam περὶ τοῦ κερασφόρου mihi non ignota. De *Simone* gaudeo, eum renovare veterem ſcribendi conſuetudinem, vides me quoque dare operam, nè fiat à nobis alienior, & profectò amo eum, nec video cur complexus olim hominem doctum & bonum deſeram. Et publicæ diſcordiæ cauſam nullam præbuit ipſe. Etſi autem non facio me judicem, tamen nec noſtros planè libero culpâ. Cæſaris apparatus quo ſpectent, ſi quid audieris, ſignificato nobis: multi putant *Gallicum* bellum inſtaurari. De ſævitia *Gallorum* adverſus eos, qui profitentur Evangelium, audivimus. Vidi ipſam pagellam περὶ δείπνου *Pariſiis* propoſitam. Quotidie expecto ἑσπερικὰς literas, quas cum accepero, tecum deliberandum mihi erit. Nam illa de quibus ſcripſi, non fiunt mitiora, præſertim quod ad ea attinet judicia, quæ ſunt planè ἀμφότερα καὶ ἐχθρὰ τῇ οἰκονομίᾳ ἡμετέρᾳ. *Chriſtus* te, mi *Ioachime*, ſervet, & valetudinem præſtet firmiorem. Opto ut hic annus tibi fauſtus ac felix ſit. Tuæ uxori xeniolum mitto, & precor tibi ac conjugi & liberis felicem annum. X. Januarii, Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo quinto. Placuit mihi forma xenii propter inſcriptionem: *Juſtus ut palma florebit*.

Ioachimo Camerario S.D.

SCripſi ad te poſt reditum meum ex *Cattis*. Ep. 170. Cum autem abs te nihil poſtea literarum habuerim, interdum dubito an meas acceperis: dederam enim cuidam *Viti* nuncio, interdum miror, quæ tui tam longi ſilentii cauſa ſit. Facies igitur mihi pergratum, ſi ad tuam in ſcribendo conſuetudinem redieris, quantum quidem potes. Nam me luctus etiam hactenus impedivit, ut de cæteris miſeriis non dicam, quo minus ſcripſerim. Amiſimus enim optimum juvenem & inſigniter doctum, commendatum nobis ab optimis viris in *Sarmatia*. De tua valetudine valde ſolicitus ſum, ſed ſpem mihi mediocrem facit, quod audio te editionem adornare neſcio quorum operum. Novi nihil habemus præter famam de Cæſaris adventu in *Italiam*, quem affirmant in expectatione eſſe, & nunciatur ingens apparatus copiarum: multi putant arma contra *Turcas* parari, alii ſuſpicantur δουλίζειν αὐτὸν πάλιν τοῦ ἑσπερικοῦ βασιλέως, καὶ κατὰ τῶν οὐ πειθόντων τῇ συνόδῳ. *Cattorum* Princeps, ut audio, proficiſcitur ad *Ferdinandum*, quod ſanctum felixque ſit, putant ducem futurum adverſus *Pannonias*. De *Anglia* fortaſſe iſtic multa feruntur, patere eam doctrinæ puriori religionis. ἄλλο δὲ περὶ ἡμᾶς ξένον τι τεράστιον ἐκ τῆς ἑσπερίας, μόνον διαλεγόμενον περὶ τοῦ διπλοῦ γάμου τοῦ βασιλέως, τῶν δὲ τῆς ἐκκλησίας πραγμάτων οὐ μέλει, ὥς φασι, τῷ βασιλεῖ: ſed hoc boni habet, ſævitia nunc nulla ibi exercetur contra ſtudioſos melioris doctrinæ. τοὺς μέλλοντας δὲ τάχα φαίνεσθαι κακούς. Planè hæc vaticiniis reſpondent, ſed quicquid erit, hac me conſolatione ſuſtento, quod ſcio, ὅτι δεῖ πλὴν ἐκκλησίαν μεμένηκας τοῦ σωτῆρος διαλείπειν. Hæc mihi vel ſola ſatis magna conſolatio eſt, nec tam me perturbant illa pericula, quàm noſtra vicia. Quantum enim, bone Deus, reprehendendi ſumus, quòd non damus operam, ut ſanentur ambigentes conſcientiæ, ut doctrina purè, ſimpliciter, καὶ ἄνευ σοφισμάτων explicata extet! hæc meum animum maximè angunt. Recudo *Apologiam* & locos, & certè cupio ſimpliciter explicare præcipuos locos, ſed ad rem tantum opus erat quadam communicatione καὶ συνομιλίας. Rogo te, ut *Græcum* Epigramma mihi componas præfigendum *Apologiæ*, &, ſi libet, alterum locis. Bene vale. XI Mart. Anno M.D.XXXV.

Ioachimo Camerario S.D.

CUm nuncius jam in procinctu eſſet, admonuit me in eo articulo *Mathias* de literis mittendis. Ep. 171. Itaque ſcribo breviùs. De *Ratisbonenſi* negotio jam reſpondi *Hilnero*, & pollicitus ſum de homine ſatis idoneo, fratre *Johannis Novi*, quem olim *Erfurdiæ* familiariter nôſti: is poſt *Lipſicas* nondinas profecturus eſt *Ratisbonam*. Tuos verſus accepimus, & magna cum voluptate legimus, & ego & plerique alii ἐπύλλια hic etiam quoſdam compoſuimus, ſed hâc noſtrâ agreſti Muſâ. De Repub. nihil habeo. *Macedo* dicitur domum rediſſe. Quid *Viennæ* conſtituerint, nondum audio. Hic poſtridie Palmarum conſpectum eſt fere in occaſu ſolſtitiali σέλας in cœlo ſpiræ ingentis figura. Audio *Bambergæ* ingentem flammam, & infra haſtam viſam eſſe,

neſcio

neſcio an vos quoque videritis, per totam *Turingiam* & *Miſiam* conſpectam audio, &, ut meſuo, his terris præcipuè minatur, ita tumultuantur ἡμεδαποὶ καὶ οἱ τῶν ἄλλων ἀναστάντες, ut pax diuturna vix eſſe poſſit, ac planè in iis deſidero πείρασαν, εἰ ἄρα ἐξηγητοῦ τοιαύτας ταραχὰς μηχανῶνται, ſed fatum nec ferrei muri arcere poſſunt. Cætera alias. De *Macrobio* ago tibi gratias. Opto ut feliciter convaleſcatis tu & conjunx tua honeſtiſſima fœmina, & ut valeatis feliciſſimè. Id. April. Anno M.D.XXXV.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 172. VTinam verò, ut ego cum officio tuo, tum genere literarum tuarum delector, ita te viciſſim αὐτῷ τῷ μέτρῳ remunerari poſſim, &, ut ſcribis, exhilarare: officium ſcio tibi gratum eſſe, ſed res hoc tempore non habemus ἀξιολόγους. Quod quæris de autore ſententiæ, quam de *Origene* citavi, locus is eſt in *Epiphanio*, quem apud *Langum* vidiſti. Volumina ſunt non tam propter diſputationes, quam propter hiſtoriam Eccleſiaſticam digna lectu. Multa reperi, quæ ad antiquitatis cognitionem mirum in modum conducant, καὶ περὶ δογμάτων, de quibus tecum coram aliquando, & de *Epiphanio* antea, ſi rectè memini, aliquid ad te ſcripſi. *Matthias* ſcholam hic habet ſatis feliciter inſtitutam, credo ei *Choleri* filium rectè commendari poſſe, aut ſi mavis *Milichio*. Ego, ut ſcis, aſſiduitatem, quam ætas illa requirit, non præſto, faciam tamen, quod vos cenſueritis. Hæc reſpondeo ad quandam tuam veterem epiſtolam, nullam enim de *Choleri* filio recentem vidi. Et ut mittam aliquid, quod delectet etiam, ecce literas ad me è *Gallia* miſſas, ex quibus ſtatum rerum *Gallicarum* aliqua ex parte cognoſcere poteris, ſine tuo conſilio nihil faciam, ſi fuero evocatus. *Budaum* aiunt admodum æquum eſſe nobis, quod ſanè optarim Reipublicæ cauſâ. Scripſi diligenter ad *Pariſienſem* Epiſcopum & quoſdam alios. Exempla literarum afferent *Sebaldus* & *Cruciger*, hic enim addet ſe comitem *Sebaldo*, ut luctum levet, amiſit enim *Cruciger* uxorem. Tabulas mittet *Milichius*. Bene vale. X. Cal. Junii, Anno M.D.XXXV.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

Ep. 173. QUod fauſtum felixque ſit, proficiſcuntur iſtuc veteres utriuſque noſtrûm amici, quos ſpero tibi voluptati fore; utinam me quoque ipſis adjungere comitem potuiſſem, ſed tam multis abeſſe non licebat, & hoc tempore *Caſparem* hac voluptate frui, quàm meipſum malebam. Heri dedi nuncio veſtrati literas è *Gallia* ad me ſcriptas, quas an ille bonâ fide tibi reddiderit, velim mihi ſignifices. *Vitus* erat profecturus cum his amicis, qui habet exempla mearum literarum, ſed is certa de cauſa mutavit conſilium profectionis. De Synodo huc allata eſt fama, ſed incerta, urbem *Tridentum* futuram eſſe Synodi locum, etſi non eſt ἀξιόπιστον, tamen, ſi quid habes, velim te nobis impertire. Planè conticuiſſe jam iterum rumores de Synodo videntur, & mihi heri narravit quidam nuper reverſus ex *Italia*, *Romæ* literas fuiſſe adornatas & excuſas typis de Synodo indicenda, ſed ſtatim iterum occultatas. Res non habebam nunc alias quas ſcriberem. Quæſtiones habeo multas Phyſicas, de quibus utinam tecum & cum Medicis veſtris confabulari liceret. Perveni enim jam ad eam partem, quæ inſcribitur, De Anima, in qua tota hominis natura nobis, quantum quidem poſſumus, exponenda eſt. Bene & feliciter vale cum honeſtiſſ. conjuge & tota familia. XI. Cal. Junii, Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo quinto.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

MUlta mecum de *Tubingenſi* negotio in utranque partem diſputavi, ſed illud caput erat, ut prius videres ipſe ſtatum Academiæ, quod te jam feciſſe intelligo: Deinde niſi eſſent magnæ & mihi ignotæ cauſæ, repudiandæ conditionis, omnino accipiendam eſſe conditionem ſtatui. Vives enim in Academia publica, ubi & virtus tua & doctrina theatrum aliquod habere poterit, & egregiam operam navare poteris Reipublicæ. Nec me deterrent illa, quæ περὶ τῶν κινδύνων τῆς χώρας diſputari poſſunt, non multum enim ad Academiam pertinent. περὶ δογμάτων τινὸς angi te video, ſed de illa tota re, mi *Joachime*, tecum coram conſtitui loqui, & non ſine teſte, hoc eſt, non ſine graviſſimis autoribus. Quæ mea fuerit in ea cauſa moderatio, vides, quas habuerim cauſas, cur non contenderim vehementiùs, coram exponam, & nondum me conſilii mei pœnitet. Tibi quoque tota res facilior eſt, quia minùs implicitus es his contentionibus, quare liberum erit tuum judicium. Opto itaque ut *Chriſtus* gubernet animum tuum, ut ſtatuas id quod erit tibi utiliſſimum, deinde quid maximè ſit è Republica. Sed mihi videtur & Reipublicæ futura conditio utilis, & tibi, & hoc tempore non aſpernanda. Si hìc mavis vivere, ſignifica; ſed meas dubitationes non ignoras, nec ſolùm periculis noſtris moveor, ſed etiam aliis quibuſdam rebus. Permitto tamen tibi, ut ſtatuas quid malis: ſi velle te nobiſcum vivere intellexero, non dubito facilè perfici poſſe, ut honeſtâ conditione inviteris. *Hofmannum* tibi commendo, de quo ſæpe conſtitui ad te ſcribere, ſed nunc plus erit in meo teſtimonio autoritatis, cum ipſe proficiſcatur; cum in aliis literis, tum in ſtudio Juris feliciter & optimâ cum ſpe verſatur. Aſſiduitas ejus & diligentia & modeſtia magnam laudem habent, eique ſingularem benevolentiam in hac urbe præceptorum conciliârunt, quæſo ut eum proceribus civitatis commendes. οἱ ἐχθροὶ τῆς διδαχῆς ἡμετέρας ſcripſerunt ad Imperatorem, & poſtulant, ut conſtituat tempus, intra quod velit movere aliquid contra nos, ſi non conſtituat, ſeipſos eſſe moturos bellum. Vides quid patetur. Bene vale. Poſtridie Non. Jul. Anno M.D.XXXV. *Ep.* 174.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

NUncius veſter primùm mihi ſexto die Auguſti tuas literas *Ienæ* reddidit, quas tu X. Cal. *Ep.* 175.

Sextilium ſcripſeras. In his hoc fuit, quod mihi præcipuè magnam voluptatem attulit, quod videre ſpem quandam habere fratris penitùs liberandi, quam Deus ut fortunet & adjuvet, ex animo opto. Migrationem in patriam meam, tibi gratulor, & cum tibi tum Reipublicæ opto ac ſpero fauſtam ac felicem fore. Scripſi nuper *Grynæo*, ac ſignificavi, quam de eo & honorificè & amanter ad me ſcripſeris. Qui ſtatus ſit rerum vides, mi *Joachime*, tamen multa mihi cogitanti, expedire Reipublicæ videtur, ut nos mutuò complectamur & amemus. Nec unquam aliò ulla mea conſilia ſpectârunt, niſi ut ſtatus aliquis vel mediocris conſtitueretur, & non funditùs interirent res bonæ omnes. Id fieri non poterit, niſi nos quoque mutuò complectamur, ſed hæc coràm: audio enim ex nuncio te nondum abire hâc ſeptimanâ. Hoc triduo adhuc me detinent loci mei, quorum editio ante *Francofordianas* nundinas apparanda eſt, ſed Deo volente ero tecum intra paucos dies. Quare non vehementiùs contenderim unquam, ut ad nos commigrares: nolo exponere & res loquitur, quantis in miſeriis, periculis, odiis paſſim eorum etiam, quorum minimè oportebat, vivamus: ſed hæc coràm. Me quoque Deus aliquando ex his malis eripiet. *Joachimus Marchio* ſenior Elector mortuus eſt: filius in *Poloniam* ad nuptias proficiſcitur. Hunc ſequitur *Franciſcus*, non velut unus de plebe, ſed ὡς ἔνδοξος ſequitur & *Sabinus*. Bene & feliciter vale. Pridie Nonas Auguſti, Anno M.D.XXXV.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

Ep. 176. Quotidie mihi facultas eſt ad te ſcribendi; hoc quidem tempore, ſed ea res adeo non lenit deſiderium tui, ut accendat magis. Ante biduum ſcripſi, me hâc ſeptimanâ ad te excurſurum eſſe. Heri allatæ ſunt mihi ex *Gallia* literæ, in his ſunt & ab ipſo Rege ad me. Quare nova nunc objicitur mihi deliberatio, ſi hic ſeceſſus non incidiſſet, ſine ulla dubitatione irem in *Galliam*. Nunc me quædam officii ratio hìc alligat, nam profeſſores hic pauculi ſumus καὶ ἄνευ ἀξιώματος, ſed quid facturus ſim, ſcies. Bene vale. Non. Auguſti, Anno M.D.XXXV.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

Ep. 177. PRecor *Chriſtum* ex animo, ut hæc migratio tibi & Reipublicæ fauſta felixque ſit, déque tuis rebus omnibus, & ſcholæ auſpiciis expecto à te literas, & quidem avidiſſimè. Ac profectò libentiùs, quanquam alieno tempore, permiſi meo miniſtro, ut expatiaretur in patriam, ut exploratiſſima mihi commemorare poſſet de tua valetudine, de inſtitutis ſtudiis, déque univerſa vitæ ratione. Opto ut ſimplicitas & bonitas noſtræ gentis ſit tibi voluptati, ſpero enim te jam ingenia deguſtâſſe. Nunc audi de meis rebus. Hic annus fatalis eſt noſtro ordini, ut video, accipio enim & *Morum* interfectum eſſe, & alios, ego quoque magno in periculo verſor. Scis me tibi ſæpe queſtum eſſe de certis rebus, quæ me angerent maximè. καὶ [illegible] ἐχθρῶν, οἱ πάνυ [illegible] τὴν ἡμετέραν [illegible], ὅτι τολμῶν ἀεὶ ἴδιον ἦθος [illegible]. Genus illud hominum nôſti, quorum, ut videtur, odium erupit aliqua ex parte jam in *Gallico* negotio. Equidem libenter vito congreſſus *Gallicos*, nec aliter promiſi, niſi permittente Principe, ſed Princeps commeatum negat, & ita reſpondet, ut vereri cogar, animum illius, ſermonibus malevolorum à me redditum alieniorem, etſi ſanè de optimo Principe, ut mihi perſpectus eſt, nunc etiam melius ſpero, ſed nôſti illud, γλῶσσα τοῦ [illegible]: Omiſi igitur *Gallicum* iter, nè de meo officio ullo modo queri poſſent. Nunc reliquum eſt, ut etiam Principi reſpondeam, ac me purgem. Id conſtitui graviter facere, ita ut ſimul de meis conſiliis ac de judicio doctrinæ ſcribam, neque quicquam vel diſſimulabo vel celabo voluntatis & ſententiæ meæ, nolo enim perpetuò iſtas plagas ferre. Nullus ferè annus mihi abiit, ſine aliquo hujuſmodi periculo. Poſſem multa & mira commemorare, quæ ego meâ diſſimulatione & patientiâ ſanavi. Et nôſti pleraque. Quòd ſi res ad Synodum deducetur, ut non dubito, his difficultatibus remanentibus, quid futurum ſit neſcio. Nunc te oro, ut me conſilio tuo juves, nihil enim conſtituam, priuſquam tuas literas accepero, non enim propero. Utinam tecum mihi liceret eſſe, maximè enim tecum & in Academia vivere cupio. De aliis quibuſdam rebus habet mandata miniſter meus, quem mihi fidelem eſſe certò ſcio, neque tu dubitas. Deliberabis igitur cum amicis noſtris, ſed nihil te contentionis aut periculi ſuſcipere volo. Non etiam hoc præterire ſilentio poſſum, ſpargere quoſdam, infenſum mihi eſſe Principem veſtrum, propter *Iſlebii* cauſam, quæ, ut manifeſtum eſt, nihil ad me attinet. Itaque non admodum illis fabulis moveor. Perſuaſum enim habeo multò eſſe & prudentiorem & meliorem Principem, quam ut vel re incognitâ, vel de obtrectationibus aliorum innocentem odio perſequatur. Hæc non tam quòd angerent animum meum, quàm quia in mentem modò venere, ſcribere ad te viſum, ad quem parva magnaque ſoleo omnia. Proximo vere neceſſe mihi eſt *Francofordiam* venire, inde ad te excurram. Bene vale. Pridie Cal. Septemb. Anno M.D.XXXV.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

SPero meum miniſtrum *Iohannem* prius ad te perventurum eſſe, quàm hunc tabellarium, dedi tamen huic quoque literas, nè quam occaſionem ad te ſcribendi, præſertim poſtquam longiùs diſtracti ſumus, prætermitterem. Meum negotium, de quo ſcripſi in literis quas affert meus miniſter, totum & prudentiæ & fidei tuæ committo. Quæ ſcribi rectè non poſſe putavi, ea juſſi miniſtrum meum tibi diligenter exponere, ſunt ejuſmodi, ut tibi moleſtiæ futura eſſe ſciam, ſed ut ego exiſtimo, diu tecta nunc demum erumpunt, occaſione illa, de qua ſcripſi proximis literis. Ego nihil agam κατ᾽ ἐμαυτὸν, ſed tuas literas expectabo. Mitto tibi Ep. 178.

Lutheri

Lutheri epiſtolam, quam heri accepi, nè ſuſpicarere illum affinem eſſe iſti culpæ. Vide autem, mi *Joachime*. quantum mihi periculum, quantam rerum mearum mutationem prodigia etiam denunciarint. Biduo aut triduo antequam diſceſſimus *Vvitebergæ* peſtem ſugientes, flamma de cœlo decidit veſperi ante meas ædes, altera templi tectum lambebat. Movit me ea res, etſi quid ſignificaret divinare non potui. Omitto alias ſignificationes, interpellar enim tabellarius. Illud ſcito, me æquiſſimo animo hæc ferre Dei beneficio, & Deo volente in his rebus nihil indignum noſtrâ Philoſophiâ facturum eſſe: tu quoque nihil contentionis ſuſcipies, ſi quid habet res difficultatis. *Budæi* tranſitum *Helleniſmi* ad *Chriſtianiſmum*, & *Sadoleti* commentarios in *Romanos* vidiſſe te ſpero: ſanè tragicè invehitur uterque in noſtros, ſed finamus ſibi quenque canere. Ego nunc in meis locis multa mitigavi, & de pleriſque tecum coram loqui cupio, ſed deſino. *Eobanus* his diebus nobiſcum fuit, ferè omne tempus conſumpſimus in ſermonibus de te & de communibus ſtudiis. Bene vale. Poſtridie Cal. Sept. An. M.D.XXXV. Hunc tabellarium tibi commendo, vir bonus eſt, *Milichii* hoſpes.

Ioachimo Camerario S.D.

Ep. 179. MAximam tibi gratiam habeo & meâ & Reipublicæ cauſa, quod *Ptolemæum* nobis edidiſti. Etſi enim nos huic ſtudio non ſumus prorſus dediti, tamen erit mihi curæ, ut commoveam & accendam Juvenum ſtudia. Itaque prælegam quædam ut Grammaticus, tantùm ut plures in manibus habeant aureum libellum, & ſpero his qui Philoſophiam amant, etiam *Græcas* literas propterea gratiores fore. Noſtra φυσικὰ etiam ſatis pulchrè procedunt, nunc enim pervenimus ad Anatomen corporis humani. *Milichii* in ſecundum *Plinii* enarrationem jam te vidiſſe puto. Meum miniſtrum nondum rediſſe miror. Quod de meis rebus ſcripſi, nec dubito quin vehementer ſis ſolicitus, non tam me injuria præſens movit, quàm quod mihi interdum obſtrepit ἡ φιλονεικία. ἡμέτερα ... ἔχοντα πρός τινα, de quibus coram brevi, ut ſpero. Itaque jam de meis rebus omnia conſilia differre te volo, uſque ad meum adventum. Conſtitui enim te viſere proximo vere, poſtquam non ſtatim ad illas literas reſpondi, nam conſultò diſtuli, & τὰ ἐμὰ κοινὰ medici prohibent, ecce ipſi antevertunt, méque placant, ſcis me minimè eſſe difficilem, ſed alia ſunt ἄῤῥητα, de quibus coram tecum loquar, ut ſæpe tibi pollicitus ſum. Nec verò in meis deliberationibus quicquam mihi antiquius erit, quam Reſpublica; ad hanc vides me etiam oportere accommodare mea conſilia, ut nunc quidem ſunt tempora. Hactenus igitur de meis rebus, de quibus jubeo te bono animo eſſe, nam ego quoque æquo animo feram, quicquid acciderit. Illud fuit mihi ſummæ voluptati, quod fratrem tuum ſignificas eſſe apud *Philippum Palatinum*: Gaudeo profectò ex animo, Deum & tuas & ipſius preces audiſſe. Itaque Deo agamus gratias, & ipſius fiduciâ nos ſuſtentemus magis deinceps. Quod me ad aſſiduitatem in mittendis literis hortaris, gaudeo te hoc meo officio delectari, ſed ſcito me multò avidius tuas & flagirare & expectare, ſervemus igitur illud *Heſiodeum*, αὐτῷ τῷ μέτρῳ. De Republica hoc tempore nihil admodum habebam. Ex aula Regis *Ferdinandi* ſcribitur ad noſtrum Principem, rebus *Africanis* conſtitutis Cæſarem tenere curſum in *Siciliam*, ut veniat *Neapolim*, nec quicquam prius eſſe acturum, quam de Synodo, in qua metuo, ne *Galli* omnia turbaturi ſint, ut impliceent Cæſarem *Germanicis* bellis. *Viennæ* expectatur nova *Turcica* legatio. Ego rurſus *Anglicis*, non ſolùm literis, ſed etiam legationibus, & vocor & exerceor. Exemplum mei conſilii miſſi in *Gallias* tibi mittam, nunc enim non habebam niſi unicum, & non edo, nè novæ inde diſputationes oriantur. Bene ac feliciter vale, tuas literas expecto. *Vito* detulimus hic quoque conditionem, ſed cupiebat videre Academiam veſtram. Iterum vale. III. Non. Octob. Anno M.D.XXXV.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

VTinam rectè & feliciter valeas, de me, mi *Ioachime*, video te valde ſolicitum eſſe. Ep. 180.
Etſi autem officio tuo delector, tamen nolim te angi animo, aut nimium contendere. Scripſerunt ad me ambo ἡγεμόνες, ὁ ἡμῶν τινός τε καὶ ὁ τῶν χάτλων ἄρχων, & literæ ſunt plenæ humanitatis, ὁ τῶν χάτλων ἡγεμὼν etiam αὐτόγραφον miſit, & reſpondi ei, me coram cum eo de ſumma negotii locuturum eſſe: vobis etiam pollicitus ſum, me iſtuc iu vere venturum eſſe. *Vitum* commendo tibi, videtur mihi idoneus ad Rempublicam: nos cupimus eum retinere, non tamen diſſuadeo, quo minùs promittat vobis: vellem utranque ſcholam poſſe conſervari & ornari, ſed mihi crede, mi *Joachime*, per noſtram amicitiam, nondum ſuſpicari poſſum, quid quidam velint. Cupio te videre, tantum ut habeam aliquem, quem his querelis affici putem. *Gallicum* ſcriptum *Doleti* vidi, & cogito de aliquo inſtruendo, qui reſpondeat, κἂν ὁ ἱεραρχ... ἐκφύγῃ τὴν ἀδρανείαν, ſed diſplicet mihi petulantia in illo juvene. Gaudeo excudi τὴν μεγάλην σύνταξιν, ſed cum *Grynæo* ages, ut curent peti à *Schonero* χάρτα τοῦ *Regiomontani*. In locis meis ſpero me utilia ſcripſiſſe, & volui certè prodeſſe Eccleſiæ, vides eſſe opus Methodis. Bene vale. IV. Id. Novemb. Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo quinto. Jam eo ad *Eobanum*. De *Ptolemæi* τετραβίβλου maximas tibi gratias ago, accendet ſtudia multorum.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

HAnc epiſtolam reddet tibi adoleſcens *Lipſici* civis filius, ingenio præditus, ut mihi quidem videtur, pleno humanitatis ac ſuavitatis, & ad literas apto. Nomen familiæ nôſſe te puto, habet enim patrem *Bucherum*, honeſtum hominem ac locupletem, & de ſtudiis literarum bene exiſtimantem, denique in omni officio diligentem. Magna ei familiaritas, & ut audio, etiam amicitia eſt cum viro optimo tuo affini Ep. 181.

Sige-

Sigemundo Furerio cive *Norico*, qui nos quoque admodum amanter complectebatur. Cum autem filium flagrantem amore literarum pater rectè inſtitui cuperet, méque in conſilium adhiberet, ſuaſi ut eum ad te mitteret, eique pollicitus ſum, tua officia nulla in re defutura eſſe adoleſcenti, quod & Reipublicæ cauſâ ſummâ fide ſtudia hujus ætatis juvare ſoleres, & libenter operam daturus eſſes huic adoleſcenti bonæ ſpei. Probavit meum conſilium pater, & filium ad te mittit. Quare, ſi fieri poteſt, te rogo, ut ad te in ædes eum tuas recipias, aut certè ita colloces, ut tamen familiæ tuæ pars ſit, téque habeat ſtudiorum ac morum gubernatorem. Id non ſolum pater rogat, ſed ipſe etiam adoleſcens, qui admiratione doctrinæ & virtutis tuæ incenſus, familiaritatem atque amicitiam tuam valde expetit. Alii fuerant autores, ut ſtatim in *Italiam* mitteretur, ſed id diſſuaſi, quòd ſciam in hoc genere literarum deeſſe ibi huic ætati magiſtros. Tibi igitur commendandum duximus, ut eum pro tua prudentia regas, & ad eas artes traducas, quas tu maximè & amas & ornas. Tyrocinium apud *Amerbacchium* fecit, ſed tantùm ſemeſtre, revocabatur enim διὰ τὰ ἴδια πράγματα. Cœpit tamen verſus facere, & nondum conſtituit accedere πρὸς τὰ τῶν δικανικῶν κατολογήματα, ſed iis ſe artibus dedere cupit, in quibus, te duce, ſperat ſe feliciter promotum eſſe. *Chriſtus* faveat & conſiliis & ſtudiis ejus. Pater liberalitate ſuâ ingenium filii non gravatim fovet. Spero te & Reipublicæ & ipſius adoleſcentia cauſâ nobis gratificaturum eſſe, tamen te oro, ut, quantum tua valetudo tuæque res ſinunt, efficias, ut hanc commendationem intelligat pater profuiſſe filio. Ego quidem patri de tua humanitate largiter pollicitus ſum. De valetudine tua vehementer angor animo, quam ut omni ratione cures, ſi quid opis vel in ratione victûs, vel in remediis, vel in thermis eſſe animadverteris, te valde oro. De rebus meis quod ſcribam, nihil admodum habeo. Conſumor quotidianis & plus quàm moleſtis operis, ſed coram, Deo volente, hoc vere omnia. Dux *Saxoniæ* nondum rediit à Rege *Ferdinando*. Nuncius Pontificius nihil niſi meras nugas circumfert, de Concilio nihil certi habet. Cæſarem aiunt in *Sicilia* hyematurum eſſe. *Veneti* & Pontifex dicuntur συμφωνῶσι κατὰ τοῦ αὐτοκράτορος, ſed nihil habeo certi. Quæſo, ut primò quoque tempore mihi & de cæteris rebus & de hoc adoleſcente reſcribas. Bene vale. *Jenæ in Tyrigetis*. Pridie Cal. Decemb. Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo quinto. Mitto tuæ conjugi *Xenion*, & precor ut hic veniens annus tibi & tuæ conjugi & liberis veſtris felix & fauſtus ſit. *Chriſtus* ſervet te & conjugem & liberos.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 181. HAs literas dedi nuncio urbis *Eſlingiacæ* in conventu *Smalcaldienſi*, eóque ſcripſi breviùs, quia verebar, ut ſatis diligenter redderentur. Tuam longiuſculam epiſtolam accepi, in qua hoc fuit jucundiſſimū, quòd ſignificas convaleſcere fratrem, quod faciat *Chriſtus*: audie-

A ram enim antea de illo caſu, ſimul illud etiam gaudeo, quòd erigis animum celeſtibus conſolationibus: ſcis ſcriptum eſſe: *Juxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde*: ſed de tua valetudine valde ſum ſolicitus. Miratus ſum acumen illorum, qui ſuſpicantur *Lutherum* offendi dedicatione *Anglicanâ* propter numerum Sacramentorum, ut vocant. Ego verò nondum animadverti *Lutherum* alieniore eſſe animo, nec ego quicquam immoderatè feci aut ſcripſi, cur
B deſiderari meum officium poſſit, nec velim ſciens autor eſſe ſcandali. Totum illud genus ſuſpicionum naſcitur, ut ego quidem ratiocinor, apud indoctos & inimicos literis noſtris, hæc apertiùs coram. De altera quæſtione & ipſa coram agam, nè ego quidem καινοτομῶ, ſed quàm multa miſceant homines indocti in illa diſputatione, longum eſſet enumerare. In locis meis etiam ſicubi videor habere δυσλήπτας ἐμφάσεις, vides me hoc agere, ut rebus obſcuris & intricatis
C aliquid addam lucis. Nam tu nè malles obſecro me augere τῆς ἀκυρολογίας, ὥσπερ σκύλακά τινα ἢ πλαταγίζοντα; cum ſummas rerum videas me retinere. Neque tamen valde recuſo, etiam ſi qua plaga mihi accipienda aliquando erit, habeo enim rationem mei conſilii. Et meminiſti illud *Sophoclis* tui, εἴ τοι νομίζεις κτῆμα τὴν αὐθαδίαν εἶναί τι, τοῦ νοῦ χωρὶς, οὐκ ὀρθῶς φρονεῖς. Sed hæc omnia Deo volente, brevi coram. Fuerunt hic *Anglorum* & *Gallorum* legati. *Gallus* molitur
D διαλλαγὴν dogmatum, quam ipſa etiam accipiat *Gallia*. *Angli* oſtendunt ſe genus doctrinæ purioris noſtrorum exemplo recepturos eſſe. Fuit hic *Petrus Suavenius*, qui in his laboribus aliquam mihi levationem moleſtiarum attulit: τοῦ μανδίου etiam fuit ſumma erga me comitas, & videntur οἱ ἄρχοντες ὁμονοοῦντες planè concordare, Dei beneficio, quod utinam ſit perpetuum. Mitto tibi literas *Anglo* cuidam inſcriptas, quas, ſi ille apud vos eſt, reddi ei cures,
E téque etiam atque etiam rogo, horteris illum, ut quàm primùm reſpondeat, eáſque literas mihi mitti cures. *Mori* caſu afficior, nec me negotiis illis admiſcebo. In dedicatione nondum illa audieramus, & ego amico cuidam volui conſulere. Bene vale. IX. Calend. Jan. *Smalcaldiæ*, Anno M.D.XXXVI.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

F ANglus tuus reddidit mihi literas tuas in *Saxonica Thebe*, cum à legatis *Anglicis* rediens *Genam* recurrerem. Expectabit autem me ut ſpero *Vvitebergæ*, nam ibi apud ſuæ gentis homines ſine ſumptu ſuo ſubſiſtere poterit. Viſus eſt mihi ingenio humano & liberali eſſe præditus, itaque fruemur eo, ſi licebit. Unus etiam ille *Nicolaus Hetus* Archidiaconus, hujus tui *Angli* amicus, humanitate & literis excellit inter hoſpites noſtros, ὁ δὲ ἄλλως πάνυ δοκεῖν Ep. 183.
G ἄγασθαι τῆς ἡμετέρας φιλοστοργίας καὶ γλυκύτητος, διὸ καὶ τὴν συμφιλίαν φεύγω, quantum poſſum: ſed venio ad tuas literas, mi *Ioachime*, etſi laude ingenii, doctrinæ, humanitatis & eximiæ virtutis merito tibi cedo, tamen unâ hac in re non concedo tibi, ut magis te noſtri congreſſûs avidum eſſe ſtatuam, quam ego ſum. & quidem eaſdem

dem ob cauſas. Nam & de Republica maximè
tecum loqui cupio, neque unquam quicquam
ſuſcepturum me eſſe ſcito, niſi tecum communi-
cato conſilio, cujus & prudentiam & fidem in
maxima varietate horum temporum & perſpexi
& probo atque amo unicè, & fortaſſis de privatis
etiam aliquid commentabimur unà. Etſi au-
tem hæ me tantæ res cogunt, ut iſtud iter ad vos
ſuſcipiam, tamen tantum eſt tui deſiderium, ut
etiam ſi illæ cauſæ non eſſent, multò ante iſtuc
advolâſſem, ſi non retinerer vinculis, ut ſcis,
pluſquam ferreis. Video me ad ſervitutem na-
tum eſſe, & quidem difficilem, & ut arbitror,
hoc mihi Sol denunciat in ſexta domo, libet
enim tecum nugari, quandoquidem illa, quæ
maximè vellem, committere literis non eſt tu-
tum. De Synodo, quam *Argentinenſes* experi-
verunt, cum viderem cæteros illorum amicos
vehementer eam & defugere & deprecari, me-
um hoc fuit conſilium, ut res differatur, donec
Cæſar indixerit Concilium. Nam cum id fiet,
res ipſa coget nos convenire, ut deliberemus
ſeriò, quid ad extremum defenſuri ſimus: nec
verò dubito, quin Cæſar ſit indicturus Syno-
dum. Erit igitur libero opus colloquio inter nos
omnes, quæ dogmata tanti facienda ſint, ut an-
teferri debeant communi concordiæ orbis terra-
rum, ut propter ea æternam diſſenſionem Ec-
cleſiæ, infinitum bellum non debeamus defu-
gere. Placuit mea ſententia *Jacobo Sturmio*
καὶ τοῦ μακαρίου. Nuper etiam aliis indicavi, ſed
quid eis videatur, planè ignoro: habent enim
de meis conſiliis mirificas planéque inanes
ὑπονοίας. Θωμᾶς noſter nuper ad me, cum
quidem probet meum conſilium, tamen con-
tumelioſiſſimas literas ſcripſit. Sed ego *Fabianam*
illam diſſimulationem, quantum potero, reti-
nebo, de qua ait poeta vetus: *Non ponebat enim
rumores ante ſalutem.* Nullæ injuriæ, nullorum
importunitas me ab hac moderatione abſtra-
het, quâ aliquot jam annos uti conatus ſum,
nec privatas ullas offenſiones cum Reipublicæ
incommodo ulciſcar. Quò conſilia mea ſemper
ſpectârint, quid voluerim, præſertim cum tantæ
ſint hominum támque pernicioſæ inter ſeipſos
diſcordiæ, ut velut *Cadmei* fratres ſeſe mutuò
conficiant; non difficile eſt mihi exponere, &
ſpero me & Deo & bonis viris voluntatem &
conſilia mea probaturum eſſe: ſed hæc perti-
nent ad congreſſum noſtrum. De *Theodorito*
verſo gratiam tibi habeo. Eſt & illud mihi gra-
tiſſimum, quod *Jonæ* dedicas, ſic enim intellexi
tuas literas, amo enim *Jonam*, & candorem ac
fidem ei tribuo, ſcio eum & de tuo ingenio,
tuiſque virtutibus honorificè ſentire. *Menius*
Iſenacenſi Eccleſiæ præeſt, & ſatis commodè
vivit. Quoties convenimus, acquieſcimus præ-
cipuè in mentione tui. Si etiam ſcire cupis, quid
Angli agant, hactenus diſputârunt de divortio.
Ipſi contendunt legem de non ducenda fratris
uxore non eſſe diſpenſabilem. Nos contra di-
ſputamus eſſe diſpenſabilem. Vides autem quan-
to facilius ſit ipſis propugnare τὸ ἀκριβοδίκαιον,
quàm nobis inflectere legem, ut efficiamus non
fuiſſe neceſſarium divortium. De controverſiis
doctrinæ religionis nihil admodum hactenus
contulimus, ſed jam ad eas accedemus. *Gallum*
A aiunt bellum moliri, de quo ſi quid habes, ſigni-
fica. Bene vale. Non. Febr. Anno M D.XXXVI.
Hunc juvenem tibi commendo, eſt pauper, &
indiget bonorum auxiliis.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

DEcimo die Februarii reverſus eſt ad nos *Ep.* 184.
in *Tyrigetas Anglus* veſter, qui unà adduxit
Nicolaum Hetum amicum ſuum, quem nuper ti-
B bi ſcripſi inter eos, qui nobiſcum ſunt, longè hu-
manitate & doctrinâ excellere. Nunc *Noriber-*
gam properant. Et ego hodie, quod fauſtum fe-
lixque ſit, iter ingrediar rediturus *Witebergam*.
Quare neque diu licuit *Angli* veſtri conſuetu-
dine frui, neque ſcribere prolixiùs. Heri tamen
eas horas, quibus unà fuimus, totas in com-
memoratione tuæ virtutis & ſtudiorum tu-
orum conſumpſimus. Nam & *Nicolaus* ille
videbatur tuis laudibus delectari. Quo in ſer-
C mone facilè perſpexi, *Anglum* veſtrum honori-
ficè de te ſentire, téque ab eo valde amari.
Hoc nomine mihi jucundiſſimus fuit, eſt autem
viſus & naturâ permodeſtâ præditus. Fuit igi-
tur moleſtum, quòd non contigit congreſſus pro-
lixior, ſed ſarciemus hanc jacturam, Deo vo-
lente, cum iſtuc vehero ad te. Scripſi autem
nuper longiuſculam epiſtolam ad te, in qua re-
ſpondi iis literis, quas *Anglus* attulerat. Eam
dedi ſcholaſtico cuidam, qui ſe rectà ad vos
D proficiſci aiebat. Mihi nulla res privata magis
in votis eſt, quam ut te quàm primum videam,
& quidem incolumem & rectè valentem. Qua-
rè noſtras deliberationes ac diſputationes de Re-
publica & de privatis rebus interim ad congreſ-
ſum illum rejicio. Nam pleraque nè poſſunt
quidem mandari literis, qua in re mihi hoc
peracerbum eſt, quod neque per literas, quan-
tum vellemus, colloqui liceat. *Leonardus* de
Vvolfsek admodum amanter ad me ſcripſit, ac
E mecum de controverſiis religionis, & præci-
puè περὶ τῆς δικαιοσύνης diſputat, ac ſatis ſigni-
ficat. ſe animo erga rem *Chriſtianam* eſſe, quo
decet, fatetur id quod caput eſt in ea diſputatio-
ne, homines per miſericordiam juſtos, id eſt,
acceptos eſſe. His enim verbis utitur. Polli-
cetur omnem operam, & omnia ſtudia, ſi res ad
Synodum deducatur. Sed, ut hoc quoque ad-
dam, moram Synodo *Gallicum* bellum videtur
allaturum. Nam heri accepi literas, in quibus
F ſcribitur, non dubium eſſe, quin *Gallus* bellum
moturus ſit, ad retrahendum *Mediolanum*. La-
ceratur Eccleſia inſcitiâ & ambitione docenti-
um, & crudelitate Pontificum. His maximis
calamitatibus cum mederi deberent ſummi Mo-
narchæ, habent animos occupatos diverſiſſi-
mis curis. Sed oremus *Chriſtum*, qui pro Eccle-
ſia rogat clarâ voce apud *Ioannem*, ut reſpiciat ge-
mitus piorum, & repurget ac ſanet Eccleſiam.
Vidimus *Auguſtæ* picturam veteris cujuſdam
G prodigii, in qua cum alia multa inerant de *Gal-*
lis, de Cæſare, de Pontifice, tum maximè me
movebant ſtantes tres nudæ mulierculæ ante
templum lachrymantes, quarum media tenebat
fores templi. Exiſtimo enim tres ſectas ſignifi-
cari. Eſt enim Eccleſia diſtracta in tres partes,
& in ſingulis haud dubiè ingenti dolore affici-
untur

untur homines moderati & amantes pietatis. In A tantis malis quæ capienda conſilia nobis, quæ remedia quærenda, quantum pro noſtro loco nos decet, magna & difficilis deliberatio eſt, ſed hæc coram. Bene & feliciter vale. Hæc ſcripſi admodum mane, cum per triduum habuiſſem dolores ἰσχιαδικοὺς valde periculoſos, qui mihi hoc anno ſæpe moleſti fuerunt, ſed habeo remedium facilè herbam χαμαιλέοντα. Vides me veterem Medicinam amare. Et profectò video plus eſſe præſidii in illis parvis rebus, quàm in exoticis. B Ac ſæpe me hic ipſe χαμαιλέων admonet, quod & cedere temporibus, & humilia φρονεῖν conducat. Iterum vale. III. Id. Februarii, Anno M.D.XXXVI.

Ioachimo Camerario S.D.

Ep. 185. HÆrent hìc diutius opinióne omnium legati *Anglici*, à quibus nullo modo licuit mihi diſcedere, præſertim cum diſputationes de doctrina non ſint abſolutæ, in quibus ſcis meam C operam ab utriſq; vehementer requiri. Utinam mihi credas hanc non eſſe fictam cauſam, ſed ut ſpero, fidem tibi faciet meus adventus: ſtatim enim poſt eorum diſceſſum, & ego iter ſuſcipiam, ſpero autem poſt diem Paſchatos mox abituros eſſe. περὶ τοῦ τῆς γυναικὸς ἀποστασίου, non ſumus eis aſſenſi, ac tuas literas miratus ſum, in quibus hoc videris ſignificare, & mecum diſputationem inſtituis. Nos enim ſentimus legem de non du- D cenda fratris uxore diſpenſabilem eſſe, etſi legem ipſam non aboleri volumus. De reliquis doctrinæ articulis non leves contentiones inter nos fuerunt, ſed tamen de pleriſque convenit. Orbis terrarum ardet odiis & furore. περὶ τοῦ Καίσαρος τραγικά τινα narrantur. Nec mitiores nos habemus τοὺς γείτονας. Sed, ut tu ſcripſiſti *Micalo*, eruptura magis omnia in venturum annum, videntur. Oremus igitur *Chriſtum*, ut nos ſervet. Scripſi breviùs, propterea quod hodie multis erant dan- E dæ literæ. Et ſic me *Angli* exercent, vix ut reſpirare liceat. Planè tibicinis *Latini* modo, ut ille ait, nunc hujus, nunc alterius partis ſententias compono, ſed hæc coram. Bene & feliciter vale. III. Cal. April. Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo ſexto.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 186. POſt *Anglorum* diſceſſum miſi *Bernardum* F *Ebreum* ad Principem *Cattorum*, certorum negotiorum cauſâ, quem adhuc expecto. Et juſſi ut ipſe reddat literas, fuerunt enim deliberationes περὶ τῆς συνόδου τῶν ἡμετέρων. Huic rei, ut tibi coram dicam, erat opus graviſſimâ deliberatione. Poſt reditum *Ebrei*, cum primùm potero, accurram ad te. *Milichium* etiam febris tenuit hactenus, ſed nunc convaluit. Noſter ἡγεμὼν ἱκέτευσεν ἀποστεῖλαί σε, & ea de re afferam ipſe literas. G *Carionem* tibi commendo, qui me properantem *Lipſiam* cum conjuge & familia, non potuit alloqui, ſed *Sabinus* eum expectabat. Etiam *Eobanum*, ut ſpero, *Lipſia* videbo, qui erit noſtri itineris comes. Bene & feliciter vale. III. Id. Junii, Anno M.D.XXXVI.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

POſt *Anglorum* diſceſſum detinuit me expe- Ep. 187. ctatio congreſſus *Buceri* & noſtrorum, quem poſtquam impedire non potui, ut volueram, data eſt opera, ut fabula quàm minimè eſſet motoria: ſatis moderantur illi quidem ſententiam, ſed viſum eſt tutius, nihil utrinque paciſci de concordia, nè ſi qui vehementiores diſſentirent, magis inflammaretur diſcordia. Crede mihi, hæc res duriter me exercuit, ſed fuit ſatis placida καταστροφή. Totam tibi rem exponam coram. Nam has literas ſtatim ſequar. *Anglicæ* profectionis curâ prorſus liberatus ſum. Poſtquam enim tam tragici caſus in *Anglia* acciderunt, magna conſiliorum mutatio ſecuta eſt. Poſterior Regina magis accuſata quàm convicta adulterii, ultimo ſupplicio affecta eſt. Quam mirabiles ſunt rerum vices, mi *Ioachime*, quantam Dei iram omnibus hominibus denunciant, in quantas calamitates etiam ex ſummo faſtigio potentiſſimi homines hoc tempore decidunt! Hæc cum cogito, etiam nobis ærumnas noſtras & noſtra pericula æquiore animo ferenda eſſe diſputo. Valetudini tuæ plurimum profuturum eſſe intelligo, ſi à mœſtitia animum omni ratione atque arte, quantum potes, abduxeris, quod ut facias, cum alia multa te hortari debent, tum hoc præcipuè, quod tibi rectiſſimè conſcius, in eo ſtudiorum genere verſaris, quod prodeſt tranquillitati publicæ; ſed hæc coram. Rogo te per *Chriſtum*, ut non ſolùm medicorum ope, ſed etiam hâc Philoſophiâ, quæ te abducat à mœſtitia, morbo reſiſtas. Bene & feliciter vale. V. Id. Junii, Anno M.D.XXXVI.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

FRanc*ofordia* in Nondinis venit ad me qui- Ep. 188. dam civis *Vvirceburgenſis*, cum tribus filiis, qui aliquandiu in Academia *Edelbergenſi* dederunt operam literis. Et quia decreverat eos aliò mittere, me in conſilium adhibuit. Ego cum adoleſcentes audiſſem, intellexiſſémq; maximum natu auditorem tuum fuiſſe *Norberga*, patri non ſolùm ſuaſi, ut *Tubingam* eos mitteret, ſed etiam confirmavi, te ſummâ fide perfecturum eſſe, ut rectè gubernarentur & erudirentur filii ipſius. Itaque pater me rogavit, ut literas eis ad te darem. Quanquam autem prius ad te venturum meipſum ſperabam, dedi tamen hoc epiſtolium adoleſcentibus, ut eis aditum ad te patefaceret. Nihil oneris tibi imponimus, niſi ut eos alicubi colloces apud præceptorem idoneum. Maximus nam bene promovit in literis, callet Grammaticen ſic ſatis, reliquis duobus opus eſt primâ & puerili exercitatione in Grammaticis. Video eis *Edelberga* defuiſſe aſſiduitatem illi ætati neceſſariam. Eámque ob cauſam pater inde abducendos eſſe putavit. De ingeniis eorum, déque inſtituenda tota ſtudii ratione, ipſe optimè judicabis. Ego quidem majorem illum jam ad ſtyli exercitia adhibendum puto, & ad reliquas diſciplinas, in quibus, ut familiariter te uti formatore ingenii poſſit, magnopere optat. Quæſo te propter publicam utilitatem,

tem, nè deſis his juvenibus. Scriberem plura, A
niſi fides mihi tua ſatis ſpectata eſſet. Bene
vale. *Francofordiæ*. Prid. Id. Septemb. Anno
M.D. XXXVI.

Nobili viro & egregia virtute ſingularique dignitate prædito Domino Danielo Stibaro, &c. ſuo Patrono, S. D.

Ep. 189. QUod fauſtum felixque ſit, expatiatus ſum ad
Ioachimum, ut amici ſummâ fide, pruden-
tiâ & doctrinâ præditi ſermonibus per aliquot
dies fruerer. Hic congreſſus utrique noſtrûm eò
fuit jucundior, quòd allatis hoc ipſo tempore
literis tuis, quaſi interveniſſe tu quoque noſtro
colloquio videbare. Fuit autem mihi gratiſſi-
mum, quod ex tuis literis cognovi, te memo-
riam noſtræ veteris conſuetudinis retinere. Nam
cum de ingenio tuo ſemper præclarè exiſtima-
verim, veluti divinans, te aliquando magno uſui C
atque ornamento Reipublicæ futurum eſſe, ma-
gnopere amicitiam tuam expetivi. Quare & con-
ſtantiâ tuâ delector, & benevolentiam tuam
præſidio mihi futuram eſſe confido. Utinam verò
amicitia noſtra prodeſſe etiam aliquid Reipubl.
poſſit. Non enim autor aut approbator ero un-
quam ullius immoderati conſilii, & meam opi-
nionem libenter ad bonorum & prudentum ju-
dicia adjungam, qui in commune cupiunt Ec-
cleſiæ conſulere. Hæc eò ſcribo, ut cum in literis D
tuis animum erga me tuum perſpexiſſem, confir-
marem tuum de me judicium, téque rogo, ut
tibi perſuadeas, me propter tuam ſingularem vir-
tutem, amicitiam tuam facere plurimi. Acceſſio-
nem dignitatis gratulor tibi, & precor ut fauſta
felixque ſit tibi & Reipublicæ: ſtatues enim di-
vinitus in hoc faſtigium te evehi, ut autoritatem
tuam ad communem pacem & Eccleſiæ ſalutem
conferas, & patriæ periclitanti aliquid opis affe-
ras. Viro nobili & præſtanti virtute & doctrinâ, E
Domino *Mauricio* ab *Hutten*, ut me reverenter
commendes, te etiam atque etiam rogo. Gratu-
laberis etiam ipſi meis verbis gradum honoris
honeſtiſſimum, in quo præclarè de Eccleſia
mereri poterit. Bene & feliciter vale. *Tubin-
gæ* die feſto *Angelorum*, Anno milleſimo quin-
genteſimo triceſimo ſexto.

Ioachimo Camerario S.D.

Ep. 190. DE Academia fuerũt ſermones Principis ho-
neſtiſſimi. Affirmat ſanctè ſibi nihil magis
in votis eſſe, quam ut conſervet ſcholam. De
te quoque fuerunt humaniſſimi ſermones Du-
cis, & judico tibi aditum ad eum patefactum
eſſe: pollicetur non defuturam acceſſionem
redituum Academiæ, modò à dignis fide ad-
moneatur. Multa queſtus eſt de fide illorum,
qui præpoſtere prius hæc negotia egerint. Ego
tamen eos utcunque excuſavi. Mitto argenteum G
nummum donandum filiæ Doctoris *Fuchſi*, quæ
mihi attulit munuſculum uxoris illius. Princeps
regaliter mihi donavit aureos centum. Bene
vale. *Chriſtus* te ſervet, Chariſſime atque
optime *Ioachime*. *Geppingæ*. Prid. *Lucæ*, Anno
M.D.XXXVI.

Magnifico viro Domino Rectori Academiæ Tubingenſis, & reliquis doctiſſimis & clariſſimis viris ejus Academiæ doctoribus ſuis amicis, S.D.

VIri Clariſſimi, Etſi non dubitabam, quin Il- Ep. 191.
luſtriſſimus Princeps, Dux *Vuirtemb.* de ſua
voluntate ipſe literas ad vos daturus eſſet, tamen
B exiſtimavi me vobis gratum facturum eſſe, ſi
ego quoque perſcriberem, quàm honorificè de
ſtudiis, déque Academia ſentiat, & quantopere
eam cupiat conſervare & ornare. Poſtquam
enim literas veſtras legit, & inſpexit ordinatio-
nem, me ad ſe accerſivit, ac diligenter interroga-
vit, quid exiſtimem deſiderari in ſingulis pro-
feſſionibus & quomodo eis conſuli poſſe arbitrer.
Ibi cum ſimpliciter ei judicium meum expoſuiſ-
ſem, primùm ſanctè affirmavit: ſe inter præci-
C puas partes Reipublicæ Academiam ponere, &
eloquenter expoſuit, quantas utilitates Reipub-
licæ tueatur Academia bene conſtituta, quòd
extincta doctrina optimarum artium, nec propa-
gari nec cõſervari Religiones poſſint, neč retineri
in Judiciis & imperiis Juſtitia. Addebat hanc
animo ſuo infixam eſſe opinionem, ſed nec Deo
gratiorem cultum ullum præſtare, nec alia in re
ulla de ditione ſua & de poſteritate meliùs me-
reri poſſe, quàm ſi efficiat, ut Academia rectè
D conſtituatur. Hanc voluntatem dicebat ſe nun-
quam depoſuiſſe, tametſi harum rerum delibe-
rationes aliquandiu extraxiſſet, propter quorun-
dam conſilia parum accommoda temporibus.
Hæc Illuſtriſſimus Princeps longâ oratione com-
memoravit, méque vobis ſignificare voluit, ut
vobis certò perſuadeatis, ipſum neque Acade-
miæ, neque Profeſſorum utilitatibus defuturum
eſſe. De ordinatione veſtra reſpondit: ſe ſum-
mâ voluntate illam confirmaturum eſſe, & com-
E miſſurum executionem ordinationis nominatim
ſenatui Academiæ. Ac nè quid mora afferat in-
commodi, addidit ſe brevi rem perfecturum
eſſe. De reditibus, inquit, ſi modò verà autori-
tate certior reddatur, ubi acceſſione opus ſit, &
quomodo utiliter collocanda ſit, non defuturam
Academiæ liberalitatem ſuam. Conſilium ve-
ſtrum de accerſendo aliquo erudito profeſſore
ſacrarum literarum, item de Juriſconſulto vo-
cando, maximè probat. Nam & ad juvanda
F ſtudia, & ad invitandos animos exterorum, exi-
ſtimat id conſilium profuturum eſſe. Scribetur
igitur ad *Brentium* quamprimùm. Dabuntur
etiam literæ ad aliquem Juriſconſultũ, modo ut
vos hominem idoneum & verſatum in foro
indicetis, cujus voluntatem exploraveritis. Me
quoque jam ad *Brentium* ſcribere juſſit. Hæc
duxi vobis ſignificanda eſſe, ut & judicium
Principis de publicis ſtudiis ſciretis eſſe graviſ-
ſimum & honeſtiſſimum, & intelligeretis vo-
G luntatem ejus erga vos optimam eſſe. Vos pro
veſtra prudentia & fide hoc præſtabitis Reipu-
blicæ, ut voluntatem Principis adjuvetis, cu-
pientis ſtudia conſervare, nec deterriti vel
temporum difficultatibus, vel iniquis judiciis,
ſpem de conſtituenda ſchola abjiciatis. D. *Si-
chardus* & D. *Leonardus Fuchſius* diligenti-
am

am & fidem dignam viris bonis in negotio
Academiæ juvando adhibuerunt. Ego me vobis
commendo, ac polliceor mea ſtudia atque offi-
cia Academiæ non defutura eſſe, ſi qua in re po-
tero de vobis bene mereri. Bene & feliciter va-
lete. Datæ *Nortingæ* die Octobr. XV. Anno
M.D. XXXVI.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

Ep. 191. IN aula *Elvangenſi* interrogavi de *Philippo* Du-
ce *Bavariæ*, exiſtimabatur vivere, & in caſtris
Cæſaris eſſe. Idem credibilius viſum eſt iis, qui
Noribergæ aliquid nôrant de rebus *Italicis*.
Aiebant etiam fratrem tuum huc ſcripſiſſe
Gotzi affini tuo, falſam eſſe famam de interitu
Principis *Philippi*. De captivate tota fabula fuit
commentitia. Itaque etſi certi nihil habemus,
tamen hac interim ſpe fruamur. Cæterum illud
conſtat magnam partem exercitus Cæſariani
abſumptam eſſe, non præliis, ſed fame & mor-
bis. Nunc Cæſar diſcedit è *Gallia*, ſed exercitum
retinet, ſit nè pacem facturus, incertum eſt. Ac
mirificam ſcito eſſe occultationem conſiliorum
& rerum geſtarum, quas quidem nos exploràſ-
ſemus, ſi quid hic habuiſſent certi. *Noribergæ*
amanter tractati ſumus, ſed incidi in flammam
contentionum, quæ iterum exarſerunt inter
τὰς δημαγωγίας. Erratur manifeſtè. Utinam nos
poſſimus mederi huic malo. Ego curis publicis
& privatis opprimor & conficior. Atque hæ
ipſæ faciunt, ut mirifico deſiderio tuæ conſue-
tudinis tenear, in qua pauliſper acquievi. Acer-
biſſimè me cruciant diſſenſiones in religione,
quibus crudeliter dilacerari Eccleſias & civita-
tes videmus. Quare abducamus nos ab illorum
contentionibus, & ſtudia conferamus ad eru-
diendam juventutem, & formanda judicia, ut
poſteris conſulamus, quantum poſſumus. Ego
omni contentione magis magiſque dabo ope-
ram, ut juventuti moderatas & utiles opinio-
nes inſtillem, eámque ab illis certaminibus in-
eruditis revocem. *Ebneri* mores vidi eſſe inge-
nuos, ſimplices, & homine Philoſopho dignos,
nihil arrogantiæ aut faſtûs deprehendi, id mihi
maximæ voluptati fuit. Objurgavi, quod non
reſcripſiſſet tibi, agnovit culpam, & dicit ſe de-
inceps futurum etiam in hoc officio diligentio-
rem. Nunquam à me diſceſſerunt *Hieronymus* &
ipſe. Judico utrunque tui amantiſſimum eſſe.
Filiæ meæ γαμήλιον dari curâſti precioſius quàm
vellem, ſed agnoſco tuum amorem. Bene vale.
Die Dominico, IX. Cal. Novemb. *Noribergæ*,
Anno M. D. XXXVI. *Ebnerus* & *Vitus* ſalutant
te, *Ebnerus* affirmat ducem *Philippum* vivere.
Nam heri allatæ ſunt literæ.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 193. MIhi quoque deſiderium tui crevit, quo lon-
giùs iſtuc receſſi. Ac domi etſi me multæ
turbæ exceperunt, tamen hæ non obruunt, ſed
incendunt potius tui deſiderium. Me abſente
magnas tragœdias excitârunt. Nec alicunde
oritur res, niſi ex odio literarum, quas me pu-
tant iſti quidem, vehementiùs propugnare, quod
adoleſcentiam crebrò ad hæc communia ſtudia
A adhortari ſoleo. Sparſæ ſunt epiſtolæ, in quibus
ſcriptum fuit: me non eſſe rediturum, quia diſ-
ceſſerim, propterea quod à *Luthero* & re-
liquis diſſentiam. Hanc vanitatem homi-
num rideo: ſed ſunt hic, quos hæ fabulæ mo-
verunt, qui ſatis declarant vel ſtultitiam ſu-
am, vel voluntatum infirmitatem. Nihil mi-
hi objicitur, niſi quòd dicor pluſculum lau-
dare bona opera. Hoc eo fit, dum has contro-
verſias propriè & diſertè explico, & ad Metho-
B dum revoco, quædam minùs horridè dico,
quàm ipſi, quæ certè & vera & utilia ſunt. Ac
poſt meum reditum conticuerunt hæ fabulæ.
Ego quoque meâ comitate iſta ſano. In noſtris
vetus conſtantia & dogmatum tuendorum &
voluntatis erga me animadvertitur. Quare ſum
animo æquiſſimo. Renovantur modò delibera-
tiones ἀεὶ [illegible]. Nam nuncius Pontificius,
qui Principes vocet ad Synodum, dicitur in
Germaniam nuper adeo veniſſe. De tua valetu-
C dine vehementer ſum ſolicitus, téque rogo, ut
mihi creberrimas literas mittas. Nam de cæ-
teris tuis reb⁹ minùs angor, tempus afferet con-
ſilium. De Academia veſtra, niſi *Brentius* ad vos
conceſſerit, & Juriſconſultum habebitis cele-
berrimum, parum eſſe ſpei poteſt. Expectemus
tamen tempora, σύμβουλος [illegible] χρόνος.
Tantùm curato valetudinem, cætera Deo com-
mitte. Si Synodus procedet, erit, ut vereor,
claſſicum ingentis motus. Hæc ego animo pro-
D ſpiciens, nihil ullam in partem faciendum vehe-
mentiùs mihi duco. Nam exitum etiam per
prævidere videmur, de quo ſæpe collocuti ſu-
mus. In proxima Eclipſi ego lapſus de ſcalis, af-
flixi os ſacrum atrociter, adeo ut nunc hæc ipſa
inter magnos cruciatus ſcribam, quos tamen
mitigat hæc ipſa epiſtola, in qua quaſi tecum
colloqui videor. Rogo ut reſcribas. Nam &
ego ſignificabo, quicquid habebo, quod velle te
ſcire arbitrabor, de Republica & de privatis re-
E bus. Bene & feliciter vale. Prid. Calend. De-
cembris, Anno M.D.XXXVI.

Cancellario remiſi ordinationem de con-
jugiis, addidi etiam, quid mihi videatur.
Cum *Baumgartnero* egi de *Amantio*. Is egit
cum *Lochingero*. Et *Lochingerus* ita dat diem,
ut quadrantibus anni certa pars ſolvatur. Saluta
amanter meis verbis honeſtiſſimam conjugem
tuam. Dices ſalutem καὶ τῷ ἰατρῷ.

F *Ioachimo Camerario* S. D.

SCribis eſſe quoſdam, qui dictitent ſe legiſſe Ep. 194.
literas à me ad amicos miſſas, in quibus de
dogmatibus, quæ noſtri defendunt, ſic diſſeram
quaſi de dubiis & incertis. petiſque à me, ut tibi
ſignificém, quæ maximè ſentiam eſſe ejuſmo-
di, ut relinqui, vel ſaltem mutari poſſe putem
ſine cauſæ præjudicio. Te quidem, mi *Ioachi-
me*, cujus & prudentiam & amorem erga
G me ſingularem plurimis, iiſque clariſſimis ſignis
perſpexi, quòd ſolicitum habent tales ſermo-
nes, non miror. Illis planè ſuccenſeo, qui
vel meas literas ſimpliciter & confidenter
ad ipſos ſcriptas, vel ea etiam, quæ ego nè co-
gitavi quidem, tanquam à me ſcripta proferunt.
Téque poſthac velim minus moveri talibus ru-
muſculis.

muſculis. Ego enim noſtram doctrinam ita certam & firmam & validam eſſe judico, ut nullâ ratione, nullâ ſapientiâ, nullo denique pacto convelli poſſit unquam. Vis ſi fortè afferatur, affligere ea nos poterit, veritatem, quam noſtra doctrina profitetur, non opprimet. Quod ſi in hac aliquorum peccata forte commemorantur, ea cauſam non lædere, neque aliis obeſſe debent. Ut autem verum fatear, ἐπείχθη δή τι εἰς ἐπείχθη, ὃ γὰρ ἐγὼ χαλῶ. Sed omnium, quæ & nunc nonnulla apud nos in reprehenſionem merito incurrere videntur, & poſthac fortaſſe gerentur minus rectè, horum igitur omnium & autores putandi ſunt, & culpam ſuſtinebunt illi ipſi, qui primùm ſanctam Eccleſiam turpiſſimè contaminârunt, deinde iis, qui repurgare volebant, acerrimè fuerunt adverſari. Nam & ea fuerunt vitia Eccleſiaſticorum & ii morbi, in quibus ſi medicina peccaret, non eſſet mirandum, & tanta contumacia atque refragatio omnium conſecuta eſt, ut moderationem & clementiam omnem celeriter perverteret. Ita accidit, ut neceſſario multa temerè fierent. Sed de his plura aliàs: omnia quidem τὸ ἐκβὰν κρινεῖ. Nobis autem τὸ πρᾶγμα conſiderandum, & quidem αὐτὸ καθ᾽ αὑτό. Volebam & alia, ſed vix hæc licuit, quæ ipſa αὐτοσχεδίως & breviùs quàm oportuerat, perſcripſimus. Vale καὶ εὐτύχει. Anno M. D. XXXVI.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 195. DIſputatione tua de Marte in duodecimo loco, quam reponere te ſcribis mentioni factæ à me Solis in ſexta domo, ſcito me valde eſſe delectatum. Multa autem vel plurima hoc tempore mihi magnas dabant cauſas neutiquam levis doloris. Et illa tamen tua haud fictè amica διαγελᾷ τοιόνδε γελῶν, ὃ πάνυ γ᾽ ἐμὲ γελασείοντα, quemadmodum ille apud *Platonem* inquit. Magis autem riſi indignationem tuam, qui tam graviter fers reprehendi ſententiam noſtram & judicium culpari, quibus probantur & commendantur Mathematicæ diſciplinæ. Sed iſtos harum vituperatores miror, non etiam titulum illum in has detorſiſſe: *De Mathematicis & maleficis*. Mihi quidem non ſunt ignotæ accuſatoriæ criminationes veterum quoque virorum pietate & doctrinâ excellentium, quædam etiam immodicæ, & in abuſu tunc increbreſcente exagitando, carpentes uſum quoque. Nos verò quid ſpectavimus aut egimus aliud? quàm verum uſum ut in ſcholas revocaremus, & ad hunc ſtudia converteremus adoleſcentiæ. Id quod & nunc curæ nobis eſt, & erit poſthac, donec colendis bonis artibus locus dabitur. Nam de divinationibus, quod quendam oſtendis deridentem has dixiſſe: Cur mihi ipſe non prædixerim illas difficultates, de quibus tantopere conqueri ſoleam, facilis eſt reſponſio. Neque enim faber ſibi maximè opera excudit, ſed aliis qui illis utantur. Neque ulla ars καθόσον τέχνη, ſuum commodum aut bonum quærit. Non enim ignota eſt tibi diſputatio *Socratica* πολιτείας α. Sed nos nè profitemur quidem artis illius ſcientiam δημοσιεύοντες. Quid dicent, ſi etiam lineas in manibus aliquorum inſpicere me ſolere, reſciverint, & divinare de eventis gratis & auditu jucundis? Jam ſomnia mea, quantopere partim exagiten-

A tur, partim irrideantur, non ignoro: Cum alii narrent multò abſurdiora & ſtultiora ſomnia etiam vigilantes. Quæſo te, nè iſtis fabulis movearis. Et eſt fortaſſis meliùs iſtam dari, & arripi occaſionem obtrectandi nobis, quam occupari in aliis, ex quibus orireturplus mali. Meminiſti hiſtoriæ *Alcibiadis*, qui elegantis & ſtrenui canis juſſerit caudam abſcindi, ut de eo loquentes homines, alia omitterent. Cum non ſolùm illiberales & turpes, ſed pernicioſi quoque ludi
B paſſim ludantur, cur non concederetur nobis horum ludorum neminem lædens, & fortaſſis aliquando proficiens recreatio? Scis enim quò hæc tendere velimus. Nam iſta pars pulcherrima τῆς φιλολογίας ἀπολείπεται. Sed ineptus ſum, qui tam multa de his ad te. Movit tamen me nonnihil commotio tua ob tales ſermones, de qua tam verboſa epiſtola nata eſt. Mihi verò credas, magis me delectant tales reprehenſiones & criminationes, quàm offendunt. Nam & inanes ſunt, &
C proficiſcuntur ab indoctis & imperitis & inimicis bonarum artium, quos malè de nobis loqui, neque mirandum, neque ægrè ferendum eſt cum bene loqui non didicerint. Ipſam quidem iſtam artem non prorſus vanam eſſe plerorumque γενέσεις convincendo illos iniquitatæ pravitatis probant. De libellis & epiſtola & amici quoque noſtri negotio, quæ ſunt in literis tuis, ſcribere nunc non potui, non etiam volui. Nam brevi nos unà futuros eſſe ſpero, & meam ſententiam oſtendi co-
D ram rectius eſt. Vale. Anno M. D. XXXVII.

Ioachimo Camerario S. D.

CUm ſcirem conventum indictum eſſe, ut Principes de Synodo deliberarent, nos de doctrina colloqueremur: Veni huc animo mirificè anxio. Nam qualia Principum conſilia futura eſſent, prævidebam; Et, ſi certamen acrius exiſteret inter Theologos, diſcordias videbam futuras horribiliores. Non enim ignoro, quò Ep. 196.
E propendeant animi certorum, & quibus ſuam fabulam ſinguli ſaltent. Venerunt huc *Lutherus*, *Pomeranus*, *Spalatinus*, *Oſiander*, *Vitus*, *Urbanus Regius*, *Amſdorfius*. Nam reliquos nominare nihil attinet. Ex iis qui diſſentire à noſtris putantur, nemo affuit præter *Blarerum* & *Bucerum*. Duæ autem cauſæ fuerunt inſtituti congreſſûs Theologici: Altera, ut de doctrina fieret collatio non futilis, ſed accurata, ut tollerentur diſſidia, & conſentiens doctrina & explicata in noſtris Ec-
F cleſiis extaret: Altera, ut deliberaretur, qui articuli ad extremum defendendi ſint ac retinendi, & anteponendi communi tranquillitati & omnibus rebus humanis, qui concedendi Pontifici, καὶ τῇ ἐκκλησιαστικῇ πολιτείᾳ propter pacem, & ad communem Eccleſiæ concordiam reſtituendam, ſi res ad moderationem aliquam deduceretur. Honeſtiſſimum profectò conſilium fuit inſtitutæ utriuſque diſputationis, & ortum de multis noſtris querelis & ſermonibus Sed neutra
G proceſſit: primùm de rebus concedendis, nullam prorſus volebant fieri mentionem indocti & vehementiores. Aiunt obfuturam nobis nunc in ipſa ἐνστάσει fabulæ inconſtantiæ opinionem, non ſolùm apud alios, ſed etiam apud noſtros, futurum etiam, ut cedentibus Cæſar acriùs inſtet. Hæc pariunt ſuſpiciones bonis & moderatis multiplices & ſolicitudinem augent. Dein-

de nè doctrina accuratè conferretur, nominatim petitum eſt, ne certamen aliquod augeret diſcordias, & fœderis diſtractionem afferret. Vidi hæc pericula impendere, priuſquam huc veniremus, ac monui noſtros, ſed erant pleni bonæ ſpei. Proinde hic, nè nihil ageremus, ac planè κωφὰ πρόσωπα eſſemus, juſſi ſumus componere aliquid de *Petri* ſeu Pontificis *Romani* primatu, de poteſtate & Juriſdictione Epiſcoporum. Hæc ſcripſi mediocriter & exhibui. Juſſi ſumus & παρέργως percurrere articulos Confeſſionis, & audire, ecquis diſſentiat in aliquo articulo, aut improbet aliquid. Ac principes diſertè teſtati ſunt, ſe formulam concordiæ conſervaturos eſſe: fuit breve colloquium. περὶ τοῦ μυστηρίου dixit *Bucerus* planè & clarè, affirmans præſentiam *Chriſti*, ſatisfecit noſtris omnibus, etiam iis, qui ſunt duriores. *Blarerus* generalia ſic fatis, adeſſe *Chriſtum*. Poſtea quædam addit ambigua. *Oſiander* urgebat eum paulò acriùs: ſed quia nolebamus excitare certamen vehementius, interpellavi diſputantem. Ita diſceſſum eſt, ut inter cæteros omnes conſenſus conſtitutus ſit, hic verò non repugnare videretur: ſcio hæc eſſe infirma, ſed aliud agi hoc tempore non potuit, præſertim abſente *Luthero*, qui doloribus calculi acerrimis conflictabatur. Hæc fuit [illegible] congreſsûs τῆς [illegible]. Principes deliberârunt; An Synodus præciſè recuſanda ſit, an verò promittendum, nos miſſuros eſſe noſtram legationem, ſed non conceſſuros judicium Pontificiæ parti, verùm petituros, ut Regum & Monarcharum autoritate delecti homines idonei cognoſcerent has controverſias. Hæc fuit magna & difficilis deliberatio. Noſtra ſententia ſemper fuit, nè ſimpliciter recuſaretur Synodus, quia etiamſi Papæ non liceat eſſe Judicem, habet tamen jus indicendæ Synodi; deinde judicium conſtitui à Synodo debet; ſed homines acutiores diſputabant has meas rationes argutas quidem eſſe & veras, ſed inutiles. Eam eſſe tyrannidem Pontificis, ut poſtquam conſenſiſſemus, nos venturos eſſe in Synodum, interpretaturi eſſent, nos etiam Pontifici tribuere judicandi autoritatem. Vidi aliquid eſſe periculi in mea ſententia, etiamſi erat honeſtior, ſed vicit altera ſententia, re diu acerriméque diſputatâ, ut hæc fatalia mihi videantur. Periculum eſſe video ingentis motûs, niſi Deus ſuccurrerit. Quanquam ſæpe dixi, rectiſſimè eos tantum hac recuſatione uti, ſi nolint quædam moderari & concedere aliquid τοῖς [illegible]. Illud mihi acerbiſſimum eſt, videre hæſuram ad poſteros diſcordiam æternam, & hæc fortaſſis barbariem horribilem, & vaſtitatem in hac natione omnium artium & officiorum civilium afferet. Vide quàm nunc delectet illa barbaries etiam quoſdam, qui avertere maximè debebant. Sed magna eſt in omnem eventum conſolatio in bonitate cauſæ. Reſponſum eſt igitur legato Cæſaris, recuſari hanc Synodum *Mantuæ* indictam, & peti, ut curet Cæſar indici liberam Synodum. Cæſaris orator multa contra diſputavit: Cæſarem curaturum, ut in illa Synodo ritè conſtituatur judicium, ſed hæc in genere dicta non movent noſtros. Habes omnia, quæ adhuc quidem hic acta ſunt. *Vitus* citius opinione meâ abiit, ſcribam igitur, ſi quid erit poſtea. *Lutherus* ἰσχουρίᾳ laboravit, ſeu à calculi malo ἐν τῇ κύστει orta, ſeu ab obſtructione aliâ viſcoſi & lenti humoris. Cum dies totos octo habuiſſet ἰσχουρίαν, deſperans jam de vita, hinc avehi voluit, quanquam erat admodum imbecillis, geſſimus tamen ei morem, ſtatim eâ nocte, cum abiiſſet, rurſus urinam emittere cœpit, Dei beneficio, ſatis largiter. Acciderant hìc quædam turpia ἰατρικὰ errata, quæ adhuc metuo. Nunc habet medicum prudentem & fidelem *Sturtiadem*, qui ſi initio affuiſſet, non incidiſſet *Lutherus* in hoc diſcrimen. Bene vale. *Smalcald.* Calendis Martiis, Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo ſeptimo.

Ioachimo Camerario S. D.

MEnſe Januario dedi literas nuncio *Tubingenſi Luſco*, ad te perferendas, in quibus ſcripſeram de futuro conventu *Smalcaldenſi*. Ep. 197. Itaque cum heri ad me tabellarius ille rediiſſet, exacto jam conventu, reperivi epiſtolam. *Blarerus* tuas literas reddidit, miſit alteras & *Mycalus* ex *Norico*. Valde mihi grata eſt aſſiduitas tua, ſed illa epiſtola, in qua eſt denegatio, magnum mihi dolorem attulit, etſi volui tibi prorſus liberum arbitrium ejus rei relinquere, méque cum alia noſtra pericula angebant, tum verò de valetudine tua valde ſum ſolicitus: ſi aër, ſi victus iſtic eſt commodior, cenſeo omnibus rebus valetudinem anteponendam eſſe, ſed ego tamen nondum indicavi cuiquam reſponſum tuum. Tempus expectemus, ut ſi ita cadet res, habeamus [illegible]. Veſtri me invitant ſedulò, atque utinam nos alicubi fortuna conjungeret. Nec dubito, quin ſtudiis publicis profutura eſſet noſtra conjunctio. Me nunc penè abſtrahunt à literis hæc inerudita negotia Rerumpubl, quæ me neſcio quo fato, ceu tempeſtas quædam, auferunt, quo minus illum vitæ ac ſtudiorum curſum tenere poſſim, quem maximè probo. Nec tamen video, quid proficiamus. Diſcrepant enim à philoſophicis & moderatis conſiliis opiniones indoctorum longiſſimè, quas rarò inflectere poſſumus, præſertim nunc in tanto tumultu. Quare tibi ocium tuum gratulare, quod ipſum tamen eſt verè [illegible], ac bene mereri de genere humano, formandis judiciis Juventutis, & excitandis ad virtutem & decus ingeniis. Id unum vitæ genus ſanctiſſimum, utiliſſimum Reipubl. & beatiſſimum eſſe ſtatuo, à quo utinam non depellerent me tempora. Hiſtoriam conventûs dedi *Vito Norico*. Nam is quoque adeſt: venimus huc, ut de doctrina colloqueremur. Sed id impediit partim *Lutheri* valetudo, quem hic atrociter afflixit Calculus, partim certorum hominum timiditas, qui accuratam diſputationem prohibebant, nè diſcordiæ inflammarentur. Itaque admodum παρέργως contulimus de doctrina. *Blarerus* moderatam dixit ſententiam περὶ τοῦ μυστηρίου, nec tamen ſatis explicatam. Nolui certamen acrius excitari, præſertim abſente *Luthero*. De Synodo dixerunt illiterati [illegible] ſententiam, præciſè recuſant, cum nos toto ſemeſtri contrarium ſuaſerimus, atque hic etiam reclamaverimus. Et ſunt tamen res ejuſmodi, ut noſtra ſententia dubitationem recipere poſſit. Quamvis hoc modo rem ad

ad arma maximè deduci aliqui opinentur. Nihil enim utilius eſt Pontifici, quàm nos, tanquam contumaces, obruere damnatione. Evocor *Auguſtam*, ſed eo nè proficiſcar, multæ graves cauſæ ſunt. Mitto conjugi tuæ Xeniolum, & precor, ut annus hic fauſtus & felix ſit tibi & familiæ tuæ & Reipublicæ. Tu valetudinem tuam cura diligenter. Cætera fatis, id eſt, voluntati divinæ, permittito. Ars eſt frui bonis quæ contigerunt, & ratione mitigare temporum & fortunæ injurias. Meminiſti illud *Pindaricum*: ἓν παρ᾽ ἐσλὸν πήματα σύνδυο δαίονται βροτοῖς ἀθάνατοι, τὰ μὲν ὦν οὐ δύνανται νήπιοι κόσμῳ φέρειν, ἀλλ᾽ ἀγαθοί, τὰ καλὰ τρέψαντες ἔξω. Idem cenſeo tibi faciendum eſſe. Cætera ex literis, quas dedi *Vito*. Bene & feliciter vale. Calend. Martiis, Anno M. D. XXXVII.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 198. MItto ad vos *Bernardum Ebreum*, non alia de cauſa, niſi deſiderio literarum tuarum. Id initio præfari volui, nequid gravius ſuſpicarere, téque rogo, ut ſi videor ineptus, veniam des amori noſtro δικαιοτάτῳ πάθει, ut vocat *Nazianzenus*. Nam profectò deſiderio tui mirificè crucior. Dei beneficio hæ regiones adhuc quidem tranquillæ ſunt, & ut diu ſint, faciat *Chriſtus*, propter ſui nominis gloriam, & ut Eccleſias mediocriter inſtaurare poſſimus, quod magno ſtudio jam annos aliquot egimus. Nec aliò ſpectârunt mea conſilia omnia, niſi ut correctis quibuſdam Paradoxis, extaret doctrina ſimpliciùs explicata, & revocarentur ad moderationem imperiti. Sed quid Synodus allatura ſit, ſi qua erit, nondum planè judicare poſſum. σχεδὸν omnia metuo. Nuper *Saxonica* familia & *Marchica* & *Cattorum* Princeps renovârunt veteres σπονδάς. Additum eſt novum caput, nè contra nos arma gerant illi, qui diſſentiunt, ſi quod bellum Cæſar religionis cauſâ moveret. *Marchiones* in hæc verba jurârunt, ſed Dux *Saxoniæ Georgius* refragatus eſt, ἐμμένει δὲ ταῖς παλαιαῖς σπονδαῖς. *Lutherus* convaluit. Ego & ſcholaſticis laboribus, & aliis conficior. Magno nobis uſui eſſe poſſes, ſi una eſſemus, ſed de ea re liberam tibi deliberationem relinquo. Res quidem adhuc integra eſt, & tui cupidiſſima eſt univerſa ſchola. Me iſtuc veſtri attrahere conati ſunt, ſed hæreo hic, neſcio quibus vinculis implicitus, & ut dicam quod res eſt, invitus hæreo. Sed ſi quid eſt incommodi, perferrem faciliùs, ſi adeſſes. Itaque nolo te cogitationem ea de re adhuc quidem abjicere, etſi ſemper duxi tempora in conſilium adhibendum eſſe. Tu verò etiam conſules valetudinem tuam: *Chriſtus* ſervet & gubernet te. Conjugi tuæ honeſtiſſimæ matronæ opto, ut feliciter pariat. Novi nihil habebamus, quod quidem dignum eſſet literis. A *Turcis* ſperant in *Germania* hoc anno nihil fore periculi, nè in *Pannonia* quidem, niſi irritentur. Nec ſunt jam in *Pannonia*, niſi exiguæ Latronum *Turcicorum* copiolæ. Mitto tibi aliquot geneſeôn figuras, ſed non obligo meam fidem, nihil in illis mendorum eſſe. Officio noſtro & ſtudio delectaberis, ut ſpero, téque rogo, ut viciſſim communices nobis, quicquid habes hujus generis, quod proferri in lucem poſſit. Habeo reliquas aliquot, quæ nunc deſcribi non potuerunt, propterea quod dederam eas ſcholaſtico, qui nunc abeſt. Rogo ut reſcribas de tua valetudine, déque omnibus tuis rebus, quarum ſum avidior, quàm fabularum de rebus *Gallicis*, de quibus credam fatis & veteribus oraculis. Cum *Goldingero*, qui in aula veſtra eſt, multa de te collocutus ſum. An te poſt *Smalcaldenſem* conventum viderit, ſcire cupio, prolixè tibi ſua officia detulit. Hortatus ſum ut te complectatur, nam ingenium ejus & induſtriam probo. Expecto tuas literas avidiſſimè. Bene & feliciter vale. Prid. Id. Aprilis, Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo ſeptimo. *Blaurerum* ſaluta meis verbis, quem reddidiſſe literas puto, quas ad te ſcripſi *Smalcaldiæ*.

Ioachimo Camerario S. D.

TAm diuturnum ſilentium tuum eo mihi eſt molestius, quòd de tua valetudine ſum ſolicitus. Itaque libentiùs miſi *Ebreum* noſtrum, ut aliquid de te certi haberem. Quem quidem jam expectare incipio, etſi ſcio admodum eſſe tardum, pro gentis pigritia. Utinam quam primum redeat oneratus à te lætiſſimis literis, & quidem magnis voluminibus. Res *Gallicas* arbitror tibi notiores eſſe, quàm nobis. Synodi auſpicia qualia ſint futura, videbimus. *Julius* habet bonas ſpes, multa enim collocuti ſumus in his nondinis ἐν Φραγκοφόρτῳ, & adeſt hic ἰατρὸς ὁ λόγιος, quem *Baſileæ* vidiſti. In his ſermonibus noſtris ſæpe honorifica tui mentio facta eſt. Reddidit mihi in his nondinis Auguſti Nomiſma *Guilelmus Reifenſteinius*. Id promiſſum tibi nunc mitto per *Cratonem*, quem tibi commendo. Ego ei *Epitomen Ethicorum* dedi, commentarium, ut ego quidem puto, futurum utilem ſtudioſis: & ſi quando poteris, tu quoque aliquid ei tuorum ſcriptorum dabis excudendum. De meis rebus alias, etſi in his nunc quidem nihil novi eſt. Bene vale vir optime & amice ſuaviſſime. *Lipſiæ*, Calendis Maii, Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo ſeptimo. Ep. 199.

Ioachimo Camerario S. D.

EGo verò nihil metuo *Iſidem*, magis *Typhonis* filium metuo, libet enim tecum ludere in hoc genere, non certare. Ac nè te diu exerceam, Chimæram timeo, hoc eſt totum illud Sophiſticum corpus, etſi ſummâ æquitate animi vel diſſimulabo injurias, vel depellam, cum expediet Reipublicæ. Nam in tantis rebus nihil faciam, niſi quod publicè profuturum videbitur. Certè ſine tuo conſilio nihil faciam. Mitto tibi *Sadoleti* ad me epiſtolam belliſſimè ſcriptam. De *Gallicis* rebus eo minùs ſcribo, quia arbitror tibi aut notiores eſſe, aut certè non minùs notas, quàm nobis. Ego verò jam alios ταραχὰς θορύβους formido, de quibus non eſt tutum aliquid literis cõmittere, poſt filiæ meæ partum, ſi poterit fieri, ad te expatiabor. Bene vale. Saluta *Brentium*, Medicum, & reliquos amicos. *Ebrardi* Ducis laudationem legi libenter, multo Ep. 200.

verò libentiùs graviſſimam orationis partem, in qua petulantiam juventutis inſectaris. Iterùm vale. Anno M. D. XXXVII.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 201. GAudeo tibi, ſalvâ matre, filium natum eſſe, & ex animo Deum precor, ut ſervet te & honeſtiſſimam conjugem tuam, & dulciſſimos liberos. Nec verò dubito, quin Deo curæ ſis, cum in ornanda Eccleſia, hoc eſt, in juvandis publicis ſtudiis, tantam diligentiam ac fidem præſtes. Nam hæc curæ eſſe Deo, exiſtimare debemus, eò quòd extinctis literis funditùs Eccleſia periret, quod utinam conſiderarent hi, qui ad gubernacula in Republ. ſedent. Sed quò delabor? verùm nôſti meum morem. Ad te quidem non aliter ſcribo, quàm coram confabulari ſolemus. Venio ad tuas deliberationes de prælectoribus: *Forſtemium* judico eſſe modeſto ingenio præditum, & in ſacris literis mediocriter verſatum, neque ut multi [illegible], qui ſe *Hebraicis* literis dedidere, nimium delectari ſuo ſtudio. Vides autem in ſcholis aliud quoddam doctrinæ genus, videlicet μεθοδικὸν requiri, & nonnihil hanc noſtram philoſophiam, hoc eſt, Peripateticam redolens, quam docenti aptam eſſe magnopere ſtatuo. Itaque de Theologo pronunciare non ſatis poſſum. Opus eſt enim vobis tali viro, qui aliquid afferat autoritatis, eámque virtute & ingenio tueri poſſit. Et difficilius eſt invenire, quos probes in hoc genere quàm poëtas bonos: ſed de his ad *Brentium*. *Illyricum* tuum cenſeo idoneum eſſe, vel ad enarrationes autorum, vel ad Ethicen, etſi τὰ ἤθη ſunt ornanda verbis, & nitore quodam & varietate hiſtoriarum, ſed tamen hunc probo, & quidem ipſe magnopere iſtic vivere cupit. Nos hìc de lectione *Græca* nondum conſtituimus, volui enim eam rem differre, & propter eas deliberationes, de quibus ſuperioribus literis ſcripſi, & propter alias quaſdam cauſas. *Matthias* rogat etiam, ut aliquid certi reſcribas. *Marchio Joachimus* Elector molitur inſtaurationem Academiæ. Huic commendavi *Antonium Nigrum*, qui recèns ex *Italia* rediit. Eram ei & *Matthiam* commendaturus, ſed *Marchica* deliberationes admodum tardæ ſunt. Spero me brevi cum *Nigro* collocuturum eſſe, qui etiamſi eſt Medicus, tamen alias quoque literas feliciſſimè tractat, & vellem eum in Academia aliqua juvare publica ſtudia. Abduxit hinc & D. *Pomeranus* quoſdam in *Daniam*, ubi Rex inſtaurat Academiam veterem, ſed his bellis collapſam. *Mycillum* audio redire *Francofordiam*, quem quidem mallem in Academia aliqua florente degere, & noſtris *Heidelbergenſibus* ſuccenſeo. Quid ſi lectio, quam *Micyllo* deſtinâras, *Matthiæ* mandetur, & Ethica tibi ſerves. Nam à te expoliri poſſunt. De meis rebus aliàs. Si poſt meæ filiæ partum, aliquantiſper licebit expatiari, excurram ad te. Nam hoc quidem tempore, dum Reges belligerantur inter ſe, nos minus habemus Synodicarum deliberationum, etſi mihi noſtra Reſpublica ſatis exhibet negotii. Bene vale. Poſtridie Idus Julii, Anno M. D. XXXVII.

A Saluta iſthic *Brentium*, Medicum, *Vollandum*, *Inſerum*, qui quid publicè aut aliàs doceat, quid præſtet, ſcire cupio.

Ioachimo Camerario S. D.

QUod fauſtum felixque ſit, proficiſcitur ad vos *Matthias*. Dedi ei literas ad Senatum Academiæ, quas quia volui contra meam naturam ſcribere ambitioſè, ſcripſi ineptè, ſed hoc B tempore impeditus occupationibus & quodam domeſtico dolore, non potui retexere. Contumeliis verò, quibus afficior ab inſulſiſſimis hominibus ſcito nec ſtudia mea admodum impediri, nec animum de ſtatu dejici. Te rogo, mihi ut ſignifices, quo animo veſtri meas literas acceperint, ſuſpicor enim quoſdam eſſe moroſiores. Ego quidem verè ita ſentio, *Matthiam* bene & præclarè mereri poſſe de literis, *Græcè* docentem, & ſi hic *Græce* doceat, te interea plus C profuturum ſcholæ, ſi *Latinos* autores enarres, & adoleſcentiam ad diligentiam in ſcribendo aſſuefacias. Neſcio an ullius generis artifex meliùs de rebus humanis mereri exiſtimandus ſit, quàm formator ſtyli. Is eſt enim, qui animos flectit, velut *Orphei* citharâ, ad moderationem, & acuit ingenia. De meis rebus ſcripſi quædam [illegible]. Hodie audiam τοὺς ἐν τέλει, nam Princeps adeſt. Dicuntur mecum expoſtulaturi, quod *Fribergico* concionatori interroganti de uſu D cœnæ Domini integræ, reſpondi timidiùs, cum illius audaciam confirmari nollem. Sæpe mihi venit in mentem illud, quod ſcribit *Æſchines* ad quendam amicum, gaudere ſe, quod à Reipubl. adminiſtratione liberatus ſit, perinde ac ſi à rabioſa cane liberatus eſſet. Ita ego non ægrè feram rumpi aliquando has compedes, quibus hactenus vinctus hìc teneor. Nam quod reliquum eſt ætatis, totum cupio conferre ad excitanda literarum ſtudia, quantum omnino o- E mnibus animi atque ingenii nervis ac viribus contendere poſſum. Et gaudeo eſſe aliquos hujus pulcherrimi atque optimi inter homines operis συνεργοὺς, te videlicet, & alios quoſdam optimos & doctiſſimos viros. Quem notaverim in declamatiuncula, [illegible], quam tibi mitto, facile animadvertes; quæ ſi te nonnihil exhilarabit, non perdidi operam. Mitto eruditam concionem [illegible] *Lutheri*, quam eo habuit, ut refutaret [illegible] cujuſdam, F qui negat in Eccleſia Decalogum docendum eſſe. Ego plecterer, ſi hanc concionem ſcripſiſſem, adeo ſunt inſulſa judicia populi. Res *Italicas* opinor tibi notas eſſe. *Turci* oppugnant *Corcyram*. Cæſar duo oppida cepit in aditu *Galliæ Narbonenſis*, amiſſis aliquot *Hiſpanicis* cohortibus. Vides nondum debellatum eſſe. Te quæſo, ut *Galli* geneſin inſpicias, mihíque de proximo anno tuam opinionem ſignifices. His [illegible] etiam nos oblectemus, ut levemus ani- G mos mœſtitia, in tantis publicis & privatis ærumnis. Ubi primum potero, advolabo ad te. *Sadoleto* nondum reſpondi, ſed brevi adornabo reſponſionem, tibíque exemplum mittam. Dicam de privata amicitia, ut ipſe, nihil admodum de publicis controverſiis: ſed ex *Italia* alii tunc de Republ. ad me graviſſimè ſcripſerunt, quibus Ep. 202.

quibus reſponſurus eſſem honeſtiùs, ſi mea conſilia valerent. Verum hæc aliàs. Bene & feliciter vale, mi chariſſime *Joachime*, animæ dimidium meæ. Die IV. Id. Octobris, Anno M. D. XXXVII. Saluta Med cum meis verbis.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 203. HIc adoleſcens *Michael Rheticus* non proficiſcitur rectà ad te. Quare de meis rebus nihil in his literis putavi ſcribendum eſſe, præſertim cum poſt *Matthiæ* diſceſſum, nihil inciderit novi. Adhuc enim expecto *Areopagitarum* de me judicium, ſed redeo ad adoleſcentem. Ante triennium ad nos venit ex *Italia*, meáque commendatione conſecutus eſt in ſchola junioris ducis famulitium. Poſtea docuit in ludo *Aldenburgenſi*, ac neſcio an natura delectetur peregrinationibus. Nunc ad vos iturus, petivit à me literas. Etſi non libenter onero te hoc genere officiorum, tamen te rogo, ut ſi eum juvare potes, ſine tuo incommodo, nè ei deſis; quærit diſcipulos, aut aliquam conditiunculam, cui par videbitur. Hactenus mores ſatis modeſti fuerunt, & in literis quantum profecerit, oratio ejus & verſus indicant. *Matthia* fueram traditurus explicationem τῆς μεγίστης *Ptolemai*, quam hic quidam noſter contubernalis *Friſius*, ſed à doctore *Philone Lipſico* adjutus, ſcripſit. Mihi videtur non eſſe ἀπροσδιόνυσος, ſed cum *Matthias* abiret, non venit mihi in mentem, ut literis adjungerem. Mittam aliàs. Bene vale. Poſtrid. Id. Octob. Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo ſeptimo.

Ioachimo Camerario S.D.

Ep. 204. SPero *Matthiam* jam ad vos perveniſſe bonis & fauſtis auſpiciis, optóque ex animo, ut ſanctiſſima conſilia veſtra in provehendis optimarum artium ſtudiis, Deus provehat. Nam dum ubique terrarum Reges dilacerant Eccleſiam & Imperia, nos interea, Deo juvante, quantum poſſumus, reliquias Eccleſiæ & ornamentorum ejus tueamur. Hoc munus, hanc curationem nobis divinitùs commiſſam eſſe ſciamus, ut certè eſt, quâ quidem nulla in vita glorioſior eſt, ſi verè volumus judicare. De meis periculis parciùs ad te ſcribo, vel quia exitum non ſatis proſpicio, vel quia onerare te hâc curâ nolo. Illud ſcito, neque æquitatem animi mihi defuturam, quicquid acciderit, neque ad has res gubernandas moderationem, quam ego certè quodam & honeſto conſilio mordicus teneo in his ſæviſſimis tempeſtatibus, ut me integrum ſervem aliis temporibus, ſi qua erunt apta iis conſiliis, quæ cogito. Nec me diligentiæ meæ pœnitet, quâ ſum uſus in explicatione dogmatum. Nec me deterrent ineruditorum judicia. Tantùm te oro, ut amicitiæ noſtræ memineris, quâ nihil dulcius in vita contigit. Et fortaſſis aliquid illa utilitatis Reipubl. attulit. De itinere tuo miror te nihil ad me ſcripſiſſe, ſed boni conſulam, ſi his meis literis copioſiùs reſpondebis. Novi hic nihil habemus, præter ſermones de clade accepta in *Croatia*, quæ ſanè major eſt, quàm ad me *Vitus* ſcripſit. Audio

A aliquot millia trucidata eſſe à *Turcis*. Amiſimus duos *Comites*, puto te nôſſe familiam, & Equites *Saxonicos* multos. Mitto tibi libellum de *Turcorum* Imperatoribus, quem etſi vidiſti antea, tamen quia aliud nihil habebam, his literis addidi, ſi fortè tu aut *Brentius* legere verſiculos additos velletis, quos ſpero te probaturum eſſe. Adoleſcens, cui hanc epiſtolam dedi, *Sileſius* eſt, auditurus Juriſconſultos apud vos, bono & modeſto ingenio præditus eſt. Quare
B cum tibi & *Amantio* commendo. Salutabis meis verbis *Matthiam*. Eram ei quandam ſylvulam miſſurus, quam quidem inchoavi, ſed ipſi ſunt occupationes meæ notæ, quæ creſcunt hoc tempore diſcurrentibus χειμαζομένων τῶν βασιλέων. Hodie de *Anglicis* rebus literas accepi, mediocriter tranquillæ ſunt. De pacificatione inter *Gallum* & Cæſarem, déque reditu Ducis *Wirtebergenſis* Junioris, quædam hìc audivi, ſed ab iis, qui ὑμῖν τῶν ἐμῶν βαδίζειν
C fabulas quaſdam diſſipabant, explorati nihil habeo. Mitto locum *Ptolemai*, quem ubi videris, poſtea diſputabimus copioſiùs. Bene vale, mi chariſſime *Joachime* & vir optime, & ſi me amas, reſcribe quam primùm. Die V. Calend. Decemb. Anno M. D. XXXVII. Conjugi meæ ſalutem meis verbis dicito. *Chriſtus* ſervet te & totam familiam tuam. Saluta *Brentium*, Medicum, *Matthiam*.

D *Ioachimo Camerario* S. D.

GRatum eſt mihi, quod me nonnihil ceſſante, tamen ſcribendi officium non intermittis. Nulla enim in re perinde acquieſco, ut in cogitatione noſtræ amicitiæ. Quòd autem ſcribo rarius, præcipuè putes in cauſa eſſe occupationes quotidianas, ſeu ærumnas potiùs meas, de quibus minus ſcribo, quia *Matthiæ* notæ Ep. 205
E ſunt. Fuit mihi voluptati, quod diſputationem de *Ptolemai* loco renovas de Cometis. Gaudeo enim non modò ſententias noſtras in Republ. ſed etiam domeſticas cogitationes congruere. Cum *Milichius* & ego primum ſpectaremus Cometen, qui hoc annò fulſit, ſtatim cepimus & de *Ptolemai* dicto, ac de te, copioſè confabulari: flamma erat pertenuis, ſed longiſſima, planéque veruti ſpecie ab ala *Pegaſi* ad pedem ejus projecta. Accedebat autem non tardiſſimo motu
F ad *Andromeda* caput, hoc eſt, propemodum à Brumali occaſu verſus meridiem. Id quod & *Lantgrafius Haſſiæ* animadvertit, qui portendi, jocans, ut videtur, aiebat adventum *Hiſpanici* exercitus in *Germaniam*. Nam paulò poſt conſpectum Cometen huc ille venit. Itaque eum non tantùm στρατηγὸν, ſed etiam συμφιλόσοφον habemus. Venit mihi obiter ſcribenti in mentem, quod dicebat ſe brevi nobiſcum unum menſem cõnſumpturum eſſe, ſed redeo
G ad Cometen. Vidit recens natum *Apianus* initio Januarii. Quare expecto has *Francofordianas* nondinas, ad quas ille fortaſſis aliquid de hoc prodigio mittet, poſtea plura hoc argumento ſcribam. *Sadoleto* nondum reſpondi. Et quanquam ſi plus ocii haberem, ſanè reſpondiſſem, tamen moram ad id, quod ipſe agit,

non inutilem eſſe puto. Scribunt amici nobis ex *Italia*, ſilentio cum meo offendi, & à quibuſdam incitari adverſus me, ſed ille fortaſſis putavit una epiſtola miſſa in *Germaniam*, non me tantùm, qui fateor me eſſe timidum, ſed omnes *Germanos* tanquam *Orphei* cantu flecti poſſe, ut cauſam abjiciant. Unus fuit *Romæ Capuanus* Cardinalis *Schoenbergius* pacis autor, qui aliquid concedendum putavit. Hunc habui æquiſſimum, ut literæ amicorum, quas nunc eo mortuo ſcribunt, teſtantur, ſed poſt hujus interitum magna conſiliorum commutatio ſecuta eſt. Edita eſt ridicula deliberatio Cardinalium de emendandis abuſibus, in qua prohibent in ſcholis proponi pueris colloquia *Eraſmi*, & ad hanc deliberationem ſunt adhibiti illi heroes *Sadoletus* & *Alexander*. Quid ſpei eſſe poteſt? Tota res eſt ἐν γόνασι θεῶν. De meis negotiis non libet ſcribere. Is qui contra me incitârat noſtros, nunc impudentiam, furta, ambitionem, hypocriſin ſuam ita prodidit, ut ad me lædendum, nihil habeat autoritatis. Et ego moderatione meâ placo eos, qui ſunt ſaniores. Gener me cruciat, de quo alias. Nuptiis *Matthiæ* bene precor, cui mittam γαμήλιον & literas proximè. Nam bibliopolis nolo committere. Bene vale. ἱστορίας congeſſi in commentarium. Idque deinceps faciam, ut liceat Philoſophari in ipſis epiſtolis. Prid. Calend. April. Anno M. D. XXXVIII. *Brentio* dic ſalutem, ſpero me eſſe excurſurum ad vos. *Stigelius* componet Epithalamion *Matthiæ*.

Nuper redierunt ex *Belgrado*, equites aliquot in proximo prælio *Turcico* capti. In his ſunt noſtri ſcholaſtici *Eraſmus Conricius*, & *Schulenburgius*, redempti a quodam *Judæo*, qui horum familias novit. *Schulenburgius* ſexcentis aureis redemptus eſt. Hi narrant veram pugnæ hiſtoriam. Affirmant admodum exiguas fuiſſe *Turcicas* copias, videlicet tantùm à præfecto *Belgradi* ad prohibendas populationes, contractas. Exercitum verò *Auſtriacum* ante *Catiani* diſceſſum fuiſſe numero & viribus ſuperiorem. Quare *Turcos* aiunt ipſos dicere, ſe non fuiſſe dimicatnros, niſi vidiſſent robur exercitus *Auſtriaci* ſcelere *Catiani* abductum eſſe. Poſt hujus fugam cùm reliquiis *Auſtriacis* plus quinque horis pugnatum eſt, & plures aliquanto *Turci* interfecti ſunt, quàm noſtri. Tandem vincunt *Turci* numero. Et noſtri quotquot reliqui erant, fame & labore confecti erant. Quare deditione factâ ab hoſtibus abducti ſunt, & aiunt ſe non crudeliter tractatos eſſe, poſtquam *Belgradum* venerunt. *Turci* ipſi *Catianum* execrantur, autorem tanti flagitii in re militari. Ita hoſtium prædicatione liberatur *Catianus* ſuſpicione perfidiæ. Imperitia & timiditas ejus accuſatur. Spero brevi illos ipſos adoleſcentes, quos nominavi, hic nobiſcum fore. Cum advenerint, petam, ut mihi & hiſtoriam integram narrent, & gentis mores, & apparatus. Quicquid audiero, diligenter tibi perſcribam. *Matthias* novit *Conricii* fratrem, quare ei hanc narrationem communicabis. Quid nunc *Turci* moliantur, an Imperator cum juſto exercitu ſit rediturus in *Pannonias*, an bellum *Italiæ* illaturus, nihil certi adhuc habemus. Tantùm

A præſidia in *Pannoniis* augeri ſcribitur, & occupari quædam oppida, quæ hactenus tenuit Rex *Joannes*. Inter Cæſarem & *Gallum* nondum arbitror certam eſſe pacem. Cæſar in conditionibus petiit (quemadmodum narrant) συμμαχίαν, ad bellum *Germaniæ* inferendum, qui detrectent ejus autoritatem in cauſa religionis. Hoc poſtulatum eò videtur atrocius, quia nulla eſt Synodi mentio facta, quare videtur abjecto jam conſilio de cognitione, tantùm

B armis rem acturus eſſe. *Gallus* repudiâſſe hanc conditionem dicitur. Itaque πρὸς αὐτὸν ὑπὸ ἡμεδαπῶν ἐπέμφθη πρέσβις, ad confirmandam ejus voluntatem. In his eſt *Baſilius*, qui ubi redierit, ſcribam exploratiora. Cæſar conſtituit menſe Aprili trajicere in *Italiam*, ut inde rectà in *Germaniam* veniat acturus conventum. Dicitur incenſus eſſe irâ adverſus *Germanos*, & non obſcurè prædicare, ſe contumaciam, ut vocat, *Germanorum* punitorum eſſe, eámque rem ar-

C bitrantur moturum eſſe, omiſſo *Turcico* bello. Nec ego dubito, niſi *Gallici* belli cura eum in *Hiſpaniis* retinuerit. Facilè judicari poteſt, qui ſint autores horum impiorum conſiliorum Cæſari. Et opinor quoſdam in ipſa *Germania* eſſe, qui pariter & in patriam, & in Eccleſiam, quæ eſt altera patria, crudeles ſunt, quibus accidet hoc, quod *Heſiodus* ait:

Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

D Nè Cæſari quidem utiliter conſulunt. Relinquet enim imperfectam fabulam. Nec feliciter geretur bellum pro Idolomania, & pro fœdiſſimis libidinibus ξενοερωτικῇ μανίᾳ, quæ duo genera ſcelerum plurimis gentibus exitium attulerunt. Sed paulò poſt de Cæſare habebimus exploratiora. Vidi formulam fœderis, quod *Carolus* Cæſar, Papa & *Veneti* contra *Turcos* fecerunt. Reipſa *Veneti* totum onus ſuſtinent, & nunc non adjuvantur à Cæſare. Quare claſ-

E ſis *Veneta* circumſeſſa à *Turcica*, nec navigare poteſt ac tueri ſuos portus, nec dimicare audet. Ac niſi Cæſar brevi miſerit auxilia, exiſtimantur daturi operam, ut cum *Turcis* in gratiam redeant. *Leodienſis* Epiſcopus, quem meminiſti & ſcurram, & Tyrannum egregium fuiſſe, mortuus eſt. *Burgundi* conantur ditionem *Leodienſem* occupare ſicut *Trajectenſem* occupârunt. Ita defendunt τὰς ἀρχιερείας ipſorum amici. Sed deſino dicere τὰ τυράννων. Nunc

F conventus agitur à noſtris Heroibus in urbe, quæ à *Bremo* nomen habet in *Saxonia*. Eò ad fœderatos noſtros venit Rex *Daniæ Chriſtiernus*. Nec aliud agi puto, quàm de defenſione communi. Et hoc conſilium ad publicam pacem utile eſſe arbitror. Niſi fatalia hæc eſſent, mirarer amentiam illorum, qui præſunt judicio *Amphillyonico Spiræ*, qui leges & ſententias ſanguine ſcribunt, cum videant ſuos minimè paratos eſſe. Minantur pro-

G ſcriptionem multis ex noſtris, quæ ſi quando fuerit edita, ſcito claſſicum fore ingentis belli. Prius fortaſſe redituri ſunt veſtri domum, ex quibus audies hiſtoriam conventûs, quàm hæ literæ ad te pervenient, tamen ſi quid audiero poſt reditum noſtrorum, quod putabo noſtris literis dignum eſſe, ſcribam.

Inſolentiam

Inſolentiam & ſuperbiam vide ducis *Henrici Brunſuicenſis*. Ab hoc petiverunt Dux *Saxoniæ* & Princeps *Cattorum*, fortaſſis & cæteri, ut fide publicâ liceret ipſis iter facere per ejus ditionem, ut conceditur etiam alieniſſimis. Ille neſcio quid magnum ſpirans, præcisè denegavit. Noſter deflexit in *Marchiam*, ubi à *Marchione* amanter tractatus eſt. Anno M.D.XXXVIII.

Ioachimo Camerario S.D.

Ep. 206. MUltis modis Epiſtolæ me tuæ hoc vere miſſæ delectârunt. Nam & crebras accepi, & omnes adeo ſcriptas amanter, ac deſiderium mei tantum ſignificantes, nihil ut dulcius atq; amabilius cogitari poſſit. Oſtendebant & valetudinem tuam mediocrem eſſe, quam quidem ſpero in illis ſalubribus locis fore firmiorem. Fuit mihi voluptati etiam orationis nitor ac ſplendor, quem jam adhibes in ſcribendo, ut nobis tuarum præceptionum exempla proponas. Quare tibi C pro tuo perpetuo erga me amore ac ſtudio gratiam habeo maximam. Fortaſſis aliquid etiam Reipublicæ profuit hactenus noſtra conjunctio, quare noſtrâ amicitiâ delectemur. Miſi, ut juſſiſti, commentarium tuum in *Tuſculanam* quæſtionem ad *Julium*, addidique epiſtolam, cujus ſi haberem exemplum, mitterem tibi: etſi enim erat horridior, ut ſunt meæ, nec referebat tuum ſplendorem, tamen aliquid habet argutiarum, ad quas non reſpondet ὁ ἀντισπῶν. D Mitto igitur utranque *Julii*, alteram ad me, alteram ad te ſcriptam, quam reſignare nolui, ut videretur ad te quaſi recentior pervenire, deſcribi tamen exemplum mihi cupio. Quòd verò meum judicium flagitas, opinor tibi antea notam eſſe opinionem meam de hac controverſia. Ego nullius generis artificem, ſine imitatione fieri poſſe ſtatuo, tantùm abeſt, ut Poëtam aut Oratorem futurum eſſe putem, qui nullum ſibi certum exemplar proponit, ad quod quaſi manum E dirigat, quatenus ſcilicet natura concedit; ſunt enim alii naturâ, ad aliam formam effingendam magis idonei, quod voluiſſe illum *Bembi ἀντίδικον* apparet de Ideis: ſed tamen, ut in cæteris artibus ad naturam ratio & conformatio accedere debet. Itaque vel mediocribus ingeniis hortator ſum, ut *Ciceronem* ſibi proponant, & hunc effingere omni ſtudio conentur, ſed imitatio multas habet partes, quas diſcernere ſoleo: phraſin & compoſitionem Periodorum. Id quod & ipſe F animadvertis. Non deerant tibi antea *Ciceronis* verba, nè phraſis quidem, ſed compoſitio periodorum alia erat, quam poſtquam ad Imaginem *Ciceronis* inſtituiſti. Vides quantum hæc tua recentia ſtudia præſtent ſuperioribus. Me ingenii infirmitas impedit, quò minus hoc decus ſperare unquam auſus ſim, etſi quid eſſet optimum, videbam. Deinde incidi in has rixas, ut vides, in quibus diſputatio aliam penè linguam requirit. G Quare & judicium laudo tuum, & tibi gratulor in hanc ingreſſo rationem, quam ſi perpolies, oratio tua ab omni parte perfecta erit. Propemodum ut *Dureri* picturas, ita ſcripta tua diſcerno. *Dureriana* grandes & ſplendidæ omnes, ſed poſteriores minus rigidæ, & quaſi blandiores fuerunt. Ita cum nunc copiam & ſplendorem ames, & ſonum grandiorem, efficies poſtea, ut A quaſi nonnihil remiſſis fidibus, oratio ſit etiam hilarior, qualis eſt oratio tua fere in familiaribus epiſtolis. Habes meum judicium, ſi quid tamen judicare poſſum, qui ſum alieni artificii æſtimator. Nam miſeriæ noſtræ non ſinunt nos in ſtudiis eum curſum tenere, quem maxime probamus. Utor ergo hoc parabili ſermonis genere, ut poſſum. Veſtram κατηγορίαν vidi & probo. Qualem inſtituerim, vidiſſe te arbitror, quam ſi juſſeris, pertexam. De quæſtione veſtra B reſponderunt *Pontanus* & *Lutherus*. Idem ſentiunt & alii quidam ex Juriſconſultis. Ad conſilium facultatis eò non retuli, quia nota eſt mihi quorundam inepta moroſitas. οὐ γὰρ τὸ γνωμικὸν τῆς ἐπιεικείας ἀλλὰ τὴν παλαιὰν συνήθειαν, & ægrè ferunt labefactari vel futilem traditiunculam, veritatem rerum leviter curant. Tales iſtic quoque eſſe aliquos ſcio. Ego placare quidem & adjungere illum ordinem nobis ſemper ſtudui, eáq; in re mediocrem adhibui cum diligentiam, tum induſtriam, C nec tamen illis omnia largior, ſed, ut ille inquit, τῇ μὲν δίδωμι, τῇ δὲ λαμβάνω. Dedi operam, ut non modò ſtudium in hoc negotio meum tibi probarem, ſed etiam ut ſatisfacerem vobis. Id an præſtiterim, ſignificabis. Certè duos magnos autores allego *Pontanum* & *Lutherum*. Tuæ conjugi mitto xenium, quod eram miſſurus ad natalem Domini. Geneſica quaſdam mitto. In his eſt Regia *Danici*, qui nunc regnum tenet, de qua judicium tuum audire cupio. Magiſtratum ſcho- D laſticum tibi gratulor, & opto, ut fauſtus & felix ſit ſtudiis, & ut Reſpub. ſit tranquilla. Mihi quoque hoc tempore ad reliquas occupationes acceſſit huius ſemeſtris dictatura, aliquanto, quàm veſtra, negotioſior, quam opto, ut gubernet *Chriſtus*, ſed deſino. Hiſtorica recenſui in alia charta, quæ & nota ſunt ibi, & leviora videntur, propter expectationem rerum majorum. De *Planto* accuratè ſcripſi ad Epiſcopum quendam *Anglicum*, & ad *Franciſcum* noſtrum, qui E cum tuo vetere amico *Bammelbergio* in *Britanniam* miſſus eſt, ut audiant Regis voluntatem de religione. Bene & feliciter vale. Poſtrid. Pentecoſtes. Noſtrum judicium de gradibus tu exhibebis Academiæ, cum commemoratione noſtri ſtudii. Addidi epiſtolam, in qua nonnihil reprehendo quorundam moroſitatem. Iterum vale. Anno M. D. XXXVIII.

Ioachimo Camerario S. D.

F

ADmodum improbabam ingenium iſtius Juvenis ante aliquot annos, ſed hi quorum nunc familiaritate utitur, dicunt eum aliquid aſſumere gravitatis, & mores eſſe meliùs compoſitos. Ego affirmare nihil poſſum. De cauſa illa, qua de ſcribit affinis meus, conſtanter reſpondet ſe manſurum eſſe in ſententia, ac venturum ad vos in autumno. Id ut poſſit fieri commodiùs, vult me hortatorem eſſe patri, ut *Tubin-* G *gam* mittatur. Scribam equidem ad patrem, ſed etiamſi non impero, tamen eſt ratio ineunda, ut datam fidem ſervet. Quare ego autoritate magiſtratûs ſum uſus, imperavique nè diſcedat, niſi iturus *Tubingam*, aut expectet, dum vos reſcripſeritis. Quam primùm igitur reſcribes. Interea nos ab ejus patre literas habituros eſſe ſpero. Nuncium veſtrum ſpero ad vos rediiſſe ſal- Ep. 207.

vum,

vum, cum noſtris literis: ſcire cupio, quo animo A acceperitis noſtrum reſponſum. Bene vale. V. Calend. Julii, Anno M. D. XXXVIII.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 208. EXpectabam jam à te literas, cum de *Joſephi* negotio, tum de aliis rebus. *Joſepho* concedit pater, ut *Tubingam* redeat. Id eo miror, quia aliquid de nuptiis reſcivit, ut literæ ejus indicant. Equidem ſum hortator adoleſcenti, & ut B properet iſtuc, & ut illam, cui conjugium promiſit, ducat. Admonui, quantum in perfidia mali ſit. Video eum eſſe animo perturbato, ſed tamen iturum ſe pollicetur, atque egò malim eum rectà ad vos, non ad patrem proficiſci, ut deliberaret vobiſcum, quomodo patri ſignificari negotium commodiſſimè poſſit. ἀλλ' ἡ φύσις τυραννικώτερον. Ego, quod mei eſt officii, diligenter facturus ſum, hoc eſt, ero hortator, nè violet datam fidem. Hic nobis no- C vos tumultus excitavit poëma *Lemnii*, monſtroſi hominis, cujus ingenium nunquam amavi, ſed propter paupertatem eum aliquando adjuvi. Nunc reddit malam gratiam, longa eſt fabula & indigna literis. *Lutherus* dyſenteriâ laborat jam dies ſedecim. Medici jubent nos bene ſperare. Et nos vota facere, ut Deus ei vitam proroget, æquum eſt, terreor tamen ὑπερείας ἀποδάς Regum vidiſti haud dubiè. Nunc ſunt deliberationes περὶ εἰρήνης inter αὐτοκράτορας καὶ τοὺς ἡμετέρους D in oppido *Iſenaco*. Ex *Britannia* ſcribunt *Franciſcus* & *Miconius* [illegible]. Diſputant jam περὶ δογμάτων, cum Epiſcopis, & primi congreſſus fuerunt ſatis felices. Habent enim iſtic quoſdam eruditos, nobis æquos & amicos, ſed καταστροφὴν expectemus. Bene vale. V. Cal. Auguſti, Anno M. D. XXXVIII.

Scripſeram mane hanc epiſtolam, poſtea audivi *Luthero* hanc noctem attuliſſe levationem morbi.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 209. TUas literas accepi, in quibus de meis periculis & amantiſſimè & prudentiſſimè diſputas, de quibus eo non libenter ad te ſcribo, quia ſolicitudines tuas augere nolo, præſertim cum toties ſignificarim, quæ regi conſilio & moderatione poſſint, in iis adhibiturum me diligentiam mediocrem, imò artem etiam. Quicquid autem acciderit culpâ carenti, ferre decrevi æquo F animo. Niſi fuiſſem hac æſtate in magiſtratu, planè diſceſſiſſem, nunc in publico munere, nè tanquam ex ſtatione fugerem difficillimo tempore, multas habui publicas cauſas. Itaq; ut Medici dicunt, multos magnos morbos curari quiete & abſtinentiâ, ita & ego patientiâ meâ aliorum iracundiam utcunq; placâſſe videor. Cauſa nulla fuit, niſi quod evaſerat *Lemnius*, qui quidem in me in primis fuit maledicus, cum multis meis officiis uſus ſit. Aula ſuſpicatur à quodam meo G propinquo adjutum eſſe, qui ſe purgat mihi, ſed illis non ſatisfacit. Verùm hanc totam fabulam indignam eſſe noſtris literis judico. Id quod eſt belliſſimum in *Lemnianis* epigrammatis de *Junone Argiva*, fortè ante annum ei monſtravi in *Pauſania*. Scis enim me talibus allegoriis delectari. Edidimus illo ipſo tempore, quo exarſerat iſte tumultus, *Taciti* libellum de *Germania*, A cui adjecimus interpretationem appellationum partium *Germaniæ*, de quibus, ſi quid aliquando tibi in mentem veniet, velim mihi quoque impertias. *Venetos* & *Vindos* non dubito eſſe ortos ab *Henetis*, habeóq; autorem non contemnendum *Plinium*. Ideo curavi edi, ut hic in pædagogio prælegerentur, ut pueri audiant aliquid de majoribus noſtris, & dulcedine hiſtoriæ capti avidiùs hæc excipiant. In veſtra Catecheſi & B res probo, video enim nos tanquam iiſdem veſtigiis ingredientes res eaſdem cogitare, & Oeconomiam rectè inſtitutam eſſe judico. Et quanquam ego ſcholaſticis verbis magis uti ſoleo, tamen & illâ populari formâ orationis, modò rerum proprietas retineatur, delector. Nam propter ἀκυρολογίας, quibus video poſtea imperitos uti, ego de induſtria confector illa ſcholaſtica verba, præſertim in præceptionibus. In aliis materiis oratione liberiore utor, ſiquid tamen ſcribo. C Nondum redierunt *Franciſcus* ex *Britannia*, & *Baſilius* ἐκ τῆς Γαλατίας. Heri nobiſcum fuerunt duo juvenes *Celtici*, qui rectà ex *Padua* veniunt, qui etſi deplorant τὴν βδελυρότητα gentis *Italicæ*, tamen narrant multos bonos viros cupidè amplecti puriorem doctrinam. Itaq; conſtitui *Duciſſæ Ferrarienſi* dedicare *Pſalmum, Dixit Dominus* hìc enarratum à *Crucigero*. *Græcum* Nomiſma aureum εἰδεχθόν habeo, in quo inſcriptio eſt mutilata, opus nobis eſt te divinatore, quare tibi D mittam, ſed per *Vitum* ex *Noriberga*. Nam negligentiam Bibliopolarum metuo. *Iulii* literas remitto, quas miror de præceptis ſcriptas eſſe. Poſtrema pars pertinet ad eum locum, quem ego complexus ſum in meis ad ipſum literis. Hiſtoricum veterem mihi nuper exhibuit *Spalatinus*, Epiſcopum *Merſburgenſem*, qui vixit cum *Othone* tertio, & *Henrico Bambergenſi*. Tuum civem honeſtiſſimis laudibus ornat. Itaque legens afficior magnâ voluptate. Nam & majorum præconiis E delector, & de te cogito, qui mihi eum Principem ſæpe prædicabas. Doleo etiam nunc, nec illius laudatiſſimi viri ſedem potuiſſe dignitatem, nec patriam tuam libertatem retinere, ſed his temporibus, præſertim motâ Republicâ ſubeundi bonis viris ſunt omnes caſus, quos hæ μεταβολαὶ πολιτειῶν afferunt, & tuenda rectæ ſententiæ profeſſio. Bene vale. Prid. Calend. Septemb. Anno M. D. XXXVIII.

F *Ioachimo Camerario* S. D.

HIc juvenis eſt Profeſſor Mathematum apud Ep. 210. nos. Naturam habet & ad eas artes idoneam & nequaquam ab humanitate abhorrentem, cumq; ſit φιλομαθὴς inprimis, libenter etiam impertit ea quæ didicit. Nunc expatiatus eſt, ut *Schonerum* & *Apianum* de quibuſdam materiis conſulat. Salutare decrevit & veſtrum Mathematicum: te verò magnopere amat, cum ob tuas vir- G tutes ac doctrinam, tum verò etiam propter noſtram amicitiam. Quare, ut eum amplectaris, te rogo: fortaſſe tardius ad te veniet, ideo ſcribo breviùs. Ex *Anglia* nondum redierunt noſtri. De Repub. nihil admodum habemus novi. *Turcicas* copias ſcis profligatas eſſe à *Walachis*. Etſi autem magni dicuntur eſſe apparatus apud *Turcos*, tamen *Pannones* habent χρυσᾶς ἐλπίδας. *Ioannes* ex

Walachia

Walachia acceſſivit *Polonicum* exercitum præſidio futurum *Pannoniæ*. Contra *Lemnium* volo te quoque Elegiam componere, quæ non convicia, ſed honeſtam & gravem objurgationem contineat, quæſo ut ea in re nobis gratificeris. Bene vale. Id. Octob. M. D XXXIX. Mitto verus Nomiſma.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 211. HAnc Epiſtolam dedi duobus *Francicis* adoleſcentibus, qui in Academia noſtra annos aliquot verſati, bene promoverunt in *Latina* lingua, in Dialecticis, & in Elementis Juris. Pater eſt in aula *Marchionis Georgii*, vir honeſtus & bene ſentiens de literis. Ipſi verò adoleſcentes modeſtis ingeniis, & bonis moribus præditi ſunt, & ut γνησίως *Francos* agnoſcas, ingenui & veritatis amantes, quo genere verè mihi nulla ingenia chariora ſunt, teq; ſcio eodem modo affectum eſſe. Quare tibi commendo hos adoleſcentes, ita, ut deducas ad aliquem ex Juriſconſultis, qui eorum ſtudia gubernet. Interdum etiam hortaberis eos, nè ſtyli exercitium prorſus omittant, ſpero eos tibi propter morum probitatem, jucundos fore. De noſtris rebus nunc nihil ſcribo, quia ſciebam, has literas vix poſt duos menſes ad te perventuras eſſe, qui ſi abierint δυσάντευκτοι, tranquilla forcaſſis erit æſtas. Poſtquam hinc diſceſſiſti, ſtatim inciderunt mirificæ deliberationes de ſummis rebus. Legatus ad Cæſarem de pace miſſus eſt *Londenſis*, ut vocant, à Rege *Ferdinando*. Is adhuc expectabatur cum hæc ſcriberem. Bene vale. Idib. Januar. Anno M. D. XXXIX.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 212. EPiſtolam tuam in itinere ſcriptam apud *Brentium* attulit mihi *Francus* noſter, Cal. Januariis. Poſtea accepi *Tubinga* ſcriptas binas literas de reditu tuo, quæ etſi ſignificabant aliquid de cruciatibus pedis, tamen ingenti me curâ ſolicitudineq; levârunt. Gaudeo enim te reverſum eſſe ad complexum honeſtiſſ. conjugis tuæ & dulciſſ. liberorum, optóque, ut Deus concedat tibi, ut tranquillè & feliciter & tuorum conſuetudine, & tuis optimis ſtudiis frui poſſis. Mihi nihil poterat contingere optatius tuis ſermonibus, prudentiâ, eruditione ac fide plenis, ſed tamen properare te domum paſſus ſum, quod verebar, nè morbus ingraveſceret. Quare magis valetudinis tuæ rationem habendam eſſe duxi, quàm noſtræ voluptatis. Statim poſtquam diſceſſiſti à nobis, inciderunt deliberationes τῶν ἀρχόντων de ſumma Reipub. quæ nos non mediocriter exercuerunt. Conventus indictus eſt *Francofordiam*, ad quem evocati, hodie iter ingredimur, quod fauſtum felixq; ſit. Princeps *Haſſiæ* duos tenet captivos, quorum alter inſidiatus dicitur vitæ principis, alter pertuliſſe mandata περὶ συνωμοσίας τινὸς plena ſceleris & crudelitatis. Quæ ſi vera ſunt, quid ego dicam? Ubi noſtræ gentis virtus, ubi rectæ & ſimplices mentes? Quamvis autem res adhuc in dubitatione aliqua verſetur, tamen nunc adeo quoſdam pudet conjunctionis cum illis, καὶ οἱ μὲν [Greek] laborántq; ut ſe extricare poſſint. *Lipſiæ* convenimus in proximis nondinis, *Bucerus* καὶ ὁ ἀρχιγραμματεὺς *Pontanus* & ego, τοῖς μὲν πολλὰ δια-

χωρῶντες ſed ex *Francofordia* ſcribam copioſius de Repub. Deum oremus, ut gubernet mentes & cōſilia noſtrorum Principum. Tanta eſt adverſariorum impietas, crudelitas, ἀθεότης, ut amare ac propugnare noſtros debeamus, etiamſi quid fortaſſe deſiderari poteſt. Nunquam tantum ſcelus in *Germania* cogitatum eſt à Principibus viris, quantum ferunt quoſdam molitos eſſe; Cujus quidem fabulæ alius exiſtimatur eſſe Poëta, alius actor, ſed dies proferet omnia. Mitto tibi epiſtolam ſcriptam ad patrem adoleſcentis, de quo mecum hic locutus fuiſti. Reſpondit ille quidem parùm civiliter, ut videre poteritis. In quo hoc eſt commodi, ut cum cenſeam veſtros jam plane eſſe liberos, gaudere ii debeant illam conjunctionem non proceſſiſſe Nam quantum mali ſit habere inconſtantes propinquos, nonnihil experior. Hæc ſcripſi mane admodū, ingreſſurus iter, cum quidem multis & publicis & domeſticis curis exercerer, quas Deo commendo. Bene & feliciter vale. Prid. Cal. Feb. Anno M. D. XXXIX.

Ioachimo Camerario S. D.

MEnſe Januario miſi literas *Vito* ad te ſcriptas mane, priuſquam iter ingrederemur ad conventum *Francofordienſem* profecturi. Adjeci & epiſtolam, quam mihi miſerat pater puelli illius adoleſcentis. Eum faſciculum an acceperis, ſcire cupio. Conventus nondum mihi certum argumentum ſuppeditabat. Adſunt *Palatinus* & *Marchio* acturi de pace, habéntq; ἐπάρχους conſiliorum duos, nobis ut putantur, non admodum propitios: nuncium Cæſareum, & nuncium Regis *Ferdinandi*. Cæſareus nuncius nuper acceſſitus eſt ad Epiſcopatum *Conſtantienſem*. Cúmque ſignificaſſet ſe venturum in urbem *Conſtantiam*, ut cum ſenatu coram de reducendo Collegio ageret, reſpondit, ut fertur, ſenatus [Greek], planéque *Laconice*: nec ipſi aditum in urbem, nec collegio reditum ſe conceſſuros eſſe Sic acceptus, quo animo ſit erga noſtros, non difficilis eſt conjectura. Ego [Greek] eſſe videor jam olim perſpexiſſe, cum eſſet in comitatu exulis *Danici* Regis, ubi tu quoque hominem videre potuiſti. Et eſt *Belga*, quod genus eſt [Greek]. Nondum audivimus pacis conditiones, de qua quantulum habeant ſpei noſtri, ex omnibus apparatibus ſuſpicari potes. Illud etiam duxi aſcribendum eſſe: Cæſareus nuncius antequam huc advenit, in itinere deliberationem quandam habuiſſe fertur cum quibuſdam adverſariis doctrinæ noſtræ, qui ad eum accurrerint in quoddam oppidum *Boiemiæ*: hoc ipſo ille non admodum diſſimulat, quid moliatur. Scripſit quidam ex illis huc, etſi ſtolidè, rabioſè tamen & minaciter, alii civilius. Vides anni tempus & poſitum ſiderū militari tumultus, metuo & famem propter futuram Eclipſin, de qua tuum judicium ſcire cupio. Meminiſti oraculum apud *Thucydidem* de bello *Peloponneſiaco*, [Greek]. Ubi dubitatum fuit λοιμὸς, an λιμὸς eſſet, ſed omnia concurrunt in bellis civilibus. Itaque & futura animo præmetiens, & retro clades & vaſtitates cogitans quas omnium temporum bella civilia pepererunt, non poſſum non execrari impios illos, qui Cæſaris animum & irritant & incitatum confirmant, quo minus certam pacem, ſi

non

non nobis, at patriæ & Eccleſiæ promittat. Nos igitur in tanto publico periculo *Chriſtum* oremus, ut flectat Principum animos ad pacem, & publica conſilia gubernet, ac nos ſervet. Hic juſſus ſcripſi ſylvulam trium orationum; ἐπιεικῶς ἐστὶν ἀμείνω. ὧν ἐγὼ διαλέξομαι αὐτῷ ὑμᾶς, quas, ſi erit pax, tibi mittam. Nam ſi non erit, eo argumento publicè quædam edenda ſunt. *Joannem Sturmium* hic expecto, quem ad ſe *Veneti* accerſunt. Adſunt *Britanni*, qui narrant, *Britannum* iſtum veſtrum de *Germania*, déque Eccleſiis noſtris admodum δύσφημα in itinere dixiſſe. Hos ſermones ut literis refutarent, ſtatim mandavi: Significabis igitur mihi, an rediens ex *Italia* tecum fuerit. Propemodum παλαιὸν eſt: *Omnes redeunt ex Italia nobis inimiciores:* Credo ut vel impietatem ſuam declarent, quam ibi hauriunt ἄμουσοι, vel ut videantur novum ſapientiæ genus afferre. *Micyllus* magnæ mihi voluptati eſt. Reliquam hiſtoriam conventûs tibi perſcribam ante noſtrum diſceſſum. Bene vale. VI. Calend Martii, Anno M. D. XXXIX.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 214. PRorſus hic teximus telam *Penelopes*. Cum ſemel formulam aliquam pacis repudiavimus, alia proponitur, ſed eadem ſententia, nonnihil mutatis figuris verborum, moras aliqui putant necti inſidioſè, ſed ea res nihil nos terruit hactenus. Ideo autem manſimus diutiùs, quia *Landgravius* ægrotus dat operam curationi, morbus adhuc quidem celatur. Affirmant tamen medici ſpeciem eſſe non admodum ſævam, ac ſperamus fore, ut brevi depellatur. Accidit autem intempeſtivè nunc quidem, ut morbo, in hoc articulo rerum, ille implicaretur, ſed Deus hæc gubernabit. Spero Rempublicam tranquillam fore, etiamſi à Cæſaris adhuc oratore non poſſint æquæ conditiones pacis obtineri. Poſtulat, nè quos deinceps adjungamus nobis. Hæc turpis conditio repudiata ſæpe, ſubinde rurſus ὑφαντικῶς proponitur. Habes totam conventûs hiſtoriam. Mihi nonnihil fuit certaminis, ſed poſtquam Cæſarianus nihil æqui proponit, deſii & ego contendere, ſi non fient induciæ, edetur publicè cauſa repudiatæ formulæ. Noſtri περὶ τῆς παρασκευῆς deliberârunt, nihil tamen moturi, ſi quieſcent adverſarii. Heri *Macedoni* allatæ ſunt literæ: *Brunſuicenſem* illaturum eſſe bellum *Bremenſibus*, quod ſi faciet, hærebit haud dubiè, ſed fortaſſis aliud molitur, & aliud præ ſe fert. Verùm brevi hæc quò evaſura ſint, ſciemus. Me hæc conſolatio ſuſtentat: hanc cauſam Deo curæ eſſe. Et erit haud dubiè, etſi ἀνεργείας noſtrorum in quibuſdam magnis rebus, ſæpe defleo, quas tamen, ut ſpero, tempus corriget, ἀδαῆς σύμβουλος ut ille inquit. Tui libelli hic magnæ mihi voluptati fuerunt. Excurriſſem ad te, ſi licuiſſet hinc abire, me enim aſſiduæ & odioſæ occupationes detinuerunt. *Roma* fuit deliberatio: utris bellum prius inferendum ſit, *Germanis* an *Gallis*; Et variârunt ſententiæ. Si erunt nunc induciæ, Cæſarianus poſtulat, ut *Noribergæ* conveniant delecti ex utraque parte, qui de dogmatibus & Eccleſiarum emendatione colloquantur, niſi fortè hoc quoque ſimulatur. Video omnia adverſariorum conſilia plena eſſe fraudum & ſimulationis. Noſtra fortaſſis interdum ἀπλότερα. Grata mihi fuit mentio nominis mei in tuis ſcriptis, ſed ornas me immodicè. Mitto tibi duo nomiſmata, habebam & tertium, quod *Jacobo Sturmio* reliqui. Erat aureus *Theodoſii*. *Jacobus* interpretabatur mihi notam in *Valentiniani* & *Theodoſii* nomiſmatis in vexillo, dicebat in *Chriſtianorum* Imperatorum illius temporis nomiſmatis conſpici plurimis. & judicabat eſſe χριστός, agnoſco igitur illud ἐν χαράγματι. Bene & feliciter vale, ac reſcribe, ſed mittes literas ad *Vitum*, ut in *Lipſicis* nondinis accipiam. Prid. Paſchatis, Anno M. D. XXXIX.

Ioachimo Camerario S.D.

Ep. 215. *PAx optima rerum,*
Quas homini noviſſe datum eſt, pax una triumphis
Innumeris potior: ——

inquit Poëta. Etſi autem quales ſint voluntates τῶν δυνατῶν non ignoras, tamen induciæ ſunt hujus anni. Princeps *Haſſiæ* ægrotat, ut nuper tibi ſcripſi. Etiam malum quoddam ut videtur bono fuit, difficultas annonæ, quæ major eſt apud nos, quàm apud vos. Magnæ hic & difficiles & odioſæ contentiones fuerunt, quarum argumenta tibi ſcribam, cum rediero domum, ut integram & veram teneas hiſtoriam. Non dubito Deum hæc gubernare, propterea te tranquilliore animo eſſe volo. Bene & feliciter vale. Jam aſcendo currum. X. Calendarii Maii, Anno M. D. XXXIX. Salutant te amanter D. *Cornarius*, *Micyllus*, & *Fridericus Myconius*. Et ego *Bucerus*.

Ioachimo Camerario S. D.

NOndum poſt reditum potui ad te prolixiùs ſcribere, Ita aliæ occupationes mihi ex aliis oriuntur. Serò redii domum poſt conventum, atq; inde ſtatim *Lipſiam* reducti ſumus, ubi his feriis Pentecoſtes concionati ſunt *Lutherus* & *Ionas*. Opinor nos hic relicturos eſſe *Myconium* & *Crucigerum*, qui Eccleſias doceant. Erunt paulò poſt etiam deliberationes περὶ τῆς ἀκαδημίας. quæ ſi procedent, ut arbitror, ὑπερχαλῶ καί σε ὁ ἡγεμών. Dux mortuus rem inauditam in *Germania* molitus eſt, ut excluſo fratre & cæteris hæredibus traderet ditionem alienis, ſed hæc jam agentem & parantem mors antevortit. Hæc quia vera ſunt, nolui dubitanter perſcribere, & exiſtimo cum cognoſcenda, tum memoria conſervanda eſſe. Mortuus eſt intra paucos dies τῆς χολῆς, quam ego ex animi commotionibus ortam eſſe judico. Eſt in Academia veſtra quidam noſter ſcholaſticus *Madeburgenſis*, auditor *Volmari*: pater eſt homo locuples, & de ſtudiis non malè ſentiens, nec rudis eſt literarum. Rogavit me, ut filium vobis commendarem. Quare ut ei hortator ſis ad diſcendum, te rogo. Tuam notitiam exiſtimabit ſibi honori eſſe. De Republica nihil admodum præter illa quæ ſcripſi habebam. Nam *Turcos* aiunt belligerari cum *Perſis*, & *Venetos* feciſſe inducias. Bene vale. Poſtridie τῆς πεντηκοστῆς. M. D. XXXIX. *Lipſia*. Salutat te Ep. 216.

ut

ut amicum veterem & ſummum *Juſt. Ionas*, qui A
pro *Theodoreto* dedicato, gratitudinem tibi debet
perpetuam. Et *Lutherus* quoq; te amanter ſalutat
in Domino. Salutat tuum in me ſinceriſſimum
animum, & uxorem quoq; *Georg. Heltus* ſenex.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 217. SCiurum tibi commendo, hominem, ut mihi quoq; videtur, integrum. Conflictatus eſt hic febri non ſine periculo, in qua ei noſtra officia B non defuerunt. Quod ad theologica ſtudia attinet, vidit quam nos in tractando methodum ſequamur, ſperóq; ei hoc exemplum profuturum eſſe. Mitto tibi literas *Lichtefeldenſes* civibus ſcriptas, quam illæ fuerunt horridæ priores. reſpondi amanter, diſſimulatis prioribus conviciis, ſumq; hortatus, ut filium adjuvet. Deus gubernet id negotium quoq;. De Repub. etſi multa habebam, tamen hoc tempore ſcit me *Sciurus* occupatiorem fuiſſe, quàm ut prolixè potuerim C ſcribere. Duplicat nobis labores ὁμωνία. *Cruciger* eſt *Lipſiæ*, diſputat & concionatur. Ante triduum rixati ſunt cum monachis *Dominicaſtris* in publica diſputatione horis continuis octo. *Miſnenſis* Epiſcopus & *Iulius* exhibuerunt Duci *Henrico* ſcriptum de religione: petiverunt, nè in ipſorum collegiis aliquam faciat mutationem, ſeipſos correcturos eſſe vitia ſuarum Eccleſiarum. Scriptum ad nos miſſum eſt, noſtris non ſatisfaciet, καὶ δυσαρεστεῖν. De conventu, quæ ſcripſiſti, D fuiſſe ſententias molliores, mi *Ioachime*, non miror reprehenſiones in tanta diverſitate voluntatum ac judiciorum. *Landgravio* & meâ ſententiâ ab initio fuit eadem, in quam poſtremò diſceſſum eſt: ſemper ille fuit hortator, nè res ad arma deduceretur, etiam ante ſuum morbum. Nec de ullis belli periculis diſputabat, tantum hoc ſpectabat, ἀμύνειν τὴν ὕβριν rectius putabat, quàm ὑπάρχοντα ἀναιρεῖν πόλεμον. Valde quoque movebatur difficultate annonæ. Et profectò in E *Cattis*, niſi noſtri eo frumentum miſiſſent, fame etiam fuiſſet laboratum. Cæterorum omnium ſententiæ initio fuerunt horridiores, ſed qui minus laboris ſuſcipiunt, ut ſolet fieri, plerique dicunt ſententias, perinde ut noſtri ſcholaſtici dictatas ſolutiones in diſputationibus legunt, rudes & ignari negotiorum. Scio etiam quas cauſas nonnulli habuerint. Civitatibus ignoſco, nam ſine reditibus Eccleſiaſticis tueri ſuas Eccleſias non ſatis poſſunt, ſed tempora illi rei medebuntur. F Mihi videtur accidiſſe divinitùs, ut hic annus abiret ſine bello. Nam utrinque & incenſi animi fuerunt, & parati multi. Moram autem prodeſſe nobis ſemper judicavi. De *Ciceroniana* inſcriptione, neſcio an illud tam magnificum munus illi, de quo ſcribis, tribuendum ſit, qui nunc abduci ſe à nobis patitur, etſi adhuc quidem fuit moderatus, καὶ τὸ νῦν ἔτι ἐπιεικής, ac fortaſſis expectat galerum *Romanum*. Decrevi ad eum & ad alios quoſdam ſcribere νουθετικῶς, ut patriæ concordiæ G conſulant, quæ ad reliquæ *Germaniæ* conſenſum & concordiam profutura videntur. Hic editur pars Phyſices noſtræ, de Anima, quam tibi mittam cum fuerit abſoluta. Carmen de Eclipſi libenter legimus hic, ego & cæteri omnes, qui has literas amant. Bene vale. VI. Cal. Julii. Anno M. D. XXXIX.

Ioachimo Camerario S. D.

GAudeo te filiâ auctum eſſe, ac precor Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, ut & te & Ep. 218. conjugem tuam honeſtiſſimam & dulciſſimos liberos ſervet. Quod a me flagitas hiſtoriam conventûs locupletiorem, nec quidem dignam ſcriptione judico. Erant contentiones non ſolùm cum adverſariis, ſed etiam inter συμμάχους, & aliis aliæ cauſæ certaminum. Alii diſſuadebant bellum recto conſilio, alii quia ſumtus fugiebant. Et contra ἁρμοδίῳ τινὶ occaſione utendum cenſebant. Poſtquam autem ad *Viſurgim* collectus fuit exercitus, tunc verò etiam illi angi animo cœpere, qui fuerant pacis ſuaſores. Erant igitur omnia in metu; & claſſica jam audiri videbantur. Princeps autem *Haſſiæ* ægrotabat. Sed divinitùs factum eſt, nè res ad bellum deduceretur: quæ omnia jam prius te audiiſſe non dubito. Quæ verò ſingulorum conſilia & voluntates fuerint, coram narrare tutius eſſet. Et nunc quidem ſpero ac opto ex omnium animis deletam eſſe memoriam harum altercationum. περὶ τῆς ἐπιεικείας rectè mutas ſententiam. Ille enim nunc palam hoſtis eſt. *Stibari* voluntatem retineri vellem. Etſi enim pacificationes & Synodos nullas ſpero, tamen alicubi lenire aliquas offenſiones illi moderatiores poſſunt, ſi ſunt viri boni. Ambitio depravat multos: inter quos ſanè vicem doleo hujus noſtri, & ſimiles illorum ſuiq; diſſimiles quoſdam. ſed hæc ita nunc ſiunt, ut nihil novi accidere nobis videri debeat, qui non ignoramus *Alcibiadas* & *Critias* veteres. *Carlovicius*, meo judicio, ad eloquentiam *Ciceronis* effingendam non minùs ingenii habet quam *Iulius*, & eſt ejus oratio nervoſior. *Iuliana* eſt alicubi languidior. Et habet *Carlovicius* conjugem, tenétq; præfecturam nobis vicinam. Nunc etiam emendationem Eccleſiarum, ut audio, adjuvat, etſi non vidi eum poſt mortem Ducis *Georgii*. Quod ſi erit nobis æquus, aliquando erit ornandus dedicatione, expetit enim hunc honorem, quo quiſpiam, te quærere, neq; aliud quicquam certò ſcio. Id eo aſcripſi, non ut *Stibarum* nunc prætereas, ſed quia ſcio te ſcire cupere, quæ ſint voluntates ſtudioſorum erga nos. Utinam, mi *Ioachime*, afficerentur hi qui præſunt, Eccleſiæ calamitatibus, ut *Samaritanus* ille apud *Lucam*, vulnerati miſericordiâ afficitur, ſicut Deus poſtulat: ſed qualia portenta ſint αἱ ἀρχαὶ καὶ δυνάσται ταῖς, videmus, ἄλλα τ' ἐσόμενα. Ergo dum licet, & mediocris eſt tranquillitas, fruere ſtudiis, & quod potes operæ conferto ad ornandas ac tuendas Eccleſias. Me occupationes abſtrahunt à ſtudiis, ſed tamen quantum poſſum præſtare, curæ laboréſq; omnes ſpectant ad excitanda ſtudia, & adjuvandas Eccleſiolas noſtras. Prima editio libri περὶ ψυχῆς ſylvula erit. Poſtea te adhibebo *Ariſtarchum*, ſed profectò delector hoc labore, & collegi eruditas & non inutiles diſputationes. Paginæ XVI. excuſæ ſunt. Juſſi tibi libellum de Eccleſia mitti; in cujus fine declamito adverſus novam ſophiſticam illius noſtri & ſimilium, qui nunc novo artificio pingunt abuſus, ut retinendi videantur. Talem nobis librum miſit nuper ille, in quo ut eſſet παλαιγενὲς προσωπεῖον, quædam ex noſtris decerpſerat καὶ νίκας. Poſtea inſulſiſſimè excuſat & defendit

dit multas ſuperſtitiones, etiam divorum invocationem. Anno ſuperiore eaſdem ineptias expoſuerat ... ut mihi ipſe narravit. Bene vale. Prid. Cal. Sept. Anno M. D. XXXIX. Salutant te *Melichius* & noſtri omnes.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 219. SUâ causâ *Bernardus Ebreus* hoc iter ſuſcepit, quod initio præfandum eſſe duxi, nequid aliud ſuſpiceris. Quærit ſedes & munus æditui in veſtris Eccleſiis, méq; rogavit, ut cauſam ſui diſceſſûs aliquibus ſignificarem, nequid habere ſceleris videretur: ſcito igitur ipſum vacare culpâ. Uxor ab eo diſceſſit, ac etiamnum abeſt apud quoſdam ſuos propinquos Nunc decrevit *Bernardus* alibi vivere, quia illam ſequi non vult, neque rectè poteſt. Hæc eſt negotii ſumma. Scripſi eodem argumento ad *Sneppium*, ut vos habeat teſtes, ſi quis interrogabit de cauſa errationis hujus. Ita vixit ſemper, ut ejus probitatem omnes, C etiam in duriſſimis ipſius caſibus, laudarent. Bene vale. III. Id. Sept. M. D. XXXIX. De noſtris negotiis miſi literas ad te per Bibliopolas.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 220. HAnc epiſtolam cum ſcriberem, ſubiit animum meum recordatio itineris tui, quod anno ſuperiore circa hoc ipſum tempus ad nos ſuſceperas. Ac ſimul in mentem venerunt graviſſi- D mi fideliſſimique ſermones tunc & de Repub. & de meis rebus mecum habiti. Quæ tunc parari atque impendere putabantur, meminiſti. Vide autem, ut quotidie ἐν παροξυσμοῖς, ut medici loquuntur, creſcant pericula. Jam impendent ſimilia, & accedit diſſidii periculoſi metus, quod utinam Deus dirimat. Nondum ſcio κατάστασιν conventûs *Arnſtadiani*, ubi deliberârunt fœderati de proſcriptione *Mindenſi*, quam tibi notam eſſe arbitror. His proximis diebus *Marchio Georgius* erit E διαιτητὴς inter noſtros, qui utinam redigat illos in mutuam gratiam De privatis rebus, mi *Joachime*, optâtim me lætiora ſcribere poſſe. *Sebaldum* & ejus conjugem amiſimus. Id ita accidit: Duo *Genderi* adoleſcentes, dum, ut ſunt puerorum cupiditates, vagantur in ſuburbio noſtro, contagium Peſtilentiæ inde in ædes *Sebaldi* referunt, & ordine extincti ſunt, primum *Genderus* minor, deinde ancilla, quæ hunc mortuum F veſtiverat, poſtea frater *Genderus*, deinde conjunx doctoris *Sebaldi*, nec *Sebaldus* poſt ſepultam conjugem diutiùs quatuor horis vixit. Tantus cordis dolor acceſſerat ad morbum, qui jam curari cœperat. Deinde tres alii ſcholaſtici horum ſodales mortui ſunt. Liberos abduxit D. *Martinus* in ſuas ædes. Nam ego eo die adhuc in itinere *Berlinenſi* eram. Nunc pueri apud me ſunt, quos ut ſervet Deus opto ac oro. Me dolores animi quos tuli toto trienno acerbiſſimos & continuos, & cæteræ quotidianæ ærumnæ ita conſum- G pſerunt, ut verear me diu vivere non poſſe. Nunc autem fortaſſis non modò meis liberis, ſed etiam illis orbis meâ vitâ opus eſſet, ſed commendo meas res *Chriſto*, volo tamen te noſtræ amicitiæ memorē eſſe, quicquid de me fiat. *Lipſiæ* totâ hyeme ſic ſatis graſſata eſt peſtilentia, & adhuc graſſatur. Ea res impediit etiam deliberationes de

A ejus urbis ſchola etſi nuper dux liberaliter reſpondis. Rector enim *Bornerus* noſter ſcripſerat ad principem de Academiæ ſtatu, cui Princeps pollicitus eſt eam rem ſibi curæ fore, quia judicet Academiam præcipuum eſſe & ornamentum & caput ditionis, eo enim verbo uſus dicitur. Opinor iterum fore conventus de abolenda proſcriptione *Mindenſi*. Ex *Viti* literis intellexi te *Noriberga* fuiſſe, & valetudinem bonam eſſe, quam ut confirmet Deus, opto. Cauſam ὁμοβιώσεως nuper B caſu diſputavi, eáque res mihi novum certamen parit, de quo aliàs. Bene & feliciter vale, & his auſpiciis novi anni aliquid quæſo ad me literarum mittas. V. Cal. Decembr. M. D. XXXIX. Saluta meis verbis & honeſtiſſimam conjugem tuam & D. *Fuchſium*. Sentio ventriculum meum valde lædi tenuibus & turbidis vinis, quæ hic habemus. Et inde ortæ ἀγρυπνίαι afferunt mihi inſomniam. Si eſſem alibi, melius ſperarem de mea vita, ſed hæreo, ut vides, ad *Caucaſum* alligatus.

Ioachimo Camerario S. D.

CUm non haberem idoneos tabellarios ex noſtra *Chalcide*, non libuit multa ſcribere. Ep. 221. Et tamen ex *Francofordienſibus* nondinis expectare te literas meas arbitrabar. Dedi igitur hanc Epiſtolam civi *Smalcaldenſi* ituro *Francofordiam*. De Repub. adhuc incerta ſunt omnia. Cæſar *Carolus* mirè occultat ſua conſilia. Tantum illud D fertur. Aiunt afferre eum deliberatam ſententiam, quam nobis proponet, hanc ſi qui recuſabunt accipere, armis ſcilicet res agenda erit. Noſtri nuncios ad eum miſerunt, qui petant ut ſuam voluntatem de pace ſignificet, ac oſtendant noſtròs pacis cupidos eſſe. Laudo & moderationem & gravitatem noſtrorum, quî, ſi non flectetur, ſatis apparet alienæ crudelitatis arbitrio rem geri. Illud certum eſt Pontificem prohibere, nè inſtituat diſputationem de Eccleſiaſticis controverſiis pro- E miſſam annò ſuperiore. Commendemus ergo & Eccleſias noſtras & Reſpublicas Deo & Filio ejus Domino noſtro *Ieſu Chriſto*, quem rogemus, ut tantos motus gubernet ipſe, nec ſinat opprimi doctrinam veram & utilem Eccleſiæ. Scribam plura & certiora paulò pòſt. De meis libellis quòd ſcribis quoſdam queſtos eſſe, miror eos nunc offendi paucis clamoſioribus conciunculis, cum antea ſurdis auribus tam multa leniter & utiliter monentem audierint. Sed Deus erit Judex harum F controverſiarum. Non poſſum nunc mittere libellum de Anima, ſed mittam alias, rogo ut inſpicias & emendes. Ego variis & curis & ærumnis conficior. Bene vale. XI. Martii *Smalcaldiæ*, Anno *Chriſti* M. D. XL.

Ioachimo Camerario S. D.

ANte quadriennium cum apud vos eſſem, comitatus eſt *Melichium* Juvenis *Francofordianus Nicolaus Bromius*, modeſtiâ & ſuavitate Ep. 222. G ingenii ſingulari præditus. Is cum mecum hic in conventu deliberâſſet de ſuis quibuſdam negotiis, & *Auguſtam* iturus eſſet, conſtituit deflectere de via ad vos. Quare ei hanc Epiſtolam dedi, nè adoleſcentem utriuſque noſtrûm amantiſſimum ſine literis ad te meis dimitterem. Tuas avidè expecto. Nam ex *Francofordia* nullas accepi. In

conventu

conventu quid agatur, etſi narrare poteſt *Bromius*, tamen breviter meo more annotavi in charta, quam adjeci huic Epiſtolæ. Si antiqua *Germanorum* virtus non languefacta, ac pene extincta eſſet, jam credo ad arma deventum eſſet. Sed video magnam eſſe in utraque parte ignaviam. Et fortaſſe Deus frænum utriſq; injicit, nè teneræ Eccleſiæ & ſcholæ prorſus diſſipentur, quem quidem oremus ut ipſe gubernet hæc pericula. Sextus hic conventus eſt, mi *Joachime*, cui interſum. Quàm diſſimilem autem hiſtoriam me colligere putas cum omnium facta animo repeto, cum conſidero quantæ voluntatum μεταβολαὶ acciderint de quibus ſcribere non poſſum? Sed ſi mihi Deus prorogaverit vitam, ſum enim confectus doloribus, excurram ad te paulò pòſt, & coram pleraque exponam. Enarrationem tuam in ſecundum *Iliados* expecto, amo enim veteres genealogias, ut ſcis, méq; oblecto cogitatione veterum Heroum, cum hæc tempora tales viros maximè deſiderent. Feci te *Ariſtarchum* libelli de Anima, quare te etiam atque etiam rogo, & ut inſpicias, & ut emendes, præſertim ſi putas uſui fi turum ſcholis. In *Romanis* prolegomena continent explicationem, ut judico, integram loci περὶ τῆς [illegible] ſed Typographus fuit in edendo admodum negligens. Adſtabat hæc ſcribenti D. *Pomeranus*, qui non ſolùm admonet te promiſſatum annotationum in *Novum Teſtamentum*, ſed etiam flagitat promiſſum. Multis gratum facies, ſi vocabula obſcuriora, & phraſes aliquas diligentius enarrabis. Amanter te ſalutant D. *Jonas* & D. *Pomeranus*. Scribam cum diſcedemus copioſius. Bene & feliciter vale. V. Aprilis, Anno M, D. XL. Ex *Vulcania*.

Conventus anni M. D. XL.

Scripſerat orator Cæſaris *Caroli*, Imperatorem *Carolum* non moturum bella, ſed deliberaturum de Concordia Eccleſiarum ſarcienda moderatis rationibus. Itaq; juſſi ſumus diſputare [illegible] Hanc cenſuimus reddendam eſſe Epiſcopis, ſi volent piam doctrinam amplecti, & tollere ex Eccleſiis vicia, quæ diſſimulari non poſſunt, & in noſtris ſcriptis taxantur. Hæc eſt noſtri conſilii ſumma, quod moderatum eſſe, te quoq; judicare arbitror. Exhibitæ ſunt deliberationes in conventu, & fuerunt congruentes ſententiæ omnium concionatorum. Hic primus eſt actus conventus. Deinde allatum eſt reſponſum Cæſaris, in quo nondum clarè dantur indicia, ſed tamen bene ſperare jubemur. Nunc expectantur duo Comites venturi à Cæſare cum mandatis, in quibus dicitur petiturus Cæſar, ut ſecum privatim de religione agamus, oſtendit ſe breviter diſputatis rebus, vera conceſſurum eſſe: putant nonnulli hoc agi, ut ſine majore tumultu, res noſtras arte obruant ac ſepeliant. Itaq; noſtri hanc ἐπιμεν δίκην defugiendam putant. Artificia tentantur, cum arma metuantur. Sed ſciemus certius quid afferant illi, cum venerint. Et ego veſtris legatis literas dabo; verùm viciſſim flagito, ut aliquid reſcribas: mittes autem *Vito*, ut *Witebergæ* accipiam. Habes de conventu omnia. Nec ſi hic adeſſes, de negotiis plura ſcires. Voluntates hominum meliùs introſpicere poſſes. Benè vale. Anno M. D. XL.

A

Ioachimo Camerario S. D.

CUm in itinere eſſem *Gothæ*, venit ad me *Paulus Eberus*, epiſtolam tuam proximam afferens, quæ cum eſſet dulciſſimè ſcripta, magnam mihi levationem attulit, conflictanti novis quibuſdam curis. Utinam autem mi *Joachime*, meæ literæ poſſent tibi voluptati eſſe, ſtudium & amorem voluptati tibi eſſe certò ſcio. Sed argu- Ep. 223.

B

menta, cum temporum hiſtoriam ſcribamus, ſunt inſuavia, ſed tamen in his hiſtoriis temporum hoc ineſt boni, quòd Eccleſiæ doctrina præclarè illuſtrata eſt, quam cum non dubitem Deo curæ eſſe, ſpero etiam mediocres exitus. Hac me conſolatione ſuſtento, quam tibi ſæpe inculco. Cæterùm ut *Pericles* inquit, magis ſe domeſtica vicia; quam hoſtes metuere, ita profectò magis angunt animum meum quædam [illegible] quorundam noſtrorum, quàm quæ ab hoſtibus impendent.

C

Sed diſcamus res humanas non tantùm conſiliis hominum regi. Belligeratur diabolus cum *Christo*, & objicit rebus bonis non levia impedimenta. Nos tamen vetat *Chriſtus* frangi animis, quem quidem oremus, ut nos gubernet, qui cum voluerit vocari *Emmanuel*, affuturum ſe nobis eſſe teſtatus eſt. Hiſtoriam conventus *Smalcaldiani* breviter deſcriptam tibi mitto. Si exemplum noſtræ reſponſionis, cujus ibi fit mentio, flagitabis, deſcribi tibi curabo. De tua, & conjugis tuæ ho-

D

neſtiſſimæ valetudine admodum ſum ſolicitus, ac Deum precor, ut vos ſervet. Soror mea quæ fuit *Edelbergæ* deceſſit, quam paulò poſt fortaſſe ſequar: erat effigies matris & ſingulari gravitate prædita. *Portunus* & *Myconius* optima quæq; tibi precantur. Hæc ſcripſi *Erfordiæ*, ubi me locus admonuit de ſtudiis adoleſcentiæ tuæ, veniebátque in mentem tota hiſtoria omnium horum annorum, quæ quam miras habet plurimarum rerum μεταβολὰς; ſed exitus ſpero Deum guberna-

E

turum eſſe. Benè & feliciter vale, Saluta *Medicum* meis verbis amanter, XVI. April. M. D. XL. *Erfordiæ*.

Ioachimo Camerario S. D.

SPero te accepiſſe hiſtoriolam conventûs ſcriptam *Erfordiæ*. Poſt paucos dies deinde ſubitò præter omnium opinionem accipimus literas de conventu *Spirenſi*, ubi vult *Carolus* Imperator agi, Ep. 224.

F

neſcio de quibus rebus. Nam περὶ τῆς [illegible] ſubitò agi non poterit. Sed audiemus quid hujus temporis ſophiſtica in aulis novi parturiat. Eventus Deo commendemus, cui non dubito Eccleſias noſtras curæ eſſe, tametſi me quædam, ut medici loquuntur, [illegible] quorundam, quos amavi, duriter excruciant, de quibus coram. Si enim venero *Spiram*, eris nobiſcum, aut ego, ſi potero ad te excurram. Hunc tabellarium *Mattheum Francum*, qui te valdè a-

G

mat, tibi commendo. Nam & ego eum propter egregiam virtutem, fidem & diligentiam in omni officio, ex animo amo. Benè vale, Deus ſervet te, & honeſtiſſimam conjugem tuam, & dulciſſimos liberos tuos. Tuas literas expecto, etiam de ſcripto περὶ τῆς [illegible]. Nam ſecundum *Iliados* abs te editum, jam curavi mihi concinnari, ut ordine legam integrum. Fa-

milias veteres à te illuſtrari gaudeo. Sæpe enim
fremo ipſe mecum cogitans, quàm diſſimiles ſint
noſtri heroes illorum veterum. Sed mundus ſe-
neſcit, & jam fortaſſis ætate etiam delirat.
Feramus igitur hæc & rogemus Deum, ut libe-
ret nos τοῦ κόσμου συνωδίνοντα ἡμῖν, ut inquit *Pau-*
lus. Bene vale. XI. Maii, Anno *Chriſti* M.D. XL.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 125. SCripſeram Teſtamentum ante iter *Hageno-*
enſe, proſpiciens morbum, quo ſtatim in
itinere conflictari cœpi. Nam & cauſæ hærebant
infixa animo, & ſomnio monitus eram, im-
pendere mihi lethalem morbum. In eo teſta-
mento volui relinquere teſtimonium mei erga
te amoris, ac exemplar adhuc apud ſe retinet
Cruciger, apud quem depoſui. Te viciſſim eâ
gravitate & ſapientiâ eſſe præditum ſcio, ut mi-
ſeros amicos non aſpernere. Sumus enim de-
formati quodam odioſo negotio, de quo ſcribe-
bere non libet. Et tamen fontes te ſcire optâ-
rim, & exponam aliquando, ſi vixero Nunc
Deo totam rem committamus Scribo ad Sena-
tum Academiæ veſtræ de quodam *Ulmenſi* ado-
leſcente, *Æstingero*, qui petit locum in ſodalitio
Matthiæ Garbitii. Valde oro & te & *Matthiam*
Illyricum, ut eam rem adjuvetis. Nam & pietas
eſt orphano opitulari, & patruus vir bonus eſt, &
fideliter ſervit fœderatis pricipibus, ut ex his lite-
ris cognoſces quas incluſi, quarum alteras verebar
ne æquo animo aſpecturus eſſes, ſed legas velim,
& interim alia obliviſcare, quibus Deus mede-
bitur. Benè vale. XXIV. Auguſti. M. D. XL.

Magnifico D. Rectori Academiæ Tubingæ &
cæteris Clariſſimis viris, Academiæ illius
ſenatui, patronis S. ſingulari obſervantiâ
colendis, S. D.

Ep. 126. CLariſſimi & doctiſſimi viri: Quoties de
publicis ſtudiis & de Academiis, in quibus
ſeminaria ſunt Eccleſiæ, cogito, quando autem
non obverſatur animo hæc cogitatio, poſtquam
tanta certamina exarſerunt? refloreſcere Aca-
demiam veſtram magnopere gaudeo, quam or-
natam tot eruditis gubernatoribus ſpero ad po-
ſteros conſervaturam eſſe cum cæteras honeſtas
artes, tum *Chriſtianæ* doctrinæ puritatem, & vin-
dicaturam eccleſias à barbarie & vaſtitate. Hanc
ob cauſam omnes ſingulari obſervantiâ colen-
dos mihi eſſe duco. Cum autem extent viciſſim
non obſcura teſtimonia benevolentiæ erga me
veſtræ, fretus & humanitate veſtrâ & eximio
erga me ſtudio, etſi neminem decet in aliena
Republica ut dicitur, πολυπραγμονεῖν, tamen cau-
ſam adoleſcentis orphani vobis commendare
auſus ſum, de qua ut ad vos ſcriberem cum ab
ipſius propinquis, tum verò etiam ab aliis præ-
ſtantibus viris rogatus ſum. Opinor aliquibus
iſtic notum eſſe *Sebaſtianum Attinger Ulmenſem*,
Secretarium Principis *Cattorum* ingenioſum ho-
nem. Huic frater moriens filium commendavit,
quem *Sebaſtianus*, ut fidelem tutorem & pa-
truum decuit, paterno animo complexus eſt.
Quare etſi patrimonium erat anguſtius, quàm ut
inde ſumptus habere poſſet ad literas diſcendas,

A tamen patruus ut eſt amans doctrinæ, de ſuo ali-
quid decidit, quod contulit in ſtudia pupilli.
Nunc cum adoleſcens tyrocinium, ut dicitur,
in Grammaticis depoſuerit, & quadam cum ſpe
verſetur in literis, cupit eum patruus in Acade-
mia gradum facere ad cæteras diſciplinas, ſi ta-
men in tanta inopia Adoleſcenti alienâ liberali-
tate conſuli poterit. Intellexit autem apud vos
locum reliquum eſſe pauperi ſcholaſtico in ſoda-
litio, quod alitur legato Doctoris *Martini Plan-*
B *cii*, in id ſodalitium ut recipiatur hic adoleſcens
Aytingerus, valde rogamus & *Sebaſtianus* pa-
truus & ego. Scitis præcipuum officium pietatis
eſſe orphano opitulari. Et huic adoleſcenti or-
bato ambobus parentibus, nihil reliquum eſt
præter ingenii bonitatem. Nam ut familia in-
genioſa eſt, ita huic natura, quæ tribuit bonam
indolem, aliquanto magis propitia fuit quàm
fortuna, quæ non addidit tantum patrimonium,
ut ſine alieno auxilio prima ætas excoli & prove-
C hi poſſet. Spero fore, ut animos veſtros move-
ant hæc duo, orbitas adoleſcentis & indoles. Ac-
cedit etiam illud quod æquum eſt, adjuvare eos,
qui Reipublicæ ſerviunt. Porro *Sebaſtianus* eſt
Secretarius fœderatorum, qui propter veræ reli-
gionis profeſſionem conjuncti ſunt. Id munus
cum molem occupationum non vulgarem conti-
neat, *Sebaſtianus* egregiè fidem & induſtriam fœ-
deratis probat. Et hæ operæ ut ad defenſionem
communis tranquillitatis, ita ad ſtudiorum con-
D ſervationem pertinent. Erit igitur viciſſim ha-
benda ratio ejus, pro quo petit. Demum exiſti-
mo vos in hac re libenter gratificaturos eſſe iis
Principibus, qui ingentibus laboribus hæc no-
ſtra ſtudia & noſtras Eccleſias defendunt. His
prædicabimus & ego & *Sebaſtianus* veſtrum be-
neficium. Quantum valere apud vos pietate &
prudentiâ excellentes hæ cauſæ petitionis noſtræ
minimè ambitioſæ, ſed piæ & honeſtæ debeant,
vos optimè intelligitis. Ideo ſcripſi breviùs, vóſ-
E que etiam atq; etiam oro, nè huic orphano bonæ
ſpei adoleſcenti deſitis. De me verò ita perſua-
debitis vobis, me & privatim benevolentiam
veſtram plurimi facere, & in publicis negotiis, in
quibus pariter optimâ conſcientiâ verſamur, li-
benter meam ſententiam cum veſtra conjunctu-
rum eſſe. Noſtras enim amicitias ad publicam
concordiam & communem utilitatem referri
præcipuè decet. Bene & feliciter valete. Datæ *Wi-*
teberga, Die XXIII. Auguſt. Anno M. D. XL.
F

Ioachimo Camerario S. D.

VItus epiſtolam tuam mihi miſit, in qua & Ep. 127.
conſolaris me amanter, & graviter mones
nè frangar animo. Equidem utcunque me ſu-
ſtento iis conſolationibus, quæ divinitùs traditæ
ſunt, & antea ab aliis optimis viris, & nunc à
te mihi propoſitæ. Quod ſi meo eſſem uſus con-
G ſilio, in has miſerias non incidiſſem. Itaque jam
nulli iraſcor, niſi. Sed de his plura non ſcribam,
cum ſperem me tibi coram omnia brevi narra-
turum eſſe. Succenſent mihi inerudiri quidam,
quorum diſputationes futiles reprehendi: ſed
quicquid eſt negotii, Deo commendemus, &
agnoſcamus nos eſſe homines, qui & labi &
falli poſſunt. Nullâ oratione explicare poſſum
quam

quàm horribiles dolores ſuſtinuerim, qui interdum recrudeſcunt. Senſi καὶ τὸν διδάσκαλον excruciari animo, ſed ille ſuum dolorem repreſſit, nè meum augeret, méque erigere conatus eſt ſummâ animi magnitudine, non ſolùm conſolando, ſed ſæpe duriter objurgando. Qui niſi ad me veniſſet, mortuus eſſem. Fuerunt mecum *Myconius*, qui poſtea epiſtolam ad me ſcripſit quam mitto, & *Portuuus* tuus, cujus ſedulitas fuit mihi gratiſſima. Sæpe de te loquebamur idipſum metuentes, nè fama mei periculi te moveret, ad me ut accurreres. Nec defuerunt mihi Principis & *Pontani* officia, etſi hi quoque ingente dolore afficiebantur. Quod eo ſcribo, ut ſcias piorum preces conjungi, orantes medicinam huic malo, quam ſpero, Deum eſſe facturum. Scelera *Anglica* atrociſſima nunciantur. Cum *Juliacenſi* divortium factum eſt, & jam alia ducta eſſe fertur. Trucidantur boni viri de Religione nobiſcum ſentientes. *Joanne* in *Hungaria* mortuo Rex *Ferdinandus* erit occupatus *Pannonicis* negotiis, in quæ fratrem quoq; oportebit eſſe intentum. Hic etiam *Turcicum* Imperatorem *Solimannum* aiebant eſſe mortuum, & diſſenſionem eſſe de Regno. Sed fabuloſa omnia eſſe puto. Te rogo ut ſæpe mihi ſcribas. *Vitus* poterit literas mittere. Honeſtiſſimam matronam D. *Fuchſii* conjugem opto ut Deus ſervet. Cogito & de marito & liberis, quibus eripi matrem quàm eſſet miſerabile? Deus Pater liberatoris noſtri *Ieſu Chriſti*, conditor omnium rerum, qui impertit vitam invocantibus ipſum, ſervet & te & tuos omnes, & *Fuchſii* familiam. Benè & feliciter vale. Cal. Septemb. Anno M. D. XL.

Matthæo Irenæo dices ſalutem meis verbis. Nunc ſcribere ei non vacabat. Scribam aliàs. Tibi vero eum commendo, etſi ſcio te eum jam propter optimos mores libenter complexum eſſe.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 228. ET frequentiam conventûs majorem fore animadverto, & initia congreſsûs ſignificare majus animorum certamen, quàm arbitrabar. Audio affuturum eſſe βραβευτὴν τοῦ ἀγῶνος *Grandivillanum*, cujus nunc quidem in conſilio *Caroli* Imper. ſumma eſt autoritas, qui non videtur hanc legationem ſuſcepturus fuiſſe, niſi ſpem haberet, vel de divellendis noſtris, vel de controverſiis dirimendis. Itaque Deum oremus, ut animos noſtros gubernet in hac diſputatione, ac placidam præbeat καταστολήν. Vides quantis de rebus litigemus, de tota *Pauli* ſententia, de qua veterum judicia mirè variant, cum quidem nervi religionis in iis locis contineantur, quos *Paulus* agitat: quid ſit Peccatum, quis Legis uſus, quod Evangelii beneficium proprium, quid fides, quæ ſit vera invocatio, quis portus humanæ mentis in veris pavoribus: de his tantis rebus quàm denſæ tenebræ ſunt in commentariis veterum, & tota doctrina adverſariorum? Ad hæc accedunt manifeſtæ εἰδωλομανίαι multiplices, in *Liturgia*, ut vocant, & aliis ſuperſtitioſis cultibus. Quid optabilius eſſe poſſet, quàm ut verè, ſine ſophiſtica, pio ſtudio, & accuratè patefactis fontibus, hæ controverſiæ & explicarentur & dijudicarentur? Nos enim nec de Republica Eccleſiarum, nec περὶ ἀξιώματος ἀρχιερατικοῦ unquam litigavimus, etſi profectò Reſpublica poſtulat iniri rationem, ut ex iis opibus adjuventur ſcholaſtici. Verùm de ea re tempus in conſilium adhibendum eſſe ſemper duxi. Et optaremus Epiſcopos tueri ἀξίωμα ἀρχιερατικὸν ſine Tyrannide, ſed cum venit mihi in mentem, ſævitiæ, quam tot jam annos exercent, profectò ita ſentio, nos mollius agere cauſam noſtram, quam oportuit. Deinde de hoc ipſo congreſſu quid ſpei eſſe poteſt? Edita eſt his diebus proſcriptio adverſus *Goſlariam*, quâ palam rurſus bellum nobis indicitur. Et huc adducti ſunt arbitri dogmatum, ſycophantæ omnium impudentiſſimi: *Eccius, Cochleus, Nauſea, Menſingerus*, & quidam ſimiles. Hi dicent ſententias de noſtris cervicibus, qui non intelligunt cauſam, & odio ardent, & habent mentes ac manus reſperſas ſanguine piorum. Si qua tamen erit occaſio exponendi res noſtras, dabo operam, Deo juvante, ut illas utiliſſimas ſententias de quibus litigamus, dilucidè, verè, ſine ſophiſtica, & graviter explicem, quod eo faciam facilius, quia deſii de Principum voluntatibus cogitare, eoque animum habeo tranquilliorem, quam antea. Tu nos adjuva tuis & familiæ tuæ precibus, nóſque Deo commenda. Bene vale. Salutant te *Caſpar Cruciger*, *Grynæus*, *Chilianus*, *Franciſcus*, *Menius*. Nam hi aſſunt nobiſcum. *Brentius* nondum adeſt. II. Novemb. Anno M. D. XL.

Opto ſalutem *Fuchſio* Medico, Rectori Academiæ veſtræ.

Non ſecus ac patriam amo oppidum veſtrum, memini enim fuiſſe ibi ſingularem erga me civium benevolentiam: quare ex animo doleo tot pauperum fortunas incendio periiſſe. Mihi non fit veriſimile, caſu ortum eſſe incendium. In *Saxonia* conflagravit *Embeca*, ubi quingenti homines unius templi ruinâ oppreſſi perhibentur: eò enim mulieres cum pueris intra ſaxa ſe abdiderant. Nunc putant notum eſſe autorem ejus incendii: conflagrârunt & in *Myſia* noſtra tria oppida, & quidam pagi vicini in ditione *Anhaltina*, & civitatis *Madeburgica*. Principes *Anhaltini* ipſi mihi narrârunt, quæſtionibus compertum eſſe, à quibus conducti fuerint autores incendiorum. Conventus Principum *Ratisbonæ* futurus eſt, de quo literæ *Caroli* jam editæ feruntur, in quibus ad diem ἐμφανείας ut vocant, Principes *Ratisbonam* convocat. Anno M. D. XL.

Ioachimo Camerario S.D.

HIc adoleſcens *Chriſtophorus* à *Kunheim* natus eſt in familia nobili in *Pruſſia*, patrem habet honeſtum & gravem virum, cujus præcipua eſt apud Ducem *Pruſſiæ* autoritas, ampliùs triennio vixit in noſtra Academia, & promovit feliciter. Nunc meo conſilio petit *Tubingam*, non ſolùm ut quærat cœlum ſalubrius, ſed etiam ut te audiat: ac meum conſilium Duci *Alberto* ſcribo, cui quia nomen tuum ſcio notum eſſe, adjeci quædam in literis Ep. 229.

de tuis ſtudiis, & noſtra amicitia. Rogo vt adoleſcentem ſtudioſum ac nobilem, procul domo peregrinantem excipias, complectare, & regas. Non dubito Ducem *Albertum* de eo ad te ſcripturum eſſe. Si venero *Wormatiam*, expatiari ad te decrevi. Bene vale. Die IV. Octob. M.D.XL. Salutem precor & tuæ conjugi & liberis & amicis.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 230. EGo verò ſtudio & officio *Matthæi* valde delector, eiq; gratiam habeo, qui cum dulciſſimis literis tuis accurrit, quarum mihi ſuavitas in his noſtris curis non vulgarem levationem affert. Hiſtoriam conventûs inſtituere nondum poſſum, nam adhuc expectantur exordia, ac dubitare ipſos ἐξεταστὰς aiunt, quem præſcribant ordinem huic collationi dogmatum. Sed illud eſt ineptum: ſine arbitris res agetur. Nam ἐξετασταὶ etſi viri boni ſunt, tamen harum rerum ac diſputationum omnino rudes ſunt, & ut fit in Scena, habent Choragos Sycophantas, *Conradum* illum meum veterem ſodalem, & quoſdam ſimiles, etſi audio *Conradum* eſſe μεγαλογυναικα. Videtur omnino magna moles impêdere, ſi diſputatio procedet. Deum igitur oremus, ut gubernet totum certamen. Video Eccleſiam oportere miris & inuſitatis periculis exerceri, quare utcunq; me ſuſtento, & de bonis rebus in cauſa noſtra, dicam, Deo dante, diligenter, perſpicuè & moderatè, quas abjicere propter Tyrannorum minas, aut noſtrorum levitatem, non licet. Súmq; aliquanto animo liberiore, quia jam de ſolis dogmatibus cogito, poſtquàm de Principibus cogitare deſii. Tu cauſam publicam Deo commendato piis votis, & tuis & tuæ Eccleſiæ domeſticæ, quam non dubito Deo curæ eſſe. Honeſtiſſimæ conjugi tuæ & toti familiæ ſalutem opto. Si concedet aliquid temporis vacui hic congreſſus, excurram ad te. Nam evocare te non audeo in his latrunculorum & equitum diſcurſationibus. Hic inter noſtros, Dei beneficio, non ſolùm conſenſus eſt, ſed etiam multa ſigna veræ benevolentiæ mutuæ. Bene vale. XXIV. Novembr. M.D.XL.

Omnia contigerint cum vitæ commoda multis,
Firma valetudo, conjunx jucunda, laréſque,
Et civilis honos, & pax dulciſſima rerum:
Cur tamen humana mentis furioſa cupido
Appetit immenſum ſemper, ſine lege modóq;,
Ærumnáſq; volens fatúmq; accerſit acerbum?
Cauſa eſt una, Deum quod rectorem excutit audax.

Vides quâ in charta perſcripti iſti verſus ſint, ut τὰ αὐτοσχεδιάσματα te dubitare non putem. Sed quia coram non licet, cum abſente nugari libet, etſi hæ nugæ nimis ſeria ducunt.

AD JOHAN. STURMIUM.

Ut ſpernunt medio mari procellas
Securi ſcopuli, & notos frementes:
Sic convicia, & impetus malorum,
Omnes inſidias, minas, furores
Nos contemnere juſſit ille victor
Æterno genitore natus, arma
Qui contra gerit agmina impiorum,
Et depellit Erinnyas Draconis
Irati ac odio Dei furentis,
Defenditq; chorum piorum, ſonantem
A *Vocem Evangelii Deiq; laudes.*
Nec Cyclops metuendus ille nobis,
Nomen qui ſibi ſumit Eccianum,
Qui te Chriſte *probris laceſſit audax,*
Obſcœnáq; libidine inquinatus
Potat cum ſatyris ſuiſq; ſcortis.
Sed pœna venient luenda & ipſi,
Ingentémq; oculum eruet ſuperbo
Hoſpes de miſero choro piorum,
Contemptus velut Outis ille quondam,
B *Sed mentem atq; manus Deo regente.*
Et circum Satyri beſpide jacentem
Gibboſúſq; pelargus & Cochlæus
Edent pro domino irritas querelas,
Sed victor ſtatuet trophæa Chriſtus.
Ergo nos alacres petamus, atq;
Expectemus opem à parente rerum,
Exaudit pia vota qui ſuorum.

ACTA CONVENTUS.

C Scripſerat *Lundenſis* rediens ex *Hiſpania*, Imperatorem *Carolum* venturum eſſe in *Germaniam*, non ut bellum civile moveret, ſed ut de concordia Eccleſiarum deliberaret, ſarcienda moderatis rationibus. Ideo hortatus eſt *Lundenſis* noſtros Principes, ut & ipſi deliberarent, quid defenſuri eſſent, aut largituri adverſariis. Hanc ob cauſam indictus eſt conventus *Smalcaldenſis*. Allatæ ſunt deliberationes, quarum conſenſus ſummus fuit, non poſſe abjici eos articulos, quos in Confeſſione
D & Apologia profitemur, conſtituto doctrinæ conſenſu, de adiaphoris non odioſè pugnandum eſſe. Deliberatio noſtra, cui alii ſubſcripſerunt, accuratè & eruditè videtur ſcripta, ut *Paulus* narrare poterit. Hæc dum aguntur in noſtro conventu, allatum eſt reſponſum Imperatoris *Caroli*, in quo narrat Imperator, ſe in *Germaniam* veniſſe non hoſtili animo, ſed acturum eſſe de concordia Eccleſiarum, & ſpem oſtendit, ſe daturum pacem, eáq; de re dixit ſe paulò pòſt reſponſurum
E eſſe. Hoc dictum ſatis quidem ἀνεγκλητικὸς eſt, ſed nos tamen interpretamur eſſe εἰρωνικὸν. Aliquanto pòſt venit comes *Nova Aquila*, & adfert deliberationem de Concordia, cui additæ erant quædam Imperatoris expoſtulationes. Erat legatio quædam Ironiâ aulicâ inſtructa. Comites *Manderſcheit* & *Nova Aquila* præ ſe ferebant, ſe non eſſe miſſos ab Imperatore, ſed tamen conſilium ſuum Imperatori placere. Summa conſilii hæc erat. Cum malit Imperator publicas contro-
F verſias componi ſine majore tumultu, *Granvellano* & his duobus Comitibus videri conſultum, ut petamus hanc rem privatim agi ab Imperatore, eúmq; quaſi ἰδιωτικῶς faciamus harũ controverſiarum privatim. Quod ſi fecerimus, Imperatorem adhibiturum eſſe *Granvellanum* & paucos alios, & delectorum utrinque eruditos, qui dogmata dijudicarent, & moderarentur: Controverſias verò de prædiis Eccleſiarum Imperatoris arbitrio permittendas eſſe. Petitum
G & hoc eſt, ut diſertè, & planè dicamus, quid largiri aut defendere ad extremum velimus. Etant adjectæ ſatis duræ expoſtulationes de prædiis Eccleſiarum, & de ſimulatione. Nam Imp. ait ſe ægrè ferre, quod hactenus ſimulantes concordiæ ſtudium, hoc egerimus, ut rem extraheremus, ut paulatim noſtræ partes confirmarentur: non verè voluerimus diſcordias tolli, quia nihil

nihil largiti ſimus adverſariis. Narrat quàm diligenter *Auguſta* egerit de concordia. Ac tota querela eò ſpectat: non videri nos verè appetere concordiam, niſi adjiciamus totum doctrinæ genus, quod profitemur. Nos verecundè & verè reſpondimus de noſtra voluntate erga Remp. & ſtudio pacis: Purgamus objecta crimina, & ingenuè dicimus, conciliationem nos nolle intelligi, confirmationem veterum errorum; & projectionem piæ doctrinæ. Oſtendimus clarè, quos articulos non poſſe abjici cenſeamus, ac petimus, ut res non privatim, ſed in publico conventu agatur, ut anno ſuperiore promiſit Imperatoris legatus *Francofordiæ*. Oſtendimus etiam, nos nequaquam de prædiis Eccleſiarum pugnare, exempla reſponſionis habent Principum & civitatum legati. Fortaſſis erunt varia judicia de noſtra reſponſione. Non multa ſunt ὀρθώτερον cætera verecundè, graviter, ingenuè, & ſine ſophiſtica ſcripta ſunt, & ſi vult Imperator piè conſulere Eccleſiis, occaſionem aliquam præbuiſſe videmur. Utinam Deus excitet animum Imperatoris, ut verè velit inquiſitis fontibus & fundamentis de doctrina agi, ſicut toties in hac narratione Comitum ſcriptum eſt. Habes hiſtoriam hujus conventûs præcipuam. Nam cætera ſunt communia, in quibus etiam pleraque ſunt, quæ *Demoſthenes* nominat κοινὰ πολιτικὰ ἁμαρτήματα, de quibus coram loquemur. M.D.XL.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 231. DE facilitate noſtra, qui concedenda putemus adverſariis ſive multa ſive pauca, diſputationes tuas legi, ut alia tua omnia, libenter. Sed non eſſe illam argumentorum materiam tuam, formam eſſe ſuſpicor, vel plane perſpicio. Nihil autem non & nobis in mentem venit eorum, quæ tu ſanè bellè concinnando concludis: Totam rem tempore jam aliam factam eſſe, neq; ἀδιάφορα nunc ulla perhibenda, de quibus digladientur adverſarii, & quæ ipſi tueantur ac retineant. Omninò apud quos fueris, & ubi iſta audiveris declamitari videor intelligere: τοῦτον μὲν οὖν ἐπεὶ ἂν κλύοιμι σῶμα, ἀντικείμενος ἔχω, τὸ δ᾽ ἐν χερσὶν μαθεῖν, λέξω. Ut ille ait in *Phœniſſis*. Quod nam illud genus ſit quod ſolet verbis πολιτικῶς, ipſum ocioſum & in nullo verſans periculo, nequaquam ignoras. Scis quid noſtri dicere ſoleant de iis, qui ludentes ſpectant. Sed in rebus arduis & difficilibus iſtæ animadverſiones ſunt pernicioſiores. Minimè cognitis negotiis, nullis rationibus exploratis, non conſideratis temporibus, plerique de aliorum conſiliis actionibúſq; audaciſſimè pronunciant. Quod factum eſt, reprehendunt. Quid fieri oportuerit, ſubjiciunt. Non illi quidem, ſicut boni viri ſolent, modeſtè & opportunè & ſuo loco, ſed accuſatoriè & inſolenter, & apud vulgus, cui inſectationes & obtrectationes gratæ ſunt. Hæc improbitas & licentia aliquando erit major & turbulentior, & tribunitiis clamoribus cauſam dabit horribilium diſtractionum. Sed jam, quod tibi dicturum me eſſe ſcripſi, non iſtis objurgatoribus exponam. Falsò dicitur conceſſionem aliquam eorum, quæ non lædunt Veritatem doctrinæ, in tractatibus de Religione vitiare rem totam: Cum rectè interdum fieri poſſit, ut aliqua etiam admittantur jam contraria puriori doctrinæ, ſicut Apoſtolus *Paulus* & *Timotheum* circumcidi paſſus eſt, & ipſe ritus *Judaicos*, quaſi voto obligatus, uſurpavit. Sed de ſimpliciter indifferentibus, aut ne pertinentibus quidem ad negotium Religionis, contendere & litigare, neque præceptum habet, neque exemplum. Talia ſunt multa in ritibus Eccleſiaſticis Quæ etſi prodeſſet & ipſa emendari, tolerari tamen poſſunt piâ patientiâ, donec occaſio offeratur tempeſtivæ mutationis. Et pertinacia huic adverſandi pernicioſas turbas dare ſolet. Nonne jubet *Chriſtus* cum adverſario longius quoque iter facere? Nôſti enim hoc: ὅστις σε ἀγγαρεύσει μίλιον ἕν, ὕπαγε μετ᾽ αὐτοῦ δύο. Non ſunt iſtæ cenſuræ quærentium veritatem, ſed plerunque ferocium, & qui oderunt quietem, aut ambientium aliquem ita applauſum popularem, aut certè curioſorum, cujuſmodi neminem eſſe ait *Plautus* tum, quin ſit malevolus. Manente omninò re integrâ, neque προσγινόμενα aliqua ſtatim illam mutant aut vitiant: Et ea incorrupta non ſolùm libertas in his concedunt, ſed præceptum quoque charitatis ad obſequium alligat. Quòd ſi ex eo ipſo etiam Dei gloria & Eccleſiæ tranquillitas acquiritur, quis tam amens erit, ut improbare velit? Aut ſi quis audeat, quis ſanus hunc audiet? Sed rebus conturbatis movent multos tales vociferationes interpretantium omnia in deteriorem partem, quocunq; ſanè affectu. Id præſtare nemo poteſt, cùm nihil à Sycophantis tutum ſit. Quo autem majores erunt confuſiones, ſicut metuendum eſt, nè celeriter fiant, eo iſta calumniarum licentia magis creſcet, in diſſolutione vitæ & diſciplinæ interitu. De quibus me ſæpe queſtum eſſe & tu ſcis, & ſciunt alii multi. Etſi nonnulli iſtam meam curam & anxietatem culpant, quorum temeraria procurſio evadet ad triſtes eventus. Jampridem reſcivi, iſta diſputari in circulis & conviviis, & quidem elatis ſuperciliis. Mox fortaſſis evolabunt libelli quoque metuentium, nè aliquorum manſuetudine quies conſtituatur. Ad quæ tempora ſi reſervabor, manebo in ſententia, & invocabo Dei miſericordiam, & faciam officium meum. Quod & tibi, & cæteris ex animo pietatem amplectentibus ſuadeo, & te hortor, nè talibus accuſationibus movearis. Vale. M.D.XL.

Ioachimo Camerario S. D.

DEus pater Liberatoris noſtri *Ieſu Chriſti*, conditor omnium rerum, det Eccleſiæ ſuæ, politiis, quæ ſunt veræ Eccleſiæ hoſpitia, literarum ſtudiis, tibi & tuæ familiæ annum fauſtum, tranquillum & felicem. Ep. 232. Delector omine de quo ſcribis ſpero enim ſignificari finem harum inſulſiſſimarum actionũ, quæ hic inſtitutæ ſunt. Nihil vidi ineptiùs ac puerilius agi. Poſtquam, ut ſcis, trium Principum legati, *Palatini*, *Marchionis* & *Juliacenſis*, repudiârunt *Eccianam* formulam, ac verecundè ſignificârunt, ſe noſtras ſententias amplecti, fremere cœpit *L. Gellius*, exiſtimans indignum καὶ ἐπαχθές, ſe præſente aliquos à Pontifice avelli ac adjungi nobis. Quare ſenem *Palatini* legatum καὶ τὸν συγγραμματέα accerſit, petit, ut cogant ſuos ſubſcribere *Ecciana* formulæ. Sed hi quoq; graviter hoc ſe facturos eſſe negant. Audio tentatum eſſe & ſenis Principis animum. Deinde

excogitatur alia techna. Quia videbant τ αἰάνων pugnacem eſſe, nè ut antea fecerat, tueretur in diſputando omnium partes inſtituunt novas diſputationes cum ſingulis. Sperabant enim diſtractos fore timidiores, & quoſdam minùs exercitatos in illa *Ecciana* ſophiſtica facili poſſe obrui. Hic ego noſtris contantibus ſcripſi nomine concionatorum noſtrorū ad *L. Gellium* καὶ πρὸς τοὺς βραβευτὰς, nobiſcum potiùs ut adverſarii congrederentur. Erat jam auditus *Palatini* Theologus adbibitis *Sorbonicis*, qui & pietatis, & conſtantiæ, & eruditionis laudem adeptus eſt. Exhibita verò noſtra Epiſtola, finis fuit harum monomachiarum. Erat paratus *Aleſius* & cupidus certaminis, & hora conſtituta erat. Sed *L. Gellius* juſſit omitti certamen cum reliquis, *Marchicis* & *Iuliacenſibus*. Exemplum epiſtolæ mitto, cujus libertatem & gravitatem ſpéro te probaturum eſſe: ſecutæ ſunt deinde novæ deliberationes, quas hodie audiemus. Nam hanc epiſtolam primam mane initio novi anni ſcripſi, quòd videbatur auſpicatius quaſi colloquenti tecum. Tabellarius ante meridiem flagitavit literas, cum hujus diei hiſtoriam nondum haberemus. Audio τὸν διαλυτὴν Contatorem aliquid magni ἐπιχειρεῖν. Sed Deus hæc gubernabit. Bene vale. Die Natali τοῦ χριστοῦ, Anno M. D. XLI.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 233. VT *Proteus* conſumptis omnibus dolis recipit primam & nativam figuram, ſic adverſarii, poſtquam hic varias technas tentârunt, redeunt ad primam negotii πεῖραν. Incipiunt oſtendere ſpem congreſſus. Antea valde pugnavit *L. Gellius*, ut omiſſo publico congreſſu, pauci quidam utrinque delecti deliberarent breviter de moderatione controverſiarum. Et erant ex noſtris, qui ab hoc conſilio non abhorrebant, vel quia ſunt in metu, vel quia gratificandum putabant *L. Gellio*. Si quis alius, ego certè & pacem expetó, & publicæ tranquillitatis causâ multa diſſimulanda eſſe ſemper ſenſi. Sed tamen expoſui, quid mihi videretur agi, propoſito illo anguſtiore colloquio: videlicet ut fucoſæ moderationes componerentur. Has dixi me nec ſcripturum nec probaturum eſſe, vel ſi *Gallici* & *Hiſpanici* exercitus ad portam eſſent. *Chriſtus* jam aditurus crucem precatus eſt Patrem: *Pater ſanctifica eos in veritate, ſermo tuus veritas eſt*. Quid autem aliud eſt, quàm huic precationi reclamare, præſtigias offundere doctrinæ in Eccleſia neceſſariæ? Viſus ſum etiam vehementiùs loqui quibuſdam. Sed intellectâ meâ voluntate, omiſſa eſt mentio illius anguſtioris colloquii. Poſtea decurſum eſt eò, ut permitteremus, nè voce dicerent ſententias tres illi, aut ſi qui alii diſſenſuri eſſent à majore numero. Aut hoc concedendum aut abeundum erat. Nacti eramus occaſionem abrumpendi totius negotii hìc inſtituti. Itaq; fuerunt certamina, utrum eſſet utilius: diſputavi in utranq; partem, vel potiùs fui hortator, ut de hoc articulo diligenter deliberaretur. Nam ſtatuere nolebam, & ſcis, id non eſſe noſtri muneris. ὁ τετράγωνος acerrimâ oratione ſuaſor fuit abrumpendi colloquii, & in me abſentem ſatis atrociter invectus eſt. Sed placuit pluribus ſententia timidior. Conceſſum igitur, ut ſcriptas ſententias

A exhibeant, ſiqui diſſentirent à pluribus. Jam cum inſtet colloquium, vide inconſtantiam voluntatum, illos ipſos pœnitet conſilii ſui, qui fuerunt autores ſententiæ timidioris. Sed cum adhuc à nobis moderatè & graviter omnia acta eſſe judicem, animo tranquilliore expecto reliquam dimicationem, & tueri conſenſum noſtrorum ſtudebo, ac Deum precabor, ut ipſe & mentes noſtras, & conſilia & eventus gubernet. Tua epiſtola magnæ mihi voluptati fuit, præſertim in

B ea parte, in qua ſignificas, te, Dei beneficio, meliuſculè valere. De ſomno quod ſcribis, certè incipio ſerio à *Fuchſio* diſſentire, & tibi rigatione largiore opus eſſe ſtatuo, quâ in re tamen obſervabis uſu, quid magis conducat. Eſt, ut vides, ſicca κρᾶσις tui corporis, & talia temperamenta majore diligentiâ tuenda ſunt. Me nunc leves etiam commotiunculæ animi admodum affligunt. Sed video actum eſſe de mea vita, eóq; magis de tua ſum ſolicitus. Nam qualiſcunque

C Reſpub. futura eſt, Deus aliquam Eccleſiam ſervabit, cui tua ſtudia profutura ſunt. Omninò magna & fatalis mutatio rerum impendet, etiamſi non ſumentur arma propter Religionis controverſias. Poſſunt multa προγνωστικὰ certa colligi, non ex diſciplina tantum Aſtrologica, ſed etiam politica. *Turcorum* ſucceſſus, Electorum in *Germania* diſſenſio, minantur haud dubiè huic nationi mutationem Reſpub. Audio rem in *Pannonia* infeliciter geri. καὶ τ αὐτοκράτορα φασὶ πολλαῖς

D νοσεῖν, quem quidem audio intra triduum venturum *Spiram*. Sed de hoc ſcribam aliàs Gratiam tibi habeo pro verſiculis miſſis, ac viciſſim mitto Elegiam *Chriſtophori* ad *Granvelum*. Compoſuiſſem ipſe aliquid, ſed Muſæ nobis in his rixis, aliquanto minùs etiam ſunt familiares, quàm alias. Ea quæ περὶ τῆς φωνῆς χρείας ſcripſeram, auxi. Cúmque ego putarem eſſe ſimpliciſſima & maximè dilucida & propria, tamen reprehenduntur à noſtris quoque. Facilis & jucunda eſt diſ-

E putatio, inquit *Ariſtoteles*, ſi geometres cum geometra diſſerat, ἐγὼ δ' διαλέγομαι πολλάκις, οὐ μόνον τοῖς ἀπαιδεύτοις, ἀλλὰ καὶ δυσκόλοις Sed hos *Ariſtarchos* utcunq; fero. Legi cenſuram *Fuchſii*, eiq; gratiam habeo, ac te rogo, ut meis verbis amanter ei gratias agas. Benè vale. XIII. Januarii, Anno M. D. XLI. Honeſtiſſimæ conjugi tuæ, & liberis dulciſſimis ſalutem opto.

F *Ioachimo Camerario* S. D.

DIſputatio publica ſtatim poſt eas literas, quas proximè ad te ſcripſi, inſtituta eſt. Datæ *Eccio* partes dicendi pro adverſariis: Mihi tuendæ noſtræ ac veræ ſententiæ. Quatriduo rixati ſumus περὶ τῆς φωνῆς χρείας. Etſi autem poſtea *Eccius* privatim & apud *Granvelum* dixit, ſe noſtram ſententiam verè probare, tamen publicè miris calumniis deformare conatus eſt. Quantum ſcelus eſt, contra animi ſententiam falſa propu- Ep. 234.

G gnare? Spero autem ſatis perſpicuè refutatum eſſe, ac optarim te legere poſtremam meam conciunculam, videlicet tertiam. Nam cum pridie ille impudens atrocibus conviciis nos oneráſſet, & dixiſſet ſatis multa, ut vocat *Ariſtophanes*, μεγαλεῖα ῥήματα· non reddidi quidem ἶσον ἴσῳ, ſed tamen putavi meam reſponſionem etiam ſale condiendam eſſe. Sed hæc ex tuo vicino audies.

Hodie

Hodie *Carolus* Imperator *Spiræ* eſſe dicitur, ad quem cum acceſſerit *Granvellanus*, nos dimiſſi ſumus. Ille ſe hortatorem fore Principi ſuo, publicè teſtatus eſt, nè bellum in *Germania* moveat, eámque ob cauſam ait ſe *Spiram* proficiſci, ut Judicum tyrannis ibi prohibeatur. Deum oremus, ut aliquorum procerum mentes flectat ad pia & ſalutaria conſilia. Si *Ratiſbonam* miſſus fuero, habebis à me copioſas literas. Sed, mi *Joachime*, τὰ περιφερόμενα in hoc conventu valde mihi ſolicitudinem auget. Non arma, non vim, ſed λόγων πανουργίας καὶ σοφίσματα formido. Non poſſumus in conciliationibus illis inſidias ſatis vitare. Hic publicæ actiones meæ omnes, Dei beneficio, honeſtæ fuerunt. Sed poſtremo die noſtri Senatores me diſſuadente, aſſenſerant, ut *L. Gellius* duos acerſeret, qui, cum videretur de eo articulo convenire poſſe, de formula deliberarent. Et jam audieram *Eccium* approbare noſtram ſententiam. Itaque cum conveniſſemus, ille formulam, non quidem pugnantem cum noſtra ſententia exhibuit, ſed tamen non ſatisfacturam noſtris. Dixi me oſtenſurum eſſe cæteris, nam ita miſſus eram, non probavi, poſtea nihil actum eſt. Hæc quanquam non magna offenſio, tamen meum animum excruciat. Adeo ex his laqueis conciliationum, non poſſum me ſic extricare, ut non alicubi adhæreſcam. Deus gubernet & liberet nos à Sycophantis. Bene vale. Die decimo nono Januarii, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 235. VIx agnoſces fortaſſis has lituras, quas pingo rigentibus digitis non ſine aliquo cruciatu. Nam in aditu *Bavariæ*, cum everteretur currus quo vehebar, dextra mihi adeo duriter alliſa eſt tigillo, ut & oſſa quædam ἐν χειρὶ luxata ſint, & quaſſatio facta venarum, nervorum καὶ νεύρων. Acceſſit inſigne erratum Chirurgorum, ut vocant, qui contra meum judicium negabant luxationem factam eſſe. Interim oxycrocio excruciabar, & digiti paulatim areſcebant ac emoriebantur. Inde convicti luxationem agnoſcebant. Mittit igitur ad me *Granvelus* hominem *Burgundum*, qui aulam *Caroli* Imperatoris hanc unam ob cauſam ſequitur, quòd artem profitetur luxata reponendi. Curatio tarda eſt, & diſſimilis *Germanicæ* rationi. Non quæro Aſtrologicas cauſas, etſi proxima Eclipſis mihi minata eſt, & eo die, quo manus luxata eſt, oppoſitio fuit *Saturni* & *Martis*; Sed aliæ veriores cauſæ ſunt: Divinitùs plector, ac juſtas pœnas do, cum aliorum meorum delictorum, tum verò etiam hujus meæ facilitatis, quòd futilibus & inſulſis conſiliis adhiberi me ſino, contra tot præcepta ſapientum. Habes cauſam ſilentii mei, diu enim dextrâ prorſus non potui uti, nunc etiam vix guberno calamum. Nec te fefellit tua divinatio, cum ſcripſiſti te angi animo propter tam diuturnum meum ſilentium. In itinere apud fratrem tuum fui, qui te expectat. De *Lipſico* negotio reſpondebo, cum *Galli* ad te redibunt. Hiſtoria conventûs adhuc perbrevis eſt. Sed petimur inſidiis aliquanto aſtutiùs, quàm in Vangionibus. Deligentur iterum quidam, qui de dogmatibus deliberent. Id impedire conantur Pontificii. Atque utinam hæc inepta conſilia Deus diſſipet. Tuam Epiſtolam de adoleſcente *Pruteno* legi, ac doleo aliena mihi peccata pudorem incutere, ut ille inquit. Iraſcor adoleſcenti, qui in familia, optimâ diſciplinâ inſtituta, ſic vixit, ut indignus tuo hoſpitio judicetur. Non igitur peto, ut diutiùs eum domi tuæ retineas, ſed ut tantiſper colloces apud aliquem, ſeu Juriſconſultum, ſeu alium profeſſorem, donec Principi de ejus moribus ſcribere potero. Idque dicas adoleſcenti me facturum eſſe. Bene vale. Die XIX. Aprilis, Anno M. D. XLI. Ex *Tiberii Colonia* ad *Danubium*.

Ioachimo Camerario S. D.

VOlebam in proximis literis mandata *Camiciani* complecti, ſed dum propero, & manus delaſſata riget, & cruciatu impeditur, eum locum prætermiſi, præſertim cum *Gallos* brevi iſtuc ituros eſſe ſcirem. *Camicianus* narravit *Fachſio*, cujus præcipua in Academia eſt autoritas, gratam fuiſſe ſignificationem tuæ voluntatis. Sed addidit differri deliberationem de Academia ad Maium uſque, quo conveniunt hi, qui præſunt Quæſtoriis rationibus. Nam omnino Academiæ opus eſt acceſſione. Nunc enim reditus vix eſt duorum millium. Et de Sportulis ſeu menſis Collegiorum, inſtituenda ratio his temporibus congruens. Promittebat autem poſt illa quæſtoria negotia, futurum, ut Publico nomine literæ ad te mitterentur. Aberat *Fachſius*, cum *Lipſia* iter faceremus. Alioqui & ego cum eo de hac re collocutus eſſem, Nec deſinam eſſe hortator. De conventu piget ſcribere. Nam & has conciliationes fallaces, plenas turpitudinis & periculi, inſtitui nollem, & levitatem *Alcibiadis* noſtri, quem ego tantopere dilexi, execror. Is nunc ὑπερπαίζων hic καὶ ἀεὶ καταλαμβάνων καὶ τῷ Καίσαρι καλῶς φαίνεται, καὶ θρασύνεται, gubernat hæc conſilia conciliationū. Delecti ſunt ſex, *Julius*, *Eccius*, *Gropperus*, *Bucerus*, *Piſtorius* & ego. Heri nos Imperator allocutus eſt, & ſatis comiter hortatus, ut amanter colloquamur de dogmatibus. Nunquam res inſtructa eſt inſidioſius. Nec video nos humano conſilio ex his laqueis evadere poſſe. Quare adjuvet nos precibus ſuis Eccleſia tua domeſtica, quam ut Deus ſervet, ex animo opto. Si *Eccius* aget ſuo more violentiùs, minus erit periculi. Et ſpero lui ſimilem fore. Nam quia habent jam irretitum *Alcibiadem*, putabit nos in metu eſſe, & aget omnia θρασύτερον. Magis metuo *Æmidæ* moderationem, quàm hujus σπουδήν. Heri ex *Pannonia* literas accepi, in quibus à quodam noſtro amico, homine non vano, ſcribitur, *Turcicos* exercitus revocari in *Syriam* propter *Perſas*, qui recipere *Syriam* conantur. Quid tribuendum ſit his ſermonibus neſcio, ſed illud conſtat, *Peſtam* obſidione liberatam eſſe, interfecto Duce, qui fuit præfectus *Belgradi*. Scribam copioſiùs, poſtquam noſtra collocutio ſuppeditabit argumenta. Non enim dubito,

dubito, quin mihi & noſtris acerrima certamina futura ſint cum *Alcibiade*. O veram vocem Pſalmi de perfidia hominum! Colamus igitur Philoſophicas amicitias. Heri advenit *Philippus Palatinus*: an frater tuus unà advenerit, nondum ſcio. Sed te ambo expectamus, etſi volo te valetudinem tuam anteferre noſtræ voluptati. Bene vale. Die divi *Georgii*, ex antiqua Colonia *Ripariorum*, Anno M.D.XLI.

Salutem opto honeſtiſſimæ Conjugi tuæ, Medico, & D. *Ludovico*, *Garbitio*, & *Mattheo*. Mitto tibi verſiculos in curru factos, etſi currus Muſis gratiam non bonam retulit. Te rogo ut iterum mihi mittas carmen tuum *Latinum*, miſſum *Wormaciam* de ſententia: *Nolite timere*. Nam *Grynæus* & tuum archetypum & deſcriptum à *Crucigero* exemplum retinuit, quodam amore utriuſque & admiratione picturæ.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 237. ANte menſem dedi literas ducis *Pruſſiaci* nuncio, & quidem flagitanti. Nam & objurgatricem epiſtolam ſcribi ad *Chriſtophorum* adoleſcentem voluit. Nunc redit ad me nuncius ille, narrat literas amiſſas eſſe. Fortaſſis inſpectis meis mutavit conſilium. Sed quoquomodo perierunt illæ epiſtolæ, levis eſt jactura, deplorabam ibi dextræ luxationem, quam nunc magis deplorare poſſum toties infeliciter tentatis novis curationibus. Fortaſſis ſimili facto exercemur, ego dextræ malo, tu pedis ποδάγρᾳ conflictaris. Deum oremus ut nobis adſit, & nos faciat χρήσιμα ὄργανα τῇ αὐτοῦ ἐκκλησίᾳ. Hìc poſtquam conciliationes inſtitutæ ſunt, principia mediocria fuerunt. περὶ τῆς δικαιώσεως τῆς ἐκ πίστεως convenit. Adſentiuntur delecti, Juſtificari homines fide, & quidem in eam ſententiam ut nos docemus. Formula compoſita eſt, quæ etſi brevior eſt, quam cauſæ magnitudo poſtulat, tamen mediocris eſt. Poſtea fuerunt altercationes de autoritate Synodorum. Contendebant non poſſe errare legitimè convocatam Synodum. Cúmque non aſſentiremur, rejecta eſt diſputatio in aliud tempus, ſecutum majus certamen περὶ δείπνου κυριακοῦ. Volunt mutari panem & repoſitum adorari. Nolui aſſentiri, fuique durior, quàm meus παραστάτης, qui olim maximè oppugnavit illam adorationem. Nec ſervit hac mollitie τῷ μακεδόνι, qui nunc aliquanto minus ſpei habet de his futilibus compoſitionibus, quàm videbatur initio habere, καὶ σοφῶς καὶ ἀνδρείως dicit ſententias. Nunc quia in eo articulo non convenit, juſtitium eſt. Hodie expectamus novos congreſſus; quos Deus gubernet. De *Chriſtophoro* ſanè doleo eum noſtræ commendationi non reſpondere. Sed eſt fatalis contumacia juventutis. Illud tantum oro, ut cures eum commendari alicui ex profeſſoribus Juris, & ita inſpectionem ſtudiorum ejus imponi tibi ſinas, aut ſi revocandum putabis, ſignifices id Duci. Bene vale. Die decimo Maii, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo, *Ratisbonæ*.

Ioachimo Camerario S. D.

BRevem à te Epiſtolam accepi, in qua & de ſilentio meo quereris, & de pedis morbo quædam ſignificas. Etſi erat prior particula ſtomachosè ſcripta, tamen quia jam ternas literas miſeram, ſperabam tibi poſſe ſatis fieri. Illud magis doleo tam tenaciter hærere morbum in pede, ac toties recurrere cruciatus. Sed id malum levato domeſticâ conſuetudine honeſtiſſimæ conjugis, & dulciſſimorum liberorum. Ego longè ſum miſerior, quem nè adverſa quidem valetudo abſtrahit ab his Principum negotiis, à quibus naturâ & voluntate abhorreo. Fuerunt hìc mihi & cum ſophiſtis & cum Tyrannis acerrima certamina, καὶ τάχα ἀτέλεστα. Etiam delatus ſum apud *Carolum* Imperatorem me cohortationibus *Gallicis* aſperiorem factum eſſe. Et huic fabulæ tanta fides habita eſt, ut Imperatori vocârit ad ſe τὸν μακεδόνα, & nominatim me accuſârit. Cauſa fuit, quòd nolebam *Regnum Confeſſionum*, ut vocant, approbare. Nunc ingredimur diſputationem, περὶ τῆς ἀρχῆς ἐκκλησιαστικῆς, περὶ τῆς λειτουργίας, περὶ ἐπικλήσεως τεθνηκότων ἁγίων. Hìc primùm offendendæ erant voluntates τῶν ἐν τέλει. Et facilior res eſſet, ſi adjuvarer ab iis, quorum major eſt autoritas. Sed Deum oro, ut adſit nobis, & gubernet exitum. ὁ αὐτοκράτωρ nihil oſtendit hoſtile. Putatur diſputationem earum controverſiarum, de quibus non conveniet, rejecturus in aliud tempus, & interea pacem conceſſurus. In *Pannonia* ſcito *Budam* exercitu Regis *Ferdinandi* obſideri. Dicuntur advenire mediocres *Turcorum* copiæ, ut *Budam* obſidione liberent. ἀλλὰ τούτων οὐ μέλει τοῖς βασιλεῦσι, qui interea de futili confeſſione diſputant. Scribo breviùs, quòd neſciebam, an rectà ad te iturus eſſet adoleſcens. Erit mihi propter dextram opus Thermis. Spero igitur me ad vos venturum eſſe. Bene vale. Die viceſimo Maii, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo, *Ratisbonæ*. Ep. 238.

Ioachimo Camerario S. D.

SEriem actionum Conventûs brevi narratione complexus ſum, quam tibi mitto. Quanquam autem verè ſcripta eſt, tamen vides præteriri ea, quæ nos quidem πολιτικοὶ præcipuè requirimus, quæ cujuſque in tantis negotiis voluntas, quæ fides, quod judicium fuerit, quæ ſemina ſint, qui fontes negotii. Hæc coram tibi exponere malim. Fuerunt enim crebræ & miræ μεταβολαὶ, quas conſilio regere non eſt humanum. Deum oremus, ut nos & harum actionum exitum gubernet. Spero *Macedonem* brevi abiturum eſſe, qui ſi diſceſſerit, ego ad thermas properabo propter dextram, quæ mihi, mi *Joachime*, contabeſcit. Plura nunc ſcribere non vacabat. Bene & feliciter vale. Anno M. D. XLI. Ep. 239.

De Negotio *Lipſico* etiam cum legatis hìc locutus ſum, fuitque mihi *Julius* hortator. Ita mihi reſpondent, ut ſignificent, ſe maximè cupere, ut res perficiatur. Sed hæc aliàs copioſiùs, die nono Junii *Ratisbonæ*.

Salutem

Salutem tibi optant D. *Franciſcus* Cancellarius & *Caſpar Cruciger*.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 240. ET mihi, & cæteris amicis magnæ voluptati fuit tuum judicium de *Gabriele* & toto illo genere Cavillatorum. Et tamen mihi crede, ut inter illos, *Gabriel* videtur eſſe perſpicuus. Sed ita eſt ut ſcribis, non ſolùm defuit illis explicandi ſcientia, ſed multò magis judicium de rebus. Deinde propter inſcitiam ſermonis, male intellexerunt vetera dogmata plurima. Sunt igitur omnia eorum ſcripta partim plena errorum, partim futilia & inania. Id poſſum oſtendere, non ſolùm tibi, qui ab his ineptiis alioqui abhorres, ſed etiam aliis non faſcinatis odio noſtri, aut dexterioris doctrinæ. Didici nugas illas, & mediocriter intelligo, imo rectius quàm illi. Nam τὰ [illegible] video non poſſe intelligi. Iſti [illegible] putant ſe perſpexiſſe. Sed hæc aliquando coram. *Maceda* hinc domum redit, poſtquam videt τὰς διαιτησίας non procedere. Princeps *Philippus Palatinus* etiam multò ante diſceſſit, cum D. *Brunſwicenſis* certamen moviſſet, qui nam præcederent, *Brandenburgius*. Frater ergo domi eſt. De libro, quem Imperator delectis ſex viris excutiendum dedit, nondum dictæ ſunt ſententiæ. Fuerat enim a *Marchione* ad *Lutherum* miſſa legatio, quem ſperârunt fore tractabiliorem, quam ego videor. Illius *Achilleum* ſtomachum ſi rectè novi, ubi librum viderit, mihi etiam ſuccenſebit, quòd tam multa præterii. Ac rediit legatio, hanc intelligo ei non oſtendiſſe librum: Tantum de iis articulis, qui non ſunt conciliati, rogâſſe ipſius ſententias. Reſpondit ſe probare ea quæ nos appoſuimus. Nos enim miſeramus. Cæterum & in formula περὶ τῆς δικαιοσύνης idem reprehendit, quod tibi diſplicet: de partiali agente. Ego etſi ſciebam non illi, ſed noſtris, inſuave fore, tamen non volui rejicere, cum ſit verum. Scribam alias plura. *Caſpar Cruciger* valde te rogat, ut mittas ea, quæ in Novum Teſtamentum adnotâſti. Res *Ungaricæ* hic occultantur, ſed audio eſſe πράγματα ἀτελῆ. Hodie aiunt Regem *Ferdinandum* affuturum eſſe. Miſi tibi hiſtoriolam de conventu & noſtris actionibus, cui attexam ea quæ deinceps agentur, ut habeas rerum ſummas. Sed ſcito prætermitti certo conſilio quorundam *Sinonias* fraudes. Ego mihi conſcius ſum, ſimplici animo ac ſtudio, à me omnia acta eſſe. Tuum ſomnium de mea manu cum iis literis congruit, quas miſi proximè. Expecto medicinam divinitus. Bene vale. Die viceſimo primo Junii, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 241. NIhil eſt profectò inſulſius aulicis conſiliis. Tot jam menſes hic aſſunt οἱ [illegible] ἀ[illegible], ignari omnium negotiorum. Nunc cum eſt ἀκμὴ earum deliberationum, ad quas miſſi ſunt, ſubitò cogitant de abitu. Hortatus ſum, ne properent. Nam mihi quidem videtur aliquid reſtare certaminum. In conſilio τῶν [illegible], *Palatini* Legati, *Marchio*, & *Colonienſis* recipiunt conciliatos articulos. Diſſentiunt *Moguntinus*, qui toties antea probavit, & *Trevir*. In altero conſilio ſimilis diſſenſio eſt. ὁ τῶν Βοίων [illegible] habet adjunctam catervam τῶν [illegible] *Palatinum*, *Othenricum*. & *Juliacenſes*, & neſcio qui alii diſſentiunt. Hodie animadverto fuiſſe non leve certamen. Vellem noſtros expectare [illegible]. Sed ſi non expectant, te iſtic alloquar apud fratrem. Certiora non poſſum ſcribere. *Ratisbonæ*. Die decimo quinto Julii, An. milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo.

Ioachimo Camerario S. D.

NOn dubito quin à Fratre tuo viro optimo & prudentiſſimo literas jam acceperis de utroque negotio. Erat aliquanto magis de te ſolicitus, quàm de ſeſe. Nam omnino caput eſt deliberationis, περὶ τῆς αἱρέσεως, ut intelligis. Cætera ſunt plana. Cum enim veniſſem εἰς τὴν πατρίδα, intellexi, te & expeti & expectari. Jam enim ex aula ſcripſerat quiſpiam de ea re ad *Bornerum* literas velut Academiæ gratulans. Et cum eodem tempore vocati eſſent *Dreſdam* præcipui ſenatores, deliberaturi cum de gubernatione aliarum Reipublicæ partium, tum de Academia, ibi reſpondi ad epiſtolam, quam acceperamus *Ratisbonæ*. De ædibus colloquetur *Bornerus* cum *Fachſio*, ubi primum domum redierit. Si poteris in feriis Vindemiæ expatiari, negotium agetur commodiùs. Sed quidquid ſtatueris, literas tuas expecto. Mitto tibi noſtros verſiculos, quos dabis *Fachſio*. Nam ſatis poëticos eſſe ducam, ſi ille applauſerit. Hic Dei beneficio tranquillitas eſt, & καταστροφὴ conventûs fuit mediocris. Deum Patrem liberatoris noſtri *Jeſu Chriſti* oro, ut te ſervet, & Eccleſias ac ſtudia gubernet ac tueatur. Bene vale. Die XI. Auguſti, Anno M. D. XLI. *Witebergæ*. Ep. 242.

Salutem opto honeſtiſſimæ conjugi tuæ & toti familiæ.

Ioachimo Camerario S. D.

MIſi *Vitæ* exemplum meæ Epiſtolæ, quam ſcripſi ad Ducem *Saxoniæ Henricum*. Nunc mitto Ducis literas, ex quibus intelliges aulam tui cupidiſſimam eſſe. Idque ad me amici ſcribunt copioſius. Deum oro, ut hoc totum conſilium gubernet, quod quidem & tuis rationibus accommodatum & Reipublicæ utile videtur. Quotquot hic ſunt vicinitatem illam tuam ſibi quoque gratulantur, ſi res procedet. Nec me quicquam angit, niſi cura τῆς ἀσφαλοῦς ἀπαλλαγῆς. Hæc & fratrem exercebat, ac mihi ſæpe fratris exemplum in mentem venit. Ideo te adhortor, ut hac de re cogites. Valde autem peto, ut mihi quàm primum ſcribas. Bene vale. Die Auguſti XIV. Anno M. D. XLI. *Witebergæ*. Ep. 243.

Ioachimo Camerario S. D.

NOn facilè dixerim, quantâ exercear ſolicitudine, cogitans de tuo negotio. Nec me illa Ep. 244.

illa vulgaria movent, quòd patriſamilias difficilis eſt migratio, quòd ſumptuoſa, vinci hæc poſſunt æquabilitate animi, & quadam mediocri diligentiâ. Duo hæc me excruciant, quòd humana conſilia omnia ſunt incerta: Et quòd vereor nequid iſtic ſit periculi. De qua re & fratrem ad te ſcripſiſſe arbitror, & ego quiddam ſignificavi. Deum igitur Patrem liberatoris noſtri *Jeſu Chriſti* oro, ut te ſervet, & regat conſilia tua. Sed quantum ego judicare poſſum, hæc Academia & ingenio tuo aptior eſt, & collocandæ familiæ accommodatior. Jam tantus eſt
B conſenſus omnium optimorum virorum, in hac aula & Academia te expetentium, ut & hæc judicia tibi perquam honorifica eſſe ſtatuam, & arbitrer divinitùs te huc vocari. Ac mihi crede, multò magis ornata eſt hæc civitas ingeniis, quàm vel opibus, vel operibus, quibus tamen excellere eam ſcimus. Scis me hac quidem in re mediocriter philoſophari. Non opes aut ædificia miror, ſed præſtantiam ingenio-
C rum, ſenatûs gravitatem, gubernationis formam ἀριστοκρατικήν. Inter hæc lumina egregiorum virorum te quoque conſpici malim, quàm in iſto cœtu, quem non quidem contemno, ſed tamen hunc ut anteferam, perſpicuis cauſis moveor. Deinde ſpero etiam Eccleſiæ plus profuturam eſſe tuam operam, hoc loco. Hæ duæ vicinæ Academiæ ſi florebunt, quantum momenti ſunt allaturæ ad conſervationem veræ do-
D ctrinæ? Nam alibi quid fiat, proximus conventus oſtendit. Aut tacent eruditi oppreſſi metu, aut inflectunt ſe cum ſumma levitatis nota, ad potentum dolos. Hic, etſi humana omnia ſunt incerta, tamen nunc quidem conſenſus eſt bonorum, & illa virtutis cuſtos in ſtatione mediocriter eſt, libertas. Rogo igitur, ut de tota re ſtatuas. Nam ego nihil præſcribo tibi, & ſtudio errare poſſum. Illud autem tibi confirmo, quod ad voluntates doctorum ac pruden-
E tum omnium attinet, omnes tui cupidiſſimos eſſe. Omnes teſtantur ſibi mores tuos, fidem & eruditionem probari. De tuis articulis tibi reſpondebitur planè & diſertè. Nam id petivi. Et ea eſt diligentia ac prudentia *Fachſii*, *Camiciani*, *Zigleri*, *Borneri*, imò & Cancellarii *Piſtorii*, ut ipſi ſuo judicio & ſuâ ſponte fuerint explicatè reſponſuri, & declaraturi ſuum erga te ſtudium. Ego tuis literis acceptis, mox profectus ſum *Lipſiam*, ubi, cum abeſſet D. *Fach-*
F *ſius*, ſed brevi rediturus, viſum eſt *Camiciano* & aliis, retinendum eſſe nuncium. Hanc moram boni conſules. De viatico confirmavit *Camicianus* daturum ſe operam, ut quantum obtineri poſſet, curaret. Aliquid habent initia, ut ſcis, difficultatis. Et nunc ſenex dux *Henricus* deceſſit. Sed autoritate graviſſimi & honeſtiſſimi conſilii Juvenis regitur, quod quidem pater, deliberatâ re cum civitatibus, ei adjunxit. Vides in charta quam adjeci, de quibus re-
G bus diſputarim in articulis tuis, ſi locus, ſi ſumma negotii placet, quædam parva facilè ſarcientur. Hæc *Lipſiæ* ſcripſi, priuſquam *Fachſius* veniſſet. Nam cum D. *Camicianus*, *Ziglerus* & *Caſpar Bornerus* me audiſſent, ac pollicerentur fidem & diligentiam, nec dubitarem illis hanc rem ſummæ curæ eſſe, rurſus hinc abiit. *Cami-*
A *cianus* frumentum tibi præmittebat, *Ziglerus* ædes, ſi aliæ commodiores non eſſent. Hic profectò nihil video, quod remorari adventum tuum aut impedire poſſit. Iſtic metuo periculum. Oro autem Deum patrem liberatoris noſtri *Jeſu Chriſti*, ut te ſervet, & hanc totam rem gubernet. Bene vale. Die Auguſti XXVI. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo, *Lipſiæ*.

Salutem tibi precantur *Camicianus*, *Ziglerus*
B & *Bornerus*, qui tamen & ipſi ſcribent poſt *Fachſii* reditum. Deus ſervet honeſtiſſimam conjugem tuam & totam domeſticam Eccleſiam.

Ioachimo Camerario S. D.

DEum Patrem liberatoris noſtri *Jeſu Chriſti* oro, ut te ſervet & gubernet tua conſilia περὶ τῆς ἐπιχειρήσεως. Valde enim ſolicitus ſum. *Ep. 25.*
Quòd ſi hic adoleſcens, cui tradidi hanc epiſto-
C lam, ad te venerit, rogo, ut in quærenda conditione eum adjuves. Eſt nepos noſtri paſtoris D. *Pomerani*, & quadam aviditate luſtrandæ ſuperioris *Germaniæ* hinc proficiſcitur. Valde gratum facies D. *Pomerano*, ſi eum adjuveris. Et ego cum D. *Pomerani* cauſa, tum vero propter ipſum adoleſcentem laboro, ut ei conſulatur. Eſt enim ſatis probè literatus, & moribus honeſtis præditus. Putat futurum ſe cultiorem in illa *Germaniæ* parte. Quæſo hanc curam hoc tem-
D pore cæteris tuis ſolicitudinibus addi ſinas. Hæc cum ſcriberem, tuus nuncius, ſi rectè ratiocinor, adhuc in itinere fuit. Sed affert reſponſionem ut puto explicatam & planam. Bene vale. Die duodecimo Septembris, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo.

Ioachimo Camerario S. D.

AMauter fecit *Ziglerus* noſter, quòd adven- *Ep. 246.*
E tum tuum nobis quàm primùm ſignificavit. Nam & gaudeo te & familiam incolumem eſſe, & precor Deum patrem liberatoris noſtri *Ieſu* γενεῖ τοῦ σφαγέντος ὑπὲρ ἡμῶν, ut tuam migrationem gubernet, & tueatur publica ſtudia, ac Eccleſias. Ardeo cupiditate videndi te & miſcendi ſermones περὶ εὐδαιμόνων πολλῶν. Aliquanto enim in conventu tranquilliore animo fui, quàm nunc ſum. Sed nolo te mox interpellare. Prima œconomiæ inſtitutio habet pluſ-
F culum negotii. Poſtea liberiùs colloquemur. Interim velim de tuis rebus aliquid mihi ſignifices. Agnoſcis optime *Ioachime*, ὦ φιλόσοφε, μᾶλλον δὲ τῆς ἐκκλησίας τύχην. Vagamur incertis ſedibus, plectimur, quaſſamur διὰ ἀμαθίας ἑτέρων. Feramus hæc ut decet eos, qui philoſophari γενναίως ſtudent. Repete animo veterum ſummorum virorum hiſtorias, quorum nos veſtigia utcunque imitamur. Sed nè illi quidem ſapientiores vitârunt eos caſus, in quos nos incidimus. Hâc
G ſe conſolatione & frater tuus ſuſtentet, vir optimus. Res docet nos, non ſolum tyrannicum eſſe, τὰ κυκλωπικὰ λέγειν, ſed etiam blanditiarum ſimulatione inſidiari. Sed hæc & alia multa, καὶ περὶ τῶν εἰκότων coram. Bene vale. Die viceſimo ſexto Octobr. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo.

Ioachimo

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 247. SI mei expectatione accidit, ut nondum è *Lipſia* ſcripſeris, meam tarditatem ipſe reprehendo. Etſi enim multa me vincula alligant, tamen hæc rumpam potiùs, quàm ut diutiùs caream vel literis vel colloquio tuo. Cras abimus ad aulam, propter quædam κατανεικῆ negotia καὶ ἐμπεπλεγμένα, quæ me abſente ſcis inchoata eſſe. quæ Deus ut ſedet oro. Quæſo te, vel tribus verſibus ſignifices quo animo ſis. Bene vale. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 248. HUc è *Lipſia* mihi per neſcio quos mercatores miſſa eſt fratris tui epiſtola, quæ ſi tardiùs ad vos pervenit, quam res poſcebat, mercatorum conſuetudini aſſcribito. Sæpe jam ſum expertus noſtras epiſtolas prorſus ab eis negligi, & vel amitti, vel tardiſſimè reddi. Id mihi nunc quoque accidit de literis ab *Auguſtano* Conſule, quem *Ratisbonæ* vidiſti, miſſis. Hâc nocte ſomnium adeo ἐναργὲς habui de te, & Academia *Lipſica*, ut non dubitem me brevi habiturum à te literas. Quotidie tam atrocia nunciantur de *Turcorum* in *Pannonia* furore, crudelitate, καὶ ἀσεβείᾳ, ut de periculis publicis, & calamitate totius orbis terrarum cogitans pene contabeſcam. Sed ſpero tempus inſtare, de quo *Daniel* inquit: *Illo tempore ſtabit Dux magnus* Chriſtus *pro filiis populi ſui, &c.* Audio quinquaginta pueros crematos eſſe *Budæ*, & cineres in templis ſparſos. Hanc ipſi luſtrationem eſſe dicunt. Hæc ſunt verè βαρβαρικὰ καθάρματα. Te adhortor, ut Eccleſiam tuam domeſticam jubeas petere Reipubl. defenſionem à Deo. Bene vale. Calendis Decembris, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 249. EPiſtola tua viſa eſt mihi ſic ſatis hilariter ſcripta. Id inprimis voluptati fuit. Reſpondeo autem breviùs, quòd nondum de itinere conſtitui. Veniſſem ſine aliqua dubitatione, niſi totam rem mihi permiſiſſes. Nec me admodum negotia retinent, & tempeſtates ſpero fore commodas. Nam de his nos quidem ſidera ſpectantes interdum pronunciare convenit: Et albæ virgines; ut verbis oraculi utar, quod meminiſti de *Brenno*, conſtraverunt viam. Una res me cunctantiorem efficit. Videbor velle πολυπραγμονεῖν in aliena Republ. ſi ſubitò toties congrediamur. Fortaſſis igitur expectare nundinas commodius erit. *Camicianus* mihi nuper dixit, nihil dubitare ſe, quin effici poſſit, ut τελειώματα ſint integra, & ipſe domum emas. In eam rem incumbamus. Si inſpexero honeſtiſſimæ conjugis tuæ manum, monſtrabo lineam, quæ ſignificet propriæ domûs emptionem: agnoſcis jocos noſtros. Nec tu ideo ſuperſtitioſum me putaveris, aut ſi illa non evenerint, falſum vaticinatorem. De *Sophocle* probo conſilium tuum, Decet eſſe exordia ſplendidiora. Etſi mercatores nec *Sophoclis* nec *Xenophontis* nomen audierunt, tamen nos quidem Philoſophos rident, cum audiunt de œconomia diſſerentes, cujus ſibi artis perfectionem ſumunt. De profectione hodie cum *Vito* & *Milichio* deliberabo. Nam *Paulus* noſter habet pedes *Socraticos*. Bene vale. Poſtridie Cal. Decembris, Anno M. D. XLI. Heri mihi fratris literas.

Ioachimo Camerario S. D.

VElim *Chriſtophorum*, ſi erit πραγματικὸς, meliùs cavere aliis, quàm ſibi cavet: petit teſtimonium, nec tempus ſignificat, quod ſcribi in talibus literis neceſſe eſt. Deinde non indicat, quem ad uſum flagitet. Nam hæc non ſcribimus eodem modo, niſi putat me hæc mutare ex antiquis formulis pedellorum. Ac nuptiæ D. *Melchioris* in cauſa fuerunt, quo minùs eum interrogârim his diebus de tempore & ſtudiis ejus. Mitto formulam, quæ ſi non placet, compones aliam, vel communicarâ re cum *Melchiore*, qui jam iſtic eſt, & inde rectà ad *Moguntinum* perget. Mittes autem nobis obſignandam. Audio his diebus *Pompeii* ſocerum *Uratislaviæ* fuiſſe, ac properare ad Regem *Sarmatiæ*: aiunt Legatum eſſe *Ferdinandi* petentis συμμαχίαν contra *Turcas*. Sed ſuſpicor aliud agi. Fama eſt enim *Paulum* tertium deceſſiſſe. *Nicolao Magno*, ſi ad te redierit, dices, expectari eum à nobis, eiq; noſtris verbis gratulabere reditum in *Germaniam*. Deum patrem Liberatoris noſtri *Jeſu Chriſti* oro, ut honeſtiſſimam matronam conjugem tuam, & totam familiam ſervet. De ſchola θαρσεῖν χρὴ, τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον. Nunc enim quæ ſit trepidatio potentum vides. Nec deſpero Eccleſiam etiam ex his periculis eluctaturam eſſe. Bene vale, vir optime & mihi chariſſime. Anno M. D. XLI. Ep. 250.

Salutem tibi aſcribi juſſerunt *Lutherus*, *Amſdorfius*, & *Forchemius* tuus.

Ioachimo Camerario S. D

FAma malum quo non aliud velocius ullum: Ep. 251.

Et hæc celeriùs ſpargit triſtia. Itaque rumores de *Carolo* Imperatore ante *Viti* literas, oppidum noſtrum pervagati erant. Etſi valde conſternatus ſum, tamen ſi ſalvus eſt *Carolus* Imperator, ut opto, ac in *Italiam* rediit, fato retractum ad patriæ defenſionem judico. Quid enim conſilii eſſe dicemus? quod cum in vicinia & penè in conſpectu eſſet *Turcicus* exercitus, procul in *Numidiam* diſcedit, quærens neſcio qualem μονομαχίαν. Quanquam haud fruſtra fortaſſis retrahitur. Nam & *Alexander* infeliciter cum *Scythis* conflixit, qui erat, ut eſt in verſu *Homerico*,

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής,

Tamen cœleſte numen officii eum admonet. Cogito & alia, quæ coram exponam, cum ut ſpero, certiora & minus triſtia audiemus. Illa tua querela eſt juſtiſſima, Heroas noſtros non affici ſenſu publico calamitatum. Una igitur nobis reliqua eſt conſolatio, quam toties repeto: Deo æterno curæ eſſe Eccleſiam Filii ſui *Jeſu Chriſti*,

ſuæ aliquem nidum, ut Filio recens nato φίλτρα καὶ ἀνάγυρα dedit. Illud verò dolorem meum non rarò auget, quòd video multa eſſe τῶν ἀγαθῶν διάφορα κακά. Sed id quoque fatale eſſe putemus, ut ille inquit:

Hoc placet ò Superi, cum vobis vertere cuncta
Propoſitum, noſtris erroribus addere crimen,
Cladibus irruimus, nocituráque poſcimus arma.

Recudi iſtic *Danielis* enarrationem à me congeſtam audio. Si Typographus habet *Græcos* characteres, vellem addi tuam Elegiam. *Fuchſii* nuncius nondum rediit, quæ ſit moræ cauſa, non difficilis eſt conjectura. Sed *Homericum* illud non cogitat:

αἰσχρὸν δὴ δηρόν τε μένειν κενεόν τε νέεσθαι.

Bene vale. Die XV. Januarii, An. M.D.XLII.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 255. CIvis *Ienenſis* qui oſtendit ſe vinum tibi vehiturum eſſe, mittit *Ienam* hunc ſuum miniſtrum, qui te conveniet, ut tuam ſententiam audiat, & de emptione, & de tranſvectione. Cadum vini nati hoc anno, quod eo loco exiſtimatur eſſe cæteris generoſius, ex monte cui nomen eſt à *Langravio*, vendet tibi octo florenis, ut vocant, & continet cadus V. S. amphoras, & aliquanto ampliùs, non minùs. Nec verò huic pecuniæ precium vecturæ includit. Sed ſi ab ipſo voles tranſvehi, curabit ut *Lipſiam* advehatur tibi vinum uſitatâ mercede, ut ex hoc tabellario intelliges. Hæc tibi ſignificanda eſſe duximus, ut de tota re cum hoc tabellario ſtatuas. Mihi vini precium non videtur eſſe nimium, & pluris hìc nobis cereviſia emenda eſt. Sed ſtatues ut videbitur. Cætera aliàs. Bene vale. IV. Februarii Anno M.D.XLII.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 256. DAbis veniam brevitati. Nam inde uſque à ſecunda poſt mediam noctem lucubrandum mihi fuit, non modò ut *Tubingenſi* nuncio darem literas, ſed etiam ut *Hieronymum Noparum* magnis faſciculis onerarem, euntem *Noribergam*, ac deinde *Ratisbonam*. Conficior, mi *Ioachime*, laboribus, & ſervio penè ut in antro Cyclopis, dicendum eſt enim apud te quod ſentio, ac ſæpe de fuga cogito: vix mihi ad brevem precatiunculam tempus ſuffurari poſſum. Redit nuncius ille non planè inanis, etſi pulchritudini operis, diligentiæ autoris, & ſumptibus non reſpondet hoc munus. ἀλλὰ δεῖ συγκαταβαίνειν αὐτὸν τοῖς ἀτυχήμασι τοῦ ἄρχοντος. Bona natura & benefica eſt iſtius Principis, & vicem ejus doleo. Scripſi ut voluiſti, ad *Baldaſarum*, ac mitto nondum obſignatas epiſtolas, ut legas & eam quam ſcripſi *Baldaſaro*, & alteram inſcriptam *Mathiæ*. Mittes igitur ſi videbitur, aut ſcribes meo nomine, quas putabis eſſe aptiores. Bene vale. IX. Febr. Anno M.D.XLII.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

Ep. 257. QUod aſperſiſti dulciſſimam conſolationem in proximis literis tuis, & humanitatem agnoſco tuam, & erga me benevolentiam, & tibi gratiam habeo. Sed ſcito me multo æquiore animo ferre privatas miſerias, quam Heroum quorundam, ut eſſe volunt, πολιτευόμενοι, qui leviſſimas cupiditates ſuas Eccleſiæ & patriæ ſaluti anteferunt. Sed ſunt hæc fata ruentium Imperiorum, & pœnæ ultimæ ſenectæ mundi, quæ ut mitiget Deus, oremus. *Triceſius Polonus* ſcribit recuperatam eſſe *Budam* ab *Hungaris*. Sed ὁ χρόνος δείξει. Hanc Epiſtolam tibi tradet Magiſter *Caſpar Erfordianus*, Decanus *Saxonici* Collegii, qui nunc unus ſcholam aliquam habet *Erfordiæ*, & optimè de rebus bonis ſentit, & cum præclarè ſit eruditus, feliciter docet. Videre te cupit & amicitiam tuam expetit. Scio, ubi nôris eum, probaturum te ejus candorem & integritatem. Excipies igitur eum, ut ſoles viros bonos & amantes noſtræ philoſophiæ. Mitto tibi capita proximæ diſputationis, de quibus diſſeruit Juvenis *Suevus* accerſitus ad gubernationem Eccleſiæ *Iſnenſis*, quæ admodum honorificè ſcriptis literis ad Academiam noſtram, petivit, ut teſtimonio publico hic Juvenis ornaretur: vellem equidem diutiùs eum manſiſſe in Academia. Sed magna eſt paucitas mediocriter doctorum, qui præfici Eccleſiis poſſint. Hæc cura nihil tangit illos Heroas, qui Eccleſiæ & patriæ exitialia bella movent, propter nugaciſſimas cauſas. Sed redeo ad priorem querelam, cum potiùs pugnandum ſit precibus apud *Chriſtum*, ut pugnavit *Cananea* illa mulier cula, cujus facta eſt mentio in proxima lectione Evangelii. Alterum exemplum dabis *Laterenſi*, cui etiam bis diebus pertexam quæſtionem de negotio matrimoniali. Bene vale. Die XXI. Febr. Anno M.D.XLII. Plura exempla diſputationis non erant venalia.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

HIeronymus meus contubernalis mittit ad *Rheticum* literas, quas tradidit huic Sacerdoti *Coburgenſi*, qui narrat, olim ſe *Lipſiæ* commilitonem tuum fuiſſe, ac unà audiſſe *Heltum*. Ep. 258. Ideo autem ei epiſtolium dedi, ut tibi literas *Rhetico* inſcriptas traderet. Nam illum non novit, nec ubi quærendus ſit ſciebat. Ad te igitur miſimus, non ut vel tibi, vel aliis oneri ſit, properat enim in patriam. Eſt autem vir θεοσεβὴς καὶ ἱερεύς, et quibuſdam non levibus ærumnis exercetur, de quibus me conſuluit. Memini te nuper ſignificare ſermones iſtic eſſe de mea profectione in *Ubios*. Etſi *Macedo* urget ut proficiſcar, tamen hactenus quidem repugnavi, ſatis eſt mihi negotiorum domi. Et, quanquam optimi ſenis τοῦ ἀρχιερέως *Ubiorum* voluntatem probo, et adjuvandam cenſeo, tamen inſidias τῶν παρασίτων, quos antea ſum expertus in conventu, metuo, quorum ego flagitia texi et tegam, etſi profectò quoties recordor, iræ mihi ignescunt, et duris dolor oſſibus ardet. Sed hæc alias. Bene et feliciter vale. Die viceſimo ſecundo Febr. An. M.D.XLII.

Ioachimo Camerario S. D.

NOn, ſi mihi quamvis magna et periculoſa res ſuſcipienda eſſet, plures autores re- Ep. 259.

 quirerem,

quirerem, quàm *Macedonem*, *Lutherum* & te. A
Et ſententiæ veſtræ de mea profectione congruūt. Sed poſtquam rem ad aulæ deliberationem rejeci, & illa non quidē prohibet, ſed tacet tantùm, facilè patior me retineri, nec inſto ut reſpondeant. Multæ ſunt enim graves cauſæ, propter quas hoc præſertim tempore, in eas regiones minus libet proficiſci. Sed mihi crede, non inter poſtremas eſt, quod non libet audire fabulas τῶν πολυπραγμονούντων τῶν ἡμιθνήτων καὶ ὅμοια θρυλλήματα; quæ nec refutare ingenuè poſſum, nec tamen confiteri decet. B Sed omitto hæc. Faciā has operas ſcholaſticas, donec Deus concedet, quem oro, ut nos juvet & reliquias Eccleſiæ ſervet. Tanta eſt in *Belgio* opinionum confuſio, ut bodie audivi, ut Principum negligentiam, vel potius ſtuporem non poſſim non execrari. Nihil mireris conceuti orbem mutationibus imperiorum, & puniri Reges. Bene & feliciter vale. Niſi tempeſtates me retinebunt, expatiabor ad vos. IV. Martii, Anno M.D.XLII.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 260. ET operis formā delectabar legens tuam orationem, & ſimul dolore ac miſeratione patriæ, horum ipſorum ſtudiorum, & Eccleſiæ afficiebar ingenti: videbam enim eleganter à te expreſſam eſſe formam *Demoſthenicam*. Similis eſt ad cauſam aditus, quibus rebus creverit hoſtis, quæ mens ſemper fuerit, deinde quæ contra ignavia, diſcordia, tarditates alterius partis, denique ſeria & plena veri ſtudii adhortatio. Cenſeo igitur quàm primùm edendam eſſe. Etſi enim neque his armis vincitur hoſtis barbarus, neque hæc leguntur à Centauris, propter quos plectimur, tamen hæ voces honeſtæ in ſcholis, in noſtris cœtibus ſonent. Nondum de Eccleſia, nondum de Republica prorſus deſperemus: quare noſtra ſtudia, quantum conceditur, colamus. Citas oraculum, *periſſe Athenas* ἐγγύθεν καλὸν τί. Eodem loco alterum eſt apud *Pauſaniam in Phocicis*, in quo dicitur *periſſe Athenas*, δειλῶν στάσει, καλὸν τί νομίσαν. Planè imago eſt hæc noſtrorum temporum. Sophiſtica Principum, & ignavia ſunt exitio Reipublicæ, Intelliges jam in conventu bona conſilia miris ſtrophis eludi, quā de re, etſi nonnihil dixiſti in tua oratione, tamen vellem te aliquid aſſumpſiſſe meæ iracundiæ, ac aſperiore inſectatione rem turpiſſimam perniciosiſſimamque vituperâſſe. Nec ego metuo Coryceos, qui hæc dicent à me tibi inſtillata eſſe. Aſcribo in eam ſententiam verſiculos, nonnihil mutatos ex *Sophocle*, pro quibus velim mihi meliores facias.

ὅστις στρατηγὸς γέμουσιν εἰ ἐν τέλει,
ἔχθρας τ' ἰδίας ποιεῖ πλείονος πέρι,
ἢ τὴν ἑαυτῶν πατρίδα, ἢ δὲ τὸν θεόν,
ταύτην νέμεσις τὴν πόλιν χρόνῳ ποτ'
ἐξ ὀρθοῦ δραμοῦσαν, εἰς βυθὸν πεσεῖν.

Accepi bis proximis diebus & ex *Polonia* & ex *Moravia* literas à peritis hominibus ſcriptas, in quibus affirmatur augeri copias, quæ ſunt *Budæ*, eáſque excurrere & populari viciniam. Heri etiam afferebatur fama de capta *Alba Regia* ut vocant. Interim tamen quidam penè affirmant, majorem natu filium Tyranni *Turcici* à patre defeciſſe, & bellum in *Syria* moliri. Non dubito vos aliquid de conventu *Spirenſi* habere, apud nos de eo ſilentium eſt, quod ipſum eſt δύσφημον. Remitto tibi *Oporini* literas. Spectrum de quo ſcribit, nihil dubito diaboli ludos eſſe, vel σαρκασμὸς potiùs, quibus exagitat impiam plebem, & fortaſſis confirmare certamina quædam conatur. Sed diſcedet ex hac ſcena ille ſpiritus πονηρός, ſi à piis ſe contemni ſenſerit. Volui etiam te legere *Sturmii* ad me epiſtolam. Bene vale. Anno M.D.XLII.

Ioachimo Camerario S. D.

ETſi digni ſunt reprehenſione ὁ δεῖνα & ejus Ep. 261. παρασιται, tamen nos non odiis, non ſcelere certare cum ipſis oportuit, ſed potiùs conſulere Eccleſiæ, patriæ, gloriæ Dei, denique facere quod C nobis dignum erat, non quod illis, præſertim cum rectè faciendo etiam ſecuritati noſtræ optimè conſuleremus. Hanc dixi ſententiam in eadem cauſa, de quā nunc ſunt deliberationes, ante ſexennium, dixi ſæpe poſtea. Ac in conventibus ingenti cum dolore, vidi aliud agi, non ſui approbator. Etſi igitur abſens ſæpe jam de *Spirenſibus* rixis cogito, nec multò minorem capio dolorem procul hæc aſpiciens, tamen abeſſe me gaudeo. Quid ſtruatur, quò hæc abſurda D conſilia evaſura ſint, brevi videbimus. ſi nos fatum urget, ſcis nos antea ſæpe ἀμαθίας ὅπλον φιλονεικίας τοῖς ὁ κακαλύψαμεν, ὃ καὶ ἐπανορθοῦσθαι θεὸς κυβερνῶντος, καὶ σύμμαχος χειραγωγοῦντος. Nunc ita deformant & ſeſe & cauſam optimam, ut nos de nobis ipſis tandem cogitare cogant. Noti ſunt mei ſermones, & extant in ſcriptis ſignificationes mei doloris, quæ oſtendunt, me hanc ſophiſticam multò ante & improbâſſe, & formidâſſe. Erant aulæ quondam aliquanto ſimiliores τῇ ἀριστοκρατίᾳ, nunc ὀλιγαρχικαί ſunt, ridentur & exploduntur ſcholaſticæ opiniones ut vocant, quod E minùs mirarer, ſiquid eſſet *Alexandreum* aut *Achilleum* in his, qui ſcholaſticos derident, ſed nec *Linum* opinor *Hercules* contempſit. Hāc totā de re nunquam cuiquam ſatis expoſui meum dolorem, nè tibi quidem. Nec illā privatā cauſā angor. Eccleſiæ, Reipublicæ, deinde & ipſorum cauſa doleo, qui ſunt fontes τοιαύτης ἀμαθίας Reliqua eſt una Anchora, de quā Filius Dei inquit, F *Non relinquam vos Orphanos*. Vides nec Eccleſiæ, nec Reipublicæ præſidio eſſe hos Heroum filios. Petamus igitur & expectemus à Deo auxilium & defenſionem. Hæc ipſa ſententia, ferè quotidie ad me multorum literis perſcribitur. Bonorum judicia de iſtis Heroibus, & dolor, & vota fere ubiq; conſentiunt, id quoq; ſignificat impendere rerum μεταβολὴν fatalem. Sed deſino. Brevi coram plura. *Apollonio* libenter gratificati ſumus. Nam ego quidem magis dignum judico hoc gradu, G qui vel exiguam particulam Phyſices didicit, & vel pauca novit remedia, quam qui totum *Tartaretum* ſciat ἀπομαθεῖν, etſi hic quoque habemus ἰατρικοὺς τινὰς ἀφώνους, ut ipſe Senex *Cato* ineptos imitatores ſuos vocabat. De inſcriptione *Cerasani* Amici noſtri quid ſpei eſſe poteſt? Natura ſatis bona & liberalis eſt ejus

ejus Principis. Sed nec *Xenophantis* nec *Ariſtotelis* ἐπαινετικὸν legit. Bene vale & reſcribe. Dixi *Apollonio*, vereri me, ut ſibi veſtrates ſatisfieri patiantur, etiamſi à nobis fuerit ornatus, ſed id *Aurbachio* & *Philoni* curæ ſit. Anno M.D.XLII.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

Ep. 262. ET *Apollonio*, & ſtudiis eorum qui eum commendârunt, obſecuti ſumus: ſcis enim *Philonem* magni fieri à me. Nec dubitabam iſtic quoſdam reprehenſuros eſſe noſtram facilitatem. Nam hic quoque ridetur. Sed mihi uſitatum eſt, amicorum cauſâ peccare, fortaſſis etiam ultra metas, de quibus diſſerit *Theophraſtus*, ut dicitur. Sed tamen μαχεῖ ζωμῶν. Scire igitur cupio, an profuerit noſtrum officium *Apollonio*. Ego quidem diſertè eum admonui, niſi ſciret ſibi profuturum, nè titulum ineptum peteret. Reliqua in proximis literis nonnihil mitigârunt actiones *Spirenſium* Comitiorum. Nam audio decretum eſſe, ut πανστρατιὰν mittat exercitum in *Pannonias*. Sed, mi *Ioachime*, novis curis excrucior. Inferetur hoſti acerrimo bellum, & poſtea negligenter geretur. Sed tamen res ſuſcipienda eſt. Deum oremus, ut defendat Eccleſias ſuas. quod certè faciet, etiamſi caſtigabit. *Daniel* & alii pii in exilio non ſolùm ſervati ſunt, ſed etiam gloriâ cumulati. Scripſeram proximas literas mane, iis curis, quas in lecto meditari ſoleo, incitatus. Sed non eſt de nihilo mea querela. Poſtea inſpexi *Pauſaniam*, qui etiam *Linum* ab *Hercule* inquit occiſum eſſe. ὅτι ἦν οὖν τὰς εἰωθυίας ... τοῖς ... etſi ego quidem, qui me Peripateticum profiteor, minimè durum Philoſophiæ genus ſequor. In ducatu *Vuirtenbergenſi* ſcis *Boſſbergii* complices vagari. Hi nunc *Auguſtanos* & *Vlmenſes* magno detrimento affecerunt. Te rogo, ut ſcribas aliquid περὶ ἀποδημίας καὶ τῶν λοιπῶν πραγμάτων. Mitto tibi *Sabini* literas, ad me ſcriptas. Hic ſcholaſticus exhibebit tibi ipſius Carmen & Epiſtolam ad te ſcriptam, quæſo ut aliquid ei reſpondeas. Bene vale. Nec locum nec tempus idoneum ad ſcribendum habebam. Die *Annunciationis*, Anno M.D.XLII.

A *Zieglero* literas accepi de quodam *Franco*, cui mea officia detuli. *Zieglero* ſcribam alias.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

Ep. 263. DE curatione pedis tui magnopere angor, nec ſumo mihi tantum, ut cum & medicos habeas eruditiſſimos & fideliſſimos, & ipſe multa uſu cognoveris, præcipiam aliquid: illud tantùm oro, ut caveas, nè majus aliquod incommodum accerſas: curationibus ſiſti fluxum non eſt utile; deinde *Ebeni*, quemadmodum mihi lubet nominare, uſus in tanta ſiccitate inteſtinorum tuorum plurimum habet periculi. Si quâ idoneâ ratione effici poſſet, ut in ulcus erumperet fluxus, id utiliſſimum foret, quam ad rem ætas, humidus victus, & fortaſſis etiam medicamenta quædam aliquid afferre momenti poſſent. Cum *Menio* unà profectus eſſem, niſi me Typographi reti-

A nerent. De itinere *Dreſdenſi* nondum conſtitui. Sed, ſi me ſomnia mea non fallunt, hodie aliquid Epiſtolarum ex aulis accipiam, quod mihi novas curas afferet. τὸ προσδοκώμενον duplicat ſolicitudinem. Et tamen ſumus avidi τῶν ἀγγελιῶν. Bene vale. Anno M.D.XLII.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

BInis jam literis mitigas Epiſtolam nuncio *Laterenſis* traditam, cum quidem & juſtæ querelæ fuerint, & moderatè ſcriptæ, nec legantur hic, niſi ab amicis. Nec meæ querelæ de nihilo fuerunt περὶ σπασμάτων ἐκείνων. Hic fons eſt hujus impii tumultûs, qui in vicinia ortus eſt. Non diſputo de ullius partis jure. Sed vel juſta patrimonia noſtros abjicere optârim potiùs, quàm defendere parricidiis & civili ſanguine. Deum oro, ut hos furores compeſcat. Spero *Macedonem* daturum operam, ut arma deponantur, etſi video quantum illi ipſi certamen futurum ſit. Metuo principi. Et tranquillitatem opto Eccleſiis, ſtudiis, plebi, de me privatim non valde ſum ſolicitus. Ita me excruciârunt diu Principes ipſi, ut vivere inter has moleſtias non libeat. Scio qualem ſervitutem toleriſ. Audio *Spiræ* teterrimas rixas eſſe. Mitto tibi Epicedia amicorum, qui hanc ob cauſam minùs miſeri fuerunt, quàm nos, quòd deceſſerunt, priuſquam hæc ſcelera viderent. Te oro, ut mihi ſcribas, ſi quando poteris. Nam quiſquis erit exitus horum tumultuum, erit brevis ἀνάπαυσις. Deus nos adjuvet, & tollat hæc ſcandala. Bene vale. Die VII. Aprilis, Anno M.D.XLII. Ep. 264.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

NOn tantum veteribus exemplis, ſed etiam meis colaphis didici fugiendas eſſe τῶν δυνατῶν ὁμιλίας. Et fugere ſoleo. Nec tamen prorſus effugere poſſum. Cras aiunt hic affuturum eſſe τὸν Μακεδόνα. cujus expectationi retentus ſum, quo minùs hodie ingreſſus ſim iter, ad vos expatiaturus. Multa ad eum in hac ipſa ἀνάπαυσει contumelioſa ſcripta ſunt, nec dubito, quin de quibuſdam rebus nos alloqui decreverit, ſi huc venerit: mitto tibi libellos. In *Pſalmo*, *Confitemini*, conciunculæ ſunt περὶ τῆς ἐκκλησίας, quas noſtro cœtui non injucundas fore arbitror. Cæteris concionari aliquando deſinamus. Sed hæc coram. Bene & feliciter vale. Die XI. Maii. An. M. D. XLII. Ep. 265.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

HOdie *Gallis*, auditoribus tuis, brevem Epiſtolam dedi & libellos aliquot tibi exhibendos. Deinde Mathematicus noſter *Ioachimus*, cum me retineri intellexiſſet, literas flagitavit. Etſi autem magno nobis uſui eſt, & à nobis non libenter diſcedit, tamen quia meminimus fuiſſe apud vos deliberationes de conducendo Mathematico, audire vult, quid conſtitutum ſit. Nec ambitioſè petit, nec tibi aut cæteris amicis aliquid negotii facere cupit, ſi res refrixit, facilè patimur, nè à te quidem ullam fieri mentionem hujus negotii. Expones igitur ei, quid tibi videatur. *Bornerus* mihi ſignificat, Ep. 266.

non perdi vobis duo milia, quæ promiſſa erant, quod ſi ita eſt ſatis adparet hoc agi a potentibus, ut in Academia veſtra fiat ſolitudo. Hac de re etiam cum *Macedone* loqui decrevi. Bene vale. Die XI. Maii, Anno M.D.XLII.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 267. EGo verò gratiam tibi habeo, quod τὴν σαρ-κὴν curare maluiſti, quàm iter non neceſſarium ingredi: audiebam enim κατασκῆψαι τὸ ῥεῦμα εἰς γαργαρεῶνα. Miror unde in ſicco corpore tam varii, & errantes fluxus ſcaturiant: ſervies igitur curationi. Nam mihi excurrere minus difficile eſt, veniſſem citius, niſi hoc tempore vitandos quorundam oculos, quorundam etiam fabellas cavendas eſſe ducerem. Hæc ego,ſi non ſemper,tamen interdum aliqua Philoſophia moderor. De *Bucero* ſcripſit huc *Vuencelaus* etiam atrociora; diſceſſiſſe eum jam ex urbe *Argentorato*, doleo. & reprehendo conſilium iſtorum, qui renovant ſermones δυσφημίας γινομένας, ſed multum vanitatis eſt in narrationibus περὶ τοῦ κακοῦ τούτου. Brevi certiora habebimus. Nunc enim in itinere eſt nuncius, qui hinc literas perfert *Baſileam*. De *Turcis* adhuc ſilentium eſt,etſi rumores obſcuri allati ſunt de oppido *Strigonio*. Auxilium ac defenſionem à Filio Dei expectemus ac petamus, cui ſcimus Eccleſias ac pia ſtudia curæ eſſe.Bene vale. Pridie Cal. Junii, Anno M.D.XLII.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 268. HAnc Epiſtolam dedi *Petro Medmano*, erudienti Comites *Iſebergiot*, viro bono, erudito, & officia quadam philoſophica moderatione metienti. Volebat enim aditum ſibi patefieri ad amicitiam tuam, qui quidem hâc ſpe minus moleſtè fert, avelli ſe à nobis, quod exiſtimat futurum, ut iſtic tua conſuetudine fruatur: ſcio, ubi introſpexeris hominem,familiaritatem ipſius tibi gratam fore. Si venit *Lipſiam Portunus*, rogo, ut interroges de penſione *Mantelli* ægroti Sacerdotis. Nunc enim in aula literas dare curabo, eámque rem diſtuli, ut coram poſſem in aula agere, quod cras facturum me eſſe ſpero, hodie enim adveniunt Principes. Si adeſt *Portunus*, ac poteſt curare, partem, ſaltem ejus pecuniæ, vellem eum dare Quæſtori fiſci noſtri *Iohanni*, quem ipſe novit. Sed ſi non adeſt *Portunus*, nihil tibi negotii impono. Bene & feliciter vale. Die III. Maii, Anno M.D.XLII. Fortaſſis die Dominco iſtuc veniam.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 269. SCio ſæpe nos Scholaſticos rideri ab aulicis,ac judicari ἀνερμάλους & moroſos, cum de occupationibus querimur. Sed tamen pro mea imbecillitate videor mihi ſatis ſuſtinere negotiorum quæ & ipſa ad Rempublicam pertinent. Verùm aulici ſæpe obliviſcuntur dicti *Ariſtotelis*, qui ait, *civitatem conſtare ex Medico & agricola*;hoc eſt, pluribus artibus indigere. Meum ad vos iter impedierunt graviſſimæ cauſæ, quas tibi coram exponam. Fuit enim expectandus *Macedo*, & ſecuta ſunt alia quæ commemorabo: pugnavit ſatis acriter *Macedo* de *Crucigero*.Quid impetratum ſit, ex *Megabacho* te audiſſe arbitror. Brevi audio unà futuros eſſe Duces *Saxoniæ*, quod fauſtum & felix ſit. Deum oro, ut hoc vulnus etiam ſanet. *Marchio* ad *Lutherum* & ad me de ſua expeditione piè & ἁπλῶς ſcripſit: precandum eſt, ut adſit ei Dux noſter Filius Dei. Tuam Senatoriam orationem libenter legi, videris ſignificare, iſtic deeſſe exempla. Nos hîc vidimus aliqua, ſed avidè rapta ſunt: meum dedi ante aliquot dies *Paulo Ebero*, utendum precario, mittam tamen, ſi poſtulas. Cupio iſtuc venire ad Medicorum congreſſum, quia cum eo ordine mihi vera, non fucoſa amicitia eſt, quod judico philoſophicum eſſe. τῇδέ μὲν τέτληκε φίλος. Sed deliberabo cum *Crucigero*. Expectatur enim his dieb⁹ hîc *Ionas*. Bene vale. Die Aſcenſionis Chriſti in cœlum. M.D.XLII.

Ioachimo Camerario S. D.

CIvis *Lipſicus* eſt, *Gregorius Ulricus*, ut mihi quidem viſus eſt, eximiâ modeſtiâ & humanitate morum præditus. Hujus frater *Eraſmus*,cui has dedi literas, hîc domeſticâ *Marcelli* conſuetudine uſus eſt, cujus *Eraſmi* & mores & ſtudia probo. Nunc verò *Lipſiam* redit, ut Juriſconſultos audiat. Cum autem magnum ornamentum eſſe, ac lumen Legum has noſtras literas exiſtimet, tuam amicitiam expetit, ut tuo conſilio interdum in his noſtris ſtudiis utatur, quæ negat ſe depoſiturum eſſe. Scio tibi voluptati fore utriuſque fratris integritatem, & non fucatam comitatem. Quare eos tibi commendo. De Republica ac rebus *Pannonicis* nondum quidquam habebamus, præter rumores de incendio urbis *Lyncea*. Deus tegat Eccleſias & ſcholas *Germaniæ*. Bene vale. Die XIII. Julii, Anno M.D.XLII. Ep. 270.

Ioachimo Camerario S. D.

LIbenter dedi literas tuo diſcipulo, homini γνησίως φίλῳ. Eſt enim & rectus & officioſus admodum, & nobis propter tuam amicitiam devinctior. Aget iſtic quædam forenſia negotia ſoceri, ſed ut te videret, avidiùs iter ſuſcepit. Rogo autem, ut redeunti aliquid des literarum de tuis rebus & de familia, quam ut Deus tibi ſervet incolumem, ex animo precor. Mea conjunx profecta eſt ad filiam,quam ſpero jam quartùm puerperā eſſe.De Republica nondum habeo quidquam ἀξιόλογον. Nuncius ex *Cattis* heri mecum fuit, qui dicebat *Turcicas* copias in *Pannonia* manere non poſſe, niſi Tyrannus ipſe adventaret. Et aſſunt jam hîc *Moravi*, qui nihil triſte nunciant. Bene & feliciter vale. Die Junii XXVI. Anno M.D.XLII. Ep. 271.

Ioachimo Camerario S. D.

TUa mihi aſſiduitas in ſcribendo pergrata eſt, delector enim humanitate & ſuavitate tuâ, qualiacunque ſunt argumenta, quæ tempus ſuppeditat. De bello non dubito iſtic ſermones eſſe hominum ocioſorum varios. Sed mihi crede, *Macedo* diutiùs querelas *Goſlarienſium* ſuſti- Ep. 272.

ſuſtinere non potuit. Eáque unâ re ſe incendi dixit. Etſi is qui fertur tot ac tam triſtium incendiorum autor eſſe, fortaſſis divinitùs rapitur ad pœnam: plectemur una fortaſſis, ſed tamen Eccleſia Deo curæ erit. Téque velim animo tranquillo eſſe. Ex *Pannoniis* læta ſcribit *Iſlebius*. Nam heri legi literas admodum recentes. Tyrannum ipſum non venire arbitrantur. *Turcicæ* verò copiæ non procul à *Buda* evagantur. Sed prodigiis terreor. *Pragæ* infans in utero edidit vagitum, mater ita conſternata eſt, ut mortua ſit, infans ſervatus eſt ſecta alvo. Sed multa talia ſunt ἄσημα. Ego hypochondriacis doloribus mediocriter excrucior. Familia mea rediit ex *Marchia* ſalva; *Sabini* Conjunx peperit quartam filiam. Reddet tibi has literas profeſſor gymnaſii *Marpurgenſis*, *Adami* noſtri amicus, bonus & doctus vir, quem tibi commendo. Egit hic cum *Matthia Illyrico*, ut ſe in Academiam *Heſſiacam* conferat, ac promittit ſtipendium. Bene vale. Die XXI. Julii, Anno M.D.XLII.

Ioachimo Camerario S.D.

Ep. 273. BAldaſaro *Sponſo* læta & fauſta omnia precor, quem quidem vidi libentiùs, quia literas ad me tuas afferebar. Etſi autem hâc horâ dedi epiſtolam Profeſſori Academiæ *Marpurgenſis*, tamen & hanc addidi, ut meam aſſiduitatem etiam tibi probarem. Ac ſcriberem præſertim hoc tempore crebriùs, ſi res haberem memoratu dignas. Heri *Franciſcus* noſter affuit, qui quia non veniebat ex aula, de expeditione narrare nihil poterat. Fuerat enim legatus ad Regem *Danicum*, virum antiquæ virtutis & conſtantiæ, & non πολυπραγμονοῦντα, deferentémque ad pacandam *Germaniam* omne ſuum ſtudium, exercitus, & ſeipſum. Sed tota hæc res eſt ἐν γούνασι θεῶν qui poterit dare placidam καταστροφήν. Opinor *Palatinum*, quod cauſam τοῦ δόρυ & hominem non probat, non valde contendiſſe. Tuæ verò patriæ *Cypſelus Ates* perſonam potiùs quàm δίκης aut pacificatoris ſuſtinere poterat. Multa, ut exiſtimare potes, mecum de cauſis belli, περὶ τῆς ἀρχῆς, de tempore, de Ducum voluntatibus, ingeniis, tum etiam de lege *Spartana*, quæ eſt in *Terpſichora Herodoti*, cogito. ſed omnium diſputationum ſumma redit ad hoc caput,

θεοῦ διδόντος οὐδὲν ἰσχύει φθόνος,
καὶ μὴ διδόντος οὐδὲν ἰσχύει πόνος.

A Deo igitur auxilium ſperemus. Bene vale. Die XXI. Julii, Anno M.D.XLII.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 274. TAbellario *Noribergenſi* dedi literas, in quibus de *Ioachimo Rhetico* ſcripſi. Adjeceram me expectare literas ex caſtris. Has heri accepi, & quidem à *Pontano*, cujus animum cum habeam pene cognitum & perſpectum, plus autoritatis apud me ejus narrationes habent. Videtur animo tranquillo eſſe, & ſperare, Deo juvante, exitus mediocres. D. *Brunſuicenſis* per *Colonienſem* tentavit pacificationem. Rex *Ferdinandus* vetat ſuſcipi defenſionem urbium. Sed hæc mandata ſera ſunt. Nam *Macedo* jam bellum intulit hoſti, & quædam loca occupavit. Mitto tibi libellum Dialecticum, propter primam pagellam, in qua locus eſt de *Corcyreorum* ſeditione, quem velim te legere. Plura alias. Bene & feliciter vale. Die XXVII. Julii, Anno M.D.XLII.

Ioachimo Camerario S. D.

EXpatiatur iſtuc *Georgius*, qui tecum de annotationibus in ſcripta Apoſtolica loquetur: Ep. 275.
miro enim & ſingulari ſtudio flagrat ornandi, quàm maximè poteſt, ſacros libros. Judico autem & ipſe ad accendenda ſtudia profuturam eam operam, ſi eruditè explicarentur quædam grammatica in iis libris, qui in omnium manibus verſantur. Et multa video poſſe utiliter illuſtrari. Nec mea opera tibi in ea re defutura eſſet. Quare velim te & polliceri *Georgio* noſtro prolixè, & aliquando manus admovere adornando huic operi. Literas à te expecto de prælio *Pannonico*. Nam mihi ſcribit *Spalatinus*, duodecim millia *Turcarum* trucidata eſſe, deſiderata ex noſtris quatuor. Duces noſtri in *Brunſuicenſi* ditione adhuc expectant decretum ex *Noriberga* περὶ εἰρήνης. Cæſarem *Carolum* ferunt in *Italiam* veniſſe. Hæc eo ſignifico, ut ſi quid de *Carolo* atq; rebus *Pannonicis* habes certius, imperties. Bene vale cum univerſa familia. Anno M.D.XLII.

Ioachimo Camerario S. D.

CAſparem pater evocavit, cum quo expatiari Ep. 276.
unâ conſtitui, etſi me quidem multa domi detinent. Nunc *Pannonias* animo, nunc *Germaniam* intueor, vultus etiam veſtrorum, & mirificos ſermones conſidero, méque excruciant tum ipſa Reipublicæ pericula, tum verò etiam ὀλιγαρχίας quorundam, quibus voluptati eſt, accidere aliquid, quod noſtram cauſam deformet. Sed Deum ſpero noſtris affuturum eſſe. τὸν μὲν ὑπάτην omnino affirmant deſertâ patriâ latere profugum apud generum, etſi hodie, ut ſpero, certiora ſciemus.

ῥεῖα τάδε πάντα θεῷ τελέσαι καὶ ἀνήνυτον οὐδέν.

Literas ad *Fachſium* his diebus tibi mittam. Nam hic juvenis properabat. Bene vale. Anno M.D.XLII.

Ioachimo Camerario S. D.

INdulſi ætati noſtri *Rhetici*, ut ingenium quaſi Ep. 277.
quodam Enthuſiaſmo incitatum ad hanc philoſophiæ partem, in qua verſatur, proveheretur. Sed aliquoties ipſi dixi, me in eo plus ſenſum *Socraticæ* philoſophiæ deſiderare, quàm fortaſſis adjunget, cum erit paterfamilias. Nam ea de re cogitare eum intellexi. Scripſi ad eum, ut nobis & mihi planè de ſua voluntate & de tempore reditûs reſpondeat. Audio *Perlachium Noribergæ* eſſe, qui fortaſſis ad vos pertrahi poſſet. Sed ego nec voluntatem, nec mores ejus novi. *Collimitium* dicunt ab eo inclementer tractatum eſſe. Eſt apud nos *Eraſmus Floccus*, me-

mediocriter inſtructus doctrinâ, quem ſurrogabimus *Rhetico*, ſi nos is reliquerit, videtur mihi poſſe prodeſſe ſcholæ. Nam & perſpicue docet, & non faſtidit operas ſcholaſticas. Fortaſſis autem non deſunt vobis iſtic mediocres. Sed expectemus literas *Rhetici*. Politiam ſcholæ allatam à viro Clariſſimo *Ludovico Fachſio* legi libenter & probo. Fiat aditus σὺν θεῷ, ad meliora, etiamſi ſubitò obtineri omnia non poſſunt, quæ requires. Nihil de ſuis legibus, nihil de illa Collegarum, ut vocant, ἀκοινωνίᾳ decerpi ſinent. Interim ergo detur opera, ut in auditoriis aliquid boni fiat. Scribam ipſe ad *Fachſium*. De Claſſico, quòd mecum te diſputaturum ſignificas, potes tu quidem omnia mecum, tanquam tecum loqui quæ vis. Sed ſcis non eſſe hoc noſtrum poema. Ne illud quidem ſatis ſcio, unde hi impetus orti ſint. Sed deum precor, ut eos gubernet. Scriberem plura de his ipſis rebus, non quòd noſtris diſputationibus hæc tegi poſſint, ſed ad levandum animum tuum ſolicitudine, ſi proſpici finis humanis ingeniis poſſet. Niſi Deus placidam Cataſtrophen dederit, infinita res erit: ſi accederet etiam τοῦ κεφάλου interitus, quæ diſtractio *Germaniæ*, quæ rerum mutationes impenderent? Memini hæc diſputare illos ipſos ſæpe, qui nunc ſunt in armis. Ego hâc unâ nitor anchorâ, & quidem ſacrâ, ut dicitur: quòd non dubito Eccleſiam Deo curæ & eſſe, & futuram eſſe. Hodie etiam literas expecto ex caſtris, in quibus ſi quid erit, quod ſignificandum amicis videatur, mox tibi impertiam. Bene vale. Die *Jacobi*, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo.

Joachimo Camerario S. D.

Ep. 278. Video lætari vulgus pulſo illo, & ego Deo æterno Patri liberatoris noſtri *Jeſu Chriſti* gratias ago, quòd noſtros adjuvit. Sed profectò, ut in lectione Tragœdiarum Epitaſis magis movet & percellit animos, quam κατάστασις: ita mirificè excrucior, cum ratiocinor quid impendeat, niſi brevi pax conſtituta fuerit. Noſtri Duces ſcripſerunt Regi *Ferdinando* & conventui *Noribergenſi*: ſe petere, ut certa pax conſtituatur, quod ſi fiat, oſtendunt ſe dimiſſuros exercitum, nec pluribus bellum illaturos: ſentio honeſtam petitionem eſſe. Sed in utraque parte ſunt, qui fortaſſis bellum malint. ὁ τούτων diſſuaſor eſt. Hæc coram tibi copioſiùs narrare poſſem. In arce capta repertæ feruntur literæ, quæ continent hiſtoriam multorum annorum de conſiliis inimicorum noſtrorum. Regent provinciam noſter *Milo* & *Steinbergius*, & Cancellarii munere fungetur *Franciſcus* noſter. Gaudeo delectos eſſe homines juſtos & à crudelitate abhorrentes, ipſos etiam Principes gaudeo hactenus nihil immoderatè, nihil aſperiùs feciſſe. Filii Ducis *Brunſuicenſis* adhuc ſunt in patria, & pars eis tradita facti argenti & ſupellectilis. Sed hiſtorica iſtic multorum ſermonibus celebrari arbitror. Vix manus in ſcribendo officium facit, ita me quidam dolor poſtquam redii afflixit, ſed Deum oro, ut noſtros Duces gubernet & ſervet. Bene vale, Anno M. D. XLII. die *Anaſtaſii*. De A lector enim nomine propter recordationem uſurpatæ à te appellationis.

Joachimo Camerario S. D.

Et *Lutheri* literas, & meas tibi mitto, de quibus ſtatues, pro veſtro judicio. Serio vellem venire *Brentinum*. Sed tamen multa mihi contra veniunt in mentem. Scio eos qui nolunt Academiã creſcere ac vires accipere, arte extra- B cturos negotia, & hominis candidiſſimi conſilia corrupturos, ut ſervi ſolent in Comœdiis: Hæc ſi fient, quid proderit optimo Viro negotium facere? Non ſunt mihi ignotæ τῶν ἐμῶν παραδυναστῶν artes, omnes enim ſunt ferme unius modi, quas cum ille fugit, fugit profectò μαινόμενον, non enim arbitror ἐκ προαιρέσεως fugere. De Scholaſtico ex *Brunſuicenſi* ditione nihil fieri poteſt, donec *Franciſcus* redeat, οὐδενὶ γὰρ μέλει τῆς εὐλογίας. Sed ſi differri res non poteſt, dabo C adoleſcenti ipſe literas πρὸς τὸν μαθητὴν, apud quem audio his proximis diebus fuiſſe toto quatriduo tuum colluſorem *Scepperum*. Bene vale. Anno M.D.XLII. Ep. 279.

Joachimo Camerario S. D.

Aſcanii Principes *Lutherum*, *Crucigerum*, D. *Auguſtinum* & me vocârunt. Ac ſenex noſter *Georgius Forchemius* te quoque acceſſit, D ut ea literis ipſius manu ſcriptis intelliges, quas huic Epiſtolæ addidi. Non dubito Principem *Georgium* expetere & notitiam & amicitiam tuam. Et quanquam hæc tempora his congreſſibus non ſatis idonea ſunt, tamen Principis *Georgii* cauſâ, promiſit *Lutherus* ſe venturum eſſe in arcem *Deſſauenſem*, die ſeptimo Septembris. Eodem die poſſes è *Lipſia* & ipſe cum *Lateranſi* eò venire, quod ut facias, nos quoque rogamus, modò ut valetudo tua ſinat. πρῶτον γὰρ παρεγγύημα E τῶν πάλαι ἀρχόντων ἦν ἡ ὑγιείας ἐπιμελεῖσθαι, ut legimus apud *Lucianum*. Faſciſculum literarum veſtrarum accepi. Bene vale. IV. Septemb, Anno M.D.XLII. Ep. 280.

Magiſtro Philippo Melancthoni

Salutem. P. Illuſtres Principes *Anhaltini* permagnas gratias agunt & habent, optime D. Magiſter, veſtræ humanitati, quòd tot alioqui F curarum æſtibus, in tanta iſta ſtudioſorum frequentia diſtricta, ob preces eorundem Principum, de pædagogo Junioribus Principibus quærendo tam ſolicitum gerat animum, ut nulla negotia ipſam à conſideratione hujus rei abducere & avertere valuerint, etiamſi ſermo inter nos mutuus de ea re denuò inſtituendus, omiſſus fuerit, temporum conditione ita fortè ferente. Verùm cum veſtra D. Magiſtrum *Chriſtophorum Budeſſenſem* deligat, nominet & præconio cele- G bret, quaſi hujus ætatulæ formandæ idoneum pædagogum. Et ſanè omnia, quæ in iſto viro animadverto, pollicentur talem, qualem veſtra Dignatio prædicat: ideo quod Dominus Deus noſter bene vertat, Clementiſſimi Principes *Anhaltini* veſtrâ commendatione permoti, curam formandorum morum teneræ & mollis adhuc Ep. 281.

huc ætatis, at planè ceteræ eidem Domino Magiſtro delegant, perſuaſi veſtro conſilio talem Præceptorem ſe adeptos eſſe qui juniorum Principum animos ita ſanctis piiſque inſtitutis moribúſque imbuat, ut D. Deo incrementum, & ſuum ſpiritum impertiente, in eos Principes evadant, ut nihil de ipſis verendum ſit adverſus ſubditos, quod ab animo moderato, manſueto cæteriſque virtutibus, quas in epiſtola ad piiſſimum Principem noſtrum commemoraſtis, alienum fuerit. Pro laboribus D. Magiſtri exantlandis in hunc annum conſtituti ſunt XX. fl. ultra veſtitum & alia, quæ & aliis in hac aula verſantibus præberi ſolent: verum de aliis aget vobiſcum coram ſæpe memoratus. D. Magiſter, nec vult quicquam in hoc negotio pro tranſacto haberi citra veſtræ D. conſilium & aſſenſum. Quod attinet ad meum ſuaviſſimum & cariſſimū Magiſtrum *Ioachimum*, nolim V. dignationi tacitum eſſe, quod Illuſtres Principes noſtri animum habent evocandi iſthinc ad ſe Reverendum Dominum Patrem *Martinum*, & *V. H.* ac alios quoſdam Theologos, ut aliquid ocioli & relaxamenti animorum domini Theologi unà cum Clementiſſimis D. Principibus omnibus triſtibus curis hinc quàm longiſſimè profligatis, capeſſant. Id quod jamdudum ſummis votis ipſorum & aliorum expetitum fuit. Iiſdem Dominis Præceptoribus meis exoptant illi & ego, adjungi comitem D. Magiſtrum *Ioachimum*. Vereor enim, ne ſi citeriore tempore huc advectaverit, me hic non offendat. Dies autem ad quem expectabimini huc venturi; erit octavus Septembris, in quem natalis beatæ Virginis incidet. Quare ſi is dies veſtris D. idoneus & congruus fuerit, dabitur opera, ut D. P. in tempore id intelligant. Cupiunt etiam I. P. ut D. Magiſter *Philippus* ſecum recipiat Magiſtrum *Chriſtophorum*. Primas enim partes præceptoris *Aſcaniorum* Juniorum penes D. Magiſtrum *Philippum*: poſteriores verò penes alios eſſe deſiderant. Itaque D. M. *Ph.* tanquam ſummus parens Juniorum *Aſcaniorum* concredet eoſdem Principes curæ & diligentiæ D. Magiſtri *Chriſtophori*, hic adhibitâ aulicâ ceremoniâ. Valeat meus D. Præceptor quam diutiſſimè in Domino noſtro *Jeſu Chriſto*, cum univerſa familia ſua. Datæ *Deſſaviæ*, XXX. Aug. M.D.XLII. Ingentes gratias agimus de libellis ad nos miſſis.

G. H. F.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 282. HIc adoleſcens *Philippus Friburgenſis*, cujus Pater gubernavit ſcholam trivialem, ut vocant, in *Milicini* patria, ſtipendio Senatûs *Bohlienſis* alitur, & accedit aliquid liberalitate *Francofordiam* amici. Is mittit eum *Lipſiam*, & ad honeſtiſſimam Matronam Conjugem D. *Camerarii* literas ei tradidit. Proficiſcitur autem libentiùs tui audiendi cauſâ, nam in *Græca* lingua præclarè promovit, & ingenio valet. Amo adoleſcentem & propter ſuavitatem ingenii ac ſtudia, & propter ordinem in quo natus eſt. [illegible] Quare ut tu quoque eum complectaris rogo, nec aliud onus tibi impono,

A niſi ut cohorteris, ut plus operæ tribuat Philoſophiæ, in qua re adjuvari à *Rhetico* poterit. Commendabis eum & D. *Camiciano*. *Eccius* tandem dicitur exhalâſſe infelicem animam, errans mente, cum ageret animam, rediit ad eas diſputationes, quæ *Ratiſbonæ* eum in morbum conjecerunt, [illegible] Deum oremus, ut ſervet & regat Eccleſiam. Fabula de capta *Buda*, ab ipſis *Turcis* dicitur in *Polonia* ſparſa eſſe [illegible] pa-

B tiamur; ſed, mi *Ioachime*, flagitioſa eſt neglectio Eccleſiarum Dei. Ideo nihil miremur [illegible], Sed tamen mitigari pœnas oremus. Bene & feliciter vale. Salutem opto D. *Laterenſi* & *Rhetico*. Anno M.D.XLII.

Ioachimo Camerario S. D.

SUbitò erat ingreſſurus iter, D. *Adrianus*, & Ep. 283.

C jam literas acceperat de contagio luis iſtic graſſante. Quare ad te ſcribendum duxi, ac te adhortandum, ut conjugem cum familia huc ad me mittas, donec aliquid de ſchola ipſi conſtitueris, aut videbitis, an latiùs vagaturum ſit contagium. Te quoque advenire optarim, &, ſi fieri poteſt, ut venias oro. Sed fortaſſis retinebunt te hæ deliberationes, & ſpero tibi minus fore periculi; Téque curæ eſſe Deo non dubito. Verùm hoc ſine ulla difficultate facere potes, ut huc

D tanquam expatiaturam mittas familiam. Mecum illa commodè eſſe poterit. Nam in meis ædibus majus conclave, & majus cubiculum vacua ſunt. Eritque meæ uxori & filiæ jucunda conſuetudo tuæ familiæ. Et ſumptus prorſus non augebuntur. Scripſi ſubitò, téque rogo, ut hanc tuaſi ruſticationem tuis concedas. Bene vale. Die XI. Septembris, Anno M.D.XLII.

Ioachimo Camerario S. D.

E ET commendatione tuâ adeo accuratè ſcriptâ, & lachrymis adoleſcentis moveor, ut adjuvare eum cupiam. Idque quod unum initio faciendum eſſe putavi, feci: ſcripſi *Franciſco*, ut cauſam Adoleſcentis ſuſcipiat. Incluſi & tuam commendationem. Nondum planè ſcio, quomodo noſtri & *Catti* diſtribuerint [illegible] Intelligo autem natum eſſe adoleſcentem in eâ regione, quæ propior eſt *Cattis*, Ep. 284.

F quanquam fortaſſis gubernant *Catti*. Sed quoquomodo hæc ſe habent, adnitendum erit. Scio expilata eſſe omnia fana, teneri præfecturas penè omnes & vectigalia à Fœneratoribus. Hæ œconomicæ difficultates ſolent hæc officia impedire. Spero tamen inveniri poſſe [illegible] aut Sportulam pro ſcholaſtico, ac ſi opus erit, ſcribam ipſe [illegible], & ad Noſtrum. Poſt reditum noſtrum [illegible], ubi una fuimus, *Lutherus* filiam honeſtiſſimam

G puellam extulit. Pater etſi dolori repugnat, tamen eſt [illegible], nec exuit paternum animum. Deum oro, ut te & tuos ſervet incolumes. *Borneri* literas hodie accepi, de quibus coram ut ſpero. Non credas, quantum mihi temporis in ſcholaſticorum negotiis, quibus literæ dandæ ſunt, pereat: quare negligentiæ meæ in ſcribendo

bendo veniam dabis. Bene & feliciter vale. Die A XXV. Septembris, Anno M.D. XLII.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

Ep. 285. REddet tibi hanc Epiſtolam quidam noſter hoſpes *Vveſtvalus*, qui propter curationem τῆς ὄψεως iſtuc ad D. *Sebaſtianum* Medicum proficiſcitur. Eo autem ad te quoque epiſtolam addidi, quia fortè jam res *Pannonicæ* allatæ erant, quarum hiſtoriolam & tibi impertiendam eſſe B duxi, niſi fortaſſis jam iſtic δημοσιεύεται. Scito etiam *Scotum Aleſium* diſceſſiſſe ex Academia *Francofordiana*, quod etſi contra meum conſilium fecit, tamen nunc ei ſedes quærenda eſt. Aiunt migraſſe *Lipſia Jacobum*, id an ita ſit, ſcire cupio, téque rogo, ut quàm primùm ea de re me certiorem reddas, cum habebis fortè oblatum tabellarium. Rectè doctus eſt in doctrina Eccleſiæ Dei & rectè ſentit, regi etiam bonorum conſiliis poteſt, & eſt κενόσπουδος· eáque quæ deſidero, C ſanabilia ſunt. Et ſcis me hoc de communi bonorum imbecillitate uſurpare, quod ait *Plinius: Homines odiſſe, qui vicia omnia ſine gradnum diſcrimine odit.* Bene vale. Anno M. D. XLII.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

Ep. 286. NOta eſt mihi tua bonitas, & in tuendis iis, quos ſemel complexus es, perpetua conſtan- D tia: quare quòd τὴν ἀλήθειαν reſpicis, tuâ virtute dignum facis, vellem & ego migrationis conſilium eum diſtuliſſe in adventum ſui Principis. Sed nunc fruſtra hæc diſputo. Juvabo potiùs ſi potero. Sed illud miror, cur ad me non redeat. Nam coram conferri conſilia meliùs poterant. Si eſt iſtic, & tamen meo conſilio uti volet, hortare ut huc redeat, niſi ſperat ſine noſtra opera rem confici poſſe, quod ſanè optarim. De reditu Ducis *Mauritii* jam audieram, & precor ut ſit E fauſtus & felix. Cras plura. Bene vale. Anno M.D.XLII.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 287. NOn negandum eſt aliquid eſſe loci, diligentiæ ac Philoſophiæ noſtræ, in gubernatione Reipublicæ. Sed ut in navigatione ventorum, ita fatorum in Imperiis miranda vis eſt. Sæpe eſt monitus adoleſcens, qui imperat illis *Francorum*, ut putatur, majoribus *Sycambris*, ut F ſuarum regionum aditus muniret præſidiis. Sed aut parum fidis utitur Conſiliariis, aut ineptè φιλαργύροις· miras ipſe ſordes, miras ineptias animadverti. Noſtræ verò cauſæ multo erant iniquiores, quam vicini. Nunc mittunt πρεσβείας. Et magna ſolicitudo noſtris injecta eſt. Nec exitus humanis conjecturis proſpici poteſt. Thema etiam tibi mitto, quod mihi non placet, & de eo ſæpe in aula ſum vaticinatus. Deum oremus, ut ſervet Eccleſias & ſtudia utilia Eccleſiæ G ſuæ. De *Iacobo* velim te mihi reſpondere. *Aleſius* rectè quidem diſputavit: Magiſtratum politicum debere κολάζειν πορνείας, cum aliter dixiſſet alter quidam. Hanc diſputationem, quia differri juſſerunt, diſceſſit, poterat expectare adventum Principis. Sed nimis amat φιλίαν veſtram. Noſter Princeps hâc hyeme ei donat XL. aureos, ut habeat viaticum. Interim aliquid conſilii quærendum erit. Hâc nocte ſomniavi, unà ſedere *Crucigerum*, *Suavenium*, *Blarerum* & me: ibi ego iſtis valedicens, ac neſcio quò abiturus, commendo Rempublicam, inquiens, veteri me futurum, ut regnum Dei eripiatur his gentibus, & tradatur genti facienti fructus. Sanè moveor hoc ſomnio. Bene vale cum domeſtica Eccleſia. Si iſtic eſt *Aleſius*, des ei has Epiſtolas. Anno M.D.XLII.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

SÆpe hoc uſurpavi, ut ex Gigantum ſanguine, Ep. 288. terra mater aliam Gigantum ſobolem edidit, bellum inſtauraturam adverſus ſuperos, ſic ex ſophiſtarum reliquiis, novi ſophiſtæ oriuntur, fortaſſis etiam furioſiores prioribus, ambitione, C invidiâ, livore, moturi pernicioſiſſima certamina. Exempla vides. Nondum vellem *Aleſium* dimicare cum illo. ἀλλὰ οὐ βέλτιον δεῖ πάντων φύσις κυβερνᾶν· ἔχειν γὰρ τινὰς παραβόλους καὶ παραλόγους ὁρμάς, quales in hoc quoque vidi. Sed oro Deum, ut Eccleſiam & ſtudia regat. Ego in hac militia, ad quam me Deus vocavit, & fui hactenus, & ero hortator ſtudioſis, ut & res utiles diſcant, & quadam moderatione Eccleſiarum concordiam tueantur. Scio te ad eundem ſcopum tua con- D ſilia, tuáſque operas dirigere. Has voluntates, & hos conatus adjuvet Filius Dei, qui cum videret ſuis non eſſe multos συμμάχους dixit, οὐκ ἀφήσω ὑμᾶς ὀρφανούς. Cum *Rhetico* proderit planè & explicatè de ſtipendio & operis agi. ἔχει γὰρ κακοῦργον ὑποπτεύοντα τὸν αἰχμάλωτον τοῦ ὄντος καὶ τοῦ ὁμίλου. Omnia ei apud nos integra ſunt. περὶ μόνου στρατηγήματος ἐν παιδείᾳ non libet ſcribere. Et ipſius & Reipublicæ vicem doleo. Narrantur fabellæ non committendæ Epiſtolis. Sed eſſe in itinere E fertur. Quidam, ut narrant, ſuo more egit, convaſavit triginta millia aureorum ac amplius, & abiit. Hâc nocte ſomniavi me in patriam a *Ludovico Palatino* revocari. Fortaſſis ille mortuus vocat me in cœleſtem patriam. Bene vale. Anno M.D.XLII.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

ETſi in tanta Imperiorum confuſione, vel rui- Ep. 289. F nis potiùs, artium interitus etiam metuendus eſt, tamen, mi *Ioachime*, cum Eccleſia Dei manſura ſit, ornare eam aliqua cum ſpe non deſinamus. Et hæc ſemper aliquas Philoſophiæ reliquias conſervavit, deinde quid agere meliùs, aut quid omnino agere aliud nobis quidem dignum poſſumus, niſi hoc ut ſtudiis honeſtæ doctrinæ, quantum conceditur, opitulemur. *Ioachimum Rheticum* tibi commendo, quem quidem conſiliis juvabis tuis fideliſſimis in illa veſtra G *Philyra*, quæ, ut omnes cæteræ Reſpublicæ, multa habet ἴσως ὅμοια. De *Aleſio* curabis, nè quid edat contra ullos. Mitto tibi noſtram defenſionem pro eo ſcriptam, cum inepti homines in aula ad Academiam noſtram ſcripſiſſent, de eo puniendo. Exemplum *Aleſio* oſtendes: mitto & aliam noſtram Epiſtolam ad *Lotharingum*,

nomine

nomine Principum ſcriptam. Verſus *Græcos* in *Danielem* viginti aut circiter componi à te velim. *Stigelianum* Epigramma mihi placet. Bene vale. Die XVIII. Novemb. Doctorem *Sebaſtianum Hellerum* profectò ingenioſum virum audio mortuum eſſe.

In Danielem Ioh. Stigelii.

Hæc quicunque legis Danielis *ſcripta Prophetæ,*
Qui tibi de Chriſto *nuncia vera canit,*
Aſpice regnorum ſeriem, & titubantia fata,
Quæque abiiſſe diu, quæq; futura docet.
Aſpice decidua vix ſtantem mole Gigantem,
Quàm titubat fragili morbidus ille pede.
Scilicet occiduo declinant omnia mundo,
Actaq; ad extremum fabula ſpectat opus.
O quicunq; cupis venientem cernere Chriſtum,
Iudicium expectans diſce timere Dei.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 290. HEri aſcripturus eram literis hiſtoriam de Duce *Mauricio*, ſed non licebat prolixiùs ſcribere. In prælio quod cum *Turcis* commiſſum eſt, audio eum, quadam magnitudine animi & aviditate pugnæ longiùs provectum eſſe, & illatum in agmen *Turcorum*, ubi dum dimicat fortiter, equus labitur: collapſo inſtant *Turci*, & hoſtis jam necem Principi minatur, cum unus ex Satellitibus *Rebiſchius Turcum* illum, qui corpori Principis veſtigium impreſſerat, obtruncat, repellit cæteros. Sed *Rebiſchius* ipſe multis vulneribus acceptis ibi interficitur, ſervato ſuo Domino. Quæſo ut hanc hiſtoriam ſeu carmine, ſeu oratione ſolutâ illuſtres. Epiſtolam legas, quam ſcribo *Aleſio*; Neſcio quid cauſæ ſit, cur non hic mecum deliberet: ſi quid ſuſpicatur, aut [illegible], ſinam eum ſuas res agere; certe mea natura nihil habet latebrarum aut inſidiarum ut ſcis. Sin autem putat ſe perfecturum eſſe negotium ſine noſtris, opto προχωρῆσαι εὐτυχῶς αὐτῷ τὸ γενόμενον. Bene vale, & reſcribe. Die viceſimo quinto Octobris. Anno M.D.XLII.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 291. MItto tibi faſciculum literarum, in quo eſt *Northuſana* epiſtola de negotio Doctoris *Adriani*. Etſi autem memini, quæ mihi de mollitie animi ipſius narrâſti, tamen quid aliud agere poſſumus? Neceſſe eſt planè reſpondere ne ut in Comœdiis, tela texatur aliarum turbarum. Mater prius dimiſit à ſe filiam alteram ſanè infeliciter, ut iſtic audire potes. Eo exemplo commonefacta hanc in oppido ſuo retinere cupit. Ignoſco ſolicitudini honeſtiſſimæ matronæ. Nam & ipſe domeſtico exemplo didici, quàm ſit ea res ærumnoſa. Utinam *Adrianus* philoſophico animo legat literas. Sed ſi putabit nondum deponendam eſſe ſpem, expatiandum erit aliquando ad ipſam matrem. Addidi & alias epiſtolas *Baumgartneri* ac *Viti Noribergenſis*, de quodam concionatore amico *Aleſii*: velim igitur te eas epiſtolas *Aleſio* tradere, ac jubere eum, ut quam primùm ſcribat illi ſuo amico, quem A tamen nunc arbitror in *Marchia* retineri, pulſo *Albero*, qui liberiùs, & ut vera muneris ratio poſcit, taxavit immoderatas expilationes καὶ βδελυρίαν aulicam. Sed hæc alias. Bene & feliciter vale. Die IV. Decembris, Anno M.D.XLII.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

CUm his diebus interpretari *Murenianam* Ep. 292. B orationem cœpiſſem, tuáſque enarrationes adjungerem, legi dulciſſimam concionem tuam, De *Amicitia*. In hac viſus ſum mihi videre imaginem animi tui, verâ ratione cum cæteras virtutes, tum verò amicitiam colentis, magnámque ex cogitatione tuæ virtutis & noſtræ amicitiæ voluptatem cepi. Nec potui facere, quin id tibi ſignificarem. Deum etiam oro, ut ſtudia noſtra gubernet, ac faciat, ut noſtra conjunctio proſit Eccleſiæ ſuæ. Equidem mihi conſcius ſum, C amicitias non ſolùm privatæ utilitatis aut ſuavitatis cauſâ, ſed, ut in exercitu, propter communem concordiam appetiiſſe. Quid enim habet mea vita πλεονεκτικόν; poſſum & hoc adjicere de me, quod [illegible] Civis noſter de ſeſe prædicat, βάσκανον οὐ πικρὸν καὶ κακόηθες πολίτευμα οὐδὲν ἐμόν ἐστι. Sed tamen ſcis quales ergà me quidam fuerint eorum, de quibus bene meritus ſum, qui quidem ut mihi nocere poſſent, prius Eccleſiam turbandam eſſe duxerunt. Talis D fuit [illegible], quem iſtic tacere juſſiſtis. Succeſſori candidiorem animum opto. Nam hunc quoque mutâſſe videtur ὁ ἐρίζων περὶ ἀδολεσχίας. Hæc ſignificanda tibi eſſe duxi. Nam etiamſi eſt, ut volumus, tamen utile eſt præceptum *Archidami* apud *Thucydidem*, περὶ παντὸς ποιεῖν εἶναι κόσμον καὶ φυλακήν. Hæc ut ſcriberem, illius tuæ ſuaviſſimæ pagellæ lectione motus ſum. Nec de Republica quidquam habebam ἀξιόλογον de Synodo *Tridentina*, de Conventu *Norico*, denique E de Imperio *Germanico*, εὐχῶν ἔργα ἐστί. Nos noſtra officia faciamus noſtro loco. Quid in Synodo fieret? cum *Pigius* tam rabioſè nunc ſcripſerit, quem adverſarii in deliciis habent. De morbo originis diſſentit ab univerſa Eccleſia, nec habet aliud firmius argumentum, quam quod ait, τὴν ἐπιθυμίαν εἶναι φυσικὴν [illegible]. Nec poteſt diſcernere inter ἀταξίαν, καὶ [illegible]. Deridet poſteà amentiam noſtram, quòd dicimus ſingulis opus eſſe, ut credant pro ſeipſis Filium Dei victimam F eſſe factum. Omitto cætera, & talis Scriptor nunc *Romæ* triumphos agit. In conventu *Noribergenſi* plus erit rixarum, quàm fuit in prioribus: concurrunt cauſæ *Brunſuicenſis*, *Iuliacenſis*, *Pannonica*. In reditu eſt occupatum *Leninenſe* κάστελλον, nè fruſtra putes expeditionem ſuſceptam eſſe. Sed omitto has fabulas. Nam urbis veſtræ compita omnia plena ſunt horum ſermonum. De meo prælio, ſolicitudo tua plena amoris & veræ benevolentiæ mihi ju- G cunda fuit. Sed res aliter acta eſt. Audieram feretertiâ vigiliâ noctis quoſdam ebrios *Phryſios* tumultuari ante collegium: deſcendi igitur, ut compeſcerentur: partim mox diffugere, partim prehenſi lachrymis veniam precati ſunt: feci meo more, objurgatos dimiſi, poſtridie rurſus ad me deprecatores miſerunt. Utinam noſtri

Panno-

Pannonici Duces tam facilè pepuliſſent *Turcas.* A
Bene & feliciter vale. Die IV. Decemb. Anno
M.D.XLII. *Oſiandro* miſi ζύγισμα πλαλευτικόν.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 293. ANte triduum apud nos fuit adoleſcens *Gal-*
licus Ioannes Fraxineus, qui ante triennium
in Academia noſtra ſtudiis doctrinæ *Chriſtianæ*
& philoſophiæ operam dedit, ac in proximo
conventu *Ratisbonenſi* in notitiam venit Legati B
Gallici, nunc, ut intelligo, in aulam aſcitus eſt.
Nam & facundus eſt, & literis inſtructus. Hunc,
quia Rempublicam ei notam eſſe exiſtimabam
(Nôrunt enim omnia recentes aulici) præcipuè
de vita *Caroli* Imperatoris interrogavi,& de Sy-
nodo. *Carolum* affirmabat vivere, ſed phthiſi
contabeſcere, non propter venena, ſed propter
naturalem ψώραν, & mæſtitiam. Aiebat miſ-
ſum à Rege *Gallico* peritiſſimum hominem, qui
Caroli corpus diligentiſſimè conſideraret, quòd C
famam de veneno ſparſam *Gallus* audiſſet. Me-
mini quæ ſæpe medici & *Auguſta* & *Ratisbona*
de valetudine *Caroli* diſſeruerunt, his hæc oratio
Fraxinei conſentanea eſt: ſpero igitur vivere
Carolum, & ut diu vivat optemus. Venturum
etiam in *Italiam* proximâ æſtate *Fraxineus* ar-
bitrabatur, præſertim ſi pax inter duos Reges
farciri poſſet, de qua Legatos Pontifex ad utrum-
que miſit. *Sadoletus* in *Gallia* eſt, hunc ait longâ
oratione *Latinâ*, deinde & *Italica* Regi volun- D
tatem Pontificis expoſuiſſe, ac de eloquentia *Sa-*
doleti multa prædicabat. Hæc prius recitanda
eſſe duxi, quòd ſciebam & te optare *Carolo* vi-
tam & incolumitatem. Altera pars narrationis
de Synodo breviſſima fuit, nec poſſe Synodum
cogi, diſſidentibus duobus Regibus, nec facilè
ullam futuram, ſi pax inter Reges eſſet. Nè ego
quidem aliud futurum, ſi qua cogeretur, video,
niſi novorum tumultuum claſſicum. Somnium
meminiſti apud *Ariſtophanem* de concione ovi- E
um, cui Balæna præeſt, quâ *Cleonem* ſignificari
aiunt. Quiſquis erit autem *Cleon* Synodi, an con-
ceſſurum putas, ut veræ ſententiæ dicantur? il-
lud tantum petetur, ut communia ſuffragia
κ̀ πανδημεὶ damnent noſtras Eccleſias, poſtea pro-
mittant συμμαχίαν. Non erit igitur cognitio, ſed
tantum conjuratio. De hac una re diſputandum
illi tuo amico, de quo ad me ſcribis, cenſeo, in
qua fortaſſis adſtipulatores habebit aliquos mo-
deratos, ut res cognoſcantur, ut à delectis delibe- F
rentur, ut patefacta veritate concordia conſtitu-
atur, quia fucoſa non poſſint eſſe durabilia, nec
conveniant Majeſtati talium conventuum. Hac
de re præcipue pugnandum erit bonis. Id hone-
ſtè, & tutò poterit facere amicus tuus. Scribam
igitur aliquid in his feriis natalitiis, tibique affe-
ram, adjiciam nonnihil etiam de dogmatibus.
Bene vale. Die duodecimo Decembris, Anno
M.D. XLII.
G

Ioachimo Camerario S.D.

Ep. 294. B*Ornero* me excuſavi, quòd non ſcripſi accu-
ratiùs ad *Brentium*: Nemo enim in eo quod
neſcit eſt eloquens. Et ego alioqui ſum aridus.
Mihi prorſus nihil in mentem venit, cur exigui
A uſuram temporis à *Brentio* petatis, cum non de-
ſint vobis iſtic profeſſores idonei. Sed ſi à Prin-
cipe conſilium oritur, voluntatem ejus laudo, &
confirmandam eſſe omni ratione atque officio
cenſeo. Ideo ſum hortator *Brentio*, ut vobis ope-
ram ſuam promittat: de epiſtola ſtatuetis pro
veſtro arbitrio, aut ſi ita videtur, meo nomine
aliam compones. Poſtquam iter ingreſſus eſt nu-
per *Paulus* ad vos iturus, ſcribit mihi *Muſculus*
ex *Auguſta*, veniſſe *Tridentum* duos Cardinales,
B nomina non addit, ad Synodi auſpicia. Ergo
maturanda erit deliberatio, ſed me prela jam
impediunt. Nec tamen diutiùs impedient, quàm
ad has proximas ferias.
Bolgica terribili tremet Improba terra tumultu.
Deus Eccleſiam ſuam ſervet. Bene vale. XVII.
Decembris, Anno M.D.XLIII. Servet & Eccle-
ſiam tuam domeſticam Filius Dei Liberator
noſter. *Græcum* Epigramma accepi, tibique
gratiam habeo, & pluribus verbis agam aliàs.
C

Clariſſimo viro Nobilitate generis & virtute
præſtanti, D. Danielo Stibaro Canonico
Vurcepurgenſi, &c. Suo patrono, S.D.

EXpatiatus *Lipſiam* ad Virum optimum tuiq; Ep. 295.
amantiſſimum *Joachimum Camerarium*, cum
de literarum ſtudiis, quæ nos quidem præcipu-
um vitæ humanæ lumen eſſe ducimus, multa
D diſſereremus, legi tuam querelam graviſſimè
ſcriptam, in quâ ſignificas, te optare ſalutarem
Eccleſiæ emendationem, quæ profectò & vete-
ribus multis morbis languet, & recentibus tu-
multibus duriter concutitur. Nec verò dubito,
quin facile & piorum ſaluti cōſuli poſſet, & verâ
ratione ſtabiliri ac ornari ἀξίωμα Eccleſiaſticū, ſi
vel pauci eſſent in faſtigio veſtro ſic animati, ut
te eſſe animadverto. Mihi nulla immoderata cō-
ſilia unquam placuerunt in utraq; parte. Cúmq;
E viderim in tantis voluntatū ac judiciorum diſtra-
ctionibus, unum hoc maximè profuturum, qui-
cunque ſtatus Reipublicæ futurus eſſet, videlicet
veræ & neceſſariæ doctrinæ explicationem, in
hanc præcipuè incubui, nec agam aliud, ſed has
ſcholaſticas operas, dum concedetur, faciam.
In hoc curriculo, ſi quid mihi triſtius accidet,
moderatè ferre decrevi. Nec video quid in ſin-
gulis ordinibus boni, oppreſſi potentiorum au-
toritate facere aliud poſſint, quàm ut privatim
F ſeſe domeſticis ſtudiis ad pietatem exuſcitent,
ac forti & conſtante animo temporum difficul-
tates ferant. Hæc ad te ſcripſi, non quòd arbi-
trarer tibi meo conſilio opus eſſe, ſed quodam
ſimplice ſtudio, ut intelligeres, me & virtuti
tuæ favere, & tecum optare communem tran-
quillitatem. Reſpiciet autem tandem Deus vo-
ta ac gemitus piorum. Plura in ſtrepitu mercatus
nunc addere non vacabat. Bene & feliciter vale.
Lipſiæ ex ædibus *Joachimi*, Die V. Jan. Anno
G M.D.XLIII.

Ioachimo Camerario S. D.

MAgnâ me ſolicitudine liberavit proxima Ep. 296.
epiſtola tua, ex qua intellexi te, & reten-
tum eſſe, & incolumem reverſum eſſe domum.
Me-

Meminerant autem itineris longiuſculi laborem.
Matthæus noſter affert tibi *Græcam* epiſtolam
ſanè luculenter ſcriptam, etſi noſtris controver-
ſiis eſt iniquior. Omnino erunt componendæ
reſponſiones, de quibus tecum loquar, cum
iſthuc venero. Adero enim poſt triduum, inde
profecturus ad *Colonienſem*. Rurſus enim vocatus
ſum. Et tamen arbitror jam deliberationem
abſolutam eſſe. Audi crudele facinus: *Lotha-
ringicus* quidam ſeu *Burgundus* cum equitatu
oppreſſit multos *Metenſes*, viros & mulieres
egreſſos ad audiendum Evangelicum conciona-
torem, multi interfecti, multi ſuſpenſi de arbo-
ribus, multi in flumen merſi ſunt. Sic irritatur
Deus, cum *Turci* ſint in conſpectu. Bene vale.
Anno M. D. XLIII.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

Ep. 297. SEnſi me mirifico deſiderio & tui & meæ fa-
miliæ affici, poſtquam à te diſceſſi. Id an præ-
ſagium eſſe ducam futuri alicujus eventus, an
vero ſenectutis πάθος, dubito. Habent enim
στοργαὶ in ſenibus acriores ſtimulos. Sed Deum
æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*
oro, ut nos regat & ſervet. Hactenus iter feci
per rura *Turingica*, ubi hoc nomine beatiùs vi-
vitur, quia nulli ibi de Republica ſermones au-
diuntur. Te non dubito jam de conventûs exi-
tu, fœdo ut metuo, literas habere. Qualis ſit
ratiocinor ex cauſis, προηγουμέναις, quæ notæ ſunt.
Heri etiam quidam affirmabat *Granvelum* di-
xiſſe: *Carolum* hoc anno non poſſe in *Germani-
am* venire. Sed Comes *Suarceburgius* aiebat,
brevi affuturum eſſe: & quidem cum exercitu.
Relegi *Græcam* epiſtolam in itinere, magis ocio-
ſo animo, quæ videtur mihi quidem, referre
Libanii χαρακτῆρα. Miror quo conſilio ad nos
ſcripta ſit. Nam hæ controverſiæ noſtræ non
impedierunt conſilia defenſionis vel *Pannonia*
vel patriæ. Principum privatæ cupiditates im-
pediunt. *Gallus* impedire tot jam annos omni-
bus machinis conatur, qui alieniſſimo animo eſt
à nobis. Omitto alia multa, quæ tibi notiſſima
ſunt. Bene vale. *Gotha*. Die *Georgii*, Anno
M.D.XLIII.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 298. ETſi magna eſt imperiorum confuſio, chariſ-
ſime *Joachime*, & hanc augere dogmatum
defenſiones exiſtimantur, tamen tantæ ſunt te-
nebræ, ut neceſſarias habeamus cauſas repurgan-
dæ doctrinæ. Non poſſem ſine lacrymis videre
harum Eccleſiarum labes, in quibus adhuc fre-
quens populus quotidie concurrit ad ſtatuas. Et
in hoc ritu ſumma eſt religionis indoctæ multi-
tudini. Judicat igitur ſenex Princeps neceſſari-
am eſſe emendationem Eccleſiarum, Et hanc re-
ctè inſtitui cupit. Hactenus tantùm initia ſcripti
legi, in quo forma doctrinæ & rituum deſcribi-
tur, proponenda his Eccleſiis. Et intexui quæ-
dam [illegible]. Pauci ad-
juvant Principem, *Colonia* oppugnat. Sed ta-
men paſſim ſunt boni Viri & rectè ſentientes.
Mittit tibi D. *Bucerus* has epiſtolas Regum, in
quibus ſcio te non ſine ſtomacho, vanitatis

A καὶ ἀλαζονείας exemplum lecturum eſſe. Bene & fe-
liciter vale. Die IX. Maii, *Bonnæ*. An. M.D.XLIII.
Salutem opto *Zieglero*, *Bornero*, *Rhetico*, & *Scoto*.

Ioachimo Camerario S. D.

MAtthæo noſtro & ejus comitibus opto iter Ep. 299.
fauſtum & felix, ac Deum precor, ut Ec-
cleſiæ ſuæ ingenioſos adoleſcentes καὶ ἐσθλοὺς ſer-
vet. Hæc ſeminaria dum erunt reliqua, ſpes eſt fu-
B turam aliquam ad poſteros politiam. Sæpe ani-
mo circumſpicio ac quæro στρατηγίας, qui quia
jam deſunt *Germaniæ*, noſtrum ordinem tamen
adhuc quidem Dei beneficio, ingenia digna lau-
de habere gaudeo. Tu quoque horteris hos ipſos
noſtros amicos & auditores, ut induſtriam &
ſtudia referant ad communem utilitatem patriæ,
& melioris patriæ Eccleſiæ. Mitto epiſtolam
de *Scotico* regno, quam dabis legendam *Aleſio*.
Bonnæ mecum *Scotus* fuit, homo nobilis, Legatus
C in *Galliam*, is ſatis pie de noſtris ſententiis lo-
quebatur. Mirum ni *Aleſius* jam ſibi *Dædaleas*
pennas faciet, ut in patriam mox revolet. Benè
vale. Anno M.D.XLIII.

Ioachimo Camerario S.D.

ACcedit mihi ad alias moleſtias, quas ſanè Ep. 300.
ἀνιαχθεὶς ſuſtineo, ut coram narrabo, hæc
quoque, quòd eo ſum loco, quo non commodè
D ex *Saxonia* literæ mitti poſſunt, præſertim cum
mecum quòque terrarum circumferam curas
non mediocres de noſtra Academia, de rebus
domeſticis, & de amicis. Gratiam verò habeo
& tibi & tuo compatri, quòd literas miſiſtis:
accepi enim epiſtolam tuam, quam *Martinus
Coloniam* miſit, & *Sturmii* carmen. O me flagi-
tioſè ſtultum, qui reclamante & dehortante to-
tâ philoſophiâ noſtrâ, & toties ictus, tamen au-
las ſequor! Sed ſequor, ut ſcis, non cupiditate
E aliquâ, verùm Eccleſiæ cauſâ, & ſenex noſter
afficitur curâ rectè conſtituendarum Eccleſia-
rum, quæ profectò in his regionibus valde de-
formatæ ſunt. Et ſunt in aula boni quidam Viri,
ſed pauci, qui eum adjuvant. Tardè igitur in tan-
ta rerum mole procedunt negotia. *Sturmio* miſi
verſus tuos *Argentinam*. De Academia *Colonienſi*
ſcito, nullum non ſolùm noſtris, ſed nè cæteris
quidem veterem philoſophiam amantibus ibi
locum eſſe. Cedit *Noviomagus*, cedit *Longolius*.
F Hodie accepimus mulctam dictam eſſe iis, qui
uſi ſunt integrâ cœnâ Domini, niſi exilium an-
teferant. Bene & feliciter vale. Die XXIII. Maii,
Bonnæ. Anno M.D.XLIII.

Ioachimo Camerario S. D.

BIs à te literas accepi in hac ripa *Rheni*, ac ex Ep. 301.
epiſtola per *Theobaldum* miſſa intelligo te ſæ-
piùs ſcripſiſſe, ſed ſcio interdum noſtras literas à
G mercatoribus negligi, quibus ſanè veniam do,
quia non multi legerunt illas veriſſimas & gra-
viſſimas diſputationes quinti *Ethicorum*, περὶ τοῦ ἴσου
ἴσου, quæ ſunt fontes officiorum humanitatis.
Cum autem brevi me rediturum eſſe ad vos ſpe-
rem, [illegible], ſcribo breviùs, nec do man-
data de literis mittendis. Sed ſi retinebor, per
Echium

Eckium certo mittere poteris, quicquid ei vades. Is fratrem habet *Coloniæ* medicum, verè πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων, doctum in *Galeni* philoſophia. *Caroli* adventus utinam ſit fauſtus *Germaniæ*, ſed magnæ res impendent. Nunc *Juliacenſem* regionem duo exercitus populantur, alter *Brabandicus*, alter *Iuliacenſis*. Nec *Brabanti* copiam dimicandi faciunt. Miſerrimum eſt ſpectaculum. *Coloni*, miſeræ mulieres cum parvis liberis lachrymantes quærunt latebras, non vitam ut tueantur, ſed ut ſine turpitudine, fame moriantur. *Turcica* bella non multò crudeliùs geri arbitror. Non diù tamen differri dimicatio poterit. Deum orate, ut vos & veſtras Eccleſias ſervet. Scripſi hic libellum, quem leges, ut mea omnia, [illegible]. ſubito effudi. Imperties & *Laurenſi* & *Crucigero*, ac ſi ita videbitur, recodite. Bene valete. Die XIX. Junii. *Bonnæ*. M.D.XLIII.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 302. IAm iſtuc abierat *Paulus Eberus* noſter, cum tuas literas accepi nuncias rumuſculorum ſparſorum de *Philippo*, quorum cum ante nihil audiviſſemus, tamen ilicò etiam aliunde confirmari incipiebant, etſi à nobis quidem dubitari non debebat, quin falſi & commentitii eſſent, ſed cum maximè ſtuderemus cavere, nè quid ea de re in familiam D. *Philippi* permanaret, tamen jam eodem nuncio conſternatus erat *Iohannes* illius miniſter. Percommodè igitur, & ut exiſtimo θεόθεν accidit, ut eodem die literæ à *Philippo* afferrentur, ſcriptæ ad D. *Pomeranum* paſtorem Eccleſiæ noſtræ, & item alteræ ad *Eberum*, quarum exemplum tibi mitto, nam αὐτόγραφα retinui, ſi fortè jam in reditu eſſet *Paulus*, ut eas hic inveniret, ſed ſi iſtic eſt, curabis ut & ipſe quamprimum legat. Cupio enim & vos, ſi quid eſt metus aut certè ſolicitudinis, prorſus liberari. Non habui per quem mitterem citiùs, ſicut optabam. Nunc ſpero ipſum *Philippum* ingreſſum eſſe iter, quod illi opto ut felix ſit, aout redeat incolumis. Nam & is qui literas attulit, ita narrabat, & ipſe ſignificat, nihil eſſe quod eum remoretur, jam compoſitis articulis doctrinæ pietatis, & abſolutâ reſponſione, ac jam excuſâ ad inſulſum ſcriptum Monachi *Colonienſis*: In quem audio ipſum feſtivè & hilariter luſiſſe. Sed tu ut ſpero prior & ipſum *Philippum* videbis, & ab eo accipies libellum: conſtituit enim, ut audio, tranſire *Francofordiam*, & per *Turingiam* iter facere, ut amicos ſalutet. Tu verò, potiùs quam iſtic detineas, ipſum huc comitere, ac nobis ſiſtas quamprimùm. Bene vale. Prid. Cal. Julii, Anno M.D.XLIII. *Caſpar Crucig.*

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 303. CUm huc veniſſem comitatus parentem, attulit nobis literas à D. *Philippo*, *Ioh. Anglus*, qui aliquot annos verſatus eſt in noſtra Academia. Is cum haberet etiam literas ad te, dedit eas veſtrati civi marito *Gengebachiæ*: iis addidi etiam exemplum literarum ad me, quæ paulò copioſiores erant: nam alteras illas tibi inſcriptas reſignavit D. Doctor *Ionas*, qui ſibi ab te hoc nomine veniam dari petit, & te amanter ſalutat. Scripſi hæc jam abiturus & inter convivas, quare veniam rogo ut des brevitati. Bene & feliciter vale, & meis verbis noſtros ſaluta, cum quibus eadem à *Philippo* communicabis. Quæſo te mittas quamprimùm ad me exemplum verſuum tuorum, quibus reſpondiſti ad ſcurrilem criminationem de tribus *Martinis*, turpiter enim oblitus ſum eos ab te coram poſtulare. Vale iterum. *Halæ Saxonum*, V. Junii, Anno M.D.XLIII.

Caſpar Cruciger T.

Ioachimo Camerario S. D.

QUod fauſtum & felix ſit, *Erfordiam* venimus pridie ejus diei, qui dicatus eſt *Laurentio*. Ep. 304.
Libenter enim hâc diei deſcriptione utor, propter memoriam viri fortis. *Pertinus* nobiſcum eſt, comitaturus nos *Vvormaciam*, quo Principis literis vocatus ſum. Multis me locis in itinere tum ſtudia, tum negotia amicorum remorata ſunt. Nunc accedit inſuavior mora in aula, quam tamen ſpero brevem fore. *Sabino*, ſi rectum eſt, nam fuiſſe *Lipſiæ* audivi, hortator eris, ut meum adventum expectet. Etſi res in *Ubiis* actas narrabo, tamen interim ſummam ſignificandam eſſe duxi. Poſtquam *Bucerus* & ego librum abſolvimus, quo forma inſtaurandarum Eccleſiarum continetur: Epiſcopus ſenex adhibitis coadjutore, ut vocant, & Decano Comite *Stolbergio* ingenioſo homine, & aliis quibuſdam præcipuis viris, & me, legi ſibi totum librum juſſit, attentiſſimè audivit, multa de pleriſque locis graviter diſſeruit, quædam ſuo judicio rectè mutavit, interdum noſtras ſententias re diſputatâ, ſuæ opinioni prætulit. Huic labori dies ſex tribuit, ac quotidie matutinas horas quaternas continuas. Miratus ſum ſenis aſſiduitatem & diligentiam, ac animadverti ſeriò hanc rem tantam ab eo agi, quod quantum referat, intelligis. Et has controverſias penè ut artiſex dijudicat. Continet autem liber initio doctrinæ ſummam. Poſtea politica de collegiis, ut teneant ἀξιώματα, ac tantum corrigant doctrinæ & ceremoniarum vitia. Cum de libro ſtatuiſſet Epiſcopus ipſe, poſtea conventum indixit, delecti ſunt qui legerent & expenderent. Tandem igitur Comites, ordo Equeſter, & legati civitatum magno conſenſu librum comprobant; & pollicentur ſe ad eam formam Eccleſias inſtauraturos eſſe. In collegio *Colonienſi*, etſi multi ſummo loco nati rectè ſentiunt, tamen πλέονες οἱ κακοί. Ab his reliqui ordines petiverunt, nè quid moliantur adverſus Principem. Hæc fuit καταστροφὴ conventûs. Epiſcopus *Colonienſis* mox poſt conventum *Spiram* ad *Carolum* Imperatorem profectus eſt. Cætera narrabo coram. Fabellas de nobis hìc ſparſas narrari audivi *Francofordiæ*, & natæ dicebantur *Moguntiæ*. Bene vale. Die *Laurentii*, *Erfordiæ*, Anno M.D.XLIII. Hoc quoque adſcribendum videbatur, *Carolum* Imperatorem in patria mea *Bretta* pranſum eſſe.

Ioachimo Camerario S. D.

SUbitò mihi ſcribendum erat, cum jam *Petrus* iter ingreſſurus eſſet. De *Sciuro* valde mihi & *Paſtori* conſilium tuum placebat. Nam ego Ep. 305.
in-

ingenium ejus & induſtriam ei laudavi. Sed nunc *Petrum* intelligo velle in *Pomeraniam* proficiſci. Differri tantùm vult iter in Septembrem. Fortaſſis hæc mora, etſi aliquid habet incommodi, tamen concedi poſſet. Sed conſtanter vellem conſtitui. De *Daſſio* bene monuiſti. Nam ſi ſpem abjecerimus de Vicinia, incumbam in alterum negotium: diligo profectò eum, & ſpero fortunam ei fore æquiorem. Natura enim bona eſt, & Deus ei non deerit. Me domeſticæ curæ exercent. Filium decrevi mittere *Marpurgum*, etſi invitus id facio, ac mallem eum apud me maritum alere. Sed quædam adverſantur, quæ me quoque excruciant. Bene & feliciter vale. Anno millesimo quingenteſimo quadrageſimo tertio.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 306. ETſi multis magnis curis & miſeriis excrucior, tamen nunc ſcribenti ad vos, acceſſit ad cæteras ærumnas hic dolor, quòd literas Ducis *Pruſſiaci*, quas memini in locum certum repoſitas eſſe, non invenio. Eram enim eas *Aleſio* miſſurus. Nam tandem eò decurrit *Staphylus*, ut dicat ſe profecturum eſſe in *Pruſſiam*, ſi *Aleſius* [illegible] negabit ſe in ea loca iturum eſſe. Huic ſe cedere inquit, quod expeti hominem peritum doctrinæ ſcholaſticæ ſciat. Quanquam igitur pudet me amiſiſſe literas, tamen ſignifico Principis voluntatem *Aleſio*. Qui ſi D in Academia veſtra manere volet, me facilè liberabit hoc dolore de literis: ſed ſi à migratione non abhorret, ſignificabo Duci, ut rurſus ſcribat. Bene vale. Anno millesimo quingenteſimo quadrageſimo tertio.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 307. NOn equidem dicam, ut ille in *Græca* Comœdia, [illegible]. E Nam aliqua ſunt in Eccleſiæ membra κολοβώματα, Deo gratia; Sed multum profectò in vita eſt errorum & furorum. Scripſi heri ad te, literas *Aleſio* inſcriptas, à Duce *Pruſſiæ* me non potuiſſe reperire. Eas ſtatim cum nuncius abiiſſet, reperi. Quod tibi indicandum mox duxi, ut te quoque ſolicitudine liberarem. Expatiari ad vos magnopere cupio, & aliquâ laxatione animi mihi opus eſſe intelligo, Nec acquieſco uſquam ſuavius, quàm in tuis ſermonibus. F *Navius* fuit apud *Colonienſem* [illegible]. Bene & feliciter valete, & tu & honeſtiſſima conjux tua, & dulciſſimi liberi. Anno millesimo quingenteſimo quadrageſimo tertio.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 308. MEminiſti fabulam de antiquitate originis *Scytharum*, qui ſatis acutè ratiocina- G bantur ſe primos hominum eſſe, eóque cæteris antecellere vi ingeniorum. Sive enim ex aquis emerſit terra, cum chaos diſſiliit, *Scythiam* diſputabant primam emerſiſſe, quia altiſſima eſt, [illegible]. Sive ex igne erupit, eam partem, quæ longiſſimè receſſit à meri-

A diano æſtu, primam diſceſſiſſe. Eamus ergo in illa loca, præſertim comiter invitati. Nam Princeps *Prutenicus* te invitat, ut ex ipſius literis intelliges, quas mitto. Ego quidem non metu impendentium calamitatum quoquò terrarum fugere cupio, ſed quia [illegible] videre diutiùs pertæſum eſt. Verum hæc aliàs. Suſtentemus enim nos uſitatâ conſolatione, quæ jubet has communes miſerias perferre [illegible] in Eccleſia attributam. Attulit B *Prutenicas* literas adoleſcens nobilis rectà profectus in *Haſſiam*, ac petiit, ut curem ante reditum ſuum ex *Cattis* adornari reſponſiones. Eſt autem intra dies quindecim rediturus. Miſit mihi Princeps exemplum epiſtolæ ad te ſcriptæ. Nobis; ut videa, permittet, ut ſtatuamus: Si *Spangebergius* & alter recuſent ſuſcipere hoc munus. Et *Spangebergium* excuſat ætas. Erat is hac æſtate ampliore ſtipendio accerſitus *Magdeburgum*, ſed poſtea tamen à *Northuſanis* retineri ſe C paſſus eſt. Alterum fortaſſis puella recens ducta retinebit. Et quanquam modeſto ingenio eſt, tamen non videtur [illegible] magis idoneus eſſe *Iſindero*, quem ſcis à nobis miſſum eſſe in *Pruſſiam*. Eſt autem ibi *Belga* quidam, qui, ut eſt gentis captus, omnia ſcit, quia loquax eſt. Is premit *Iſinderum*, & alios fortaſſe magis exerceret. Significabis igitur, quid Principi reſpondendum judices. Si ita videtur, ſignificabimus nos in proxima D nondinis Calend. Januarii indicaturos eſſe aliquem. Interim enim *Spangebergi* & alterius voluntas explorabitur, & nos coram colloqui poterimus. Eſt hic quiſpiam *Fridericus Staphylus* natus in *Livonia*, ac, ut arbitror, Principi *Pruſſiæ* notus, qui tamen parentes habuit *Germanicos*, & adhuc patrem habet in *Weſtualia*, homo ingenioſus, & *Græcè* & *Latinè* præclarè doctus. Nunc gubernat adoleſcentem Comitem *Neugardenſem*. Is videtur mihi ſuſtinere E hanc rem poſſe. *Buceri* literas ſi non legiſti, legito. Ideo enim remitto. Poſtulat, ut vides, mox reſponderi. Addidi igitur ipſi inſcriptam epiſtolam, quam volo nulli tradi niſi illi, cui juſſit ipſe committi. Reſpondeo enim etſi honeſta, attamen de re plena periculi. Si abiit ejus [illegible], poteris reſignare meas literas, & deinde concerpere. *Dryandri* frater nondum apud nos fuit. Coram etiam quædam de tuis annotationibus in *Joannis* hiſtoriam. Bene & F feliciter vale. Die quarto Novembris, Anno M.D.XLIII.

Ioachimo Camerario S. D.

VEllem triduo citiùs Epiſtolam tuam ſcriptam Duci *Alberto*, huc miſſam eſſe. Ep. 309. Tunc enim aderat adoleſcens *Prutenus*, ex *Cattis* reverſus. Huic properanti literas me dare neceſſe fuit. Reſpondi igitur te miſſurum eſſe Epiſtolam de tua voluntate, & de ipſo ne- G gotio, & addidi excuſationem, cur ſubitò ab Academia *Lipſica* avelli non poſſis, eandem quam recenſes ipſe. De voluntate verò tua polliceor largiùs, quam tu, adeóque congruunt Epiſtolæ, ut altera de altera deſcripta videri poſſit. Tuam tamen, quamprimum habebo tabellarium, miſſurus ſum. Spero enim & ante Calend.

Januarias habituros nos nuncios. De ſchola ipſa nihil conſtituam niſi de tua ſententia, ubi collocuti erimus. Nam etiamſi ante Calend. Januarias *Spirenſe* iter ſuſcipiendum erit, ad te tamen accedam, non modo de *Pinturnica* ſchola, ſed de aliis rebus etiam tecum deliberaturus. Meminiſti verſum *Sophocleum*: φρόνει βεβὼς αὖ νῦν ἐπὶ ξυροῦ τύχης. Hanc vocem utinam vel tandem cum in ſummum diſcrimen res adducta eſt, cogitarent utrique, tam doctores, quàm Principes. Sed cum pericula cumulata ſint, ex utrorumque erratis annorum ſuperiorum, nunc video nullum eſſe conſilium. Imò, ut in extrema deſperatione, deliberationes etiam nullæ habentur. Nos igitur ducem & monitorem Deum ſequemur, ſi quæ erunt in conventu de his rebus omnium maximis deliberationes. Non multa immoderatè feci, aut ſi quid feci, à me non eſt ortum, certè ſemper fui noſtris hortator, ut, quod videbam facilè fieri poſſe, mediocri moderatione tranquillitatem *Germaniæ* tuerentur. Sed hanc totam philoſophiam quidam prorſus ignorant οὔτ' ἀγχέτερμ τι καὶ δημαγέρων. Sicut illi apud *Homerum*, quâ parte ſol oriatur, quâ occidat. Juſſit his proximis diebus mihi dici *Pontanus*, me ut ad Conventum præpararem: Reſpondi me & ad cauſæ explicationem, & ad pericula Dei beneficio, mediocriter paratum, Principes moneret, tandem ut ipſi ſeſe pararent, ac conſtituerent, quid defenſuri ſint, ſed hæc coram. Jam enim interpellat *Dryandri* frater, qui ſatis commodè vendidit hic ſuas machinas. *Vitum Amerbachium*, ſcito ab Academia *Bavarica* conductum eſſe, ut ipſe ſcribit, ad philoſophiam docendam & bonas literas: planè triumphos agit in epiſtolis, quod à *Titanibus*, ut *Muſaus* diſceſſerit, & præludit novis certaminibus. Non fruſtra chariſſime *Joachime*, interdum querimur de melancholicis naturis. Sed feramus etiam hujus impetus, noſque ad futura præparemus. *Laterenſi* mitto exemplum Epiſtolæ de ferina, ſcriptæ ad *Anhaltinum*. Venirem ad diſputationes, niſi quotidie expectarem de itinere *Spirenſi* literas. Bene vale. Die Divæ *Eliſabetæ*, Anno milleſimo quingenteſimò quadrageſimo tertio.

Ioachimo Camerario S: D.

Ep. 310: Libenter legi objurgationem tuam, quæ meam aſperitatem accuſas, & *Sabino* amanter patrocinaris. Velim ſanè poſſes in hac cauſa τὴν ἄγαν λέγω καρτερίαν τινά. Nam & ego ſcribendi facultate primùm captus, diligere eum cepi, & nunc propter affinitatem verè & ex animo amo. Video etiam, quæ ſint in eo adumbratæ virtutes, ac, donec vivam, juvabo pro viribus. Sed me, ut video, quodam triſti fato, & exercuerunt & exercent liberorum caſus. Quod ut mitiget Deus oro, nec, ut in *Pſalmo* dicitur, *Totam iram ſuam accendat*. Hodie à *Sabino* literas expecto. Mitto tibi ſcriptum *Germanicum*, de quo cupio cum *Laterenſi* diſſerere. Nam ἐκκλησίας conſtituendus eſt ὁ παλαιὸς θεσμὸς, de quo à quibuſdam amicis diſſentio. Non quidem quod ad ſummam negotii atinet, ſed quia ad proprietatem & explicationem aliquid intereſt. Hæc ſcribere malo, quàm Regum expeditiones inanes. Bene vale. Die ſeptimo Decembris, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo tertio.

Ioachimo Camerario S. D.

Dryandro, qui etſi non ut *Vulcanus* in *Achillis* clypeo, nec ut *Archimedes* in automatis, cœli orbes & ſidera, ſed tamen, ut in hac barbarie, ubi præmia his rebus nulla ſunt, mediocriter imitatur, longiuſculam epiſtolam dedi, ſeu querelam potius, quam tibi exhibitam eſſe ſpero. Poſtea allatæ ſunt *Spangebergi* literæ, quem excuſat ſenatus, ac petit nè ab Eccleſia *Northuſana* avellatur. Nec verò dubitabam ita reſponſurum eſſe *Spangebergium*. Eodem tempore *Sabinus* ad me ſcripſit, cui neſcio quis aliquid oſtendit ſpei, ac de eo cogitâram ipſe antea, ſed quærebam animo hominem magis ἀφιλόδοξον. Longinquitate migrationis nihil moveor. Amiſi filiam multò ante, & eam Deo commendo, cui hactenus eam clementer rexit: Fuitque mihi ejus virtus magnæ conſolationi in hoc paterno dolore, quam ejus calamitas mihi affert, ſeu potius erratum meum. Et ipſe effugere, ut video, majores perturbationes patriæ cu it. Scripſi autem ei, ut tibi ἐπιστολὴν ſignificet, quid velit, tibique ut de eo ſtatuas, permitto. Eſt omninò omnis gubernatio magna & parva, divinum quiddam, mihique ſemper perſonat in auribus concio *Johannis*, ὁ δύναται ἄνθρωπος λαμβάνειν οὐδὲν, ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Magnum Dei beneficium eſſe judico, ſi quis hanc ſcholaſticam navim mediocriter gubernet. Sed nobis remigibus etiam opus eſt animi moderatione, καὶ ὑπομονῇ, neſcio enim quod ſit hujus virtutis vetus aliud nomen. Mitto tibi ipſius epiſtolam. Bene & feliciter vale. Prid. *Andreæ*, quem hodie legi *Achaia* doctorem fuiſſe, ac in urbe Patris affectum ſupplicio. *Nathanaelem* verò concionatum eſſe apud *Bituriges*. O miranda Dei opera, mirandam cœleſtis politiæ collectionem, quæ certè illis erronibus non minus difficilis fuit, quam nobis hæc noſtra διώξεις. Iterum vale. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo tertio.

Ioachimo Camerario S. D.

Tuæ admonitiones ſunt mihi gratæ. Etſi intelligo meis interdum te rationibus adverſari, & quaſi ψῆφον λευκὴν ferre pro aliis. Non dubitavi unquam, neque nunc habeo cauſam, cur dubitem de voluntate tua erga me & meos. Et fieri poſſe ſcio, quò propiùs me iſtæ res attingunt, ut minus ἀδέκαστον ſit judicium. Neſcio tamen quo pacto, etiam repugnans animo meo, vincere illum nequeo. Sed quicquid tibi viſum fuerit, illud ἀδιακρίτως approbabo, quæcunq; ſanè ſequatur fortuna. Scis mihi privatas res ſemper haud magnopere curæ fuiſſe, vel me certè illarum caſus tuliſſe patienter. Et meos tamen ſi non diligerem, ab te ipſo, ſcio, reprehen- Ep. 312.

reprehenderer, quem cognovi non in poſtremis φιλόστοργον· κἀγὼ τ' ἐμαυτοῦ τέκνα φιλῶν οὐκ αἰσχύνομαι. Sed, ut antea oſtendi, abſtractio illa longinquior me non terret: Alia ſunt, quibus afficior, ferenda ſcilicet, quia mutari nequeunt. Neque de his ſcribi plura debent. Vale. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 313. DEum oro, ut noſtros labores regat & adjuvet in adoleſcentia erudienda. *Suarcebergium* quidem judico homini idoneo commendatum *Sebaſtiano Franco*, cujus tibi mitto Elegiam, non ut inde ingenium æſtimes, habet enim alias venuſtiores dotes ingenii, quam hanc ſcribendi carminis qualemcunque facultatem. Et nunc magna cum ſpe verſatur in Jure civili, & ſuavitate ingenii, & dexteritate eximiâ præditus eſt. Vivitque in familia viri boni *Georgii Rhau* typographi. *Vitus* inepiè alienârat animum adoleſcentis à ſe: Ac nunc quidem *Vito* pecunia debita magna ex parte perſoluta eſt. Cum reverſi eſſemus domum, exhibita eſt nobis epiſtola *Buceri* ad *Macedonem* ſcripta, quam noſter *Pericles* [illegible] rejecit, & ita exarſit, ut videam mihi, ſi in conventum profectus eſſem, vix fuiſſe redeundum. Compoſui tamen reſponſionem non horridiſſimam, quam placere ſibi oſtendit. Bene vale. Die viceſimo ſecundo Januarii, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 314. HEri eâdem horâ, cum quidem mecum eſſet *Stigelius*, tuas accepi literas, amanter & ſapienter ſcriptas, & *Sabinianas* ſatis vehementes. Accerſit *Sabinum* dux *Albertus* ad ſcholam *Regiomontanam*, & nos jubet de ſtipendio ſignificare, ſi quid adjiciendum ſit ad ducentos. Reſignavit *Sabinus* literas ad nos ſcriptas, quod nollem factum, & ſcribit, ſe petiturum majus ſtipendium, ac profecturum eſſe ad ducem. Etſi mihi diſplicent hæc, tamen non impedio. ἔρδοι δ' ὅτι [illegible] τὶς [illegible], ſolet vulgo dici, ac vellem, ſiquidem deſerere *Marchiam* ſeriò conſtituit, eum non offendere initio voluntatem Principis. Et hoc meum conſilium ei antea ſignificavi. Sed neſcio an mihi ſit obtemperaturus, excruciat me ſanè ſuis conſiliis. Compoſui igitur Epiſtolam ad Ducem, ut te levarem, non ſcribendi labore, ſed moleſtiâ cogitationis de re abſurda. Mea forma ſic ſatis verecundè ſcripta eſt, nec velim ἀδέσποτα ſcribi. Si placebit, aſcribito tuum nomen & obſigna. Audi aliud (meâ quidem ſententiâ) ἀτοπώτερον. Vidit in noſtris literis dari quinquaginta Viatici nomine, id jam poſtulat ſibi mitti, quaſi acceperit functionem. Judico injuſtum eſſe nunc eum accipere. Idque ei ſignificabo. Tu propter amorem erga me tuum & miſericordia filiæ meæ in eum es indulgentior. Sed ubicunque erit, utinam ſtudia ac benevolentiam prudentum, diutiſſimè retineat, ac quo tendebat, ibi fortaſſe minus tueretur. Nam natura ejus mihi jam ſatis perſpecta eſt, & te hominem philoſophum moveri velim ſiderum poſitu. Habet in Virgine conjunctos Saturnum & Martem in quarta domo. An tu *Aſtræam* ſic afflictam non gemere putas? ἀεικέλια enim καὶ φιλότιμα his, & alia ſimilia ſignificantur. Vereor & confractiones patrimonium ſignificari. Poſtremò ſcholaſticas operas faſtidit, aulam & legationes appetit. Quæ etſi ſunt ſpecioſa & tibi præclara videri non ignoro, tamen de eventu non poſſum non eſſe ſolicitus. Hæc non ſcribo aliam ob cauſam, niſi ut cogites in eo commendando, nos non oportere uti μακροῖς αὐλοῖς. Noſtrum quidem eſt, factam ejus mentionem eſſe ad ducem *Albertum*, ſed nunc vela ventis permittamus, ac Deum precemur, ut Rempub. & nos regat & ſervet. Sententias de quibus diſputâſtis, legi, multæ ſunt ineptæ. *Aleſio* morem geram. Quid ſomniat veſter μετεωρολόγος, quòd ait, Vicium originis eſſe non [illegible] Juſtitiæ, qualis in *Adam* fuit, ſed qualis nunc eſſe debeat. An alia lex erat *Adæ* ſcripta & lucens in ejus mente, aliam poſtea in ſaxeis tabulis *Moſi* ſcriptam putat? Scio cur ita dicat, ſed errat. Sunt & alia περὶ διαφορᾶς ἁμαρτιῶν, quæ eruditiorem explicationem requirunt, de quibus nunc quidem hoc menſe diligentiſſimè dictum eſt in noſtris prælectionibus; & locis, ea pars inſeretur. Cúmque legat *Juventus noſtra*, levius curo πάντων βαρβάρων κραυγάς. Bene & feliciter vale. Mitto tibi *Viti* epiſtolam. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto.

Ioachimo Camerario S. D.

LOngo tempore mihi curæ fuit, ordinum in Academia conjunctionem, quam & ſtudiis neceſſariam, & ad diſciplinæ conſervationem utilem eſſe videbam, tueri. Interdum igitur non leves injurias diſſimulavi, ac obrui, interdum impetus aliquorum repreſſi. Denique judicium, voluntatem ac diligentiam in hoc genere meam, tibi notam eſſe ſcio. Quare quod exiſtimas mihi dolorem afferre has aſperas conciones [illegible], non falleris. Multa me movent. Quid hæc ad populum? Quàm hoc tempora non opportuna? cum magni motus impendere videantur. Non intelligere noſtras ærumnas exiſtimamur, [illegible]. Quid quod in hoc negotio, nè cauſæ quidem ſatis eſſe, & iracundiæ ſerviri putatur, ut ſæpe aliàs [illegible]. Sed ſæpe his diebus cogitavi *Eraſmi* dictum, qui, ſi quando audivit bonos viros, cauſam probantes, moderationem verò requirentes, inquit: *Eccleſiam his temporibus non mitiorem medicum meritam eſſe.* Feramus igitur & leniamus hæc ſicubi poſſumus. Aula multa poſſet mitigare, quæ, ut eſt in veteri verſu, Ep. 315.

Σιγᾷ μὲν, ἐχθαίρει δὲ, βούλεται γε μήν.

Sed nolo perſequi hoc argumentum longiùs. *Chriſtum* potiùs oremus, ut hanc noſtram cymbam, in qua certè vehitur Eccleſia, gubernet. [illegible] ſτρατηγοῦ. Sed alia agamus. Orationem quâ

Latomo reſpondes, remitto, eâ lege, ut mox A edas. Nam ſi hic haberemus officinas inſtructas, ſtatim tradidiſſem typographis. Et enarrabo ipſe in ſchola, ut citius vendatur. Scio in cauſa tam ampla de vera Dei invocatione, multa plura dici poſſe. Sed cum hæ res toties agitatæ, & ſatis patefactæ ſint, faciamus, quod jubent Rhetores, hoc eſt, Epilogos honeſtos & lectu jucundos, nos quidem addamus. Nam alios aliorum epilogos metuo. Scribamus ἐπαγωγά, quæ invitent Juventutem ad literas & B cognitionem rerum bonarum. De *Sabino* gratiam tibi habeo, eique tuam Epiſtolam mittam. Conſilii dare quid poſſum? Nam meam philoſophiam quanti faciat, ſum expertus. Simul illud mihi in mentem venit, etiam ſi eo, quo videbatur velle, vocaretur, metuendum eſſe, nè accidat ei, quod *Xenophon* inquit τὸν ἄρα γέ τις ἵππον πριάμενος, μὴ ἐπίσαιτο αὐτῷ χρῆσθαι, ἀλλὰ καταπίπτων ἀπ' αὐτοῦ κακὸν λαμβάνῃ, ὁ χρήματα αὐτῷ ἐστιν ὁ ἵππος· illius civitatis vo- C luntas philoſophia & arte quadam retinenda eſt. Verùm audiemus, quò animus ejus inclinet. Ego, quoniam non video quid agam, nunc quidem melius, editionem modò quorundam ſcholaſticorum libellorum rurſus adorno, Locorum, & Dialectices, Phyſica etiam recudere cupio. In his mihi tuâ operâ opus erit. Non enim metuo cenſoris noſtri σκῶμμα, qui ſe ait non metuere? σύν τε δύ' ἐρχομένω. Utinam multi eruditi conferrent operas, ut factum D à veteribus videmus. Bene vale. V. Idus Februarii, Anno M. D. XLIV.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 316. MEminiſti vetus illud *Meſſeniorum* opinor, qui dicebant, eſſe quædam *Lacedæmoniorum* κοινὰ μὲν ἀδικήματα, πολλὰ δὲ σοφίσματα. Ita ſunt *Epicurea* convicia vetera quidem, ſed nunc rabioſiùs dicuntur, cum tran- E quillitatem ſuam homines ἄθεοι & molliculi interturbari clamoribus Eccleſiæ arbitrantur. Sed profectò noſtri muneris eſt, acerrimè dimicare cum *Epicureis*. Tuâ reſponſione valde delectatus eſt *Lutherus*. Ego igitur, ut legant talia prælia non verborum, ſed rerum maximarum, adoleſcentes, mox curavi formulis tranſcribi, tibique & *Zieglero* & τῷ φρονίμῳ, & *Joachimico Rhetico* exempla mitti. Bene vale. Die *Converſionis Pauli*, Anno milleſimo quingente- F ſimo quadrageſimo quarto.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 317. IDibus Martiis cum quidem de *C. Cæſaris* nece, déque humanis miſeriis multa cogitâſſem, epiſtolam accepi tuam, in qua mentio eſt ſcripti *Ciceroniani De Senectute*. Itaque ejus diei cogitatione motus, avidiùs relegi totum libellum *De Senectute*, ut viderem illis huma- G nis calamitatibus quæ remedia καὶ ἀλεξιφάρμακα oppoſuiſſet *Cicero*. Vidi non ſolum ſuaviter, ſed etiam ambitioſè ſcriptam eſſe illam conſolationem, ac puduit addere præfationem. Sed poſtridie mane caſus intervenit, qui me coëgit morem gerere cupiditati adoleſcentis: Decidit lychnus in pagellas *Ambroſii*. Ideo nè ſuſpi-

A caretur à me petulanter corruptas eſſe, ſcripſi præfationem. Te quoque rogo, ut me excuſes. De enarratione ad ipſum ſcribo, cum nunc quidem ſatis habeat ocii, facturum rectiùs, ei præſertim in hoc libello, in quo tam multæ coacervantur hiſtoriæ, multa item ex *Platone* & *Xenophonte* decerpta ſunt, addat uberiorem enarrationem. Bene vale. Plura per *Franciſcum*. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto.

B

Ioachimo Camerario S. D.

QUod bonis boni ſit, id grave & gratum eſſe ſolet, inquit *Plautus* in *Perſa*, etſi quid dicat Ep. 318. grave, non ſatis aſſequor, tamen ſententiâ delector, & opinor dici bene collocatum, ſeu non inane. Nobis igitur, quia inter bonos certè eſſe ſtudemus, ſcito gratiſſimum eſſe offi- C cium tuum, quod in ornando *Sabino* præſtitiſti, tibique gratiam habeo. Sed quanti ille faciat *Philyram* vides, fugit Academiam, in qua videt quàm difficile ſit tot doctorum ac cenſorum judiciis ſatisfacere. Latebras quærit, in quibus regnet, aut unde in aulam evolet. Hanc ſcito ſummam eſſe conſilii ipſius. Fortaſſis accedit & hoc, quod à noſtris oculis longiùs cupit abducere meam filiam, ſed reprimo me. Hanc enim Deo commendo. Sæpe mihi in D mentem venit matris *Baptiſtæ*, *Mariæ* matris *Chriſti* & aliarum ſimilium, quæ quomodo ſervatæ ſunt? graſſantibus eodem tempore in *Syria* exercitibus *Parthicis*, *Romanis*, *Herodianis*. Deum igitur oro, ut meam miſeram filiam & regat & ſervet, ſicut illas & gubernavit & defendit. De *Sabino* non querar, apud te præſertim, qui toties jam tam accuratè ejus cauſam in literis ad me ſcriptis agas. Sed optârim eum, præſertim poſtquam ſuo, non meo E conſilio, affinitatem meam appetivit, benevolentiam etiam præſtare dignam hâc conjunctione. Totum hoc genus philoſophiæ *Socraticæ*, quod ego & tu amamus, minoris facit quàm vellem. Tu conſilia noſtra auditurum putas? De quibus quæ demus nobis ſcilicet videndum. Filiæ ſcripſi ut ſuum mihi animum de migratione ad *Balthicum* ſignificet, quæ quicquid reſponderit, tibi mittam. Spero enim γενναῖόν τι reſponſurum eſſe. Nuper in literis ad F matrem ſcriptis querebatur de ære alieno mariti, propter quod ipſa interdum malè audiret. Ibi diſertè adjecit, ſe nolle hæc mihi indicari, ac ſe jam tot doctam malis, has miſerias moderatè ferre. Verum quò delabor? Hæc tamen ſcripſi, quòd hanc de filia commemorationem tibi non ingratam eſſe ſciebam. Mihi ſemel in templo cum parvula ægrotaret, exorta eſt in ſubita cogitatione mira lux, in qua admonebar his ipſis verbis, *Deo eam curæ eſſe*. *Aleſio* ſcripſi G propoſitiones, quarum tamen cenſuram tibi, *Aleſio* & *Laurenſi* mando. Profectò non facile eſt has tantas res explicare, ut fortaſſis aliqui putant, qui ſuas tantum operas magnipendi volunt. De conventu *Spirenſi* nondum quicquam accepimus, utinam non ſit [illegible]: cum accepero literas, impertiam & vobis. Non enim dubito ex aula *Colonienſi* quoſdam de rebus præcipuis

præcipuis certa ſcripturos eſſe. Noſtri nihil ſignificant ἀξιόλογον. Bene vale. Calend. Martii, Anno M. D. XLIV.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 319. MEmini te Juriſconſulto conterraneo tuo conditionem quærere. Nam mandata *Chiliano* ad noſtrum *Scævolam Hieronymum* dederas. Mitto igitur tibi literas Comitis *Bavarici*, qui bis ad me ſcripſit, ac magnopere petivit aliquem ex his Academiis ad ſe mitti. Oſtendes has literas illi conterraneo tuo, & ut ſuam ſententiam nobis ſignificet, hortaberis. *Lucrenſi* noſtro, viro docto & inprimis amanti interpretationis dexteritatem in ſacris monumentis, mittit *Lutherus* belliſſimum *Cochlea* ſcriptum, ut ſunt illius omnia plena *Attici* leporis. Vult abjici & deleri omnes verſiones recentes, ac præcipuè *Lutheranam*, vult omitti Linguarum ſtudia, ut omnibus omnium monachorum ſomniis populus applaudat. Et hunc ſcriptorem Antiſtes [illegible] non compeſcit fuſtibus? Me cum iſtos furores lego, minus pœnitet noſtrarum operarum & laborum, ſpero etiam exitus placidos. Quid enim ſunt hæc ſcripta *Cochlea* & ſimilium aliud, quàm, ut eſt in illa imagine beſtiæ vomentia ranas, βάτραχοι [illegible]. *Viti* epiſtolam propter *Italicas* quæſtiones remitte. Bene vale. Die XVII. Aprilis, quo ante annos 3845. *Noha* arcam ingreſſus eſt. Utinam ſic ſervet nunc quoque Deus Eccleſiam.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 320. EXpectari me avidè à te exiſtimo, & deſiderio tuorum ſermonum ipſe teneor vehementi. Sed vocatus *Wimariam* de Tutelæ negotio, per Salinas facere iter cogor, ut ibi explorem voluntatem ſenatûs de pecunia apud eum ſenatum collocanda, quæ nobis *Wimariæ* tanquam tutoribus numerabitur. Implicamur, ut vides, multis illiteratis negotiis, idque magis fit in hac natione, quæ omnia agit [illegible], quàm noſtri [illegible] *Germani*. Ideo cumulantur negotiorum difficultates, quod fortaſſe etiam in Dictatura tua animadvertes. Sed oro Deum, ut utrique ſcholæ tranquillitatem, ſtudiorum felicitatem, & concordiam perpetuam largiatur. Si ad Salinas ex *Wimaria* redire me non neceſſe erit, iter iſtàc faciam. Hæc ſignificavi, nè quid ſuſpicionis aut ſollicitudinis hoc meum iter tibi afferret. *Jonas* adeſt, ſed ipſius cauſâ non comitarer eum ad Salinas, verùm tutela mihi certum negotium impoſuit, quod facilius perfici poſſet, ſi *Chilianus* domi eſſet, qui ad me ſcribit, ſe his nundinis ad te expatiaturum eſſe. Bene vale. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 321. NEc verò dubium eſt antecellere literas verâ dignitate, Imperiis. Quare hanc tuam ſcholaſticam dictaturam pluris facio, quàm *Ciceronis* conſulatum. Ac Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* oro, ut & veſtram & noſtram Academiam tueatur & regat: & nobis luctantibus cum multis magnis difficultatibus opituletur, & te adjuvet in hac τυραννίδι. Mitto tibi pagellas diſputationis, dandas Doctori *Pfeffingero*, Paſtori Eccleſiæ veſtræ. Nam eo nuncium ad te miſi, nè [illegible] ab illo peteret. Nec te volo meis nunciis quicquam dare, cum ego eis non illiberaliter ſolvam. Mitto amicorum literas, etſi penè inanes, ſed ſtudium meum tibi oſtendere cupio. [illegible] Ludunt plerique uſitata ſophiſtica. Sed expectemus [illegible]. Bene vale. Die 27. Aprilis, quo primum ante annos 3844. arca *Noha* quieſcere & reſiſtere cœpit. Utinam quietem etiam Eccleſiæ ſuæ Deus in his tantis diluviis orbis terrarum concedat.

Ioachimo Camerario S. D.

MEminiſti noſtri theatri judicia, qualia facta ſint de me, cum ante annos decem, editis *Locis Theologicis*, diſputâſſem quædam minùs horridè, quàm antea in ruinis monaſticæ doctrinæ propoſita fuerant. Et erant qui me ſuſpicabantur captare potentum favores. Noſter [illegible], joco fortaſſe mihi objiciebat, ambire me galerum [illegible]. Adeo non temerè dictum eſt [illegible]. Sed Deus teſtis eſt, me nec ingenii laudem, nec ſtudia ullius partis aucupatum eſſe, ſed vero & ſimplici ſtudio veritatis, diligentiam illam in explicatione adhibuiſſe: videbam quàm confuſas opiniones & infulſas multi circumferebant. Et juventuti meræ, ut in artibus fieri neceſſe eſt, monſtrandæ fuerunt. Optârim autem me à multis adjutum eſſe. Nunquam enim meum judicium prætuli Eccleſiæ judicio. Quare de iis ſententiis quas *Aleſio* miſi, judicare vos, & quidem ſeverè [illegible], volo. Idem dixi ante annos octo *Luthero* ipſi merum & cum [illegible] expoſtulanti. Statuetis igitur de meis pagellis veſtro arbitrio. Velim autem te mihi ſignificare, quid decreveritis. *Brutum* tibi mitto cum libertatis inſcriptione, quærit enim civitatem ſe digniorem. Sed an *Philyram* veſtram probaturus ſit, neſcio. Unam ſcio, in qua ei locus erit, in *Cattis* ſeu *Teucteris*, quam *Graio* nomine *Sigen* vocant. Eram miſſurus aureum nomiſma; quod cum hodie quæro, nuſquam invenio. Præripuit aliquis [illegible] opinor, aut ego oblitus ſum, quo repoſuerim. Bene vale. Menſe Martio, Anno M. D. XLIV. Ep. 322.

Ioachimo Camerario S. D.

ETſi non prorſus liberatus ſum metu profectionis ad conventum, tamen aula mihi ſatis comiter promittit, fore ut non abducar. Graves cauſæ commemorantur, quæ ſunt, ut noſter Hiſtoricus inquit, [illegible] τῷ λόγῳ. Sed magnum me beneficium accepiſſe putabo, ſi manſero. Nam cum hæc tempora, & furores hominum Ep. 332.

ad ſuperiores conventus confero, magnam video diſſimilitudinem fore. Interfui antea, non ſine cura, non ſine colaphis, ſed tamen πολιτεύματα noſtra Dei beneficio, fuerunt incruenta: multa utiliter explicata ſunt, multæ quæſtiones dijudicatæ, multa mitigata: fuerunt, Deo gubernante, κατεστεμμέναι placidæ. Nolo omnia commemorare. Nunc ardent odiis *Germani*, & totus orbis terrarum majore in luctu eſt, quam tunc erat. *Gallia* bellum exitiale metuit. *Scoti* in tres factiones diſtracti, *Pontificiam*, *Angliam*, & *Aſſertricem* doctrinæ purioris ut dicunt. Decreta crudeliſſima ſunt, ut liceat occidi ἀκρίτως aſſertores doctrinæ. Ego hodie die Ecliptico literas accepi, An licear ἀμύνεσθαι τυράννῳ ἄρχοντα. Non libet διήγημα omnia recenſere. Tantum illud dico, magnopere me optare, ut, quod oſtendunt, concedant mihi, ut maneam. Interim domi aſſiduis votis commendabo Deo Eccleſias noſtras ac politias, & precabor, ut ipſorum conſilia ſint ſalutaria ipſis & Reipublicæ. Quo die adveni, hic noſter concionem habuit, in qua οὐ κατὰ τὸ ἀκριβὲς συμβόλαια, ἀλλὰ κατὰ τὸ πλεῖστον ταραχὴν καθίστασθαι τῶν ἡγουμένων. Etſi mederi huic malo ſtudent aliqui, tamen quantùm proficiamus, neſcio. De te ſæpe ante multos annos cogitavi, cum viderem rei literariæ, ſi unà fuiſſemus, noſtram familiaritatem profuturam eſſe. Sed multa erant, quæ dehortabantur me, nè te in hanc Rempubl. attraherem. Mihi meum fatum ferendum eſt. Et oro Deum, ut mitiget ærumnas, nec dies abit ullus, quin illam Prophetæ vocem cogitem ac recitem: *Cum iraſceris Deus, miſericordiæ tuæ recorderis*. Literarum faſciculum, qui mittendus fuit in *Pruſſiam*, tradidi *Pollentio*, adoleſcenti nobili, qui Duci exhibebit. Accepi hic & Ducis epiſtolam, in qua ultrò accerſit *Sabinum*: Hanc ſtatim *Sabino* miſi. Etſi doleo longiùs à me filiam, cujus mihi virtus non rarò mœſtitiam lenit, abduci, tamen in tantis miſeriis publicis hæc privata mediocriter ferenda eſſe duco, Et Deo eam commendo. Memini cum infantula mihi lacrymas à genis detergeret ſuo indufiolo, quo uno erat induta mane; Hic geſtus ita penetravit in animum meum, ut non putem fuiſſe ἄτοπον. Bene vale. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 324 *COgite concilium & pacem laudate ſedentes:*
Illi armis in regna ruunt, ——

Inquit *Turnus*, ut meminiſti. Ita dum *Spiræ* de neſcio quibus nugis litigamus, *Turci* graſſari in *Pannonia* pergunt. Heri enim literas ex *Pannonia* accepi, quæ narrant recens loca vicina *Poſonio* occupata eſſe à *Turcicis* latronibus paſſim vagantibus. Interea tamen etiam in iis locis, quæ ſervitute novâ oppreſſa ſunt, conſtituuntur Eccleſiæ, credo animis jam ad cœleſte auxilium confugientibus, poſtquam pugnare non poſſunt. Et ſpero Deum reliquias Eccleſiæ, ut ſemper, ſervaturum eſſe mirabili modo. Nam vides præſidia humana nulla eſſe. Nec mihi *Spirenſes* actiones placent. Pax à *Carolo* petitur, ſed ita, ut verecundiùs petiverint *Lacedæmonii* pacem ab *Athenienſibus*, cum cives ad *Pylum* in inſula circumſeſſi eſſent. Bene vale. Die XVIII. Martii, Anno M. D. XLIV. Aula *Danica* ſpem habet pacis.

Ioachimo Camerario S. D.

ETſi hiſtoriam conventûs *Spirenſis* copioſiùs ad vos ſcribi arbitror, quam ad nos; tamen mitto in pagella quam addidi, ea quæ huc allata ſunt. Videbis depoſitam eſſe contentionem de petenda pace, quæ initio φορτικῶς inſtituta fuerat. Nunc igitur de veſtro conventu magis, quam de *Spirenſi* ſolicitus ſum. Planè reprehendo τὴν ἀσχημοσύνην eorum, qui cum adhuc teneræ ſint Eccleſiæ veſtræ, cúmque voluntates gubernatorum adhuc diſſimillimæ ſint, conventus indicunt. Quantum fuit in *Atticis* concionibus horribilium certaminum, quantum in Synodis Epiſcoporum? quæ ipſe vidi incendia in aliquot noſtris Synodis, quæ ut arte extingueremus, magnopere nobis laborandum fuit. Memini in *Chalcide* mecum *Macedonem* & *Wirtebergenſem* magna cum ſolicitudine deliberare, quomodo arte dimitteremus eos, qui convocati fuerant, & quàm molliſſimè diſſolveremus conventum. In eam rationem, ut tu quoque incumbas, te vehementer oro atque obteſtor. Ut nihil dulcius eſt & utilius colloquiis & collatione ſententiarum inter illos, qui & veritatem amant, & moneri ſe patiuntur, & propter benevolentiam mutuam candidè dicunt, quod videtur, & probant illud, quod eſt in oratione filii ad Tyrannum apud *Sophoclem*, καὶ τὸ λεγόμενον εὖ, καλῶς τὸ μανθάνειν. Ita è contrario periculoſiſſimum eſt imperiis & Eccleſiæ committi in his congreſſibus homines inimicos, ardentes odiis, non amantes veritatem, aut faſcinatos pravis opinionibus, & quidem ubi deſunt βραβευταί. Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* oro, ut exitum placidum det utrique conventui, *Spirenſi* & *Lipſico*. Bene vale. Die 25. Martii, quo ante annos 5504. *Adam* conditus eſt, ante annos verò 1545. *Chriſtus* in *Maria* virgine conceptus eſt, ante annos verò, 1511. *Chriſtus* crucifixus eſt, & factus victima.

Initio conventûs poſtquam *Carolus* Imp. certa deliberanda propoſuit, contenderunt *Colonienſis* & *Palatinus* acriter, ut de Religione deliberaretur, & exordium à rebus divinis ſumeretur.

Noſtri contenderunt de pace danda & de judicio *Cameræ* conſtituendo ante cæteras deliberationes.

Sed tandem omiſſis his contentionibus decretum eſt communi conſenſu, ut ordo à *Carolo* præſcriptus ſervaretur, ac prima eſſet deliberatio de auxiliis contra *Turcas* mittendis.

Eam deliberationem ſcribunt noſtri jam abſolutam eſſe. Ac nunc declaraturos *Carolum* & *Ferdinandum*, quantas ipſi copias & quò miſſuri ſint. De duce contra *Turcas* eligendo nihil hactenus accepimus.

Controverſia quæ fuit de *Cattorum* comitatu inter *Naſſaicum* & *Landgravium*, compoſita fertur,

tur, ſolutis à *Landgravio* centum millibus. De quo dubitare multos audio.

Exiſtimant *Carolum* ante Paſcha diſceſſurum ex conventu, ut occurrat *Gallo*, qui totum ducatum *Lucelburgium* occupârunt. De D. *Brunſuicenſi* nullæ adhuc fuerunt deliberationes publicæ.

Compoſitio controverſiæ *Cattorum* ſignificaret ἄδειαν τῶν διδασκάλων περὶ μαθημάτων, ut ego quidem ſpero ac ratiocinor.

Dionyſius concionator aulæ *Heſſiacæ* de *Samaritano* dicitur egregiè concionatus, deſcribens neglectiones Eccleſiæ ſauciatæ & laceratæ, ac unà cum noſtris auditores fuerunt *Marchio Albertus*, & Dux *Juliacenſis*.

Franciſcus heri quoque ſcripſit, ſpem eſſe pacis *Danica*, ſed me terrent prodigia, audio pluviſſe ſanguinem in *Holſatia*. Anno M. D. XLIIII.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 326. EQuidem gratiam tibi habeo, quòd curâ & cogitatione tuâ, meorum miſerias complecteris, quibus etſi moveor, tamen te volo tui etiam rationem habere. Totum hoc genus *Heuetum* ſuſpicax eſt, & inprimis in me multorum oculi intenti ſunt: Erunt qui dicent, te à me ſubornatum eſſe, ut hanc fabulam agas, méque in aliena Republica meos aſtutè εἰς πλεονεκτίας collocare: quod ſi molirer, fortaſſe conſilium mihi non deeſſet. Sed eo ex noſtra urbe & à meo complexu filiam avelli paſſus ſum, ut ſuſpiciones ſimiles certorum hominum, quorum mihi κακοήθεια perſpecta eſt, apertè refutarem. Nolim igitur te iſtic meâ causâ vehementiùs contendere, ac in te ſuſpicionea malevolorum derivare. Fortaſſis & *Sabinus* magis apperit litteras *Bobbienum*, quàm *Philyram* veſtram. Nam cum reverſus ex *Ubiis* hic eum inveniſſem, multa diſputabat de œconomicis difficultatibus, quas *Lipſiæ* habiturus eſſet, etiamſi eò vocaretur mediocri ſtipendio. Et eſt omninò αὐθάδης natura, nec ſe alienis conſiliis regi patitur, quod æſtimare potes ex Conjunctione Saturni & Martis in Virgine, quam utinam conſideráſſem attentiùs, cum filiæ meæ connubium peteret, quod quidem poſtea mihi confeſſus eſt, non ſuo conſilio, ſed hortante alio quodam ſe petiiſſe, qui hoc molitus eſt, ut hinc me avelleret. Sed quò delabor? veniam des dolori patrio. Sæpe mihi in mentem venit in his meis aſperrimis doloribus divinæ στοργῆς. Sumus enim imagines Dei,

Exemplumq; Dei quiſq; eſt in imagine parva,

Ut inquit Poëta. Cum nos ærumnis natorum tantopere afficiamur, quanto major in Deo dolor eſt, cum videt Eccleſiæ calamitates, præſertim cum tam illuſtri teſtimonio teſtatus ſit, ſe curare genus humanum, cum videlicet ſibi naturam noſtram æterno & immutabili fœdere copulârit, filio in terras miſſo. Hac me conſolatione ſuſtento in multis magnis doloribus, & *Chriſto* commendo Eccleſiam, politias, & meum miſerum gregem, imò & te & tuos, & hæc noſtra ſtudia. Benè vale. Nobis quoque mandatum eſt, ut neſcio quid de Exuviis *Lycaonis* diſputemus. Anno M. D. XLIV.

Ioachimo Camerario S. D.

MAgna mihi cum hoc *Fabiano Pruteno* familiaritas eſt. Nam prudentiam ac diligentiam ejus cognitam & ſpectatam habeo, quia noſtras literas ad Ducem *Albertum* mittere ſolet, cujus liberalitate in Academia alitur. Volui eum tibi quoque notum eſſe. Nunc *Auguſtam* proficiſcitur, ut illam *Germaniæ* oram videat. Cum autem *Muſculus* mihi recens ſcripſerit, *Antonium Hyparchum* ex urbe *Heuetorum* magnam partem *Græcorum* voluminum, quorum vidiſti Catalogum, *Auguſtam* miſiſſe, hortatus ſum *Muſculum*, ut edi commentarium in τετράβιβλον *Ptolemæi* curet, & ſi quid præterea inveniet inſignium monumentorum. Si libet addes aliquid literarum. *Laterenſis* ampliſſimum argumentum nobis propoſuit, de quo cogitans, faciliùs volumen quam λόγον ἐπιδεικτικὸν hac uſitatâ formâ condi poſſe judico. Sed annitar, ut aliquid extruam, ut tibi morem geram. Cohortationem *Aleſianam*, & alteram concionem de Jejunio legit *Lutherus*, & valde probavit. Ego utiliſſimum judico talibus ſcriptis interdum accendi bona ingenia. Legunt enim aliqui boni & commonefacti de rebus honeſtis diligentiùs cogitant. Et hæc ἐπαγωγά magis capiunt animos, quam ſcripta ἀλληγορικά. Quare tibi pro his operis Eccleſia gratias aget, & ego nomine Eccleſiæ nunc tibi gratias ago. Si poſſem abeſſe ab Academia, excurrerem ad te, ut meas tibi miſerias exponerem, & tuo conſilio uterer. Arbitrabar iras placatas eſſe. Sed novam criminationem conjugis a *Rheni* ripa miſit. Etſi video quantum ſit dedecoris, tamen ut in malis, αἱρετώτερον videtur, poſtquam illam annos novem omnibus contumeliis vexavit, nunc eam reſtitui, cum ſe cauſam nactum eſſe clamitat. Sanari res humano conſilio non poteſt. Itaque tantum à Deo æterno Patre Domini noſtri *Jeſu Chriſti* auxilium & petatur & expectetur. Si quid ſignificabitur tibi harum rerum, pro tua prudentia & noſtrâ amicitiâ judicabis, quantum iratis credendum ſit. Nam ego nec litigari, nec dimicari cum quoquam volo, méque & alios non ſine magno dolore reprimo, ſed expecto divinum auxilium: ſimplex conſilium habeo, & do idem aliis, ut feratur quod neceſſe eſt. Benè & feliciter vale. Die XIX. Maii Anno M. D. XLIIII.

Ioachimo Camerario S. D.

VT igitur nos εἰς ἐσχάτους μυχούς, quemadmodum olim dicebatur, exulamus, ita *Sabinus* εἰς ἔσχατα ἀμαρτίας ibit. A Duce non ſolùm comitate ſingulari, ſed etiam liberaliter exceptus eſt. Stipendium dat *Ioachimicos* trecentos quinquaginta, & habitationem, addidit Ep. 328.

dit viaticum & poculum. Rediit ergo *Sabinus* præclarè à Duce ornatus, ſed ad me ingentes iras attulit, non illas quidem prorſus injuſtas, ſed tamen nimium accumulatas. Et quod eſt in ea re mali, oritur ab ejus perpetuâ aſperitate, ſeu potiùs ἀπὸ τῆς φύσεως δυσχερείας in ipſis. Utcunque in præſentia rurſus ſedatæ ſunt hæ turbæ. Sed mihi cura & dolor augentur. Nec tamen deſinam a Deo & petere & ſperare mitigationem hujus miſeriæ. Profectus eſt *Sabinus Spiram*, ut à *Marchione* miſſionem petat. Et intelligo alia multa petiturum, ut abſens retineat partem ſtipendii. In reditu promiſit ſe *Lipſiam* venturum eſſe. Sed de his coram in nundinis plura. Cum tuæ literæ de *Andrea Aurifabro* ad Ducem *Pruſſiæ* ſcriptæ afferrentur, *Andreas* abierat. Sed frater miſſurum ſe eſſe pollicetur. Scholaſticos *Turcicos* utinam *Sorbona* mitiores reddat: etſi totam narrationem fictam eſſe puto, tamen venit in mentem, *Græcos* fortaſſis propter ſtudia *Græcæ* linguæ in *Galliam* veniſſe. Mitto tibi & *Laterenſi* libellos recens editos, ſanè negligenter, ſed omnia tamen noſtra vobis oſtendi & cenſuræ veſtræ ſubjici volo. *Laterenſis* nimis parcè mihi exempla veſtrarum editionum mittit. Tuum *Pſalmum* de Concordia, multis jam ipſe meâ manu deſcripſi, imò & verſionem multis ſcripſi ad verbum, adeo quotquot viderunt, avidè expetierunt. Dices igitur *Laterenſi*, ut plura mihi exempla utriuſque libelli mittat. Scribo ad Collegium facultatis Theologicæ de *Gallo* quodam, tumultuante in Eccleſia montis *Mariani* Nollem, confirmari *Gallici* ingenii φιλοτιμίαν καὶ δοξομανίαν. Scribam plura per *Pfeffingerum*. Nam hanc hodie ſextam epiſtolam ſcripſi. Benè vale. In feriis πασχάτοις, Anno M. D. XLIIII.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 329. REddidit mihi heri *Caſpar* ſtatim è curru deſcendens epiſtolam tuam, plenam pietatis erga Deum, & amoris erga me. Etſi autem non nihil accuſari me intelligo, quòd videar indulgentior in meos, quod idem mihi ὁ ἐξίων objecit ante biduum, tamen ſi tibi & natura illius penitus, ut mihi, nota eſſet, & hoc negotium inquiſitum, veniam dares meo dolori. Et tamen hactenus ordine feci omnia. Ac feciſſe pœnitet. Facta eſt ante ejus iter reconciliatio, dixit ipſe ἀμνηστίαν fore. Poſtea rediens è *Lipſia* mittit commentitiam epiſtolam ſcriptam neſcio cujus adoleſcentis non ine. Deinde cum adveniſſet poſtridie expoſtulat, ait clam literas & dona accepta eſſe. Talibus ludit poëmatis. Heri diſcedens me artificiosè adoritur, ſe abire, ſi velim, filiam mitti jubet poſt aliquot dies. Ubi hæc didicerunt? qui nec Dialecticos nôrunt, nec captiones cauſidicorum? cogitant alterutrum fore, ut illa aut obtruſa dicatur, aut viretenta. Petimur inſidiis, oneramur probris. Nullas literas, nullam religionis aut virtutis doctrinam iſtud genus amat. Et tu

A mihi tantopere prædicas. Vixi hactenus ſine dedecore. Si hoc dedecus ab iſtis oblatum, mihi ſubeundum erit, feram, memini enim me Deo pœnas debere multorum lapſuum. Et cauſas conſidero, & Eccleſiæ exempla multa mihi propono. Nec tamen deſinam orare Deum, ut me juvet, & expectabo liberationem. Te quoque oro, ut memineris verſum amici, ad amicum calamitoſum: οὐδεὶς ἀπεχθὴς τοῖς φίλοις ἐν τῷ φίλῳ, ne propter illos à me aB nimo ſis alieniore, quocunque res cadet, etſi adhuc quidem omnia feci moderatiùs, quàm vellem factum. Inſomnem egi totam hanc noctem oppreſſus magnitudine doloris. Te oro, ut Deo me piis votis commendes. De *Sabino* tibi contra animi mei ſententiam morem geram. Quicquid autem non egero, ſed acturus ſim, faciam te certiorem. Mitto tibi & *Laterenſi* exemplum diſputationis proximæ. Nam plura nunc non habebam. Benè vale. C Die Maii XIV. Anno M. D. XXLIV.

Ioachimo Camerario S. D.

EOdem die quo hinc diſceſſiſti, nuncius à *Ep. 330.* me conductus, ut ad *Sabinum* iret *Brandeburgum*, iter ingreſſus eſt: Exemplum mearum literarum tibi mitto, ut videas me nihil ſcripſiſſe aſperius, cum quidem ille du- D riſſimè ad me ſcripſiſſet. Hæc cum ſcripſiſſem, reddita eſt mihi epiſtola, quâ reſpondet *Sabinus*, & uxorem & omnes filias duci jubet ad *Belitzik*. Itaque quod fauſtum & felix ſit, die Lunæ proximo, adducam ipſe ad eum meam filiam, & ipſius duas. Nam tertiam mea conjunx nequaquam à ſe abſtrahi patitur. Et moleſtè fero *Sabinum* de ea litigare. Sed hæc ſcribam copioſius poſt congreſſum noſtrum. Mihi hæc migratio filiæ E ingentem ſolicitudinem & dolorem affert. Sed Deum oro, ut reſpiciat lachrymas noſtras. Utinam videres quales domi meæ mores filiæ ſemper fuerint. Taciturna eſt, temperans, frugalis, & minimè rixatrix, & non ſtulta. Orationis περὶ ἀγάθων ποιήματος reliquam partem vobis mitto, de qua veſtro arbitrio ſtatuetis. Scis hæc θεολογούμενα non tam populariter aut nitidè dici poſſe, ut πολιτικά. etſi ego quidem ματαιολογίας vito, & ea F quæro, quæ in communibus vitæ exercitiis uſum habent. Mitto aureos triginta Senatui, dandos vulnerato civi, ut meminiſti. Quæſo ut cures exhiberi & literas noſtras & pecuniam Senatui. Volo conſpici, nos non ὀκνοῦντας in Curia. Sed quod egimus, ſeriò actum eſſe. Poſtquam ingreſſus eras iter, legi paginas à *Pontano* miſſas. In his eſt κεφάλαιον decreti de pace *Spiræ* jam edendi, cujus præcipuus eſt articulus, quem mirabe- G ris, quo Edictum *Auguſtanum*, ſuſpenſione, ut vulgò vocant, uſque ad Synodum, mitigatur. Quæramus vocabulum idoneum, nec enim λύσεως tantum eſt, nec prorſus καταργήσεως. Puellæ agunt gratias tuæ conjugi pro perulis. *Daſii* negotium mihi curæ erit, & tu ſcribes epiſtolam longiorem, & aliquid

ex

ex tuis ornamentis addes de novi judicii conſtitutione. Benè vale. Die VII. Junii, Anno M. D. XLIV.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 331. ETſi minimè delector hoc argumento, tamen quia te ſcire velle arbitror, quid in *Sabini* & meo congreſſu acciderit, breviter ſignificabo hiſtoriam. Oratio *Sabini* placida fuit, & reduci filiam meam ad ipſum in patriam *Marchiam* paſſus ſum. Ancillam autem ab ea noſtratem removit, à qua una propter familiaritatem, infantula ægrota facillimè ſe tractari ſinebat. Mater ergo cum duabus parvis puellis, plena ſummi doloris maritum ſequitur, ac mœror brevi abortum & mortem allaturus videtur, ut ipſa aliquoties vaticinata eſt. Utinam nihil accidat triſtius. Sed oro Filium Dei qui dixit: *Venite ad me omnes qui laboratis, & reficiam vos*: ut cuſtodiat & regat eam. Mihi in hac re multa magnos dolores & metus afferunt, téque nollem ei ancillam conduxiſſe. Quid enim attinet factionem contrariam matrifamilias conſtituere? Miræ ſunt σκευωρίαι, mira conſilia, quibus & initio ſum oppugnatus, & adhuc exerceor. Nunc ei compono exordium conſtitutionis Academiæ, quod mitti vult *Francofurdiam*, ita ut die XVIII. Junii, accipiat. Commendationem etiam ad Principem tuo & meo nomine ſcriptam petit. Componam igitur, & cras tibi mittam. De pecunia Senatui miſſa ſcire cupio quid acciderit. Bene vale. Die Solſtitii, Anno M. D. XLIV.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 332 CUm gubernationem ſcholæ *Regiomontana Sabinus* ambiret, multa mihi in mentem veniebant, quæ me movebant, nè eum illi muneri præficiendum ducerem, quod requirit hominem ſcholaſticas operas amantem, non abhorrentem à philoſophia, καὶ συμβιβαστικόν. Ceſſi tamen ipſius cupiditati & tuo judicio, quod de illo eſt præclarum. Ac mihi quidem & meis exordia fuere triſtiſſima. Nunc quod ſuſcepit, opto ut feliciter adminiſtret. Epiſtolam ad Principem petivit, quam ſcripſi, ac peto ut non modò ſubſcriptionem tui nominis, ſed etiam ſigillum addas. Fortaſſe dices frigidè laudatum eſſe. Sed ego in hoc tanto meo luctu quid poſſum ulla de re luculenter ſcribere? De illo verò cum cogito, μεταμέλει ἅπαντα τὸ αἷμα ἐκκλύοντος τῷ συλλέγχειν. Et augetur meus dolor, quòd me & meos tantum accuſari video, illum culpâ liberari, qui me, qui miſeram mulierem meam conjugem, qui meam filiam jam annos octo multipliciter excruciavit. Neque ex hac affinitate multum adhuc mihi lætitiæ accidit. Sed ſuggero mihi illam vocem prophetæ: *Iram Dei ſuſtinebo, quia peccavi ei*, ac oro Deum, ut hæc nobis mala mitiget. Fuiſſet rectiſſimum id, quod mihi placebat. Sed nihil volui facere φορτικώτερον, & videbam quantum contenderes nè fieret. Te movit umbra quædam τοῦ καλοῦ, me contra magnæ, ſed obſcuriores cauſæ movebant. At quod factum eſt, nunc quidem στερκτέον, & Dei auxilium implorandum eſt. *Gallicam* epiſtolam tibi mitto ejus viri, cujus recordatione delectari te arbitror. Quod facit mentionem epiſtolæ ad *L. Caſſii* interfectores miſſæ, non prorſus injuſta querela eſt. Sed ego ad quendam Menſe Martio ſcripſi, & ſanare offenſionem ſtudui. ὡς ἀγνοεῖς εἰς ὅσον κίνδυνον ἐμβέβληκα ἐμαυτόν. Atque hæc mala fortaſſe jam non erumpent. Ego tamen hoc ſervabo, ut difficilibus & miſeris rebus conſulam, ᾗ δυνάμεις πάρεισι καὶ ὡς τετυχηκότων δεῖ. Sed de his tibi moleſtus non ero. Metuo nè aliquanto poſt pernicioſas turbas aliquorum impotentia concitatura ſit. Si ad ſenatum *Lipſicum Pig.r.* non miſit pecuniam, nos cum illo litigabimus. Itaque explorabis an miſerit. Adoleſcentes, *Werthemum* & *Lampergſum*, arbitror in ædibus Doctoris *Benedicti* aliquandiu commoraturos eſſe, quod ſi fiet, ſtudia eorum inſpiciam. Nuncio non ſolùm epiſtolam *Prutenicam* reddes, ſed etiam ſcribes ipſe nobis, imò & *Sabino*. Benè vale. Die Junii XIII. Anno M. D. XLIV.

Jam obſignaveram hanc epiſtolam, cum Senatus literæ afferuntur. De quibus reſpondebo cum legero. Nunc de ancilla, planè ſi acceriet *Sabinus* aut mitti volet, velim eam mitti. Nunc enim nullam habet, & mea filia non eſt par labori ſola. Ac malo *Miſnicam* ipſi adjungere, quam aliquam *Marchicam*.

Ioachimo Camerario S. D.

MEmini me tibi dare orationem *Sarmatæ* cujuſdam, quam Regi inſcripſi, ac ille ipſe alteram edidit, tanquam ad equites habitam, mihi character placet, & adparet voluiſſe eum ſequi filum *Demoſthenicum*. Ep. 333.
Cum autem ſcirem me *Luthero* unum ex illis exemplis dediſſe, heri ab eo repetivi, ut tibi mitterem. Etſi non eſt illa, quam vidiſti antea, tamen vel propter *Lutheri* manum gratam fore tibi ſpero, & ut mea tibi officia ſint grata opto. Nuncius à *Viadro* rediit, & literas attulit à filia, quas tibi mitto, & à *Sabino*, qui miratur cur ancillam non miſeris. Quomodo verò mittes? an ipſe illam adveheres? Scriptum ei miſi, quod ſi legeres, probaturum te eſſe arbitrarer: ille requirit longius, quaſi hæc nobis ſubitò naſcantur. Scriberem prolixiùs, niſi flagitator Epiſtolæ interpellaret me. Bene & feliciter vale, cum honeſtiſſima & dulciſſima conjuge & ſuaviſſimis liberis. Die, quo *Alexander Macedo* annos M. DCCC. LXVIII. mortuus eſt, qui & ipſe inſigne fuit exemplum humanæ fragilitatis: feramus igitur

tur & miſerias noſtras. Addidi duas epiſtolas, quas *Bernero* dari volo. Anno M. D. XLIIII.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 334. QUod in illa prima concione generi humano denunciatum eſt, inſidiaturum eſſe Eccleſiæ calcaneo Draconem, id atrociter fieri, eventus oſtendit. Sed oremus Filium Dei, quemadmodum ibi quoque promittitur, ut conculcet caput Draconis. Hac cogitatione niſi me utcunque ſuſtentarem, ex hac vita diſcederem. Nam ad vulnus, quod domeſtica mihi calamitas fecit, acceſſit alterum, *Hieronymo Paumgartnero* capto, quem multis de cauſis verè & ex animo diligo. Quem enim ulla in civitate virum meliùs meritum de ſua Republica, de Eccleſia, de ſtudiis literarum, aut magis ornatum domeſticis virtutibus nominare poſſumus? ac viciſſim ille nos diligit. Non poſſum igitur non vehementer dolere talem & Virum & amicum in tantum diſcrimen veniſſe. Etſi autem non dubito, cuſtodiri eum à Deo æterno Patre Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, quem veris officiis coluit & colit, tamen pericula, quæ ſunt ob oculos, mihi & metum & mœrorem augent. In Splenis regione; quod mireris, eruperunt in utraque parte [illegible] mihi puſtulæ, tanti motus ſunt atræ bilis, quos tantùm dolor ciet. Et his diebus hoc incommodi acceſſit: nuncium ante decem dies ad *Sabinum* miſi, ut [illegible] de ſchola ei afferret. Is nondum rediit, hâc morâ valde crucior. Sed ſuſpicor, etſi multa cogito, ad vos miſſum eſſe ab ipſo, ut ancillam accerſat. De qua prorſus non impedio *Sabini* conſilium, placétque, ut de ancilla fiat, quod vult. Nam ei nunc quidem non adverſabor, nè novæ lites oriantur, ac malim apud filiam puerperam eſſe mulierem humanitate aliqua naturæ præditam, quàm barbaricam καὶ ἄγριον. De *Coburgenſis* ſcholæ gubernatore, eo nihil agendum poſt tuum abitum cenſui, quia *Simon* ille *Lichtenfelſius* ſtatim poſtea ſcripſit, ſibi partes neſcio quas in ſchola mandatas eſſe, etſi ut eſt μεμψίμοιρος & delicatus, queritur ſtipendium eſſe tenuius, quàm quantum expectavit. Sed explorari voluntas *Coburgenſium* poterit, an velint mitti ſcholæ gubernatorem. *Carolum* Imperatorem diſceſſiſſe *Spirà* certum eſt, & cataſtrophe conventûs, Dei beneficio, placida fuit. [illegible] edicti *Auguſtani* factam eſſe intelligo. Et narrant orationem *Veningeri* fuiſſe dignam viro forti, qui pro hac *Caroli* mitigatione dixit adverſus *Moguntini* oratorem. Bene & feliciter vale. Tuas literas expecto, & Deum oro, ut te & nos ſervet, ac *Hieronymo* & mihi noſtras calamitates mitiget. Die *Johannis Baptiſtæ*, Anno M. D. XLIV.

Georgium Daſchium miſiſſe jam noſtras epiſtolas ad *Merſpurgenſem* Antiſtitem arbitror.

A Scripſi ea quæ arbitrabar cauſæ profutura eſſe. Ac venturum eſſe brevi ad nos *Merſpurgenſem* Antiſtitem audio, ubi coram idem negotium agam.

Ioachimo Camerario S. D.

QUòd nec muneris publici, quod nunc administras, negotiis, nec cura tuæ va- Ep. 335.
B letudinis domi te retineri paſſus es, cum de meo morbo audiſſes, ſed ſubitò advolâſti, & agnoſco ſæpe perſpectum mihi amorem tuum, & gratiam tibi habeo, ac mihi de tuis beneficiis cogitanti non tantum illud *Homericum* in mentem venit, [illegible], ſed illa etiam divina promiſſio: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem: In die mala liberabit eum Dominus.* Vos igitur, quos affici dolore meo video, ut
C ſervet ac defendat Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* opto. De Republica nunc nihil audio. Sed ſomnio ſæpe conſeſſus, ut in Synodis. Video *Eccium*, *Gropperum* & alios πολυπραγμονοῦντας ac diſcurſantes. Etſi autem mihi quidem nihil in vita dulcius fuit colloquiis & collatione eruditorum, tamen illa certamina ſophiſtica conventuum odi, ac utriuſque partis ſtudia ac voluntates cogitans, toto corpore cohorreſco. Præclarè illud qui-
D dem apud *Thucydidem* dicitur, [illegible]. Sed hæc philoſophia prorſus ignota eſt iſtis, qui volunt eſſe βραβευταὶ diſputationum in conventibus. Nunc *Lutherus* ſcripſit ad conjugem *Hieronymi Paumgartneri*. Bene vale. Die IX. Julii, M. D. XLIV.

Ioachimo Camerario S. D.

E DE ingenio & ſtudiis *Meureri* ſemper præclarè ſenſi, & cum non ſolùm eruditionem probarem, ſed etiam naturam judicarem eſſe philoſophicam, hoc eſt, [illegible], ſui vobis hortator, ut prælectionem phyſicam ipſi potiùs traderetis, quàm aliis, de quibus ambitioſæ deliberationes erant. Nunc ſalvum & incolumem rediiſſe in patriam gaudeo, & opto, ut veſtra conjunctio vobis voluptati ſit, & profit literarum ſtudiis. Scribe- Ep. 336.
F rem nunc ad eum, niſi avocatus ad negotium publicum properarem. Heri mihi, cum expatiati eſſemus ad herbarum contemplationem, narravit gener *Luſti*, attuliſſe ſe Partitiones tuas. Sed codicem nondum exhibuit. Multæ ſuaves diſputationes ut inter philoſophos fuerunt de plantis. Cúmque recitarem picturam *Francofordianam*, in qua puella ſedet ſola coronam contexens floribus, quibus nomen eſt noſtrate. **Je lenger je lieber**,
G cum hac inſcriptione.

Je lenger je lieber ich bin allein
Denn Trew und warheit iſt worden klein.

Quæſitum eſt, ſit nè [illegible] veteribus, aut alius flos, cujus vetus nomen ignoramus.

Nunc

Nunc enim amarum dulce vocant. Sciſcitaberis igitur tuos συμμύστας. Mitto literas *Amantii*, quem nollem ex Academia *Pomeranica* diſcedere. Sed uxoris valetudine ſe moveri ſcribit. Benè vale. Die XXIII. Julii, Anno M. D. XLIV. *Vitus* ſcribit *Hieronymi* liberandi ſpem eſſe.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 337 VBicunque duo ſunt, inquit Filius Dei, *congregati in nomine meo, in medio eorum ſum.* Nec verò dubito aliquot eſſe iſtic vero ſtudio *Chriſti* congregatos. Quare ut aſſit χάρις precor, & adeſſe eum ſignificat animorum moderatio, quam prædicas. Et *Luthero* & mihi magnæ voluptati ea pars epiſtolæ tuæ fuit. Deum oremus, ut gubernet cætera. Nihil enim minus vellem, quam τὸν μακρὸν ἐκκλησιῶν fieri μονόπτωσιν, ut olim dicebatur. Pugnemus & precibus apud Deum, & ſtudio ac diligentiâ, ut mediocrem ſtatum Eccleſiarum & ſcholarum retineamus, præſertim cum alibi fere in tota *Europa* negligantur Eccleſiæ ſtudia. Mitto tibi *Viti* epiſtolam, addidi & aliam è *Venetiis* miſſam, quæ habet narrationes fœdas, ſed moveamur his triſtiſſimis exemplis, ut majore curâ & conjunctione animorum diſciplinam & res bonas tueamur. *Mathæi Franci* epiſtola inania eſt, ſed mittam tamen. Nunc verò *Paulus Eberus* ſecum aſportârat, quare huic tabellario non potui tradere. Bene vale. Anno M. D. XLIV.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 338. ETſi delector argenti venis, illis quoque quas miſiſti, tamen hiſtoriam antefero vel totis *Pangææ* montibus, quam *Euripides* vocat χρυσόβωλον. Legi igitur libenter epiſtolam tuam *Xenophonti* præpoſitam, & poſtremam narrationem *Macedonicam*, in qua cum copioſè de *Philippo* dixeris, multa hâc nocte cogitavi de noſtris ac de *Macedone*, mihique ſubinde venit in mentem dicti illius veteris, quod eſt apud *Pauſaniam*, ἐγκεῖτ' ὦ σῶμα φίλιππος. Sed oremus Deum, ut noſtros & Principum labores gubernet, ut ſimus ἐργαλεῖα ὄργανά τε καὶ σύνεργοι θεοῦ. Scribo nunc recuſationem Judicii Synodi, ſed inſtitui non ad aulæ affectus. Querela ſcholaſtica erit non multum abſimilis tuæ epiſtolæ, quam addidiſti *Xenophonti*: Verſiculos vobis mitto. τοὺς ῥήτορας nihil ſignificârunt *Jonas* & *Lutherus*, cum quidem ſæpe ſcripſerint. Mitto & epiſtolam, quâ *Vitus* te ad nuptias vocari voluit, ſed non miſiſſe eum arbitror. Nam omninò aliquid reſpondiſſes. Intra paucos dies redibit noſter tabellarius à ripa *Danubii*, qui afferet partem hiſtoriæ colloquii, quam tibi quàm primùm impertiam. Bene vale cum dulciſſima Eccleſia domeſtica. Anno M. D. XLIV.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 339. HOnorificè prædicavit & tiſtatio & nobia, honeſtiſſima matrona *Lutheri* conjunx tua erga ſe officia, & ego cras ei tuam epiſtolam recitabo, quam hodie accepi. Spem eſſe *Paumgartneri* liberandi gaudeo, & ut tua vota ad multorum piorum preces adjungas, ut liberetur, oro. Nec vero dubito, quin eum ſæpe tuis gemitibus & precibus Deo commendes. De republica *Vitus* ſcribit ſilentium eſſe, & tarditatem eſſe magnam exercituum in *Gallia*. Noſtra igitur ſtudia quantum poſſumus colamus. Quod ſcripſi nuper de *Chamepity*, ut *Fuchſius* putat, & alii χαμαίδρυν nominant *Teucrion* eſſe ſtatuam, ubi, ut decrevi, vim expertus fuero, in ſplenis medicatione. Aiunt enim inde nomen eſſe, quia *Teucer* hac plantulâ medicatus ſit ſuo morbo orto ex atræ bilis redundantia. Et vim deprehenſam eſſe, cum fortè ſpleni impoſuiſſet, mactata victima. Fabella elegantiſſima eſt, quiſquis autor eſt. Exhibebit tibi has literas *Moſerus*, qui olim collega fuit *Mitylli*, poſtea docuit Comitem *Vvertheminum*: inſtructus eſt viatico, nec petit aliud, niſi ut aditum ad te habeat, ut te de literis interdum conſulat. In ſchola aliqua celebri *Myſiæ* aut Eccleſia docere poſſet, quare eum etiam iis commendabis, qui provehere eum poſſunt ad eas λειτουργίας. De *Bornenſi* litigante cum Paſtore nihil ſcio, nec homineſn novi, tantum audivi venenatè ſolitum Paſtori viro bono obtrectare & inſectari ac conviciis lacerare *Spalatinum*. Hæc ei ex meis literis recitare potes. Cúmque cauſa mihi ignota ſit, quam agit, patrocinium ejus ſuſcipere non volo. Nolo enim amare illas φιλαπεχθήμονας naturas ac φιλεγκλήμονας contra Paſtores Eccleſiarum. Diſcat juventus etiam noſtris exemplis privatas injurias condonare Reipublicæ. Hanc ego ἀγάπην & meæ iracundiæ & aliorum ſæpe oppono. Scripſi hæc celerrimè, flagitantibus epiſtolas aliis multis, præter *Moſerum*, quibus cum do literas, non labore tantùm, ſed etiam iracundia excrucior, quam accendunt mihi juvenum inſulſæ cupiditates. Bene vale. Die III. Auguſti, quo noſtri cives ad Plateas delèviſſe *Perſicum* exercitum dicuntur. Anno M. D. XLIV.

Ioachimo Camerario S. D.

QUod fauſtum & felix ſit, *Milichius* noſter expatiatur in patriam, cui utinam me comitem adjungere totius itineris poſſem. Nam mihi hic ad cæteras miſerias, quas hoc anno multas tuli, novæ accedunt. Miſit huc κατήγορος neceſſarius olim tuus, cenſuram reformationis *Colonienſis* acerbam & calumnioſam. Quæ ei tamen, cui miſit, mitis videtur. Omiſſa igitur ἀμετροχέλευστα nunc θρυλλεῖται καὶ ἀσχολεῖται καθ' ἑτέρων τινῶν, interdum me quoque petendo. His de rebus tecum colloquar. Taxat iſte cenſor quædam de libero arbitrio. Damnat & hoc dictum: *Labentes contra conſcientiam amittere gratiam.* Poſtea multa συκοφαντεῖ δεῖ δεινῶν κυκεῶνα. Etſi autem decrevi nihil immoderatè facere, tamen tandem mihi quoque conſulam. Imponitur & alius mihi labor nunc, ut ἀπολογίαν Ep. 340.

ſcribam

ſcribam deliberationum futuri conventûs, A in quo fiant novæ conciliationes, odi hæc fucoſa conſilia, & liberari me opto. Benè vale. Die XI. Auguſti. M. D. XLIV.

Ioachimo Camerario S. D.

Ep. 341. Aἰσχύνομαί σε μεταδιδοὺς πόνων ἐμῶν, inquit *Oreſtes* ad Sororem. Me magis pudere decet, ſed quanquam te implicari meis periculis non volo, tamen facere non poſſum, B quin aliquid ſignificem de rebus meis. Ante hos annos, cùm quædam ἄτοπα in doctrina tollerem, magis aulicis judiciis quàm Collegarum excruciabar. Poſtea mediocri aſſiduitate & moderatione voluntates utcunque placatas animadverti. Nunc novæ ſuſpiciones non in aula, ſed aliorum animis naſcuntur, quas λιμαργότης cenſura excitavit. Ad hunc præcipuè excurſum eſt, ut de me deliberaretur. Et audio atrocem librum ſcriptum eſſe, quem C tamen nondum vidi. Poſt reditum hoſpitis cui unà non fuimus. Audio futurum, ut vocemur ego & *Cruciger*, ac interrogemur de noſtra ſententia, fortaſſis ſatisfieri ſibi patientur. Sed ſi non placabo, ἀλλ' οὐκ ἐμποιῶ τι ἐπαχθέστερον. Nec leviter me movet opinio hominum & Eccleſiarum de hac re. Sed quid faciam? Nam quod tu me amantiſſimè hortaris, ut uſitatâ meâ tolerantiâ hæc mitigem, ſtudeo equidem hoc facere, ſed quantum pro- D fecturus ſim, exitus oſtendet. Hoc ſcio, ardére quoſdam ingenti irâ. Sed Deum oro, ut nos gubernet. Verſiculis iſtis, quos mitto, etiam offenſos quoſdam audio. Bene vale. Anno M. D. XLIV.

Ep. 342. *Ioachimo Camerario* S. D.

NOn diſſimulo me delectari illâ laudatiunculâ *Epicharmi*, de qua ſcribis; Nam E profectò aliquanto majus decus eſſe judico παιδὶ χρῆμα λέγειν, quàm *Trojam* capere. Extant autem verſiculi illi in Codice *Theocriti* in poſtremis pagellis, dulciſſima eſt ſimplicitas. πολλὰ γὰρ ποτὶ ζωὰν τοῖς παισὶν ὧν τι χρήσιμα. μεγάλα χάρις αὐτῷ. Si verum decus eſt, Eccleſiæ ſeminaria educere, & cives ad virtutem invitare, plurimum deberi his judicandum eſt, qui teneram ætatem formant. Mitto autem tibi indicem dierum aliquot, quem augeri F tuâ diligentiâ volo. Excitandæ juventutis cauſâ hæc obſervo, & cogitatio veterum rerum me de multis rebus admonet. De meo periculo ſcito me rem totam Deo æterno Patri Domini noſtri *Jeſu Chriſti* commendare, nec cedam invitus ex hoc ergaſtulo, ſi ita res feret. Hoc ſilentium quod nunc eſt, intelligo quò ſpectet: illud etiam ſcribenti venit in mentem, heri mihi narratum eſt, *Theobaldum Billicanum* pulſum eſſe totâ *Palatini* di- G tione, propter negotia quædam aulica. Fuit meus συμφοιτητὴς & ingenio & eloquentiâ me longè ſuperat. Sed malo exulare in ea cauſa, quæ in me confertur, quàm propter talia negotia, qualibus ille implicitus fuit. *Ferdinandus* Rex cum toto agmine ingrediens *Viennam*, ingenti examine locuſtarum, velut A imbre obrutus narratur. Benè vale. XII. Calend. Octob. M. D. XLIV.

Ex ſacris Hiſtoriis.

Menſe Martio die 1. diminutæ aquæ diluvii.

Menſe ſecundo die 17. ingreſſus *Noha* in arcam.

Menſe ſecundo die 27. egreſſus *Noha* ex arca.

B Ergo totus annus in arca completus eſt, quia accedunt ἐπακταί.

Menſe ſeptimo die 27. quievit arca.

Martii 14. eſus agni, & paſſio *Chriſti*: Sed Paſſionis dies certus eſt octavus ante Cal. Aprilis, id eſt, 25. Martii.

Reſurrectio 28. Martii.

Dies 25. Martii dicitur & dies Creationis *Adæ*.

Die 25. Novembris, qui nunc eſt *Catharina*, C fuerunt Encænia *Jeroſolymis*.

Die 13. Februarii Victus *Nicanor*.

Die 8. Septembris deletum templum à *Tito*, qui dies nunc eſt Natalis B. *Mariæ*.

Græca & Romana.

Aprilis die 24. captum *Ilium*, & *Alexander* vicit ad *Granicum*.

Maii Cal. 12. Natalis *Romæ* die 20. April.

D Anno 1453. die 28. Maii capta *Conſtantinopolis*.

Junii die 5. Duæ victoriæ partæ, *Leuctrica* & *Geræſtana*.

Julii die 27. Victus *Nicias*.

18. Julii, dies *Alienſis*.

Julio vicit ad *Cheroneam Philippus*.

Δευτέρᾳ φθίνοντος mortuus *Alexander*, 28. Junii aut Julii.

Auguſti die 6. Parta victoria *Marathonia*.

E Auguſti 3. Victi *Perſæ* ad *Plateas* & *Mycalen*.

Auguſti 25. Vicit *Alexander* ad *Arbela*.

Auguſti 20. Victoria ad *Salaminam* parta.

Die 16. Octobris Mortuus *Demoſthenes*, qui dies nunc eſt dicatus S. *Gallo*.

Anno 1444. Prid. *Martini* Clades *Varnenſis*.

Ioachimo Camerario S. D.

ET tuâ cauſâ hoſpitem *Francum* excepi li- Ep. 343.
F benter, & audivi, quànquam occupatus, ut vidit ipſe, ac animadverti hominem integrum eſſe ac σωφρονικὰς virtutes, et ſi ſpretas, tamen pluris facio, quàm totam ſapientiam *Cardani*, quæ nunc edita eſt, cujus lectione cum quidem antea defatigatus eſſem noſtri ergaſtuli operis, inſuper etiam delaſſatus ſum. Sed quamvis laudat *Platonica* diſputatio σκιαγραφίαν ἀρετῆς virtuti circumdantes, καὶ ἐλκοντας ἐξ ὄντων τῶν ἀλόντων ἀγχίνοιαν tamen hos nec amo nec pro- G bo. Et ex hoc meo ſenſu mihi multum oritur moleſtiarum. Uxor mea jam triduo conflictatur atrociſſimis doloribus calculi, & fruſtra medicationes experimur, quæ ſi non convaleſcet, iter ad te meum impediet. *Epigrammata* velim mihi mittas. Bene vale. Die II. Octobris. Anno M. D. XLIV. Jam Senatus *Ambergenſes* hinc acceſſit Concionatores.

Ioachimo

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 644. MAgnopere delectatus ſum benevolentiâ & humaniſſimis ſermonibus auditoris tui, *Pachers*, quem antea judicavi a natura ad ſuavitatem & hanc μεγαλόφρονα jure laudatum in ea philoſophia, quam ego quidem cæteris ſectis antefero, factum eſſe, nunc video etiam *Italorum* doctrinâ excultum eſſe. Faveo igitur ejus virtuti, & opto ut Deus curriculum vitæ ipſius regat. Hoſpiti *Franco* tribuam quantum officii potero, etſi quidem mea miſera conjunx atrociſſimis cruciatibus conflictatur à calculo ortis. Viciſſim complectere hominem *Francum Neapolitanæ* Eccleſiæ διάκονον, a me commendatum. *Baldaſaro* Aſtrologo qui apud vos diſcit nunc medendi artem, dedi literas & pagellam, in qua eſt dierum κατάλογος, quam non accepiſſe te arbitror, cum ſcribas te ſilentium meum mirari. De cæteris coram ut ſpero colloquemur: omne meum ſtudium fuit annos decem ut ille tumultus horribilis περὶ τούτων ἃ μὴ κινεῖσθαι ἄμεινον ἦν, leniſſimis conſiliis ſedaretur. *Sed vincimur beneficiis*, inquit ille, *ferimúrque procellâ.* Etſi gravem cauſam mei conſilii habui. Liber Locorum Theologicorum, ante veſtras nundinas edetur, vellem igitur mihi Epigramma *Græcum* octo aut decem verſuum mitti, ſine mea laudatione, ſed continens adhortationem καὶ παραίνεσιν communem ad diſcendam doctrinam *Chriſti*, & vituperans [illegible], qui contemnunt hæc ſtudia. Bene vale. Calend. Octobris. Anno M. D. XLIV.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 645. HUnc faſciculum accipies à viro honeſto & bene merito de Eccleſia, *Joanne Textorio* Paſtore Eccleſiæ *Neapoli*, ſita in *Tyrigetis* ad flumen *Aurelium*, qui ut aditum ad te haberet, epiſtolam à me flagitavit. Magno nobis uſui & fuit & eſt in tota διοικήσει ad *Salam*, & eſt homo γνήσιον [illegible], verè candidus & integer, fuitque *Lipſiæ* συμφοιτητὴς tuus, & hic unà fuiſtis. Quare ut eum complectare, rogo. Mitto tibi epiſtolam *Hungaricam*, in qua & hiſtorias quaſdam recentes *Hungarorum* leges, & videbis noſtram familiaritatem aliis bonis hominibus etiam jucundam eſſe. λόγος πανηγυρικὸς [illegible], in proxima epiſtola, [illegible]. Meus frater mihi graviſſimè reſcripſit, ut faciam quod Duces exercituum in periculis faciunt, ut me ſine dimicatione recipiam in loca tutiora, quæ de te cogitandum mihi video. Bene & feliciter vale, Die divi *Hieronymi*, quo hic fuerunt ante annos XXIII. *Capito & Aurbacchus*. M. D. XLIV.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 646. ETſi prudentiâ excellis, & diligentiam tibi non deeſſe ſcio; tamen monendum te duxi, ut cogites, an tutum ſit hoc tempore excurrere in *Francos*, cum paſſim vagentur equites irritati expeditione civitatum. Nam etſi ad te res non pertinet, tamen illud meminiſti: Lupos non curare numerum. Et quanquam amas Equites, tamen fateare neceſſe eſt, plures eſſe Luporum ſimiles, quàm illorum Heroum, à quibus orti ſunt. Malim igitur te hoc tempore domi manere. Me quidem expectabis, nam cum uxor mea calculum ediderit, decrevi iſtuc proficiſci hoc biduo. Etſi enim quantum mederi illis malis quibus nunc conflictor, noſtri ſermones poſſint, ignoro, tamen conſpectus amici aliquam affert levationem. Arbitror iſtic jam circumferri τὸν [illegible] λόγον, cujus lectio etiam ſolicitudines tuas augebit. Sed hæc coram. Bene vale. V. Octob. M. D. XLIV.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

FAcundus comes in via, pro vehiculo eſt. Adjungito igitur tibi *Sadoletum*, [illegible]nit iſtuc tardiùs, cum *Franciscum* iter ſuſcipie[illegible] Nam ejus dulciſſimis ſermonibus lenietur itineris moleſtia cum per *Turingicum* ſaltum, & *Nariſcos* tuos eundum erit. Mihi jam regustanti placuit conſilium operis, & antiquitatis imitatio. Ac de utraque re, vel potiùs de toto opere tuum judicium ad nos perſcribes. *Caſparem* hoc tempore hinc expatiari moleſtè ferebam, cum inſtat ἀρχαιρεσία, in qua ejus χειροτονία me nova ſolicitudine liberare poterat. Quæſo ſi hanc epiſtolam accipies ante iter tuum, ut ſcribas nobis priuſquam expatiaris. Bene vale. Anno M. D. XLIIII. Ep. 647.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

MIſi tibi epiſtolam ad *Matthæum* Præfectum *Coburgenſem*, ſimplici ſtudio, & verè ſcriptam, ſed minùs luculentam, ac multò tenuiorem, quàm mittere cupiebam. Eodem enim tempore nobis [illegible] ζήτημα propoſitum erat: ſignificabis igitur an acceperis. Quæ narrat veſter præfectus, ex ſermone cum *Macedone* habito *Spiræ*, fortaſſe ſciemus ἀκριβέστερον. Quanquam autem arma ſemper metui, tamen ſæpe recitavi illud *Periclis* inter amicos, méque ſic affectum eſſe oſtendi, ſcis enim hæc eſſe verba *Periclis* in fine primi libri *Thucydidis*, μᾶλλον πεφόβημαι τὰς οἰκείας ἡμῶν ἁμαρτίας, ἢ τὰς τῶν ἐναντίων διανοίας. Sed, quidquid erit, teneamus eas conſolationes, quæ divinitùs nobis propoſitæ ſunt. Faciamus moderatè officium noſtrum, & exitus Deo commendemus, qui certè ſervabit in eo cœtu eccleſiam, in quo ſonat vox Evangelii, ut dicit Filius Dei, ἐάν τις ἀγαπᾷ με, τὸν λόγον μου τηρήσει, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα. Ad has ſententias accommodo, quantum poſſum, & conſilia mea, & actiones, & ex his fontibus conſolationes peto, quod te quoque facere ſcio. Mitto tibi pagellas quas petiiſti, ſed mendoſè editas. Bene & feliciter vale cum honeſtiſſima conjuge & dulciſſimis liberis. Anno M. D. XLIIII. Ep. 648.

Nobilitate generis virtutéque præſtanti Domino Matthæo à Vallerod viro clariſſimo præfecto Coburgenſi ſuo patrono S.

CLariſſime vir, nobilitate generis & virtute præſtans; ſcio tibi nota eſſe omnia, quæ de cauſis ac legibus colendarum & tuendarum amicitiarum divinitùs tradita ſunt, videlicet propter virtutis honorem, & propter communem conſociationem, in Republica, bonos & benemeritos complectendos & defendendos eſſe. Nec dubito quin his graviſſimis cauſis movearè, cur *Joachimum Camerarium* & verè ames, & omni genere officii juvandum Ep. 649.

eſſe cenſeas. Vides enim quàm multis egregiis virtutibus præditus ſit. Ac verè, de *Hierone* dixit *Pindarus*, δρέπων αὐτὸν κορυφὰς ἀρετῶν, ἀπὸ πασῶν id eſt, *decerpere faſtigia, & id quod eſt in unaquâque virtute pulcherrimum tenere*. Nec hodie alius de literis melius meretur. Etſi igitur ſcio, te tuo judicio ſuique voluntate omnia tua officia ei delaturum eſſe; Tamen te oro, ut hâc in re & Rempublicam ipſam intueare, & propter eam amanter excipias *Joachimum*, & adjunctis aliquot equitibus *Uvirceburgum* comiteris. Scis unde ſit ei periculum & quantum & quàm injuſtum. Ideo de hoc amici, viri optim[illegible]ere valdè ſum ſolicitus. Ac primùm oro Deum [illegible]ternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, ut eum ſervet: Deinde principes viros, ſi poſſem, ad eum tuendum hortari cuperem. Bene & feliciter vale. Anno M. D. XL IV.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 650. NOn dubito te de *Valerii Cordi* interitu cogitantem, & de virtute adoleſcentis, & de matre, & de amicitia quæ tibi cum patre fuit, valde conſternatum eſſe. Me verò quo dicam exerceri fato hoc anno, quo tot accepi vulnera, ut ſæpe gemens illud *Homericum* cogitem,

ὡς μοὶ δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ αἰεί.

Sed commonefieri me divinitùs agnoſco, ac Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum* oro, ut & mihi & aliis ipſum invocantibus ærumnas mitiget. Qui cum dixerit, οὐχ ἁρπάσει τις πρόβατά μου ἐκ τῆς χειρός μου, non ſinet nos deleri à furentibus & graſſantibus ſpiritibus homicidis, Dei hoſtibus. Toto hoc anno quoties aliquid obſcuri de plantis aut animantibus legi, venit in mentem *Cordi*, quem reverſum aliquando ſciſcitaturum me ſolebam dicere. Nunc illæ ſpes extinctæ ſunt, & res literaria magno detrimento affecta eſt. Sed querelas omittamus, ac de precibus potiùs, & noſtris laboribus, ſi quid adhuc boni fieri poteſt, cogitemus. De *Paumgartnero* ad *Macedonem* ſcribo, tibíque epiſtolam mittam, ut inter ſubſcriptores, & tuum nomen aſcribas. Scire cupio an literas meas acceperis. Revocavi enim hominem ad nos. Sed te nihil ſignificare de iis literis miror. Scribes igitur quàm primùm, ut ſi non ſunt redditæ quas miſeram, ſcribam rurſus. Nolim enim vel obſcuriſſimos de illo negotio ſuſurros excitari. Me nunc exercet ſcriptum Synodicon, in quo de Principum voluntatibus cogitanti, ſæpe venit in mentem laudatio M. *Antonii*, quæ ex *Dione* recitatur: ὅμοιος διὰ πάντων ἐγένετο, καὶ ἐν οὐδενὶ ἐλλιπής, ἀγαθὸς δὲ ἦν καὶ οὐδὲν τεχνῶν φαῦλον ἔσχεν. πολλὰ δὲ ὑπὸ παιδείας ὠφελήθη. Quid nunc ſimile habent ex noſtris Heroibus complures, Pontifex *Romanus* ad *Carolum* Imperatorem expoſtulationem ſcripſit acerbam & maledicam, cujus exemplum *Venetiis* ad nos miſſum eſt. Deſcribi vobis quoque curabo. Mitto tibi & nunc libellum *Venetiis* miſſum, non inſuavem. Sed *Græca* mallem legere. Bene vale & reſcribe. Idibus Decembris. Anno M. D. XL IV.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 651. FEſtivitas narrationis tuæ & de bello, & de *Lycaonis* tranſactionibus, magnæ nobis voluptati fuit. Exhibui enim legendam amicis. Etſi autem hilaritate tuâ delector, & jocis ſalſis gravibúſque etiam triſti tempore locum eſſe ſcio: tamen non ſine gemitu utranque epiſtolæ partem legi. Quis enim non doleat ſummos Monarchas *Chriſtiani* nominis inter ſe ita ludere, cum *Turci* alibi immanem ſævitiam, pene in conſpectu noſtro exerceant. In *Alba* regia, poſt deditionem tria millia hominum trucidata ſunt, & cadaverum acervus altior fuit mœnibus urbis. Et nunc paſſim in receptis oppidis honeſti homines jugulantur. Recens enim accepi literas. Video autem patriæ, Eccleſiarum, Artium, Diſciplinæ defenſionem non modò illis fatalibus Regum noſtrorum tumultibus, ſed etiam cauſſæ *Lycaonicæ* diſputationibus impediri, in qua verè περὶ ὄνου σκιᾶς litigatur. Nec minus ſuccenſeo his, qui in Curia ſophiſticam exercent, quàm illis ineptis bellatoribus, qui tam futiles tumultus movent. *Odi argutum everum ſine virtute tanquam præficam*, inquit *Plautus*. In epiſtola tua planè divinâſti, talis erit diſputatio de cauſſa *Lycaonica*, qualem deſcribis. Sed viderimus, nè hæ nugaces rixæ magnum incendium excitent. Verùm hæc jam omitto. Omninò decrevi in nundinis ad vos expatiari. Si verò antea evocabor, tamen iter per *Lipſiam* faciam. *Sabino* pollicitus ſum, te ad Ducem *Albertum* de ipſo ſcripturum eſſe. Velim autem literas eaſdem gemino exemplo ſcribi, quorum alterum demus noſtris tabellariis, alterum ipſi *Sabino*, decrevit enim proficiſci in *Pruſſiam*. Opinor commodiſſimè ambos nos iſtic in nundinis ſcripturos eſſe. Nam cum erimus collocuti, magis congruent literæ. Etſi meam commendationem verecundiorem tuâ eſſe decebit. *Xenophontem* tuum legi, ac laudatione magnopere delector. Mallem autem te τὰ ἑλληνικὰ vertere, quàm hæc minuta. Nam *Percamerica* qualia ſint, non ignoras. Et verè dicis, nullam eſſe hiſtoriam ſuaviùs ſcriptam. Mihi verò etiam rerum magnitudo valde dignâ cognitione videtur. Bene vale, die tertio poſt brumam. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

PRimùm opto ex animo, ut hic veniens annus Ecclefiis Dei, & earum hoſpitiis, & tibi & tuæ domeſticæ Eccleſiæ ſit fauſtus & felix. Tuam ſolicitudinem de præfationibus à te ſcriptis in Grammaticam & verè puerilem libellum, miratus ſum, cum ſcias me non moroſè, præſertim de amicorum officiis, judicare, nec amare φιλονεικίας, quales hoc tempore ſunt infinitæ multorum, qui undique captant rixarum occaſiones. Sed hæc coram, nam ſi perſequi hoc argumentum velim, longior epiſtola futura eſſet, quàm *Iſocratis* λόγος *Areopagiticus*, qui & ipſe tales civium furores accuſat, & ὁμόνοιαν flagitat. Ad mercatum me venire neceſſe eſt διὰ ἐγγύησιν ταύτην, quâ ante biennium oneratus ſum, cum quidem nec ignorarem *Delphicum* præceptum, nec dubitarem mihi ſolvendum eſſe. Sed in eâ re etiam ſervio publicæ tranquillitati, ut feci ſæpe. Mitto tibi expoſtulationem ſcriptam ad *Carolum* Imperatorem, quam legetis tu & præfectus cum voluptate, etiamſi declamationem aliqui eſſe exiſtimant. Te verò arbitror libentiùs lecturum eſſe *Franciſci Hiſpani* noſtri hoſpitis epiſtolam ſcriptam ex carcere *Belgico*, placebit enim animi magnitudo, ac Filium Dei oro, ut eum & nos regat & confirmet, Ep. 652.

Melchio-

Melchiorem, doleo ex hac Academia migrare, quem proximè cum à vobis rediit, novum periculum excepit ἐγγίζοντας αὐτῷ ὁ ἄρχων τοῦ κατηγορίας δίκην εἰσάγων. *Medmannus Lipſiæ* nondum fuit, ſed ad vos brevi venturus eſt, habet enim mandata ad Ducem *Mauricium*. Nunc apud *Marchionem* eſt, à quo miror eum tam diu detineri. Scripſit ad me *Erardus Shnepfius*, ut tibi ſim hortator redeundi *Tubingam*, mitterem tibi ejus epiſtolam de Principis voluntate, & de ſe honorificè ſcriptam, ſed hodie *Luthero* dedi. Alteram mitto *Fuchſianam*, ad quam, ſi voles, legere meam reſponſionem poteris, ideo enim miſi nondum obſignatam. Gener meus huc miſit ſignum Academiæ, quod tibi mitti juſſit, quem arbitratur magis delectari talibus monumentis, quàm me. Vellem eſſe ſymbolum magis conveniens literis & Muſis. Sed illa Arctoa ora ſemper fuit horridior, & Mavortia. Bene & feliciter vale, die Natali Filii Dei. Anno à *Chriſto* nato, M. D. X L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 653. NOn ſolùm propter ſponſionem, qua de ſcripſi, ſed etiam propter valetudinem expatiaturus eram, ſentio enim in hac aſſiduitate, laborum, contentionibus, & crebris indignationibus, & abſumi me & ſomnum impediri. Sed cum jam aurigam conduxiſſemus, ecce aulica Imperia: Liber affertur amici noſtri *Buceri* miſſus ad aulam, propter quem retineor. De doctrina pauca diſſerit. Sed politiam Eccleſiaſticam præclarè pingit: ut *Spartam* ad *Lycurgi* leges revocat poſtremus *Agis*; ita iſte Epiſcopos ad veterum Canonum ſeveritatem retrahendos cenſet. Deus det Conventui iſti placidum exitum. παράδοξαι profectò & hominem ſeu opiniones ſeu divinationes terribiles ſunt. Sed coram malim de his rebus tecum loqui. Et fortaſsis valetudo coget, me expatiari. Nunc te de *Eraſmo* noſtro συμφιλοσόφῳ oro. Leges in his literis quas addidi, promitti ei à Duce *Pruſſiæ* pecuniam. Cures igitur per idoneos homines explorari hanc rem apud *Prutenos*, an mandata de pecunia alicui data ſint, & ſi quis numeraturus eſt, tibi numeret, ac data ἐνέχυρα nobis tranſmittito. Quæſo diligenter agas hanc rem. Nam *Eraſmo* curæ eſt. Si quid etiam literarum iſtuc perlatum eſt ex *Pruſſia*, quod ad me pertineat, dabis *Paulo* noſtro, qui hanc tibi epiſtolam exhibebit. Ubi quærendi ſint Mercatores *Prutenici*, monſtrabit inſcriptio Epiſtolæ *Fabiani*, quam in hoc faſciculo invenies. Mitto & *Stibari* epiſtolam, quæ addita fuit volumini Comitis *Erpachii*, avunculi tui hoſpitis, quod ſanè honeſtè ſcriptum eſt. A te expecto epiſtolam longiuſculam, in qua aſperges, ſi quid habebis, de conventu. Noſter *Franciſcus* ſignificat, Navium arbitrari, *Carolum* nunc in Conventu nihil acturum eſſe de controverſiis Eccleſiaſticis, propterea quòd *Rom.* Pontifex ſeveriſsimè prohibuerit has dogmatum conciliationes. Nec mentio facta eſt dogmatum in primo congreſſu Conventûs, in quo materiæ deliberandæ proponuntur. Sed aliquanto poſt audiemus certiora. Noſtrum curriculum fortaſſè confectum eſt. Expoſui præcipua dogmata, ita ut ſperem prodeſſe meam operam bonis mentibus. Optarim autem politias eſſe tranquillas, ſed ſi moverint alii, fati vis ferenda eſt, & orandus Deus, ut reliquias ſtudiorum ſervet: ego libenter ex hac vita in ſcholam candidiorem & tranquilliorem diſcedam. Bene vale, & reſcribe, die quarto Januarii, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

MUlta ſunt non obſcura ſigna, quæ oſtendunt ſpiritum hoſtem *Chriſti*, diſciplinæ & piorum ſtudiorum, inſidiari atrociter his noſtris qualibuſcunque cœtibus, qui etiamſi multum habent ἀναστασίας, tamen ſunt doctrinæ cuſtodes, quo munere nullum in terris majus eſt. Hinc puto & pugnas adoleſcentum, & gubernatorum rixas oriri. Sed nos, ut *Joſua*, clamemus ad Deum, ut ſervet agmina ſua, illam ipſam vocem proponentes: *Deus quid nomini tuo facies?* Propter gloriam tuam ſerva & rege noſtros cœtus. Et promiſit nobis auxilium, ut ſcis, ſic enim ait: *Poſui in ore tuo verbum meum, & umbrâ manûs meæ protegam te, ut plantes cœlos.* Servabit igitur aliquas palæſtras piorum ſtudiorum. Hanc conſolationem cum mihi ſæpe proponam, nunc in hoc tuo dolore ſcribendum ad te eſſe duxi, ac jam ad te excurrerem, niſi me aula retineret, cui jam miſimus noſtram deliberationem de Eccleſiis, leniorem opinor, quàm ut eam noſter *Ariſtarchus* probaturus ſit. *Luthero* probabatur, multò etiam apertiùs Paſtori Eccleſiæ noſtræ. Gratiam tibi habeo, quod ad nos expatiatus es, ſed mallem te diutiùs manſiſſe. Literas *Macedonis* de *Paumgartnero* honeſtè ſcriptas accepimus, quarum tibi exemplum mitto. Nam & tibi inſcriptæ ſunt. Vocat etiam nos *Tubingam* dux *Uuirtenbergenſis*, cujus epiſtolam coram tibi oſtendam. De Synodo *Tridentina* vidiſſe te Pontificis *Romani* κήρυγμα opinor. Bene & feliciter vale. X V. Cal. Febr. M. D. X L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S.D.

Ep 655. FAuſtiſſimo die, quo memoria *Converſionis Pauli* Apoſtoli celebratur, hanc ad te epiſtolam ſcripſi, quo multa de inſtaurationibus Eccleſiæ & de literis cogitans, & gratias agebam Deo, quòd toties doctrinæ lucem rurſus accendit, & gaudebam etiamnum reliquos eſſe docentium & diſcentium cœtus, exiguos quidem & palantès, ſed tamen aliquos, qui tueri doctrinæ poſſeſſionem ſtudent, qua in re egregiam operam tu quoque navas, qui & operas ſcholaſticas facis, & pulcherrimis monumentis non ſolùm ſtudia aliorum excitas, ſed etiam Eccleſiam Dei ornas. Veriùs enim ornamentum eſt Eccleſiæ Dei carmen tuum, quod jam nobis miſiſti, quàm illæ magnæ templorum moles, quas in ripa *Rheni* & in *Francia* tua ingentibus ſumtibus extructas ſæpe vidiſti. Etſi autem decebat Principum liberalitate excitari nunc & juvari hæc ſtudia; tamen quia id non fit, memineris hanc vocem, ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἔστι κενὸς ἐν κυρίῳ. Mihi cum viveret *Spalatinus*, præter eum nemo gratias agebat vel pro libellis miſſis, vel navatâ operâ. Ita nec tibi multos arbitror oſtendere gratitudinis ſignificationem. Ego tamen & Eccleſiæ & meo nomine tibi gratias ago, & quòd ſcripſiſti has graviſſimas conciones, & quòd exempla nobis miſiſti. Et propter hæc munera Eccleſia Dei δέξεταί σε εἰς τὰς αἰω-

νίκας σκληρᾶς, ut ſcriptum eſſe meminiſti. Valde autem te oro, ut Typographo dicas, ut hunc puerum cum exemplis quadringentis aut quingentis mittat, quæ vendi ſtatim poſſe arbitror. Significabo enim me mox interpretaturum eſſe, & ero hortator ſcholaſticis ut emant. *Mauricio* etiam, qui nunc abeſt, mandabo ut emat acervum *Francofordium* afferendum. Gratiam vobis habeo, quod me amanter vocâſtis ad renunciationem teſtimonii publici de aliquot veſtris auditoribus, qui nunc ſcholaſtico honore ornantur. Valde delector illis eruditorum congreſſibus & ipſis ſcholarum ritibus, etſi deſpectis à *Centauris* & *Midis*, & tuo conſpectu ac ſermonibus tuis nihil eſt mihi dulcius. ἀλλ' ἐν χρόνῳ δούλοις. *Pindarus* ait tandem à *Jove Titanas* pœnis liberatos eſſe: Mihi autem creſcunt labores, ut nihil dicam δύσφημον. Retineor tutelæ negotiis & expectatione judicii κακηγορίας ἢ πρεσβείας τῆς μαλχιδέων. *Cygneam* proficiſci cupio, amo enim conſulem, & propter ſummum ipſius candorem, & quia de ſchola literaria optimè meretur, & propter philoſophiam in odio eſt. Niſi igitur aulicis compedibus retinebor, expatiabor. Te optabam unà ire, quod utrique veſtram familiaritatem ſtatuebam voluptati fore. Sed nihil oneris tibi imponam recuſanti. Bene vale, die *Converſionis Pauli* Apoſtoli. Anno M. D. X L V. Salutem opto Eccleſiæ domeſticæ univerſæ. *Francus* tuus ſcholæ *Mansfeldianæ* præficitur, ſed *Francum* alium habeo facundum hominem, idoneum ad Eccleſiaſticum munus.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep.656. SPem mihi Diaconus Eccleſiæ *Jeſſea Francus* fecerat, ſe Comitis *Vuerthemii* Eccleſiis ſerviturum eſſe, ſed ait ſe negotium ad conjugis conſilium relaturum eſſe. Hæc autem nata in hac vicinia abhorret à longinqua profectione. Poſtea hunc *Turingum* Magiſtrum *Adamum* hortatus ſum, ut vobis operam ſuam promitteret. Nunc igitur ad vos proficiſcitur, ut audiat, quem in locum, ad quod munus, quâ conditione vocetur. Habet & ipſe familiam, duxit enim uxorem in oppido noſtro, *Scotti* filiam, modeſtam, juvenculam, & modeſtis parentibus natam. Eſt autem eruditior illo *Franco* diacono Eccleſiæ *Jeſſea*, etſi fortaſſis animo imbecilliore eſt. Sed arbitror utile eſſe ferocibus ingeniis *Francorum* præfici gubernatores placidos καὶ φιλοψύχους. Sed permittimus vobis & ego & *Adamus* ipſe, ut de tota re ſtatuatis veſtro arbitrio. *Amantius* adeſt, quem malè exercet συκοφάντης τις in *Pomerania*; quare ad te veniet tecum deliberaturus. Ego ei hortator ſum ne litiget, ſed veſpere jam cœlum intuens *Aſtream* terrâ pulſam cogitet inter ſidera tranſlatam eſſe. Afferent autem & ipſe & *Ketzlerus* epiſtolas à me uberiores, & Elegiam *Antonii Eparchi Corcyrei*, qui ante biennium ad nos *Græcam* Epiſtolam miſit. Bene & feliciter vale, die meo Natali. Anno M. D. X L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep.657. ETſi ſcio te *Herodoti* & *Xenophontis* ſuavitate imbutum, non appetere lectionem ſcriptorum horridorum, tamen miſi *Polonici* regni hiſtoriam, res continentem multas præſertim recentiores cognitione dignas. Regnum mihi non infelix fuiſſe videtur, & defenſioni *Europæ* adverſus illam barbariem Arctoam utiliter ſerviit, & ut initio *Othonis* III. conſilio & autoritate conſtitutum eſt, ita nunc fatali periodo horum regnorum vicinorum fortaſſis exactâ, videtur in periculi ſocietatem cum *Pannonia* & *Germania* venturum, ſed oremus Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, ut Eccleſias ſuas, & literarum hoſpitia ſervet. Vellem ſcriptores illos aliquid de *Henetæ* gentis antiquitate dicere potuiſſe, cujus partem eſſe *Polonos*, nihil dubium eſt. Sed hæc aliquando coram. *Amantius* properare ſe dicebat ad neſcio quod judicium. Ideo cum præter ſpem à *Stigelio* diutius retentus eſſet, ad te non profectus eſt. Et cum audiſſet meum conſilium αὐτὸ τὸ μὴ μνησικακεῖν, arbitrabatur te idem ſenſurum eſſe. Calumnia naſcitur ei ex uno verbo, quod ille in *Germanico* ſcripto incautè poſuit, Videlicet Equitem, cujus egit *Amantius* cauſam, fuiſſe ſpoliatum bonis, ut *Germani* loquuntur. Hinc Sycophanta cepit διατείνιδας principem prædonem vocari. Hinc illæ Tragœdiæ ſunt: ſed hæc ab iis qui in foro verſantur acutè, cogitari judicantur. Epiſtolam tuam ad *Crucigerū* miratus ſum, non tam quòd tam prolixè excuſas cur non putes inſerendas veſtrorum diſputationes *Lutheri* operi, quàm quòd alia quædam aſperſiſti, quæ ſignificant te δυσχεραίνειν καινίζειν τινῶν ego æquiſſimo animo vel potius ἀνεκτέον fero inſolentiam καὶ ὕβριν multorum, & dum vivam moderatè faciam officium meum, & petam à Deo, ut ipſe gubernet exitus, & provehat labores noſtros, ſicut eccleſiæ promiſit, ἵνα πατρὶς φέρητε, καὶ ἡ πατρὶς ὑμῶν μένῃ. Bene vale, die Natali *Caroli* Imperat. Anno M. D. X L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

KEtzlerum comperi ſano ingenio præditum eſſe, & mores ſingulari diligentiâ & moderatione regere; quare & diligo eum, & ei fauſta omnia ex animo precor. Dedi diſcedenti hinc Elegiam *Antonii Eparchi*, qui ex illa vetere *Alcinoi* inſula *Venetias* migravit, exhibendum tibi *Sigiſmundo* verſus videbantur confragoſi & jejuni. Sed ego dolori & luctui autoris veniam do, tuorum tamen carminum lectione magis delector. Unus eſt vates *Jeremias*, qui his tantis miſeriis eccleſiæ congruentem ἰάλεμον cecinit, quem cogito intuens horrendas Imperiorum confuſiones, & hanc ſervitutem *Græciæ*, imò magnæ partis orbis terrarum. Narrant *Turcicum* tyrannum copias jam adduxiſſe *Adrianopolim*, & gregem eſſe quinquaginta millium hominum inermium, præter exercitum, qui voluptatibus tyranni obſcenis ſerviunt. Nos Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* oremus, ut aliqua ſervet eccleſiæ ſuæ & doctrinæ hoſpitia. *Vitus Vuinſhemius* magnopere te orat, ut huc venias ad *Swercebergium* adoleſcentem, honoris ipſius cauſa: VIII. Cal. Mart. cum ſcholaſtico ritu initiabitur. Aderit frequentia hominum eruditorum, téque verè & ἀκριβῶς diligentium. Bene vale. Anno M. D. X L V. Ep.658.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

VIrtus ſua quemque maximè prudentibus commendat. Quare cum hic *Leo Vratiſlavienſis*, auditor noſter, ut ex ejus carmine intelliges, literas Ep.659.

ras ad te flagitaret, addidi ſcriptum ipſius, ut ingenii ſpecimen videres. Mihi natura ad literas ac virtutem idonea, imò & generoſa videtur. Et exculta eſt doctrinâ. Quare ut eum complectare te oro, præſertim cum te magnopere veneretur ac ſuſpiciat, & tuæ benevolentiæ cupidiſſimum eſſe, verſus oſtendunt. Heri ab *Hedione* viro candidiſſimo hanc accepi brevem Epiſtolam, in qua etſi quædam ſunt, ut in his rumoribus multa ſparguntur ἀτεμάκιστα, miſi tamen. Nam alia σπουδαῖα coram agemus. Aliquid interea à te quoque literarum expecto. Bene & feliciter vale, cum honeſtiſſima conjuge & dulciſſimis liberis. Anno M. D. XLV.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 660. MAtthæo communi amico noſtro tuam conſuetudinem gratulor, καὶ ἀφορμὴν ὄντως ἀμείνω forenſis doctrinæ, quam profectò non negligendam cenſeo, nec velim è Republica tolli. Sed optarim plures ad eam afferre naturas amantes juſtitiæ & pacis. Sæpe enim magno cum dolore animadverti Principes, quorum reprimendæ erant φιλονεικίαι καὶ πλεονεξίαι, ejus artis ſophiſtica incendi. Sed quid de his ſolis querimur? Plus nocet vitæ hominum turpiſſima religionum ſophiſtica, de qua cogitans quotidie, mœſtitiâ contabeſco. Utinam autem tanto animi motu à Filio Dei horum ingentium malorum ἐπανόρθωσιν petere, poſſem, quanto in heſternæ lectionis hiſtoria mater *Cananea* filiæ δαιμονιζομένῃ opem ferri petit. Facio tamen vota aſſiduè, ac tecum haud dubiè, & meo loco ſtudui mediocriter repugnare ſophiſticæ. In ea deliberatione, quæ de Ducum *Saxonicorum* controverſiis *Macedoni* impoſita eſt, erit κεφάλαιον ἀεὶ διδασκαλίας ἐκκλησιῶν, εἰ συμφωνοῦσαν διδασκαλίαν πάντες οἱ συγγενεῖς ἄρχοντες ἐθελήσωσι φυλάττειν ἐς ἀεί. Deus gubernet hanc deliberationem. Mitto tibi pagellas, ut ſunt noſtræ, mœſtitiam autoris præ ſe ferentes. Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* ſervet te & honeſtiſſimam conjugem tuam, & tuos liberos dulciſſimos, & regat noſtra ſtudia. Anno M. D. XLV.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 661. NOn me tempeſtates retinuerunt, quo minus *Cygneam* profectus ſim. Nam has quidem præviderām, quia dies itineris incidebat in congreſſum Lunæ & Saturni & Jovis, in extremo menſis quadrante: Sed venit huc ex aula *Puniceus* propter deliberationes de captivo ſcholaſtico, & de *Melchiaro*, quem ſcito moleſtiâ liberatum eſſe quæ eum aliquandiu exercuit, & manſurum eſſe nobiſcum. Etſi autem multæ & magnæ occupationes me his diebus impedierunt, tamen *Scotto* diſputationis ſententias ſcribere cepi. Verùm hodie valetudine quoque impeditus non abſolvi, mittam igitur hâc ſeptimanâ, ac veniam peto, ſi fortaſſis, ut dicitur, poſt prælium mitto auxilia. Scio ingratam eſſe tardam gratiam. Sed tamen cauſæ me non futiles moverunt, quare putarim meas ſententiàs mittendas eſſe. De concionatore *Vuerthimenſium* Eccleſiarum ſcribam, cum aliquem ad vos mittam. Nunc enim cum intumuerunt flumina, nemo ſuſcipit iter, quod differri poteſt. De Republica nihil novi habeo. Portenta multa ſcribere poſſem, ſed non Phyſica. Verùm δύσφημα recitare nolo, ac Deum potiùs precor, ut ipſe hæc doctrinæ ſuæ hoſpitia regat & ſervet, & nos gubernet, qui quidem toties pollicetur, ſe non defuturum ſuæ Eccleſiæ, & ſuo opificio, ut in carmine tuo reddita eſt cœleſtis ſententia:

οὐχ αὐτὰς χαρίεντε ἐᾷ, εἰκῇ τε φέρεσθαι.

Hâc me conſolatione in multis & magnis difficultatibus ſuſtento. *Philippum* veterem amicum noſtrum, bonum virum, & literarum ac Eccleſiæ Dei amantem, quæſo ut amanter excipias, qui narrabit quàm avidè audiatur tuum poema. Bene vale. Primo die Veris, ut annotavit *Ovidius*. Anno M. D. XLV.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 662. AMpliùs ſexennio familiaritas mihi cum *Georgio Helto* fuit minimè βάναυσος. Sed multa mecum de Republica ſæpe locutus eſt, multa de doctrina ſciſcitatus, & de vera Dei invocatione; ac verè prædico me commonefactum ipſius eruditiſſimis ſermonibus, & plenis pietate, quædam poſtea accuratiùs tractâſſe. Cum igitur & integritatem ipſius, & prudentiam, & totum curriculum ſalutare & felix noverim, magnum mihi dolorem ejus interitus affert. Et quanquam meâ cauſâ privatim doleo, amico me tali orbatum eſſe, cujus fides præſidio mihi eſſe poterat, tamen Reipublicæ cauſâ magis crucior, de qua præſertim nunc in gubernatione Eccleſiarum *Myſiæ* præclarè mereri poterat. Nec dubito te iiſdem cauſis moveri, quibus ego moveor, & ſenſus doloris tui initio acrior eſt, propter educationis tuæ memoriam. Sed, mi *Joachime*, confugiamus ad eas conſolationes, quas Deus ipſe patefecit humano generi. Scis quanta ſit caligo in philoſophia *Socratica* de cauſis mortis, & ingentium calamitatum humanarum, & de remediis earum. Sed prodiit Deus ex æternis latebris ſuis, & ſuâ voce docuit, cur hæc fragilis natura tantis ærumnis ſubjecta ſit, & teſtatus eſt, ſe Eccleſiæ ſuæ affuturum & opitulaturum eſſe. Hac nos doctrinâ, quæ tibi nota eſt, ſuſtentemus, non ſolùm in hoc luctu, ſed etiam in cæteris miſeriis, quæ multæ & magnæ ſunt. Mihi mœſtitiam his diebus cum alia quædam auxerunt, tum verò inprimis commemoratio *Belgicæ* crudelitatis. Interfecti ſunt recens quidam *Arteſienſis*, concionator *Gallicæ* Eccleſiæ, quæ *Argentorati* exulat, vir doctus & non inquinatus labe fanaticâ ullâ, & *Aegidius Bruxellenſis*, & matrona nobilis *Daventrienſis* cum duabus filiabus pudicè & piè educatis. Et ſimiles hiſtoriæ aliæ recitantur, quarum cogitatione, utinam principes viri moverentur. Rediit noſter *Hiſpanus Franciſcus*, divinitùs liberatus, ſine ope ullius hominis, quem quidem ipſe nôrit, juſſi eum hiſtoriam ſcribere, quam tibi afferemus. Feramus igitur in tantis publicis Eccleſiæ miſeriis etiam noſtra onera, & agnoſcamus ac deploremus cauſas, & mitigationem petamus, ut ſæpe Prophetæ clamitant: *Recordare Deus, cum iraſceris, miſericordiæ tuæ, nec totam iram tuam accendas; ſerva Eccleſiæ reliquias, nec nos abjicias inter impios: Mitiga iram tuam.* *Milichius* ſcripſit de morbo *Georgii*. Sed veri fontes ſolicitudinum ipſius mihi noti ſunt, quos coram recitabo. Hæ paulatim cordis vires abſumſerunt, & quod fieri ſolet, totum σῶμα languefecerunt. Fa-

cio de mei pectoris arefactione conjecturam. Libellos à te miſſos accepi, pro qua editione tibi Reipublicæ nomine gratias ago. Heri literas à *Bucero* accepi, qui vidit editam *κατήχησιν Græcam*, nam miſi *Sturmio*, & nuper miſi hunc recentem libellum; valde tibi gratias agit quòd ad ornandam Eccleſiam ſtudium tuum confers. Epiſtolam ad *Irenæum* perlegi totam. Nihil mihi in hac vita majus tribui opto, quàm ibi mihi tribuis. Etſi autem debeo tibi plurimum pro hoc tam honorifico teſtimonio, ac ex animo tibi gratias ago, tamen cum me quaſi ad illam imaginem confero, videòque vix partem aliquam mei reſpondere, ſanè pudet me mei. Voluntas rectè faciendi non defuit mihi, duces; doctores, tempora defuerunt. Qualis fuerit opinionum confuſio meminiſti, quanta inſcitia, quantæ tenebræ in illis ipſis, qui ante triginta annos in gubernatione doctrinarum, tanquam ad gubernaculum ſedebant. Nunc oro Deum, ut hanc quantulamcunque tenuitatem doctrinæ quam monſtravit nobis, provehat, & faciat, ut noſtri labores ſint utiles Eccleſiæ. Mihi nec voluptates, nec potentiam, nec opes quæſivi. *Carolum* laudari a te placet, etſi aſperiorem fieri ſentio. Et hic conventus ejus voluntatem magis declarabit. Nam *Granvelus* jam venit *Uuormatiam*. Secuturum eſſe dominum, ubi curatio *Ebeni* ſeu *Guaiaci* fuerit abſoluta, prorſus exiſtimo. Verùm quicunque erunt exitus, nos neceſſaria ſcripſimus non petulanter movimus Rempublicam futilium quæſtionum agitatione, ut *Rhodii Minervam* quærentes, matulámne in templum ad Epulationem, quæ totum diem durabat, inferre liceret; poſtea rurſus interrogârunt, aureámne an teſtaceam inferre deberent. Utilia certè quæſivimus. Poſtremò, etſi me quoque reſponſurum eſſe ſignificas, tamen cauſa ita perorata eſt à te, ut ſim ineptus, ſi quid addam: Tamen ut vel tibi morem geram, aliquid componam, cum ab aulicis operis quæ me nunc detinent, liberatus fuero; Nam illam deliberationem de Eccleſiis exhibendam Imperatori, volunt Principes *Latinè* reddi. Scripſi & alia quæ ad *παρασκευὰς* conventus pertinent. De Synodo *Tridentina* neſcio an audieris differri initium ad Octobrem. Sic ludunt ſummi gubernatores mentione, indictione, prorogatione Synodi ἐντρυφῶντες τῷ ἀξιώματι ἱερατικῷ καὶ ἐναλλόμενοι χριστῷ, non ſecus ac illi ipſi in hiſtoria *Chriſti*, qui divinare eum jubebant, à quo percuſſus eſſet. A *Schetio* velim te *Franciſco Hiſpano* pecuniam petere, juxta has literas, & dare ἀποχὴν, ut vocant: dabis autem pecuniam huic nuncio afferendam, ac ſcribes numerum. Bene vale, XVI. Cal. April. Anno M. D. XLV.

Reverendiſsimo & Illuſtriſsimo Principi ac Domino, Domino Georgio Principi Anhaltino, &c. Domino ſuo clementiſsimo, S. D.

Ep 663. CUm hic nunciata eſſet mors viri optimi *Georgii Helti*, ſubitâ conſternatione penè exanimatus ſum, ac ſtatim poſtea comperi, publicum eſſe luctum, omnium honeſtorum noſtri ordinis hominum, quod nemo non dilexerit eum, propter eximiam virtutem. Meus verò dolor eo major eſt, quòd & amicitia inter nos fuit dulciſſima, & cum mihi familiariùs notus fuerit, magis intelligo, A quantum ejus interitu jacturam fecerit Reſpublica. Tuo etiam luctu moveor, qui illum & propter amorem, quo eum complexus es, & propter Rempublicam deſideras. Quoties jam in deliberationibus rerum magnarum ſedens, ac locum in quo reſpondere & conferre ſententiam ſolebat, eum requires? Etſi autem dolorem tuum adeo non reprehendo, ut probem etiam, & inſigne ſpecimen eſſe pietatis ducam, tamen præcepta eadem B quæ in cæteris magnis ærumnis nobis proponimus, hic cogitemus. Deſideria nos affici noſtrorum vult Deus, vult nos angi & dolere, nec illam torvitatem ſeu immanitatem potiùs, quæ nihil movetur aſperis rebus, ſeu propriis, ſeu amicorum, probat. Ac Filius Dei ſæpe expavit ipſe, lachrymavit, & acerbiſſimis doloribus conflictatus eſt. Sed ſimul præcipit Deus, ut cogitatione voluntatis ſuæ, & æternorum bonorum, quæ promiſit ſuis, quos ex hac vita evocat, mœſtitiam C moderemur, & paulatim animos erigamus, ac illis potiùs bona gratulemur, quàm noſtrâ jacturâ angamur. Non ſumus ii, qui homines ut pecudes naſci & extingui tantum, ſicut feruntur vices materiæ, nec reſtare nobis aliam civitatem meliorem arbitremur. Sed ut in Eccleſia vox Dei nos erudiit, ſcimus iis qui Evangelium amplexi ſunt, æterna præmia propoſita eſſe. Ardebat autem pectus *Georgii* amore Filii Dei Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, ita ut cætera in hac vita omnia duceret D longè inferiora, & Evangelii propagationem ſtudioſè adjuvabat, & ad hoc decus adjungebat omnes alias virtutes, quæ in membris *Chriſti* eſſe debent. Cùmque eſſet in dando conſilio non ſolùm prudens & fidelis, ſed etiam felix: non dubito ei Deum affuiſſe gubernatorem conſiliorum & actionum. Nunc igitur evocatus hinc ad conſuetudinem cœleſtium, fruitur dulciſſimis colloquiis Dei, *Chriſti*, Prophetarum, Apoſtolorum, imò & matris ſuæ, & agit gratias cœleſtibus pro E omnibus beneficiis, & non modò tuam vitam, ſed etiam univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac vita ingentibus periculis exercetur, ſalutem Deo commendat. Quare gratulemur ipſi hunc portum, in quo lætus acquieſcit, & deſiderium ejus leniamus recordatione virtutum ipſius, præſertim cum brevi eum rurſus complexuri ſimus. Quoties de eo cogitabimus, gratias agamus Deo, quòd Eccleſiæ tale ornamentum dedit, & ipſum celebremus, quòd Dei dona ſuâ diligentiâ bene collocavit, & morum F moderatione ornavit, & virtutes ejus imitemur. His ferè cogitationibus meum animum à luctu abduco: quas recenſui, quòd hoc tempore, etiamſi te eadem remedia & noſſe, & colligere ſcio: tamen hæc quaſi commonefactio non inutilis eſt. Si exempla etiam quærimus, *Davidi* ereptus eſt amicus *Jonathas*, & multò atrociùs ereptus eſt. Feramus igitur & nos, amicum à nobis aliquanto citiùs, quàm vellemus, abductum eſſe; præſertim cum placidè in complexu amiciſſimorum homi- G num, iter illud ingreſſus ſit. Et ut *David* a Deo petabat dari ſucceſſorem idoneum *Jonathæ* in Republica; ita nos petamus, ut Deus alium in *Georgii* ſtationem collocet, cujus & virtus & autoritas Eccleſiæ ſit ſalutaris. Nam hâc curâ, in hac paucitate bonorum gubernatorum, valde nos affici decet: & Filius Dei ſedens ad dextram æterni Patris, inter dona quæ dat hominibus, etiam pollicetur ſe daturum idoneos paſtores & doctores.

Hunc

A Hunc oro toto pectore, ut te ſervet incolumem, & accendat multorum pectora, ut feliciter ſerviant Eccleſiæ. Bene & feliciter vale, die I X. Mart. Ann M. D. X L V.

Celſitud. T. addictus

Philippus Melanch.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 664. B *Sigiſmundus Gelous* noſter, quod fauſtum & felix ſit, proficiſcitur in patriam, cujus diſceſſus geminum mihi dolorem affert: Nam & avelli à me συνεργάτην doleo, & ipſi in tam luctuoſo patriæ bello, non poſſum non metuere. Ad hæc renovat mihi iter ipſius, memoriam *Jazygis*, honeſtiſſimi & ingenioſiſſimi adoleſcentis, quem dimiſiſſe me ſæpe pœnituit. Nunc opto ut *Sigiſmundum* ſervet Filius Dei Dominus noſter *Jeſus Chriſtus*, quem invocat verâ pietate. De tua valetudine vellem à *Laterenſi* planiùs ſcriptum eſſe, ſed mandata *Sigiſmundo* C dedi, cum quo certè excurriſſem, niſi aulicis compedibus retinerer. Nuncius noſter & literas tuas graviſſimè ſcriptas, & pecuniam bonâ fide nobis exhibuit. Pro vino miſſo gratias tibi ago, *Sigiſmundus* in hac urbe. non aliud judicat eſſe λαφύριον. Cogitabo περὶ ἀμοιβῆς, De filii verò munuſculo quod interpellas, gratum mihi eſt. Nec alia res hactenus impediit, niſi πολυπραγμοσύναι aulicæ, quibus verè, ut verſus dicit,

—— οὐδὲν ἔτι κακώτερον ἄλλο.

D Scio valde deſiderari eum libellum in ſcholis, & mora Ideam ædificii penè delevit ex animo meo. Sed ſpero his feriis aliquid nobis ocii fore. Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, ſervet te incolumem & tuæ domeſticæ Eccleſiæ, & univerſæ Eccleſiæ: ſcriptum eſt enim, *Non mortui laudabunt te, Domine.* Et te illud canere opto: *Non moriar ſed vivam, & narrabo opera Domini*; quem verſiculum cum *Vuimaria* ægrotarem, vidi E ſcriptum in pariete, & omine delectatus ſum. De *Moguntini* morte nihil certi audivi. Sed quicquid eſt, pacem à Deo petamus his regionibus, nè ſinat Eccleſias fieri Μυσῶν λείαν. X. Calend. April. Anno M. D. X L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 665. TAndem igitur certum eſt veniſſe *Tridentum* duos legatos Pontificios, & *Caroli* Imperatoris legatum, qui oratione in conſeſſu F nondum frequente habitâ, oſtendit Imperatorem *Carolum* ſecuturum eſſe Synodi ſententiam, eámque defenſurum. Hujus orationem & Regis *Ferdinandi* legatus ſubſecutus eſt. Etſi initia aliquid magni pollicentur, tamen nondum puto quicquam ſeriò agere τοὺς ἀρχιερέας. Nec tamen animus meus prorſus curâ liber eſt. Verùm memini hanc vocem, nuper à te quoque mihi recitatam, Jacta curam tuam in Deum. Et ex tuis literis, & ex amicorum narratione G intelligo honeſtam & placidam fuiſſe cataſtrophen veſtrarum contentionum, in qua hoc mihi videtur non contemnendum eſſe, quòd Principis voluntas conſpicitur erga Academiam egregia. De *Daſio* optimo viro faciam accuratè quod petis, vellem eum *Bavaricam* illam conditionem à me ipſi delatam, non aſpernatum eſſe. Nam ille noſter *Aſcanius*, etſi eſt vir bonus, tamen amicorum cauſâ non pugnat. Meminiſti

A autem illud *Alcei*, ut fertur, ἀδμήτου λόγον, ὦ 'ταῖρε μαθὼν τοὺς ἀγαθοὺς φίλει. τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου, γνοὺς ὅτι δειλῶν ὀλίγα χάρις. *Petro* & literas tuas reddidi, & detuli *Egranæ* ſcholæ gubernationem, etſi optarim eſſe excitatiorem. *Bojemum*, de quo ſcribis. judico bonum & doctum virum eſſe, ſed ad diſputationes ſcholaſticas non arbitror aſſuefactum. Gravitas in eo eſt, gentis propria & penè triſtior. Cultros *Laterenſi* mittendos delegi, ut in eo ge- B nere, optimos. Sed mittam per alium nuncium. Nunc enim ſcribere non vacat. Ocii nobis, ut vides, nihil concedunt tempora. De *Fuchſio* valde probo conſilium veſtrum. οἶδα δὲ χαλεπὸν ὄντα τὸν ἀγαθὸν ἐν ἰατροῖς ὑμετέροις. Ejus metu timidiùs probo ſententiam eorum, qui *Fuchſium* acrem virum accerſunt. Sed tibi uterque notior eſt, quàm mihi. De literis *Fuchſii* affirmo bonâ fide, me nunc ab eo ex his nundinis nihil literarum accepiſſe, ac ſuſpicor illos de quibus ſcribit, interceptas eſſe ab C illo ipſo audaciſſimo homine, de quo locuti ſumus, cum iſtic eſſem. Bene vale, V I I I. Idus Maii, Anno M. D. X L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

HOrtator fui huic adoleſcenti nato non procul à mea patria, ut febris depellendæ cauſæ expatiaretur. Et animi oblectationem profuturam ei ad valetudinem judicabam; nec verò oblecta- D tionem majorem ullam ſcio, quam audire eruditorum ſermones. Juſſi igitur, ut Academiam veſtram videret, & te audiret. Facio quod ſolent vulgo ægroti, remedia quibus ſe quiſque juvari ſentit, putat aliis etiam profutura, quanquam diſſimiles ſint cauſæ morborum, & genera alia. Sed ſive ineptus ſum, ſive conſilium meum proderit, te rogo, ut *Sciuro* mandes, ut hoſpitium adoleſcenti alicubi monſtret. Conſpectu tuo & oratione excitatus convaleſcet. Utinam mihi, nunc E præſertim, liceret eodem uti remedio. Sed me fatalis aliqua ἀνάγκη, quam toties reprehendo, tanquam *Promethea* ad *Caucaſum* alligavit. Et tamen hunc ſolvit *Jupiter*. Heri reſpondi *Italis* de Theologica quæſtione, quam *Vitus* miſit proximâ hyeme. Multum eſt *Platonicarum* δοξῶν in *Italica* Theologia. Nec parvi negotii eſt traducere mentes ab illa κομψολογίᾳ ad res veras & ſimplicem explicationem. Sed hæc aliàs. Adoleſcens de quo ſcribo, orbatus utroque parente, nunc alitur à F *Gemminenſi* Equite, quem nôſti. Ingenio bono eſt & literis bene excultus. Bene vale. Cal. Junii. Anno M. D. X L V. Ep. 666.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

ΣΩΤΗΡΙΑ σὺν θεῷ Filio Dei Domino noſtro *Jeſu Chriſto*, & voce eccleſiæ tuæ domeſticæ, & noſtrâ confeſſione prædicante, non caſu nos vivere, ſed Deo tegente & ſervante, ac precandum, G ut te diu ſervet, & dulciſſimæ familiæ tuæ, & univerſæ Eccleſiæ. Etſi enim noſtra ætas penè jam confecit curriculum nobis datum, & hæc vita nobis quidem non magnas voluptates deinceps paritura videtur, tamen vivere aliquos doctrinæ propagatores, & quidem ſenes, utile eſt. De Synodo audio fugitivam illam retrahi, ac miſſum eſſe in *Germaniam Franciſcanum*, qui convocet ſenatum ἱερατικόν. Narrat in literis ὁ ἀρχιερεύς, non negligen- Ep. 667.

dam

dam occaſionem eſſe reſtituendæ communis concordiæ, poſtquam jam tandem congruant duorum Principum *Caroli* & *Gallici* Regis voluntates, & hi pariter oſtendant, ſe collaturos conſilia & vires ad Synodi defenſionem. Utinam quidem liceret videre Synodum οὐκ οὖσαν ἀγορὰν κερκώπων, ſed vel mediocriter ſanorum congreſſum & bene cupientium Eccleſiæ Dei. Si quid hac de re ſignificabunt vobis amici, quæſo ut nobis impertias. Mitto Epitaphium à *Stigelio* compoſitum, ita ut in tabulam æneam incidi poſſit. Volui omninò inſeri aliquorum diſcipulorum nomina, ut merita viri optimi magis conſpicerentur. Facta eſt igitur mentio tui, & *Aſcanii* Principis. Nec velim res mutari. A te paucos *Græcos* verſus factos, velim in eandem incidi tabulam. Vale. Mitto pagellam de hiſtoria horum dierum, quam dabis tuis hoſpitibus. *Grimmenſem* conventum proximum laudat *Pontanus*, ac in primis prædicat *Cumerſtadii* ſermones ἡρωικούς: dolere ſe ait, quòd non collocutus ſit tecum.

De conventu hæc audimus: *Carolum* Imperatorem certò venturum *Ratiſponam*, ac brevi iter ingreſſurum eſſe, & in eo itinere inſpecturum *Geldriam*. Poſt Conventum verò iturum in *Italiam*. De colloquio quid futurum ſit nondum ſcimus. Sed *Crucigerum* & me juſſit aula expectare mandata de itinere. Nam ſi *Carolus* Imperator adducet ſecum Theologos ſuos, & volet inſtitui diſputationem, nobis non licebit eam defugere. *Noribergenſis* ſenatus rogatus, ut *Hieronymum* & *Vitum* mittat, non vult quemadmodum audio, ſuos intereſſe his odioſis altercationibus. Venit a *Carolo* Imperatori miſſus ad *Macedonem* cum mandatis *Courleius*, quorum hæc ſumma fuit. Petit. Principem captivum non duriter tractari, nec duras ei conditiones proponi, nec aliis bellum inferri, qui illi videntur fuiſſe conjuncti, & ſe offert διαιτητὴν ἢ διαλλάκτην fore. Monachus audaciſſimus & impudentiſſimus, arrogans & inſolens invenis, auditor ἐξομολογήσεων *Caroli*, ſuaſor eſt, ut *Carolus* filio det filiam Regis *Gallici* uxorem. Anno M. D. X L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep.668. ETſi is quem tamdiu infeſtum habes ἐγκαταδύνοντα δρυός, illis ipſis rupibus in quibus natus eſt, durior eſt, tamen eum aliquanto poſt, non modò vis fati, ſed etiam Deus Judex franget. Tu interea, ut *David* ſapienter vitabat *Saulis* furores, caveas, nè ſorbere ſanguinem tuum poſſit. Et dulciſſimâ conſuetudine conjugis honeſtiſſimè ac liberorum, & ſuavitate doctrinæ lenias tuos dolores. Ac nunc quidem gratias ago Deo æterno Patri Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, quod te & in itinere texit, & reduxit incolumem, & ſervavit familiam; eúmque oro toto pectore, ut nos omnes regat, & has Eccleſias, in quibus cum ſint doctrinæ domicilia, ſe quoque commoraturum eſſe, confirmavit, tueatur. Decrevi ad te in feriis proximis excurrere. Nam operas aulicas, quas ante iter tuum inſtitueram, abſolvi. Scriptum curabo ut habeas; Nunc mitto Pſalmos aliquot à *Flaminio Latinis* verſibus molliuſculis redditos, quos ſi probabis, dabis Typographo. Exiſtimò te in hoc itinere intuentem neglectionem Eccleſiarum & doctrinæ, non minorem ex publicis malis dolorem, quàm ex privatis cepiſſe. Principes occupati privatis affectibus, mederi Eccleſiæ non ſtudent: nos oremus, ut confirmet Deus quod operatus eſt in nobis propter templum ſanctum ſuum. Sermonibus de colloquio Theologorum non valde moveor, quia nec quæritur veritas illis fucoſis actionibus, nec conſulitur paci. Bene & feliciter vale. Die Solſtitii. Anno M. D. XLV.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

ETſi te jam arbitrabar domo profectum eſſe ad ſcholas inſpiciendas, dedi tamen *Petro* epiſtolam, ut ſignificarem, deliberationem de *Gripſbaldenſi* munere adhuc integram eſſe. Si non abhorrebit à gentis victu & aëris natura, miſſuri eum ſumus eò, ac ſtipendium promittitur octoginta antei. De Republica & ſermonibus Viti clariſſimi præfecti urbis veſtræ, quæ ſcribis, legi magno cum dolore, etſi ſtudio tuo delector, déque tuis literis cum *Gephyræo* collocutus ſum, cui alioqui meum judicium de illis poſtulatis notum eſt. Facio idem quod facerem, ſi in ſæviſſima tempeſtate fractis remis & laceratis rudentibus, & antennis navigarem, hoc eſt, Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* oro, ut ſervet & gubernet nos. Nec velim navim noſtram ipſe perforare. Bene & feliciter vale. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto. Ep.669.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

IMo verò illam noſtram Gemmam, quam tu *Latinè* ſaxam vocas, ſatis felicem eſſe judico, ſed ipſum ſibi deeſſe nollem. Nunc ἄρομα eſt egregia, quâ ei honeſtè conſuli poſſit in loco vobis vicino, in oppido *Grimma* experitur ſcholę gubernator. Nullum eſt in hac tota *Myſiæ* ora, in quo malim vivere. Et loci ſalubritatem præcipuam eſſe pronunciavit olim *Piſtorius*. Eò igitur potiùs mittatur Gemma, quàm ad *Gryphas*, quò *Sciurum* omninò vult mitti noſter ποιμήν. Veniet igitur ad te literis noſtris ornatus, quamptimum mihi eam laudationem componere licebit. De Republica multa habemus, quæ malim coram narrare. Et ſpes mihi omnes à Filio Dei Domino noſtro *Jeſu Chriſto* pendent. *Friderico Staphylo* epiſtolam dedi, & ut familiaritas & amicitia inter vos alatur, & ut mihi aliquid à te literarum afferat. Bene & feliciter vale, die lætiſſimi congreſſûs *Mariæ* & *Elizabethæ*, ac primæ Synodi temporum Novi teſtamenti, longè anteferendæ conventui *Tridentino*. Anno M. D. XLV. Ep.670.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

INter decora oppidi *Grimmæ* hoc quoque narratur, natum ibi eſſe ducem *Albertum*, cujus ſimilem Principem ſi nunc *Germania* haberet, non ſolùm ornamentum ſed ἕρκος καὶ ἔρυμα, ut Poëtæ Duces magnos nominant, haberemus. Ac celebravit Dux *Albertus* hoc Proverbium: ſibi quia *Grimmæ* natus eſſet, prolixiore ſomno opus eſſe, quia pueri *Grimmenſes* ſint ſomniculoſiores cæteris. Arbitror igitur naturæ *Petri* hunc locum non malè congruere. Sed extra jocum: Oro Deum ut gubernet & hoc conſilium, & ipſam *Petri* adminiſtrationem, cum ludo præfectus fuerit. Scripſi Ep.671.

pſi ad ſenatum & ad paſtorem Eccleſiæ,& in literis ad ſenatum ſcriptis, dixi tibi quoque familiarem fuiſſe. Vellem te epiſtolam ei ad paſtorem dare, quem ſcio virum bonum & non moroſum eſſe, ac judicaturum tuas ſibi literas ornamento eſſe apud ſuos. Tandem rediit *Staphylus*, ac epiſtolam tuam reddidit, in qua tuam de *Severo* ſeu dubitationem ſeu ἐποχὴν mirabar. Colloqui igitur neceſſe erit. Jam etiam vobis deliberandum erit quem *Gigantis* ſucceſſorem daturi ſcitis. Bene vale & reſcribe. Volui monumentum *Heli* tuis verſibus *Græcis* præſertim ornari. Quare tabula ad ſepulchrum ſuſpenſa eſt, quæ continet tuos verſus hàc editos formâ, quam hæ pagellæ oſtendunt, quas mitto. Anno M. D. X L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 672. MEminiſti te videre in urbe *Rancarorum Baſilea Joannem à Laski* natum in familia nobiliſſima gentis *Sarmaticæ*, qui nunc in *Friſiis* mediocriter gubernat Eccleſias. Is ad me epiſtolam miſit, quam ut legas oro, & deinde aut præfecto arcis veſtræ *Carolovicio*, aut Cancellario *Dreſdenſi* negotium commendes. Non dubito, ſi quid pecuniæ, aut ornamentorum reliquum fuit, interfecto illo *Sarmatâ*, mandatum eſſe publicè, ut omnia cuſtodiantur,& patri adoleſcentis remittantur. Quoquomodo res ſe habet, honeſtum eſt vera ſignificare. Nec dubito *Myſos*, quos ſcis ab *Homero* dici juſtiſſimos hominum, juſta reſponſuros eſſe. Scripſeram ad eum de dogmatibus quibuſdam, quæ ad me dux *Pruſsiæ* miſit. De his nunc ſe noluiſſe ſcribere ait: δεινὸν μοι οὐ μόνον τολμηρὸς, ἀλλὰ καὶ αὐθάδης εἶναι. Sed omninò hæc ætas miſera eſt. Hortator multis & ſui & ſum ad tuendam qualemcunque concordiam Eccleſiarum, quæ profiteri puriorem doctrinam ceperunt. Sed adjutores paucos habeo. *Sabinus* ex *Pruſsia* quæſtiones miſit, quas à nobis primùm explicari voluit. Sed mittam ad te ipſum *Prutenicum* nuncium poſt biduum, cum mea ſententia de iis quæſtionibus. τοὺς νομοφύλακας non conſulam. Quid dicant, & quid velint, ac optent, jam olim ſcimus, & *Sabinum* cum eis rixari nollem. Tuas literas expecto de *Petro*, & de aliis rebus, imò verò colloqui tecum magnopere cupio. *Plautinas* Comœdias hodie vidi à te editas, & *Dionem* *Amantii* nomine editum. Gratiam tibi habeo, quòd ſtudia literarum & accendis & juvas aſſiduis laboribus. Nam has operas à nobis intelligi ac prædicari decet. De aliis rectè dicis, οἱ ἐρωτεῖς ἰσχναλέοι. Scire cupio an per *Lipſiam* iter fecerint *Lutherus* & ναυφορῆται, qui ad Epiſcopum καταγγελῶν profecti ſunt. Bene vale. V I I. Calend. Auguſti. Tabellarius *Friſius* literas habet peculiares ad *Carolovicium*, & alteras ad Cancellarium ſcriptas. Anno M. D. X L V.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 673. LAſcii tabellario *Prutenicas* etiam literas dedi, quas an acceperis ſcire cupio. Nam ipſum iſtuc *Prutenicum* nuncium mitto, qui affert de ſcholarum teſtimoniis meam reſponſionem brevem quidem, ſed occupationibus meis danda eſt venia: & videremur ὅτι φασὶ μῦθον inſtituere, ſi in hoc argumento longiores eſſemus. Si placet reſponſio, ſubſcribito, aut tuam ſententiam, quàm voles, prolixè explicato. Nihil enim tibi præſcribo. Si placet etiam *Scævolas* & *Papinianos* adhibeto. Expecto à te epiſtolam longiuſculam, cum ego fortaſſis aliquanto occupatior quàm tu, certè imbecillior & in dicendo aridior, totas tamen impleam paginas. *Norinbergæ* expectari *Hieronymum* audio: Quem utinam Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* conjugi & liberis reſtituat. Bene & feliciter vale. Quinto Calend. Auguſti, Anno M. D. X L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

SUccenſui τῷ ναυφορήτῳ, quòd ſine meis literis ad te profectus eſt. Sed rediens, quia διηγήσεις afferebat de *Hieronymo*, me placavit. Nunc mitto epiſtolam ad fratrem ſcriptam penè γεωμετρίζουσαν. Quòd ſi vis eam accuratiùs, aut aliâ ſententiâ ſcribi, judicium mihi tuum ſignificato; certò ſic ſentio, non quia naturâ ſum mollior, ſed quia vidi exempla hujusgeneris multa ſalutaria, & poſſem valde multa recitare. Hodie mecum amicus noſter *Ἀκρωνος* locutus eſt: qui cogitat de profectione in *Italicas* Academias. Totam rem diſſuaſi. Mitto tibi & *Laterenſi* picturas noſtri oppidi, ſeu potiùs κώμας ἠπειρώτας. Spero tamen verſiculos vobis voluptati fore. Bene vale. Id. Auguſti, M. D. X LV. Ep. 674.

Ago gratias Deo æterno Patri Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, quod *Hieronymum* conjugi ſuæ & liberis reſtituit, & precor, ut nos gubernet, nam mihi impendent novi ἀγῶνες.

Viro optimo atque clariſsimo D. Hieronymo Camerario Pabergæ S. D.

SCio vos eà ſapientià, Dei beneficio, præditos eſſe, & ita uſu & rebus aſperis exercitatos, ut ſæpe multùmque cogitetis, de vitæ humanæ miſeriis, de earum cauſis & levatione. Harum enim rerum conſideratio & aſpectio magna pars eſt ſapientiæ, & bonis mentibus neceſſaria eſt. Scitis autem ſæpe calamitates indignatione animorum, ac durioribus conſiliis exacerbari; contra verò leniri, cum non nimis vehementer repugnamus. Sic inter ſe contrarii cœleſtium orbium motus, congruunt tamen, quia rapidiſſimo motui, alter obſequitur, etſi leniter repugnat: præcipuè verò in liberorum noſtrorum caſibus aliquid de noſtro jure, & de duriore ſententia ipſorum infirmitati concedendum eſt; qua de re exempla multa commemorare poſſem in utranque partem, ubi vidi leniores ſententias totis familiis ſalutares fuiſſe, aſperiores verò admodum auxiſſe mala. Memini *Tubingæ* Juriſconſultum Doctorem *Caſparem*, virum eximià gravitate & ſcientià rerum præditum aſſentiri nuptiis adoleſcentis tenuiſſimi, ſed benemorati, & puellæ huic doctori affinis & ei commendatæ, cujus patrimonium erat amplius quinque millium aureorum. Et ipſe jam alium nobilem ac opulentum affinem quæſierat, mihi & fratri veſtro notum. Ac laudatur Doctoris *Caſpari* lenitas ab omnibus ſapientibus. Hæc eò recito, quia quædam de filia veſtra, frater veſter vir optimus mihi commemoràvit, quæ mihi quoque dolorem attulerunt: ſed quia & vos & fratrem veſtrum ſic amo, ut ex animo vobis optima adeo precer, & optarim me ſtudium & benevolentiam meam erga vos, veris officiis poſſe declarare, non potui Ep. 675.

facere,

A facere, quin in hac veſtra ſolicitudine vobis exponerem meam opinionem. Melius eſſe judico, non repugnare filiæ voluntati, & illius infirmitatem anteferre juris aſperitati, qua in re non ſolùm moveor, meæ naturæ mollicie, ut videor, languidior, ſed hac etiam graviſſimâ ratione: Omnia humana inferiora ducenda ſunt, invocatione Dei. In omnibus igitur conſiliis ita nos & noſtros regamus, nè impediatur invocatio Dei in mentibus

B vel noſtris vel noſtrorum. Sauciaretur autem mens filiæ, ſi ab illo, cui promiſit, aut certè quem expetit, avelleretur. Quare omninò melius eſt, uti leniore conſilio. Scriberem plura, ſi vos parum hâc ratione moveri arbitrarer, quæ profectò apud ſapientem patrem valere debet plurimum. Non diſputo de ſummo jure, ſed ſummi juris acerbitatem veſtrâ lenitate mitigandam eſſe cenſeo. Sicut ſcriptum eſt: *Miſericordia ſuperet judicium*: Et, *Beati miſericordes, quia miſericordiam conſequentur*.

C Honeſtiſſimum eſt autem, erga liberos, flecti miſericordiâ. Ideo vos propter Deum oro, ut propter hanc cauſſam, ut mens filiæ tranquillius Deum invocet, leniter agatis. Idque conſilium vobis ad animi tranquillitatem profuturum ſpero. Et Deum oro, ut ſit ſalutare vobis & filiæ veſtræ. Sum pater, & fortaſſe non unus omnium imperitiſſimus. Ideo & paternos affectus intelligo, & veniam do veſtræ iracundiæ. Sed rurſus hoc paternum èſt, lenioribus conſiliis talia incommoda

D ſanare. Bene & feliciter valete. Idibus Auguſti Anno M. D. X L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 676. LIteras *Sturii Aleſium* tibi reddidiſſe ſpero. Cúmque heri ad *Sabinum*, certum haberem tabellarium, ſcripſi ut filio tuo ſignificet, matrem incolumem eſſe, & peperiſſe filium. Te, quantum poſſum, oro, ut valetudini honeſtiſſimæ conjugis tuæ diligenter conſulas. Deum etiam æternum

E Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* precor, ut & Publicam Eccleſiam, & tuam domeſticam ſervet. Arbitror nos habere crebriores tabellarios ad littus *Balticum*, quàm te. Quare ſi quid ad *Sturium* ſcripturus es, nobis mittere poteris. De iis rebus de quibus nuper ſcripſi, quæ ſit mea voluntas, quæ ſententia, quæ ſpes, non opinor longâ commemoratione apud te mihi opus eſſe. [illegible] ὁ σὺ γράμματα μοι, quas & relegi, & refutat tempus.

F Scio nos in odio eſſe, propter qualecunque ſtudium veræ doctrinæ, ac jam olim ita induxi animum, ut hæc odia moderatè & modeſtè ferre decreverim. Bene vale, die X. Auguſti. Anno M. D. X L V.

. *Joachimo Camerario Pabergenſi* S. D.

Ep. 677. QUod fauſtum & felix ſit, heri *Lutherus* ex aula huc rediit. Tuæ conjugis officia cum nobis liberaliter prædicâſſet, interrogavit etiam an

G haberemus ſcriptum Epitaphium *Rodolphi*, quod legebamus in templo *Mersburgenſi*. Cúmque audiſſet nos exemplum non habere, juſſit ad te ſcribi, ut nobis mittas. Quæſo te gratificare hac in re nobis, & ſcriptum Epitaphium mitte. De cæteris rebus nondum poſſum ſcribere. Cohorrui legens tuam epiſtolam de Synodo, nam eodem tempore etiam ab *Anhaltino* literas accepi, in quibus quæ-

A dam ſignificat περὶ αὐθαδείας illorum, de quibus collocuti ſumus. Sed oremus Filium Dei, ut, ſicut promiſit, interſit congreſſui piorum, qui ipſum invocant. Bene & feliciter vale. Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* ſervet te, & honeſtiſſimam conjugem tuam, & dulciſſimos liberos. X V. Cal. Septemb. Anno M. D. X L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

B HOſpiti meo *Hiſpano* viro prudenti, integro, θανάτου diem dixerunt in *Belgico* Sycophantæ etiam abſenti. Et ex dierum numero ratiocinamur jam latam eſſe ſententiam. Ut igitur inquirat hæc & ſciſcitetur, num ad ſe literæ iſtuc miſſæ ſint, ad vos profectus eſt. Dedi autem ei epiſtolam, & ut cauſſam itineris ipſius ſcires, & quia affici te bonorum virorum calamitatibus ſcio. Ipſe ſatis forti animo eſt, etſi intercludi ſibi reditum Ep. 678.

C ad parentes & in patriam videt. Sed tamen parentum luctu & dolore movetur. Non multò aliter in nos jam Sycophantæ iſti exercent tyrannidem, quam triginta illi *Athenis* in ſuos cives ſæviebant. Sed Deus ſervabit & Eccleſiæ reliquias, & aliqua doctrinæ domicilia. καταστροφὴν conventûs *Germanici*, qui fuit in Urbe *Vangionum*, nôſſe te opinor. Nos decretum totum legimus. De Synodo *Tridentina* prorſus ſilentium eſt. *Carolus Romam* miſit *Lovanienſe* decretum. Id *Romæ* excuſum ty-

D pis dicitur, circumfertur ergo tanquam Synodi προβούλευμα. Bene vale, die *Salaminiæ* Victoriæ, X X. Aug. Anno M. D. X L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 679. LUtherus & ab amicis rogatus, & ſuâ ſponte cupiens ſuæ patriæ, quæ naſcentem primum excepit, conſulere, ad Regulos ejus regionis, expatiatus eſt, ſed alieno tempore, cum jam illi ad

E caſtra properarent. Me ſecum abduxit, tametſi ad te proficiſci malueram. Nec profectò me deterruiſſet cogitatio mirificorum ſermonum civitatis veſtræ, quæ hoc tempore varia poemata de bello *Lycaonio* comminiſcetur. Subiiſſem vultus περὶ ἀρχαιρεσιῶν. Non enim nunc dimicabitur de illis *Lycaoniis* exuviis, ſed περὶ μεγίστων ἀγαθῶν ἀνθρωπίνων, in quibus utcunque eluctari cœpit ex denſiſſima caligine veritas. οὐ περὶ ὄνου σκιᾶς, ἀλλὰ περὶ τῆς διδασκαλίας παραδοθείσης ἣν ὁ θεὸς ἐξέφηνεν αὐτοῦ ἐκκλησιαστικὴν γνώμην περὶ σωτηρίας ἀνθρώπων. Méque ſuſtento

F conſcientiâ optimæ voluntatis, quicunque erunt exitus. Spero autem & exitus nunc quidem non tetros fore. De his rebus colloqui tecum coram malim. Nuper cum adeſſes, oblitus ſum tibi dare auri puri maſſam natam, non coctam, ut fortaſſe veteres ἄπεφθον dixerunt, cum quidem dare conſtituiſſem, ſed fui ineptus, pro auro ſilices dedi, ex quibus ignis excuditur. Nunc *Lyſimachum* mitto, in quo *Græca* eſt inſcriptio, delector omine, cum

G hoc tempore λυσιμάχου μακεδόνος imago mihi oblata eſt. Bene vale, V. Id. Oct. Anno M. D. X L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 680. OΥτι θερμὸν ὕδωρ τόσον ἀνδρὶ χρὴ μαλθακὰ γυῖα, κατὰ Πίνδαρον, ὡς δόξα περὶ πάντων ἀνδρῶν. Sic ille. Ego verò, etſi multis ſævis curis exerceor, tamen ſuaviſſimè acquieſco cum in ſermonibus tuis & conſuetudine

ſuetudine tuâ, quoties unà ſumus, tum verò etiam in cogitatione tuæ virtutis, fidei, & prudentiæ. Nec mihi tantum privatim amicitiam tuam gratulor, ſed Reipublicæ prodeſſe ingenium tuum, & perſpectam ac probatam omnibus integritatem tuam gaudeo. Deum igitur oro, ut te ſervet & gubernet. Hæc breviter commemoranda eſſe duxi, ut reſponderem ad dulciſſimam epiſtolam tuam, in qua nuper cum illuſtri ſignificatione benevolentiæ tuæ, quæſtus es, me nimis citò abrumpere noſtros congreſſus. Mihi crede, non ſine aliquo dolore me avello. Sed vides occupationes & miſerias noſtras. Fruemur autem amicitiâ noſtrâ in æterna conſuetudine Eccleſiæ Dei multò uberius, & tamen interim, quantum poterimus, conferemus operas ad illam ipſam Eccleſiam, ad quam tendimus, ornandam. Nec exiguum judico fructum eſſe amicitiæ noſtræ, conſiliorum & ſtudiorum conjunctionem, quam ut Deus adjuvet, opto. Mitto Formam Conſiſtorii apud nos inſtituti. Eſt autem poſtrema in aula, ex noſtro quodam ſcripto exculpta. Sed hic plura ſunt ὑπομνήματα, nos theologica plura inſerueramus, De inquiſitione doctrinæ, De ordinatione ἢ ἐπιθέσεως χειρῶν, De defenſione paſtorum. Sed de his coram, cum iterum conveniemus. Bene vale & reſcribe. Hac nocte mira ſomnia de *Pannoniis* habui. X I. Octobris, Anno M. D. X L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 681. MEliorem ſtudio *Pannas* complexus ſum donec juvare diſcentes potuimus, & arbitror in *Pannoniam* ſalutares rivulos doctrinæ hinc manâſſe. Nunc tibi hos duos *Pannas* commendo, qui cum diſcendi cauſâ in *Germaniam* venerint, etiam me hortante, in veſtra Academia manſuri ſunt. Vetus eſt mos, & *Græcus*, ut hoſpites ſe ad aliquem quaſi patronum in eo loco, ubi commorabantur, adjungerent; ita te ſibi προστάτην contingere iſti optant, & aditum ad te meis literis ſibi patefieri voluerunt. Nec dubito, quin eos amanter complexurus ſis, cum & natura tua ſit benefica, & inprimis ingenioſorum ſtudia libentèr adjuves. Bene vale. Nonis Octobr. Anno M. D. X L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 682. GRatias ago Deo æterno Patri Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, quod te reduxit incolumem ad Eccleſiam tuam domeſticam & ſcholaſticam, quódq; te & tuos ſervat & defendit. Docent enim nos, univerſa omnium temporum hiſtoria, & noſtræ miſeriæ, tutos eſſe homines non humanâ diligentiâ, non præſidiis humanis, non opibus ullis, ſed Deo protegente, qui quidem pollicetur certam defenſionem invocantibus ipſum fiduciâ Filii. Hac nos ſpe ſuſtentemus. Humana quàm ſint infirma experimur, ut ante dixi, in noſtris & veteribus hiſtoriis. Ego hæc nunc majore cum dolore cogito, quædam περὶ προεδριῶν futuri conventus, ut juſſus ſum, ſcribens. Magnæ erunt multarum rerum, negotiorum & voluntatum converſiones. Inter has tamen Deus τὰς ἐκκλησίας κεχαρισμένας διὰ χειρὸς. Si nunc ab ergaſtulo meo abeſſe mihi liceret, ad te expatiarer, ac præfationem Grammaticam iſtic ſcriberem, ubi tranquillius eſt Muſis hoſpitium. Huc trepidè accedunt, cum ut in caſtrit, & in acie tantum vident eſſe θηρίων. Ac me jam non ſolùm aulica deliberatio retinet, ſed etiam πολίτευμα novum Principis, qui ſtipendia civitatibus diſtribuit. Et Academiæ mandavit inſpectionem eorum qui mittuntur. Te tamen huc venire nolo, ſed ſignificare mihi, quo argumento velis ſcribi præfationem, quanquam teipſum ſcribere vel tuo vel meo nomine optarim, non enim arbitror te hanc deſpectam à multis operam, defugere. Significabis igitur mihi, quid aut fieri velis, aut facturus ſis. Ex *Pruſſia* recentes à *Sabino* literas accepi, hilariuſculè ſcriptas. Filiam mihi narrabat nuncius, poſt puerperium à Domina ad prandium accerſitam eſſe. Hæc quoque velle te ſcire arbitror. Expecto literarum magnos faſciculos ex *Argentorato*. Nam eò noſter tabellarius, poſtquam tu ingreſſus eras iter, profectus eſt, miſſus ut ſcholaſtici mortem ſeni patri nunciet. Eas tibi epiſtolas mittam. Princeps *Aſcanius Johannes* huc advectus eſt, cujus latus dextrum παραλύσει languet. Ita offerunt ſe multa ubique humanæ infirmitatis teſtimonia, quorum conſpectus nos ad invocationem *Chriſti* exuſcitet. Bene vale, I I I. Nonas Decemb. Anno M. D. X L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 683. UTinam tuum iter fauſtum ſit & felix, & honeſtiſſimam conjugem tuam & dulciſſimos liberos incolumis incolumes complectare. Statim autem poſtquam iter ingreſſus es, conjux D. *Lutheri* me admonuit de vino *Rhetico*, ſeu, ut nomen uſitatum disertè ponam, *Feltlinenſi*. Ipſe etiam ad me miniſtrum miſit, ac petivit, ut conjugi gratificemur. Valde igitur te oro, ut eam rem cures pro tua prudentia. Sive inveniri *Rheticum*, ſive aliud rubrum ὕδωρ inveniri poteſt, aliquid mittas. Hanc ob cauſam mox meo ſumtu hunc tabellarium ad vos proficiſci juſſi. Profectò ipſa non ſine periculo ægrotat: defluit enim pituitæ magna copia in ventriculum, & cruditates ac inſomnias ei affert. Juſſi hunc nuncium geſtare lagenulam, ſi quam ei trades. Sed ſi ibi eſt auriga noſter, fortaſſe commodiùs vehet, ſed tuæ prudentiæ totam rem commendo. Precium etiam ego bonâ fide numerabo. Scis me verſiculum uſurpâſſe in epiſtola, quam ſcripſi Doctori *Sebaſtiano*, οὐκ αἰσχρὸν ὀδύρεσθαι ἀλλήλων κακά. Afficiamur communibus hominum ærumnis, qua in re ſcio te verâ virtute omnia officia viro bono digna præſtare. Bene vale, die eodem quo hinc abiiſti. Anno M. D. X L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 684. ÆLianum tibi *Franciſcus* exhibebit, etſi enim ipſe allaturus eram (Nam ad Principem *Aſcanium* cum *Paulo* expatiabor, ſumque rogatus, te ut unà adducamus) tamen quia hoc iter, dum *Pruſſiæ* Ducem expectamus, differtur, interea te fraudare hujus lectionis voluptate nolui. Quanquam dices, ubi evolveris, ἐκ πολλῶν ἀχύρων ὀλίγον καρπὸν συναχθῆναι. Mitto tamen, ut tibi gratum faciam, cui certè non tam μικρὰ φιλοφρονήματα præſtare cuperem. De *Archelao* præter *Platonica* & *Thucydidea* nihil reperi, niſi duas ſententiolas *Ariſtotelis*, qui ejus in quinto πολιτικῶν & de Melancholicis in problematis mentionem facit. Sic de eo loquuntur, ut videri velint, Regem fuiſſe antecellentem

cellentem ſuperioribus ſeu potentiâ, ſeu ſplendore. Sed ſceleratum fuiſſe conſtat. *Lycaoniam* hiſtoriam legimus. Etſi autem fortaſſis aliqui μεμψίμοιροι quædam in actis noſtrorum Ducum reprehendent, tamen ego, præſertim poſt factum, nihil diſputabo. Regi noſtrarum Eccleſiarum & politiarum pericula divinitùs non dubito, etiamſi non ſemper cum noſtris opinionibus gubernatorum conſilia congruant. Hunc igitur eventum non tetrum Reipublicæ gratulemur, & Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* oremus, ut harum regionum Eccleſias, politias, Principes, doctores, ſcholas & diſciplinam tueatur. Bene & feliciter vale cum honeſtiſſima conjuge & dulciſſimis liberis. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 685. Etſi vetus eſt illud, πολλὰ πολέμου κενά, tamen adhuc quidem penè ſilentium eſt hic de iis quæ in *Lycaonia* geruntur. Cùmque ante biduum à *Macedone* literas, ſcriptas *Caſſellæ* acceperim, tamen belli in illis nulla mentio erat. Semel repulſus ab oppugnatione ὁ ἀμὰς dicitur. Et in ipſa urbe *Braunſuica* neſcio quid tumultuum fuit. Sed quidquid agunt aut parant οἱ στρατηγοί, noſtrum eſt à Deo petere defenſionem Eccleſiæ & literarum & diſciplinæ; id faciamus: Serva Fili Dei *Jeſu Chriſte* λόγε καὶ εἰκὼν ἀΐδιε ἀϊδίου πατρὸς, λογικὴν ἀγέλην ἀΐδιον πᾶσι ἁγιάζουσαν. Ducem *Pruſſiæ* unà cum Electore *Saxonico* poſt paucos dies huc venturum eſſe audio, qui ſi *Lipſiam* non veniet, huc accerſi te curabimus. *Stigelius* graves cauſas habet, cur domum ſe aliquantiſper conferat, quem tamen ſpero poſt aliquot menſes, pacatâ Republicâ ad nos rediturum eſſe. Tu quod ſoles, nunc eum amanter complectere. Bene & feliciter vale, cum tuis omnibus. *Aleſio* dicas *Johannem Fidelem Scottum* qui *Lignicii* docet, ſponſum eſſe. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 686. Duos ad te oratores mitto *Lycurgum* & *Paulum* noſtrum, cujus quidem ſuavitatem & eruditos ſermones ſpero non minùs tibi voluptati fore, quàm illam veterem *Atticam* orationem, quæ eſt ſanè dulcis. Frontem fortaſſe corrugabis legens noſtram horridam præfatiunculam. Sed ſcis quam multa nos in ſcribendo impediant; Et metuens *Ariſtarchos* noſtros delabor in neſcio quam ψυχαγωγίαν, cum quidem de patria, & de Eccleſia dicenti, nec deſint verba, nec pectus ſit ſine ſenſu & motu. Profectò ita vehementer furoribus eorum qui tum patriam, tum Eccleſias concutiunt, iraſcor, ut ſæpe cogitatione communium miſeriarum penè exanimer. Quæſo te præfecto exhibeas libellum, & verbis ornes. *Francos* hoſpites ſpero non inſuaviter apud nos fuiſſe. Complectamur tales, ut *Paulus* inquit, τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι. Bene vale. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 687. Verè dilexi & magnifeci *Hieronymum* fratrem tuum, non ſolùm quia te amo, ſed etiam propter ipſius excellens ingenium & egregiam virtutem, gravitatem, & moderationem & omni actione, denique propterea etiam, quòd cum viderem cum in magnis ærumnis ſe Dei agnitione ſuſtentare, non dubitabam eum Deo carum eſſe: Itaque doleo eum à ſuis, & à nobis nunc quidem avulſum eſſe. Sed cur dico me illum dilexiſſe? imò nunc quoque diligo. Vivit enim apud Filium Dei, inter illos Heroas, *Abraham, Joſeph, Davidem, Baptiſtam, Paulum,* & nunc coram cernit Judices noſtrorum certaminum, fruitur etiam dulciſſimis parentum & fratris *Joſephi* colloquiis, méque aliquanto priùs quàm te ad eundem cœtum venturum eſſe ſpero, adeóque à migratione ex hoc carcere & hac mortali vita, non abhorreo, ut quoties illius cœtus ſtudia cogito, mirifico deſiderio videndi illam æternam Academiam accendar. Tuo autem nunc dolore valde moveor, qui propter fraternam pietatem, non potes non in mœrore eſſe. Deinde augent tibi luctum, conſpectus liberorum fratris, & curæ gubernandæ hæreditatis, Denique

tota domus cœpit nunc onus eſſe tuum.

Optarim quidem me luctum conſolatione, & labores tuos meâ operâ minuere poſſe, nec deero, ſi qua in re mei uſus erit. Sed nunc Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* oro, ut te ſervet incolumem Eccleſiæ univerſæ & domeſticæ; deinde te quoque adhortor, ut dolori repugnes. Nota ſunt tibi omnia, qui non in philoſophia tantum, ſed etiam in Eccleſia Dei, ad leniendam mœſtitiam traduntur. Nec ſumus jam ingraveſcente ætate prorſus tyrones ejus doctrinæ, quæ eſt μελέτημα θανάτου. Sed vult nos Deus non tantum in ipſas miſerias intueri, ſed etiam petere & expectare conſolationem à ſe, qui eſt θεὸς πάσης παρακλήσεως, & affirmat ſe apud afflictos habitare, quod ſæpe ipſe expertus conſtanter affirmo, non ferri mortalia caſu. Si cogitamus non eſſe inania θελκτήρια, quæ in Eccleſia traduntur, habemus conſolationem non jejunam. Scio autem te verè τῶν ἀμφοῖν, imò toto pectore amplecti doctrinam Eccleſiæ Dei. Quare iis te conſolationibus ſuſtenta, quas proponit. Mox ad te profectus eſſem acceptis *Zigleri* literis, niſi Principem *Pruſſiæ* expectare cogeremur, quem audio intra triduum huc venturum eſſe. Interea hanc epiſtolam miſi, ut ſi quam poſſem, recenti vulneri medicinam facerem. Scio tibi ad hunc domeſticum dolorem accedere alium ex incendio *Gothano*, quo *Pertuni* noſtri ædes conflagrârunt. Sed meminerimus illud, ταπεινώθητε ὑπὸ τὴν κραταιὰν χεῖρα τοῦ θεοῦ. Sed mox addit, πᾶσαν μέριμναν ὑμῶν ἐπιρρίψαντες ἐπ᾽ αὐτὸν, ὅτι αὐτῷ μέλει περὶ ὑμῶν. Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* ſervet te & honeſtiſſimam conjugem tuam & dulciſſimos liberos tuos. Pridie feſti *Martini*, quo die ante annos centum & unum ad *Varnam* pugnatum eſt, cujus exempli cogitatio te deducat ad conſiderationem aliarum hiſtoriarum, in quibus hujus vitæ fragilitas conſpicitur, ac admonemur, ut animos erudiamus, quomodo ferendæ ſint communes ærumnæ, quas ut Deus mitiget, & in ira miſericordiæ recordetur, toto pectore eum oro. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto.

Joachimo

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

A

Ep. 588. ETſi fratrem meum amo, quem quidem & à te amari non dubito, tamen nè putato me uſquam libentiùs victurum quàm apud te, nè quidem apud fratrem, in ſolo patrio, ſi meo arbitrio ſedes quærenda eſſet. Sed in quæ tempora, & negocia, vel potiùs in quos fluctus inciderimus, vides. Fero igitur exilium, mihíque cum alias conſolationes propono, tum verò hanc præcipuam, B quod ſcio in terris duriùs etiam exulâſſe Filium Dei. Nam me ſcito exilium vocare, ubicunque ſum ſine tuis ſermonibus, & tuo conſpectu. Me neceſſaria negotia Reipublicæ noſtræ retinuerunt, quo minus mox ingreſſus ſim iter ad *Aſcanium*. Literæ enim ad aulam mittendæ erant de ſcholaſticis, quibus dantur ſtipendia: miſi & in *Marchiam* tabellarium, qui nondum rediit. Poſtea ex noſtra aula ἐπέμφθη πρὸς ἡμᾶς λόγος συμβουλευτικὸς γραφεὶς ἐν αὐλῇ τρυζόντων, παρακαλούμενος προσκαλοῦσιν διατάττειν τῶν καθόλου περὶ δογμάτων, περὶ ὧν ἀμφισβητοῦσιν C ἡμῖν οἱ ἀντίδικοι. Ex eo ſcripto intellexi, quò ſpectârit ſermo *Comerſtadii*, quem mihi narrâſti. Sed hæc coram. Nam decrevi ſi antea non licebit excurrere, tamen ad Mercatum iſtuc venire. Tecum enim de tuo negotio loqui cupio. Mihi videtur primùm inſtituenda eſſe petitio ejus juris, ut vocant, ut tenere hæreditatem poſſis. Si tergiverſabuntur, tunc demum ad alia conſilia decurrendum cenſeo. Bene & feliciter vale cum ſuaviſſima & D honeſtiſſima conjuge & tota Eccleſia domeſtica. Anno M. D. X L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi. S. D.

Ep. 689. HÆc in *Salinis* ſcripſi apud D. *Chiliarum*, cum comitatus eſſem *Lutherum*, ſubitò euntem in hoc horrido frigore ad controverſias non tam dirimendas, quàm audiendas ἀνδρὸς ἱερωτάτου, καὶ εὐφήμου γυναικός. Eſt autem eò iter moleſtius, quia hoc tri- E duo aſſiduos ſenſi cruciatus & quidem interdum atroces, non à calculo ortos, ut initio exiſtimabam, ſed à ſplene multis veteribus doloribus putreſcente. Quem morbum eo fero tranquilliore animo, quia brevi ex hoc carcere mentem avidam æternæ ſcholæ dimittet. Pridiè antequam iter ingreſſi ſumus, *Plicardus* de tuis deliberationibus mecum locutus eſt. Etſi autem oſtendi antea in literis meis non tam opinionem meam, quàm ſtudium, tamen quamprimùm ex *Hercinia* do- F mum redibimus, ad te proficiſcar. Non enim arbitror te iter ingreſſurum eſſe ante finem veſtri mercatus. Adhuc in hac ſententia ſum, ut tantum petendum cenſeam jus tenendæ hæreditatis. Sed quid objiciet is à quo petitur, tum demum opponenda eſt defenſio. Placet etiam per *Stibarum* præmolliri animum illius ferrei hominis, ſi tamen ullo modo inflecti ad æquitatem poteſt. Et utilius eſt oratione *Stibari* coram te defendi, quàm ſcriptis agi cauſam. Fratris audio potentiam magnam G in ea aula eſſe, quem poſſe adduci, ut tibi ſtudeat, arbitror. Nec dubito aliquos eſſe veſtros homines, per quos adjungi ille ad tuas partes poterit. In noſtra aula aliqui ei familiares fuerunt, quorum ſcio nobis ſtudia non defutura eſſe. Si crudelitas inimici veſtri nondum ſaturata eſt tot, tantis, & iam diuturnis ærumnis, aut morte fratris tui viri optimi, quærenda erunt nobis conſilia

A vehementiora. Illud autem te oro, nè accedas ipſe ad inimicum veſtrum. Ac Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* precor, ut te & tuos ſervet. Bene & feliciter vale. Anno M. D. X L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

SCio & experior quotidie verum eſſe, quod dici- Ep. 690.
B tur, οἰκεῖον πιέζει. Sed judico etiam tuas res ad me pertinere, ac nequaquam alienas eſſe. Non dies abit, quanquam mediocriter occupato, quin & tuâ cauſâ ingemiſcam, & Deum orem, ut tibi leniat ea, quæ animum tuum excruciant. Et leniet haud dubiè. Aſpicit enim gemitus noſtros, & lachrimis noſtris movetur. Ad te excurram, quàm primùm hinc abibit Dux *Pruſſiæ*, aut certè cum eum expectare deſinemus. Mitto tibi & *Laterenſi* verſiculos, téque oro; ut huic noſtro amico ali- C quid ad me literarum des: de conventu coram colloquemur. Differri enim iter noſtrum video. Et *Rom.* ἀρχηγέτης contendit, nè inſtituatur in conventu συζήτησις. Bene vale. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

PEtamus & expectemus à Deo æterno Patre Ep. 691.
Domini noſtri *Jeſu Chriſti* mitigationem no-
D ſtrarum ærumnarum, propter Filium qui dixit οὐχ ἁρπάζει τις τὰ πρόβατα τὰ ἐμὰ ἐκ τῆς χειρός μου. quæ me vox in magnis doloribus ſæpe erexit. His nos, chariſſime *Joachime*, coſolationibus ſuſtentemus, cum nos quidem non tantùm ex lectione ſapientiſſimorum ſcriptorum, ſed etiam uſu cognoverimus humana omnia plena eſſe miſeriarum. Aderit haud dubiè tibi quoque Deus, cum filii doctrinam & ornes, & propagare ſtudeas; & ut te & tuos ſervet toto pectore oro. De Republica quæ habe- E bamus ſcripſi in pagella, quia de conventu aliquid ſciſcitabare in proxima tua epiſtola: mitto tibi etiam πολιτείαν noſtram, in qua poſtrema pagella habet explicationem *Paulinæ* ſententiæ, quam opinor non invitus leges. Volo etiam à te emendari *Euripidis* verſus. Nam in uno loco dubito, cui notam addidi. Bene & feliciter vale cum honeſtiſſima conjuge tua & dulciſſimis liberis. Pridie Calend. Decembris. Anno M. D. X L V.

F

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

ANdream rediiſſe & incolumem & ornatio- Ep. 692.
rem gaudeo, & Deum oro, ut bonos viros & amantes literarum ſervet. Politiam noſtram nobis abs te remiſſam eſſe mirabar, præſertim ſine literis. Nuſquam ut video locus eſt iſti miſellæ urbi, quam circumfero, ſicut *Æneas Trojam* ſuam, ἀρκεῖ δ' ἐν μεγάλοις καὶ τὸ θέλημα μόνον, inquit ille. Sanè timidè & invitus eam pinxi, voluntatem tamen meam & ſtudium tibi non diſplicuiſſe opta- G rim. Nunc induciæ *Turcicæ* præſertim communi conſilio Monarcharum factæ quid allaturæ ſint, cogitemus. Quàm turpe eſt hanc partem generis humani alteram, quæ & ornatior eſt, &, ſi nihil aliud, cuſtos tamen eſt Libri divini, fieri ſupplicem Tyranno hoſti Dei, & vaſtatori orbis terrarum & everſori diſciplinæ. O *Jeſu Chriſte* Fili Dei vivi ac æterni, cui nos, noſtræ ſcholæ, eccle-

ſiæ domeſticæ & publicæ ſupplices ſumus, exaudi A
gemitus piorum, & nos rege & ſerva. Libellum Odarum tibi & *Ziglero* mitto. Bene vale & reſcribe. Anno M. D. XLV.

Eruditione & virtute præſtanti Joani Humelio, amico ſuo chariſsimo, S. D.

Ep. 693. DE tuo ingenio ſemper præclarè ſenſi ac animadverti naturâ ineſſe menti tuæ philoſo- B
phiam, ut *Socratico* illo dicto utar. Ideo te diligo, ac adhortor, ut incumbas inchoata ſtudia. Diſceſſit hinc *Floccius*, cui te ſucceſſorem daremus, ſi adeſſes. Quæro enim aliquem εὐφυῶς ἡρμοσμένον πρὸς τὴν γεωμετρίαν. De tuo negotio idem tibi do conſilii, quod ego ſequor. Ingenti animo philoſophicam tolerantiam præſtato, ac injurias diſſimula propter Eccleſiæ veſtræ & urbis tranquillitatem, & cogita, ut in aliquem conventum eruditorum, ſeu ſcholam te dignam, per occaſionem C
redeas. Bene vale, Id. Decemb. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 594. MUlta cogitavi his diebus de tuis inimicis, meminimus enim quàm ſtolidè eluſerint, ſed eluſerint tamen, promiſſa de fratre *Ratisbonenſi* Sum igitur in metu. Apud *Hipparchum* & *Polycratem Anacreon* in honore fuit, *Simonides* D
etiam apud *Phalaridem*. Iſti verò illis rupibus duriores, in quibus nati ſunt, quàm atrociter in te ſævirent, ſi poſſent, Vellem igitur te per literas & homines idoneos, petere quàm primum τὰ ῥήματα, ut ita nominem, quæ jure tibi debentur. Eam ob rem utendum ducis *Mauricii* literis cenſeo. Et ſi voles adjungi *Macedonicas*, has quoque impetrabimus. Significabis igitur mihi, quid decreveris. Ideo autem maturandam rem cenſeo, ut ſi nunc horum literis non obtineri res poterit, in E
conventu *Carolus* Imperator adeatur, ubi te & præfectus juvare poterit, & ſi eò venero, commendabo cauſam *Palatino Frederico*, & aliis, quos exiſtimabo fideliter eam acturos eſſe. De his rebus quæſo aliquid reſcribas: etſi enim brevi iſtuc veniam, Deo juvante, tamen cum cogitatione harum rerum admodum exercear, imò verò juſto & acri odio crudelitatis ardeam, quàm primùm aliquid de tuis conſiliis ſcire cupio. Literæ huc *Helveri* miſſæ ſunt, quæ ſignificant jam *Brentium* & F
Sneppium Ratisbonam veniſſe. *Caroli* Imperatoris metatorem nondum ibi eſſe, nec ſciri, quos Theologos delegerit ad colloquium. Hanc tibi epiſtolam exhibebit frater *Eraſmi Salveldenſis*, noſtri συμφιλοσόφου, magiſter *Johannis Salveldenſis*, qui naturâ ad Philoſophiam, non minùs quàm frater ducitur, & exordia præclarè tenet; ſed pater vult eum illam ſapientiam τῶν δικανικῶν diſcere, quam ſolam putant Quiritibus dignam eſſe. Ideo traducit eum *Lipſiam*. Quæſo autem ut eum com- G
plectare. Nam & ornamento & præſidio ſibi fore amicitiam tuam ſperat. Scio autem te & ingenium ejus & in omni actione moderationem prorſus ἰδικὴν valde probaturum eſſe. Bene & feliciter vale. Poſtridie Brumæ. Tuam epiſtolam ad Secretarium *Prutenicum* ſcriptam, miſi ad urbem ἐπώνυμον ἄρκτου ϑηρός. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto.

Joachimo Camerario Pabergenſi. S. D.

NOndum ad nos à ripa *Danubii* quicquam literarum allatum eſt, quare gratiam tibi habeo, Ep. 695.
primùm ſignificanti ſeu exordium ſeu προοίμιον congreſſus Theologici. Sed profectò quoties de illo genere diſputationum cogito, cohorreſco toto corpore. Non veritas, non vel mediocris tranquillitas eccleſiarum quæritur. Libenter igitur procul abſum ab illis ſucoſis & inſidioſis actionibus: miror tamen, quem noſtri *Malvenda* oppoſituri ſint, quem ut inter iſtos ſanè *Ulyſſem* eſſe judico. Et ſuavi facundiâ præditum eſſe ipſe comperi, καὶ δεινοῦ ἐγχέλεως. Amici noſtri viri integerrimi *Stibari* epiſtolam tibi remitto, addidi & hiſtoriolam, quam ſi voles inſpicito & concerpe. Literas de Theologicis interpretibus mittendis ad *Regiomontanam* Academiam, mittam ad te per peculiarem tabellarium. Nam cum *Staphylo* prius agendum eſt, qui mihi videtur ex illo hominum genere eſſe, qui non in philoſophia, ut Academici, ſed in aliis negotiis ἐποχὴν perpetuam, ſeu dubitationem potiùs, ſapientiam eſſe ducunt. Bene & feliciter vale cum Eccleſia tua domeſtica, quam ut Deus æternus, Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* ſervet, opto. Sexto Februarii. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

SIgiſmundi Gelenii epiſtolam tibi mitto, in qua Ep. 696.
amanter mentionem tui facit, téque oro, ut meis verbis, etiam ei gratias agas, qui nos & ornavit inſcriptione *Ariſtophanis*, & hoſpitium nobis defert: ſcripſi ei breviſſimè. De Synodo me *Ariſtophanes* quoque terret, in quo ſcis ἐκκυκλεῖσθαι βάλανον τινα, καὶ καθίζειν πρόβατα. Si talis erit Synodus quæ nobis, imò quæ Eccleſiæ fata impendeant, facile eſt ratiocinari, Bene vale, Nuncius his *Baſileam* ibit. Anno M. D. XLVI.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

UT multa facit intempeſtivè aula, ita nos quoque ἀκαίρως detinuit. Nam heri ſævitiam fri- Ep. 697.
goris majorem fuiſſe ſenſi, quàm ſuperioribus diebus, ac de te admodum ſui ſolicitus, téque oro, ut de itinere tuo nobis ſcribas. Acquievi aliquantiſper in ſermonibus tuis, & mihi laxatio illa καὶ λέσχαις μακρῶν etiam ad valetudinem profuit, quare tibi gratiam & debeo et habeo, et quòd ad nos expatiatus es, et quòd affuiſti in renunciatione gradûs, quam et ego et alii judicant honorificentiorem fuiſſe, quia à te ornata eſt. Domum reverſus tantum hanc epiſtolam reperi, quam tibi mitto. Quæſo ut de *Lutheri* Epitaphio cogites. Bene et feliciter vale. Calend. Mart. *Laterenſi* orationem mittam. Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* ſervet te et honeſtiſſimam conjugem tuam et familiam. Anno M. D. XLVI.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

INſpexi diſputationem ſcriptam in ripa *Danubii*, ac fidem et ſtudium noſtrorum pro- Ep. 698.
bo: Sed quædam aut aliter explicare conatus eſſem, aut præteriiſſem, quâ de re cum erimus

und,

loquemur, utinam poſſem ipſe afferre noſtram conciunculam *Laterenſi*; ſed ſive ego afferam, ſive mitam, unà literas *Prutenicas* afferri curabo noſtro amico, qui verſum *Homericum* non moratur, in quo dicitur, *οὐδ᾽ ἐν παλαιστροῖς κακίων.* *Matthæo* properanti non potui proliaiorem epiſtolam tradere. *Muncerus* reſpondit videri ſibi rectè curatam rem à *Suevo*, quæ ei mandata fuit. Sed ait ſeipſum ad vos brevi venturum eſſe. Tuas literas expecto. Bene vale quinto Nonas Martii, M. D. X L V I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S.D.

Ep. 699. MEminiſti *Socraticum* illud in *Phadone*, *ὅτι δεῖ ἐν εὐφημίᾳ τελευτᾶν*, quod haud dubiè illi de precatione intelligebant. Cúmque deceſſerit *Lutherus ἐν εὐφημίᾳ*, bonos & amantes Deum etiam de viro tanto, qui certè aliquam doctrinæ cœleſtis partem illuſtravit, decet *εὔφημα* dicere. Quare tibi gratiam habeo, quod & edi apud vos curâſti funebrem orationem, & inſeruiſti membra aliquot, quæ ſunt præcipua ornamenta ejus conciunculæ. Et addidiſti verſus elegantiſſimos: valde mihi placet alluſio ad *βαπτισμὸν τοῦ λουτροῦ*. *Laterenſi* mitto orationem *περὶ εὐχῶν*, ſed Epilogum nondum addidi, in quo dicendum eſt de precatione Filii Dei, quam cruentus ante mortem dicit. Eam partem etiam miſſurus ſum. Sed ſi fortè non mitterem, tu aliquid atteaito. Nam me ſubitæ occupationes variæ impediunt. In ripa *Danubii* nunc antequam noſtræ diſputationis pagellas viderunt, jusjurandum à noſtris eaigunt, nè Principibus, aut ullis aliis impertiant acta, aut aliquid de actis ſignificent. *Marrhanis* ſuis iſta imperent, non iis, quibus à *Germanitate* nomen eſt, quales, quales ſumus, certè te hominem *γνήσιον φθέγγεσθαι καὶ ἐλεύθερον*, hoc juraturum eſſe non puto; nihil igitur *Brudraci* aulicas *κολακείας* curavi, in editione propoſitionum, quas tibi mitto, téque & *Laterenſem* volo Cenſores eſſe. Bene vale, die Equinoctii & eaordii anni, qui utinam ſit fauſtus & felix eccleſiæ & nobis ſungentibus eccleſiaſticis muneribus.

Carolum aiunt nolle implicari bello *Germaniam*. Jam etiam literas accepi, in quibus hæc verba ſunt in *Paulum* Pontificem *Rom.* Donec vivet *Paulus*, non videbit Concilium *Carolus Burgundus*: mitto & aliam pagellam ex *Macedonis* literis deſcriptam. Iterum vale. M. D. X L V I. Literas ad *Aleſium* ipſe afferam, ſi nunc in *Franciam* non abis.

Joachimo Camerario Pabergenſi S.D.

Ep. 700. ETſi equeſtria pericula etiam metuenda ſunt, tamen ſcio multa alia majora & ſæviora poſſe accidere, niſi divinitùs à Filio Dei tegamur, qui dixit: *Nemo rapiet oves meas de manibus meis*, quâ me voce ſæpe in magnis doloribus utcunque erexi, Et illum ipſum Filium Dei, Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum* pro nobis crucifixum & reſuſcitatum oro toto pectore, ut te & tuam familiam ſervet & gubernet, quia certè præſidia nulla habemus firma præter divina, nos qui in hac literaria militia verſamur. Mitto epiſtolam ad Præfectum *Coburgenſem*, etſi ſcio nullas ei literas gratiores tuo conſpectu eſſe, ſed tamen gratum eſt mihi à multis intelligi, nos propter Rempublicam & propagationem doctrinarum & eccleſiarum concordiam conjunctiſſimos eſſe. Bene & feliciter vale cum honeſtiſſima conjuge tua & dulciſſimis liberis. Anno M. D. X L V I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

MEdiocri ſtudio vicinarum gentium homines complexus ſum *Sarmatica* & *Pannia*, tum quia bene meritos de *Europa* eſſe judico, cum aliquot ſeculis repreſſerint immaniſſimos *Scythas* & *Turcos*, tum quia hominis eſt de communi fœdere humani generis aliquando cogitantis amanter excipere hoſpites: Tibi verò & intellectum horum officiorum majorem quàm mihi tribuo, & te naturâ ad juſtitiam & bonitatem magis factum eſſe ſcio. Ideo non dubito te quoque *φιλόξενον* eſſe. Cum igitur hi duo fratres nati in familia illuſtri gentis *Polonicæ* iſtuc ſe conferant, ut te audiant, magnopere te oro, ut eos amanter & complectaris & tueare. Apud nos magna cum laude modeſtiæ vixerunt, & in ſtudiis literarum ita verſati ſunt, ut non ſolùm linguam *Latinam* exercuerint, ſed etiam attigerint initia philoſophiæ, & doctrinam Eccleſiæ mediocriter intelligant. Nunc ad vos proficiſcuntur, ut & tuâ doctrinâ excolantur, & veſtræ urbis elegantiam deguſtent. Bene & feliciter vale, quinto Idus Maii. Eo etiam ſtudioſiùs eos complectere, quia matrem habent viduam excellentem cum aliis virtutibus, tum maximè pietate ac ſtudio veræ invocationis Dei. M. D. X L V I. Ep. 701.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

VErſus tuos optimos, *Turbata erigimus Deus ad te lumina cordis*, &c. Cogitemus in hac confuſione Reipublicæ & in privatis miſeriis. Ad Principem *Aſcanium* acceſſimus, ut de *Stancari* controverſia colloqueremur. Sed ita ægrotat, ut bona valetudo non, niſi divinitùs, reſtitui poſſe videatur. Initia ſunt *τῆς παραλύσεως*, ut de viro optimo *Stibaro* etiam ſignificâſti. De *Caſparis* negotio, ſi itinera literarum non intercludentur, exiſtimo dominam rurſus ad me ſcripturam eſſe. Nam dum *Gaſpar* tardiùs ſuam voluntatem nobis ſignificavit, Juriſconſulti ſine meis literis, de *Friſio* quodam ſcripſerunt, cujus non erit uſus in aula aut foro. Scribam ad te donec potero; nam ego etiamſi erit bellum in his locis, ab ægrotante uxore non diſcedam; *οὐδ᾽ ἐν σκηνῇ, ἢ βούλομαι ὥσπερ ἐν πόλει πολιορκουμένῃ*. Oro Filium Dei, ut te & tuos et nos protegat, quod quidem ſperare nos jubet ut ſcriptum eſt. Circumvallat Angelus Domini timentes eum. Si poteris vel expatiari vel ſecedere te ad Principem *Joachimum* vellem. Bene et feliciter vale, et reſcribe. Poſtridie Solſtitii. M. D. X L V I. Ep. 702.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

GRatiam tibi habeo, quòd totiés literis lenire meam mœſtitiam ſtudes, quod quidem eo mihi gratius eſt, quia cum ſciam te quoque in magno dolore eſſe, videris erigere te ipſe, et cogitatione earum conſolationum, quas Deus propropoſuit, triſtitiam moderari. Mihi profectò Ep. 703.

 in

in hoc publico luctu, etiam tuus dolor ſæpe au- A
get mœſtitiam. Sed te adhortor, ut quod facis, divinis te conſolationibus ſuſtentes. Domi etiam honeſtiſſimis conjugis tuæ & dulciſſimorum liberorum conſuetudine te oblectes. *Imò*, inquies, *hos cum aſpicio, creſcit dolor.* Fit hoc interdum. Sed velim cogites, familias piorum Deo curæ eſſe, etiam inter Imperiorum ruinas. Ego non nunc primùm dolere incipio, nec primùm jam Tyrannidas ferendas eſſe cogito. Jam olim non modò B
adverſariorum furores, ſed etiam noſtrorum vitia & peccata multa cruciârunt animum meum, ut ſcis. Etſi igitur magis nunc ut in ipſa κρίσει angor, tamen ut fit in morbis longioribus animum utcunque præparatum habeo. Cúmque cogitando decurrit mens per omnia, quæ de cauſis belli, de Ducum ingeniis & voluntatibus, de modo belli gerendi, de exitu, de iis quæ exitum ſecutura ſunt, diſputantur, acquieſco in dicto *Gamalyelis*, quod nôſti: ἐὰν ἐξ ἀνθρώπων τὸ ἔργον τοῦτο, καταλυθήσεται, εἰ δὲ ἐκ θεοῦ ἐστιν, οὐ καταλύσετε. Et vero C
gemitu peto exitum eccleſiæ Dei ſalutarem, meo periculo non valde moveor. Si interfectus præbebo cachinnos τοῖς ἐπιχαιρομένοις, ut ubique multi ſunt, nè illa quidem lætitia eis diuturna erit. Magnum etiam ſolatium eſt tali tempore, conſcientia rectæ voluntatis. Et ſpero aliquos noſtris laboribus rectè eruditos eſſe, & noſtræ explicationes magis perſpicuæ eſſent, ſi non eſſent impeditæ temporum confuſione. Hæc eò breviter D
ſcripſi, ut aliquo modo animum tuum ſolicitudine de me levarem. Venio ad alteram tuam epiſtolam, in qua penè expoſtulas mecum de neſcio quorum ſermonibus, quos περὶ φωνίας κοιράνου ἐνθάδε θρυλλοῦντας ἔγραψας. Affirmo verè, me nec malè loqui de eo, nec audire alios malè loquentes. Nec me in tanto luctu fabellis talibus delectari putes. Et perſpectum eſſe multis animum meum erga veſtros homines arbitror, qui teſtes eſſe poſſunt, & diligi ipſum à me, & ſæpe ineptos ſermones re- E
futatos eſſe, in quibus homines δυσεριδεῖς καὶ φιλαίτιοι de veſtris ſecus locuti ſunt. Deinde nos qui vetera & recentia exempla novimus, plerunque periculoſas fuiſſe συμμαχίας etiam in bonis cauſis ſcimus. Multa igitur mihi in mentem veniunt, cur συμμαχίαν vitârit, οἱ θέλουσιν δορυφόροι εἶναι τῶν στρατηγῶν, ὥσπερ ὕποπτα οὖσαν φυλακτέα. Et ut vinceret, nè hoc quidem volet, ad horum arbitrium conſtitui ſtatum vel Publ. vel ſuæ ditionis. τοιαῦτα δὲ καὶ ἐνθυμηθῆναί τινα οἱ δοκοῦσιν ἀκαιρότατα ἐπιμελητέον. ἐν δὲ βαλ- F
λέσθαι παντοχοῦ φρονεῖν εἰς τὸ συμφέρον. Erunt certè alii eventus quàm hi aut illi putant atque ſperant. Nam omninò ingens mutatio rerum impendet: plura aliquanto nunc tecum de hac re loquor, quàm cum ullo homine locutus ſum. Bene & feliciter vale, V. Calend. Auguſti, Anno à *Chriſto* nato, M. D. X L V I.

Poſtquam hinc reverſus es *Lipſiam*, accerſiverunt *Mansfeldenſes* tuum popularem ad ſcholæ ſuæ gubernationem, & ipſe malebat ſcholaſticas G
operas facere in hac ætatis imbecillitate, quàm mox ad illud faſtigium eccleſiaſticæ gubernationis aſcendere. Sed cum redibit *Mansfeldia*, audiam quid de eo decretum ſit.

Ioachimo Camerario Pabergenſi. S. D.

LIteras de *Sciuro*, quas ei dediſti ad me ſcriptas, quando primùm huc ille venit, & judicio tuo contentus dilexi ipſum, præſtitique officia quæ potui. Omnes enim commendatos mihi abs te complecti me benevolentia non eſt obſcurum: poſtea perfecit *Sciurus* ſtudio & induſtriâ ſuâ, ut mihi inprimis carus eſſet. Deliberationibus de ipſo noſtris & tuâ ſententiâ eum delectari jam non dubito, poſtquam ea acciderunt in his regionibus, quæ omnium ferè opinionem fefellerunt. Futura autem commendemus Deo: periculis, ſi quæ mihi præ cæteris impendent, non valde terreor. Accerſenda quidem illa, ſicut ſcribis, non ſunt; nam auget miſerias cogitatio ὁμαντέτων κακῶν. Sed quod vitari non poteſt, fortiter, vel æquò ſaltem animo ferendum eſt. Quando autem non fui in aliquo periculo jam annis plurimis? Folia, inquis, ea ceciderunt, nunc arbores cadent. Calicem igitur ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. οἱ δὲ δὴ φανέντες ἢ γναιγονδοξῶν, quos ex *Ariſtophane* adducis, id ſcilicet relinquitur, ut culpa à nobis abſit. Et Δίκη tandem corripiet τοὺς κακῶς ποιοῦντας. Sed de his omnibus coram plura, neque omnia ſunt ſcribenda, te quoque autore & monitore. Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum* liberatorem generis humani oro, ut miſereatur parvuli gregis ſui, & mitiget calamitates, & te tuóſque omnes conſervet. Vale. Ep. 704.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

FUit his diebus nobiſcum Juriſconſultus *Francofordianus*, qui Annotationes veteris *Romæ* tibi & mihi donavit. Delectatus ſum non tam ſideribus cæteris, quàm picturâ *Romani* pedis, cujus etſi alia exempla etiam habemus, tamen hoc quoque videre gratum fuit. Spero hanc ipſam ob cauſam tibi quoque libellum jucundiorem fore. Affert autem *Pacens* & *Pſalmos*, quos *Cruciger* inſcripſit *Bornero*, quos ut ei exhibeas te etiam atque etiam oro. Quæcunque erunt ruinæ Imperiorum, tamen nos & eccleſiæ conſenſum, & privatas amicitias tueamur, quæ de te multi mei ſermones etiam ante hos motus fuerunt. Sed fata *Germaniam* urgent, quæ ut Deus mitiget, aſſiduis votis petamus. Nec erunt irrita vota eccleſiæ tuæ domeſticæ. Aliquid à te literarum expecto, etſi heri promiſi *Pr. Aſcanio*, brevi me tecum ad ipſum venturum eſſe. Bene vale & reſcribe, VII. Calendas Septembris, M. D. X L V I. Ep. 705.

Ioachimo Camerario amico S. D.

VIdi coronas prorſus palladiâ arte factas, manu honeſtiſſimæ puellæ tuæ filiæ, ſúmque gratulatus & filiæ ingenii & artis venuſtatem, & tibi hoc decus domeſticum, cui opto, quod in verſu quem ſæpe recito, dicitur, νικῶσιν καλλίονα τὰ λῷα, decet etiam viciſſim me gratitudinis ſignificationem oſtendere. De *Swarcebergio* ita ſcripſeram, ſi ſubitò fuga fieret, tibi me adoleſcentem commendaturum eſſe, ut ſcirent, ubi quærendus eſſet, quod de multis aliis ſcripſi. Emeram ei equum, & *Coburgum*, ut ipſi ſcripſerunt, jam eum miſſurus eram, ſed conſilium mutavi, non Ep. 706.

non ſolùm periculis itinerum, ſed etiam hominum judiciis moveor, nè adjungam tali genere natum uni cumiti, caſu oblato. Eccleſiam & Imperia ſcio non tantùm humanis conſiliis regi; Ideo oro Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, ut pacem eccleſiæ ſalutarem reſtituat: magnam πλᾶσμα eſt καρανίδου, quod ipſe fatetur, temerè fides habita affirmantibus quibuſdam, non futurum quod tamen accidit, παλαιὸν δ' ἐστιν, ab antiquo nequam, καὶ τὸ νῦν, ἀλλὰ πίστις καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας. Sed tota res Deo curæ erit. Hiſtoriam à IIII. Sept. habemus, quam & vos habere arbitror. Bene & feliciter vale, die XVI. Septemb. Anno M. D. XLVI.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 707. ETſi magno in dolore & ſui initio belli, & nunc ſum, cum pericula creſcunt, tamen majorem inde uſque ab annis quindecim mœſtitiam circumuli, propter multiplices doctrinæ corruptelas, quibus qui debebant & poterant, mederi noluerunt, & utrinque vidi φιλαρχίας καὶ δυστυχεῖς αὐθαδείας impedire bona conſilia. Ex illis fontibus hos oriri motus, nihil miror, méque ad ferendos omnes caſus præparo, & Deum oro, ut leniat mala publica, & tueatur alicubi doctrinæ ſtudia, nec veram invocationem & diſciplinam prorſus deſeri ſinat. Iter literarum noſtrarum nollem impediri, donec colloqui hoc modò poſſumus. Acquievi aliquantulum in Generi ſuaviſſimis ſermonibus. Bene vale. XIII. Cal. Octob. Anno à *Chriſto* nato, M. D. XLVI.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 708. ETſi publicarum miſeriarum alia verè ſunt αἴτια, tamen ἀρχὴ eſt aliqua, inſulſum conſilium, quod quidem conſtanter diſſuaſi, etiamſi deridebar à duobus, qui cæcæ cupiditati frenum injicere debuerant, poſtea me repugnantem ad ἀναγκηδὸν attraxere. Interſui, vidi & audivi gemens multa, quæ mihi diſplicuerunt. Sed cum prius affuerim, quanta nunc eſſet impudentia accurrere velut ad triumphum τοῦ ἀντιδίκου. Qui gemitus mediocrium hominum in populo futuri eſſent, ſi inter togatos veſtros conſpicerer? Quare & Principi *Aſcanio* & mihi viſum eſt, non adeundam nunc eſſe illam *Sala* ripam. *Torgam* ire ἰδίως vel in vicinum locum omninò decreveram. Neque nunc abjicio cogitationem de deprecatione, etiamſi, ut in *Græco* verſu dicitur, navis ſcopulo ſupplex fieri videor: videt tamen lachrymas noſtras Deus ὁ καρδιογνώστης. meo exilio non multum moveor. Sunt enim magnæ & multæ cauſæ, cur liberari ab aula omninò cupiam. Sed tamen ſi poſſem aliquid afferre momenti ad harum regionum tranquillitatem reſtituendam, quas non minus judico eſſe patriam, quàm illud ſolum, quod me naſcentem excepit, nec labores nec pericula defugerem. Et ſcis me ἀπὸ πλείστου multa feciſſe ac tuliſſe, ut hæ regiones & tranquillæ & ornatæ eſſent. In tuis literis ad Principem *Aſcanium* eam partem narrationis valde miratus ſum, in qua ſcribis & *Macedonem* & alios reſpondiſſe, ut de pace, ἢ ἀεὶ αὖθις ἂν περὶ τῆς εἰρήνης, & fara eam deliberationem adjuvent. Bene & feliciter vale. Die XXIII. Novembris, M. D. XLVI. Ex oppido quod λιμὼν eſt appellatione gentis *Hebreæ*. Honeſtiſſimam conjugem tuam & dulciſſimos liberos tuos ſervet Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti*.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

HÆc cum ſcriberem, utrunque audieramus, & cinctum eſſe obſidione oppidum noſtrum, & colloquium Generi petiiſſe *Macedonem*. Quamvis autem, niſi pax fiat cum Imperatore *Carolo*, in his regionibus tranquillitas nunc ſperari non poſſit, & ardere iracundiâ animos multorum videam, tamen ſcripſi ad *Macedonem*; qui ſi eſt in vicinia, literas mittes per hunc noſtrum tabellarium: Si non eſt, remittes nuncium, & ſignificabis, ſi quid ſcribendum eſſe videbitur. Si implacabiliter iraſcitur Imperator *Carolus*, metuo illa, quæ ſemper metuimus, conjunctionem civitatum, quæ ad *Rhenum* & *Danubium* ſitæ ſunt, cum *Alpinis* gentibus, & religionum confuſionem, & ſeditiones horribiles. Hoc fortaſſe nihil curant harum regionum Principes, & βέβηλοι homines, quorum audio magnam eſſe potentiam. Sed melius eſſet retineri conjunctionem ejus partis *Germaniæ* cum Imperatore, & impediri majorem σύγχυσιν opinionum. Ideo optandum eſt, ut lenitate Imperatoris mala publica mitigentur, ſicut *Æſchinem* ſcis dixiſſe: Deum, & homines φιλανθρώπους καὶ μετρίους χρηστὰ διδόντας πράγματα, αἰτίους σωτηρίας γίνεσθαι. Sed ut hoc fiat, primùm Deus orandus eſt, ut pœnas mitiget, deinde Principum accedat diligentia, quorum cum cogito diſſimilitudines, toto corpore cohorreſco. Si flecti ad meliora conſilia non poſſunt, fatalem temporum ſævitiam ferendam eſſe cogitabo, ut tulerunt *Jeremias*, *Daniel*, Apoſtolis interea tamen Deus eccleſiæ æternæ reliquias ſervabit: ubi tuas literas accepero, iter ingrediar, quæſiturus τὸ μαλθακὸν vel apud vos, vel in patria. Bene vale & reſcribe, die undecimo Decembris. Anno à *Chriſto* nato. M. D XLVI. *Servestiæ*.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

NUllius hominis in vita conſuetudo mihi jucundior fuit, quàm tua, & ſpero conjunctionem noſtram tum exemplo profuiſſe multis bonis, tum verò etiam in ſtudiis literarum, judicia aliquorum rexiſſe. Et deinceps profuturum ſpero. Non enim frangor animo propter hos tumultus, quia eccleſiam Dei manſuram eſſe non dubito, etiam inter ruinas regnorum, quæ multas triſtes mutationes multis de cauſis habent. Etſi autem animorum diſtractio nulla erit, & amicitiâ noſtrâ in æterna vita fruemur, tamen nunc doleo impediri familiaritatem ſeu congreſſus noſtros. Iſtuc enim non accedam propter ſermones malevolorum in utraque parte, multi enim ſunt ubique. Nec tantum meo ſed etiam tuo periculo moveor. Et fortaſſis proderit aliquanto poſt Reip. nos nunc non præbuiſſe ſermones aulis. Tibique & honeſtiſſimæ conjugi tuæ gratiam & habeo & debere me profiteor, quod hoc triſti noſtro tempore tam amanter pollicemini Ep. 710.

nobis & officia veſtra, & fortunarum ſocietatem; Deus viciſſim tibi & tuis benefaciat, ut ſcriptum eſt: *Beatus vir qui intelligit ſuper egenum & pauperem.* Redii in oppidum *Aſcaniorum*, quia Senatus *Parthenopæus* metuens frequentiam abhorrebat à Publ. prælectionibus. Urbs *Brenni* nos invitârat offerens etiam ſumtus. Sed ſi flectet ad pacem animos Principum Deus, redibo ἐς μαχομένην ὑμετέραν. Sed profectò cum cogito quales ſint naturæ Principum, deinde quorum peccatorum hæc mala τιμωρίαι ſint, dubito quantum meus Dominus apud utrumq; obtinere poſſit. Et tamen ſpero Deum mediocres eventus daturum eſſe. Senator quidam *Parthenopæus* nuper dixit de bello fœderatorum, τυφλὸν εἶναι τοῦτον πόλεμον, καὶ ἔχοντας ὑγιῆ ὀφθαλμοὺς, οἳ ἐσβάλλουσι τοῦτον πόλεμον, τυφλοὺς γίνεσθαι. Rectè ille. Cum igitur noſtris conſiliis res obſcuriſſimæ regi non poſſint, Deum oremus ut ipſe gubernet, & ſervet Eccleſiæ ſuæ reliquias: memini me videre ἐν ὀνείρῳ quoſdam κολυμβῶντας ἐν ὑψηλῷ τείχει, καὶ ἐξιέναι τὸν ποταμὸν ἄλλον αἱματόεντα. Et tamen ſedimus illæſi, quod utinam ſtudiis ſignificet reſtituendam eſſe ſedem tranquillam. Scripſi ſubitò & mitto aliam epiſtolam ad *Macedonem*, quam exhiberi volo, priorem mihi afferat *Ulricus*. Bene & feliciter vale. Deus ſervet te & honeſtiſſimam conjugem tuam. Hodie tuam *Græcam* Epiſtolam accepi, & honeſtiſſimæ conjugis tuæ, cui reſpondebo brevi. Iterum vale, die XVII. Decembris M. D. X L V I. Allatæ ſunt literæ *Argentoratenſes*, quæ tamen adhuc ſunt *Vorteberga*, ubi accepero tibi mittam.

Joachimo Camerario Pabergenſi S.D.

Ep. 711. EGo verò nec periculi mei, nec mearum difficultatum cogitatione valde excrucior, etſi his quoque moveri me pietas eſt: Sed alii triſtiſſimi dolores privatas cogitationes omnes obruunt. Honeſtiſſimorum & ſanctiſſimorum hominum ſanguis exorbetur ab iis, qui hæc mala *Senensis* conſiliis inſtruxerunt. Deinde ſtatus harum regionum, Eccleſiæ, ſcholæ, judicia, diſciplina, denique omnia vera decora delentur, cum alibi nullæ toto orbe terrarum fuerint florentiores politiæ. Nec nulla in nobis culpa eſt. Sed plus culpæ eſt nunc in his, qui faces patriæ injiciunt. Tibi gratiam habeo, quòd noſtro dolore afficeris & quòd filiam ad te mitti jubes, fortaſſis in vicinam *Parthenopen* ibimus. Sed hæc me cura minimè angit. Deum nobiſcum orato, ut hæc mala mitiget. Bene vale.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 712. ETſi multa acciderunt his viginti annis, quæ nollem, καὶ οὔτε αὐτὸς αἴτιος εἶναι καυχῶμαι, οὔτε ἄλλους ἀναιτίους ὑπολαμβάνω, tamen motis controverſiis, verum eſt, magnam partem doctrinæ cœleſtis rectè illuſtratam eſſe, & id officium poſtulari divinitus non dubium eſt. Hâc me conſolatione ſuſtento, in his periculis, quæ non nunc primùm impendent. Sed nunc aliquanto atrociùs denunciantur, quàm antea. ἀμφότεροι ἔγραψε τῷ μακεδόνι, ὅτι ἐθέλει διαιτητὴς ἢ διαλλακτὴς γίνεσθαι. Sed *Macedo* reſpondet graviter. Te oro, nè iter literarum tuarum his tumultibus impediri ſinas. *Franciſcus Hiſpanus*, ut matri dolorem leniat, *Italiam* petere decrevit. *Staphylum* ſcias mox poſt mercatus *Lipſici* πανήγυριν ad *Balticum* litus profectum eſſe. De lite miratus ſum tuas literas. Nam ego περὶ ἔριδος citavi *Homeri* verſum à *Vergilio* redditum. Non dixi ἀπλῶς. Etſi vel errore acerſitum optârim *Laten*. Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* & te & domeſticam Eccleſiam tuam & honeſtiſſimam conjugem, & harum regionum Eccleſias ſervet. *Laterenſi* mittam hâc ſeptimanâ ἀντίγραφον quod petit. Nam aula me impedivit reverſum. Bene vale M. D. X L V I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

OMninò fatalis pœna eſt, hæc *Thebana* hiſtoria triſtiſſima, quam diu metui, ſemina in animis gliſcentia τῶν ἡγεμόνων καὶ συμβουλευτῶν conſiderans. Et confirmari in templis & aulis quædam vicia dolui, quæ poterant emendari, & emendari neceſſe erat. Sed præterita quid repetimus? Fortaſſis & *Macedo* abjecit inſtituta conſilia de pace quadam deſperatione, οὐκ εἰδὼς ὅτι ἄνθρωποι μᾶλλον καρδίαν κεχάλασθαι, αἱ ψυχαὶ φλογιζόμεναι ὥσπερ πυρὶ εἰσδυομένου διὰ ποταμοῦ. Confugiamus igitur ad conſolationes, divinitùs propoſitas, & ſperemus etiam in hac triſtiſſima μεταστάσει, tamen manſuram eſſe Dei Eccleſiam, ac peramus, ut Deus in ira ſua recordetur miſericordiæ, ut verbis utar divini vatis. Et conſtantiſſimè ſtatuamus vocem Filii Dei veram eſſe: *Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt.* Illud autem te oro, ut ſi veſtra urbs non eſt tranquilla, cum familia tua huc in coloniam veterem *Soraborum* venias, aut certè ad Principem *Joachimum*, qui cum mihi obtulerit hoſpitium, te multò libentiùs excipiet. Nec longum iter eſt, & tranquillum ſpero hoſpitium fore, donec Deus ſedabit hos motus. Bene & feliciter vale, ac reſcribe, vel veni potiùs. M. D. X L V I. Ep. 713.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

MUltorum hominum in hac fuga noſtra rationes & ſpes mihi fuerunt impoſitæ. Neque ego ullius, quantum res conceſſit, opinionem fruſtratus ſum. Sed neutiquam potui tantum efficere, quàntum cupiebam. Collectam quandam imbellem manum abducere longiùs cogitabam. Sed cum reſciviſſem in maximum diſcrimen venturos omnes, ſi progrederemur, neque reculas tutas, neque corpora inviolata futura, convertimus iter, & diſſipati, ubi quique ſe inventuri ſedem ſperârunt, eò nos contulimus. Ego in oppido *Serbeſte* commoror. Manebo quandiu potero. Nolim autem ullos μεγαλαυχῶν, quaſi rebus jam confectis. Adhuc enim negotia iſta imperfecta ſunt, καὶ ἔτ' ὄπισθεν ἀμφότεροι οὗτοι ἔσαι. Qui fortaſſe corripiet eos, qui nunc ſecuri ſunt, & deinde item alios. Magni enim & ſævi fluctus commoti ſunt, qui facilè ſedari non poterunt. Sed nos ad noſtrum præſidium confugiamus, & invocemus Patrem Domini & liberatoris noſtri *Jeſu Chriſti*, & oremus, ut noſtri miſereatur propter nomen ſuum, & conſervet Eccleſiam: Cui Deo miſericordiarum te quoque & tuos commendo, Vale. M. D. X L V I. Ep. 714.

Joachimo

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 715. ETſi ſerò fortaſſis moneo, tamen hunc meum nuncium miſi, quem ſine periculo per agmina *Hunnorum* equitum, & aliorum militum iter facere poſſe arbitrabar. Quanquam per Principem *Aſcanium*, qui in caſtris eſt Electoris, & per Comitem *Oldenburgium*, qui te propter eruditionem complectetur, ſpero potuiſſe perfici, nè quid à te vel Principe *Georgio* peteretur, quod gravatim facturi eſſetis, tamen dubito, ut iſtic manere potueritis, tu & Princeps. Certè ἀσφαλέστερον eſt in hac vicinia in oppidis *Aſcaniorum*, hoc tempore eſſe. Quare ut vel *Deſſam*, vel huc tranſvehas familiam iterum te adhortor, & hodie διαβῆναι te invitavit Princeps *Joannes*, méque ut tibi id ſignificarem juſſit. Video te magnis doloribus conflictari, quibus Deus haud dubiè medebitur, quem ſcio non deſerturum hunc noſtrum gregem ſcholaſticum. Nota ſunt autem tibi omnia, quæ non ſolùm à philoſophis de tolerandis fatalibus motibus traduntur, ſed etiam quæ divinitùs propoſita ſunt de cauſis humanarum calamitatum, & veris remediis. Si humana argumenta colligimus, plus periculi eſt Electori & ejus gentibus, quàm alteri parti. Habet enim alter συμμάχους potentes, ardentes odio cauſæ & hominis. Et noſter multos alienat, nec illud *Cyri* unquam cogitavit, θηρᾶσθαι συμμάχους ἀγαθοὺς καὶ λόγοις, καὶ ἔργοις. Denique aſtra metuo. Sed cum Deus promiſerit ſe eccleſias ſervaturum eſſe, & eis aliqua attributurum hoſpitia, petamus & expectemus à Deo auxilium, vel ſi fractus illabatur orbis. Si te Oeconomicæ curæ exercent, Deo juvante, remedia invenientur. Sed hoc ipſum eſt miſerum, ſpectare tantum patriæ, & earum civitatum, quas ſimili amore, ut patriam complectimur, incendium. Eſt omninò. Sed tamen vult Deus, ut animos à mœſtitia abducamus, & aliquo modo in expectatione cœleſtis auxilii acquieſcamus. Meminiſti enim *Pauli* vocem, ἡ εἰρήνη τοῦ θεοῦ ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν, φρουρήσει τὰς καρδίας ὑμῶν, καὶ τὰ νοήματα ὑμῶν ἐν χριστῷ Ἰησοῦ. Si fatemur promiſſiones divinas non eſſe irritas, aliquo modo in eis acquieſcendum eſt. Deſino, ac literas tuas expecto. Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* te & honeſtiſſ. tuam conjugem & dulciſſ. liberos ſervet. IIII. Jan. M. D. X L V I I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 716. HOneſtiſſimum exemplum civitatis *Atticæ* meminiſti, quæ *Thebanis* exulibus hoſpitium præbuit deletis *Thebis*, cum quidem Victor edictum propoſuiſſet, nè in *Græcis* civitatibus reciperentur, qui illi triſtiſſimæ cladi ſuperfuerant. Poſtea Victor ipſe *Atticæ* civitatis officium laudavit. *Florentia* & *Ferraria* exules *Græcos* Argyropylos & Gazam exceperunt. Nunc non ſolùm nobis hoſpitium offert *Norberga*, ſed ut audio ſcholaſticos etiam pauperes multos, qui ex utraque Academia illuc venerunt, alit. Deus reddat gratiam *Norbergæ* pro hoc pio officio, & ſervet aliqua doctrinæ & virtutis domicilia. Mitto tibi exemplum literarum quas ad ſenatum ſcripſi, quod, ſi videbitur, leges. Valde autem te oro, ut de tuis rebus ad nos ſcribas, poteris enim literas mittere in arcem *Vinarienſem* ad *Johannem* *Koſtner*, virum integerrimum & tui amantiſſimum: decrevi ad te expatiari, ubi intellexero te *Erfordiæ* aliquantiſper commoraturum eſſe. Pertexo nunc in hac ſolicitudine munus debitum tuo filio, dialecticen. Speremus enim Deum ſervaturum eſſe Eccleſiæ & doctrinarum ſemina, ut toties vox divina promiſit, nóſque curæ eſſe Deo non dubitemus, vel ſi fractus illabatur orbis. Bene vale. Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* ſervet te & honeſtiſſimam conjugem tuam & dulciſſimos liberos tuos. V I I. Calend. Febr. Anno M. D. X L V I I.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

HAnc epiſtolam Idib. Februarii dedi *Michaelo Franco*, qui in Academia *Pomeranæ* utiliter docet Elementa doctrinæ de motibus cœleſtibus, & univerſam Philoſophiam ſtudioſè colit. Te autem quantum amet, nunc ſolicitudine de te ſua oſtendit. Prius ei nihil fuit in noſtro congreſſu, quàm ut de tua incolumitate interrogaret, ac valde lætatus eſt, te & familiam obſidionis pericula vitâſſe. Cúmque ſperaremus te jam *Erfordiæ* reſtitiſſe, tam longi itineris laborem eo ſibi leviorem fore affirmabat, ſi te videre poſſet. Quare ſi ad te veniet, & propter communia ſtudia, & propter tui amorem, eum complectare. Te etiam adhortor, ut mœrorem, quem propter publicas miſerias circumferimus, conſpectu tuorum tibi leniás. Ego tot jam annos propter cauſas horum malorum, cùm quidem alii ἀμεριμνοῦντες, me deriderent, magno in luctu fui. Ac nunc, etſi excrucior propter hos eventus, tamen propter cauſas magis doleo, méque fiduciâ miſericordiæ Dei utcunque ſuſtento, qui Eccleſiæ opem feret, & hoſpitia aliqua ſtudiis concedet. Tuas literas expecto. Bene & feliciter vale. Deus te & honeſtiſſimam conjugem & dulciſſimos liberos ſervet. Idib. Februariis, qui dies eſt victoriæ *Macabæi*, quâ vicit *Nicanorem* ſuperbè minitatum templo. Ep. 717.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

HEri cùm tuam mihi epiſtolam tabellarius vetter exhibuiſſet, venit ex *Pruſſia* quidam noſter auditor mediocriter doctrinà excultus, qui & Principis & *Sabini* literas attulit. Filium tuum, Dei beneficio, rectè valere audio; meam filiam Dux ipſe ſcribit periculoſo morbo conflictari. Quod & Somniis aliquoties mihi ſignificatum eſt. Ego me & in privatis & publicis doloribus hâc conſolatione ſuſtento, quam Deus nobis tradidit, miſſo Filio, quem fecit ἁμαρτίαν, ut nos fieremus δικαιοσύνη θεοῦ, & propter ipſum, & per eum. Nihil poteſt triſtius peccato dici. Rurſus nihil glorioſius Juſtitiâ Dei. Cùm igitur id quod eſt triſtiſſimum, derivatum ſit in Filium, ut nobis parceretur, nóſque illâ magnâ gloriâ ornati ſimus, ut dicamur γενόμενοι δικαιοσύνη θεοῦ, non frangamur animis: Sed à Deo æterno Patre Domini noſtri *Jeſu Chriſti* petamus & expectemus auxilium & defenſionem, qui certè non deſerit ſtudioſos doctrinæ cœleſtis. Hac te conſolatione etiam erigito, nec propter minas Imperiorum ita excruciemur, ut Deo iraſcamur. Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* ſervet te & honeſtiſſimam Ep. 718.

mam conjugem tuam, & dulciſſimos liberos tuos. A
Sturciadæ viro integerrimo ſalutem opto. Bene vale. Idib. Martiis, Anno M. D. XLVII.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 719. ETſi privatæ ærumnæ me medioeriter exerucibant, tamen vetus dolor, quem de Eccleſia multos annos circumtuli in animo, major eſt, Deumque æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu* B
Chriſti oro, ut publicas & privatas calamitates leniat, nec ſinat deleri Eccleſias, ſtudia literarum & diſciplinam. In tanta diſciplinæ laxatione pœnas ſequi neceſſe fuit. Et adhuc deſidero in iis qui docent, ſtudium revocandi homines ad veram diſciplinam. Nec multi ſunt apud quos gemitus edere his de rebus aut liberè queri poſſim. Victor dux, *Aſcanio* ſpem fecit ſibi Eccleſias & doctrinæ ſtudia curæ fore. Cætera ab aliis tibi copioſè ſignificari non dubito. Bis ad C
me Elector *Marchio* ſcripſit, ac petit, ut migres in Academiam ſuam ad *Viadrum*. Reſpondi me arbitrari te rediturum eſſe in Academiam *Lipſicam*, ſed tamen me tibi ſignificaturum eſſe ipſius erga te benevolentiam: de me nondum ei promiſi. Revocant me amici, cum quibus conjunctiſſimè vixi, & Eccleſiis harum regionum profuiſſe noſtrum conſenſum judico. Poſtquam igitur cum illis collocutus fuero, de meis rebus tecum etiam deliberabo. D. *Stibaro* gratias agito D
reverenter pro viatico mihi miſſo. Meam filiam *Annam Sabini* conjugem ſcito cum ſignificationibus non obſcuris, pietatis erga Deum, maritum, & natos, placidè ex hac vita deceſſiſſe. Bene vale, Idib. Junii Anno *Chriſti* M. D. XLVII.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 720. CLariſſime *Joachime*, ſcio tantam eſſe gravitatem & virtutem tuam, ut benevolentiam erga me tuam non mutatura ſint tempora. Nè an- E
tea quidem talis fortuna mea fuit, ut propter eam fuerit expetenda mea amicitia; dilexi & diligo te propter virtutem tuam, & amicitiâ noſtrâ fruemur in æterna conſuetudine, etiamſi hi tumultus Imperiorum nos unà vivere non ſinent in hujus vitæ curriculo. Nec ego procul à meta abſum. Res utiles. cùm incidiſſem, meo quodam fato, in magnam confuſionem diſputationum, evolvere ſtudui, & veritatem quæſivi, cujus meæ F
voluntatis teſtem habeo Deum περὶ θεογνωσίαν, & fui adhortator juventuti ad diſcenda utilia, utinam & rectiora doceant qui ſequentur, & ſint feliciores. Intueor mente exitum conventûs *Ulmenſis*, qui an redditurus ſit Eccleſiis & imperiis ὠφέλιμος, res oſtendet, de me non valde ſum ſolicitus: ſcio Eccleſiam Deo curæ eſſe, & nos in Eccleſia Dei ſeptos eſſe ipſius tabernaculo, ut *Pſalmus* inquit, Et dabit καὶ βασιλεῦσι τὸν ψυχῶν, ut dicitur: amicis alicubi hoſpitia quæro; de *Milichio* ſcripſi ad *Hieronymum*, quæſo ut tu quoque G
ſis hortator, ut ſi erit occaſio, ejus ratio habeatur. *Cornelii Sitardi* eruditionem & candorem ſcio tibi voluptati eſſe, cui meis verbis ſalutem dicito. A te præter proximas epiſtolas non accepi antea totis tribus menſibus, niſi unicam apud *Stibarum* ſcriptam. Libenter tibi quaſdam meas epiſtolas mitterem ad *Obernburgum* ſcriptas. Sed colloquemur ut ſpero, in autumno. Gratiam tibi habeo, quòd mederi domeſtico meo vulneri ſtudes. Deus mitiget publica & privata mala. Bene vale cum honeſtiſſima conjuge & dulciſſimis liberis.

Audi hiſtoriam inſuavem: *Lembus* ille tuus in concione palàm juſſiſſe fertur Deo gratias agi, quòd Dux *Saxonicus* captus ſit, deinde etiam peti, ut Deus flectat ejus animum ad relinquendam hæreſin *Lutheranam*; Hiſque uſus eſſe verbis, ſignificationem indignationis manifeſto fremitu multis bonis viris oſtendentibus. Hæc adeo ſunt dira ut execrandam habeant narrationem. Neque poſſum credere vera eſſe, qui, ut ſcis, facilis ſum ad credendum. Sed nôſti hoc, φήμη δ' ὅτις πάμπαν, & mihi literis iſta indicantur. Interea tamen ὁ δήμαρχος nos vocat. Nè te quidem puto ſuaſorem fore, ut illius ſycophantæ fiam δυσφήμημα κωμικόν. Quæſo ut mihi ſæpiùs ſcribas. Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* ſervet te & tuam Eccleſiam domeſticam. Iterum vale. M. D. XLVII.

Abſolvi in hoc exilio, promiſſum filio munus, & ita pertexui, ut ſperem adoleſcentibus profuturam lucubrationem ad judicandum, ſed tamen te *Ariſtarchum* eſſe volo. Conjugem Ducis *Boruſſiæ* ſcis fortaſſis paulò poſt meæ filiæ mortem, ex hac mortali vita etiam ad æternam conſuetudinem Dei evocatam eſſe.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

LOngam Odyſſeam tibi noſtrorum errorum Ep. 721.
ſcribere poſſem, ſed coràm exponam, Deo volente. Me primùm collegarum voluntas, deinde itinerum pericula & alia συναίτια detinuerunt: ſed acceſſit quædam ſeu ex ignavia orta, ſeu judicio ſuſcepta contentio, quò minùs procul diſcederem. Nolui ſuſpitionem ullis præbere, me cupiditate, aut ſtudio novarum rerum in ea loca accedere, ad quæ vocabar. Adhuc igitur in his regionibus donec Deus volet maneo, ſi poterit fieri, noſtram μυρμηκίαν inſtaurare cupimus. De te audivi Principem honorificè loqui. Nunc cum *Crucigero*, paſtore noſtro & *Paulo* ad nidulos noſtros redeo, ubi quàm diu futurus ſim, neſcio; ſed ubicunque ero, memoriam tuæ erga me benevolentiæ circumferam, uſque ad illam æternam conſuetudinem noſtram cum Filio Dei, & Prophetis & Apoſtolis. *Eſromi* conſpectus *Lipſiæ* mihi levationem aliquam dolorum attulit, quem & propter ipſius virtutem, & propter te valde diligo. Tuum reditum & optari & expectari à Principe & præcipuis viris intelligo. Cætera coràm. Nam aut iſtic aut hic te videbo, ſi vivam. Bene vale, VIII. Calend. Septemb. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo.

Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* ſervet te, & honeſtiſſimam conjugem tuam, & dulciſſimos liberos.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

QUod fauſtum & fœlix ſit, redii ad orphanos Ep. 722.
meos, quorum conſpectus me quotidie de mea & Eccleſiæ orbitate commonefacit. Videmus

mus enim nos præſidia humana nulla habere. Sed meminerimus vocis Filii Dei, *ἐν ἀγίῳ ὑμᾶς ἐγχαρίς.* Domi maledicas epiſtolas reperi; &, ut fit vulgus atrocius, ſcriptas ab amicis. De libro D. *Pom.* paſtoris noſtri mecum expoſtulant, quem ſceleratè facere ſcribunt, quod non, ut *Ambroſius,* in re leviore uſus eſt ſeveritate, adverſus *Theodoſium* Principem alioqui bene meritum, feriat anathemate hunc juvenem, qui bellum cum cognato geſſit. Etſi video eos qui hæc ſcribunt, indulgere ſuo odio, tamen nè perpetuò talia audiam ex his regionibus, vel *Byzantium,* ut jocari ſoleo, fugiendum erit. Quid velint, an Eccleſiæ, an ſuis affectibus ſerviant, ſatis ſignificant. Sed omitto hæc. Adeſt & ex *Marchia* legatus cum mandatis ac literis Electoris *Marchici,* mihi ut hortator ſit migrationis in *Marchiam.* Decreveram initio, cùm ad *Hercinia* juga veniſſem ante exitum conventûs nulli Principi me addicere, eáque in ſententia manſiſſem, niſi accerſitus *Aſcanii* literis *Lipſiam* veniſſem, quò non accedere, ſuperbia videbatur. Poſtea vel propter Academiæ noſtræ nomen, vel quia deſerere collegas nolui, vel dolore fractus, huc redii; qua in re ſi erràſſe dicor, nihil contrà diſputo, ac veniam errori dari peto, Deúmque oro, ut & huic errato, & aliis noſtris magnis peccatis medeatur. In hac ſenecta, & nondum reſtincto belli incendio, condere alibi ſcholam, non videbatur tempeſtivum. Nec à *Marchia,* pauca aut leves cauſæ me deterrebant. Cur non in patriam, inquies, ad fratrem, aut in Academiam *Suevicam,* profectus es? Nondum eam cogitationem abjeci, ſed tamen multa dehortantur. Jam ſcis in aula *Suevica* diverſa ſtudia eſſe, *καὶ ἔνια περὶ δογμάτων.* Et, ſi ardebunt illæ regiones bello *Elvetico,* non dubitandum eſt, arſuras eſſe etiam diſſidiis doctrinæ. Etſi ſæpe cogito, tali tempore, quid mihi faciendum ſit, tamen contentiorem me magnitudo rerum facit. Hæc tecum locuturus eram, ut tua conſilia audirem, téque oro, ut de his meis dubitationibus cogites, & de tuo judicio aliquid ſignifices. Nunc in eo conſilio acquieſco, nihil ut ante exitum conventûs moveam. Paſtor Eccleſiæ noſtræ bonus & mœſtus ſenex, lapſus de ſcalis in ædibus ſuis aliquo cum periculo, duriter affixit parieti ſpinam dorſi, ac nonnihil ægrotat; ſed ſpero vitæ non eſſe periculum. Signo moveor, uſitatum eſt enim *περὶ τὰ ὀψάτης τοὺς γέροντας νοσεῖν.* Deus adſit nobis omnibus & nos regat. *Georgius* Major convaleſcit, ut aiunt, etſi video adhuc imbecillitatem magnam eſſe, lætabatur adducto filio. Bene vale, pridie Encæniorum templi *Hieroſolymorum,* cujus hiſtoriæ cogitatio dolorem mihi hac nocte de noſtris miſeriis admodum auxit. Iterum vale. Anno M. D. XL V II.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 723. GRatiam tibi habeo pro epiſtolis & crebris, & eloquentiſſimè amantiſſiméque ſcriptis, pro quibus etſi incultas remitto, tamen plenas eſſe amoris erga te ſcias. Etiam ſi quid mihi fuiſſet ingenii, varietate eorum negotiorum, quæ me multis annis exercuerunt, & mœſtitia conſumptum eſſet. Deinde tanta eſt magnitudo & confuſio rerum, quæ nunc aguntur, ut vix longis voluminibus capita recenſere poſſimus. *Lycaon* in hac vicinia novum bellum accendit. *ὕβρις καὶ μαγνῆτας ἀπώλεσε καὶ κολοφῶνα,* inquit *Theognis.* Noſtros evertit inſolentia. Arbitror idem eventurum iis, qui nunc ſuperbè victoria utuntur. Erit & conventus *Auguſtanus* novi belli claſſicum, præſertim ſi Myſteria illa *Grudiorum,* ſeu, ut alii narrant, *Groperi* proferentur, munita edictis haſta *Caroli* ſcriptis. Sæpe hoc triſtiſſimo tempore intuens diſſipationem Eccleſiæ, toto orbe terrarum, & Principum ac docentium diſtractiones, in ipſis precationibus illam *Pauli* vocem repeto, ut velit Deus *πάντα ἀνακεφαλαιώσασθαι ἐν τῷ χριστῷ.* Arbitror enim & ipſum Apoſtolum hoc uſum verbo, contemplantem generis humani diſtractiones horribiles & infinitas, quòd tandem ad unum caput agglutinabitur, quod ut citò fiat, toto pectore opto. Confeſſionem *Auguſtanam* eò te in *Græcam* linguam transfundere gaudeo, quia pro noſtris horridè ſcriptis, habebunt ſtudioſi tua illa nitidiùs ſcripta, & legent plures. Te tamen optârim brevia illa *κεφάλαια* longioribus explicationibus ornare. Nemo tunc nos adjuvabat. Et erat non exigua confuſio diſputationum. Nunc aliquanto aliter res eaſdem inſtituerem, & recitarem quædam prolixiùs. Tuam *ἐπιχείρησιν,* quam ante annos aliquot inchoâſti, abſolvi admodùm utile eſſet. De meo reditu ad *Albim* quid ſcribam? ſermones ſcio inſuaves ſpargi, ſed brevi hâc moleſtiâ, ut ſpero, liberabimur. Fruſtra enim quibuſdam videtur oſtenſa eſſe ſpes inſtaurationis, quoque utuntur noſtri collegæ firmiſſimo argumento, eo fortaſſis lædimur, qui prodeſſe dicunt Eccleſiæ, ſervari hanc doctrinæ ſedem. Profectò in hac vicinia, ſi hic nulla erunt doctrinæ ſtudia, barbaries Eccleſiarum ſeu vaſtitas triſtiſſima erit. Nec rarò venit in mentem vaticinii undecunque eſt, quod ait *τὸ μωρὸν ἐκτίκειν,* quod Deus prohibeat. Si non procedet Inſtauratio Academiæ, de meo exilio tecum deliberabo; non cum illis, qui me ſuo arbitrio, odia exercere volunt, quaſi ipſi nihil peccârint. Ubicunque autem ero, veri Dei invocationem & eandem doctrinæ vocem circumferam, quam ſonant noſtri libelli. Typographus ſocer *Andreæ Aurifabri* Medici, ut ſpero, ex *Pruſsia* brevi literas à filio afferet. Bene & feliciter vale. Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* te & honeſtiſſimam conjugem tuam & dulciſſimos liberos ſervet incolumes, Calend. Septemb. Anno M. D. XL V I I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

ETſi nec Eccleſiæ Dei, nec doctrinæ ſedes certa promiſſa eſt, ut ruinæ *Solymorum* & multarum florentiſſimarum urbium in *Aſia* oſtendunt, tamen cùm Deus clementer hujus oppidi tuguriolis pepercìſſet, ſervari ibi & doctrinæ ſedem optavi. Ac Deo eventum commendo. Tibi verò gratias ago qui nobis opem ferre ſtudes, nóſque *κατάγῃς εἰς ταύτην νῆσον,* ut *Meſſenios* olim *Attici.* Neceſſe autem erit nos ad Principem & ad *D. Cumerſtadium* ſcribere. Fortaſſis ipſe ad *D. Cumerſtadium* proficiſcar, quod ſi fiet, te orabo, ut unà proficiſcaris, non modò, ut comes, ſed etiam ut orator in cauſa non mala. Sed hæc coram. Mitto tibi geneſes, & Rectori, *Hermolai* Epitomen libellum tenuem, ſed tamen cujus le- Ep. 724.

ctio

ctio minùs illi inſuavis erit, quàm mihi ſphingos lectio fuit: delectatus ſum alluſione ad ſomnium, quod jam non veniſſet mihi in mentem. Sed ita fiet omnino, *Paulus* Apoſtolus eandam ſerpenti præcidet. Rectè à te factum eſt, quod miſiſti nobis illam reprehenſionem mearum ſententiarum, ſeu potiùs Apologiam opinionum, quas adverſarii tuentur. Etſi autem verè doleo vicem *Viti*, viri docti & honeſti, tamen diſputationem ipſam libenter legi, quia in tanta cauſa prodeſt collatio judiciorum ad veras ſententias in animis confirmandas. Sperabam autem eum ut virum doctum deducturum nos eſſe ad ſyncerae antiquitatis teſtimonia, ſed, ut video, deducit nos ad multitudinem, ϰ̀ ὁ πλῆθυν συρφετὸν opinionum, quæ unde irrepſerint in Eccleſiam, nemo monſtrare poteſt. Et defendit quædam ἀδιανοήματα, de quibus tenebræ tot gentium & ſeculorum non ſatis deplorari poſſent, etiamſi tanta flumina lachrymarum ſinguli funderent, quantum undarum hic noſter *Albis* vehit. ſæpe enim hoc cogito, aſpiciens flumen. Reſpondebo placidè & paucis, non enim inſtituam refutationem in rebus manifeſtis & toties explicatis. Quid enim attinet diſputare cum eo, qui αἴτημα ſibi concedi poſtulat: *Nihil in Eccleſia*, id eſt, in multitudine, *errorum eſſe*. Sed hæc aliàs, ad *Aleſium*, cui mittam *Viti* epiſtolam ſeu volumen potiùs. *Laterenſi* præfationem Deo juvante jam inchoabo. Nam & *Aſcanio* hactenus & noſtro Juriſconſulto *Francofordiam* migranti hos dies tribuimus. Mitto *Laterenſi* ſententiam de quæſtione conjugii, ſuntque ὑπογραφαὶ additæ. Te quæſo ut & ei exhibeas, & mihi ſignifices, an acceperis ipſe hunc faſciculum. Bene & feliciter vale, dic Brumæ, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 725. ETſi ſcribit *Demetrius Phalerenſis Ariſtotelem* ſolitum abrumpere narrationes rerum graviorum in epiſtolis hac excuſatione, οὐ γάρ ἐστιν ἐπιστολικόν, tamen ego de his ipſis rebus graviſſimis, de quibus nunc deliberatio eſt, multa ad te ſcriberem, ſi certò perventuras ad te literas exiſtimarem. Qua enim de re potiùs vel coram, vel in epiſtolis colloqui poſſumus, quàm de Deo, & Eccleſiæ ſalute? Audio honeſtas ſententias dictas eſſe ab omnibus ordinibus: Nè vox Evangelii in his Eccleſiis ſonans mutetur. Nec quidem *Octavii* pater probat τὴν νεωτερικὴν συνόδου ἐξήγησιν τῆς δημοκρατίας. Deum oro, ut ſalvus & incolumis videas & complectare totam Eccleſiam tuam domeſticam. Quod *Northuſani* amici epiſtolam legiſti, rectè abs te factum eſt. Et cùm nuncius, quem *Baſileam* miſimus, redibit, legito quas voles, tuóque jure de cæteris omnibus utere: fortaſſe ſciſcitari aliquid poteris *Noribergæ*, iis de rebus, quas narrant literæ *Northuſanæ*. Ego de ea re, de qua hìc deliberatur, etiam aliorum ſententias audiri peto. Bene vale, IV. Calend. Januarii, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 726. TUas literas, in quibus & de moderatione iracundiæ graviſſimè, & de noſtris alveolis amanter ſcripſiſti, exhibuit mihi legendas *Camerſtadius*, cùm quidem hortaretur, ut & ipſe de captivis meam orationem apud Principem ad tuas literas accommodarem, quod feci. De noſtra Academia tibi gratiam habeo, ac redituum donatio liberaliter facta eſt. Sed, ut fit, cùm ſunt fatales ruinæ, inter nos quorundam κακοήθεια, & aliorum πλεονεξίαι bona conſilia impediunt; quâ in re minùs moveor noſtro periculo, quàm hoc metu, nè alienior fiat voluntas τοῦ ἡγεμόνος ab eccleſiis, præſertim cùm multi ſint intenti in omnes occaſiones alienandi ejus voluntatem. Coram planiùs omnia narrabo. Optavi & opto, ut in tanto motu, præſertim eccleſiarum, ſit mediocris tranquillitas, eámque ob cauſam faciliùs induxi animum, ut ad *Albim* redirem, cùm quidem multa me dehortarentur. Sed ſi vincimur triſti aliquo fato, vel potiùs, ſi pœnæ noſtrorum delictorum vincunt, quæ & multa ſunt & magna, & nunc medicinam non admittunt, precabor tamen Deum, ut alicubi ſervet ſemen ſanctum, nec ubique ſinat extingui lucem doctrinæ. Oro autem hunc ipſum Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* conditorem generis humani & eccleſiæ ſuæ, ut te & honeſtiſſimam conjugem tuam & dulciſſimos liberos tuos ſervet incolumes; téque adhortor, ut omnibus officiis valetudinem conjugis tuearis. Nos hìc amiſimus recens duas honeſtiſſimas matronas, conjugem Doct. *Benedicti*, ut ſcis, ac nuper conjugem *Ambroſii* conſulis. Ferrea ætas eſt, vel dira potiùs & infeſta naturæ hominum & civili vitæ; Et nunc inſtat congreſſus duorum καπρίων ἐν αἰγοκέρωτι, quem dicunt inter ſidera relatum eſſe, quia *Pan* ſpecie αἰγοκέρωτος, reti ceperit τυφῶνα, quibus involucris etſi neſcio quid ſit ſignificatum, & *Oſiandri* enarrationem audire cuperem, tamen ſignificari opinor, ſignum eſſe nequaquam placidum. Bene & feliciter vale, XVII. Calend. Febr. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo. *Cornelio Sitardo* Medico ſalutem opto.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

EGo verò tibi potiùs, & debeo et habeo gratiam, quòd à mea amicitia non abhorres, méque multis magnis officiis ornas, qua in re & hæc tua virtus laude digna eſt, quòd nos in hac calamitate noſtra, majore etiam ſtudio complecteris. Hæc et cogito ſæpe, et apud amicos cordatos commemoro. Ad te non ſcribenda eſſe judicâſſem, niſi tua proxima epiſtola amantiſſimè ſcripta, cogeret. Oro autem Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, conditorem generis humani et eccleſiæ ſuæ, ut te et tuam domeſticam eccleſiam ſervet et regat, ac ut cœtus cuſtodes ſalutaris doctrinæ et literarum et diſciplinam in his regionibus tueatur. Plura nunc ſcribere non potui, ſed dabo literas tabellario allaturo lagenulam veſtram prolixiores. Bene et feliciter vale, IV. Calend. Febr. Anno *Chriſti*, milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo. Ep. 727.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

AFfert tibi *Fridericus Livonienſis*, cujus probo candorem, literas à filio et *Scuro*. Ego et *Mathia* epiſtolam mitto. Erumpent tandem illa cabaliſtica ἡ ἀφάνεια, quæ ſi proferentur me vivo, Ep. 728.

vivo, ubicunque ero, dicam quæ dixi hactenus, quæ & recta ſunt, & utilia eccleſiæ. Satis oſtendunt multi, de qua libertate dimicent. Sed Filium Dei oro, ut nos regat, qui quidem ſe inquit pro *Petro* oràſſe, nè fides ipſius extinguatur. Idem ut pro nobis petat, precor. *Sabinus* ducit uxorem filiam ſenatoris *Regiomontani*, quam & ipſe & alii ſcribunt referre meæ filiæ faciem: fui delectatus hac commemoratione, veſtigium benevolentiæ ſignificante. *Caſparem* tibi & *Rhetico* commendo. Bene vale. M. D. L I.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 729. QUo die *Matthæus* iter ingreſſus eſt, accepiſſe te noſtras literas ratiocinor. Atque nunc quidem nihil habemus ἀξιόλογον. Et de iis mutationibus quas impendere metuimus, coram loquemur. Illa enim argumenta, ut *Ariſtoteles* dicere ſolebat, non ſunt ἐπιστολικά, etſi ego quidem noſtras epiſtolas volo de illis ipſis rebus præcipuè concionari. Nihil eſt enim in meis conſiliis aut opinionibus quod occultari velim. Hodie adoleſcens ἄγγελος rediens ex *Auguſtano* conventu, iturus in *Pruſsiam*, hàc iter fecit, ac properat. De Republica non multa narrare potuit:

νῦν γὰρ φροντὶς οὐκ ἀλγεῖν φιλεῖ.

Sed ait expectari adventum filii *Caroli* Imp. eámque moræ cauſam eſſe in deliberationibus publicis. Sperat non conceſſurum *Carolum* Imp. ut *Pruſsia* bellum inferatur. Sed mirandæ ſunt occultationes conſiliorum. *Eberi* hiſtoriam brevi ut ſpero iſtuc afferam. Omnino enim ad vos expatiari decrevi. Hoſpiti tuo ſpero lectionem ejus hiſtoriæ de eccleſiæ ſenecta, aliquam levationem allaturam eſſe mœſtitiæ. Sed plura coram. Bene & feliciter vale. Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* conditor Eccleſiæ ſuæ ſervet te & eccleſiam tuam domeſticam. Iterum vale, quarto Nonas Martii, Anno M, D. X L V I I I.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 730. MUltis conjecturis ratiocinor hoc conſilium inſtituendi fucoſas & futiles compoſitiones dogmatum, ἐν τῷ μεταξύ, non ortum eſſe à *Carolo* Imp. Sed Poetas eſſe eos, quos obſcurè & apertè ſæpe indico, qui putant inveniri poſſe ſimiles διαθήκας, ut ſunt illæ *Ariſtophanica*, μήτε δάκνειν μήτε δάκνεσθαι. Optarim & ego verà authoritate conſuli eccleſiæ, nec judico omnibus de rebus pugnandum eſſe, quæ in hac confuſione diſputationum motæ ſunt. Sed tamen retineri, ut *Paulus* nominat, τὴν ὑγιαίνουσαν διδασκαλίαν περὶ Θεοῦ, καὶ υἱοῦ αὐτοῦ, καὶ διαφυγεῖν ἴδιον τῆς ἐκκλησίας neceſſe eſt. In *Britannia* deliberationes ſunt de doctrina, profectò difficiles. Sed hæc coram. Principium hiſtoriæ, quam edit *Paulus* noſter, tibi & hoſpiti tuo mitto. Cætera coram. Bene vale, die verni Æquinoctii. Anno M. D. X L V I I I.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 731. DE Precatione plena ſinceri amoris erga Deum & erga nos, miſſa per *Franciſcum* & tibi & amicis gratias ago. Et ſcio gemitus & vota tua & noſtra non eſſe irrita. Etſi autem ſæpe deſideravi, ut docti & boni de univerſa doctrina colloquerentur, & relinqueretur poſteritati veræ, ſimplex, explicata, multorum eruditorum & piorum teſtimoniis expoſita ſententia in omnibus articulis, tamen id tempora impedierunt. Interea quantum potui curavi, ut res neceſſariæ mediocriter explicarentur. Non opes non gloriam, non voluptates quæſivi, imò nec φιλαρχίᾳ motus ſum ullâ. Hanc conſcientiam aufero mecum quocunque diſcedo. Nunc diſtrahor à comitibus & *Cellam* vocor: quo concilio? dices. Neſcio, & multa tibi quoque in mentem ventura eſſe ſcio. Sed obſequi literis aulicis decrevi. Et vel ipſe intra octiduum ad te redibo, vel mittam nuncium. *Sabinus* de negotio γαμικῷ ſcribit ad *Bartum*. Res magni momenti eſt, & volui nuncium ex oppido *Lipſia* mittere in *Salinas*. Ibi cum aliæ ſcriptiones hanc cogitationem mihi excuſſerint, nunc peculiarem ad te tabellarium mitto ejus rei cauſâ, téque oro, ut per hominem certum mittas hanc epiſtolam Doctori *Barto*. Significat enim ſe non ducturum illam, de qua collocuti ſunt. Bene & feliciter vale, die Cœnæ Domini, quo multa cogitavi de precatione Filii Dei: *Pater ſanctifica eos in veritate, ſermo tuus veritas eſt.* M. D. X L V I I I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

ET de itinere meo, & de Repub. ſtatim poſt reditum meum ad te ſcribere cupiebam. Etſi enim argumentum ejus generis eſt, de quo ſolitus eſt *Ariſtoteles* dicere, τοῦτο οὐκ ἔστιν ἐπιστολικόν, tamen tibi ſignificari has res, etiam Reip. intereſt. Sed vel dolore, vel occupationibus impeditus ſum, quo minus narrationem inſtitueram aliquanto longiorem. Cum veniſſem *Cellam*, primùm literæ monſtrantur, quæ narrabant mihi ambos *Atridas* valde iraſci. Ea de re ad me vir integerrimus καὶ γνησίως φίλος, *Naſſaenſis* γραμματεὺς bis ſcripſit. Credo igitur, ſed miror, cur mihi magis, quàm *Bucero* aut aliis; cum mea moderatio multas controverſias diremerit, & ad hoc profuerit, ut mediocris forma eſſet eccleſiarum in his præſertim regionibus. Etſi autem meo periculo moveor, tamen hæc privata cura prorſus obruitur cogitatione publicorum malorum. Liber de quo *Ratiſponæ* diſputavimus, nunc rurſus in theatrum *Auguſtæ* profertur, & ornatus eſt fucoſius. Si recipitur, magnæ erunt eccleſiarum in his regionibus diſtractiones, pellentur multi docti & pii ſacerdotes ex ſuis eccleſiis, ut *Arianis* temporibus. Agnoſco λογοδαιδάλους, partim *Moguntinum* illum κόλακα, partim *Lembum* illum tuum, quem eſſe *Auguſtæ* certum eſt. Liber prorſus talis ut eſt, δόλια βουλευτήρια ἀνδρῶν inquit miſerrima *Andromache*, ἑλικτὰ κοὐδὲν ὑγιὲς ἀλλὰ πᾶν πέριξ. Dices ipſam *Andromachen* in ea tragœdia imaginem quandam eſſe eccleſiæ hujus temporis. Jam quæ deliberationes ſint τῶν ἀρχόντων, brevi res oſtendet. Et de hac tota re coram, plura. *Vito* non invideas delicias ſuas ſeu nectar illud, quod haurit ex *Longobardi* interpretibus, quorum tota doctrina præcipuè ex duabus rebus confuſa eſt, ex inerudita philoſophia, & opinionibus ſuperſtitioſis. Non aſtra tantum, ſed etiam negotia ipſa novos & ingentes tumultus *Germaniæ* & eccleſiæ denunciant, quos ut Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* prohibeat, toto cum pectore oro. Bene & feliciter vale. Die tuo Natali. M. D. X L V I I I.

Ep. 732.

Joachimo

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 733. DEliberationem noſtram oſtendet tibi Paſtor eccleſiæ veſtræ, in qua, etſi verecundè ſcripta eſt, & ſententias diximus ἄνευ φιλονεικίας, tamen quædam admonitiones ſunt de libri erratis non levibus. Sed de rebus tantis colloqui nos tecum neceſſe eſt. Quare & ut pagellas hujus deliberationis legas, & ut de ſumma rei cogites, te etiam atque etiam oro. νῦν γὰρ δὴ ξυρῦ ἵσταται ἀκμῆς ταῦτα τὰ πράγματα. Veniam igitur ad te poſt paucos dies, & afferam longiorem explicationem, quàm οἱ ἐν τέλει, qui *Friberga* his diebus convenerunt, flagitant. Oſtenditur ingens utilitas harum conciliationum, quæ & pacem *Germaniæ* redditura eſſe dicuntur, & viam patefacturæ propagationi veræ doctrinæ, & aureo ſeculo Eccleſiæ. His ſermonibus moveor equidem, & ſimul cogito, cum diſſipatio ſit eccleſiarum multiplex, Imperatorem habere cauſam neceſſariam conſtituendi aliquem ſtatum. Sed mihi contra hanc formam, hæc in mentem veniunt: Corrumpi veritatem in quibuſdam præcipuis materiis, & ſtabiliri εἰδωλομανίας, nec paci profutura eſſe hæc conſilia, ſed noſtras eccleſias turbatura, mutato doctrinæ genere, et pellendis bonis paſtoribus. Me igitur graves cauſæ impediunt, quo minùs adjuvare hanc νομοθεσίαν velim. Gentis *Saxonicæ* voluntates ad hæc inflectere difficile erit, magis etiàm *Elvetii* reclamabunt. Accendentur ergo diſcordiæ, et diſcedet Poëta ex theatro, priuſquam fabula peracta ſit. Non poterunt ſanari publica mala fucoſis conſiliis. In illo ipſo capite περὶ δικαιοσύνης manifeſta impoſtura eſt. Interea jactant *Timarga* comprobatam eſſe doctrinam Eccleſiarum noſtrarum in hac nova νομοθεσίᾳ. Multa perfidioſè fiunt. Metuo & meum veterem παραστάτην, qui nunc fide publicâ eſt *Auguſtæ*. Si mihi privatim meo periculo, & meo loco dicenda eſſet ſententia, etiamſi video mihi valde iraſci τὸν αὐτοκράτορα, tamen ſimpliciter & *Socratico* more reſponderem, me non aſſentiri his ſophiſmatibus. Et non aſſentiar, nec tamen impediam, quo minùs ſuo arbitrio potentes conſtituant Rempublicam, ſi noſtræ admonitiones non valebunt. Faciam, donec vivam, quod feci hactenus; dicamq́ eadem, ubicunque ero, & eandem Dei invocationem in mente circumferam ubique, & dicam viſitatâ modeſtiâ ἀνδρείαν. Sed de hac deliberatione tota coram plura, de qua poſtquam multa cotidie cogitavi; refero me tandem ad hanc conſolationem: *Quod eſt ex Deo, non diſſolvetur.* Nec velim noſtras ſententias pervenire ad poſteritatem, ſi non ſunt ex Deo. Oro igitur Deum, ut regat & ſervet Eccleſiam, quam ſcio ſolis hominum conſiliis nec regi nec ſervari poſſe, ut Filius Dei inquit: *Sine me nihil poteſtis facere*, ſed idem jubet nos palmites ſuos eſſe. Spero honeſtiſſimam conjugem tuam & dulciſſimos liberos ad te veniſſe incolumes. Vidi enim in quiete tecum ludentes filios parvos, Voſque ut Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, conditor generis humani & Eccleſiæ ſuæ, & pater orphanorum ſervet, toto cum pectore oro. Bene vale. ἐν τῇ μάνδρᾳ. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

DEo æterno Patri Domini noſtri *Jeſu Chriſti* gratias ago, quòd ad te reduxit incolumes honeſtiſſimam conjugem tuam & dulciſſimos liberos tuos. Ac oro eum, ut Eccleſiam tuam domeſticam & publicam ſervet. De libri *Auguſtani* decretis colloqui tecum cogito. Et eram nunc ingreſſurus iter ad vos, ut meas filias, ad tuam conjugem adducerem. Sed *Aſcanius Cotenſis* me vocat. De *Proclo Eraſmus* reſpondet. Emendatio tua in poſteriore verſu, ſine dubio vera eſt, τούτου γὰρ ἡμάρτον. De priore *Paulus* malebat legere οὐ κοσμικῶν. *Aleſio* des *Anglicas* literas. Bene vale, die *Bedæ Anglici*. Anno M. D. XLVIII. Ep. 734.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

D*Ionis* fragmentum mitto, cujus lectionem tibi voluptati fore ſpero. Nam in narrationibus prudenter eligit res præcipuas, & miſcet orationes & deliberationes non ſtultas, & addit perſonarum inſignium deſcriptiones non ineptas. Etſi autem noſtri dolores aliâ quadam medicinâ indigent, tamen hæc θελκτήρια non ſunt ingrata iis, quorum erectæ ſunt mentes hac divinâ conſolatione, quæ ſperare jubet manſuram eſſe Dei eccleſiam. Quæſo autem ut legas noſtram deliberationem, quam paſtor eccleſiæ veſtræ affert, & legas ut judex & ſeverus cenſor, ἐγὼ γὰρ οὔτε ἰσοδυναμεῖν, οὔτε καταλύειν, οὔτε περὶ οὐκ ἀναγκαίων μάχεσθαι θέλω. Nec tamen abjici res neceſſarias velim, nec velim turbari invocationem ſanctæ conjugis tuæ & ſimilium piorum in eccleſiis noſtris. Etſi autem in tanta diſſipatione eccleſiarum, optandum eſt, ut remedia vera quærantur, tamen hæc quæ proponuntur qualia ſint, vides, eſtque miranda, vel reprehendenda potiùs audacia iſtorum ſapientum, qui de rebus maximis, quas ignorare ſe ſciunt, leges condere auſi ſunt, & quidem in eccleſia Dei. ἐπαΐειν ἐπαΐειν ἰδέαν, καὶ αὐτὸς εἰδέναι, ſed illi nè ἐπαΐειν quidem, quod profitentur, nôrunt. Meum conſilium eò ſpectat, nè qua fiat mutatio eccleſiarum noſtrarum, præſertim cum res oſtendat, hanc, quæ proponitur, turbaturam eſſe piorum mentes & invocationem, & non ſanaturam eccleſiæ vulnera. Spero autem Deum nobis affuturum eſſe & gemitus multorum exauditurum, etſi profectò magna ſunt mea & aliorum peccata, quorum cogitatione cohorreſco. Quòd codicem *Paulinum* mihi miſiſti, gratias ago. Quæ mihi narravit honeſtiſſima conjunx tua, memini, ac Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* conditorem & Servatorem generis humani & eccleſiæ ſuæ oro, ut & tibi & tuis adſit, ac vos tueatur, ut certè ſpero aliquod ſemen ſanctum ſervaturum eſſe. Si non ſumus *Epicurei*, hanc ſpem non tantum, ut dicitur, utraque manu, ſed toto pectore retinere debemus. Scio autem te veriſſimè odiſſe *Epicureos*, quorum vides plenas jam eſſe curias & aulas, quos ut Deus conditor generis humani & Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* reprimat & perdat, cotidie precor. Bene & feliciter vale. Menſe Junio in conjunctione Saturni & Martis in Ariete, quæ fortaſſis accendet bella ad *Rhenum*. Anno. M. D. LXVIII. Ep. 735.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 736. CUm à *Mulda* ripa domum veniſſem, literæ mihi à *Sneppio* exhibitæ ſunt, quibus ſignificat ſe, cùm ad nos proficiſceretur, in itinere defatigatum, à *Franciſco Vinarienſi* exceptum eſſe, ibi noſtras deliberationes expectat. Speravit fore ut Eccleſiæ *Cygneæ* præficeretur. Et, ſi eitiùs adveniſſet, obtineri ea res potuiſſet. Nunc de *Roſtochio* & *Dania* deliberat. Sed mallet in his regionibus manere. Cùm autem *Forſterus* propter vocis exilitatem *Mori* locum non expetat, & fortaſſis *Morus* iſtinc non diſceſſurus ſit, optârim *Torgenſem* Eccleſiam *Sneppio* commendari. Sed id fortaſſis impediet opinio fugæ vel offenſionis Imp. vel quod nunc in *Tyrigetis* eſt. De his rebus coram tecum loquar. De *Fuchſii* epiſtola ſeriò te oro, ut veniam mihi des. Nuper oblitus ſum, cùm in ipſo diſceſſu tam multiplex eſſet ἐνοχλήσεις interpellantium, poſtea quia uxor in mea conclavi decubuit, chartæ diſſipatæ ſunt. Ideo epiſtolam ad te ſcriptam reperire non potui, mitto eam quam ad me ſcripſit. Mitto & *Oſiandri* propoſitiones, quas probo. Sed certamen ἐν παρέργῳ ortum eſt, quod ſedabimus; ſed hanc arbitror velitationem eſſe, ſequentur alia majora prælia. Gratias ago, quòd carmina Eclipſeos & alia miſiſti, pro eo munere vobis *Ptolomei* libellos mittemus. De *Victorini* petitione coram loquemur. Nos eodem tempore hic ſenem *Schurfium* expectamus. Sed plura coram. Bene & feliciter vale. Servet te & univerſam eccleſiam tuam domeſticam Filius Dei cuſtos eccleſiæ. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 737. JUbent aulica mandata, ut ad vos proficiſcar, quæ ſanè λακωνικῶς ſcripta ſunt. An alii etiam iſtic conventuri ſint, neſcio. Mihi quidem ſomnia denunciant & itinera & pericula: quæ Filio Dei commendo, qui dixit, ἐάν τις ἀγαπᾷ με, τὸν λόγον μου τηρήσει, καὶ ὁ πατήρ μου ἀγαπήσει αὐτόν. Etſi enim multa ſunt & mea et multorum errata, et evolvi ex tanta caligine opinionum, res maximæ, ſine lapſibus non potuerunt, tamen Deo voluntas mea nota eſt; et multa rectè explicata ſunt, et ad conſenſum multarum eccleſiarum aliquandiu noſtram explicationem profuiſſe ſpero. Sed plura coram. *Viti* epiſtolam tibi mitto, quæ narrat *Argentoratenſem* tumultum, quem non dubito initium fore novorum motuum in ea *Germaniæ* ora, præſertim prolatis nunc *Eleuſiniis*. Addidi et alias pagellas. Bene vale, VII. Junii, Anno M. D. XLVIII.

Honeſta mulier in loco vicino urbi *Regensburgo* poſt immodicum fluxum ſanguinis, edidit fœtum biennio geſtatum in utero. corpus fuit informe, caput ſimile corvi capiti, oculi grandes, & roſtrum longum. Brachiorum loco pependerunt loculi ſimiles muliebrium marſupiorum.

οἷον βασιλεῦσιν, ἃ προγονίδαι ἐν ἐκκλησίαις;
αἱ καρδίαι, κόλακες εἰσίν.
τὰ σώματα ἄπλαστα.
τὰ πνεύματα, ἅρπαγαι.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

HOneſtiſſimam conjugem tuam rediiſſe incolumem gaudeo, ac Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, qui dixit, *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis*, oro, ut totam Eccleſiam tuam domeſticam ſervet & gubernet. Erunt ei curæ etiam inter ruinas regnorum, familiæ invocantes ipſum, ut ſcriptum eſt, *Generatio rectorum benedicetur*. Vidi dictata ab *Eſilao* de libertatis defenſione. Meminiſti hiſtoriam *Thebanam*, in qua narratur decretum factum eſſe à *Thebanis*, ut libertatem *Græciæ* defenſuri ſe cum ipſis conjungerent. Tales ſunt & hi clamores, non enim pugnant de doctrinæ explicatione. Sed hæc coram. Noſter amicus *Sonipes* dixit, conflatum eſſe ſcriptum veſtri paſtoris colluſione duarum Academiarum, καὶ ἄλλα πολλὰ ὁ μεγαλόνοια τῶν πάλαι φιλίᾳ ἡμετέρᾳ. Sed feramus hæc, & Deo nos commendemus. Hanc epiſtolam tradidi ingenioſo viro venienti ex *Pruſſia*, qui carmen magnâ venuſtate & facilitate ſcribit, cui nomen eſt *Felici Fidlero*. Affert & à filio literas. Epithalamium *Sabino* ſcripſit, unde de vena ejus judicabis. Bene & feliciter vale. Deus te & eccleſiam tuam domeſticam ſervet, ſeptimo Julii. Anno *Chriſti* milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo. Ep. 738.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

ET fatum ultimi temporis eccleſiæ, & pœnas magnorum veterum & recentium peccatorum agnoſco et deploro, cùm de confuſionibus eccleſiæ cogito, quarum longa eſt et inextricabilis tela. Sed ſervabit tamen Deus aliquod ſemen ſanctum, et ut ſervet, toto eum pectore oro. Pagellam vobis mitto, in qua recenſentur διατριβαί controverſiarum eccleſiæ, quorum deliberatio utinam ſalutaris ſit miſerrimæ *Germaniæ*, cujus calamitas verè reſpondet nomini *Almanæ*, id eſt, *viduæ*. Mitto et *Poloni* prædictionem, in qua nihil eſt inſigne præter hanc ipſam particulam, in qua narrat ſtas de eccleſiis deliberationes, quæ nunc inſtitutæ ſunt, futuras eſſe. Doctori *Modeſtino* oſtendi cures patris epiſtolam. Hodie hinc nuncius proficiſcitur *Lubecam*. *Paulus* noſter nunc edit hiſtoriam populi *Judaici* contextam à reditu ex *Chaldæa*, uſque ad *Solymorum* excidium. Prorſus eſt imago hujus temporis. Ideo edi curavi. Spero te conſilium editionis probaturum eſſe. Cætera coram. Bene et feliciter vale. Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* te et tuos ſervet incolumes. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo. Ep. 739.

Si quid *Modeſtinus* literarum ad me mittet, curabo perferri ad patrem. Habemus enim crebros tabellarios.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

ETſi pedem duriter afflixeram ingreſſurus iter, tamen adhuc quidem ita judico, rectius fuiſſe nos huc accedere. Comitas Principum obruit ſtomachationes aliquot τοῦ γέροντος, et voluptati fuerunt noſtri ſermones Principi *Johanni*, cui Ep. 740.

Mihi etiam frater videtur à meo conſilio diſſentire. Quæſo ut cum *D. Stramburgo* delibetes. Scis me non minùs exitus forenſium certaminum, quàm pugnarum metuere. Mitto tibi *Staphyli* epiſtolam de morbo graſſante in *Pannonia*. Scribit & alia de novis diſputationibus Hyperboreis. *Matthias Elbingenſis* ad nos venir, qui narrat hiſtorias, quas coram recitabo. Bene & feliciter vale. Filius Dei te & Eccleſiam tuam domeſticam totam ſervet incolumem. Pridie Calend. Septemb. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 746. DUos ad ſe viros doctos, alterum in doctrina Eccleſiæ, alterum in Philoſophia, & non rudem in ſcribendo, *Pomerani* ante annum mitti flagitârunt. Theologum miſimus, placidâ naturâ præditum, & mediocriter eruditum, &, ut audio, propter modeſtiam gratum Academiæ. Alter locus diu ſervatus eſt *Sciuro*. Poſtea etſi ſæpe interpellârunt *Pomerani*, neminem quæſivi, præſertim cùm tu interrogâſſes, an adhuc res integra eſſet. Nunc in his tumultibus, cùm alli alias ſedes quærunt, venit ad me *Sigiſmundus Naoburgenſis*, doctus & honeſtus vir, nam & ſolutam orationem, & carmen non ſordidè ſcribit, & mathemata callet, ſéque jam medicæ artis ſtudiis dedere cepit; qui cum ſibi locum tradi petivit. Cùm tam diu neminem indicâſſes, proficiſci eum juſſi, ut coram voluntatem Academiæ de tota re exploret. Profectus eſt ante quatriduum. Hæc ita à me ſimplici animo acta ſunt, quæ ut boni conſulas oro. Gaudeo alicubi doctrinarum ſtudia manere, & manſura eſſe ſpero; etiamſi in hac extrema mundi ſenecta erunt ſqualidiores & Eccleſiæ & Politiæ. Quantas injurias tulerim ac diſſimulaverim, propter hoc qualecunque ſtudium excitandæ Philoſophiæ, imò & explicandi horridiores aliquas materias Theologicas multi nôrunt. Nunc alia duriora ferenda ſunt. Sed ſpero Deum nobis mitigaturum eſſe ærumnas. Bene & feliciter vale. Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* ſervet te & Eccleſiam tuam domeſticam. Calendis Septemb. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo. Si *Sigiſmundus* oblatum munus non accipit, tuo amico deferemus.

Forſteri tabellarium miſi ad *Aſcanium*. Principem. Et tamen ei certum locum indicavi. Si volet gubernare Eccleſiam *Ravensburgenſem*, accerſi eum ab ejus urbis Senatu curabimus. Tu quid reſponderis ſcire cupio. Fortaſſis enim & *Philyram* appetit, ut multi. *Matheſius* ait ſe in his præſertim tumultibus non diſceſſurum eſſe à ſua Eccleſia. Literas ejus mitto. Plura coram.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 747. ETſi libenter ad nos Medicorum audiendorum causâ proficiſcor, tamen propter alterum negotium de quo ſcribis, ut veniam, cauſæ ſunt graviores, quod quidem ut regat & adjuvet Deus æternus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, conditor humani generis, & autor illius mirandi fœderis & conjunctionis legitimæ conjugum, & cuſtos Eccleſiæ ſuæ, toto eum pectore oro. Adero igitur Deo juvante. Nono Calend. Octob. *Crucigero* & ejus conjugi placere affinitatem *Pauli* ſcito. Hæc ad te ſcripſiſſem ante iter meum, ſed ſubitò cùm cepiſſem ſcribere avócabar. Cætera coram. Eccleſiam Deo curæ eſſe non dubito. Hàc me ſpe unâ ſuſtento, humana præſidia & conſilia quàm ſint inania, multi jam eventus oſtenderunt. *Rhetico* ſalutem opto, quem ſcio narrâſſe hiſtorias urbium vicinarum ſuæ patriæ minimè jucundas. Unum *Phocylidæ* verſum jam ſapientes didicerunt:

χειρὶ λαβεῖν, μήτ' ἀντιπαθεῖν ἀνάμναι.

Næ ego quidem ſum duriſſimus. Sed tamen modus quidam eſt ejus rei. Plura coram. Bene & feliciter vale. Deus te & Eccleſiam tuam domeſticam ſervet & gubernet, decimo ſexto Calend. Octob. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 748. QUædam præcipuæ fœminæ ſecutæ Reginam *Danicam*, hìc dixerunt ſe libentiùs Dominam comitatas eſſe, ut viderent harum regionum Eccleſias. *Petrum Suavenium* miror cum quidem Rex vellet, noluiſſe ad nos accedere, cùm tam dulcis ei familiaritas cum *Crucigero* & Paſtore fuerit, ut de me non dicam. Nec literas miſit. Sed mandata dedit Medico, viro docto, inſuavia. Σκυθῶν ῥῆσις erat, de ira & indignatione, & minis τοῦ βασιλέως, ὃ νῦν κράτος ἔχει μέγιστον. Sed & Eccleſiæ pericula & noſtra, & tales amicitias Deo commendo. Rex *Danicus* graviter ſcripſit, ſe non turbaturum eſſe piorum invocationem his mutationibus, quæ nec ad pietatem, nec ad bonos mores proſunt. Funera duo nobis poſt reditum, magnum dolorem attulerunt, Conjux *Eraſmi Salveldenſis*, & conjux *Froſchelii* extinctæ ſunt in partu, cùm quidem *Froſchelia*, quæ prior deceſſit, utriuſque mortem ἐν ὀνείρῳ vidiſſet, quod ante menſem mihi *Froſchelius* narravit, cum utraque viveret & rectè valeret. Honeſtiſſimam conjugem tuam & totam familiam tuam, & te ut ſervet Deus, toto eum pectore oro. Bene & feliciter vale, octavo Octob. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo. *Rhetico* exhibeto literas, quas mitto. *Paulus* accepit viginti Joachimicos pro libris quos miſit, & tibi & tuis fauſta omnia precatur.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 749. ETſi quotidie magis contabeſcit *Caſpar* ἀγωνίᾳ, tamen mens valet, nec omittit *Ptolemæi* lectionem. Et cùm foris cœlum aliquandiu contemplatus eſt; lætus ingreditur ad Filium Dei, & Eccleſiam, ſeſe, & ſtudia publica, & alias res bonas Deo ardentiſſimis vocis commendat. Hæc officia cùm ſint in hac vita ſumma, nunc quidem vivere verè exiſtimandus eſt. Sed nobiſcum optârim eum diutiùs vivere poſſe. Valde delectatus eſt & amore *Pauli* affinis, & munere; nam potu utcunque ſuſtentatur. Orat autem Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* conditorem generis humani, & Eccleſiæ ſuæ, autorem

fœderis conjugalis, ut aſſit conjugio *Pauli* & affinis A ſuæ, quod quidem & antea probavit & nunc probat. Viro clariſſimo *D. Schefelio* literas etiam ſe miſſurum eſſe dixit. De itinere noſtro ſcito me quidem malle vobiſcum proficiſci, ſed paſtor noſtræ eccleſiæ non vult iter ingredi ante diem Mercurii. Conveniemus igitur, ut ratiocinor, in *Oſchaſio*. Orat *Caſpar* ut *Paulus* poſt deſponſationem huc veniat, ut donec conceditur, colloquantur. *Aleſio* mitto literas conterranei, ſcriptas in *Hibernia*. Bene vale, die *Martini*. Salutem opto & eccleſiæ tuæ domeſticæ & amicis B omnibus. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 750. DEo æterno Patri liberatoris noſtri *Jeſu Chriſti* crucifixi pro nobis & reſuſcitati gratias ago, quod te & tuos ſervavit incolumes, quódque te ad Academiam reduxit; ac oro, ut dein- C ceps ac perpetuò vos ſervet velut abditos ad aram ſuam; ut *Pſalmi* verbis utar, quæ judico ſumta eſſe à communi conſuetudine, quæ parcit confugientibus ad aras. *Paulus* & ego decreveramus ad te hodie proficiſci, nec veritus eram τὴν ὑποψίαν propter eclipſin. Nam conſpectum tuum judico fauſtum omen eſſe. Et hic dies *Eraſmi* natalis eſt, ſed *Argeliam* vocor. Scribo brevius, quòd nunc currum conſcenſurus multis do literas. *Sabinus* expectâſſet reditum tuum, ſi qua ſpes fuiſ- D ſet brevi te affuturum eſſe. Tres filias & filium mihi commendavit alendas. Sed multa coram. Bene & feliciter vale, vigeſimo octavo Octobris, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 751. DEo æterno Patri Domini noſtri *Jeſu Chriſti* conditori generis humani & eccleſiæ ſuæ E gratias ago, quòd & te & eccleſiam tuam domeſticam ſervat, & ut ſemper vos regat & cuſtodiat, toto eum pectore oro. Domi epiſtolas de multis rebus inveni, ἀλλὰ τὰς περὶ τιμάρχου χαλκείας, odioſiſſimas. Ego verò nunc in hac confuſione eccleſiarum non ſolùm curâ rerum præſentium, & poſteritatis excrucior, ſed multò magis etiam dolore, fontes horum malorum conſiderans. Controverſiæ cæteræ, Dei beneficio, ita dijudicatæ ſunt, F ut ἐνάργεια καὶ πληροφορία in hominibus ſanis ſit ſine ulla dubitatione. Una quæſtio hæret & hærebit περὶ λειτουργίας. Audio in itinere eſſe nuncios *Pannonios*, qui de eccleſiis ſuis nobiſcum deliberaturi ſint. Patebit igitur nobis *Græcia*, ſi hinc migrandum erit. De *Matthæo Irenæo* literas, quas *Achates* miſſurus ſum, prius tibi judicandas mittam, *Cramius* in aula mentionem fecit alterius adoleſcentis modeſti, ἀλλ' οὐ σύμβλητ' [illegible] ἀτιμώτα, περὶ [illegible]. Optarim propter do- G ctrinæ propagationem in ſchola *Irenæum* eſſe, qui naturâ amat operas ſcholaſticas. Bene & feliciter vale, quarto Calend. Decembris Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono. Salutem opto vobis omnibus.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

AUlicis mandatis cogor quàm primùm ad *Aſcanium* proficiſci, ut illa ἀνάγνωσις τῶν βιβλίων Ep. 752. abſolvatur, itaque rectà iter faciam *Merſburgum*, quò veniam Deo juvante XI. Cal. Febr. Et acceſſet te *Aſcanius*, opera erit bidui. Nam ego abrumpam hoc inſuave negotium, à quo mirabiliter abhorreo. Et tamen, nè voluntates illorum prorſus alienentur, hæc & moderanda & ferenda hactenus eſſe cogitavi, te quoque ita cenſente. Cauſam viduæ D. *Lutheri* commendavi viro optimo D. *Stramburgio*, quem tu quoque orabis, nè ei deſit: cætera coram. Bene & feliciter vale. Deus ſervet totam Eccleſiam tuam domeſticam & publicam, XIV. Cal. Febr. Literas tuas & poemata miſi in *Pruſſiam* An. M. D. XLIX.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

HEri cùm rediiſſe *Faſoltum* audirem, ad eum acceſſi, ut miniſtrum de noſtris pueris inter- Ep. 753. rogarem. Miniſter neſcio ubi erat, ſed exhibebat mihi, cùm tui mentio facta eſſet, *Faſoltus Sabini* epiſtolam tibi inſcriptam, certo conſilio non volui reſignare; etſi te legere mihi inſcriptas quaſcunque voles jubeo, ſpero nihil eſſe funeſtum aut lugubre, & ut Filius Dei tuam & meam familiam qui ſemper adeſt Eccleſiæ, ut *Irenæus* inquit, ſervet, toto eum pectore oro. Et ſcit ipſe quanta ſit infirmitas generis humani, quod ſignificat & hodierni Evangelii lectio, in qua narratur, Nuptias fieri in *Cana*, id eſt, in Arundineto, ut & *Aurogallo* placuit. Eſt omninò hæc miſera natura fragilior arundinibus, ſed adeſt in hoc arundineto Filius Dei. Non opinor *Ciglerum* huic meæ allegoriæ tam duriter adverſaturum eſſe, ut ipſi δημηγορ[illegible] τῶν [illegible]. Non habebam alia, quæ ſcriberem. Mitto autem *Sabini* Epiſtolam, téque oro, ut ſignifices quid de filio ſcribat. Rurſus hodie miniſtrum *Faſolti* quæram. Tuas literas ad *Mythobium* ſcriptas, & veſtra carmina dedi certis nunciis euntibus in *Pruſſiam*. Bene & feliciter vale, & reſcribe, die quo celebratur memoria Nuptiarum quibus in *Cana* Filius Dei affuit. Anno M. D. XLIX.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

ETſi *Melii Athenienſes* apud *Thucydidem* ſuadent, nè moveantur nomine τοῦ αἰσχροῦ, quo Ep. 754. minùs deditionem faciant, & jubent μετὰ χεῖρα [illegible], tamen vellem ὑψηλονοητικῶς illos fuiſſe graviores & firmiores, ac verè metuiſſe τὸ αἰσχρόν. cæteris magis ignoſco, qui aut aſſueſiunt ad illam veterem *Diagoræ* ſapientiam, aut ſimulant religionem, ut imperia amplificent, ὥσπερ ὁ Δῶρα. Sed apud illos ſcio multos doctos viros eſſe, qui controverſias intelligunt. *Joannes Sturmius Bremam* venit. Literas mitto *Buceri* & alterius cujuſdam amici, quæ recitant Senatuſconſultum quoddam ſanè μικρόψυχον. *Marchio* nos non allocutus eſt, tantùm per alios de puerorum convitiis nobiſcum expoſtulavit. Bene vale, die Natali *Caroli*, Anno M. D. XLIX.

Joachimo

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 755. EXiſtimo idem tibi accidere, quod mihi accidit. Creſcit mihi dolor de eo negotio, quod te excruciat. Nunquam ita me illæ ineptiæ diſputationum fatuarum in vicinia affixerunt, ut hic caſus. Sed oremus Deum, ut ſuâ immensâ miſericordiâ ſanet & hoc vulnus noſtrum. Rectè feciſti quòd non abiiſti ad conventum B *Naeburgenſem*, quia de Synodo *Tridentina* differri deliberationes poſſunt. Advenit huc *Genuenſis* adoleſcens, qui narrat *Auguſtæ* de Synodo ſilentium eſſe. *Romanum* Pontificem colligere exercitum ad recuperandam *Parmam*. *Tutianus* pictor *Venetus* eſt *Auguſtæ*, qui ſæpe accedit ad Imperatorem, à quo acceſſitus eſt, ac narrat valetudinem mediocrem eſſe. Donavit Imperator nuper mille coronatos *Italici* poematis autori. Bene & C feliciter vale. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 756. NOn ficta *πρόφασις* eſt *καὶ ἀπρόσωπος* non eundi in *Tyrigetas*, quod *Sabinum* me expectare neceſſe eſt. Et tamen ſignificatio benevolentiæ, quæ profectò non eſt fucoſa, oſtendenda fuit; præſertim cùm illi veteres amici noſtri nimium indulgeant *τὰς ἀπονοίας*, quas alienas eſſe à gra- D vibus & prudentibus oportet. Mittimus igitur *Davidem*, qui, ſi quid addes literarum, perferet. Tibi mitto *Ptolomæi* pagellas, miſſurus etiam aliis. Nondum enim Typographi concinnârant. *Sabinus* nondum huc rediit, quem cùm dimiſero, mox iſtuc veniam. De *Lignicenſi* duce cùm non ſciam quando iſtuc venturus ſit, vellem te ſcripſiſſe, quando ille ad vos venturus exiſtimetur. *Boruſsia* mihi certè auget ſolicitudines, expecto enim *μετὰ τοῦτον ἀναφλεχθησομένας ἄλλας μάχας*. Naturam, E geneſin, loci opportunitatem, imò & *κολακείας* Hyperboreæ gentis metuo. Sed hæc coram. Bene & feliciter vale. Die decimo quinto Maii, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 757. MEminiſti picturam in curia *Norinbergenſi*, in qua *Cor Regis in manu Dei* pictum eſt, & F ſpero Deum aliquorum Principum voluntates ad Eccleſias juvandas inclinaturum eſſe, & ut regat pectus & conſilia Ducis *Lignicenſis*, vota facio. Ad *Suppium* ſcripſi de ea *ὑποθέσει*, ac poſt *Sabini* abitum ad te proficiſcar, ut de tota re colloquamur. De *Sabini* filia flecti avia poteſt, ipſam puellam quomodò inflectere poſſimus non video. Ego nihil pugnabo, etiamſi magno in dolore ſum. Sed Deum oro ut & domeſticas & publicas miſerias nobis leniat. Bene vale, XXIII. Maii, An- G no M. D. XLIX.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 758. DAvid noſter ex ſacro nuptiali reverſus, febrim attulit; ego atroces dolores à calculo ortos, à *Sala* ripa rediens. Hic autem accepi epiſtolam *Suppii* qui in *Tyrigetis* interpres erit A linguæ *Ebreæ*. Itaque ſi non abjicimus *Lignicenſe* negotium, vel de *Sarcerio*, vel de *Frechto* cogitandum erit. Ac opinor *Sarcerium* non gravatim in his locis patriæ vicinis manſurum eſſe, mihique nuper narravit ſe deferre ſuam operam Eccleſiis harum regionum. Et idoneum eſſe ad illam partem gubernationis, quæ mandatur Inſpectori eccleſiarum judico. Tuam Sententiam mihi ſignificabis. De Academia *Roſtochiana* legito & B *Arnoldi* epiſtolam quam *Suppiana* addidi; gaudeo & conſenſum eſſe Academiarum quinque mediocrem, & docentium inter ſe benevolentiam mutuam. Novum illum hoſpitem gentis Hyperboreæ metuo. Audio & *Σπανίτην Slavum* in vicina *Parthenopea* edere nova plauſtra conviciorum. Sed hæc a nobis ferenda ſunt, & oro Filium Dei ſedentem ad dextram æterni Patris, ut corda noſtra regat, et nos et has eccleſias et cœtus diſcentium faciat *ἓν ἐν αὐτῷ*, ac nobis adjungat Spiritum C *παράκλητον* ex æterni Patris et Filii pectore effulgentem. Hic ſit cuſtos etiam tuæ domeſticæ eccleſiæ. Bene vale, in Pentecoſta. Anno à *Chriſto* nato, milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

ERit ergo *γιγαντομαχία*, quam et diu formidavimus, et multa prodigia et tetri poſitus a- Ep. 759.
D ſtrorum denunciârunt, poſtquam venit in vicinam *Parthenopen Harcynius τυφώς*. Nos quid facere poſſumus, niſi quod ille Regum optimus monuit, in præcepto, quod tuis verſibus redditum quotidie nobis recitant pueri:

Noſtra tuámque fides ſolius orat opem.

Etſi multorum periculorum cogitatione excrucior, tamen ille vetus dolor major eſt, quem circumfero propter quædam *ἀνίατα* vulnera eccleſiæ. Rediit ex *Pruſsia Staphylus*, qui ſcribit pugnas E cum novo hoſpite factas. O rem miſeram! graſſantur furores diabolici his extremis temporibus armorum, et opinionum tumultibus. Sed reliquias tamen veræ eccleſiæ et aliqua pia agmina et doctrinæ domicilia Filius Dei ſervabit. Mitto tibi *Belgicum* nomiſma ſparſum in pompa *Antuerpiana*, cum filius Imperat. eam urbem ingreſſus eſt. Filio *Rottingi* dedi epiſtolam ad patrem, tuo etiam nomine petens, ut medicationem pedis filii inſtituat, ac hortatus ſum, ut F *Cornelii* conſilio utatur. Bene et feliciter vale. Deus ſervet te et eccleſiam tuam domeſticam. XIIII. Calend. Julii. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

ETſi cruciatus à calculo ortos mihi ſæviſſimos, qui Ep. 760.
nunc, edito grandi ſcopulo, mitiores ſunt; tamen magis crucior cogitatione miſeriarum pub- G licarum. Fuit hic legatus *Pomeranicus* reverſus ex *Belgico*, qui narrat multorum opinionem eſſe, *Carolum* Imp. indicturum eſſe conventum, et quidem in *Tyrigetis*, ubi de libro *Auguſtano* ſingulorum ſententias rurſus audire velit. Sed coram hæc, et interea plura audiemus. Inchoaveram præfationem, quam petit Typographus. Sed operæ aulicæ interruperunt. *Veſpaſianum* habeo aureum *σατῆρα*, addendum cæteris quos

habes.

habes. Mitto tibi *Micylli* & filii epiſtolas. Bene & feliciter vale. Filius Dei ſervet te & Eccleſiam tuam domeſticam, die *Johannis Baptiſtæ*, Anno M. D. XLIX.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 761. ETſi quotidie tecum & coram & per literas colloqui cupio, nec magis acquieſco in re humana ulla, quàm in tuis præſertim & paucorum aliorum amicorum colloquiis; tamen in hac mole rerum vides nè poſſe quidem inſtitui Epiſtolas. Prorſus enim, ut dixit *Ariſtoteles*, verum eſt, hæc negotia non eſſe ἐπιστολικά. ſcripſit meus frater de itinere Imperatoris per meam patriam, & de petitionibus Ducis *Vuirtenbergenſis*, legi & recordor magno cùm dolore, epiſtolam tibi miſſurus eram, ſed hodie ſubitò miſi Duci *Bruſſiæ*. Paſtor Eccleſiæ veſtræ argumentum vobis recitabit. *Sacmi* filius ſæpe nobiſcum eſt, ſed convictor eſt *Forſteri*, & optârim eum in *Elvetiis* eſſe, ἄλλος γὰρ πρὸς ἄλλην φύσιν τεταγμένος. Et fortaſſis aliquanto pòſt, nova exilia & ipſi & nobis ſuſcipienda erunt. Decrevi ad vos expatiari. Toties jam retexo τὸ σύγγραμμα περὶ συνόδου, & toto corpore cohorreſco, cùm cogito utriuſque partis mala, nec tamen, tertiam conſtitui velim; ſed deſino, non ſunt enim hæc epiſtolica, decurro ad illud in tuis verſibus:

Noſtra tuámque fides ſolum erat opem.

Filius Dei ſervet & Eccleſiam, & tuam domeſticam Eccleſiam. Die *Jacobi*, Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 762. ETſi coram nos colloqui neceſſe eſt, tamen huic *Argentoratenſi*, ingenioſo adoleſcenti, & *cujus naturæ ineſt philoſophia*, ut utar illis veteribus verbis, quæ tibi notiſſima ſunt, dedi hanc brevem epiſtolam. Scripſi quædam περὶ τῆς ἀρχηγετικῆς συνόδου, quæ Principi *Georgio* exhibui, poſtea huc reverſus accepi literas à *Staphylo*, qui ſcribit ſe & *Oſiandrum* coram Principe familiariter diſputâſſe περὶ δικαιοσύνης, & de *Pauli* ſententia. Tollit omnino imputationem ille novus hoſpes gentis Hyperboreæ, protulit *Staphylus* pagellam *Lutheri*, in qua reſpondet quæſtionibus à me disertè ipſi propoſitis ante annos quindecim, lectâ eâ Princeps acquievit & valde lætatus eſt. Alter confugit ad hoc creſphygeton, Non eſſe autographon *Lutheri*. Nunc ille à me petit autographon. Sed hæc & alia coram. Adoleſcenti *Argentoratenſi* dabis literas ad Doctorem *Sebaldum*; Ego *Gerbelio*, & *Hedioni*, & aliis quibuſdam, etiam adoleſcentum causâ ſcripſi. Bene & feliciter vale. Deus tuam eccleſiam domeſticam & publicam ſervet & regat. Pridie Idus Auguſti. Anno *Christi* milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 763. EPiſtolam ad Senatum *Cygneum* mitto, quam eò non obſignavi, ut eam legas; ſtatuetis autem veſtro arbitrio de tota re. Ego & tuâ causâ & propter bonitatem naturæ *Efromi*, & eruditionem, ipſi optimè volo, & ei fauſta & felicia omnia precor, & Deum oro, ut propter ſuam gloriam poſteris Eccleſiam & mediocres politias conſtituat. Cùm domum reverſus eſſem, multa audivi quæ meos dolores augent. Novus hoſpes gentis Hyperboreæ jam apertè δημοσίᾳ τὰς κοινὰς γνώμας περὶ δικαιοσύνης, & admonitus ut reprehenſiones metuat, reſpondit, ἀγύρτης κόμπος, μεταχέων αὐτὴν τῶν ἀλογίστων. Cohorrui hâc voce auditâ. Narrant & *Christophorum Jonam* mortuum eſſe. Omitto alia multa. Hæc narratio, ſi vera eſt, admirationem magnam res pariet. *Budæi* conjugem aiunt cum filiabus aiunt migrâſſe *Genevam* ad *Calvini* Eccleſiam, in qua & alii multi nobiles homines in *Gallia* exulare dicuntur. Tibi & viro clariſſimo *Stramburgio* mitto geneſin *Erici*, in qua multæ ſunt diſſimiles ſignificationes, de quibus veſtra judicia libenter audiam, etſi jam vicia, ut in magnis aliis, erumpunt, virtutum impetus prædicari nondum audivi, ſed interpellant me alii flagitantes literas. Bene & feliciter vale: Cuſtos Eccleſiæ ſuæ Filius Dei regat nos, et ſervet te et eccleſiam tuam domeſticam. III. Id. Septemb. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

ITa accidit, ut iſtic fore prædicebam. Mediocriter jam me calculus excruciat, motus illâ vectatione vehementiore, cùm ad *Aſcanium* proficiſceremur. Sed inediâ lenio cruciatus, ut narrabit *Laterenſis*: utar ergo valetudinis excuſatione in literis ad *Cunerſtadium*, quas tibi mittam, & quibus intexam illas noſtras conciones de laude Conjugii & Caſtitatis veras, et nimis neglectas in eccleſia. Ex colloquio τῶν καθημένων, ratiocinari te multa potuiſſe exiſtimo, et de me nonnihil. Manſi hactenus in his locis ſeu fato, ſeu meâ quadam timiditate, ſeu hujus ſodalitii amore. Sed ad ipſum multò antè ſcripſi, me ſi malint alibi eſſe, non futurum ipſis oneri. Scribes igitur mihi quid tibi videatur. Ad iter *Cygneum* me, ut ſpero, acceſſes, ubi de me quoque deliberabimus. Literas *Adami Fuldenſis*, quibus incluſi ſunt aurei, bonâ fide mihi exhibuit *Laterenſis*. Filius Dei, Dominus noſter *Jeſus Chriſtus* crucifixus pro nobis, et reſuſcitatus ac ſedens ad dextram Dei, ut det dona hominibus, qui verè eſt cuſtos Eccleſiæ ſuæ, ſervet te et eccleſiam tuam domeſticam et publicam. Bene vale, XVI. Calend. Novemb. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono. Heri advenit *Tubingenſis* Lector, cujus Epiſtolam miſiſti, quem ad te poſt biduum venturum eſſe arbitror. Ep. 764.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

SUa cuique virtus præcipuè benevolentiam et autoritatem parit, et Deus addit ἀξίωμα bonis mentibus. Quare ſcio non defutura eſſe genero tuo, viro integerrimo ſtudia honeſtorum virorum *Cygnea*, ac Deum æternum Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti* cuſtodem Eccleſiæ ſuæ oro, ut et ipſum gubernet et faciat σωτήριον ἰδίως, volebam autem et adeſſe initiis, et adducere amicos, ut iſtic eum audiremus, et aliquid alacritatis adderet comitatus. Sed me judicium tutelæ retinuit, in Ep. 765.

quo

quo de *Stacmanni* hæreditate rationes retulimus. Nec abeſſe ab ea cognitione potui, cum ipſe fuerim tutor: cruciatus à calculo orti & obſtructiones, etſi adhuc hærent, tamen me non retinuiſſent. Nondum etiam *γραμμὰς ὀπτικὰς* ſcribere potui, impediit me hodie judicium tutelæ, ut nec *Eraſmo Sarcerio* literas dare potuerim. Poſtea igitur veſperi hunc nuncium ad vos ire juſſi. Deus te & eccleſiam tuam domeſticam ſervet. Bene vale, undecimo Cal. Novem. M. D. XLIX.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 766. ADjungo & ego ad vota eccleſiæ tuæ domeſticæ, meam invocationem, ac Deum precor, ut tuam familiam & te ſervet, & gubernet totum generi curriculum. Judico eum bene de eccleſia mereri poſſe, in eo munere, ad quod accerſitus eſt. Et tales ſcholæ tranquilliores ſunt noſtris: libenter affuiſſem initiis, ſed ſcripſi cauſam non falſam, quæ me retinuit, excruciavit etiam me calculus, quem heri primùm ejeci, nec ullum adhuc grandiorem ſcopulum edidi. Ad *Cumerſtadium* etiam ſcripſi, & miſi *γαμήλιον* exiguum, ſed propter *Turſonis* memoriam fortaſſis non ingratum. De Sycophantis in vicinia ſcito, me magis eccleſiæ cauſâ, quàm propter me dolere, nec metuo epiſtolarum editiones, de quibus ſcribis. Vidi editam præfationem, quam præfixi libro *Ratiſponenſi* ante annos aliquot, in qua moneo doctrinæ corruptelas cavendas eſſe; graviter ſcripta eſt, nec nunc me lædit, ſed illi declamationes addiderunt ut ſolent, quibus credo vulgus delectari. Quid enim plauſibilius eſt ad populum, laxatione diſciplinæ, & vituperatione gubernatorum, denique nobis nota eſt vox *Thucydidis*, *ἐν στάσει πᾶσα ἰδέα κακοῦ ἐστί*. Si fatalis mihi hæc calamitas eſt, ut talibus calumniis opprimar, libenter profectò non modò ex *Germania*, ſed etiam ex hac vita diſcedam. Quæ fuerit mea diligentia in multis labyrinthis evolvendis longo tempore, nè illi quidem ignorant, qui nunc nos oppugnant; ſed omitto hæc. *Arnoldum Burenum* heri tecum fuiſſe arbitror, qui *Snoppium* in Academiam *Roſtochianam* adducere conatur, & fortaſſis *Sarcerio* erit hortator, ut in eam Academiam migret, quem nuper nos intelleximus *Lubecam* appetere. Studia Mathematum & excitari & florere ubique optarim: gaudeo igitur *Hummelium* iſtuc veniſſe. Mitto tibi & cæteris amicis capita diſputationis, quæ continent quandam *περὶ υἱοῦ θεοῦ* ſententiam, de qua *Thomæ* & ſimilium hallucinationes non ſine gemitu legere poſſes. Nunc talium maximarum rerum explicationem iſti nugatores impediunt, *διώκοντες τὸν κάπνον, τὴν δὲ κάμινον καταπίνοντες*. Bene & feliciter vale, quarto Novembris. *Menium* ſcito jam ſponſum eſſe. M. D. XLIX.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 767. IN epiſtola tua quanquam brevi, tamen hæ mihi narrationes jucundæ fuerunt, in quibus ſignificas te profectum eſſe ad filiam, & tuos Dei beneficio incolumes eſſe. Oro autem tecum Filium Dei, ut eccleſiam tuam domeſticam clementer protegat & ſervet. Delectatus ſum etiam Viri Clariſſimi *D. Badhorni* benevolentià & ſtudio, & ei gratias ago, téque oro ut meis verbis ei gratias

A agas. Sed hac conditione pecuniam mutuò ſumendam non cenſui, quia ſciebam ad id tempus non poſſe tantundem reddi. Planè enim illa negligit *Heſiodi* præceptum, *φείδεσθαι χρείοντι λύειν*. Niſi fundus penſione oneretur, non video quid agamus. Inveni hic *Juſtini Martyris* libros, in quibus tres pagellæ ſunt, hoc titulo, *ἔκθεσις πίστεως περὶ τῆς ὀρθῆς ὁμολογίας, ἤτοι περὶ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τριάδος*. diſertè loquitur *περὶ οὐσίας καὶ ὑποστάσεων*, & de duabus naturis in *Chriſto* nato ex Virgine. Si eſt ve-
B tus ſcriptum, profectò illuſtre teſtimonium eſt doctrinæ eccleſiaſticæ. Valde cuperem eas pagellas edi, & familiares fieri piis. Etſi autem in tua catecheſi ſatis perſpicua eſt explicatio, tamen hæc quoque legi à te velim. Et iſtuc tibi codicem afferam, *Bembi* hiſtoriam miſi *Sabino*. Forma orationis antiquior pene videtur Cæſaris oratione. Exemplum unum retinui. Si *Carlovicius* non habet, opinor gratum ei munus fore. In veſtibuli libri eſt pictura *Mercurii* amplectentis *Palladem*.
C Bene & feliciter vale. Totam eccleſiam tuam domeſticam & publicam ſervet Filius Dei Dominus noſter *Jeſus Chriſtus*. quinto Calend. Novembris, Anno M. D. XLIX.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

IN hoc *Eisfeldenſi*, cui hanc epiſtolam tradidi, multæ ſunt egregiæ virtutes & *ἤθεα*, ut mihi quidem videtur, conveniens homini *Franco*: pe- Ep. 768.
D tit autem ut ſcribas ad fratrem illius, qui ei, ut ſyngrapha teſtatur, aliquantulum adhuc debet, quæſo nè ei deſis. Cras iter ingrediar iſtuc ad te venturus, exiſtimo enim te quoque in aulam vocari, aliquanto minùs mali eſſet, vel in exilio, vel in latomiis, quàm video & eſſe & fore in his deliberationibus, in quibus planè *Siſyphi* ſaxum volvimus. Sed oremus Filium Dei ut nos regat. *Stathmeonis* pagellas ipſe afferam. Bene vale. Id. Novembris, Anno M. D. XLIX.

E

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

ETſi nondum habebam narrationem de noſtris præſertim deliberationibus *ἀξιόλογον*, tamen Ep. 769. huic nuncio dedi hanc epiſtolam. *Stramburgius* & *Carlovicius* ſunt in aula regia, loquar tamen de Mathematico utroque cum *Achate*, quem cras affuturum eſſe audio; utinam artes & floreant & conſerventur ad poſteritatem, etiamſi imperio-
F rum tranquillitas videtur non diuturna fore. Hodie mihi narravit *Joachimus* ab *Heida*, ſcis enim aliud eſſe *Myzicam*, *Apianum* etiam ſcripſiſſe recens, ſe Principi neſcio quæ opera adornare, & venturum eſſe, ut ea exhibeat, ſed illius inventa quid ad hanc ſcholaſticam doctrinam? neſcio quid addam. Eccleſiarum tranquillitatem à Deo petamus, qui ſuâ bonitate immensâ ſervavit ſemper cœtus doctrinam fideliter cuſtodientes. Et ſcit ipſe nos quæſiviſſe veritatem bono ſtudio,
G *τοῦ δὲ τυχεῖν οὐκ ἐφ' ἡμῖν*, vides, & tamen aliquibus venia danda eſt, & optarim ſapientes politicos *συγχωροῦντας τῇ ἀσθενείᾳ τῶν εὐσεβῶν*, etiamſi furores aliorum compeſcui ſeveriùs juſtum eſſet. *Ἡ γὰρ ἐκκλησία ἐστὶν ὥσπερ ἄλλο, πρᾶγμα ἀσθενές*, quod molliſſimè fovendum eſt. Bene vale, die tuæ civis *Elizabethæ*, de cujus miſeriis & tragœdiis multa gemens hoc biduo cogitavi. M. D. XLIX.

Joachimo

A

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 770. ETſi, cum ante aliquot menſes intellexiſſem hinc migraturum eſſe virum præſtantem ingenio, eruditione, & virtute, *Alaricum*, dolebam ex hac noſtra Academia tantum avelli ornamentum, tamen nunc in his noſtris miſeriis, reditum ipſi in patriam, & in eam urbem, quæ nunc quidem unica in *Germania*, doctrinæ domicilium eſt, gratulor, ac opto, ut & conſuetudine ſuorum ſuaviter & feliciter fruatur, & ſtudia doctrinæ apud vos ornet ac adjuvet. Cum autem hinc diſcederet, ſignificari à me tibi voluit, ſe valde cupidum eſſe tuæ amicitiæ. Etſi autem non dubitabam, quin utriuſque virtus, & judiciorum de rebus bonis conſenſio, etiam ſine meis literis vos conjunctura, mutuúmque inter vos amorem excitatura eſſet, tamen ejus voluntati morem geſſi, mihíque honorificum duxi, ſi meis literis vel hoc unum tribueretur, ut vultus in primo congreſſu familiarior eſſet. Nam poſtea eum tuo judicio, quòd eſt graviſſimum, complectere: decet nos multa de natura quærentes, etiam in amicitiis non tantùm aſcita bona καὶ ἐπίκτητα conſiderare, ſed naturas ipſas: confirmo igitur tibi in hoc viro, non injuſtam, ſed nativam eſſe virtutem, cúmque in omni officio moderationem maximè ſalutarem vitæ amet, conſtantiam tamen gravitatémque in veris ſententiis & rectis conſiliis tuendam eſſe etiam in periculis ſtatuit. Hæc bona excoluit non tantùm forenſi doctrinâ, ſed etiam aliis literis atque artibus, quæ vitam gubernant, & in illo ſuo ſtudio, magis juſtitiam, æquitatem, candorem, quàm calliditatem amat; propter hæc decora verè eum diligo, téque ut eum complectaris, adhortor. Nam & in privata vita ſuavem, & in Republica utilem, conjunctionem tibi ipſius fore, ſpero. Talium amicorum familiaritate lenito mœſtitiam, quâ propter Rempublicam afficeris; quam ſi qui ſolis hominum conſiliis aut μηχανουργίᾳ regi poſſe arbitrantur, næ illi multum falluntur. Speremus Deo curæ fore eccleſiam ſuam, & hac ſpe, dum conceditur, teſtes ſimus veræ doctrinæ, & juventutis judicia formemus. Bene & feliciter vale. Anno à *Chriſto* nato, Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono.

Ioachimo Camerario amico S. D.

Ep. 771. HEri literas accepi, ut die *Stephani* veniam *Argeliam*, ad deliberationem, quæ non de parva re futura videtur. Etſi autem quæ ſcripſiſti de tuo itinere, memini; tamen retineri te ratiocinor, ſed id poſtea ſciam. Nunc æterni Dei Filium Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, quem vero pectore credimus eſſe σωτῆρα, καὶ μεσίτην, & exaudire noſtras preces, oro, ut & interſit conſiliis de Republica & te & tuam domeſticam eccleſiam ſervet incolumes. Nuncium qui *Baſileam* ibit, flagitâſſe literas à te ſpero: ſcripſi de *Hiſpano* noſtro ad Regem *Anglicum* & ad *Cantuarienſem*. Bene vale. Anno à *Chriſto* nato, Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono.

Ioachimo Camerario Pabergenſi. S. D.

Ep. 772. ALiquot accepi epiſtolas tuas, quanquam breves, gratas tamen, in quibus ſigna ſunt multa tuæ mœſtitiæ, quæ mihi etiam meos dolores auget; ſed mitto tibi & filio tuo, ſententiam verſibus redditam, & tuis & *Stigelii*, quâ nos ſuſtentemus. Quæ enim alia conſolatio reliqua eſt? ſæpe
B ſuſpicor longè aliud agi, quàm oſtenditur, ſed hoc quoque Deo commendo. A *Baltico* littore flatus horridi nos feriunt: audio minas, ὅτι ὁ δημήγορος ταμεῖ φλέβα μου, ὅπως τὸ αἷμα εἰς ὅλην γερμανίαν ἀναβράξῃ, ita *Germanicè* ſcribitur, ſed quomodo hoc *Græcè* melioribus verbis dicatur, ſcire cupio. Expatiabor ad te quàm primùm potero. Adeſt *Johannes Aurifaber*, qui edit quædam ſcripta de ſuis eccleſiis: decem Joachimicos Bibliopola *Vogelius* mihi exhibuit. Bene vale. Mitto *Arnoldi Burenii* oratio-
C nem. M. D. X L I X.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 773. POſtquam ſemel laxati ſunt freni diſciplinæ, etſi omnes non furioſi vident, in omnibus vitæ partibus difficiliorem eſſe gubernationem, in œconomiis & politiis, tamen nos in adoleſcentia regenda præcipuas difficultates experimur. Adoleſcentem *Culmachenſem*, de quo ſcripſiſti, *Paulus*
D & ego ad nos accerſivimus, ac de ſtudiis & de migrationis cauſis interrogavimus, objurgavimus etiam quòd tuo conſilio non eſſet uſus, ibi animadvertimus valde rudem eſſe Grammatices. Cúmque vix pauca verba *Latinè* connectere poſſet, juſſi ut ſuam totam cauſam exponeret in epiſtola, velut ad te inſtitura; nondum rediit, ſed hodie rurſus eum accerſam: cætera, Deo juvante, coram. Bene & feliciter vale cum eccleſia domeſtica. Anno M. D. X L I X.

E

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 774. DE indiciis temporum, quæ ob cauſas tibi notas & ſæpe à me commemoratas, crebrò uſurpo, ſcribis: Non arbitrari te, quod poſſint certo dies negotii aut caſûs ullius demonſtrari, cum de annis quoque dubitationes non careant ratione, & quid exquiſitæ notationi obſtet, prudenter colligis. Ego verò, quamvis ſciam non poſſe
F præciſè quicquam in hoc genere definiri: tamen utile duco, quàm proximè exquiſita tempora habere in promptu. Scis Aſtrologos quoque interdum contentos eſſe τῷ ἐγγύς, cum diſciplina illa nitatur ſcientiâ Geometriæ, cujus demonſtrationes firmiſſimis putantur, & cogere aſſenſum, ut proverbio etiam locum dederint, ἀνάγκαι γεωμετρικαί. Meus autem mos tibi non eſt ignotus, de quo memini te aliquando argumentari: In fugiendo ambages & dubitationes, quatenus fieri
G poteſt, & diſertè aliquid exponendo, &c, quemadmodum dicere ſoleo, κατηγορικῶς. Itaque & narro iſta forma etiam ea, de quibus fortaſſe alii aliter. Mihi enim ſcripta aut dicta refero, οὐδὲν ἀπολογιζόμενος τὴν κατάφασιν ἢ ἀπόφασιν. Jam ſcio repetes tecum id quod nuper dicebas: *Videndum tamen, né quid fortè falsò affirmetur.* Hoc illi videant, qui autores ſunt. Et interdum falſa quoque diſſeminari, & fabulas utiles narrari, prodeſt. Ego qui-

dem

dem nihil comminiſcor. In recitando ſi minùs A
judicor timidus, vel nimis etiam confidens, detur
venia ſimplicitati meæ, aut feratur etiam iſtud vi-
tium. De his igitur ſatis. *Nicephori Calliſti* editio
Latina non reſpondet opinioni meæ conceptæ ex
Indice, quem aliquando tibi miſi. Circumlatæ
quoque diu fuerunt *Abdiæ* neſcio cujus hiſtoriæ.
Legat hos qui volet. Ego eos, qui legere volent,
adhortandos exiſtimo, ut attendant animum.
Ac ſuaſerim potiùs, nè legant omninò. Sunt e-
nim illa ſcripta mirifica, & referta falſitate mani- B
feſtâ. Superſtitionum autem in eis tanta eſt co-
pia, ut facilè appareat, quibus temporibus iſti libri
compoſiti ſint, nimirum non ſolùm indoctis, ſed
infelicibus quoque, unà cum Reipub. calamitate
eccleſiâ graviſſimè laborante. Quæ mala fere
conjungi ſolent. Venio nunc ad meorum cenſo-
rum mentionem in literis tuis, imò obtrectato-
rum & ardentium malevolentiâ atque odio, de
quibus nunquam malè meritus ſum. Niſi quod de
malis omnes malè merentur. τοὺς γὰρ φύσει ἰδὲ κακοὺς C
αἱ δ᾽ ἐργασίαι κακοῦσι. Neque ego non prævidi pericula
à quibuſdam. Sed mea εὐήθεια ſæpe mihi nocuit, &
deinceps fortaſſe eſt nocitura. Quod autem ſer-
monibus & ſcriptis meis aliquos oſtendis abuti,
& ſuo loco bene dicta detorquendo in meam per-
niciem convertere, & non incommodè alicubi
diſputata in deteriorem partem interpretando
pervertere: ad hæc mihi eſt in animo, ex *Pſalmo*
iſtud: *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad lin-*
guam doloſam? Sagitta potentis acuta cum carboni- D
bus deſolatoriis, ſeu *Juniperorum*. Quæ quidem,
ut metuo, ſagittæ aliquanto poſt infeſtiùs conjici-
entur, & carbones illi æſtuabunt vehementiùs.
Ego verò orabo. Et ſi attingent me iſta mala vi-
ventem, perpetiar, ſicut hactenus feci, inimicorum
& malevolorum alapas. Sin me mortuo incen-
dium excitabitur, & tela emittentur, oret poſte-
ritas quoque, & veritatis relictæ cuſtos ſit, animo
ſimplici & voluntate rectâ, & bonâ conſcientiâ, E
quam, Deo juvante, mecum auferam. Sed nimis
multa de his. Tuam & tuorum ſalutem commen-
do Filio Dei μεσίτῃ καὶ σωτῆρι generis humani. Bene
vale. Anno M. D. XLIX.

Honeſtiſſimo Adoleſcenti Ioachimo Camerario, filio clariſſimi viri Ioachimi Camerarii S. D.

Ep. 775. CAriſſime fili, Meminiſti verſum in quo nu-
meri ſunt *Græca* Poetæ, ſed ſententia di- F
vina eſt:

διεξίων παίδευε τὰ λοῖα, δυστυχῶν δ᾽ οὔ.

Parentes autem tui verâ invocatione colunt De-
um & eccleſiam adjuvant; & pater ornat eam
multis egregiis monumentis. Ideo & familia ejus
Deo curæ erit, téque volo intueri parentum ex-
empla. Cum autem neceſſe ſit te hac ætate diſce-
re philoſophica elementa, mitto tibi pagellas li-
bri de Anima, qui quo conſilio tradatur adole- G
ſcentibus, ſæpe in ipſo libro exponitur. Hos au-
tem verſus inſcribere pagellis volebam, ſed ſpacii
tantum non erat:

Σώματα μὲν δύο ἐσμὲν, ὁμοφρονέουσα δὲ ψυχὴ
ἐν δὲ, αὐτὸς ἐγὼ ἐστὶ πατὴρ ἀγαθός.
Τὴν δ᾽ ἐμοὶ σὺν ψυχὴν οὐκ ἀλλοτρίαν σὺ λαχοῦσαν
Ἀξέδιδος, δέχου τοῦδε λόγου μικροῦ.

Bene & feliciter vale & reſcribe. Die *Converſionis*
Pauli. M. D. L.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

JUſtiſſima eſt querela tua de cupiditate rixandi, Ep. 776.
non diſputandi, quæ hoc tempore νόσος eſt ἐνδή-
μιος. Sed ſcis ſuos eſſe temporum ſingulorum
morbos, ἢ χρὴ τραγῳδεῖν πάντας ἢ μελαγχολᾶν, di-
cebatur olim. Nunc ſit utrumque ſimul. His die-
bus ex *Hamburga* & *Berlinio* accepi tragica ſcripta,
ut coram narrabo, cum quidem & duo *Cyclopis*
filii ἰλλαγμὸς καὶ γαλάτης ſatis nos alioqui exerceant. Me
retinuerunt hactenus negotia ſcholaſtica, & nunc
Venetus Prutenus revocatus in patriam, teſtimoni-
um publicum ſtudiorum eò afferre decrevit. Ad
mercatum igitur cum *Paulo* veniam. De congreſſu
Jovis & Martis obſervationes veſtras cognoſcere
cupimus. Bene & feliciter vale cum eccleſia tua
domeſtica. Die Æquinoctii, Anno M. D. L.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

PAſtori eccleſiæ veſtræ mitto capita diſputa- Ep. 777.
tionis, quibus intexui non longam confeſſio-
nem, quam extare videtur eſſe utile. Etſi enim
maledicorum petulantia non reprimitur, tamen
bonis hæc quaſi μαλακτικὰ remedia, non ſunt in-
grata. Sed inſpici à te volo. *Ciglero* etiam mit-
tam κεφάλαια περὶ ἐκκλησίας, poſtea refutationem in-
ſtituam, in qua utilitatem communem antefe-
ram meo juſtiſſimo dolori. Nec ego tantum ha-
rum præſentium miſeriarum, quæ magnæ ſunt,
conſideratione excrucior. Sed præterita, & ea quæ
ſecutura ſunt intuenti creſcit dolor. *Torgæ* fui, &
cum velle filium & mulierem intelligerem, nè
divellerentur, aſſenſi. Deus aſſit & eccleſiæ &
nobis. In ipſa modeſtum & bonum ingenium eſſe
videtur, utriuſque miſericordiâ afficior. Mitto
tibi literas filii & epiſtolam *Matthiæ Elbingenſis*
ad me ſcriptam. Apologiam retinui, & cenſeo
non eſſe edendam. Bene & feliciter vale, & re-
ſcribe. Filius Dei cuſtos eccleſiæ ſuæ, totam ec-
cleſiam tuam domeſticam ſervet, quinto Nonas
Martii. Anno M. D. L.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

ETſi avidè expecto amici noſtri *Mythobii* & Ep. 778.
narrationes & congreſſum redeuntis jam à
littore *Baltico*, tamen iter *Cygneum* ſuſcipiam cum
voles; ſignificabis igitur tempus, ut ad te acce-
dam. Amo *Mythobium*, & conſpectus ejus mihi
voluptati erit, ſed afferat narrationes inſuaves non
paucas. Ideo tibi prorſus permitto, ut de itine-
ris tempore tuo arbitrio conſtituas. Ut antece-
dunt fremitus in littoribus tempeſtates, ita nunc
de *Saxonico* bello plurimum eſt ſermonum. Oro
autem Deum ut pœnas leniat. Bene vale, die
nono Martii Anno M. D. L.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

EXpatiari ſumus ad ægrotantem Principem Ep. 779.
Aſcanium, quò & frater venturus fuerat, ſed
ſubitò eum vocaverat Dux *Auguſtus* ad filii Ba-
ptiſmum. Itaque ſermones nulli fuerunt, niſi hi-
ſtorici ut tantiſper à dolore *Aſcanii* animum ab-
duceremus, cui ad cæteras curas etiam nunc ac-
ceſſit, ὅτι ὁ ἐν γήρᾳ χειροφιλήτης non ſolvit, et uſuræ
ſine

ſine modo creſcunt. Inter ſigna mutationis Imperii ſcis hoc quoque recitari:

Hunc uſura vorax &c. ——

In hac tanta confuſione generis humani quid poſſunt hominum bene cupientium Reipublicæ conſilia? Tantum hoc nobis reſtat, ut aſſiduis gemitibus petamus à Deo, ut ſervet eccleſiæ ſuæ reliquias, ut Filius Dei inquit in tuo carmine,

ὦ φίλε τηρήσας τοῖσδε φύλαξον πάντῃ·

Quod ut faciat, toto cum pectore tecum, & cum tua domeſtica eccleſia, oro. De *Saxonica* gentis conventu ſcribam aliàs; etiamſi placent hæc conſilia multis, tamen me facilè patiar ab his deliberationibus procul abeſſe. Tibi gratias ago, quod ad filii nuptias veniſti. Minùs deformis eſt eccleſia, cum multorum noſtri ordinis conjunctio & familiaritas conſpicitur. Bene et feliciter vale. Deus ſervet eccleſiam tuam domeſticam. *Nicolai* et fratris conſpectus mihi jucundus fuit. Deus eos ſervet. Anno M. D. L.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

Ep. 780. CArmine tuo non ſolùm hæc ſtudia communia ornantur, ſed multi etiam ad invocationem Dei excitantur, qui hæc legentes, ſuos gemitus ad vota ſummi ſacerdotis ardentiſſima adjungunt. Itaque et meo et eccleſiæ nomine, tibi de hoc labore gratias ago. Indigna eſt collatio de *Paſquillo*, cujus mentionem facis in tua epiſtola, quem quidem ſtatim dedimus *Franciſco Vinarienſi*, qui hàc ad conventum *Jutrebocenſem* profectus eſt. Spero eccleſias tuas & noſtras lucubrationes utiliores & eſſe & fore, quàm ſunt illæ antiquæ Comœdiæ vel Satyræ, vel Mimica, ἢ μᾶλλον βωμολοχικὰ ſcripta. Tibi etiam gratias ago de Libro Imaginum, & de *Brentiana* epiſtola. Præfationes Typographo mittendas inchoavi. Et quaſdam hic noſtris ſcripſi his diebus. De *Rhetici* negotio *Achates* omninò affirmavit, ſe curaturum, ut ad collegium Theologicum nominatim ſcribatur, ac mandata dentur, ut numerent ei illam προθεσμίαν. Cætera quæ habebam annotavi in pagella, quam inſerui huic epiſtolæ. *Cratonis* literas mitto propter extremam particulam περὶ ἰατρῶν. Bene et feliciter vale cum eccleſia tua domeſtica. XVII. Calend. Maii. Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo.

Medicus *Mythobius* reverſus eſt ex Hyperboreis, narravit incolumes eſſe tuum filium et noſtras filiolas. A *Sabino* breviſſimam attulit epiſtolam, in qua ſcribit, cur non mittat filias. Narravit et filiam ducis *Pruſſiaci* deſponſatam eſſe Duci *Megalopyrgenſi*, καὶ περὶ διχοστασιῶν θεολογικῶν πολλά, quæ coram recitabo. Ego accuſor, quòd libertatem in opinionibus fingendis reſtrinxerim modis loquendi philoſophicis. Ex *Brema* tantum minæ ſcribuntur, ut anno ſuperiore. Ego rurſus in *Angliam* vocor. Et *Laſcius Brema* expectat ventos, navigaturus in *Angliam*. Hiſtoria *Argentoratenſis* aliquoties penè iiſdem verbis ad me perſcripta eſt. Literas dedi *Franciſco Vinarienſi*, qui hàc fecit iter ad conventum *Jutrebocenſem*. Epiſtolam *Gelenii* tibi mitto, quam ſcio tibi voluptati fore. Faſciculum *Illyrico* inſcriptum, bonâ fide ei miſi. Iterum vale.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

HOneſtiſſimam Matronam conjugem tuam non volui hoc tempore moleſtiâ itineris onerare, præſertim cum poſt menſem ſperem filiæ meæ affuturum eſſe. Ideo nunc & *Paulam* oratorem eſſe volo apud conjugem tuam, & ego ſcripſi, cur ei parcendum eſſe duxerim. Nec à te, nec à cæteris amicis hoc officium flagito, ut nunc veniatis, etſi tibi quidem legem non fero, cum nuſquam magis quàm in tuo colloquio acquieſcam. Commendo autem & eccleſiam & me ac meos precibus veſtris. Veniam iſtuc cum conjuge & filia, poſtquam liberatus fuero hujus ritus nuptialis moleſtiâ, ut pannos emamus. De dono quòd *Stramburgo* commendatum eſt, coram tecum loquar. Non eſt jam tantum ὄψον κακηγορία, ut *Pindarus* inquit, ſed rabies qualis nullâ ætate fuit; cujus præcipua cauſa eſt, quòd homines barbari & jam aſſuefacti ad legum & diſciplinæ contemtum & odium, metuunt ſtrenari licentiam: ſed hæc ſunt fatalia mala poſtremæ ætatis, quæ ut Filius Dei mitiget, precemur, ut ipſe quoque in tuo carmine precatur. Bene vale. Pridie Cal. Maii. Anno M. D. L. Ep. 781.

Joachimo Camerario Pabergenſi S.D.

QUod fauſtum et felix ſit, diem ſacro nuptiali filiæ meæ et generi conſtituit uxor mea, diem ſecundum Junii ſuo quodam conſilio. Ego et eccleſiam et nos et noſtras familias, quas vel oculis vel mente intuens, mirifico dolore excrucior, Deo commendo. Te oro, etiam adoleſcentis *Peuceri* causâ, qui te tanquam patrem veneratur, ut ad ritum publicum et communem precationem uſitatam in nuptiis venias: ſcriberem et ad honeſtiſſimam conjugem tuam, ſi domi eſſet. *Rhetico* ſcribemus et ego et gener, teque oro, ut de *Stramburgi* conjuge conſilium mihi tuum ſignifices: nam ſi ipſa libenter expatiabitur, orabo et maritum et ipſam ut veniant. Cæteros amicos hoc officio onerare nolo. Fuit hic *Lazarus Suendus*, qui nihil narravit ἀξιόλογον, niſi *Carolum* prorſus hoc acturum eſſe, ut Pontifex indicat Synodum, et ipſum *Carolum* interfuturum eſſe *Conſtantini* exemplo. Bellorum apparatus nullos eſſe nunc quidem affirmabat. Fortaſſis *Lipſia* te allocutus eſt. Hodie à *Staphylo* literas accepi ex *Regiomonte*, quas mitterem niſi *Aurifabro Uratiſlavienſi* tradidiſſem, ſed nihil continent niſi diſcordias Theologicas, et narrationem de recenti incendio. Conflagrârunt in *Regiomonte* ſimul domus circiter centum, et magni mercium acervi. Deus adſit nobis, et nos regat. Bene et feliciter vale et reſcribe. XIIII. Calend. Junii Anno M. D. L. Mea uxor emtionis causâ profecta eſt iſtuc cum filiabus, quas tibi commendo. Ep. 782.

Joachimo Camerario Pabergenſi S.D.

FAbricio miſi epiſtolam ſcriptam ad *Ciglerum* παρηγορικήν. vero enim dolore afficior, et propter ipſius morbum, et quia mihi renovatur acerba recordatio mortis *Crucigeri*, qui in eodem oppido, morbo oppreſſus eſt. Multa etiam de orbitate eccleſiæ, et de rabie indoctorum in utraque Ep. 783.

parte

parte cogito, ac niſi me retineret hæc *παρασκευὴ* nuptiarum, tecum ad *Ciglerum* proficiſcerer: decrevi autem mox ad eum excurrere, cum his occupationibus liberatus fuero. Te quoque jam ad eum profectum eſſe, cum hæc ſcriberem, cogitabam; ſed ſi alia itinera te non impediunt, oro & generi & meo nomine, ut Calendis Junii huc venias. Scripſi ad *Stramburgum* & ejus conjugem, item ad *Meurerum* & ad *Rheticum*: præter hos neminem volui ſumtu & labore itineris onerare, fortaſſis autem familiarior eſt *Stramburga*, conjunx Paſtoris veſtri: conſiderabis igitur, quid ipſi matronæ gratiſſimum ſit & adjunges ei quam voles. Conſuetudo talium congreſſuum, ut ſcis, habet cauſas & exempla honeſtæ antiquitatis, ſed tamen aliorum magnas & panegyricas pompas imitari nec poſſum, nec velim, ſi poſſem. Oro autem Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, ut Eccleſiam & Politiam ſervet noſtris familiis, & nos & noſtros guberner. Bene & feliciter vale. Octavo Calend. Junii. Anno M. D. L.

Paſtor veſtræ eccleſiæ tunc in Synodo erit, cum nos ſacrum nuptiale faciemus, nec volo eum à Synodo abducere. *Aleſii* literas ſcriptas ad Regem *Anglicum* & ad *Cantuarienſem*, hodie trado nuncio, unà cum meis perferendas *Bremam*, unde mittentur in *Angliam*.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 784. ATtulit *Faſolti* miniſter literas à *Sabino* quas tibi mitto. Eram autem ſciſcitaturus & de tuo filio & de meis orphanis, ſed ſubitò abiit, cum per alium reddi mihi epiſtolam ad me ſcriptam curâſſet: ſpero tibi quoque literas afferri, & *Lipſiam* profectus eſt ὁ γραμματοφόρος, quem apud *Faſoltum* ad *Aureum Solem* iſtic quærere poteris. In mea epiſtola, quia nullius adverſi caſus mentio fit, vivere filium tuum ratiocinor, & ut ſervet eum incolumem Deus Conditor & fons vitæ, toto eum pectore oro. Sponſa Ducis *Pruſsiæ* paulò ante reditum noſtrum, hinc diſceſſit. *Mythobium* narrant fuiſſe cupidiſſimum noſtri colloquii, & ſcribit mater Sponſæ, mandata ſe ei ad me dediſſe, ſed hodie ad eum tuas & meas literas mitto. Accepi reverſus codices novos, in quorum uno *Francicæ* leges vetuſtæ continentur. Gentis tuæ laudes, quàm diligo, mihi placuerunt, ſed has ex aliis monumentis ſumere poſſumus. Legum ruſticitas oſtendit quales ſint ſcriptores, ubi hæc noſtra ſtudia qualiacunque conticeſcunt, & tamen magis metuenda eſt barbaries in religione, extinctâ hâc formâ doctrinæ, quàm utcunque nunc eruditiores amplectuntur, nec procul opus eſt exempla quærii in labyrinthis *Thomæ* & ſimilium, portentoſi errores leguntur, ſed hæc nunc omitto. Has *Francicas* leges, ubi inſpexeris, *Carolovicio* mittere poteris, quem ſcis delectari antiquis monumentis. Nuper mihi non venit in mentem, narrare me in ſupellectile mea quæſiviſſe veterem interpretationem *Politicorum* & *Oeconomicorum* librorum *Ariſtotelis*, ἀλλ' ὁ δραπέτης σιωπᾷ, cui ſcio me utendos dediſſe, non reddidit: omen diſplicet. Mittimus tibi literas, quas viro optimo & eruditiſſimo genero tuo ut mittas, exhibendas *Laſano*, valde te oro, petes etiam, ut *Laſanus* ſtatim reſpondeat. *Dedekindus* Sponſam excipit carmine, quod opinor te libenter lecturum eſſe. *Paulus Eberus* epiſtolam noſtram addidit; quæ eſt, ut ſunt mea, ſqualidior, ſed libenter de Caſtitate hoc modo diſſero, ut fœdus conjugii complectar. Bene vale & reſcribe. Anno M. D. L.

Ioachimo Camerario amico S. D.

EPiſtolam tibi mitto hominis ingenioſi, cujus orationem te probare memini, cum fortè quandam ejus epiſtolam in menſa mea repoſitam legeres: monſtrare eam & *Stramburgo* poteris, præſertim cum in fine mentionem faciat belli *Saxonici* cujus qualia fecerit initia Arcas videmus. Ego unà me hâc ſpe ſuſtento, quòd ſcio inter ruinas Imperiorum, tamen Deum ſervaturum eſſe hos ipſos cœtus, qui vocem doctrinæ incorruptam, fideliter & ſimplici ſtudio ſonant: certè nos nec regnorum, nec potentiæ aut pecuniæ cupiditatem, huic publicæ cauſæ miſcuimus. Oro autem Filium Dei, ut nos ſervet & gubernet. Bene & feliciter vale, die quo *Lipſiæ* ante annos triginta duos *Epicuri* dogma refutari. M. D. L. Ep. 785.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

NEc ſcio belli *Saxonici* hiſtoriam, nec te velle tragœdias illas audire arbitror. Ideo totam eam commemorationem omitto, ac Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum* veris gemitibus oro, ut ſervet cœtus ipſum invocantes, nec ſinat fieri Ethnicam barbariem in his regionibus. Reſponſio *Parthenopea* de defenſione libertatis, non multum diſſimilis eſt *Thebanæ*, in qua *Alexandro* reſponſum eſt, ſuſceptam ab eis eſſe defenſionem libertatis *Græciæ*, ſed hæc omitto. *Paulus Vadanus*, vir optimus, valde te orat, ut huc accedas ad renunciationem publicam teſtimonii de ipſius ſtudiis; Idem oro & ego. Pagellas mitto, ut videbis. In his eſt & geneſis *Oldenburgii* Comitis, quem *Medmanus* huc ſecutus eſt. Horum ſermones coram narrabo, in quibus tamen erat præcipuum κεφάλαιον, τὸ ἔθνος ἐν αἰγυπτίῳ βαλβιδι οὐκ εἶναι σύμμαχον τοῖς ἐν χαλδαίᾳ. De *Boſone* ſcripſi ad *Hieronymum Baumgartnerum*, ut eum *Gendero* commendet. Optarim eum & tuo teſtimonio ornari. Bene & feliciter vale cum eccleſia tua domeſtica, quam Filius Dei protegat. Sexto Calend. Novembris. Anno M. D. LI. Ep. 786.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

CUm ad *Aſcanium Jonas* veniſſet, fuit oratio non tantùm œconomica, ſed etiam ſenatoria ac cenſoria. Initium erat longa querela de diſſidiis, reprehenſio etiam noſtræ timiditatis. Poſtea narrabat quoſdam præcipuæ autoritatis viros ſuadere, ut nos peteremus à duobus vicinis Electoribus, ut Synodum indicerent, quo & *Saxonicarum* gentium ac urbium Doctores accerſerent. Ita poſſe et præſentes diſcordias tolli, et conſtitui perpetuam concordiam. Scio tibi jam in mentem venire multas graviſſimas cauſas repudiandi hujus conſilii, quarum aliquas tunc à nobis commemoratas eſſe exiſtimo. Etſi autem malui initio nulla in re ſeu magna, ſeu parva, tranquillitatem in eccleſiis harum regionum labefactari, tamen poſtquam vicerunt aulica conſilia, et adhuc quidem Ep. 787.

A dem alibi de rebus magnis & neceſſariis non ſunt
ſtudia meliora, has contumelias, quibus afficior,
perferre malo, quàm me adjungere ad συμμαχίας
eorum, qui tribunitiis clamoribus augent vulgi licentiam,
& venenatis calumniis dolorem afferunt
in bonis Spiritui Sancto. Et ſanabit aliquando
hæc vulnera civis ille *Samaritanus*, qui viatorem
ſaucium reficit, & in vicinam caſam vehit. Videmus
eccleſiam ſolis hominum conſiliis non ſervari
poſſe. Et errant aulæ, errat & ille ipſe, quamvis eſt
B ſapiens, qui novam νομοθεσίας propoſuit, cum quidem
videat ſe fatalibus cauſis impediri. Petamus
igitur & expectemus à Deo conſilia, & mitigationem
publicarum & privatarum miſeriarum, ut
in tuis verſibus dicitur:

In tenebris noſtra & denſa caligine mentis, &c.

Mitto tibi duas epiſtolas, etiam paſtoris veſtri
causâ, quæ oſtendunt etiam alibi bonis viris diſplicere
virulentiam maledicorum hominum, qui
eccleſiis noſtris alioqui mœſtis, augent dolorem.
C Expecto quotidie à *Baltico* littore claſſicum novorum
certaminum de quibus magis angor, quàm
de linea veſte. Et ſi capita doctrinæ neceſſaria
corrumpet, reſpondebo, nec illius fulmina metuam.
Nos, quantum poſſumus, conſenſum in his
Academiis tueamur. Bene & feliciter vale. Filius
Dei Dominus noſter *Jeſus Chriſtus* ſervet eccleſiam
tuam domeſticam. Nonis Februarii, Anno
M. D. L I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 788. MEminiſti illud in Tragœdia: *Nihil habeo*
σοφὸν, εἰ μὴ δάκρυα. Expoſuit mihi noſter amicus,
vir honeſtus, calamitatem ſuam, ita ut
multum lacrymarum ambo funderemus. Nam
inter triſtiſſima quæ homini accidere poſſunt, hanc
calamitatem eſſe judico. Nec conſilium video,
ſed oro Filium Dei ut ipſe leniat nobis omnibus
ærumnas publicas & privatas: plura de hac re coram.
Nunc reſpondeo *Lubecenſibus* paſtoribus
περὶ γαμικῶν ζητημάτων. creſcit licentia, quæ ſignificat
μεταβολὰς πολιτειῶν, quas Deus gubernet. Nihil
dubium eſt *Turcos* moliri oppreſſionem τ ἐν παισὶν
ἰσχύγων. Heri & à *Bremenſi* quodam literas accepi,
in quibus ſcribit, *Belgas* nolle filio *Caroli* parere, niſi
reſtituat immunitates, quas habuerunt ante annos
quinquaginta, & doctrinam eccleſiis proponi
concedat, receptam in noſtris eccleſiis. Apud vos
certiora dici arbitror. Oro Filium Dei, ut te &
totam eccleſiam tuam domeſticam & publicam
ſervet. M. D. L I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 789. EGo verò ſomnium illud tuum, in quo ſententiam
audiiſti, *Nulla vis major pietate verâ*,
θείας ἐμφὴν eſſe ſtatuo, præcipientem nobis, nè fracti
metu, turbari invocationem veram Dei ſinamus.
Ac acquievi aliquantum lectâ tuâ dulciſſimâ
epiſtolâ, in qua ſomnium illud narras, cum quidem
admodum defatigatus eſſem, non itineris labore,
ſed cogitatione τῶ γενεῶν, quas animadverti
poſtquam iter ingreſſus es. Certamen nobis
adverſus manifeſtos terrores facilius eſſet, ſed
pugnatur aliis modis, petamus autem Deum, ut
nos regat. Bene vale. Anno M. D. L I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

MUlta omnino exempla hoc tempore accidunt, Ep. 790.
quæ nos de infirmitate noſtra commonefaciunt.
Interitus *Matthæi Franci* & dolorem
mihi magnum attulit, & incuſſit pavorem.
Quid illo caſtius & ſanctius erat? Atque ipſi quidem
nihil mali accidiſſe ſtatuo. Sed mihi & aliis
multis exemplum terribile propoſitum eſt. Oremus
igitur Filium Dei, ut leniat pœnas, & ſervet
aliquas eccleſiæ ſuæ reliquias, & in his noſtras familias,
quæ verè ſunt ἀδυτοὶ ποίμνιον. Reverſus domum
reſpondi Academiæ *Pomeranicæ*, in qua magnum
certamen motum eſt inter duos κενοφωνίας
περὶ ἱερατικῶν μυστῶν. Nunc reſpondi & de *Gothingenſi*
quæſtione. In tam futilibus rixis conſumenda
nobis eſt ætas. *Cramerum* ſpero ad vos acceſſiſſe
poſt colloquium cum *Aſcanio*. Mitto tibi Reſponſionem
de *Gothingenſi* controverſia, exhibendam
Stramburgo, eámque volo à te & ipſo legi & emendari,
ſi quid judicabitis eſſe mutandum. Et
vellem nos non diſſentire à veſtra reſponſione.
Mitto tibi verſus de Eclipſi mediocres. Bene &
feliciter vale. quinto Non. Martii. Anno Dom.
M. D. L I.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

D NOn accipio dulciores literas ex *Noriberga* Ep. 791.
à genero *Oſiandri*, quàm tu ab illo vetere amico
noſtro; ac videor mihi juſtiùs queri de hoc
adoleſcente, quem multis privatis officiis juvi, ſed
talis eſt hæc ætas. Etſi autem video, quanto in
odio & periculo ſim, tamen has ærumnas ferre
malo, quàm eſſe tuba belli crudeliſſimi, quod motum
eſſe videmus, ſeu fato, ſeu errore, ſeu irritatis
Principum animis petulantiâ ſcriptorum, qui
ſe in illas arces abdiderunt: ac animum ad ferenda
E ea, quæ accident, præparo, & ad Filium Dei
confugio, eíque & eccleſias & hæc noſtra ſtudia, &
familias noſtras commendo; nec dubito ei nos
curæ eſſe, nec antea mihi πολιτεύματα aulica, nec
belli conſilia nunc placent, & quantum meo loco
potui, oſtendi quid ſentirem. Seditioſè tumultuari
non volui, qua in re ſi peccavi, aut pecco, excuſationem
videor habere, quod nihil proficerem,
& graviſſimas cauſas habui cur nec antea ad illos
Cyclopas acceſſerim, nec nunc eò accedam, méque
F utcunque conſcientiâ rectæ voluntatis ſuſtento.
Quæſivi in magna confuſione opinionum, explicationes
veras & utiles diſcentibus, & fui hortator
juventuti ad diſcendum. Tibi facilior eſt
defenſio tui curriculi & actionum tuarum, ſed
de me ſimul hoc cogito, mihi in tantis aliorum
furoribus ignoſci æquum eſſe, ſicubi lapſus ſum,
video & aliorum magis tetra errata, qui ſeſe admirantur,
& Semidei perhiberi volunt: ſed abrumpam
hanc narrationem, ac potiùs tecum & cum
G eccleſiis noſtris Deum orabo, ut nos regat, nec
ſinat fieri barbaricas vaſtationes. Meus gener tibi
munus adparat non ineruditum. Scripſi de *D. Vadino*
ad Conſulem *Annamontanum*. Bene & feliciter
vale. Deus ſervet et domeſticam eccleſiam
tuam et publicam. Pridie Calend. Decembris.
Anno M. D. L I.

Vellem te quoque ſcribere ad hunc Conſulem
Annamontanum Bavarum, ad quem ego ſcripſi,
vel

vel ad a liam, ſi quem nôſti, aut certè iſtic literas ab amicis impetrare poteris. Somnium mihi denunciavit βοίδιφα ἤματα. Nam hæc verba audiebam, allatura eſſe paroxyſmum.

Joachimo Camerario Pabergenſi S.D.

Ep. 792. ETſi valde cupiebam me comitem *Eraſmo* adjungere, tamen me filiarum valetudo retinet, quarum duæ majores diverſis morbis conflictari ceperunt. Deus & publicas & privatas miſerias mitiget. *Baſileam* audio proſcriptum eſſe, quod fortaſſis claſſicum erit *Elvetici* belli, quod ſemper exiſtimavimus tragœdiæ hujus temporis ὕστατον fore. In *Glareani* Patria prodigium etiam denunciat tumultus. Conſpecti ſunt duo Leones in aëre certantes inter ſe, donec victor alteri caput mordicus abripuit. *Aleſio* literas curabis reddi, quas his adjunxi allatas ex urbe *Argentorato*, quam quidem arcem belli futuram eſſe *Carolo* arbitrantur. Quò evehit fortuna hunc, ut ille nominat, φιλοπόλεμον, qui nobis quidem eſt μισοπόλεμον, ſed obtemperemus voluntati Dei, cui tamen non dubito eccleſiam ſuam & ſtudia veræ doctrinæ & eſſe curæ & fore. Plura coram, iſtuc enim veniam, nec volo te huc attrahere. Bene vale. Pridie Natalis *Ciglers* noſtri, cui fauſtum & felicem annum precor. Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

Ep. 793. PRimùm ex tuis literis reditum tuum cognovimus, de quo ſi citiùs audiviſſem, ſcripſiſſem ad te, quanquam tanta eſt & dolorum meorum & negotiorum magnitudo, ut complecti epiſtolis ea non poſſim, de quibus maximè tecum colloqui cupio. Exiſtimo te iiſdem cogitationibus excruciari, & in aula πάνθεῖ ἀτλήτῳ βεβολήατο πάντες ἄριστοι· ſed hæc coram. Gaudeo te ad tuos incolumem reverſum eſſe, & Deo gratias ago, quod & te & eccleſiam tuam domeſticam protegit, & ut protegat toto eum pectore oro, ſpero etiam propter aliquas pias familias lenitum eſſe pœnas publicas, & ſervaturum poſteris eccleſiam & doctrinæ lucem. Eam partem operis tui, in quâ recitatur doctrina de æterno Patre, Filio & Spiritu Sancto, tunc cum mihi ſcriptum ipſe oſtendiſti, ſtudioſè perlegi totam, & judico rectè & propriis ac ſignificantibus verbis expoſitam eſſe τὴν τ̃ ἐκκλησίας ἐξομολόγησιν. Inſtitui ἐξήγησιν, afferam iſtuc. *Lelius* ſcripſit ad me ex *Tiguro*, & nominatim tibi ſalutem optat. Bene & feliciter vale. Die Brumæ. Anno M. D. L I,

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 794. SÆpe intueor animo *Danielem* inter leones obambulantem, ac imaginem nobis periculorum & vitæ noſtræ perpetuam, propoſitam eſſe judico, niſi fortaſſis aliquanto plus mali eſt, quod non ſolùm τοῖς κυψελίδαις, ἀλλὰ καὶ τῷ συνοικοῦντι γένει ὁμιλοῦμεν. Semper cum his peſtibus conflicta eſt eccleſia. Et nunc in *Germania*, motis civilibus diſſenſionibus, ut fit, magis exerit ſe ingeniorum κακοήθεια. Hæc quâ arte ferenda ſint, nos quidem & literæ, & longa conſuetudo nonnihil docuit.

A Et te ſcio non eſſe rudem hujus philoſophiæ. Ideo ſcribo ad te breviùs, etſi dolore tuo valde moveor. Una eſt ratio, nos ut noſtrum officium moderatè faciamus, & virtute certemus cum Antagoniſtis: Ac eventus pub. & privatos Deo commendemus. Sæpe uſurpo vocem *Pſalmi: Obtempera Deo & ora eum.* Nam profectò hi admirabiles fluctus vitæ, non poſſunt humanis conſiliis regi. Quàm multa illum ipſum virum fefellerunt, quem ille ait maximè vidiſſe ἐν τῷ ἀφανεῖ τὸ ἄριστον. Sed deſino con-B cionari. Accerſivit me Dux *Mauricius*, cujus voluntatem ſanè laudari audio. Et utinam confirmare poſſemus. De *Laterenſi*, etſi video oriri eam rem, ex communi fonte malorum hujus temporis, hoc eſt ex malevolentia, tamen ipſum velim animo tranquillo eſſe. Mitto tibi deſcriptionem Eclipſis quæ conſpecta eſt in auſpiciis Synodi *Conſtantienſis*: dices eſſe picturam Synodi. Eo anno *Boemici* μάρτυρες combuſti ſunt. Hiſtoricus narrat fuiſſe tantas tenebras, ut ſtellæ conſpectæ ſint, C quod legimus & de Eclipſi primi anni *Peloponnenſi* belli, & de alia quadam quæ præceſſit *Juliani* dominationem. Spero tibi hanc θεωρίαν gratam fore, vides ipſam rerum naturam συναλγεῖν τῇ ἐκκλησίᾳ. Quare & nos noſtras ærumnas moderatè feramus, & expectemus auxilium divinitùs. Bene vale. Anno M. D. L I I.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

D INtelligo in hac urbe ſenſus & dolores eoſdem eſſe honeſtorum & prudentum omnium, de Republica qui noſtri ſunt. Et vota eſſe eadem piorum omnium ad Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, ut leniat publicas et privatas pœnas, nec ſinat barbaricas vaſtationes fieri. Quicunque igitur exitus erunt, levemus hâc cogitatione mœſtitiam, quòd noſtra judicia cum bonorum ſententiis congruunt. καὶ τὸν σεβαστὸν φασὶν εἰπεῖν, εἰ ἐμοῦ E ζῶντος τολμῶσιν ἅπαντα ταράττειν, τί ποιήσειαν ἂν ἐμοῦ ἀποθανόντος; δεῖ οὖν κατὰ κράτος ἀμύνασθαι τοὺς στασιάζοντας. Etſi autem multa et audio et ratiocinor, tamen tuas literas περὶ κορυφαιοτάτων requiro, téque ut ſcribas oro. Nos *Noriberga* adhuc expectamus literas vel aulicas, vel *Padernianas*. Scripſi enim et ad aulam, & ad *Padernum*, ut nobis ſignificent quid fieri velint. Quæ ſtultitia eſſet progredi ad Synodum, moto bello, et inter arma diſputare? qua de re et in aula antea oſtendi, quid mihi vi-F deretur. *Auguſtam* eo non properavimus, quia in tanta maledicentia et vanitate hominum locus ille, ubi de religione plus eſt diſſenſionum, plus ſabellarum peperiſſet. Hic nihil fuit contentionum cum ullo. Et aliquantulum conticeſcunt ſermones de Hyperborei Oratoris ὑψηληγορίᾳ. In itinere cum veniſſemus ad *Salam*, aderat fortè in urbe, cui nomen eſt ſeu ἅλας ſeu curia, *Fortiades* tuus, cui in cœna dedi pagellas in quibus eſt commonefactio noſtra de ſcripto Hyperborei Oratoris. Id mutuus G affirmabat ſibi gratum eſſe. Poſtridie de vidua *Cigleri* cum *Straſſio* et *Uvallefelſio* locutus ſum, qui non dubitabant polliceri Principem proximi anni penſionem integram viduæ non gravatim daturum eſſe: de altera petitione etiam ſuam ſuffragationem promittebant. Eadem poſtea egi cum *Anſpachenſibus*, quorum expecto literas. De *Tripoli* ut vocant, nuper occupata à *Turcis*, recitata eſt nobis hiſtoria. *Carolus* eam

tradidit militibus *Rhodiis*, inter quos multi ſunt A *Galli*. *Turcis* traditam eſſe ferunt hac pactione, *Gallis*, ut parceretur. *Hiſpanici* homines nobiles inter *Rhodios* multi interfecti ſunt. Interrogavi *Ebnerum* quæ ſit *Tripolis*, & diſputavimus, aut *Leptin*, aut *Cyrenen* eſſe. Te quoque velim interrogare homines non rudes hiſtoriarum. Certum eſt enim, non eſſe *Tripolin* in litore *Phœnicum*. Poſtea inſpectâ deſcriptione *Aphricæ*, quam ſcis hic linguâ *Italicâ* & ſcriptam haberi, vidimus eam B non procul à *Tuneto* diſtare, ac inter *Tunetum* & *Leptin* ſita eſſe videtur. *Eraſmus* mittit tibi picturam poli Antarctici, qui ſplendidiſſimas ſtellas habere ſcribitur. Bene & feliciter vale. *Noriberga*. Die XXIX. Jan. Anno. M. D. L II.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 796. TUam epiſtolam ad generum meum ſcriptam accepi cum ipſe jam *Noriberga* diſceſſiſſet, C quem quidem opto ad vos ſalvum & incolumem redire. Tua filia honeſtiſſima &, ut mihi videtur, prudentiâ & gravitate ſingulari præditâ, matri literas mittit, quas huic noſtræ epiſtolæ incluſi. Poſt iter *Caſparus* nihil accepi novi de Republica. Hic *Polonus* à *Lelio* accepit literas, qui jam in *Helvetiis* conventum fore ſcribit totius gentis, deliberaturæ de *Gallicis* petitionibus. Ac vide ſeculi furores, certamina *Allobrogica* de ſtoica neceſſitate tanta ſunt, ut carceri incluſus ſit quidam, D qui à *Zenone* diſſentit. *Lelius* narrat, ſe παρῃνεῖν cuidam ſcripſiſſe, ne tam vehementer pugnet. Et mitiores ſunt *Tigurini*. Tuas literas expecto. Quæſo ut mittas Principi *Anhaltino* faſciculum ipſi inſcriptum, in quo ſunt exempla *Tridentinarum* diſputationum περὶ λειτουργίας. *Gropperica* venuſtiùs fucata eſt. Cætera ſunt ψυχρολογίαι. Nam *Gropperum* acuit lectio noſtrarum lucubrationum & κατὰ παροιμίαν λέγουσι, Videmus in noſtris vulneribus noſtras pennas. Bene vale, Cal. E Februarii, Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 797. IN tantis periculis & noſtris & univerſæ eccleſiæ, quorum te quoque exerceri aſſiduâ cogitatione ſcio, hanc habeo præcipuam conſolationem, quæ recitatur in tuo verſu:

Noſtra tuâque fides ſolius orat opem:

Quid enim, nunc præſertim commotis rebus tan- F tis, conſiliis humanis effici poteſt? Eodem die hic *Laſarus* & *Cramius* fuerunt. Narrabo coram utriuſque ſermones, Interea tuas literas requiro. *Uvirtenbergenſes* legati, poſtquam nemo eis reſpondet quidquam petentibus ut audiantur, *Tridento* diſcedunt. Nos hic expectare juſſi ſumus τοῦ ἡγεμόνος reditum, qui utinam ſit fauſtus & felix. *Mirandulæ* circumſeſſæ picturam tibi mitto. *Caſparem* ſperabam hoc ipſo die, quo hanc epiſto- G lam ſcribebam, ad te venire Bene & feliciter vale. die ſexto Februarii. Anno M. D. L I I,

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 798. QUÆ fuerint initio tua & aliorum bene ſentientium conſilia, de legatione ad Synodum, ſi qua mittenda eſſet, meminiſti. Poſtea

A αὐτόματως omnia inſtituta ſunt. Nunc hæreo ὥσπερ μῦς ἐν πίσσῃ. Sed oro Filium Dei, & ut eccleſiam ſuam ſervet, & ut nos omnes gubernet. Hiſtoria eſt ὁ τῆς ἑτέρας, ἔχομεν γὰρ ὀλίγα ἱερεῖα. Sed aliæ curæ magis me cruciant. Expectamus literas à Principe de noſtro itinere. Nunc adſunt fratres *Stibari*, multa igitur heri de te, & de publicis negotiis collocuti ſumus, cujus ſermonis quod argumentum fuerit, facilè ratiocinari potes. Niſi fatalis B mutatio rerum impendet, non arbitrantur *Thraſybulis Atticis* ſimiles fore illos, qui jam videri volunt libertatis aſſertores. *Eraſmus Ebnerus* pro tua κατηχήσει mittit tibi hiſtoriam *Indicam*. *Franciſcus Cramius* nos hic expectare mandata Principis de itinere juſſit. Quæſo ut nobis ſcribas. *Micalus* adſtabat cum hæc ſcriberem, qui tibi & eccleſiæ tuæ domeſticæ ſalutem optat: multa mihi cum eo philoſophica certamina ſunt. Bene vale, Filius Dei Dominus noſter *Jeſus Chriſtus* ſervet C te & eccleſiam tuam domeſticam & publicam. Nono Febr. Anno M. D. L II.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

ET ipſe ſæpe repeto dictum, & te ſcio ſæpe re- Ep. 799. petere, quod de Deo *Paulus* recitat ἐν αὐτῷ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμέν. Ago gratias huic vero Deo Patri Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, vitæ datori, qui te & eccleſiam tuam domeſticam ſervat, D quique nunc tibi vires corporis reſtituit, & ut vos ſervet, eum oro. Scripſit gener meus epiſtolam de morbo tuo, quæ mihi & ſolicitudines & dolores auxerat, ſed tua melius me ſperare jubet. De noſtro itinere adhuc expecto aulicas literas, ac miror, cur nec *Cramius*, nec alii reſpondeant nobis. Quod iſtic narratur τὸν ἡγεμόνα ad *Alpes* acceſſiſſe, hoc heri nunciatum eſt, eò profectum eſſe, quò tu ſcribis τὸν ἱεροκήρυκα abiiſſe, καὶ συλλέξοντας ἐκεῖ τῶν συμμάχων τινὰς, καὶ δ᾽ ὅλον πρῶτον παρεστάναι τὴν πόλιν ἔχουσαν E ὄνομα ἀπὸ τῆς φάραγγος τῆς ἐπὶ τὰ δὲ τὴν ὅμορον χώραν ἐν ὄχθαις τοῦ ῥήνου, ut prohibere tranſitu & tranſvectione quos volent poſſint. Fortaſſis exemplo prioris belli moventur. Expectamus hodie iiſdem de rebus literas, in quibus ſi confirmabitur opinio de bello, decrevi Deo juvante ad vos rectâ redire. Nam & te videre cupio, & à familia mea, ac ab amicis tali tempore abeſſe non poſſum, etiamſi multa ibi video, quæ me non leviter excruciant, & ſecuturas eſſe majores confuſiones in Imperiis F & Eccleſiis metuo. Sed te oro Fili Dei *Jeſu Chriſte* crucifixe pro nobis & reſuſcitate, ut pœnas lenias, & furores diabolorum reprimas, & inter nos eccleſiæ tuæ reliquias ſerves. Hæc mihi ſcribenti lachrymæ erumpebant, quare non multa addere potui. Intuebar etiam tuum pectus, & cogitabam ubique in magnis doloribus eſſe homines non feros. Quo die ὁ ἐκλέκτωρ accepit capita à noſtris ſcripta de pace, pharmacum ſumpturus fuerat, ſed cum iſtâ lectione nimium commotus eſſet, G non ſumſit, ac dixiſſe aiunt, ὅτι δ᾽ ἔχεται μᾶλλον ἀποθανεῖν, ἢ διαλύειν τοὺς ... ἀνθρώπους καὶ συγχύσαι τῶν ἐκκλησιῶν. Poſt mortem *Mencelii* quæſo ut amicis *Pacæum* commendes, quem in lingua *Ebræa* ſcholæ plus profuturum eſſe ſpero, quàm alios, qui nunc quidem eum locum petunt. Bene & feliciter vale. Reverendo *D. Paſtori* & aliis amicis ſalutem opto. Septimo Cal. Martii, Anno M. D. L II.

Joachimo

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 800. ERgo prodigia *Argeliæ* conſpecta denunciârunt & conventum & ea quæ ſecutura ſunt, quibus in rebus, ut juſtas pœnas leniat gementibus eccleſiis, Filium Dei oramus. Nihil enim à nobis aliud agi jam poteſt. Jam *Francica* nobilitas in hanc urbem miſit cuſtodienda κειμήλια. Et conveniunt equitum & peditum copiæ. Quare & nos regredi decrevimus. Quid enim ſtultius eſſet, quàm diſputare verbis περὶ ἀρχιερατικῆς πολιτείας, ſi alibi armis evertitur. Quas miſiſti epiſtolas *Noribergum*, dum hic ſumus, accepiſſe me omnes ex earum argumentis ratiocinor, tibíque gratiam habeo de hâc aſſiduitate. *Brentius* ad nos ſcripſit, & comes eſſet futurus itineris ad *Alpes*, ſi eò proficiſceremur. Bene vale, Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum* oro, ut eccleſiam tuam domeſticam ſervet incolumem. quarto Cal. Martii. Anno M. D. L I I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 801. SÆpe jam veteres eccleſiæ ærumnas mente intueor, ut olim certabant impiis armis utrique in *Judæa*, οἱ τὰ ἀρχιερέως, καὶ ὁ ἀντιπάτρου υἱὸς, illi de eccleſiæ libertate, iſte de regno: et tamen interea Filius Dei ſervabit agmen, quod verè colebat Deum: ita ſpero nunc quoque inter regnorum ruinas ſervaturum eſſe cætum ipſum invocantes, & doctrinæ ſtudia piè colentes. Hac nos ſpe ſuſtentemus. Omninò enim circumacta videtur *Platonica* periodus Imperii *Germanici*. Nos ex aula adhuc expectemus mandata de itinere. Nolui enim properare propter belli rumores. ἄτοπον γὰρ εἶναι ἄν, ἡμᾶς μὲν πλάττειν λόγους περὶ ἀρχιερατικῆς πολιτείας, ἐκείνους δὲ τὰ ὅπλα ἤδη ... αὐτῶν ἁρπάζειν. Fortaſſis ex *Argelianis* decretis ſtatuere poterimus de itinere, εἰκὸς καὶ αὐτὰ ὅμοια ἔσεσθαι τοῖς ἐν ... αἰνίγμασι. Tuam patriam ſperant jam tranquillam fore, ſed vicinia ad *Rhenum* appetitur, quanquam qualis ſit futura tranquillitas, ſi vicinia ardere bello cœperit, ratiocinari facile eſt. De tuis muneribus tibi gratias agimus, videlicet de *Pſalmis Nigri*. Nihil habeo quod nunc mittam, niſi hos triſtes verſus hac nocte factos, cum ſomniis ingratis excitatus eſſem. Bene & fæliter vale. Pridie Cal. Martii, Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo.

PRECATIO.

Numen ut æterni ſapiens, & dextra parentis,
Protexit thalamos Elizabeta *tuos,*
In quibus infantem longæva puerpera alebas,
Miſcebas curis & pia vota tuis.
Quanquam graſſantes tota Jordanis *in ora*
Undique ſævirent Parthus Arábsque *truces,*
Et quanquam fratrum membris, paſcique cruore
Juſsiſſent Lamyri *millia capta mina,*
Tu ſecura tamen divini Numinis *umbrâ*
Figebas nati baſia multa genis:
Sic modò cum pœnis urgentur regna ſuperba;
Juxta aras, cœtus protege, Chriſte, *tuos.*
Juxta illas etiam Joachimi *reſpice vota,*
Et caſtam ipſius quæſo tuere domum.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

HOneſtiſſimæ conjugi tuæ mitto pagellas operis, quod jam edit *Joannes Aurifaber*. Inde ipſe judicare poteris, me non poſſe expatiari, etſi valde cupio. *Franciſco Cramio* ſcripſi, & Deum oro, ut & harum regionum eccleſias, ac earum hoſpitia, & familias noſtras protegat. Vidi pagellas *Balticas* recentes. Sed brevi totam *Gorgonem* habebimus, adverſus quam me non *Orci* galea, ſed περικεφαλαία τοῦ σωτηρίου χριστοῦ tueatur. Hodie à *Danico* Rege literas accepi, qui graviter ſcribit ſe editiones illas improbare. Bene & feliciter vale. Nonis Maii. *Matheſius* ſcribit octo continuos dies animadverſos eſſe terræ motus in vicinia vallia *Joachimica*. Salutem opto eccleſiæ tuæ domeſticæ & publicæ. Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo. Ep. 802.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

NOn humano errore tantum hi motus exorti ſunt, ἀλλὰ δαιμόνιόν τι ἐλαύνει τὰ πράγματα. Sed ſuſtentemus nos hâc verâ conſolatione, quam Filius Dei proponit: *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis*. Hanc ancoram teneamus. Non dubito & gemitus eccleſiæ tuæ domeſticæ exaudiri à Deo. & eam curæ eſſe Deo. Vidi picturas magno cum dolore quæ omine etiam diſplicent. Verùm non ſolùm picturis & ſcriptis illis mihi dolor augetur, ſed etiam quotidianis populi lacrymis, qui initio affligitur ſine miſericordia. Mitto tibi geneſin τῶν κελτικῶν βασιλέων & filii ipſius. Plura ſcribam cum ibit nuncius *Noribergenſis*. Apud *Anhaltinum* fui, ubi recitavi quædam Grammatica de locis aliquot Propheticorum librorum, ut ipſum à cogitationibus triſtioribus abducerem. Bene & feliciter vale, die vigeſimo nono Martii, Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo. Ep. 803.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

ETſi difficile & periculoſum eſt definitiones condere, ut & Juriſconſulti dicunt, quibus laus ſapientiæ tribuitur. Ego verò nec laborem nec pericula defugio. Sed adeſt *D. Joannes Aurifaber* quem adjuvare neceſſe eſt. Et judico utilius eſſe addi noſtro commentario, admonitiones de conjugio, quàm definitiones, ſi quid omninò vult addere Typographus; mittimus igitur libellum De *Conjugio*. Quæſo ut Typographo meam ſententiam exponas, ſi tamen eam tu quoque probabis. Filium Dei oro, ut te & totam eccleſiam tuam domeſticam ſervet incolumem. Heri *Eraſmi Salveldenſis* conjunx, matrona honeſtiſſima, & θεοσεβὴς ex hac vita deceſſit, ut intelliges, ex hac pagella. Bene vale, ſexto Nonas Maii. Anno M. D. L I I.. Ep. 804.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

ETſi humana remedia communium dolorum nulla jam reliqua ſunt, ac tantum hac conſolatione ſuſtentamur, quæ eſt in tuo carmine: Ep. 805.

Turbati erigimus Deus ad te lumina cordis:

tamen ad te expatiari decrevi, quàm primùm potero. Nunc generum hortatus ſum *αὐθωρεί*, ut iſtuc proficiſceretur. Oro autem Filium Dei, ut & te & tuos ſervet incolumes, & leniat ærumnas publicas. Nunc in manibus habeo hiſtoriam *Ebrarti* Ducis *Uvirtebergenſis*, qui fuit *κτίστης* Academiæ *Tubingenſis*, quem intuens, & cogitans de iis viris, quos ille & conſiliorum gubernatores, & laborum ſocios habuit, magis etiam deploro noſtri temporis confuſiones & calamitates, ſed inter hos fluctus tamen Filius Dei ſuam cymbam ſervabit, qui ideo induit naturam noſtram, nè his tantis malis in nihilum redigeretur, quibus genus humanum oneratum eſt: Bene & feliciter vale. Anno M. D. L I I.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 806. ETſi magno cum dolore legi neceſſarii tui amici meam epiſtolam, tamen rectè & amanter abs te factum eſt quod cognoſcendam miſiſti. Prodeſt enim præcipuè amicorum nos judicia & voluntates ſcire. Ac vehementiæ quidem illius demus veniam, cum nota ſit nobis ejus natura. Eſt enim ex illo genere de quo dicitur, *δεινὸς ἀνήρ, τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο*. Arrogantiam in judicando miror, cum ſciam eum fontes controverſiæ non nôſſe, nec legiſſe omnia illius *Periclis* ſcripta. Sed feramus hos furores ſeculi, & Filium Dei oremus, ut nos regat & ſervet eccleſiæ reliquias. Túque intuens eccleſiam tuam domeſticam, quam & ego ſæpe mente intueor, erigito animum hâc verâ conſolatione; quòd Filius Dei affirmat, ſibi hæc parva agmina curæ eſſe. Fateamur ſervari & eccleſiam & ſocietatem hominum, non Principum ſapientiâ, non noſtris cogitationibus, ſed mirandâ gubernatione divinâ. Petamus igitur & expectemus à Deo auxilium, ut in verſu tuo dicitur,

Noſtra tuâmque fides ſolius orat opem.

De bello in tantis tenebris, etſi multa mihi in mentem veniunt, & communibus ærumnis excrucior, tamen eo nihil ſcribo, nè tuum dolorem augeam. Et ſæpe uſurpo dictum *Simonidis*, *ἀλγεῖν ἀντ' ἔργων ἰδεῖν οὐκ ἔστι καλά*. Hic noſter civis homo modeſtus ibit *Argentoratum*: ſiquid igitur eò literarum miſſurus es, poteris ei tradere. Mea familia *Torgam* miſſa eſt. Inde ad te expatiabor. Nunc mitto exempla hiſtoriæ. *Capnionis* ſatis tenuiter ſcriptæ. Nec utar excuſatione mœſtitiæ aut brevitatis temporis.

Invida me ſpatiis natura coercuit arctis:

Dabis *Paſtori*, *Aleſio*, *Baldaſaro*, *Uvolfgango*. Milii hodie & Genero tuo. Cum legerem in illa epiſtola dictum de *καθαρτικῷ*, etſi alia multa mihi in mentem venerunt, *ἄλλων ἰατρὸς*, &c. tamen hoc quoque cogitavi, quod neſcio an audieris. Cum Medicus quem nôſti, *ἀγχῖνος ἰατρικός*, Cauterium in *Germaniam* attuliſſet, quo cerebro mederi conabatur, & matrem veſtri præfecti proximi non leviter afflixiſſet, in aula Ducis *Georgii* deliberatum eſt de filio *Friderico*. Exiſtimo Doctorem *Sebaſtianum* hæc meminiſſe. Fortè inquit ad Ducem *Fridericum* ille Medicus, nôſti enim ejus naturam. *ἐξορύξω ὑμῶν τὸν μυελόν*, agnoſcis *Germanicam* phraſin. Tum ille *αὖθις*. Tibi ipſi prius effodito, cum ſis magis fatuus, quàm ego. Cæteri Doctores poſtea feverè objurgant iſtum impudentem. Si narraret patri, inquiunt, optimo ſeni dolorem augeremus. Ita illi noſtro reſponderi poſſet, ipſe ut *καθαρτικῷ* etiam utatur. Interroga Doctorem *Sebaſtianum* de hac hiſtoria. Bene vale. Deus vos omnes ſervet, & reſtituat *Franciſco* corporis et animi vires. Anno M. D. L I I I.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

UTinam & univerſæ gubernationis & inſpectionis eccleſiarum conſilia ſint felicia, quæ quis aut gubernet aut ſeriò curet, nondum ratiocinari poſſum. Excrucior ingenti dolore, cum fontes doctrinæ negligi, diſciplinam deleri, confirmari *Centauricam* audaciam video. Et nunc fortaſſis oracula petentur ab *Empuſa*, tanquam à *Sybilla*. Invitus proficiſcor ad aulam, & ſcire cupio an tu quoque accerſitus ſis. Fortaſſis veſter Paſtor excuſatione valetudinis utetur. Ea de re mihi ſcribas. De vino gratiam & debeo & habeo *Stibaro* & tibi. Sed profectò non libenter eum ſumtu onero, præſertim cum ſciam eo pluribus eum largiri, quia natura liberalis & benefica eſt. Nondum audivi Synodi *Marchicæ* hiſtoriam, ſed audio referri de *Baltica* controverſia, in qua ſic certatur odiis, ut medicando vulnera magis lacerentur. Et nimia eſt *πολυπραγμοσύνη τοῦ ἄρχοντος ἡσυχεῖν ἐν νόσοις ἄμετρον*, ut nos faciamus. Bene & feliciter vale. Anno M. D. L I I I. Ep. 807.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

SCio in *Danielo Stibaro* eximiam eſſe virtutem & fidem, & erga Rempub. & eccleſiam voluntatem honeſtam. Propter has cauſas ſemper et dilexi eum et diligam. Suam erga me benevolentiam et ipſe ſæpe declaravit magnâ liberalitate. Fateor igitur me gratitudinem ei debere. Hoc tempore cauſas habet moderandæ liberalitatis, quare vinum nunc miſſum eſſe miratus ſum. Verùm eo plus ei debeo, quòd etiam in hac Patriæ calamitate noſtri non obliviſcitur. Oro autem Filium Dei cuſtodem eccleſiæ ſuæ, ut et *Danielum* et nos omnes gubernet, et patriam his pernicioſis bellis liberet. Narratio de pugna huc à multis ſcripta eſt, et aliqui narrant, mox eum habiturum novos exercitus, *ὥσπερ ἐν τακτικοῖς χρόνοις πολλὰ πολέμων καινά* planè ut *Hydra* capita renaſci aiunt. Sed cum manifeſtum ſit nos noſtris diſputationibus hæc mutare non poſſe, et ſummos gubernatores alios aliter impediri, agnoſcamus fatales pœnas, et à Deo mitigationem petamus. Oro Filium Dei, ut te, et honeſtiſſimam tuam conjugem et totam eccleſiam domeſticam ſervet incolumem. De *Ebero* coram colloquemur. Bene vale, quarto Cal. Julii. Anno à *Chriſto* nato, M. D. L I I I. Ep. 808.

Ioachimo Camerario amico S. D.

DEi beneficio, et animi et corporis vires in Principe *Georgio* confirmantur. Pene ut ex morte reviviſcit. Spero et congreſſum tuum ei profuturum eſſe. *παραμυθητικὸν γὰρ ὁ φίλος καὶ τῇ ὄψει καὶ τῷ λόγῳ, ἐὰν ᾖ ἐπιδέξιος*, inquit *Ariſtoteles*. Et fratres ambo valde petunt, ut ad ipſos expatieris. Reſponſionem de *Stancari* controverſia ibi perſcripſi, quæ multò eſt et brevior, et ſummiſſior, Ep. 809.

quàm

quàm poſtulat magnitudo cauſæ. Sed hominem iracundum et bilioſum non volui accendere. De re ipſa vobiſcum libenter colloquerer. Et ad vos accedam. Quò feſtinat autem *Æacides*, poſtquam intra *Pylas* venit? Etſi quid agetur, ratiocinari non poſſum, tamen non ſum ſine dolore et ſine metu. Sed diſcamus non humanis præſidiis verùm dextrâ Filii Dei eccleſiam protegi. Literas à te expecto. Mea conjunx paulatim convaleſcit, qua in re hoc mihi mœſtitiam lenit, quòd mens ejus integra et mediocriter tranquilla eſt Dei beneficio. Oro Filium Dei, ut te et tuos protegat. Bene et feliciter vale. Die *Viti*. Anno M. D. L I I I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 810. CLemens *Alexandrinus* verſum eſſe *Euripidis* dicit, etſi non opinor in his tragœdiis eſſe, quæ reliquæ ſunt, ἅπαν τὸ χρηστὸν, τὴν ἰδίαν ἔχει φύσιν. Scio te quoque hoc dulciſſimo verſu delectari, quia et honeſta ſententia eſt, et tuæ integritatis imago eſt, oſtendit autem et *Stigelii* candorem et virtutem, perpetua erga nos in his temporum confuſionibus conſtantia benevolentiæ; de qua ei et debeo et habeo gratiam. Et fruemur amicitiâ noſtrâ in conſuetudine cœleſtis eccleſiæ, quanquam nunc quoque non eſt contemnendus fructus, quòd ſtudiis prodeſt noſtra conjunctio. Scio enim à te quoque diligi, quare gratum fore congreſſum non dubito. Dedi ei faſciculum literarum *Boruſſiacarum*, quem legati *Turingici* attulerunt. Sed *Menius* adhuc morbo retinetur in illo horrido litore, ſum ſolicitus de ejus vita. Sed oro Filium Dei, ut et ipſum ſervet incolumem, et leniat omnes calamitates publicas et privatas. In iis locis ubi pugnatum eſt ex ſanguine *Titanum* terra alios gignere diſcitur. Commendemus nos Filio Dei Domino noſtro *Jeſu Chriſto*. Bene vale. Salutem opto vobis omnibus, *D. Paſtori* et aliis. Anno. M. D. L I I I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 811. ACcedit iſtuc meus gener propter communem dolorem. Scis enim me uſurpare *Ariſtotelicum* illud παραμυθητικὸν ὁ φίλος καὶ τῇ ὄψει καὶ τῷ λόγῳ ἐὰν ᾖ ἐπιδέξιος. Magno in dolore fuimus anno ſuperiore ego et tu et alii multi, cum videremus ſemina novorum bellorum, quæ poſtquam impediri fata non conceſſerunt, feramus hæc ſapienter, et Deo obtemperemus. Nemo non vidit impendere majores mutationes, in quibus ut Deus leniat juſtas pœnas, et nos gubernet, toto eum pectore oro. Conſilia humana nulla quæro. Sed nos Deo commendo. Bene et feliciter vale. Pridie Idus Julii, quo ſcribitur *Henricum* tuæ patriæ τύραννον mortuum eſſe. *Sabino* filius natus ex ſecunda conjuge etiam mortuus eſt. *Menius* adhuc periculoſè ægrotat. Ea cauſa eſt cur nondum συμπρεσβευταὶ ingreſſi ſint iter. M. D. L I I I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 812. OPto equidem ut feliciter redeat hic amicus noſter ad Dominum, Sed interea motæ ſunt atroces contentiones in ea regione, quæ impedient ſalutares deliberationes. Creſcunt incendia A odiorum ſine modo. Scripſi non miſcenda eſſe negotia Politica gubernationi eccleſiæ, & quod ſcriptum eſt ſervandum eſſe, τῷ θεῷ τὰ θεοῦ, καὶ τῷ καίσαρι τοῦ καίσαρος. Sed animadverto inflammatos eſſe animos hominum utrinque, ita, ut *Homericæ* λιταὶ non ſit depulſura τὴν ἐγκεῖσαν ἄτην, Confugiemus igitur ad illam conſolationem, quæ eſt in tuis verſibus.

Turbati erigimus Deus ad te lumina cordis.

Cætera coram, Deo juvante. Bene vale. Filius B Dei te & eccleſiam tuam domeſticam ſervet incolumem. Die Cœnæ *Chriſti* in *Bethania*. Anno M. D. L I I I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

ORo Filium Dei cuſtodem eccleſiæ Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, ut te & eccleſiam tuam domeſticam, & hoſpitia veſtra protegat. Ep. 813.
Filium *Joachimum* vellem hic apud Generum meum C eſſe, cujus conſuetudo prodeſſe ei poterit. Novas deliberationes nondum habeo, quanquam exilia rurſus impendent. Et minantur nobis quidam non obſcurè. Vidi literas τῶν δημαγωγούντων καὶ καινιζόντων ἐπὶ νεωτέραις συμφοραῖς. Ideo minùs miratus ſum ea quæ ad te ſcripſit ὁ ἀρκτόχθ. Feramus has fatales rerum & voluntatum mutationes. Regiis literis vocor in *Angliam*, quæ ſcriptæ ſunt menſe Maio. Poſtea ſecuta eſt mors nobiliſſimi adoleſcentis, qui etiam exemplum eſt humanæ imbe- D cillitatis. Fuit hic ὁ σεβαστὸς, cujus oratio de eccleſiis ad me honeſta fuit. Opto ut gubernatio ſit fauſta & felix. *Marchioni* Electori miſi ſcriptum de *Stancari* controverſia, quod retexui poſt illam *Sylvulam*, quam vidiſti. Bene & feliciter vale, die *Laurentii*. Anno M. D. L I I I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

E HIc civis *Vratiſlavienſis Daniel Schelling* neceſſarius *Friderici Guteteri*, cujus nomen tibi non ignotum eſſe arbitror, voluit ſibi literas ad te dari, ut colloquendi occaſio eſſet. Commendabit tibi adoleſcentes *Vratiſlavienſis Friderici Guteteri* filios, qui in Academiam veſtram hoc anno venerunt. Petet ut eorum ſtudia interdum inſpicias. Scio in hoc genere voluntatem tuam eſſe optimam. Nec meis literis opus erat, ſed tamen petenti morem geſſi. *Brentius* F *Tubingæ* fuit, ubi amanter de noſtris eccleſiis & iis actionibus locutus eſt, quas tam atroci criminatione accuſant vicini. *Fuchſius*, de eo ſermone nihil ſcribit, ſed *Fuchſii* cognatus, quem nôſti, vir optimus & valde doctus. Utinam verò non fiant majores diſſipationes. Nam ſi erit illa γιγαντομαχία quam timemus, & quam vicini accendere ſtudio videntur, non erit ætas aurea, quam ſibi promittunt. Sed Filium Dei cuſtodem ſui agminis, quod ſimplici ſtudio doctri- G nam ſonat, oremus omnes, & orare tuam domeſticam eccleſiam ſcio, ut non ſinat fieri barbaricam vaſtitatem in his regionibus. Nondum alibi video ſtudia meliora. Prodigium ad *Anſpachium* recens conſpectum eſt: Supra Solem vir effundens cruorem in Solem, & in Aquilam conantem altiùs volare, & in virum aſtantem equo. Sed non terribilius eſt prodigio, quod recens prope *Smidbergum* vidit *Ebleben* & Ep. 814.

ejus comites. In arduo monte cervum. Et è regione Solem cruentum dividi διχότομον, & partes labi in diverſa loca, & poſtea exercituum dimicantium ſpecies viſa eſt. Qui viderunt Solem dividi, adeo perterrefacti ſunt, ut conſternatio poſtea etiam conſpecta ſit. Putârunt enim hanc mundi machinam ruere. Sed hæc ipſa prodigia, etſi ſunt terribilia & non ſunt ἄσημα, tamen minùs illuſtria ſigna ſunt venturarum calamitatum, quàm ipſi hominum furores. Sed meminerimus conſolationis à Filio Dei traditæ: δεήθητε, ἵνα καταξιωθῆτε ἐκφυγεῖν ταῦτα μέλλοντα γίνεσθαι. Cætera coram, veniam enim cum *Ebero* poſt paucos dies. Bene vale cum tota eccleſia publica & domeſtica. Duodecimo Calend. Septembris, Anno Domini M. D. L I I I.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 815. ANte biduum primum accepi aulica mandata, quæ jubent me ad vos proficiſci περὶ τῶν ἐξ ἑτέρων adoleſcentum, qui publicâ liberalitate alendi ſunt. Et deliberatio noſtro judicio permittitur de eorum gubernatore. Quare, etſi malim domi manere, tamen Deo juvante ad vos accedam, ac iter ingrediar proximo die Mercurii. Exiſtimo autem & alia quædam deliberanda eſſe de adoleſcentum exercitiis. Quantum referat juniores aſſuefieri ad unam, communem, & ſimplicem ὑπὸ διδάσκαλον ὁμολογουμένην λόγον, non ignoras. Nuper apud vicinos edidit quidam nata paradoxa in *Zenonis* porticu, & impudenter facit autorem *Auguſtinum*. Hic fortaſſis vult ἀμφισβητεῖν περὶ τῆς μοναρχίας περὶ ἀνάγκης τινῶν. Sed commendo nos Filio Dei, & eum oro, ut ægrum & ſaucium eccleſiæ corpus foveat & nos ipſum invocantes gubernet. *Apollinaris* Pſalmos quos nuper cum adeſſes tibi tradere volueram, mox afferam. Tunc enim neſcio quæ aliæ cogitationes hanc excuſſerunt, præſertim cum properares. Hic adoleſcens *Andreas* filius Paſtoris *Sangarhuſani* fuit auditor *Laurentii*, ac pater ſenex ac pauper orat, nè priorem locum in cœtu *Laurentii* amittat. Commendo eum vobis propter ſenem patrem. Filius Dei te & tuam domeſticam eccleſiam & publicum ſervet, die tertio Novembris ſeu Kiſleu, quod eſt ἀμφιεύω. Anno M. D. L I I I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 816. LOſiorum iturum ad Parentes *Cygneam* juſſi accedere ad te & ad honeſtiſſimam conjugem tuam, ut literas à vobis acciperet ad veſtros, ac Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum* oro, & ut eccleſiam tuam domeſticam ſervet, & filiæ vires corporis reſtituat, & leniat publicas calamitates, quas quidem non tantum hic recens furor attrahit. Sed urget genus humanum ingens ira propter multa multorum ſeculorum ſcelera. In litore *Balthico* non contemnendus eſt exercitus, qui minitatur his regionibus, de quo quid aula explorati habeat, neſcio. Tuas literas etiam de filia expecto. Bene & feliciter vale, & reſcribe. XII. Novemb. Anno M. D. L I I I.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

TEneamus hanc veram conſolationem, *Commenda Deo viam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet.* Videmus enim, quàm fragilia ſint humana omnia. Quare Deo æterno Patri Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, creatori, cum Filio & Spiritu gratias ago, quod te reduxit rectè valentem, & ſanctæ conjugi tuæ vires corporis & animi confirmat, & eum veris gemitibus oro, ut Filios tuos ſervet & gubernet, & totam domeſticam eccleſiam tuam protegat. Cætera coram: decrevi enim ad [illegible] expatiari. Bene & feliciter vale. Anno, M. D. L I I I I. Ep. 817.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

UT annus hic ſit fauſtus & felix tibi & tuæ eccleſiæ domeſticæ, & his regionibus, faciat Filius Dei, qui & eccleſiam verè colligit, & anni metas condidit. Honeſtiſſimæ conjugi tuæ mitto, ut uſitatum eſt, voti ſignificationem, nummum argenteum inauratum, in quo *Maximiliani* boni Principis imago eſt; Tibi veterem aureum δίδραχμον, fortaſſis a *Græcis* ſociis tempore *Xerxis* fuſum. Sed conjecturam tibi relinquo: nam figuras literarum non potui ſatis judicare oculis, qui quotidie mihi fiunt hebetiores, ac langueſcunt cætera membra, multis cauſis. Deus nos gubernet & juvet. Petiit literas quidam ex noſtris ſcholaſticis ad collegium iſtic philoſophicum, eas ſcribam in tuis ædibus hoc mercatu. Mox enim iſtuc venturus ſum. Anno M. D. L I I I I. Ep. 818.

Clariſſimis & doctiſſimis viris D. Decano & reliquis Magiſtris ac profeſſoribus Collegii Philoſophici in Academia Lipſica amicis S. Colendis S.

CErtiſſimum eſt in genere humano colligi æternam eccleſiam, voce Evangelii, quamob cauſam & doctrinæ ſtudia neceſſaria ſunt. Quæ cum ſervet Filius Dei in his regionibus, verâ gratitudine eum celebremus, eumque oremus, ut deinceps eccleſias harum regionum & earum hoſpitia ſervet & gubernet. Cum autem juniorum ſtudia juvanda ſint, commendo vobis univerſis ac ſingulis hunc *Caſparem Jungerman*, natum in familia honeſta urbis *Serveſtæ*, mihi familiariter notum. Cujus natura eſt & omnium doctrinarum avida & capax, & ad virtutem idonea. Et eruditio ex ſcriptis ejus judicari poteſt: edidit enim poëmata de caſtis angelis & alia rectè ſcripta, propter quæ & illuſtriſſimus & optimus Princeps *Georgius* Princeps in *Anhalt* et *Aſcania* &c. ingenium ejus probavit, & benevolentiam erga eum ſuam declaravit. Cum autem in Academia *Vuitebergenſi* hic *Caſpar Jungerman* ampliùs biennio honeſtè vixerit, et audierit profeſſores Doctrinæ *Chriſtianæ*, Item Phyſicæ, Mathematum, et reliquarum partium Philoſophiæ, et ſcriptis oſtenderit ſtudiorum ſpecimen: quæſo, ut vos quoque in veſtra Academia eum complectamini, et Magiſterii titulo ornetis. Qua in re ſpero publicis ſtudiis profuturum veſtrum officium. Et oro, ut optimi Principis *Georgii Anhaltini* memoria huic *Caſpari* proſit. Oro autem Filium Ep. 819.

Dei

Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, ut nos omnes gubernet, & protegat harum regionum eccleſias & ſtudia. Bene valete. Die quarto Januarii, Anno M. D. L IV.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 820. DUx *Pomeranicus* hoc literas miſit, in quibus mandata dat *Georgio Cracovio*, & mihi, ut de ſcholæ *Stetinenſis* gubernatione, cum *Landſidelio* agamus. Id niſi te adhibito, agendum eſſe non cenſui. Cras igitur iter ingrediemur, ad vos profecturi, Deo juvante. Nam hodie adhuc retinet *Georginus* publica ipſius diſputatio. Adducemus nobiſcum *Valentinum Pannonium*, qui nuper iſtic te quæſivit. Scripſi de *Landſidelio*, & ad Senatum *Goſlarenſem*. Et nunc ſenatus *Slakenwaldenſis* petivit indicari gubernatorem ſcholæ, quæ fortaſſis tenuior eſt, quàm *Stetinenſis*. Sed ego regionem & victum anteferrem. In literis quas dederam veſtro *Pannonio*, reſpondi etiam de voluntate *Georgii Majoris*, cui ſum ſuaſor, ut non moroſè reſpondeat, ſe obtemperaturum eſſe voluntati Principis. Nam ego illam Coloniarum deductionem non intelligo. καὶ ψυχὴ πολλὰ δὴ μετὰ εἰρωνείας καὶ ἀνακινδυνεύσασα, ἰλυστά, πλέξ, meminiſti illa *Euripidea*. Mitto hiſtoriolam de Principe *Georgio*, cui te quoque intexuimus; quod boni conſules. Sed hæc coram. Bene & feliciter vale, die Natali meo, quod ſauſtum & felix ſit, ingredior annum octavum & quinquageſimum. Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 821. SCio tibi notiſſimos eſſe verſus *Theocriti*: ὅσσον ἔαρ χειμῶνος ὅσον μᾶλον βραβύλοιο ἅδιον. Ita mihi nihil dulcius fuit tuis literis, cùm ſignificares nos liberatos eſſe metu Synodi *Naopyrgica*. Sed eodem die poſtea allatæ ſunt aulicæ literæ, quas mitto. Prorſus non intelligo quid agatur, & audivi venturos eſſe ex vicinia τὰ βραχύνια καὶ μαγγίτας. Sed quidquid erit, Deo juvante, ad vos accedam. Hodie *Æmylio* & aliis duobus publicum teſtimonium uſitato more in Academiis datum eſt. Scis qualis ſim pictor, ſed tamen mitto prodigii picturam, ut in literis *Suerinenſibus* recitatur. Ducem *Brunſuicenſem* eſſe non procul ab *Hamburga* ſcribunt. De talibus negotiis plura non ſcribam hoc tempore. Bene & feliciter vale. Filius Dei ſervet tuam Eccleſiam domeſticam & publicam, die octavo Maii, Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto. Honeſtiſſimæ conjugi tuæ & filiabus mitto Interpretationem tertii libri *Macabæorum*.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 822. EGo verò non leviter excrucior curâ de Synodo. & cùm alia multa cogito, tum verò etiam iter *Johannis Romani* Pontificis, qui *Conſtantiæ*, cùm objicerentur ei multa crimina, reſpondit: ſe pejus feciſſe, quòd ad Synodum veniſſet. Sed commendo nos Deo. Aulæ videntur delectari noſtris certaminibus. Et fortaſſis aderunt duo illi, quos *Appianus* ſcriptor hiſtoriæ ait fuiſſe *Polyphemi* filios. Et quidem ita illi narrationi favet, ut dicat, καὶ τόδε μοι μάντευε, πολλὰ μελλόντων ἴσχει.

A πολλῶν, ἀξίως. Sed hæc coram. Nam ad vos quidem libenter accedo. Bene & feliciter vale. Oro Filium Dei ut te & Eccleſiam tuam domeſticam ſerves incolumem. Decimo ſexto Maii, Anno M. D. L IV.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

DUas mitto epiſtolas, alteram in noſtra aula ſcriptam, quæ jubet nos accedere *Naumburgum*, ſi venerint eò *Suevici* Theologi & *Haſſiaci*: Alteram verò ſcriptam ad me, in qua in *Pruſſiam* vocor, quò audio rediturum eſſe *Johannem Aurifabrum*. Scio te utramque epiſtolam admiraturum eſſe. Sed hoc ſeculum tale eſt, ſubitas & negotiorum & voluntatum mutationes habet. Nos oremus Filium Dei, ut nos gubernet, & ſervet aliquas Eccleſiæ ſuæ reliquias, & nos in ea ſervet. Tuam eccleſiam domeſticam opto ſalvam ac incolumem eſſe. Bene & feliciter vale. Cras Deo juvante iter ingrediar, ad vos acceſſurus. Anno M. D. L IV. Ep. 823.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

ETſi non ſine gemitu à cunis infantulæ meæ diſcedo, tamen ad te libenter expatiatus eſſem. Sed me cùm alia negotia retinent, tum verò & *Northuſana* controverſiæ, de quibus ſenatui hodie reſpondere cogimur. Si quid audies de judiciis aulicis περὶ τοῦ συγγράμματος ὑμετέρου, quæſo ſignifices. Nam mihi nondum quidquam ſignificatum eſt. Et arbitror σκαιὸν τάλαντον videri nonnullis. Quanquam autem & judicia diſſimilia ſunt hominum, & diſſimiles voluntates & ſpes, & paſſim magni furores oriuntur, tamen quid facere aliud poſſumus, quàm quod agimus, ut rerum utilium extet explicatio ſimplex et moderata, et harum eccleſiarum tueamur conſenſum, Deo juvante. Sed tuas literas expecto. Bene vale. Calend. Junii. Anno M. D. L IV. Ep. 824.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

POſt tuum iter advenerunt viri optimi *Matheſius* et *Caſpar*, qui præeſt ſcholæ literariæ in valle *Joachimica*, quibus maximè gratum fuiſſet, hic nobiſcum utrumque complecti. Et ego iſtuc acceſſiſſem, ſed hodie me retinet deſponſatio *Johannis Lutheri*, nec poteram habere aurigam, cùm plurimi jam ad mercatum *Naumburgenſem* proficiſcantur. Te quæſo ut hos hoſpites, tui amantiſſimos, excipias. Hodie audivi *Marchionis Alberti* exercitum eſſe in ditione *Brunſuicenſi*, et magnas vaſtationes facere. Oro Filium Dei, ut leniat pœnas. Bene vale et reſcribe. Die XXV. Junii, Anno M. D. L IV. Ep. 825.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

DOnec vult nos Deus in hac ærumnoſa militia Eccleſiæ ſervire, ubi poſſumus faciamus operas mandatas, et alere conjunctionem noſtri agminis ſtudeamus. Idem et ſentit et facit hic noſter amicus, *Albertus Friſius*, qui *Bremæ* docet Evangelium, conſtanter tuetur conjunctionem cum noſtris Eccleſiis, et non ſolùm à fanaticis opinionibus abhorret, ſed etiam iraſcitur petulan- Ep. 826.

tiæ

tiæ illorum, qui ſunt tubæ ſeditionum, & licenti- A
am in vulgo confirmant. De multis graviſſimis
controverſiis mecum piè & graviter locuturus eſt.
Te quoque valde diligit, & ſe tibi vult notum eſſe
& probari. Socium habet itineris virum nobi-
lem *Herbertum*, quem propter eruditionem &
naturæ ſuavitatē libenter complexus ſum. Natura
ejus in veteri verſu picta mihi viſa eſt, *ὡς ἡδὺ συν-*
ὼν χρηστοῖς μαχαιρίδιν. Spero tibi gratum facturum
eſſe *Albertum*, ſi te alloquetur. De cæteris nego- B
tiis non libet ſcribere, ſed oro Filium Dei, ut
clementer Eccleſiam ſervet, & nos in ea gubernet
& leniat publicas pœnas. Typographi veſtri filius
adeſt, cui dabo pagellas confeſſionis. Bene vale
cum eccleſia tua domeſtica & publica. Die Julii
X. Anno M. D. LIV.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 827. UT *Argonautæ* in *Syrtibus* hæſerunt, ita ego C
in hac via hæreo, cùm quidem & negotia
mihi multos dolores attulerint. Cùm veniſſe-
mus ad aulam, tria capita propoſita ſunt, Pri-
mum de inſpectione Eccleſiarum, de qua dice-
bant formam, ut nominant, inſtructionis nobis
indicandam eſſe. Alterum erat breve, de Confi-
ſtoriis. Tertium, ut noſtrum judicium oſtende-
remus de Colonia addita ſcholæ *Miſnenſi*. Po-
ſtea cùm flagitaremus exemplum inſtructionis,
nemo quidquam compoſuerat. Jubent igitur, ut D
ego componam. Scripſi formam ſubitò, quæ po-
ſtridie lecta in conſeſſu, comprobata eſt. De
Conſiſtorio veſtro Paſtor quædam annotavit, de
Colonia nova nihil reſpondi. Paſtor quædam ſa-
tis ingenuè dixit. Tertius dies conſumptus eſt in
Diaconi *Fribergenſis* rixis, qui incurrit aſperiùs in
ſenem Paſtorem *περὶ τῆς ἀδιαφόρων*. Scripſi etiam
reſponſionem inſerendam literis Principis ad
Ducem *Pruſſiæ*, qui petit prohiberi editiones &
conciones, in quibus mentio fit diſſenſionis *Balti-* E
cæ. Nunc apud *Fabricium* expecto adventum *Slei-*
nicii, quem juſſit *Achates* acceſſi inſpecturum
ſcholam, nec tamen ſcio cur retineat. Hæc nar-
rabit Paſtor aliquando copioſiùs, etſi *ἀπ' ἔργων ὁ*
κλῶν ἐκ ἔστιν ἔπη καλά. De conventu *Auguſtano*
quæ ſint & *παρασκευαὶ*, & opiniones, exiſtimo vos
iſtic habere & literas & ſermones multorum. Be-
ne & feliciter vale. Ex *Fabritii* Muſæo. Anno
M. D. LIV.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 828. ATtexui quædam ſcripto inſpectionis ſchola-
rum, & his diebus abſolvam. Nam eum la-
borem *Ratiſponenſes* controverſiæ interruperunt,
de quibus Senatui reſpondere me neceſſe fuit. *Po-*
lyphemi filii *καὶ ὁ ῥαβδὶς* quid agant oſtendet tem-
pus: ſcis enim illud *Pindaricum*, *πολλάκις ἁμέραι*
ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφώτατοι. Sed in nos duos incur-
runt; *Staphylum*, *Caniſium*, & alios communes ho- G
ſtes non attingunt: verùm hæc ſcribenti dolor
creſcit. Oro autem Filium Dei, ut Eccleſiam ipſe
gubernet. Huic hoſpiti *Stirio* exuli gratificati ſu-
mus, & gradu eum ornavimus; fuit voluptati gene-
ro meo, quia & naturâ & arte Muſicus eſt. Plura
coram. Ripa *Germanica Rheni*, è regione conflu-
entię magno terræ motu quaſſata eſt Cal. Novem.
Bene & feliciter vale. Die Brumæ, An. M.D.LIV.

A *Ioachimo Camerario Pabergenſi* S. D.

TRahimur, ut vides, in illa certamina, quæ ha- Ep. 829.
ctenus defugimus, seu *γνωσιμαχοῦντες*, ſeu ut
parceremus Eccleſiæ, alioqui horribiliter lacera-
tæ. Sed *Antonius* nos adorietur, & mittet ſuos
ſocios: ſi quid ſcribet, prorſus decrevi Deo ju-
vante reſpondere. Mitto vobis exemplum meæ
B reſponſionis, ac juſſi nuncium ad me miſſum à
Senatu *Northuſano*, ad vos accedere, ut tradere-
tis ei veſtram reſponſionem; uti autem vel mihi
oſtensâ formâ, vel meâ, vel aliâ poteſtis: certo
conſilio de dogmate reſpondi unde ortum eſt diſ-
ſidium. De aulicis literis, rectè abs te factum
eſt, quod *Grimmenſi* itinere nos liberâſti, ac vide,
qualis ſit negotiorum confuſio. Eodem tempore
ad me literas de Inſpectione Eccleſiarum miſe-
runt, quarum mitto exemplum. Nè ad hanc qui-
C dem deliberationem ſatis eſt temporis. Et co-
horreſco cogitans de illa toties flagitatâ Inſpecti-
one, de qua accidit nobis quod dicitur, *ἄρδει λαῷ*
ἐκ λῷ στρέγματα, ἀλλ' αὐτὸς ἐξ ἧδιν ὑπεικετο. Noſter
Paſtor jam *σχεδιάσματα* de ritibus condit, de his
rebus coram tecum poſt paucos dies loquar. In-
telliges enim ex aulicis literis me oportere iſtuc
accedere. *Stancarus* abiit ad *Vualachos*. Non du-
bitant *Pannonii Turcicum* Tyrannum traditurum
eſſe filio *Johannis Tranſſylvaniam*, ut nominant.
D Cætera coram. Bene vale. Filius Dei ſervet to-
tam eccleſiam tuam domeſticam, & gubernet nos
omnes. Pridie Idus Januarii, An. M. D. LV.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

ANte triduum ſic intumuit *Albis*, ut effuſus Ep. 830.
ſit in ripam uſque ad *Ephratam*, nec ſine pe-
riculo currus per aquas trahi poterant: Cenſui
igitur inde mox remittendos eſſe ad vicinum op-
E pidum. Oro autem Filium Dei cuſtodem Eccle-
ſiæ ſuæ, & ut filium *Philippum* ad vos reducat in-
columem, & noſtras eccleſias domeſticas & pub-
licas ſervet. In oppido noſtro è regione ædium
Sebaſtiani Collegæ noſtri, officina *Fabri* ærarii in-
cenſa fuit ante quatriduum, nec tamen conflagra-
vit tota domuncula, ex qua ſæpe vidi, velut ex
Ætna, ejici globos ignium, & optavi officinam a-
lio in loco eſſe. *Caſparem* generum cogito pro-
pter literas *Palatini* vocatum eſſe. Sed mox tibi
F ſignificabo noſtra omnia, cùm domum rediero.
Hæc enim ſcribo in Caupona *Ephratea*, cùm qui-
dem aſpiciens fluctus *Albis*, multa de communi-
bus periculis cogitarem, quæ ut leniat Filius Dei,
toto eum pectore oro. Bene & feliciter vale, ter-
tio Cal. Aprilis. Anno M. D. L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

DEo æterno Patri Domini noſtri *Jeſu Chriſti* Ep. 831.
G gratias ago, quòd te & incolumem ſervavit
in morbo, & protexit in itinere, & reſtituit Ec-
cleſiæ tuæ domeſticæ, & eum oro toto pectore, ut
deinceps nos ſervet & gubernet. Niſi ſpem nobis
adventûs tui feciſſes, ipſe iſtuc accederem, quod
tamen fiet, ſi *Noribergenſes* volent judicari de
controverſiis ſuæ Eccleſiæ. Concionum *Aſcanii*
exempla ante aliquot dies dedi nuncio profici-
ſcenti in *Daniam*. Sed tamen gratum eſt nobis
munus

munus tuum: mitto de eclipſi qualeſcunque verſus. Tu ſi domi fuiſſes edidiſſes *Græcam* deſcriptionem meliorem. Sed ſcito jam *Turcicum* Tyrannum reverſum in *Europam* dediſſe mandata de filio *Johannis*, & accedent bella *Gallica*, & metuo prodigia harum regionum. De *Nebra* certum eſt, ibi infantulam natam flammâ extinctam eſſe, quæ eruperat ex alvo matris. Nihil ſimile legimus; ſed meminerimus vocis divinæ: *tantùm à Deo ſalus noſtra eſt.* Exitium à noſtris ſceleribus oritur. *Sabinus* mittitur legatus ad Regem *Polonicum*, ὑπὲρ τῶ φυγαδεύοντ(ος) ἐκγόνε τῶ ἀρχιδίκου, ὡς δοκεῖ· caſi nihil affirmo. *Matthias* ἄωρος nuper mortuus, fortaſſis jam in cymba cum *Charonte* diſputat. Bene & feliciter vale, die τῆς μεγάλης, Anno M. D. L V.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 832. COmperimus heri in congreſſu noſtro ἐν λειμῶνι, verè dictum eſſe: ἄνεσαι δ' ἐρῶντες ἀλλήλων· placidè enim diremptæ ſunt controverſiæ: unus affuit audax, clamoſus, arrogans, *Thraſo*, quales hæc nova ſeculi barbaries gignit, qui non diſputando, ſed atrocitate verborum nobis moleſtus fuit. Inter has rixas accepi tuas & aulicas literas: utinam omen ſit bonum, ſed Filium Dei precor, ut totum iter noſtrum gubernet. Princeps *Joachimus* hodie paſtorem noſtrum retinet, non contra legem *Homericam*, οὐ γὰρ κατερύκει ἐσσύμενον, me paſtor retinet, & cum eo domum redibo propter *Pomeranicum* legatum *Jacobum* virum doctum, qui & ſuarum Eccleſiarum controverſias ad nos attulit, & nobiſcum *Norimbergam* proficiſcetur. Ad vos igitur veniam die *Saturni* proximo. Salutem vobis omnibus optant Paſtor noſter, & *Mauricius*, & *Milichius*, & *Jacobus Pomeranus*. Bene vale. Nuncio dedi mercedem, die Martis ἐν λειμῶνι. Anno M. D. L V.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 833. ADoleſcentes *Franciscos*, ut egò quidem initio libenter exciperem hoſpitio, eo motus ſum, quia gratitudinem *Danieli Stibaro* pro multis ipſius beneficiis debeo. Poſtea ut conſuetudo eorum mihi & meis jucunda eſſet, perfecerunt ipſi ſuâ modeſtiâ & ſuavitate. Nec defutura erant ei deinceps quoque mea officia. Nunc poſtquam avocantur, oro Filium Dei ut eos protegat, & ut talem reſtituat Reipublicæ formam, in qua & ipſorum luceat virtus, & labor ſit ſalutaris ipſis & aliis. Profectò ingenti dolore afficior, cùm tales adoleſcentes ad virtutem idoneos intueor, ac ſimul cogito dilacerationes Eccleſiæ & Imperiorum, in quibus certum vitæ curſum vix quiſquam inſtituere poteſt. Sed oro Deum, ut *Germania* reddat pium Eccleſiarum conſenſum, & tranquilla imperia. Cæteræ gentes dimicabunt de inani umbra Imperii, cùm aliquanto poſt illa rupes, de qua *Daniel* loquitur, everſura ſit totam ſtatuam, quæ in ſomnio oſtenſa eſt Regi *Babylonico*. Poſt biduum, Deo juvante, iter ad vos ingrediar. Bene & feliciter vale cum eccleſia tua domeſtica. VIII. Id. Septemb. Anno M. D. L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

VAlde petivit *Jacobus Pomeranus*, ut tibi & dicerem & ſcriberem, ſibi perpetuò gratam fore tuæ benevolentiæ erga ſe, & omnium beneficiorum memoriam, ſeque tibi & eccleſiæ tuæ domeſticæ omnia fauſta optare. Id & ipſius & meo nomine nunc ſcribo, & coram exponam. Iter ingreſſus eſt *Jacobus*, rediturus in patriam ſeptimo Calend. Novembris ante cujus abitum non potui ad vos proficiſci. Nam de aliquot controverſiis reſpondi. Nunc cogito ad vos quàm primum proficiſci, niſi ſignificabis jam illa à vobis conſtituta eſſe, ad quæ volebant me adhiberi, cum ſine me agi illa poſſint. Et ſcias mihi ſatis negotii hic eſſe. Nunc quoque *Danico* nuncio reſpondendum eſt. Bene & feliciter vale. Deus ſervet tuam eccleſiam domeſticam & publicam. Anno M. D. L V. Ep. 834.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

QUod fauſtum & felix ſit adeſt *Sabinus*, & filias noſtras dulciſſimas adduxit, quas intuens & de noſtris exiliis, & aliis ærumnis cogitans, quomodo afficiar tibi judicare non difficile eſt, patri maximè φιλοστόργῳ. Sed meminerimus Deum eſſe Patrem orphanorum. In faſciculis literarum quos accepi multos, ſuaves epiſtolas duorum bonorum virorum & bonorum Poetarum tibi mitto, *Stigelii*, & *Acontii*, ac Mathematici Cæſariani epiſtolam addidi, quam ſcio tibi voluptati fore: ſi potero, cum *Sabino* iſtuc veniam. Heri nobis *Sarcerii* magnum volumen ex aula miſſum eſt, ut noſtrum judicium aulæ ſignificemus, metuo ironias, ſed reſpondebo λακωνικῶς. Bene & feliciter vale. Quinto Calend. Octobris. Anno Dom. M. D. L V. Ep. 835.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

CUm rediiſſem domum, poſtridie mane ad me *Cocriticus* Senex, primùm ut L. *Gellius Athenis* Philoſophos, ita hic nos ad concordiam hortatur: ſed hoc duriùs, quàm ille *Romanus*, affert præ formata capita, primùm de Palinodia, jubet fateri nos aboleviſſe decalogum; hæc enim erant verba in ea formula: deinde nova εὐφημία erat addita, ut promitteremus nunquam nos acceſſuros eſſe ad ullas conciliationes, ſi quæ cum Epiſcopis inſtituerentur, nec unquam conceſſuros eſſe Principibus, ut aliquid in eccleſia conſtituant. Reſpondi planè λακωνικῶς, περὶ ὧν ἐγκαλεῖ, οὔ. Eo autem brevior fui, nè quid iratus dicerem durius. Legeram enim virulentum ſcriptum ſomnii *Germanici*, cujus autorem eſſe τὸν ἱέρακα quidam ſuſpicantur, quidam *Polyphemi* filium fratrem τοῦ ἰλλυριοῦ, ego non unum ἱέρακα ſcripſiſſe judico, ſed multos fuiſſe συμψάλτας, ac video nos duos præcipuè peti, & noſtris capitibus fata cantari. Non dubito eſſe eccleſiam aliquam Dei, ſed ut antea alias, aliâ tyrannide oppreſſa fuit, ita nunc δημαγωγοὶ ἐκκλησιάζοντες, indocti, nec quærentes doctrinæ fontes, nec diſciplinam, nec vera pietatis exercitia curantes, dominantur, quorum regna non ego quidem impedire poſſum, ſed tamen familiaritates eorum vitabo. Et quanquam ſedemus, ut *Daniel* inter Ep. 836.

leones,

Leones, tamen Deus gemitus noſtros exaudiet, & aliqua ſua agmina ſervabit: ſi qua erit occaſio pro nobis dicendi, commemorabo quarum rerum explicationem iſti ἀλλ᾽ ὅσα τῷ δήμῳ impedierint & impediant. Reſpondit aula de *Sabino*, & promittit ducentos, & Sacerdotii reditus, quàm primùm aliquod erit in poteſtate Academiæ. Putavi, eſſe verecundè petendum, & poſſe impetrari acceſſionem cùm aliquid ſcripſiſſet ad Principem. Sed audiet etiam voluntatem *Marchionis* Electoris, etſi ego quidem arbitror poſſe eum manere in Academia *Regiomontana*. Nam heri reverſus hoc *Jacobus Tubingenſis* attolit decretum, quod etſi *Sabinus* duriùs interpretatur, tamen ubi legeris exiſtimo te ἐπιεικέστερον intellecturum eſſe. *Timotheus* tabellarius rectà profectus eſt ad Ducem *Auguſtum*, ſi quid ad nos literarum afferet, tibi mittam. Nunc mitto *Johannis Aurifabri* Epiſtolam, publica autem renunciatio facta eſt περὶ τῆς ἀπουσίας, ut ſit *Johannes Aurifaber* totius diœceſis *Sambienſis* Inſpector. Bene & feliciter vale, XIX. Cal. Novemb. Anno M. D. LV.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 837. AGnoſco & deploro mea vicia multa & magna. Ideò minùs acerbè in alios inquiro, & optârim multos, μὴ τὰ χείρω φιλοσοφῆσαι, ut illi apud *Thucydidem* dicunt. Vidiſti autem qualis ſit in *Culmano* animi confuſio, & in exponendo dogmate, & in conſiliis. Huic tantæ infirmitati vellem parci. Sed ſi improbat aliorum doctrinam, fœdera nulla fieri poſſunt. Meam reſponſionem legito, & de ea tuo judicio ſtatuas. Mihi (quanquam totâ hâc nocte cogitanti) alia in mentem non venerunt. Alterum ſenem qui dicebat *Chriſtum* juſtificare per accidens, audio *Noriberga* diſceſſiſſe. Utinam tales impudentes dogmatiſtæ omnes eant vel ἐς κόρακας, vel ad illam ultimam oram *Baltici* littoris, ubi exaudiri inter ſonitus undarum non poſſint. Sed exiſtimo τὸν ἀντίδικον contra nos editurum eſſe aliquid de *Noribergenſi* negotio. Bene & feliciter vale. Deus ſervet te & totam Eccleſiam tuam domeſticam. Anno M. D. L V.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 838. HUic civi noſtro iſtuc profecturo propter ſua quædam negotia literas dedimus ego & Gener meus, ut à te quoque aliquid literarum afferret. Nam de illo quem miſimus ad Ducem *Othenricum* ſcire cupio, an ad te acceſſerit: ſi nos fallit propter multas cauſas doleo. Conjugem habet modeſtam & quatuor filios. Horum certè miſericordiâ affici eum oportebat. Literas *Marchionis* Electoris *Sabino* datas non ſine admiratione leges. Nos adeo accuratè paciſci non ſolemus. Sed ſpero *Pruſſiaci* Ducis animum placatiorem fore poſt *Sabini* reditum. Ex *Pannonia* heri à *Sigiſmundo* Epiſtolam accepi, quam legens nobiſcum deplorabis Eccleſiæ calamitatem, quæ tam horribiliter laceratur ingeniorum petulantiâ. Heri etiam *Lubecenſis* concionator ad me ſcripſit, bis jam flagitâſſe vicinos noſtros, ut illa nova decreta manifeſtâ ſuffragatione approbent: ſcripſit ad me eadem de re Senatus *Ratiſponenſis*, cui reſpondi non timidè, mihi non placere armari tan-

A tâ potentiâ ſingulos, ſine cognitione damnandi ἀνεύθυνος. Plura coram. Bene & feliciter vale cum tota eccleſia publica & domeſtica. XIV. Cal. Decemb. Anno M. D. L V.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

QUod fauſtum & felix ſit, *Laurentius* maximè Ep. 839.
tuis literis confirmatus, & fretus ſpe tuæ
B conſuetudinis, promittit vobis operam ſuam, & intra triduum aut circiter ingredietur iter. Non deterretur aulico reſponſo, in quo nulla eſt temporis præfinitio, & ſtipendium minuitur, tantùm metuit obtrectationes, ſed ſperat ſe tuis conſiliis uſurum eſſe, & in vitandis occaſionibus, & in ferendis his moleſtiis, quas ſcis *Demoſthenem* nominare ἀναγκαῖα κακὰ πολιτειῶν. In aula deliberationes ſunt, εἰ σπουδὴ πάντων διδασκάλων ἐν ἐκκλησίαις καὶ ἄλλας ἐκκλησίας συγχεῖται. Idque petunt
C Dux *Charitinorum* & *Palatini*, & arbitror τὸν λάτινον autorem eſſe hujus conſilii. Ego *Laconicum* illud ἐ reſpondi. Te quoque hac de re cogitare velim: Ex *Pomerania* expecto jam reditum mei tabellarii, qui hinc profectus eſt ante dies octodecim, ſignificabo ſi quid afferet ἀξιόλογον. Bene & feliciter vale. Filius Dei te & eccleſiam tuam domeſticam ſervet incolumem. Die Brumæ, Anno M. D. L V I.

D *Ioachimo Camerario Pabergenſi* S. D.

UT veniens annus fauſtus & felix ſit Eccleſiis Ep. 840.
noſtris, et earum hoſpitiis, et tibi, et eccleſiæ tuæ domeſticæ, faciat Filius Dei, cujus ſapientiâ certo conſilio metæ annorum conſtitutæ ſunt. Egó et magnos Principum motus, et doctorum rabiem majorem metuo, nec ſolùm poſitu aſtrorum moveor, ſed etiam ipſis πλανωμένοις. Meus frater ſcribit περὶ γείτονας πολλὰ μεγαληγορεῖν περὶ
E ἀπωλείας τῆς ἀρχιερατικῆς δυνάμεως. Etſi horum ἀλαζονείας novi, tamen fata *Epigonorum* etiam metuo. Sed commendemus nos Filio Dei, qui inter tantos fluctus ſuam cymbam, tuam familiam et ſimiles ſervabit. Quotidie cùm aſpicio meas filias, gemens de his confuſionibus cogito, et oro, ut nos Filius Dei gubernet et protegat. *Stenkefeldius* edidit ſcriptum contra confeſſionem noſtrarum eccleſiarum, ut audio, atrox, nondum enim vidi, ſed ſcis quæ ſit ejus familiaritas cum *Charitinis*, et
F profectò τὴν νεωτεροποιΐαν, et ſimiles exiſtimo cogitare περὶ μεταβολῆς πολιτειῶν. Sed hæc coram. *Laurentium* tibi commendo, téque oro, ut conſiliis regas. Hâc ſpe eum iſtuc mitto, alioqui etiam injectis compedibus eum retenturus eram. Bene vale. Anno M. D. L V I.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

ACceſſiſſem ad vos, ſi cutrus meus, ut juſſe- Ep. 841.
G ram, refectus fuiſſet, quanquam et doctoris *Laurentii* expectatio nonnihil me retinuit. *Jacobus Pomeranus* epiſtolam mittit, quam huic noſtro auditori tradidi, mihi ſignificat dijudicationem noſtram Synodi ſuffragiis apud ſuos comprobatam eſſe, & *Artopeum* ceſſiſſe Synodi judicio, qui videtur mihi non diſſimilis *Culmanno*. *Menius* candidiſſimè probavit, nec verò audivi ab ullo taxatum eſſe. Tu ſi quid audiviſti ſignifices.

ces. Edidit *Staphylus* atrociſſimum ſcriptum contra Eccleſias noſtras, tantùm declamitans περὶ ἀναρχίας, quo in genere ſcis nec verba, nec materiā deeſſe, nec πάθη, etiam infantibus & lentis. Cōmunibus hoſtibus parcunt οἱ πολυμήχανοι ἡμῶν, nos lacerare non deſinunt. *Turcos* procedere in *Pannonia* certum, interea ἄλλα καὶ μαθὼν καὶ ψεύδεται, καὶ φασὶ τὸν βασιλέα γαργαλίζοντα, ὥσπερ ὁ σίλων περὶ ἑαυτοῦ χόρτον μᾶλλον ἐπιθυμεῖ. Sed ſpero Deum gemitus tuæ eccleſiæ domeſticæ, & ſimilium exauditurum eſſe, & pœnas mitigaturum. Bene & feliciter vale. Servet Filius Dei te et tuos. Die natali *Ciceronis*. Anno M. D. L V I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 842. DUm aulæ de Synodis deliberant, jam συντετρίφθη ὁ βλαχικὸς σύνοδος, in qua quid decretum ſit nondum ſcio, nec curioſè inquiro. Exiſtimo enim κεφάλαιον τιμωρητὸν eſſe, quidquid agent alii, conjurabunt ſe turbaturos eſſe, nec tamen de ulla re magna diſſerent, ſed de licentia vulgi amplificanda excitabunt πρωτοθορύβους. Hæc triſtiſſima confuſio Eccleſiæ tantùm mihi dolorem affert, ut libenter ex hac vita diſceſſurus ſim, ac video me non procul à meta abeſſe. Perferuntur ad me etiam atroces ſermones Magnatum quorundam, qui etſi à ſycophantis incenduntur, tamen ſuo fortaſſe etiam odio ardent. Niſi miſeræ eccleſiæ parcerem, non deeſſet mihi honeſta oratio, ad illos refutandos. Ἀλλ' ἀγαθὸν ἔρδειν χρὴ τέκνα καὶ τὰ φίλα· cum aliis ſim hortator ad tolerandas injurias, nondum diſcedam à meis præceptis. Nunc *Dreſdam* accedere juſſus ſum, cum iis qui συνέδριον, ut vocamus, tegunt: irem æquiore animo, ſi tu quoque affuturus eſſes, ſed in tuis literis nihil ſignificatum eſt de eo itinere. *Græcas* epiſtolas tibi mitto, quibus ſcio te meliùs poſſe reſpondere, etſi meum ſermonē magis refert illorū oratio, quàm tuam elegantiam. *Franciſci Vinarienſis* filio miſſos à te quindecim Joachimicos accepimus. Literas ad *Brantum Boruſſum* ſcriptas, in quibus fiebat mentio decem Joachimicorum, ſine pecunia accepimus, opinor illos eſſe, quos ſcribis jam tibi exhibitos, quos, cùm habebis certum tabellarium, aut Genero meo mittes, aut mihi poſt iter *Dreſdenſe*. Fabellæ feruntur de capto *Æacida* in *Gallia*, quod in ſympoſio tumultuatus ſit. Et de ducis *Johannis Alberti* infauſtà navigatione ex *Boruſſia* neſcio quæ dicuntur, quæ cùm ſint incerta, non aſcripſi. De editione commentarii *Paulini* tibi gratiam habeo, quod his diebus uſus ſum περὶ μαρίτου in *Galatis*. Oro Filium Dei, Dominum noſtrum *Jeſum* χριστὸν, ut te & Eccleſiam tuam domeſticam, & publicam Eccleſiam ſervet & gubernet. Bene vale. VII. Idus Febr. Anno M. D. L V I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 843. UTinam reditus noſter ſit fauſtus & felix, difficiliores certè diſputationes in Academia expecto, quàm hic habuimus; tantùm enim hic ſcripſimus leges aliquot γαμικάς, quas juſtas eſſe, & voci divinæ congruentes, non dubito. At hoſpes *Lituanus* eſt in Academia noſtra, qui *Servetticas* reliquias ex *Italia* affert, & eſt homo facundus καὶ εὐτράπελος. Eccleſiæ *Polonicæ* quæ eum ad me miſerunt, graviter ſcripſerunt, ſe non diſceſſuras eſſe à noſtro conſenſu. De *Græca* epiſtola quam ſcripſiſti mittendam in *Belgicum*, eo etiam tibi gratiam habeo, quia prodeſt illos videre exempla veteris *Græcæ* phraſis, ſcripta in his ultimis oris. Scripſi & ego, ſed ut ille *Perſa*, ἥδομαι καὶ χαίρομαι· mittes, ſi ita videbitur. Deo juvante ad te adducam filias meas, Cal. Maii. Interea de multis rebus certiora habebimus, de quibus colloqui nos velim. *Bongio* lecta eſt noſtra deliberatio περὶ συνόδου, quam dixit, exiſtimare ſe probaturum eſſe τὴν αὐτοῦ διακρίσιν. Bene & feliciter vale. Die XXII. Febr. Anno M. D. L V I.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 844. NOn poeticæ carnificinæ apud inferos, pares ſunt meæ carnificinæ, quâ excrucior ſcribendis diſputationibus, legibus, præfationibus, epiſtolis. Nunc reſpondeo optimo juveni τῷ ἐλέγχοντι ὄνομα ἐπὶ θεοῦ τοῦ σκοτεινοῦ, & volumen mitto. Heri in *Pomeraniano* controverſiæ *Stetinenſis* dijudicationem miſimus. Hodie literas accepimus de morte Electoris *Frederici Palatini*. περὶ τῆς ἐν μαθήσει συνόδου nihil audivi, ac nè curo quidem. δυναστεύουσι δ' οἱ δυσβαίνοι παῖδες. Sed viderint ut ſuſtinere poſſint hos quos irritant. De Cometa nobis veſtras obſervationes ſignificate, quem die V. Martii primùm vidimus prope προτρυγητῆρα. Hic *Chriſtophorus* amat doctrinam Aſtrologicam, & docere poſſet, quare ſe tibi commendari petivit, ſi potes eum juvare, quæſo nè deſis ei. Bene vale. Deus te & eccleſiam tuam domeſticam & publicam ſervet. Hoc quoque addo. Fuit hic hodie diaconus veſtræ eccleſiæ. & cum ſpectaret ritum publicum τῆς μαγείας, ſtetit velatus pileo faciem toto eo tempore. fortaſſis nè à me ſalutaretur; etſi agnoſcebam, tamen quia agnoſci nolebat, non ſum allocutus. Ego nos & eccleſiam Deo commendo, ac non valde illorum amicitias appeto, qui ſunt & literarum, & diſciplinæ, & veritatis hoſtes. Iterum vale. Anno Domini, M. D. L V I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 845. GRatiam habeo filio tuo, quòd ad nos expatiatus eſt, & oro Deum eccleſiæ cuſtodem, ut te, & totam eccleſiam tuam domeſticam ſervet incolumem. Ego æſtu, barbarico victu, doloribus abſumor, & tamen accedunt labores ſatis moleſti. Princeps *Ambergæ* gubernator miſit mihi judicandum ſcriptum de doctrina & ritibus eccleſiarum ſuæ διοικήσεως. Video doctrinam ad verbum deſcriptam eſſe ex libro *Megapolitano*. Cætera nondum legi. Meus frater etiam dulces ſpes adventus ad nos ſui ſomniat, quem quidem etiam tuâ causâ velim nobiſcum aliquot dies eſſe. Si non proficiſceris in patriam, valde te oro, ut Cal, Auguſti ad nos *Deſſam* venias, ad pertexendam genealogiam *Aſcaniorum*, quò ante menſes aliquot profectus eſſem, niſi ſubinde incidiſſent ἀπροσδόκητα κωλύματα. Nuper me etiam vocavit ὁ βλάσιος in vicinum oppidum *Coſunicam*, credo ut novas fabellas ſuo theatro afferrent. Reſpondi me ſolum cum eo non collocuturum eſſe. Fortaſſis hæc ipſa recuſatio ſimpliciſſima, præbebit eis nova argumenta Tragœdiarum. Sed commendo nos Deo. Nihil

hil miremur ἐν τοιαύτῃ ἀναρχίᾳ ἐν ᾗ πᾶσα ἐστι κακῶ ἰδέα, fieri quæ nollemus, ſed tamen credo & eſſe eccleſiam Dei, & victricem fore. Filius affert *Gratiani* Imperatoris γράμμα, quem eo diligo, quia miſit confeſſionem dignam memoriâ, *Ambroſio*, & addit ἐπιφώνημα. Loquimur de Deo, quantum poſſumus, non quantum debemus, quam vocem ſæpe cogito. Herì accepi longam diſputationem de *Marchico* dogmate illato in *Nariſcos* περὶ δυνάμεως τῆς θείας φύσεως, etſi cohorreſco hæc cogitans: ſed precemur Filium Dei, ut nos gubernet, & Eccleſiam ſervet, & nos in ea. Noſtra filiola *Martha* ſic ægrotat, ut phyſicæ cauſæ ſpem vitæ exiguam oſtendant; ea res etiam mihi dolores auget, ſed monemur à Deo multis pœnis, ut accendatur invocatio. *Grimmenſe* incendium priùs cognoviſtis, quàm nos. Periit aliquanto antè & *Sprembergа* fere tota, in vicina *Luſatia*, quod an audieris neſcio. In his tantis miſeriis multorum piorum hominum, ludunt ſophiſtæ, & contra *Menium* ſcripſerunt περὶ ἔργων, credo prorſus πάρεργα, & librum *Hamburgam* miſerunt, ut adderentur ὑπογραφαί. Sed audio improbatum eſſe conſilium. Dedi filio tuo *Menii* epiſtolam, quam ideo leges libenter, quia oſtendet & judicii rectitudinem, & benevolentiam erga amicos, etſi publicæ calamitatis cogitatio dolorem afferet. Oro Filium Dei, ut nos gubernet. Ex *Pomerania* quotidie nuncium, quem eò miſi, expecto. Bene vale. Anno M. D. L V I.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 846. IN literis tuis ſigna video magni doloris, & cum pietas tua erga patriam mihi nota ſit, non dubito te magis affici hâc curâ, quàm alios multos, præſertim cum et ea quæ ſunt in conſpectu, & alia quæ magis terra impendent, cogites. Excrucior iiſdem cogitationibus, magis aliquanto quàm Lithiaſi, quæ mihi jam ſatis moleſta eſt. Sed quæramus divinitus traditas conſolationes, & petamus à Filio Dei, ut ſuam navem ſervet inter has Symplegadas. Humana auxilia nulla eſſe videmus. Adeſt *Albertus Bremenſis*, qui narrat ſuam eccleſiam quidem Dei beneficio tranquillam eſſe, ſed in vicinia augeri diſſidia hoſpitum qui ex *Anglia* redierunt, contentionibus, ac deſiderat etiam in vetere ſuo amico *Sarmatico* moderationem. In *Anglia Phalaris Uvintonienſis* regnat potiùs quàm *Semiramis* aut *Zenobia*: nunc ſanctus ſenex *Latimerus* propter veritatis confeſſionem interfectus eſt. Nominat et alium quendam doctum virum, qui ſimul ſupplicio affectus eſt. *Cantuarienſis* damnatus eſt, ut teneatur incluſus perpetuo carcere. Ita ubique fera regnat *Erynnis*. Graſſari etiam in vicinia exercitum *Lycaonium* audimus. *Trojanus* hic ſuo conſilio ait ſe rediturum eſſe in patriam, quia aliquid peculii infodit terræ, quod vult tradere parentibus; pietas adoleſcentis laude digna eſt. Nos aliquid ei viatici dedimus. Bene vale, Nonis Julii, Anno M. D. L V I.

Ingenio & eruditione præſtanti Ioachimo Camerario Ioachimi Camerarii viri clariſſ. filio S. D.

Ep. 847. CHariſſime *Joachime*: Dulciſſimum officium eſt bonorum ſcriptorum communicatio. Ideo tibi & debeo & habeo gratiam, quòd pagellas nobis emiſti & miſiſti. Et memor ero veteris dicti, χάρις χάριν τίκτει. Cùm edent aliquid noſtræ officinæ, non indignum tuâ lectione, mittam. Honeſtiſſimæ matri tuæ mittam exemplum recentiſſimæ editionis ejus libri, qui ipſi inſcriptus eſt. Nunc enim nondum colligatus erat. Quæſo ut pro hoc quadrante rurſus mihi Epitaphiorum exempla mittas per hunc meæ ſororis filium. Bene & feliciter vale. XIX. Cal. Novemb. Anno M. D. L V I.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 848. SCio ſuperbè καὶ ὑβριστικῶς tractatum eſſe iſtum veterem amicum noſtrum, qui annos triginta plurimum ſuſtinuit laborum in gubernatione Eccleſiarum totius viciniæ, ſed talis gratia nobis redditur. Nec verò antea effugit antagoniſtarum ſophiſtica, Adraſtian; nec nunc effugiet, cùm plus aſſumit impudentiæ, κακοηθείας & fraudum. Nos precemur Filium Dei, ut vulnera noſtra ſanet, & ſervet Eccleſiæ reliquias. Sed hæc coram. Reſpondi Academiæ, téque oro, ut legas literas, quas mitto. De mediocribus miratus ſum tam ſeveram aulæ cenſuram, quæ ſi non tribuet locum mediocribus, de me quid fiet? Veniam ad vos, Deo juvante, cùm vocabitis. Bene vale, X. Cal. Sept. Anno M. D. L V I.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 849. CUm literas darem viro optimo D. *Vadino*, non volui διήγημα ſcribere, ac malui potiùs incertas narrationes mittere de *Pannonia*, quas tamen hi, qui recens venerunt, affirmant veras eſſe. Ad *Ziged* in aditu *Stiriæ* trucidatum eſſe non parvum exercitum *Turcicum* aiunt. Et fuiſſet felicius pugnatum, ſi *Germani* non deſerti eſſent ab equitibus *Stiriis* & *Hungaricis*. Victores *Germani* pepulerunt *Turcos*, ſed ex noſtris ſexcenti interfecti ſunt. Ad *Caſſoviam* tres arces noſtri receperunt, & ibi adhuc ſunt incolumes copiæ *Ferdinandicæ*. Archidux *Ferdinandus*, quod fauſtum & felix ſit, magnum exercitum ducit in *Hungariam*. Dux *Pruſſiacus* nova ſcripta nobis judicanda mittit. Seculum delirum & rixoſum eſt, vel potiùs ſycophanticum: Sed precemur Filium Dei, ut nos gubernet, & ſervet. *Sabinus* ex ſalinis ad te acceſſurus erat, ſed quia Princeps profectus erat ad patrem, properavit & ipſe. Æſtimat dona data in legatione octingentis aureis. Et Dux *Pruſſiæ* ei placatus eſt & debitam pecuniam promiſit. Cætera coram. Bene & feliciter vale. Deus cuſtodiat totam eccleſiam tuam domeſticam & publicam. Cal. Septemb. Anno M. D. L V I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 850. ETſi nuſquam ſum libentiùs quàm tecum, cùm à meis filiis & filiabus abſum, & ad vos libenter accederem, tamen quia aula non poſtulat, maneo hic in noſtro Ergaſtulo, præſertim cùm & paſtori noſtro inchoatas operas abſolvere me ante mercatum *Lipſicum* oporteat, & nunc *Auguſtanis* & *Polonis*, de rebus maximis reſpondendum ſit. Excuſabis igitur me Rectori, quòd non venio. Languefacit etiam me cupientem vobiſcum proficiſci, metus diſputationum περὶ δυνάμεως

cum

cum *Polyphemi* filiis, qui eas mihi leges ferunt, quas Deo juvante, non accepturus eſſem, etiamſi in *Latomias* eundum eſſet. Non recuſo ex hac regione diſcedere, quandocunque Deus volet, in qua ſcis me conſociationis Eccleſiarum ſtudioſum fuiſſe, & multa non ferenda homini tetrico, tuliſſe. Maximè volui, ut rectè explicata extaret veritas, deinde ut quàm plurimæ Eccleſiæ concordes eſſent, & utraque in re mediocrem fuiſſe meam diligentiam ſcis, quæ ſi mihi nocebit, ut in diſſenſionibus civilibus fieri ſolet, Deo juvante æquo animo feram ea quæ accident. Dolores tuos ex *Græca* epiſtola intellexi, quæ mihi non eſt ingrata, ac de reſponſione opponenda τῷ βλακὶν ſcriptis, coram tecum loquar. Mitto *Henſelis* epiſtolam. Tuam Eccleſiam domeſticam ut Filius Dei ſervet, & incolumem ad te reducat, toto cum pectore oro. Bene & feliciter vale. Decimo tertio Cal. Octobr. An. M. D. LVI.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 851. SCripſit ad me ex vicina *Parthenopea* quidam, mecum expoſtulans, quòd non approbo nova decreta, ſimilia decretis triginta virorum, qui *Athenis* damnabant cives ſine cognitione. Scis me nondum quidquam ea de re ſcripſiſſe, nè flagitante quidem *Aſcanio*. Sed in diſſenſionibus civilibus etiam ſilentium in ſuſpitionem venit. Exiſtimo autem & hoc ex artificiis τῷ φαύλῳ oriri, à quo hunc veterem auditorem noſtrum ſubornatum eſſe arbitror, ut exculpat aliquid. Deliberandum tandem nobis erit, de reprimenda iſtorum infinita petulantia, etſi crucior aliis longè majoribus doloribus. Oro Filium Dei, ut mœſtiſſimæ Eccleſiæ ſuæ opem ferat & nos gubernet. Expecto *Sabini* literas. A *Marchione Johanne* rediit is, cui ſtipendium in noſtra Academia jam duplicavit, qui narrat ipſi quoque diſplicere τὴν ἀσέλγειαν τῶν ἀπείρων τῷ πολυφήμῳ. Fortaſſis tandem & harum calumniarum ſeu ineptiarum ſatietas veniet. Ante inſpectionem Eccleſiarum in *Tyrigetis*, lex rogata eſt, ut mandaretur, nè libri hic editi legerentur; ſed interceſſione duorum veterum amicorum abolita eſt. *Sneppius* & *Menius* reſponderunt, ſe non aſſentiri, ac potiùs diſceſſuros eſſe ex tota ditione. Delector & virtute & teſtimonio horum, quod oſtendit, quid judicent de voluntatibus illorum *Areopagitarum*. Scriberem plura, ſed & dolore & brevitate temporis impedior. Bene & feliciter vale. Totam eccleſiam tuam domeſticam protegat Filius Dei. IV. Cal. Novemb. Anno M. D. L V I.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 852. VIncunt igitur *Senones* liberalitate τοὺς μύσους, quorum olim eſt juſtitia laudata & hoſpitalitas. *Marchio* Elector promiſit *Sabino* trecentos aureos, & filio ſacerdotium, & Princeps *Sigiſmundus* addit centum quotannis. Literarum exemplum vult *Sabinus* tibi oſtendi, & miſiſſem, ſi hic tabellarius mihi notus eſſet. Gaudeo *Sabinum* hilariter redire ad littus *Balticum*, & opto ut iter ſit felix; exiſtimo & viaticum mediocre eſſe. Noſtra Academia ei donavit viginti quinque Joachimicos, ego addidi viginti, & patria urbs viginti. Περὶ γαμικοῦ πράγματος dixi *Georgio*, ut adoleſcentem cùm huc veniet, ad me ducat. Sed ſi alibi vultis rem agi, ſignifica. Mihi videretur *Lipſiæ* poſſe agi commodiùs. *Auguſtani* neceſſarium tuum *Saxam*, & quoſdam ejus collegas vellent eſſe moderatiores in reprehenſionibus quibuſdam, & minus miſcere conviciorum, quæ nec proſunt, nec gravitati conveniunt, quæ decebat loca ſacra. Sed tale eſt hoc ſeculum, te tamen vellem ad tuum illum ſcribere. Scripſi ad ejus collegam. Scire cupio an ſacerdos cui literas ad ducem *Othenricum* dedi, apud te fuerit, juſſi enim à te literas petere. Bene & feliciter vale. Filius Dei Dominus noſter *Jeſus Chriſtus* ſervet totam Eccleſiam tuam domeſticam. Scribam plura, cùm alius iſtuc ibit mihi notus. V. Id. Novemb. Anno M. D. L V I.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

EXpecto reditum doctoris *Laurentii*, qui noſtram deliberationem περὶ συνόδου in aulam afferet. Ideo nondum potui de itinere ad vos meo ſtatuere. Quoquomodo procedent illi congreſſus, erunt de meo capite comitia, ut hodie ex literis *Bavaricis* intellexi, ſed commendo me Filio Dei. Nunc ad te mitto epiſtolas, meam & *Laſani*, ſcriptas ad *Joachimum Konig*, filium mercatoris *Noribergenſis*, qui vocat *Bartolomæum Laſanum Viennam*, ut cum *Crameri* civis *Viennenſis* filio in *Italiam* proficiſcatur. Exiſtimamus te poſſe per homines notos *Noribergam* literas noſtras mittere, quod ſi potes, ut facias, & meo & *Laſani* nomine oro. Multum illius refert fideliter eas *Joachimo* exhiberi. De cæteris rebus coram. Deus ſervet te & totam Eccleſiam tuam domeſticam. V. Cal. Jan. An. M. D. LVII. *Ep.* 853.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

QUod fauſtum & felix ſit, de tuo genero referam ad Collegarum conſilium, & Filium Dei oro, ut in his tuguriolis ſervet ſuæ doctrinæ, & honeſtarum artium ſemina, & copulet omnium pectora, ut unum in ipſo ſimus, cùm quidem tam multi ſint, qui molluntur infinitas diſtractiones, quorum illa ſunt, τέρψις καὶ χάρμα ὁμοῦ τὰ πράγματα ἄπαντα. Sed commendemus nos Filio Dei. Hic *Andreas* natus in urbe *Boruſſia Regio Monte*, docuit Evangelium in Collegio *Murratenſi*, in ditione *Vuurtebergenſi*, & ibi erudiit cœtum *Latinè* diſcentium, tradidit eis Dialecticen, Epiſtolas *Ciceronis*, & κατήχησιν *Brentii*. Poſtea Conſiliarii tranſtulerunt eum ad *Thermas*. Inde in Academiam noſtram rediit, cùm viaticum haberet. Judico eum uſui eſſe poſſe in collegio vicino *Ægra*, ſi ita tibi videtur. Totam enim rem tuo judicio & arbitrio permitto, & permittit hic ipſe *Andreas*: ætas quæ ſit vides, & judico modeſtum hominem eſſe, & ſcio bene de eo ſenſiſſe in *Bavarico* collegio Patronum. Bene & feliciter vale. XIV. Cal. Februarii, Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo. *Ep.* 854.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

GEnus officii quale ſit, quod noſtri collegii nomine petitur, non ignoras. Etſi mihi tuo colloquio nihil dulcius eſt, tamen diſcerno inter *Ep.* 855.

ſcis in Tragœdia, niſi lachrymas, nos addimus gemitus & preces ad Deum. De lectoribus noſtris expectamus aulicum decretum. Iter meum in patriam impediri non moleſtè fero. Quantum enim fabellarum maledica vicinia ſparſiſſet. Et ſcio influxiſſe in meam patriam hoſpites, quorum ſunt diſſimilima judicia. Si *Flaciana* rabies me fugere coget, oſtendet Deus alicubi hoſpitium. Sed oro Filium Dei, ut nos gubernet & protegat. Bene vale. Anno M. D. L V I I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 862. SI *Joſias* ideo *Noriberga* diſcedit, nè litiget, philoſophicus animus laude dignus eſt. Ego quoque ſi poſſem, fugerem, non ut in carmine dicitur, ultra *Sauromatas* & glacialem oceanum, ſed certè in aliquas latebras, quaſcunque Deus offerret. Et ſi vivam diutiùs, expecto exilium. Petit autem locum *Joſia* hic *Hamburgenſis* Magiſter *Bernhardus*, vir eruditus, cujus modeſtiam & integritatem ſpero valde placituram eſſe *Noriberga*tis, cum quibus verſabitur. Quare te oro, ut ei, ſi nondum alteri ſpem feciſti, tradas *Joſia* locum. Heri ex aula *Ambergenſi* allatæ ſunt à filio ad fratrem *Joachimum* literæ, in quibus de *Lucretio* narratio eſt, quæ exemplum recitat non contemnendum. Bene & feliciter vale, Prid. Cal. Maii, Anno M. D. L V I I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 863. HUnc tabellarium miſi propter aulicam epiſtolam, de *Portenſis* ſcholæ Rectore, quam cùm legeris, tuo judicio quæres *Balduvio* ſucceſſorem: ſi probas eum qui nunc ſecundum locum tenet, fortaſſis commodius erit ipſi primum locum tribuere, quàm alium novum & ignarum conſuetudinis loci illius quærere, ſed totam rem tuo judicio commendo, præſertim cùm & animum habeam hoc tempore curâ *Rhenani* itineris occupatum. Non ita *Scyllam* & *Charybdim Ulyſſes* metuit, ut ego diram Sophiſticen & rabiem hypocritarum: malim domi cum filiabus meis dicere pias precationes, quàm alibi *Sphingos* ænigmata audire. Sed oro Filium Dei, ut nos gubernet. Die triceſimo Julii decrevi *Lipſiam* venire. Bene & feliciter vale. Deus ſervet te & totam eccleſiam tuam domeſticam. Ao. M. D. LVII.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 864. QUod fauſtum & felix ſit, jam ad hymenæum *Buſtii* proficiſcimur. Ideo nè potui quidem multa ſcribere. tametſi littus *Saxonicum* ſatis argumentorum ſuppeditat. Audio *Danicum* Regem, Ducem *Megapolitanum*, urbes *Saxonicas*, miſſuros Legatos ad Senatum *Bremenſem*, ac poſtulaturos, ut *Albertus* pellatur. Deinde Synodum indicturos, & nova decreta facturos eſſe. Vides exempla veterum temporum & Synodorum,

Pellitur è medio ſapientia, vi geritur res.

Sed precemur Filium Dei, Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, ut nos gubernet, impendent enim horrendæ confuſiones, & tetri furores. Non tantùm temporis brevitas, ſed etiam dolor vetat plura adjicere. Bene & feliciter vale, cum Eccleſia tua domeſtica & publica: de modo reſpondit meus gener. Anno M. D. L V I I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 865. ET debeo tibi & habeo gratiam, quòd poma punica quæſiviſti, & miſiſti ceraſorum ſuccum. Accepimus poſtea miſſa à myropola *Torgenſi* duo poma punica, ſed nec morbum iſta leniunt, nec miſera uxor mea fruitur his rebus, quæ quidem quotidie cum morte luctatur. Magno dolore afficior propter commiſerationem, ſed hoc levationem aliquam affert, quòd mens ipſius integra eſt & tranquilla. Et cùm ingreditur oratione in divinas conſolationes, ita loquitur, ut appareat eam divinitùs confirmatam eſſe agnitione Filii Dei, & ſpe æternæ conſuetudinis cum cœleſti Eccleſia. Oro Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, ut publicas & privatas calamitates leniat. De tuis & de ipſa *Noriberga* valde ſum ſolicitus. Scribes igitur quoties habebis tabellarios. Hanc epiſtolam *Laſano* dedi, per quem ſcribes genero & filiæ. Hodie literas ex urbe *Vienna* recens ſcriptas die Maii quarto, accepimus. Nunc quidem *Turci* quieſcunt. Sed vicina gubernatio duas res contrarias ſimul agit, poſtulat ut dent pecuniam & gerant bellum contra *Turcos Hungari*, & in Eccleſiis quæ nobiſcum ſentiunt, recipiantur veteres εἰδωλομανίας. Impendet finis, ac Deum oro, ut nobis adſit, & affuturum eſſe non dubito. Mitto vobis pagellas, & ſalutem opto vobis omnibus. Nam ſcribere pluribus non potui. Bene vale. XXIV. Maii, Anno M. D. L V I I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 866. CRedimus æternam Eccleſiam à Filio Dei colligi & quidem voce Evangelii. Hâc fide & petamus & expectemus conſervationem cœtuum & familiarum noſtrarum. Oro igitur Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, ut te & tuos ſervet, & gubernet generi tui viri integerrimi migrationem ad nos inſtitutam. Locata eſt ei domus noſtri conſulis, quam petivimus. Noſtra officia ei non defutura ſunt. Regem *Danicum* audieramus veniſſe in *Cimbricam Cherſoneſum*. Sed *Mordiſius* narrat *Hafnia* eum expectare generum & filiam. Si igitur in comitatu eſſem, navigandum eſſet in *Baltico*, de quo ante ſexaginta annos *Hasfurtus* mihi prædictionem inſuavem ſcripſit, de qua cogito matris tuæ ſermonem: ſatius eſſe vitare occaſiones, ſi quid mali minitentur aſtra. Sed ego non tam aſtra metuo, aut mare, quàm illius controverſiæ epitaſin, quæ ingentes motus aliquantò pòſt excitabit. Nec tamen regiæ literæ mentionem ejus diſputationis faciunt. Mavult. autem aula me ad *Rhenum* proficiſci. Nunc tamen retinemur, donec novæ literæ aulicæ nos iter ingredi jubebunt, qua de re nihil diſputo, quia etiam hanc moram beneficium eſſe judico. Sed oro Filium Dei, ut Eccleſiam & nos in ea gubernet. Bene & feliciter vale. Salutem tuæ eccleſiæ domeſticæ & publicæ opto. Octavo Idus Auguſti, Anno M. D. L V I I.

A

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 867. ΗΩΣ γὰρ προφέρει τε ὁδοῦ, προφέρει τε καὶ ἔργου, utinam id conſiderarent & Theologi, & aulæ. Si mane ad nos Comitis *Ludovici* nuncius miſſus eſſet, hodie manſiſſemus in *Porta*. Et moleſtè ferebam, cùm ad nos veniret, poſtquam jam procul à *Porta* proceſſeramus. Nos decrevimus rectà pergere ad *Erfordiam*. Ubicunque potero, ad te ſcribam de omnibus negotiis, quæ ſunt ἀξιόλογα· B paginam aliam in qua eſt ſubſcriptio, mitto. Hæc ſcripſi in diverſorio in oppido, cujus nomen hodie diſputavimus eſſe ab *Ecberto Marchione*, qui cùm Dux factus eſſet contra tuum popularem *Henricum* Quartum, non procul hinc interfectus eſt. Ejus ætatis calamitates quantæ fuerint, non ignoras. Noſtri temporis miſerias ut leniat Filius Dei toto pectore eum oro. Oro etiam ut te, & eccleſias noſtras domeſticas, & publicam ſervet. Bene vale, die XVIII. Auguſti, Anno C M. D. L V I I.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 868. DEI beneficio *Francofordiam* ingreſſi ſumus die Auguſti XXVI. In itinere paſſim amanter accepti ſumus. In Academia *Marburgenſi* etiam honorificè, ubi primùm audivimus narrari pugnam ad *Quintinum* factam, in qua magnam cladem *Galli* acceperunt, ut cùm ad *Delphos* victi D ſunt, aut cùm *Marcellus* Βριτόμαρτιν interfecit. Exiſtimo famam ejus rei ad vos jam perveniſſe. Narrantur hîc nobis quædam & περὶ προοιμίων colloquii. προβουλεύματα facta ſunt ἐν τῷ μεταξὺ contra *Brentium* & me, quæ volent à nobis recipi. Cùm venerimus ad urbem *Vangionum*, ſcribam & copioſiùs & planiùs. Excrucior multiplici curà & de inimicorum ſævitia, & de filio meo, qui etiamſi vivit, & corporis & animi imbecillitate miſer E eſt. Oro autem Deum æternum, Patrem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, ut & vos & nos ſervet & gubernet. Bene & feliciter vale, Die XXVII. Auguſti, Anno M. D. L V I I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 869. NOn ad alium conventum plures acceſſerunt adverſarii, inſtructi Sophiſticà, quàm ad hunc. *Belgæ* enim attrahuntur, quorum ſunt naturæ præſtigiatrices. Itaque Filium Dei oro, ut F ſit noſter βραβευτὴς καὶ σύμβουλος, & tribuat noſtro cœtui concordiam. Et congruere ſententias & voluntates omnium intelligo, πολλῷ δὲ μᾶλλον diſcurrit ut Furia is, qui ſe rectè nominat θεογνώσιον, & perit audire, ſuorum προβουλεύματα. Sed hi qui noſtris amicis adjuncti ſunt, ab eis abhorrent. Cúmque *Julius* nondum publicè nos convocaverit, differuntur & privati congreſſus. Audio autem primam fore σύζητησιν de nomine Eccleſiæ, quod adverſarii ceu *Gorgonem* nobis oppo- G nunt. Decrevi in omnibus congreſſibus publicis & privatis Deo juvante, ſimpliciter reſpondere, καὶ ἀδοχμάτων καὶ φανερῶς in tantis periculis, ἰσχυρὸν γὰρ τὸ ἀληθές. Oro autem Filium Dei, ut nos gubernet, et te et tuam domeſticam eccleſiam ſervet. Bene vale. Cal. Septemb. Salutem opto R. D. Paſtori, et vobis omnibus. M. D. L V I I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 870. QUod fauſtum et felix ſit, die undecimo Septembris *Julius* convocavit utriuſque partis collocutores; et pauca præfatus de mora, legi deinde à *Seldio* juſſit orationem, quâ expoſuit, ſe conſtitutum eſſe βραβευτήν, et quædam de iis malis oratorio more intexuit, quæ parit diſcordia. Reſpondit primùm *Sidonius*, poſtea ego, et pauca B dixi, cur diſſentire ab adverſariis cogamur. Inter noſtros de Confeſſione conſenſus eſt. οἱ μεθοριῖς petiverant quaſdam condemnationes. Sed in hac paucitate noſtrorum, Legati omnes cenſuerunt nunc differendas eſſe eas condemnationes. Et in eam ſententiam *Palatinus* Elector epiſtolam huc miſit. XIII. die Septembris deliberatio erit de ordine materiarum, de quibus diſſerendùm eſt. De filio meo velim mihi ſcribi. Bene et feliciter vale, et reſcribe. Die XII. Septembris, Anno C M. D. L V I I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 871. NOn noſtro conſilio ſic, ut ſcriptis certaremus, inſtituti ſunt jam congreſſus noſtri in urbe *Vangionum*. Sed cùm id magna contentione flagitarent Antagoniſtæ, mediocri beneficio nos affici judicavi. Exiſtimo enim nobis faciliùs eſſe cauſam noſtram, quæ vera et plana eſt, exponere, D et illuſtrare, quàm illis evolvere σφιγγὸς ænigmata, quæ proponent, fuerúntque hactenus nobis, Dei beneficio, prælia ſecunda. Nunc inter noſtros collegas non ſolùm diſſenſio nulla eſt, ſed etiam dulcis conſuetudo eſt, præcipuè autem candore *Brentii* delector, qui de te quoque et ſæpe et valde amanter loquitur. Abiit hinc is, quem nuper θεογνώσιον nominavi, cùm verius ſit θεόμαχος, quia reſcivit retineri captivum Typographum, qui edidit ἁμάξας βλασφημιῶν κατὰ ἡμῶν μεστῶν. Sed ſuſpicor E adducturum eſſe τὸν ὄνον, qui ſi huc venerit, tum verò imaginem cernemus Synodi *Ariſtophanicæ*, cui *Balena* præeſt. Sed Filium Dei oro, ut nos gubernet, et ſit noſter βραβευτής. Mitto Carmina *Lanckii*, ut videas etiam hîc nos habere vicinas Muſas. Tuas literas et expectamus avidè et flagitamus. Filius Dei te et eccleſiam tuam domeſticam ſervet. Salutem Paſtori, et vobis omnibus opto. Die decimò octavo Septembris. Salutat te et uxorem reverenter *Johannes Brentius*. Anno F M. D. L V I I.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 872. DIe quo *Hieronymi* memoria celebratur, hanc epiſtolam ſcripſi, cujus nomen etiam me de *Hieronymi* filio *Morono Mutinenſi* Epiſcopo commonefecit, quem *Romæ* audimus à Pontifice captum, vel ut quidam narrant, interfectum eſſe. Exiſtimo te eum vidiſſe *Ratiſponæ* in con- G ventu ante annos ſedecim. Erat in corporis figura dignitas, et in dicendo nitor et ſuavitas. Itaque cogitans de ejus caſu, communem infirmitatem generis humani deploro. Pontifici petenti ab *Albano* pax conceſſa eſt. Quid in *Italia* et *Gallia* agatur magis ſcimus, quàm quid hîc nunc agatur. Fuerunt enim jam decem dierum non Halcyonia, ſed qualiſcunque contatio,

βλέποντες

βίλονται γὰρ οἱ μαθηταὶ τοιγχαρὰν τινα παρεμβάλλειν τοῖς καινοῖς πράξεσι. Diſſuaſerunt autem *Palatinus* Elector & *Charitinus* impediri ſeriem inchoatæ collationis. Sed quæritur *πρόφασις* ad abrumpendum totum negotium. Nec video quid profuturum ſit hoc certamen contraria ſcripta componendi, cùm antea tam multa extent, & quidem magis diſertè compoſita. Sed illudunt nobis, ut *Judei* colaphos dantes *Chriſto*. Bene & feliciter vale. Deus protegat eccleſiam tuam domeſticam & publicam. Die *Hieronymi*, An. M. D. LVII.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 873. HAnc epiſtolam dedi viro nobili *Einſidelio* revocato in patriam, cùm die XV. Novemb. iter ingrederetur. Sperabamus enim te eodem fere tempore domum rediturum eſſe, quo ipſum ratiocinabamur ad vos perventurum eſſe. Oro autem Filium Dei cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut & tuam Eccleſiam domeſticam ſervet, & te & nos feliciter domum reducat. Literæ tuæ quas ex urbe *Vangionum* ad me ad *Palatini* arcem miſiſti, & amicis jucundæ fuerunt, & mihi dolores lenierunt. Lectæ ſunt à multis in cœna, ad quam me vocârat collegium philoſophicum. Reverſus in urbem *Vangionum* edidi magnum ſcopulum non ſine ſævis cruciatibus. Poſtea ſcripſi de doctrinæ controverſiis, de quibus volo Collegas, qui aſſunt, deliberare. Nondum ſciebamus cùm hæc ſcriberem, an proceſſura eſſet doctrinæ collatio. Bene vale. XV. Novemb. Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 874. QUod ſcribis de torquati illius ſermonibus, qui ante biennium ſuâ ſapientiâ opplebat aures noſtras *ἐν τῷ τῶν ὅλων μονῇ*, non afficit me ſingulari aliquo dolore, cum communibus graviter excrucier. Ego meam conſcientiam teſtem habeo conſiliorum & factorum meorum, in qua acquieſco. Cùm autem non dubitem ego notare quædam in veterum ſcriptis, cur moleſtè feram aliquid reprehendi in meis? Sed quomodo iſti in mentem venit, ut hæc nunc demum arriperet, aut quæ eſt tandem iſta reprehenſio? Mihi quidem vix quicquam dici potuiſſe moderatiùs videtur: Minus elocutos aliquos planè aut diſertè quàm ſentirent: omnium temporum ſunt aliqui errores. Neque ego non fateri & deplorare ſoleo plurima vitia noſtra. Et res humanas modò hoc modò illud non finit eſſe prorſus ſinceras. Sed illud pulchrum eſt, quod indicas in *Ambroſii* mentione notatum fuiſſe id, quod ille de jejunii diebus XL. ſcripſiſſet. Quod hoc ludibrium eſſe dicam? Utinam jejunaretur aſſiduè, & eo jejunio, quod elegit Dominus, ſecundùm Prophetam. Sed contendimus verbis, cùm melius eſſet honeſtis exercitiis contendere. Neque ſenſit hoc *Ambroſius*, quod putatur, & ſi ſenſiſſet, admonitus certè mutâſſet ſententiam. Non enim iſtud, de quo declamitant, jejunium conſenſu Eccleſiaſtico, ſed voluntarii cultûs ſuperſtitione introductum eſt. *φλυαρίαι* ſunt hæ. Cùm enim de doctrina quæratur, inculcant iſti talia, quæ ideo reprehenduntur, quia puram doctrinam contaminârunt. Utinam & ſeveritas in peccatis coercendis, & temperantia abſtinentiáque colatur, non corrupta tamen doctrina cœleſtis veritatis. Hoc multis non placet. Eos igitur condemnat *τὸ ῥητὸν* *Venit lux in mundum*. Mea, ſi dextrè accipiantur, nihil habent incommodi. Sed de his plura ſcripſi quàm neceſſe fuit, & te dixiſſe aliquid opinor. Bene vale. Anno M. D. LVII.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

ORo Filium Dei cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut familiam tuam ſalvam ad te reducat, & protegat publicam Eccleſiam, & domeſticas Eccleſias noſtras. Videmus enim, quàm ſint infirma humana omnia, niſi divinitùs tegamur. Huc reverſi cognovimus circumferri paginas *βραχυλογίας*, in quibus eſt reprehenſio *Francofordiani* ſcripti. Narrant *Eberus* & *Milichius* adeò impudenter fictas eſſe calumnias, ut in ſuo theatro non ſit habiturus applauſores, niſi homines impudentes. Sed hæc turba his miſeris temporibus non parva eſt. Inter has confuſiones erit tamen vera Eccleſia, in qua nos Filius Dei *ἱκέτας, ἱκέτας* ad aram ſuam ſedentes ſervet. Jam ſcribo reſponſionem ad ſenatum *Noribergenſem*. Redit illuc fratris mei filius, quem, ſi illic non invenit operas, redire ad me juſſi, & ad *Balticum* littus mittere cogito, cùm videam eum delectari his ſtultis errationibus. Si fieri poterit, velim te cum *Bromio* ad filias expatiari. Bene & feliciter vale. An. M. D. LVIII. Ep. 875.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

UT ardentiſſimam *ςοργὴν* in matre *Cananea*, de qua hodie concionatur Eccleſia, reſpexit Filius Dei, ita ut noſtras curas de filiis & filiabus noſtris reſpiciat, toto eum pectore oro, precor etiam ut eis ſervet eccleſiam & nidulos. Quòd noſtri Principes tolli controverſias cupiunt, voluntas laudanda eſt, ſed conantur hydræ capita præcidere, hoc ſycophantico ſeculo. Mitto illuc noſtram deliberationem, quam ut tradi iis cures, ad quos accedunt veredarii, valde te oro. Mitterem per peculiarem tabellarium ad ripam *Mœni*, niſi veredariis citiùs perferri poſſe arbitrarer, téque oro, ut pro tua prudentia, diligenter illis commendari paginas noſtras cures. Bene & feliciter vale cum eccleſia domeſtica & publica. Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octavo. Ep. 876.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

CUm viro optimo genero tuo, volui ad vos accedere & meum generum, quòd eorum conſpectum aliquid tibi hoc tempore profuturum exiſtimabam. Sed fontes verarum conſolationum tibi noti ſunt, de quibus eò cogitabis libentiùs, quia utrunque genus doctrinæ tenes. Scis quàm languida & mutila ſit philoſophia, quæ tamen hoc diſputat, homines nec caſu, nec tantùm ad has ingentes ærumnas, & horribiles confuſiones naſci, ſed reſtare portum aliquem, in quo diſtinctio ſit futura hominum. Sed referamus mentes atque oculos ad teſtimonia à Deo tradita, revocatis ex morte plurimis; & in ferendo hoc ingenti onere, quod humanæ naturæ impoſitum eſt, juvari nos à Deo petamus. Noſter *Cruciger* ſæpe ante mortem dixit, Ep. 877.

Credo Domine, opem fer imbecillitati meæ. Hanc vocem ſæpe repeto: Et addebat ipſe: *Hâc fide, quanquam languidâ, ſcio te velle invocari, & hanc invocationem non eſſe irritam.* Hanc vocem ſæpe & cogito & repeto, & ſcio te ſimilia cogitare. Oro autem Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, Eccleſiæ cuſtodem, ut nos omnes gubernet, & te & tuam Eccleſiam domeſticam conſoletur. Bene & feliciter vale. Prid. diei mortis *Lutheri*, Anno M. D. LVIII. A B

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 878. REverendi ſenis Paſtoris Eccleſiæ noſtræ conjugi, & filio juniori, decrevit illuſtriſſimus Dux *Saxoniæ* Elector annuam penſionem centum aureos. Eam penſionem orat inchoari paſtor ſe vivo, hoc anno. Videmus quæ ſit ſenecta, & utrunque meminimus, & ſenibus & ſacerdotibus multa officia deberi. Formam igitur literarum C aliam, quàm qualis in aula ſcripta erat, mitto ad D. *Mordiſium*, téque oro, quem ſcio venerari ſenes & ſacerdotes, ut ipſe exhibeas noſtras literas, vel per *Franciſcum Cranium* exhiberi cures, & flagites reſponſionem. Credo hoc beneficium impetrari poſſe. Et nè ſcribæ occupati aliis negotiis, hanc rem differant, mitto literarum formam, cujus obſignatio petenda eſt. Aliquid de meritis ſenis inſerui, quorum mentio omiſſa eſt in priore forma. Totam hanc rem & prudentiæ & fidei D tuæ commendo. Epiſtolam *Bordingi* mitto, quam libenter leges. & legi eam volo *Mordiſio*. Bene vale. Cal. Febr. An. M. D. LVIII.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 879. PLatonis illud meminiſti, ποτίμῳ λόγῳ τὴν ἁλμυρὰν ἀκοὴν ἀποκλύζεσθαι. Ita ego optimorum & ſapientum virorum ſermonibus abluere moleſtiam cupio, quam mihi attulerunt, & *Charitini* ducis & noſtrorum literæ, περὶ συνόδου. Valde E urget *Charitinus*, ut Synodus indicatur, qui utinam habeat faventes χάριτας. *Brentius* repugnat, ſed hæc coram. Si nactus fuero vectorem, Deo juvante, ad vos accedam. Heri tua filia & meæ filiæ, in mea domo laverunt. Bene & feliciter vale, die XXV. Febr. Anno M. D. LVIII.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 880. HOdie Ducis *Boruſsiaci* literas accepi, in quibus ſcribit, ſe librum mittere, in quo complexus ſit ſummam doctrinæ univerſæ, quam vellit relinquere poſteris, & petit, ut noſtrum de eo judicium ſignificemus. Credo *Johannem Aurifabrum* rectè & disertè ſcripſiſſe. Sed librum non accepi, & exiſtimo in aula retineri. Conſul *Argelianus* Principis Epiſtolam mihi miſit, cui *Vergeriana* adjuncta erat, quam mitto; in qua narratio eſt περὶ κατοπτρικῶν θαυματικῶν, quarum pro- G fectò cogitatione magis excrucior, quàm βλακικῶν διαλέξεων. Sed oro Filium Dei, ut nos gubernet & protegat. Jam quoque adeſt θαυματικὸς nuncius, qui petit mitti exempla noſtrorum ſcriptorum περὶ διδασκαλίας καὶ περὶ λειτουργίας. Bene vale. Deus totam eccleſiam tuam domeſticam ſervet. Anno M. D. LVIII.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

MIcaelo ideo tradidi hoc breve epiſtolium, ut Ep. 881. à te aliquid literarum afferat. Senem *Baſilii Caſarienſis* civem dimiſimus dato viatico, ac diſſuaſi iter *Saxonicum*, quia milites ibi vagantur, qui adverſus *Elluones*, inde enim nomen *Levonia* eſſe arbitror, collecti ſunt. Scripſi nomina urbium à *Salinis* ad *Ratiſponam* uſque, deinde regredi eos ad *Rhenum* juſſi, uſque ad *Genevam*. Heri vidi recens editum συκοφαντικὸν λόγον τοῦ βλακὸς, & decrevi reſpondere *Latinè* & verè. Audio *Ferdinandum* filium ductum eſſe exercitum *Boemicum* in *Pannoniam*, & magnos ibi exercitus conventuros eſſe. Deus reprimat *Turcicam* barbariem. Bene & feliciter vale. Totam eccleſiam tuam domeſticam Deus ſervet. An. M. D. LVIII.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

LEctis literis filii tui, quæ ſignificant te non re- Ep. 882. ctè valere, & ego & gener valde de te ſoliciti eſſe cœpimus, ac primùm quidem Deum vitæ fontem precamur, ut te & totam eccleſiam tuam domeſticam ſervet, & vobis omnibus animorum & corporũ vires confirmet. Nam res ipſa loquitur, nos non tantùm phyſicis cauſis vivere. Et ſcis ſcriptum eſſe de Deo, *Ipſe eſt vita tua & longitudo dierum tuorum.* Nec tamen ordo phyſicus negligendus eſt. Generum ad te expatiari jubebo, etſi filii *Caſparis* morbus adhuc eum retinet. Ego etſi operis retineor, tamen, niſi ſignificabis te rectiùs valere, ad vos excurram. Heri primùm redii domum, cùm & baptiſmo filii præfecti *Belonſis*, & conjugis puerperæ funeri affuiſſem, quæ nondum egreſſa fuit annum XVIII. Agnoſcamus nos homines eſſe. Poſt biduum dies mortis erit *Hieronymi Stridonenſis*, qui XCI. anno ætatis ſuæ mortuus eſt in *Bethlehem*, vir bene meritus de Eccleſia, & eo etiam felix, quòd ſenectam habuit, ſed procul à patria, tranquillam. Nos inter quas echidnas vivimus? ſed commendemus nos Deo. Bene vale, & reſcribe. III. Cal. April. An. M. D. LVIII.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

CUm audirem hunc *Callimachum Eobani* filium Ep. 883. narrare fratrum hiſtorias, non ſine dolore cogitavi, et de temporum confuſione, et de noſtris familiis, ac jam hæc ſcribens duas hinc familias mittebam, alteram ad juga meæ patriæ vicina, alteram ad ſaltus *Boiemicos* vicinam. Vagamur miſeri in hac publica diſcordia. Sed Filio Dei nos commendemus, qui etiam fuit exul, et quidem in patria. Gandeo tamen hunc *Callimachum* habere patronum, virum honeſtum, *Ægidium* Juriſconſultum, qui eum ſecum ducet *Spiram*. Excellit ingenio *Ægidius*, et præclarè inſtructus eſt, non ſolum Juriſcognitione, ſed etiam aliis honeſtis doctrinis, et ſcio te ab eo diligi, quod ex filio tuo etiam cognoſcere potes. *Callimachum* cùm excipies, ſcio te ipſi quidem gratulaturum eſſe talem patronum, ſed de communibus miſeriis noſtris, et periculis poſteritatis eadem cogitaturum eſſe, quæ mihi in mentem venerunt. Tuæ familiæ et ſponſæ et ſponſo fauſta omnia opto. Bene et feliciter vale. XV. Junii, An. M. D. LVIII.

Joachimo

Ioachimo Camerario amico S. D.

Ep. 884. J*Oſias* mihi interroganti cauſam, cur ex urbe dignâ laude, & munere mediocri diſceſſiſſet, reſpondit, non aliam cauſam fuiſſe, niſi quod tæderet audire noſtri *Momi* cenſuram de nobis, & ineruditam & venenatam. Miror unde ſit hæc acerbitas. Sed Deo commendemus. Nunc decrevit proficiſci hic *Bernardus Hamburgenſis*, B vir doctus, prudens, & modeſtus, & ut eſt gentis natura, ſiquid diſplicebit, non ſtatim ſeu judicium, ſeu dolorem ſuum oſtenſurus. Te oro, ut *D. Hieronymo* eum commendes, quem quòd nihil reſpondit, ratiocinor quærere alium, & illud *Æſchyli* cogitare, ἄλλος πρὸς ἄλλην πόλιν τετραμμένος. Sed hic *Bernardus* urbem illam videre decrevit. Bene vale, XXIIII. Maii. Anno M. D. LVII.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D. C

Ep. 885. TIllam frugalitatem in apparatu convivii valde probo, in quo etiam ſi paululum à philoſophica mediocritate receſſeris, non eſt reprehendenda facilitas, quòd aliquid affectibus tuorum tribuis, cum tamen non procul à lege diſcedas, μέτρια φιλοφρονοῦσι. Ego inſulſus, qui in tanto luctu eccleſiæ, & privatis doloribus, & miſeriis, nimium indulgeo, non dico filiæ, ſed patri. Sed pugnate cum eo non poſſum, qui à noſtra philoſophia alieniſſimus D eſt. Tecum autem oro Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, toto pectore, ut in his regionibus ſemper eccleſiam ſibi colligat, & det ei honeſta & tranquilla hoſpitia, gubernet etiam & protegat nos, & noſtras familias, & tribuat fauſta conjugia tuis & meis, propter gloriam Dei, & ſalutem ipſorum. Generọ ſui hortator, ut ad vos accederet cum conjuge, & filiabus. Bene vale, die Solſtitii æſtivi.

E

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 886. HOdie mecum in prandio fuerunt gener tuus, & vetus amicus *Daſcius*, qui cum affine *Pontano* huc venit. Neſciebat ὁ τάφανος hoſtem eſſe noſtrarum eccleſiarum. Adeo ſunt *Periclei*, ut externos hoſtes ignorent, tantum domi quærunt, quos perdant. Id ei dixi. Poſt tuum iter lapſus duriter quaſſavi os ſacrum, & quanquam adhibui *Chironis* conjugem, tamen medicatio nondum F fuit efficax. Sed hoc mihi accidit moleſtius, poſt tuum iter allocutus ſum *Aminum* de hoſpitibus in *Salinis*, qui arcentur à Synaxi, cúmque putarem me ſapienter loqui de diſtinctione pœnæ Politicæ, & Eccleſiaſticæ, ille ſanè ὑβριστικῶς reſpondit, καὶ ἰδίως ἔχειν λέγοντα· σίγησον οἱ παῖδες ὑμᾶς διδάσκουσι, καὶ ἐμπορίᾳ ἀγάπη πρὸς ὑπεροψίαν, quam plus turbari nollemus. Bene vale, ſubitò ſcripſi. *Cnemiandro* commendata eſt eccleſia *Lubena*. Pridie Nonas Julii. Anno M. D. L VIII. G

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 887. ETſi diſputabam ipſe mecum, an iſtuc accederem etiam non vocatus, ad ritum initiorum conjugii honeſtiſſimæ filiæ tuæ, tamen me continui, quod id & modeſtius, & tibi gratius fore arbitrabar. Nunc dete evocando, etſi malim tibi A parcere, tamen *Sabini* voluntati neceſſe eſt me morem gerere. Iste, ut decet, facit plurimi, & vocat te ad publicum ritum initiorum conjugii filiæ ſuæ, quæ erunt quinto Cal. Julii. Etſi autem mihi quoque adventus tuus erit gratiſſimus, tamen valetudinis tuæ rationem te habere volo, cui audio quiete opus eſſe. Scio vota & pias preces ad Filium Dei nos conjungere, ubicunque ſumus, quem toto pectore oro, ut nos & familias noſtras guber- B net & protegat, & ſervet eis eccleſiam, & honeſtas politias. *Joachimum* filium tuum volo nobiſcum domi meæ eſſe. Bene vale, decimo Calend. Julii. Anno M. D. L VIII.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

ETſi in inſpectione, de qua ſcribis, uſus mei ſimplus eſt, & verè ſum οὔτε τρίτος, οὔτε τέταρτος, Ep. 888. tamen ad vos accederem, quia probo conſilium C inſpectionis, & conſuetudinem conſervari velim, & veſtro conſpectu et veſtris colloquiis delector. Sed retinent me multæ cauſæ, quas non commemoro, ne videantur eſſe χάσματα λόγου: una eſt, quam judicabitis juſtam, et non ironicam eſſe. Filiæ *Sabini* neſcio utrum funus an nuptias paremus, propter hanc domi retineor, et ſpero vos pro veſtra ſapientia mihi veniam daturos. Te quidem boni conſulere meam abſentiam non dubito, ac oro, ut meam excuſationem aulæ et collegis ex- D ponas. Æſtus afflixit multos apud nos, ſed Dei beneficio gener tuus convaleſcit. De munere Doctoris *Ægidii* ſcito me valde delectatum eſſe ejus candore, καὶ καλοῦ ἐσθλοῦ χάριν. Et Deum creatorem venarum metallicarum orabimus, ut eas fœcundet. Bene vale, octavo Cal. Auguſti. Significa an hanc epiſtolam acceperis. Anno Domini, M. D. L VIII.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

E

DEi beneficio *Efromus* rectè valet, et nobiſcum ad vos acceſſurus erat, ſed cum literas de Ep. 889. morte *Menii* amici utriuſque noſtrum veteris et chariſſimi accepiſſem, dolore retentus ſum. Memini noſtram militiam annorum triginta, non ignotam tibi, in qua multa magna negotia, et eccleſiæ utilia communi conſilio egimus. Poſtea quæ confuſiones Reipub. inciderint, ſcimus. Harum rerum omnium cogitatio mihi ingentes dolores af- F fert. Sed oro Filium Dei, ut et eccleſiam, et in ea pias familias, et tuam ſervet, et honeſtiſſimæ conjugi tuæ vires animæ et corporis confirmet. De *Troia Francica* negotio vobiſcum deliberabo. Bene vale, die XIII. Auguſti. M. D. L VIII.

Joachimo Camerario Bambergenſi S. D.

ETiam *Job* queritur ſibi moleſtos eſſe amicos, Ep. 890. qui dolorem ipſi diſputando lenire volebant, G veris gemitibus et votis à Deo petamus mitigationem et publicarum et privatarum calamitatum, quæ et multæ et magnæ ſunt, ac toto pectore oro Deum æternum, qui ſe patefecit miſſo Filio, et ſempiternam eccleſiam propter Filium colligit, ut ſervet et ſanet honeſtiſſimam conjugem tuam, te et familiam tuam. In mea familia febri laborant *Martha Sabini*, et *Anna Peucerì*. Et ſponſa quotidie moritur. Hic autem in

in *Belgico* pacem eſſe factam. Bene & feliciter A
vale, die Æquinoctii Autumnalis. Anno Dom.
M.D.LVIII.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 891. HUmana officia tantos dolores non leniunt, quantos & tuos & generi eſſe cogito, καὶ οὐδὲν ἔχω σοφὸν, εἰ μὴ δάκρυα καὶ ἄχος. Oro igitur Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, ut tibi & tuis vires animi & corporis confirmet, & oſtendat ſe exaudire invocantes ipſum. Conſilium de profectione generi ad vos probo, quia ſolitudo in luctu periculoſa eſt ; & *Eſromus* nuſquam libentiùs eſt, quàm tecum, & te ſciebam deſiderio ejus valde affici. Plura in tantis doloribus & inter tot funera ne poſſum quidem ſcribere. Bene vale, XVII. die Septembris. Anno M.D.LVIII. B

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 892. LEniretur tibi & tuis dolor, quem ſcio ingentem eſſe, de filiæ morte, ſi eorum audiviſſes ejus aſſiduam invocationem, & aſſeverationes de ſpe futuræ vitæ. Jam exordia in ea erant æternæ lætitiæ acquieſcentes in Deo. Quotquot eam audiverunt, affirmant, ſe non vidiſſe tanto animi robore confirmatum ullum in hoc agone. Sic & ego judico, quotidie ejus ſermones cogitans, qui D mihi ἔναυλοι ſunt in auribus, & ad hoc iter ἐφόδιον. Oro autem Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, ut nos gubernet, & familias noſtras ſervet. Bene & feliciter vale. M.D.LVIII.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 893. MItto duas epiſtolas, alteram *Britannicæ* Reginæ, alteram quæ illi reſpondet, quas ut aut ipſe doctori *Mordiſio* exhibeas oro, aut per E *D. Franciſcum Cramum* exhiberi cures. τὴν βασιλικὴν perire nollem. Et quæ fuerit occaſio harum ſcriptionum, ex *D. Mordiſio*, & *Franciſco* audies. Velim autem te *Ariſtarchum* eſſe noſtræ reſponſionis. Aula diſputabat de poſteriore parte, ubi optat Princeps commune multarum gentium colloquium. Mihi videtur rectè hoc ſcribi, ne videamur ſtrepitus littoris *Baltici* probare, ubi vociferantur quidam, martyres *Anglicos* eſſe martyres diaboli. Nolim hac contumeliâ afficere Spiritum F ſanctum in *Latimero*, qui annum octogeſimum egreſſus fuit, et in aliis ſanctis viris, quos novi. Bene vale & reſcribe, an exhibitus ſit hic faſciculus: die VIII. Octob. Anno M.D.LVIII.

Joachimo Camerario Pabergenſi S.D.

Ep. 894. EAdem horâ, quâ *Noveſianus* veſter advenit, literas à Principe *Palatino Uvolgango* accepi, quibus petit, indicari viros idoneos ad eccleſiarum G gubernationem, & mittit ſtipendiorum deſcriptionem. Scripſi igitur ad eum de hoc *Noveſiano*, cujus ætas eſt idonea: ſed ipſe narrat ſe propter familiaria quædam negotia in patriam properare. Habet tamen à me literas & ad *Palatinum* & *Heresbachium*. Quod vitavi alterum colloquium aulicum, mihi non eſt ingratum, ἤμελλε γὰρ αὐτῷ ἀπρεπὲς εἶναι τῶν ἐν τῇ ἀκαδημίᾳ. Ego illud *Pſalmi* potius duco: *Jacta curam tuam in Deum, & ipſe te ſuſtentabit.* Spero Filium Dei nobis affuturum eſſe, & ut nos gubernet & protegat, toto eum pectore oro. Semper horribilibus fluctibus ejus cymba quaſſata eſt, inter quos tamen, gemitus tales exaudivit, quales et ſanctiſſimæ conjugis tuæ vides, et ego vidi tuæ filiæ. Mitto tibi epiſtolam *Pannonicam* heri allatam. Bene et feliciter vale. Filius Dei vires corporis et animi conjugis tuæ confirmet.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

CUm Dei beneficio rediiſſemus ſatis quaſſati in itinere, acceſſit ad me *David* reverſus ex *Boruſſia*: Laudat et Principis beneficentiam, et *Joannis Aurifabri* fidem, et erga ſe eximium ſtudium. Habet à Principe ad te mandata. De *Andrea Aurifabro* ſcripſit *Stoius*, cujus tibi mitto Epiſtolam. Doleo eum nondum ἀκμάζοντα ſuis ereptum eſſe: Fratris etiam luctus mihi dolorem affert, de quo *Anglicus* Epiſcopus, vir modeſtiſſimus, mihi ante ſemeſtre dicebat, ſe in tota vita meliorem virum non vidiſſe. Talem προστάτην ſeu potiùs ὑπηρέτην cum habiturus ſit *David*, hoc exilium feret facilius. Deum oro, ut nos protegat et gubernet. Bene vale, quarto Idus Januarii. Anno M.LIX. Ep. 895.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

MItto iſtuc duas epiſtolas ex urbe *Amberga* huc miſſas, quas cum legeris, exhiberi volo Doctori *Mordiſio*, et Doctori *Franciſco*. Prodeſt enim aulam ſcire, et quid factio nobis inimica moliatur, et qualia ſint de illis judicia modeſtiorum hominum. Mea pericula non magnifacio, cum puer didicerim *Palamedis* et *Socratis* hiſtorias, ut jam non dicam de exemplis gravioribus, quæ doctrina eccleſiæ proponit. Sed ingenti dolore afficior cogitans de poſteritate. Oro autem Filium Dei ſedentem ad dextram æterni Patris, et agmen æternum ſibi colligentem, ut nos gubernet, et ſervet eccleſias noſtras publicas et domeſticas. Oro etiam, ut honeſtiſſimæ conjugi tuæ vires corporis reſtituat, et mentem veris conſolationibus erigat. Quæſo ſignifices et domeſtica, et ſi quid poſt iter noſtrum audiviſtis de valetudine τοῦ αὐτοκράτορος. Heri etiam audivimus *Iſlebium* dimitti ab Electore *Marchione*. Sed fabellæ μαγγανικαὶ ſæpe ſunt inanes. Bene et feliciter vale, quinto Idus Januar. Anno M.D.LIX. Ep. 896.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

JUdicem te potiùs de doctrinis eſſe volo, quàm de vino. Sed tamen quia et τὸ γνήσιον τῆς φιλίας σου probo, et ſcio te libenter meis gratificari, hoc etiam officium abs te peto, ut nobis tuo judicio emas ſeu *Rhetici* vini Lagenam, ſi quod tibi placebit, ſeu duas Amphoras κιῤῥοῦ οἴνου, cui ab Anſerini pedis colore nomen noſtri tribuunt. Duodecim Joachimicos rectori dedi, precium pro vino, ac juſſi ipſum addere, ſi plus numerandum eſt. Quæſo ut has meas ineptias, pro tua ſapientia noſtræ amicitiæ condones. Hanc rem aliis mandare nolui, τοὺς φθόνους aliorum metuens. Heri amicus guſtum nobis miſit *Marchicarum* diſputationum, quas tibi mitto. Sed tu vinum purius mittito. Ep. 897.

Spero

Spero Deum nos protecturum eſſe, ut Juventutis A
ſtudia ad ſimplicem veritatem à talibus præſtigiis Sophiſmatum abducamus, & eum toto pectore oro, ut nos gubernet & protegat. Bene vale, XVIII. Cal. Feb. Anno M. D. L I X.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 898. NOn tantum Senectæ moroſitate, ſed dolore magis inter tantas generis humani confuſio- B
nes, abhorreo ab omnibus ſcriptionibus. *Lutetiæ* crematus eſt *Burgius*, quem audiviſti captum eſſe, quòd moderatam ſententiam dixerit de ſtudioſis veræ doctrinæ. In *Germania* non videtur hic annus tranquillus fore. Sed confugiamus ad filium Dei. Scribit mihi ex urbe *Spira* meus affinis, certò novum Pontificem confirmâſſe *Ferdinandi* electionem. Nomina etiam recitat Cardinalium qui adhibiti ſunt. Hæc novi Pontificis ſapientia magis laudanda eſt, quàm *Caraphæ αὐθάδεια*. Scri- C
ptum noſtrum mitto, de quo ſtatues tuo arbitrio. Mitto & epiſtolam ad doctores Juris, qui me vocârant. Sed non ſolùm horridos flatus metui, quos ſcis me libenter vitare, ſed etiam horridiora ipſis Boreis negotia me retinuerunt. Reſpondi enim his diebus περὶ γαμικῶν τινῶν ζητημάτων. Et hodie de aliis reſpondere cogimur. Bene & feliciter vale cum tota eccleſia veſtra communi & domeſtica. Die X I I I I. Februarii, Anno Domini M. D. L I X. D

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

Ep. 899. QUid ſcribam, niſi vota, nihil habeo. Oro Filium Dei, ut & communem eccleſiam, & domeſticam eccleſiam tuam ſervet, & honeſtiſſimæ conjugi tuæ & tibi vires corporis & animæ confirmet. Aula miſit nobis mandata de ſcripto doctoris *Tetragoni*. Neceſſe erit igitur nos reſpondere. Heri *Colonienſe* συκοφαντικὸν accepi, & audio E
Staphylum ſimile ſcriptum edere. Interea iſte δὶς δύο, ἢ μετὰ δυοῖν πολλαπλασιαζόμενος, pulchrum eſſe ducit, majores dilacerationes facere. Scribam aulæ, ut me dimittant, ut in alio loco reſpondeam. Omnino fluctibus cymba noſtra concutitur, ut illa in narratione Evangelica, ſed clamemus, κύριε σῶσον ἡμᾶς. Bene & feliciter vale, die natali, quo climactericum annum, qui utinam ſit fauſtus, ingredior. Anno. M. D. L I X. F

Ioachimo Camerario Bambergenſi S.D.

Ep. 900. ORo Filium Dei, ut nos omnes gubernet, & tuæ conjugi vires corporis & animi confirmet. Deo juvante adducam *Eſromum* & ejus filiam, propter vos. Meus gener *Dreſdam* acceſſitus eſt, non opinor medicationis cauſâ, μηχανᾶσθαι τινας ἄλλα οἶμαι. Sed commendemus eccleſiam & nos Deo. Affert aulicis noſtram reſponſionem περὶ συκοφαντικῶν παραλόγων γεγραμμένων ἐν τούτῳ τῷ ἔτει. Hodie accepi literas ex Academia meæ patriæ de G
rixis, quas ibi multæ furiæ accendunt, quos in mentem tibi venire puto. Novo Principi cives obedienter jurârunt. Bene vale, die decimo Martii. Anno M. D. L I X.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D. A

COmmendemus Filio Dei Domino noſtro *Jeſu Chriſto*, & eccleſiam, & nos, & familias noſtras. Quantulum enim loci eſt, ſi quidem eſt, noſtris conſiliis? Oro igitur Filium Dei Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, ut tibi & honeſtiſſimæ conjugi tuæ vires animæ & corporis confirmet, & Ep. 901.
B nos omnes gubernet & protegat. Hodie dimiſi nuncium quo à *Sigiſmundo Gelo* literas attulerat. Scripſi abs te hìc lectas eſſe. Poſtea huc venerunt amici, qui petunt ſcribi πρὸς τὸ συνθεῖν τῷ νῦν τετραγώνῳ. Scribam ipſe, & adjungam [illegible]. Auget hæc res mihi dolores meos, pluſquam mei filioli morbus, quem tamen ſcis à me diligi. Sed teneamus hanc conſolationem: *Invoca me in die*
C *tribulationis & eripiam te.* Bene & feliciter vale, & huic meo miniſtro aliquid dec literarum, de tua & honeſtiſſimæ conjugis tuæ valetudine, die X X. Maii. Anno M. D. L I X.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

S*Igiſmundi Geloi* epiſtolam poſt tuum iter allatam, tibi mitto, quia lectionem ejus tibi minus inſuavem fore cogitabam, quàm aliorum Ep. 902.
D ſcriptorum περὶ ὀπλοφαλίζοντων. *Demetrius* qui attulit eam, triennio fuit Diaconus in eccleſia *Byzantii*, ut narrat. Nec indoctus eſt, nec futilis. Hortabor, ut cum primùm fieri poterit, ad te quoque accedat. Heri huc à ripa *Sala* advenit gener fratris *Franciſci*, vir doctus, qui lector ibi in Academia fuit. Sed adempta eſt ei lectio. Nihil de his ineptiis ſcribere libet, quia hæc eſt [illegible], quam ſequentur alia majora. Oro autem Filium Dei, ut & tibi & honeſtiſſimæ conjugi tuæ vires
E animæ & corporis confirmet. Quàm primùm potero, ad te excurremus, ubi gener meus poterit iter facere. Bene vale, die XXIX. Maii. M. D. L I X.

Joachimo Camerario Pabergenſi S. D.

ETſi in hac tanta mœſticia temporum, minùs dulcia ſunt doctrinarum ſtudia, tamen ſperemus Deum ſervaturum eſſe ſuas aliquas reliquias. Hanc unam tenemus ἱερὰν ἄγκυραν ut ſcis. Quare Ep. 903.
F laboribus juniorum bene precemur. Diſputabunt hic meus gener, & ejus παραστάτης, quinto Cal. Julii. Poſtridie & renunciatio fiet gradus. Si liberet expatiari, vellem te & *Uvolfgangum* & *Baldaſarum* adeſſo, vóſque oro, ut ſi non retinent vos magnæ cauſæ, adveniatis. Si aliud nihil affert hic congreſſus, tamen illud non contemnendum eſt: εἰς ὄμματα φίλων ἀνδρῶν εἰσβλέπειν γλυκύ. Bene & feliciter vale, et reſponde per hunc adoleſcentem. Nono Cal. Julii. Anno M. D. L I X.

G

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

NOn audeo te in hac communi et ingenti mœſtitia accerſere, ac nè cogitare quidem poſſum aut quid ſcribam aut quid petam. Tanta eſt magnitudo doloris mei. Sed ſi veneris ad diſputationem, gratiſſimus erit conſpectus tuus. Notæ ſunt utrique noſtrûm hiſtoriæ veteres, quæ quidem Ep. 904.

quidem *Latinis* & *Græcis* literis ſcriptæ extant. A
Sed ſimile nihil legimus, ubi tali Sophiſtica violenta conſilia tecta ſint. Hæc eſt orci galea quam ſomniavi. Sed oro Filium Dei ut leniat has magnas miſerias. Bene & feliciter vale. Expecto vel te vel tuas literas, atque utinam amicos aliquos adducas. Pridie *Johannis Baptiſtæ*. Anno M. D. L I X.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D. B

Ep 905. CRedo λόγον Filium Dei cuſtodem fuiſſe familiæ *Jacob*, ſicut inquit Senex: *Benedicat Deus pueris his, & angelus qui eripuit me ex cunctis malis*. Ac voci ipſius Filii Dei confirmatæ reſuſcitatione mortuorum credo, cum dicit: *Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi*. Oro igitur ipſum Filium Dei, Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum* crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, ut te & ecclesiam tuam domeſticam, & comites tuos ſervet C
incolumes. Et nos omnes gubernet. Optatim me comitem eſſe poſſe itineris veſtri. Sed ſcis me tantiſper alligatum hìc hærere, donec me Deus volet ex hac vita, vel ex hoc carcere educere. Reverſus etiam literas accepi, quæ narrant mirabilibus technis hoc agi à *Flacio*, ut hinc expellar. Hac de re διαῤῥήδην ſcribam ad aulam, & oro Filium Dei, in quo σωματικῶς habitat divinitas, ut nos omnes gubernet, & ut regat conſilia veſtra de filia. Bene vale. Quarto Idus Octobris. Anno Domini D
M. D. L I X.

Ioachimo Camerario amico S. D.

Ep. 906. MAgis delectatus ſum literis tuis, quas poſt iter meum ad me ſcripſiſti, quàm cœnâ illâ delectatus eſſem, de qua ſcribis. Etſi enim doloris tui ſignificationem oſtendunt, tamen non feris lenit ſocietas luctus aliorum, triſtitiæ magnitudinem. Apud *Ezechielem* vetat interfici Deus eos E
qui gemunt propter prophanationes, etiamſi opitulari eccleſiæ non potuerunt. Ità non dubitemus & noſtra vota & noſtros gemitus Deo probari, & petamus, ut ipſe Filius Dei vulneribus eccleſiæ medeatur, & noſtro loco utilia doceamus. De tumultu Academiæ meæ patriæ literas expecto eo avidiùs, quia *Heſhuſius* credo ἀντιζηλῶν, nondum disertè promittit *Hildeſius*, qui eum vocârant. Exiſtimo eum niti συμμαχίᾳ βλακώδει. Sed Deum oro, ut nos gubernet. Bene & feliciter F
vale. XIII. Cal. Novembris, qui *Ebræis* eſt Kiſleu, id eſt, ἀμείνων. Anno M. D. L I X.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 907. TEait Deus filias noſtras in itinere ſicut ſcriptum eſt, *Angeli eorum vident faciem patris cœleſtis*, cui eo magis agamus gratias, quia paſſim multa triſtia ſpectacula cernuntur. Cum ad *Plaſticen* veniſſemus, audiebamus pridie pagum G
vicinum *Udenhuſen*, incendio periiſſe, & ruinis oppreſſam eſſe mulierem cum quatuor pueris. Tam triſtem caſum ne nunc quidem ſine magno dolore cogitare poſſum. Significationes etiam metuo. Sed oro Filium Dei ut pœnas mitiget. *Caſpar* meus gener ex aula attulit ζητήματα περὶ ἐξουσίας τοῦ ἀρχιερέως ἐν ἀρχαιρεσίᾳ τοῦ αὐτοκράτορος. Mittit enim ipſe Imp. ad Principes, & ſciſcitatur ſententias. Quàm tetra eſt hujus deliræ ſenectæ mundi confuſio! Sapientia Pontificum ſenire publica mala debebat. Horum furiæ magis etiam augent. Miſit nobis *Macedo* reſponſionem de libro ſcripto ἐν αἰνίγμ. καὶ ἐν ὕπνῳ. Et cenſura eſt ſatis libera, quàm meus gener vobis mittit, nunc enim retinetur filii morbo. Varii me labores reverſum exceperunt. Ideo ſcribo breviùs, & Filium Dei oro, ut honeſtiſſimæ conjugi tuæ vires animæ B
& corporis confirmet, & eccleſias noſtras publicas & domeſticas protegat. Bene vale. die XX I I. Martii. Anno M. D. L X.

Ioachimo Camerario Bambergenſi S. D.

FAcundus comes in via pro vehiculo eſt. Adjunge igitur *Sadoletum* cum *Francicum* iter ſuſcipies, niſi venit ille illuc tardiùs, id quod de indicatione conſilii tui verebamur. Hujus dulciſſi- Ep. 908.
C mis ſermonibus lenietur itineris moleſtia, cum per *Thuringiacum* ſaltum, & *Nariſcos* tuos eundum erit. Etſi te quidem habiturum comitem *Ballerhodum* audimus, cum quo ita erunt multa quæ voles ac cupies loqui, & tantam de illius συμφιλιῶν, capies voluptatem, ut neque deſideraturus aliam ſublevationem, neque interpellationem ullam admiſſurus eſſe videaris: Verum in præfectura hunc ſortaſſe relinquetis. At inde etiam qui vos proſequantur, habebitis notos homi-
D nes, & tui inprimis amantes. Venies etiam ut opinor, ad præfectum *Regiomonti*, cujus humanitas & ſuavitas atque profectò etiam ſapientia, non relinquet locum alienis diſputationibus. Nam illic quò tendis, ſcio tibi tales curas, negotiorum tuorum occupationibus & chariſſimis tibi amici colloquiis penitus excuſſum iri. Sed tu habes *Sadoletum* quem voluiſti. Mihi quidem nuper iſtinc reverſo domum, reguſtanti ſcriptum, placuit conſilium operis & imitatio antiquitatis. Ac de utra-
E que re, vel potiùs de toto opere tuum judicium ad nos perſcribes. *Caſparem* hoc tempore hinc expatiari, moleſtè ferebam, cum inſtaret ἀρχαιρεσία, in qua χειροτονία ipſius poterat me novâ ſolicitudine liberare. Hanc epiſtolam, ſi accipies ante iter tuum, fac reſcribas nobis priuſquam proficiſcaris, hoc mihi erit gratiſſimum. Etiam ex itinere velim φοιτᾶν πρὸς ἡμᾶς literas tuas, non ſolùm ad levandam ſolicitudinem meam, quam reliquit nobis tua peregrinatio, ſed ἵνα φιλῶν ἂν ἀφαιροίην.
F Bene & feliciter vale cum familia univerſa. Pridie Iduum Octobris.

Ioachimus Camerarius Philippo Melancthoni viro clariſſimo S. D.

HÆc ſcripſi cum jam eſſet deponenda provincia, vel, ſi mavis, abeundum magiſtratu ſemeſtri noſtro. Accepi autem literas unà cum libro à *Caſpare* noſtro tuas, ad veſperam heſterni diei, Ep. 909.
G quo tempore *Caſpar* unà cum *Eraſmo* ad nos venit, ac tum quidem librum inſpexi, ſed quod cum gratiſſimis hoſpitibus colloqui de pluribus cuperem, & omnibus penè momentis interpellarer, ab iis, quibus negotii aliquid coram, me erat, legere nihil potui. Poſt cœnam autem ad lucernam ſanè multas pagellas confeci, ac præclarum mihi ſcriptum viſum eſt. & conſimile aliorum hujus autoris hominis politiſſimi, etſi quædam in ſumma

diligentia

diligentia eruditionis illius deſidero. Concedatur enim hoc & nobis, ut judicium faciamus, & de hominum & de ſcriptionum genere iſto, vel ſi illa, quaſi divinitas ſuſpicienda tantum eſt nobis, veluti ἀρχέτυπον, laudentur ſanè & pulcherrima eſſe perhibeantur univerſa; ſed de his coram aliquando. Meum iter adhuc differtur, remorante nos *Ballerbado*, qui primùm terrore quodam narrationis illud retudit, nunc ceſſatione ſuâ retardat. Conſtituimus tamen ad diem proximum XIIII. Cal. Novemb. illud nos ingreſſuros eſſe. Te vix putant huc venturum ad nuptias, futurum enim iſtic dictatorem, ut tu appellas. De libro ſcire cupio cujus ille ſit, ut precium ſolvatur, nam volo eum retinere. Nunc ad te venio cum petitione parva illa quidem & facili: ſed quam obtineri plurimum intereſt ejus, cui nos hanc operam damus. Res autem hæc eſt: Noſter Papa, is vir, quem de ſermonibus noſtris cognoviſti, id eſt, pius, probus, diligens, ἀχρήματος. poſt editum à me permiſſu tuo *Grammaticæ Græcæ* libellum, etiam *Latinum* emittere parat, eum quem *Micyllus* noſter veriſſimis à te ornatus laudibus, quondam dedit nobis aliquanto pleniorem. Hoc fieri te ſciente & conſentiente mirificè vult, & laborat, & in hoc non tam ſucceſſum omnem editionis ſitum eſſe, quàm exiſtimationem ſuam verti arbitratur. Confugit igitur ad me, & interceſſorum me ſibi eſſe expetit. Quapropter te, mi *Philippe*, vehementer etiam atque etiam rogo, primùm ut in hac re Papæ deſiderio obſequaris, deinde & mihi gratificeris, qui illi optimè cupio, vel ſi tu aliter cenſeas, de hoc etiam me reddas certiorem. Vale, mi ſuaviſſime *Philippe*. Noſtra familia peramanter te & tuos omnes ſalutat. Te verò officioſiſſimè G. Comes noſter. Iterum vale. XVII. Cal. Novembris.

Ioachimo Camerario Pabergenſi S. D.

Ep. 910. SUnt quidem Scholaſtici magiſtratus opinione multorum neque dignitate præſtantes, & laborum atque periculorum ſingularium expertes: Utque doctorum ſapientia χαλεπὸν οὐκ ἔχον perhibetur; ita horum inter ipſos adminiſtratio lenis, & placida, & tuta eſſe creditur. Tu tamen profectò & ſenſiſti nunc etiam, quanta moleſtia ſit ἐν τῇ ἀρχῇ, & ſemeſtre tuum finitum eſſe valde lætaris. Atque eſſent fortaſſe in noſtris πολιτεύμασιν facilia omnia, ſi non Scholaſticus ordo iniquitate quadam vel hominum vel temporum graviter laboraret. Experimur enim indies magnas & difficiles adverſationes, cum quibus nobis eſt luctandum, impari quidem apparatu, & admodum diſſimilibus copiis. Nam quibus nos rebus inſtructi ſumus, id eſt, humanitate & literis & mediocri eruditione ac doctrinâ, eæ neque firmæ ſatis ad protegendum, neque validæ ad defendendum reperiuntur hoc tempore, quo animi hominum divitiarum & potentiæ ſplendore capti, favoris & exiſtimationis quaſi viribus deſtitutas illas imbecilles & ἀπράκτους relinquunt. Nam quod ſit adverſariorum robur, quæ & quàm denſa agmina, quæ virorum armorúmque inſtructio, nihil eſt neceſſe perſcribi, præſertim ad te, quem certiùs omnia quàm velles, non audiendo, ſed experiundo comperiſſe ſcio. Atque utinam eſſet inter eos modò concordia & animorum voluntatúmque conſenſio, quorum unus ordo eſt, καὶ μία τις οἷον συμμαχία, neque in profeſſione pulcherrima optimarum literarum & artium uſurparentur alieniſſima ſtudia pertinaciæ & malevolentiæ: ita enim melius vel cedendo vel dimicando, ſi opus eſſet, ſalutem poſſemus tueri, nam dignitatem quod ſperemus nihil eſt, quam prorſus amiſimus. Dicit noſter civis *Demoſthenes*, locupletem eſſe Rempublicam eam, quæ ſocietate & fide & benevolentiâ augeatur, quibus noſtræ ferè communitates nequaquam abundant. Sed hæc de quodam ſenſu miſeriæ noſtræ copioſiùs diſputavi quàm debui. Et cogitandum nobis eſt, cum noſtra delicta, tam prioris quàm quotidianæ vitæ mereri animadverſionem quandam in nos, tum certo quodam conſilio connivere interdum Deum ad hominum audaciam & ſcelera, ut quemadmodum dicit idem, cujus paulò ante memini, *Demoſthenes*, ſibi in conſideratione ſummæ clementiæ *Athenienſium* ſæpe ſubiiſſe, φοβεῖσθαι μέντ᾽ ἂν μὴ τὰ πράγματα ἐλαύνῃ. ita nos certò ſtatuamus hæc mala, quorum partim dolore, partim metu exercemur, non exiſtere fortuitò, ſed certis de cauſis à Deo immitti generi humano, & permitti ut Diabolus autor calamitatum, ſæviat aliquando in terris immaniùs. Ac cum nos cupiamus eſſe in eorum numero, qui *Chriſti* primùm ipſius, deinde Apoſtolorum præconio convocati fuere, & nunc etiam verbis illorum convocantur, qui eſt cœtus *Chriſtianus* & eccleſia Dei, non querelis & nos & alios defatigare, ſed hoc agere et perficere debemus, ut veritatem colamus, et fidem Deo præſtemus, et freti miſericordiâ illius conſiſtamus quiſque ſuo loco, non ſolum fortiter, tanquam in acie pugnaturi, ſi neceſſe ſit, ſed perpeſſuri etiam quæcunque oblata fuerint, ſcientes Deum, qui propter Filium nos benevolentiâ ſuâ complexus fuit, non poſſe à nobis eſſe alienum. Et hunc conſervaturum *Chriſto* ſuo proprium cœtum, in quo ipſius caritas et merita, ac beneficia ineſtimabilia perpetua prædicentur, et laudetur ipſe Pater Domini et liberatoris noſtri *Jeſu Chriſti*, cum ſancto Spiritu. Hic neque durare neque conſtitui ſine ſcholaſticis conventibus, et bonarum artium cultura poteſt: Quapropter idem Deus noſter etiam harum curam geret, & perficiet, ut aliquas ſedes habeant, in quibus exerceri atque tractari poſſint. Nam ſi quid eſt vitii in re, vel ſi qui docti aut à cognitione et honore Dei ſeſe avertunt, aut ad veritatem oppugnandam convertunt, de iis judicium relinquamus τῷ μόνῳ ἀληθεῖ κριτῇ, quem neque fraus ullius fallere, neque improbitas effugere poterit: noſtrum verò quiſque veluti in acie ac caſtris ſuum locum teneat, et exequatur munus ſuum. Omnes autem ſpe certâ nos ſuſtentemus amoris Dei erga nos, propter *Chriſtum*, qui venit in hunc mundum, ut deformes peccatis, et ſceleribus pollutos, et flagitiis inquinatos ablueret et mundaret. In hujus igitur fide, illa quam dixi, ſpe nos conſolemur, et precibus incumbamus, invocantes opem Dei noſtri, in his communibus tantis miſeriis et ærumnis propriis noſtris. Nequaquam autem exiſtimemus in ſtudiorum noſtrorum etiam exordiis et primis elementis verſari, aut Deo minùs gratum aut nobis inhoneſtum eſſe. Imò hæc ipſa fundamenta fideliter et accuratè collocemus, ſuper quibus aliquando ædificia præclara doctrinæ extruantur, ut puer poſſit perdiſcere ea, quibus μετ᾽ ὀλίγον ἀνὴρ γενόμενος utatur, neu

requirat

requirat tum, ut multis accidit, quaſi ἐφόδιον do- A
ctrinæ, cum in medio jam itinere verſabitur. Itaque neque me piguit puerilia ſtudia etiam Grammaticis præceptiunculis inſtruere, neque illius operæ pudet.

Tibi quidem ago gratias cum meos libellos edi curas, & dexteritatem Chalcographi veſtri tuâ induſtriâ adjuvas. Neque admodum laboro, utrum judicio vero, an benevolentiâ tantum mihi
tribuas; neque facilè dixero, utrum majorem mi- B
hi voluptatem allaturum eſſe videatur. Legi etiam nuper epiſtolam tuam, quam libello noſtro *Grammatices Græca* præponi voluiſti, ſcriptam perbellè: atque mihi valde placuit voluntatis tuæ conſtantia erga hanc partem, quæ contemnitur & parvi fit à plurimis. Nunc quidem quod petis, ut obſequar deſiderio Papæ, & tibi gratificer, in eo & libenter & cupidè morem tibi geram, imò permitto veſtro arbitrio totam editionem libelli
mei, de quo quicquid egeritis, id recipio me ra- C
tum firmúmque habiturum, vel etiam, ut ἁπλούστερον dicam, magnopere & per omnia probaturum eſſe. Ac me cum hoc ſtudio veſtro ornari conſtet, quod tam ſolicitè peteres veniam editionis, nihil erat. Quis enim eſt, qui ſoleat refragari honori ſuo? ἐπεὶ γὰρ δὴ κἂν θεῶν γένοιτο τόδε, τιμώμενοι χαίρουσι ſecundùm ἑλληνικὸν φιλόσοφον. Sed de his ſatis. Scripſi autem Papæ, ut cumulatè ſatisfacerem voluntati veſtræ. Etiam dubitabam, an perventuræ eſſent
iſtuc literæ meæ ante diſceſſionem tuam, etſi eram D
in ea opinione, te omninò *Ballerbodum* expectaturum, neque ſine illo vel duce vel comite iter iſtud ingreſſurum eſſe, ad quod quidem quod attinet, cupio te feliciter illo confecto quàm primùm redire ad tuos, καὶ πρὸς τὴν χαλαστικὴν παλαίστραν, cujus humilitate & pulvere ſcio, neque præſtantiam neque ſplendorem ullum eſſe potiorem animo tuo. Deus Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti* te cuſtodiat. Vale. Tuam familiam univerſam amanter ſa-
luto. Comes noſter in animo habeat ſententiam E
Ariſtotelicam, ὅτι ὁ διαφέρων ἐξοχῇ ἀρετῇ τῶν ἄλλων ὥσπερ θεὸς ἐν ἀνθρώποις ἐστι, quo magis amet diſciplinam, & gratias agat Deo, cum copiam ipſi fecit evadendi, εἰς ζῷον θειότατον, τυχόντι παιδείας ὀρθῆς, ut ait *Plato*. Iterum vale. XV. Calend. Novemb. id eſt, altero die poſtquam tuas acceperam.

Philippus Melancthon honeſto V. Valentino Papæ Chalcographo Lypſenſi S. D. F

Ep. 911. SIgnificavit mihi *Joachimus Camerarius*, cui tuam diligentiæ & induſtriæ operam valde probari intellexi, te cupere hoc tempore emitte-
A re in officina tua elaboratum libellum *Grammaticæ Latinæ* meum, ita quidem ſi hoc mihi non contrarium futurum ſit. Ego verò, etſi pro ea amicitia quæ mihi cum *Joachimo* tot annis intercedit, quicquid de illius conſilio feciſſes fueram comprobaturus, tuâ tamen moderatione ſum delectatus; Neque tibi ſolùm libenter permitto, ut hunc libellum meum edas, ſed cum alios meos jam tuis typis expreſſiſti, ago tibi gratias: atque ſi potero,
B adjuvare conatos tuos non patiar requiri ſtudium meum. Quinetiam prooemium non recuſaviſſem ſcribere, ſi paululum modò ocii ſuppeditaviſſet. Nam ego hoc tempore gravibus & moleſtis negotiis ſum occupatiſſimus. Velim à *Joachimo* aliquid ſcribi. Sed de his vos ſtatuetis: quicquid autem feceritis, hoc me non ſolùm probaturum, ſed gratum etiam & acceptum habiturum eſſe polliceor. Vale, XV. Cal. Novemb.

C

Philippus Melancthon Joachimo Camerario.

D*Ivinas* Joachime *conciones* Ep. 912.
Donamus tibi Rhetorum duorum,
Facundo quibus ore Dii dederunt
Ingentes regere & tueri Athenas.
In ripa veluti ſolebat Hebri
Orpheus *carmine flectere efficace*
Et mulcere feras, virentibúsque
Ornis indere quercubúsque mente:
Plebem non aliter tenent ſequacem
Hi, leges quoties foro frequente
Condunt, & minitantur improborum
Vim juſtam temerario furori,
Et donant melioribus ſalutem.
Aut cives pia cum vocant ad arma,
Ignavaque adhibent faces coronæ:
Aut cum reddere dulce civitati
Optatúmque diu ocium laborant.
Deberi tibi lucubrationes
Jure exiſtimo talium virorum,
Unus qui evehis Atticis Athenis
Ad duros Alemaniæ *colonos*
Priſcarum monumenta literarum,
Longúmque ex Helicone *ducis agmen*
Muſarum, tibi quæ recentiores
Contexunt hederáſque lauréſque,
Cantúque Herciniam *novo ferocem*
Te lenire jubent, & imprecantur
Immortale decus tibi Joachime.

ANNO CHRISTI M.D.XXIII.

Philippi Melancthonis Epiſtolarum Finis.

AUCTARIUM EPISTOLARUM

EX THOMA MORO.

Thomas Morus D. Eraſmo Rot. viro optimo atque doctiſſimo S. P.

Epiſt. 1. ECquid vidiſti unquam, *Eraſme* optime
atque doctiſſime, ſuaviorem quenquam
quàm ſit hic noſter *Brixius?* qui ſimulat-
que ipſi quicquam diſſimulare libet ,. reli- C
quos idem mortales omnes ſatis elatum putat.
Nam quando homo quantumvis ſtupidus non
ſentire nou potuit, quàm eſſet abſurdum , odio-
ſum , infame , ſine cauſa quenquam jurgiis &
conviciis impetere : iterum atque iterum narrat,
inſigit, inculcat, epigrammatibus meis provo-
catum ſe defendentis tantum partes obtinere, ut
diris & execrationibus impetitus, non niſi jocis
contrà , ſalibus & facetiis repetat adverſarium.
Cæterùm de petulantia, mendaciis, probris, D
quibus omnem prius provocârat *Angliam* , ver-
bum interim nullum, ut nec de eo quidem, quòd
quæ ſimultas olim inter nos agitata fuit in me-
diis belli tumultibus , eam ille jam olim mor-
tuam , nunc demum in ſumma pace redintegrat:
Et ſic agit homo *Phormiana* confidentia, ut
quum ſuam cauſam facilè ſentire poſſit, nulli
non eſſe damnatam , qui quidem rem pernôrit :
tamen velut eam bene ac dilucidè quibus opor-
tuit Judicibus approbâſſet , jam ſuo jure ſcilicet E
quidvis debacchetur in me , & totam pectoris ſui
ſentinam lepidus & facetus exhauriat : qui poſt-
quam unum atque alterum epigramma ſcriptum
joco , ſtatuit habendum eſſe pro diris , tanquam
dixiſſe modò , foret omnibus prorſus perſuaſiſſe :
ſimul perſuaſit ſibi rem ſe plauſibilem facturum ,
ſi paucos verſus & adverſus petulantiſſimum ejus
libellum & in bellico tumultu ludentes olim,
nunc denique tot annis poſt factam ac firmatam
pacem , in quanta nunquam fuit ullorum popu- F
lorum concordia , libro virulentiſſimo repende-
ret : ſperans videlicet neque tam oculatum fore
quenquam, ut id poſſet cernere ad quod ipſi li-
bet connivere , neque tam importunè ſeverum
Judicem , ut aliud exigat probamentum quàm
narrantem *Brixium*, præſertim ſuæ cauſæ æqui-
tatem tanta cum fiducia jactantem. At mihi
certè viſus eſſet aliquanto minus impudens, ſi has
ad populum tantum phaleras expoſuiſſet : in quo
reperire potuiſſet aliquos quibus res adhuc eſſet G
incognita , multos quibus alteruter noſtrùm ,
quoſdam quibus vel iniquè placent rixæ , ac non
hoc pacto hos ejuſmodi ſeſe jactaret ephippiis a-
pud te , qui non tantùm proram puppímque cer-
taminis (niſi non legiſti *Chordigeram* : nam cæ-
tera legiſſe te ſcio) verumetiam certatores ipſos
intus , quod aiunt , & in cute nôſti : tum cui
ſciat ejuſmodi rixas etiamſi quæ juſtâ ſint exor-
tæ causâ , tamen pro tui ingenii candore atque
humanitate odioſas inviſáſque eſſe, nedum hanc
illius ineptiſſimam , injuſtiſſimam , inhumaniſſi-
mam , & quam abs te vidiſſet epiſtola ad ſe miſ-
ſa , velut præjudicio damnatam , adjectis etiam
tuæ ſententiæ cauſis ; altera in honorem utriuſ-
que civiliter magis excogitata quàm verè , qua-
C ſi nos eſſemus hi quos literarum interſit con-
cordes eſſe: altera certè juſtiſſima, quòd quæ
olim flagrante luſimus bello, ea nunc factâ
pace conveniat obliterari. Ex his cauſis illam
quæ civilior erat quàm verior , quanquam de me
contemptiùs admittit, de ſe tamen candidus at-
que modeſtus agnoſcit : alteram illam quæ tam
vera fuit ut negari non poſſet, diſſimulanter
præteriit , ac rurſus ob oculos fundit provocati-
onis pulverem , quà ſe laceſſitum à nobis & pri-
D us prædicat , & hoſtiliter. Et profectò ſi *Brixi-
us* , ut totus eſt in Metaphoris comicis , ab *Epi-
grammate* meo velut ab epitaſi jubeat hanc au-
ſpicari fabulam , negare non poſſum quem ipſe
provocaverim. Sin communi more patietur ad-
di ſuo loco protaſim , non erit opinor ambigu-
um , quòd nihil habeat comicum illius turbu-
lenta cataſtrophe. Nam primùm quis non ad-
miretur inſignem impudentiam toties occla-
mantis priùs laceſſitum ſe : quum ſciat interim,
E ſuam paſſim proſtare *Chordigeram* , quam non fu-
iſſem proſequutus *Epigrammate*, niſi noſtram
gentem totam mendacibus impetiſſet conviciis?
Qua in re quid comminiſci poteſt quod iſti præ-
tendat calumniæ ? an quòd *Epigrammata* mea
præceſſerint ejus libellum , quum non ad aliud
quàm ad ejus libelli ludant inſcitiam, furta,
mendacia ? Aut , ut eſt acutus rhetorculus, con-
tendet in *Chordigera* nihil eſſe convitii ? At i-
dem quantumvis impudens , non negabit in pri-
F mo limine *Chordigera* omnes fœdifragos vocare
ſe , & petulanter appellare perjuros. Et tamen
audet præfari , olivam ſeſe mediis in armis geſ-
ſiſſe, homo nimirum ſic affectus erga mendacia;
ut perjurium quoque & fœdifragium habeat in
blanditiis. An nihil ad me pertinuiſſe cenſet,
mendaciis & calumniis ab illo laceſſitam patri-
am , quòd ipſe non attingar nominatim ? Nam
id videtur innuere, quaſi non hac ratione, atque
adeò eadem præclarâ oratione latroni liceat in
G jus vocare viatorem, à quo ſit fortaſſe repulſus in-
clementiùs, cùm non illum impeteret, ſed inſidi-
as tentaret pecuniæ. At fortaſſis etiamſi non in il-
lum priùs, ſaltem ſcripſi acerbiùs. Eſt enim & in
ulciſcendo modus. At ego, *Polyphemus* barbariem
imitatus, præ ſtomachi rabie *Brixium*, alterum vi-
delicet *Ulyſſem*, diris & execrationibus inſectatus
ſum. Ita ſanè diſputat , nihil habens penſi quàm
falſò. Nam eo ſolatur ſe, quòd ſperat fore multos

quibuſcum rem totam non didicerint, iſta facilè perſuaſerit, atque ita ſine pugna vicerit: apud te verò & ſi qui ſint conſcii, ſatis habet ſi conſequatur id laudis genus. Ni cauſam nôſſem, putarem vera hunc loqui. At ego aut veritate me tuebor, aut vinci potiùs volo, quàm Judicis ignoratione vincere. Quamobrem non imitabor hac ſanè parte *Brixium*, qui verſus meos in *Abyngdonium* (quos per jocum effutiveram ut cujuſdam aſininas auriculas demulcerem, quòd ei nihil placeret abſque conſonantiis rhythmicis) in extremo limite inſanæ *Sylvæ* ſuæ collocavit, ademptis duobus *Epigrammatis* meis in idem argumentum, quibus illorum jocus verſuum aperiebatur. Quare nihil efficere potuit magis ſycophanticum. At ego certè contra faciam. Nam & *Chordigeram* curabimus excudendam, & *Epigrammata* noſtra ſubjungemus. Quin adjiciemus & *Sylvam* ejus, nè quid cauſetur ademptum: atque hoc pacto ſpero me facturum, nè ſit arduum atque acclive literatis omnibus judicare, an tam bonam habeat cauſam quàm habere ſe jactat atque gloriatur *Brixius*. Nam cùm nos perjuros appellâſſet ac fœdifragos, cùm totam rei ſeriem in ſuorum gratiam ac noſtrum probrum, ut ipſe vocat, fictionibus, ut res verè habet, impudentibus invertiſſet mendaciis, eadémque omnia tam abſurdè tractâſſet, ut nihil unquam quiſquam tractârit abſurdiùs, ita verſibus obveſtiviſſet alienis, ut *Valeriæ Probæ* te putares legere centonas, niſi quòd eas illa concinnè coaptavit, *Brixius* ita conſarcinârat ineptè, ut commiſſuræ tanquam cicatricoſum vulnus extet in modum, aut velut arida ſiti tellus hiulcet: ego non aliud illis *Epigrammatis*, quibus ſe queritur tam capitaliter offenſum, quàm in ea quæ dixi vitia luſi, & certè nihil opinor acerbè: eóque vehementer admiror in quo meorum *Epigrammatum* reperiat illas diras atque execrationes, quas homo lepidus, ut jactat, convertit in jocos. An illud execrationes appellat ac diras, quòd in uno meorum *Epigrammatum* per jocum excuſans ejus mendacia, quaſi nemo redierit è *Chordigera* domum, qui rem ut erat geſta doceret, eum adjeci dignum fuiſſe *Brixium* qui fuiſſet in ipſa nave, ut ſuis oculis rem videret quam eſſet ſcripturus: nè ad eum modum tam turpiter mentiri cogeretur, & falſa pro veris commendare memoriæ? Extra hoc unum certus ſum, nihil unquam reperturum *Brixium*, in quod poſſit tendere ullam vel dirarum vel execrationis calumniam. Quanquam in hoc ipſo aut calumniatur egregiè, aut certè quid execratio, quid diræ ſignificent, egregiè ſeſe declarat inſcium. Erit fortaſſe qui mordaculum putet (& tamen idem ſi *Brixii* expenderit parum *Chordigeram*, ſpero non difficulter ignoſcet) execrationes aut diras haud ſanè quiſquam erit qui vocet, qui quidem *Latinè* ſciet: utpote ad quas nec illud quidem *Martialis* noſtro tam longè mordacius accedit in *Theodorum* vatem, *Brixio* vati fortaſſe non abſimilem, de quo poeta magnum fuiſſe facinus ac Deorum crimen exclamat, quum *Theodori* penates ignis abſumeret.

Non arſere ſimul quòd domus & dominus.

Ego verò, etiamſi dignum duxi *Brixium*, qui, quo vitare tam impudenter mentiendi neceſſitatem poſſet, in media fuiſſet *Chordigera*: non o-

A pravi tamen iſtud ei, nec ignem imprecatus ſum, quem effugerunt etiam multi qui fuerunt in nave. Neque enim quiſque ſtatim imprecatur ea cuilibet, quibus illum cenſet ac pronunciat dignum. Nam & *Brixius* opinor fures dignos ducit ſuſpendio, dignos ducit adulteros, dignos haud dubiè perjuros; à quibus haud ita multis abſunt paraſangis mendaces: nec tamen reor uſque adeò immitis eſt, ut iis omnibus, tantæ nimirum

B parti mortalium, ſemel imprecetur interitum. Quod voti genus ut inclementiſſimum fuerit, ita nec ipſi fortaſſe *Brixio* ſatis tutum. At præter illud *Epigramma* ſuperſunt novem, quorum in primo (id quod etiam verum eſt) admoneo ſimpliciter, ademptum iri ſcriptoribus omnibus fidem, ſi aſſueſcant ipſius exemplo non ex fide, ſed ex affectu ſcribere: duobus in id ludo, quòd *Herveum* fecerit tam prodigioſè pugnantem: uno jocatus ſum in *Brixii* & jactan-

C tiam ſimul & incogitantiam, qui præter alia multa perquàm vehementer abſurda, finxerit *Herveum* de ipſo vaticinantem, velut alumno *Phœbi*, & ut id fieri poſſet, fecerit illum in mediis flammis diu concionantem tanquam in ſummo ocio. Porrò quòd cùm ſervati ſint ex utraque nave multi, ſuccurrentibus noſtrorum naviculis aliquot, ille maluerit univerſos prorſus exurere, quam relictum eſſe quenquam à quo videri potuiſſet audiviſſe quæ ſcriberet. Uno

D alluſi ad eos verſus, quos *Brixius* effinxit in cenotaphium *Hervei*. Duobus ad id luſi, quòd *Brixius Chordigeram* ſuam veterum Poetarum furto ſurreptis verſibus exornâſſet: duobus oſtendi, me mentis & ingenii pluſculum in *Chordigera* cum in inventione rerum tum in diſpoſitione requirere. Hæc cùm ſcripſerim & laceſſitus, & turbulentis temporibus, & verè tamen; nunquam vel edidi vel oſtendi ſola, ſed ita conjuncta cum aliis, ut lectoris cogitatio vel plu-

E rimùm averteretur ab illis, vel non tota certè detineretur in illis: cum ejus *Antimorus* contra nihil profiteatur aliud, quàm in meum nomen non minùs delira quàm contumelioſa convitia. Poſtremò cum accepiſſem id agi ut excuderentur *Epigrammata* mea *Baſiliæ*, ſcis ipſe quid egerim, ut ea quæ in *Brixium* ſcripſeram, unà cum nonnullis emitterentur: quòd quædam mihi non ſatis ſevera videbantur, etiamſi procul abſint ab ea obſcœnitate, quâ fermè ſolâ quorun-

F dam *Epigrammata* video commendari quibuſdam: & ſimul neminem volebam quantumvis juſta de cauſa tantillum à me perſtringi nominatim. Qua in re, quod ad *Brixium* attinet, meum conatum fruſtratum eſſe vehementer gaudeo: adeò ſe declarat dignum, in quem longè alia ſcriberentur. Nam in illis quibus non minùs crebrò inculcat quàm falsò, ſe provocatum prius, & tot probris, tot convitiis, tot maledictis, tot diris, tot execrationibus offenſum capi-

G taliter, ſi ea quæ recenſet invenerit, quanquam ut tum res erant, & illius merita, meum factum potuiſſem omnium gentium jure defendere: tamen agnoſcam profectò *Cyclopis* illam *Polyphemi* barbariem, quam mihi *Brixius* impingit. Quòd ſi contra non invenerit illic ea quæ cauſatur, tunc æquum cenſeo ut agnoſcat *Brixius* eum locum quo de diris objiciat atque execrationibus, ab ipſo fictum totum, ut eſſet ſedes in quam *Polyphemum*

phemum vaſtum ſanè gigantem poſſet admittere: quando adeò illi tam lepida blandiebatur inventio, ut potiùs quàm cogeretur excludere, fingendum quippiam duxerit, in quod poſſit aliquid facetè dicere. Verùm ni cæcior eſſet ipſo *Polyphemo Brixius*, facilè profectò cerneret, eam rem non admodum multum illi parituram gloriæ, ſi diſſimulanter præteriens quod in eum dicitur, alia contra ſe ſubornet ipſe, quæ commodè poſſit vincere. Scripſeram *Epigramma* in quendam noſtratem, qui ridiculè, cùm nobis bellum eſſet cum *Gallis*, in *Gallicos* mores totus abierat. Alio loco, quoniam *Brixius* nos appellârat fœdifragos atque perjuros, tetigeram obiter noſtram cauſam in *Gallico* bello fuiſſe piam & officioſam in Eccleſiam *Chriſti*, cujus vicario ſummus opitulati: *Gallorum* contrà, quòd foverent ſchiſma, & oppugnarent Pontificem. Quod ipſum neque nunc diſputo rurſus, neque olim me volente prodiit. Et tamen ſi finxiſſet *Brixius* (cui tam impensè placet fingere) commotum illis locis fuiſſe ſeſe, potuiſſet homini fortaſſis ignoſci faciliùs: ut cui videretur impoſuiſſe falſa quædam honeſti ſpecies, nempe amor importunus in patriam, quo videretur vel verè in eam dicta non perpeti, vel certè fœderibus condonata vendicare. Nunc verò ſtupidiſſimè delegit eam cauſam, in qua & eoſdem habet obices quos haberet illic, nempe ipſum ſcripſiſſe priùs, præbuiſſe occaſionem, impegiſſe falſa, litem eſſe judicatam, imò peremptam atque abolitam fœderibus publicis. Sed & hoc præterea turpiſſimum, quòd cùm publicè prior læſerit, privatim ſeſe ſic offenſum queritur, quomodo non poteſt docere: ſed diras & execrationes in ſe ingeſtas à me, ipſe à ſe finxiſſe convincitur. Quamobrem cùm prior ſcripſerit in nos, eáque etiam falſa, cùm ego tantum *Epigrammata* contrà, in quibus ea ſcripſiſſem: quæ ſi neget eſſe vera, nihil aſſequetur aliud, quàm ut eum intelligant omnes, bis fuiſſe mentitum: non ſolùm potuit honeſtè deſiſtere, verùm debebat etiam. Atque adeò feciſſet ſcio, niſi maluiſſet omnibus declarare quàm inſigniter eſſet impudens: qui quæ peccâſſet antè, quum donari vel juventæ ejus potuiſſent, vel imputari temporibus: nunc tot annis elapſis, in tanta pace, in tanta concordia, atque in ipſo fermè duorum Principum hoſpitio (nam id nunc adornant) deintegrò renovet omnia, & *Epigrammata* pauca quæ in illius librum luſimus, virulentiſſimo libello retaliat; in quo cùm nihil inveniret quod reſpondere poſſet pro ſe, totus in me converſus, nihil effundit aliud præter meras calumnias, & plus quàm furioſa convitia. Primùm, quicquid uſquam ferè vel ceſſatum eſt ab operis *Frobenii*, vel ab ipſo quiſquis exſcripſit exemplar, id omne objicit mihi: quum videat, nullum unquam librum tam fœliciter excuſum eſſe ut nihil inſit errati, & illic nullum legat erratorum indicem. Et tamen in illis ipſis plerunque fœliciùs errârunt illi, quàm caſtigat *Brixius*. Quàm ſeditioſè calumniatur me lacerare parentem Principis: quum ipſe tantùm commemorem, quæ mala Princeps dum auſpicaretur imperium, incomparabili gloriâ correxerit, quibus aliquot ante annos afflictabatur Reſpublica nonnullorum perfidiâ, quibus hujus Regis parens nimium credidiſſet, impar aliquandiu ipſe rebus adminiſtrandis per adverſam valetudinem, alioqui vir omnium re-

A gnandi prudentiſſimus. Et tamen *Brixius*, quum ea mala quæ aliorum contigêre malitiâ, ipſe improbè vertat in Regem, mirum quàm virulenter ibi debacchatur in me: ut pugnos, ut colaphos, ut exilia congerit, & tanquam veſût carcere, ſtringeretur metro, nè tam liberè quàm libebat liceret excurrere: Addidit vipereas gloſſas in margine, quibus in ea loca duceretur Lector, ſi quis fortaſſis parum eſſet attentus ad carmina. Atque hoc pa-

B ctò cùm demonſtret inſigniter, nihil ſibi ad nocendum defuiſſe præter vires pares virulentiæ; tamen homo lepidus gloriatur ſe dixiſſe facetè, dum riſum rider *Ajacis*. Nam ut is, abjudicatis armis, inſaniens cùm appenſas verberaret pecudes, effuſè riſit interim, & earum gemitu mirè plauſit ſibi, ut cui furor perſuaſerat, eas *Agamemnonem* eſſe atque *Ulyſſem*, in quos cupiebat ulciſci: ſic *Brixius* improbum interpretamentum ſuum inſectans, & ad perniciem uſque exagitans, ſuaviter arridet ſibi,

C dum præ mentis inopia non advertit, omnes, imò omnes prorſus homines quibus ulla ſcintilla, aut boni pectoris, aut ſenſûs inſit communis, in hoc *Brixiano* riſu non minùs animum gladiatorium deteſtari, quàm deridere dementiam. Atque hæc quum ita ſe habeant, tamen tanquam iſta *Corœbo* cuipiam ſcriberet aut *Margitæ* non *Eraſmo*, tanquam ipſo connivente ad ſuam petulantiam, quâ prior debacchatus eſt in nos: omnium ſimul ſic eruiſſet oculos, ut quod ipſi cernere non liberet,

D idem nemini prorſus liceret aſpicere, tanquam jam viciſſet, me laceſſiſſe priùs, quem res docet poſteriùs ſcripſiſſe: tanquam adhuc hoſtilia durarent tempora, ut ei liceret olim jactata verbula, eadémque prorſus innocua, nunc demum venenatis vindicare calumniis, quum uterque Princeps, quum totus utrinque populus ita coaluit in concordiam, ut milites obliviſcantur etiam vulnerum, quorum cicatrices adhuc geſtant in corpore: tanquam ipſe acerbiter eſſem inve-

E ctus, ac diras omnes imprecatus in illum, tanquam ille viciſſim meros jocos, meras facetias, meros ſales affudiſſet, ac non inſana convitia deblaterâſſet in me, ac plus quàm virulenta deliria: operæprecium eſt videre, ut ſecurus ac certus ſpondeat ſibi, non veniam tantùm velut neceſſariæ reſponſionis, ſed laudem etiam clementiæ, qui videlicet impetitus diris & execrationibus (quæ nuſquam extant) quum illi fas eſſet paribus armis in certamen deſcendere, mirâ ta-

F men indolis benignitate, atque admirabili dexteritate ingenii mordere ſe jactat abſque dente, jocari ſine calumnia, ridere citra convitium, ludere citra maledictum, commonefacere ſine objurgatione; erudite ſine ferula: imò adeò mea maledicta in luſus, convitia in riſus, probra in jocos, execrationes in ironias, diras denique in ſcommata convertiſſe. An non videatur bellè perorâſſe *Brixius*, ſi quis hæc fortè legat, qui nihil omnino cognoſcat de cauſa? Nam ſi quis

G Lector inciderit, qui *Chordigeram* ejus, qui mea *Epigrammata*, qui moricum ejus *Antimorum* inſpexerit (ſi quis fortè ſic abundet ocio, ut ei vacet bonas horas tam malè perdere) quum in illis *Epigrammatis* meis neque maledicta, neque probra, neque convitia, neque execrationes, neque diras inveniet; cùm apud illum contrà nihil inveniet aliud, præter meras ſycophantias, maledicentiam, & virulenta jurgia: quum dentes videbit, ſed

fractos in coticula: ferulam videbit, ſed abſque A
literis: quum videbit hominem ſic admonere,
ut ſtultiſſimè carpat quod non intelligit; ſic eru-
dire, ut calumnietur improbè ſi quid intelligat:
is quanto riſu ridebit eos riſus *Brixii*, qui *Brixium*
reddant ridiculum? Quibus ſcommata, quæ mul-
to ſcommate redeant in authorem? Quos ei jo-
cos exhibebit ita jocans *Brixius*, ut ſe videre pu-
tet ſaltantem camelum? Quantam præbebit lu-
dendi materiam tam ineptè ludens *Germanus*, ut B
germanus videatur *Æſopici* aſelli, qui non multò
minùs abſurdè imitatus laſcivientem caniculam,
quàm *Brixius* æmulatur Poetas, lutoſos & corne-
os pedes impegit in heriles humeros, fuſtibus in-
de retruſus in ſtabulum? Denique quàm lepidis
ironiis eludet ironias *Brixii*? quippe tam illepi-
das, ut Lectorem admoneant pictoris cujuſdam,
omnino talis, qualis *Brixius* eſt poeta; qui cùm
leporem atque canem depinxiſſet ita ſimiles, ut
internoſci non poſſent, tandem uter canis eſſet, C
uter lepus, ſubſcriptione ſolers indicavit. Ita
Brixius ejuſmodi ferè ludit ironiis, ut miſerè me-
tuat ſibi nè quas velit accipi per jocum dictas lau-
des, earum pleraſque multi agnoſcant pro veris:
cujus periculi non aliud vidit effugium, quàm ut
εἰρωνικῶς ſe proteſtaretur marginali gloſſemate:
nimirum homo cautus ita cavit ſibi: nè ſua tene-
retur ſyngrapha, quaſi me laudâſſet ex animo.
Uno loco tantùm putavit non neceſſe eſſe ut
marginali notâ nos admoneret ironiæ ſuæ, adeò D.
fidebat ejus loci elegantiæ: quum in Indice (ut
ille vult videri) meorum erratorum, ut res in-
dicat, calumniæ atque inſcitiæ ſuæ meminit. Ri-
det in *Utopia* mea dialogum, in quo fraterculus
cum *Morione* diſceptat: in quo, inquit *Brixius*,
dialogo enarrando exornandóque *Morus* inge-
nii ſui acumen, phraſeôs vim, ac judicii integri-
tatem facilè explicat. Equidem *Eraſme* doctiſſi-
me, nonuſque adeò contemno *Brixium*, aut mi-
hi tam impenſè placeo, quin facilè fatear, neque E
elegantem fraterculorum phraſin, neque acutas
morionis argutias, tam bellè unquam me potu-
iſſe exprimere, quàm ad verum ac vivum potu-
erit expreſſiſſe *Brixius*. Adeò efficax res eſt tali-
bus orationis delitiis aſſueſcere, & ad morionem
non nomine (quod tam civiliter tam ſæpe *Brixius*
concedit mihi) ſed naturâ (quo illum ſuo ſibi
jure vendicat *Antimorus*) accedere. Porrò, quod
de judicio dicit, quo nimirum ſignificat abſur-
dum eſſe, barbaram fratrum phraſin ei libello F
inſerere, quem cupias eſſe *Latinum* (ut omittam
interim & *Græcos Latinis* barbaros eſſe, & *Lati-
nos Græcis*, quorum ſermonem cum laude quo-
que *Romano* ſermoni ſcriptores omnes tam fre-
quenter interſerunt) non expecto ut, non dico
mea oratio (in qua *Brixius* undique tam mani-
feſtarios ſolœciſmos ac barbariſmos, ſed mani-
feſtaria ſycophantia, manifeſtariâ deprehendit
inſcitiâ) ſed nec ipſius *Brixii* (cui *Veneres* omnes
atque omnes prorſus Gratias putat affuſas *Bri-* G
xius) ad *Latinitatem* aliquando ſit perventura
Plautinam: qui nec abſurdè tamen ſibi facere vi-
ſus eſt, nec *Romanum* ſermonem dehoneſtare,
quum in comœdia *Latina Pœnum* interdum face-
ret loquentem *Punicè*. A quo exemplo non mul-
tum opinor abeſt, ſi quis in eo ſcripti genere quod
propè accedit ad Comicum fratrem, id genus pro-
ducat in proſcenium linguâ loquentem ſuâ, hoc

eſt *Latino-barbarâ*. Et tamen ſcis ipſe, mi *Eraſ-
me*, quàm non valde mihi placuerit ille dialogus,
quámque libenter fuerim omiſſurus, niſi ſuprà
quàm dico placuiſſet illis, quos neque literis ne-
que judicio quiſquam (qui quidem literas habent
ac judicium) non tam longè anteponat *Brixio*,
Quantus ad æthereum patet hunc ſuſpectus olympum.
Quorum aliquos hîc quoque commemorarem,
niſi quòd & fruſtra commemorarem conſcio, &
non eſt animus viros cùm honeſtos tum etiam
honorabiles objicere invidiſſimi viri latratibus:
qui alienâ laude ſic intabeſcit, ut planè pereun-
dum homini fuerit, niſi aliquid rabiei ſuæ abla-
terâſſet in *Beatum Rhenanum*, æmulatus *Æſchi-
nis* odium: à cujus eruditione non minùs abeſt,
quàm ego abſum à *Demoſthenis*, cujus gloriæ in-
videt *Æſchines*, ut *Cteſiphontem* quoque quia lau-
daverat, accuſaret publicè, & ei machinaretur
exilium, quod meritò mox in ipſum recidit. Ita
quoniam *Epigrammata* mea *Rhenanus Bilibaldo*,
doctiſſimus doctiſſimo, atque optimus optimo
laudatione ſuâ commendavit: mirum quàm in-
ſanit *Brixius*, quàm virulento animo, quàm in-
firmis viribus hebetem plumbei gladii cuſpidem
ſtringit in *Rhenanum*: adulatorem vocat, aut,
niſi hoc agnoſcat, inſcium, indoctum, ac pla-
nè cæcum, qui non viderit meos verſus tales eſ-
ſe, quales viſi ſunt per invidiæ conſpicilia pervi-
denti *Brixio*. Sed fruſtra involat in elephantem
culex. Nam *Brixius* cujuſmodi ſit, declarat ipſe.
Rhenanum laudare, ego nec ut nunc res habet,
volo, nè illud audiam, *Mutuò muli ſcabunt*:
nec certè ſi vellem, ſatis poſſem, ut quo (quod
omnes nôrunt, fatentur ac prædicant) tot fœ-
licium ingeniorum ferax *Germania* nihil habeat,
ſi linguam ſpectes elegantius, ſi diſciplinas eru-
ditius, ſi mores melius. Verùm demiror her-
clè, cur in unum furit *Rhenanum Brixius*. An
ejus unius judicium de meis ſtudiis diſſentit à
Brixio? Quaſi nihil honorificè de me ſcripſiſ-
ſent (ut omittam te ac *Petrum Ægidium*, qui-
bus videri poſſit amor nonnihil imponere) *Buſli-
dius*, *Huttenus*, *Paludanus*, *Noviomagus*, *Vives*,
Graphæus, *Zaſius* ac *Budæus*: quibus cum eo tempo-
re adeò non amicitia contracta eſt ulla, ut nec li-
tera quidem ulla interceſſerit: at neque cum ipſo
Rhenano, ut omittam plurimos eruditione non
incelebres. Quaſi *Brixius* fingat hos omnes adu-
lari mihi, multum ei debeo, qui tam magnum
virum me facit. Sin cæcos, inſcios atque indo-
ctos omnes pronunciet, quoniam ſic ab ipſo diſ-
ſentiunt, ut quem ille toties ſtultum vocat, to-
ties appellat inſanum, ei (ut nihil recenſeam
amplius) aliquanto certè pluſculum tribuant pru-
dentiæ, quàm adhuc audio, præter *Brixium*,
quenquam tribuiſſe *Brixio*: nemo ei tam abſolutâ
poteſtate dictaturam detulit, ut ejus unius ſenten-
tiam ita ratam eſſe oporteat, quin ad popu-
lum ſaltem ſuperſit provocatio. Nam quòd hoc
ita moleſtè fert, quòd *Rhenanus Epigramma-
ta* mea *Marulli* & *Pontani* prætulerit, debe-
bat aliquanto preſſiùs *Rhenani* laudationes ex-
pendere: qui etſi multò mihi tribuit amplius
quàm meus pudor poſſit agnoſcere, tamen eâ
parte quâ potiſſimum *Brixius* offenditur, non
adeò effuſus eſt in laudes meas, ut *Brixius* in-
videre debuerit. Neque enim me *Pontano* aut
Marullo undecunque præfert *Rhenanus*, aut
confert,

confert. Natura tantum comparat, non *Græcarum* literarum peritia, nè ſit opus ut ita ſtomachetur *Brixius Græco* conferri *Britannum.* Etenim natura quid impedit etiam *Græco* parem quempiam, *vervecum in patria craſſóque ſub aëre naſci?* Quanquam ipſe neque tam ſuperbus ſum, neque tam neſcius mei, ut quæ mihi tribuit *Beatus Rhenanus* agnoſcam: qui me, quod dixi, talibus viris naturâ confert, utilitate verò præfert hactenus, ut cenſeat plus frugis adferre lectoribus ſi quid affero ſalubrium ſententiarum, quàm quicquid illi chartis illinant obſcœnitatis ac nequitiæ: ac plus juvare potat quæ ſimpliciter ac apertè cano, quàm *Marulli* delectant ænigmata; qua in re quid aliud *Rhenanus*, quàm ſi quid eſt virtutis in me, id illorum præfert vitiis? quod laudis genus quum nihil obſtet, quò minùs eorum virtutes meis poſſint (ut certè faciunt) longè antecellere, non debuit ad invidiam uſque videri benignum: quum interim (ut prætercam reliquos) *Budæus* unus, vir non minus publicæ rei peritus quàm literariæ (in qua planè principatum quendam obtinet) quæ de me ſcripſit ejuſmodi ſint, quæ ſicuti nunc hominis candidiſſimi civilitati tribuo, non aliter quæ in *Brixii Chordigeram* præfatur eruditiſſimus *Aleander*; ita longè magis optem eſſe vera, quàm *Pontanum* aut *Marullum* ſuperare carmine, aut utrunque ſimul utraque linguâ vincere. Et tamen mirum eſt, quàm ſubitò mutatus *Brixius* incumbit in famæ meæ curam etiam ipſe, utpote cujus non niſi *favore ac ſtudio* tot erratorum meorum me tot millium, tam pudendorum, amicè, benevolè, fideliter commonefecerit, videlicet ut ipſius opera ſubducantur clanculum, quæ circumferri diutiùs abſque inſigni traductione meâ ac perpetua quadam ignorantiæ nota non poterant: quo nomine cenſet tantum etiam debere me tam amicæ ejus induſtriæ, quantum alteri quiſquam debere poſſit. Hoc tam elegans ac bellum ſchema tam vehementer arriſit *Brixio*, ut quod nemo non irriſit quum legeretur in *Antimoro*, nunc velut repetit: ſeriò oblitus interim illorum verſuum, quibus miro ingenio comminiſcitur, quâ arte nunc veriſimile ſit, me tantæ mederi infamiæ, nempe hâc, ut omnes libros qui jam excuſi ſunt uſquam, curem undique reportatos ad me, atque ita repurgatos pòſt emittam denuò. Et tamen hoc ipſum ita veretur *Brixius*, nè videlicet emiſſis in omnes undique terras plus quingentis legatis, omnia exemplaria recipiam, ut minetur ſe facturum, uti apud ſe atque aliquot etiam alios (quod niſi emiſſis in id viciſſim legatis difficile opinor fuerit) corrupta exemplaria extent, quæ meos errores (quorum nunc id me admonet ut tollantur clanculum, nè quis poſthac poſſit exprobrare) ſic omnibus eſſent exhibitura, ut nec Oceani fluctus omnes ſordes mihi poſſint abluere. Ejuſdem vel memoriæ vel conſtantiæ etiam illud eſt, quòd cùm in iſta epiſtola ad te neget *Antimorum* ſuum dentatam eſſe, ut in qua mordeat ſine dente; tamen in hendecaſyllabis (quos ita bellè concinnat, ut in unum verſum interdum ſyllabas intrudat tredecim) ait ſuos elegos ſe meo cruore oblinere. Et planè quemadmodum non minùs ridiculè poetas imitatur, quàm hominem ſimia; nec minùs ineptè diſſimulat, quàm aut mugil, aut cuniculus, qui ſimulatque caput in glebam condiderit, totum corpus ſatis occultatum

A putat; ita nullus lupus unquam fuit deteriore memoriâ, nulla pluma, nullus ventus magis conſtanter inconſtans. Jam quòd ait, ſe tuo conſilio fuiſſe pariturum, niſi liber jam tum fuiſſet in manibus typographi; demiror admodum, quum tantam vim obtineat apud illum vel ſolus nutus *Eraſmicus*, tam leve pondus habuiſſe monitoriam epiſtolam, ut potius ſuam famam pergeret infamare tam furioſo libello, præſertim ſiticuloſus gloriæ,
B quàm perderet pauxillum pecuniæ, homo cui (ut ipſius verbis utar) non victus aut veſtitus modò; ſed famulitium quoque atque equitatus inſuper, & crumena denique ſemper ære gravis abundet, cui domus ſint & hortuli, in quos *Apollo* ac Muſæ omnes (niſi *Brixius* peſſulum obdat hoſtio) cupiant relicto *Parnaſſo* prorſus immigrare. Et tamen miror, ſi tibi fuiſſet pariturus, qui re adhuc integrâ, toties admonitus, neque *Budæo*, neque *Barado*, neque *Laſcari*, neque *Deloino* parere voluit, ne-
C que reverendiſſimo Cardinali, qui nuper obiit in *Gallia.* Cæterùm ut bonitatis fuiſſe judicat quòd *Antimori* dehortareris editionem, ita niſi probaria ediiam, planè jam te cenſet injuſtum: qui aliud jus illi nunc dicas in me, aliud in *Fabrum* olim ſteteris tibi. Nec dubito quin ſibi videatur acutus admodum *Brixius*, & peritus judiciorum, qui te tam gravi ſtringat præjudicio, ut ni videri velis injuſtus, adverſùs eum pronunciare non poſſis. Ego, mi *Eraſme* (quod ſicuti apud omnes profiteor, ſic
D apud neminem libentiùs profiteor quàm apud te, cujus animum hâc ſanè parte comperi penitùs conſpirare cum meo) *Jacobum Fabrum* ſic obſervo, ſuſpicio, veneror, quomodo virum debeo, quo non aliquot antè ſeculis extitit quiſquam literis ac virtute venerabilior: qui an plus adniſus ſit, ut præter ſacrarum literarum ſtudium, in quibus illuſtrandis utiliter eſt verſatus, ſcholas aliquando ab inepta iſta garrulitate atque abſurdis argutiis ad ſobriam ac ſeveram Philoſophiam atque ad ne-
E glectas jamdiu diſciplinas traduceret, ambigo. Quæ res adeò in confeſſo eſt, ut ii quoque perquàm honorificis calculis illi atteſtentur in ſumma, qui ab eo longiſſimè in uno atque altero interdum dicto diſſentiunt; nec aliâ re provocati tamen, quàm quòd *Faber* quędam, ut videtur multis, quæ dicta ac diſputata moderatiùs offendiſſent neminem, nimis aliquanto fortiter aſſeveret, ac majore quàm par ſit contentione definiat: ita bonos viros plerunque longiùs pius quidam fervor
F abducit. Verùm quàm nihil habeat ſimile tua defenſio cum iſtac abſurdiſſima querela *Brixii*, nemini poteſt eſſe dubium, niſi cui res prorſus erit ignota. Quamobrem conſilium non eſt, hunc explicare locum, & cauſam cum cauſa, libellos cum libellis conferre, quaſi non aliter patere poſſit, neque in initio quicquam, neq; in toto rei progreſſu, *Brixii* veſaniam cum tuo facto congruere: nè vel rem chariſſimam facere controverſam puter, vel ſopitum atq; obrutũ ignem importunè videar
G ſuis eruiſſe cineribus, vel *Fabrum*, quem toto colo pectore, aliquà cogar offendere; vel tuum judicium, apud quem nunc cauſam dico, tanta re crẽdar, & favorem conciliare blanditiis. Hoc unũ certè (niſi quòd *ludere* ſe poſuit pro *furere*) alioqui dicit non omnino falſum, te videlicet cominùs pugnâſſe, cùm ipſe rem egerit eminùs. Nam ut tu rem non gladio quidẽ, ut ait *Brixius* (qui te videtur gladiatorẽ fingere) ſed acu prorſus attigiſti; ita ille deliciis tantũ

 velitatus

velicatus eminus, & ejaculatus convitia, quæ vel anus ebria effutire potuiſſet in quemlibet, & quæ in ipſum commodè competebant plurima: ad rem inquam profectò quivit accedere, aut ſi fors, attinget aliquando breviter, tum quemadmodum ſolet in duriore ſolo infirmis viribus emiſſum telum, protinus aut prætervolavit, aut excidit. Itaque eminus ſic commiſſa pugna hactenus planè profecit, ut ediderit ſpecimen, poſſe quidem ſagittam ſeſe non incommodè prorſus emittere, ſi quis tantum quem in locum ejus ſagitta ceciderit, eò ſcopum ſemper officioſè transferat, & bellè poſſe jurgari, ſi quem nactus eſſet in quem illa competerent, quæ ipſe ex inexhauſto probrorum ſuorum puteo poſſet haurire: quibus quando deeſt in quem hæreant, quid aliud interim quàm ipſe perfundit ſeſe? Verùm aliquando tandem velut tuis literis permotus incipit eſſe placatior, ac ſi mihi videatur poſteaquam uterque in proſcenium prodiit, ut ait, perſonatus (ſic enim prodire ſolebant pugnaturi) ac ſuas pro virili partes egiſſe viſus eſt: ego videlicet Epigrammatis aliquot, *Brixius* integris voluminibus: ego provocantis, ille reſpondentis (nam hoc nè quis alioqui non credat, accuratè repetit) non recuſat tandem quò minùs dextris invicem junctis *Eraſmo* patre patrato (qui mos olim fuit peculiaris hiſtrionibus) feriamus fœdus, præſertim cùm tu me ſentias illius amore digniſſimum. Cæterùm nè pax tam facilè impetrata fieret aliquanto contemptior, aut mihi inde ſurgerent criſtæ, ita rem temperavit, nuſquam ſuæ majeſtatis immemor, ut ſi tragœdiæ ipſius exitum ſpectare malim, nihil item moretur quò minùs ea ad poſtremum uſque actum deducatur: utpote cui mea hypocriſis non ſit tam admirabilis, ut illum à proſcenio deterreat, nec vires item uſque adeò formidabiles, ut ſi manus conferre voluerim, detractare debeat, modò meis, non ut *Patroclus Achillis*, armis concertaturus in palæſtram deſcendam, & ante conflictum inſonet tuba: ut miris artibus iſtam conflictatiunculam (quâ fermè duntaxat ipſe pugnat ſecum) exornet *Brixius*, atque [illegible]. Nam velut hiſtriones nos committit, comicos, tragicos, palæſtritas, bellatores: & mirum eſt quanto cum artificio hæc inter ſe tam diverſa commiſceat, quàm concinnè pugnantibus aptat perſonas, mimis ſcenicis arma, & adhibito patre patrato inter Imperatores hiſtriones feriat fœdera, ut dimicantes producit in proſcenium, bellatores in palæſtram: denique ſcita [illegible] tam bellè perſiſtit in Metaphora, ut in tribus ferè verſibus conficiat nobis comico-tragico-polemon. Quod ad hoc fœdus attinet, *Eraſme* chariſſime, noli laborare: neque enim tam ingens inſtat rei literariæ periculum, ſi congrediantur hinc *Morus* homuncio perpuſillus, hinc generoſa illa palma, palma non aliter una *Brixius*, ut *Eraſmo* ſit opus patre patrato qui faciat pacem: niſi literarum proceres ſimiliter affectos reddat hujus duelli cura, quomodo apud *Homerum* ſollicitos habet ſuperos Giganteo bello formidabilior illa βατραχομυομαχία. Nam quòd me ſcribis eſſe illius amore digniſſimum, tuam bonitatem agnoſco, qui undique ſtudes paci. Verùm ego, mi *Eraſme*, me tam dignor honore ut inter amicos ſatrapis tam potentis adnumerer, cujus nunc utcunque re-

A ſpondi *Antimoro*, non ſat fortaſſe reverenter pro tanta viri dignatione; ſed pro re certè, ut cenſent alii, nimis aliquanto modeſtè: tu verò, mi *Eraſme*, quid ſentias, cupio ſcire. Nam quòd tam properè curavi excudenda quæ ſcripſi, quæ tutius fortaſſe fuerat per ocium polire, præſertim objicienda tam oculato æmulo, ut & ibi cernat mendum ubi mendum non eſt: malui ei oſſa multa relinquere in quibus exerceat dentes, fati-
B get, aut frangat denique, quàm mihi diu talibus nugis occupare pectus. Et profectò non fuiſſem tam inſanum libellum reſponſo dignaturus ullo, ni mihi viſum eſſet amicorum quorundam obſecundare conſiliis, ſuadentium, ut me tuerer adverſus hominis abſurdiſſimas calumnias. Quæ res una mihi ſcopus fuit non commutare convitia, ac paria viciſſim in illum ſpargere: alioqui ſi ſtatuiſſem non reſpiciendum potiùs quid me deceret dicere, quàm quid illum conveniebat au-
C dire, quantumvis magnificè meum contemnat ſtilum *Brixius*, tanquam imbellem, enervem, nihilque maſculum; effeciſſem ſaltem ut intelligeret quàm verus ſit ille *Naſonis* verſus,

In cauſa facili cuivis licet eſſe diſertum.

Nunc verò quum ille non in ingenium tantùm ac mores meos debacchatus ſit, verumetiam in perniciem meam quoad ejus fieri potuit ſit graſſatus; in literis verò, in eum nihil intactum reliquerit, quod non arroſerit: ego contrà nihil illius attigi
D præter illa ipſa volumina, quibus aut ipſe petor, aut patria. In univerſum verò quid præſtare poſſit, neque pronuncio, neque exeutio. Scio enim quàm leve pondus habiturum ſit de illo judicium meum, quod tamen etiamnum magis benignum eſt in illum, quàm ſit multorum quos ille minus offendit. Verùm enimverò neminem adhuc audio tam candido calculo ſuffragantem *Brixio*, ut non idem ſentiat, nihil hactenus ab eo prodiiſſe tam magnificum, quod reſpondere poſſit homi-
E nis jactabundi gloriolis, dum nunc jactat, idem eſſe Poeticen ſibi, quod [illegible], hoc eſt, e quo ſuum campum: nunc ſe gloriatur cum antiquitate certare, nunc ipſam clavam vi eripere *Herculi*, dum fulmen denique ſatis impudenter ſeſe minitatur efflaturum. Has hominis glorias alii quoties cum ejus conferunt poematiis ingenium, cenſent non inſanum tantùm, ſed etiam inſanabile. Ego verò quanquam *Brixius* in me tam atrocem non modò Judicem, ſed & augurem
F quoque præbeat ſeſe, ut non ſolum quicquid hactenus unquam ſcripſi damnet, verumetiam pronunciet nihil poſthac ſcripturum quod poſſit eſſe dignum lectu: tamen mitius aliquanto de illo ſentio, conjecturam potiſſimùm cùm ex *Chordigera* faciens, tum ex *Antimoro* quam in me ſcripſit iratus, quando vel hoc ipſum mihi ſpem adhuc aliquam facit, auſterâ illâ indolem poſſe aliquando mitescere, quòd cùm tam inepta ſcribat nunc id ætatis habens, hominem eſſe video, non
G tam præcocis ingenii, quin adhuc durare poſſit ac matureſcere alioqui. Planè ſi ſentirem, ad ſtatum jam ac robur perveniſſe, atque, ut *Græci* vocant, [illegible], aliud expectare non poſſem quàm ut cujus ver lethargus eſt, æſtas ira tam impotens, ejus autumnus ſit omnino furor. Jam quòd meam hypocriſin neget eſſe tam admirabilem, ut eum è proſcenio deterreat, fateor certè nil nec habere me, nec præ me ferre quod abſterreat

quenquam:

A quenquam: neque negare poſſum, quin hypocriſis *Brixii* tantum terroris invehat ſecum, ut non modò me homuncionem pavidulum, & quem facilè terruerit perſonæ pallentis imago, ſed ſpectatores omnes proſus è theatro poſſit ſpectris expaveſactos abigere: ſi modò veri ſint ii verſus *Brixii*, quos in *Antimoro* [illegible] inſeruit:

B *Hæc mihi dictanti aſtabant dira auribus omnes*
Et Furiæ, infernis concita turba vadis,
Alecto *& ſacris caput irretita colubris,*
Tiſiphone, *& terrens ore* Megæra *truci.*

Quòd ſi perſonas iſtas plus ſatis tragicas deponat *Brixius*, certè reliqua hominis hypocriſis non habet quicquam tam admirabile, ut, velut *Meduſæ* caput, quenquam reddat attonitum: neque vires ejus experior tam formidoloſas, ut aut *Patroclo* aut *Therſita* certè, præſidium petendum ſit ab *Achillis* armis adverſùs *Hectorem* talem.
C Sin *Brixio* penitùs decretum eſt, factitias illas Furias, verum furorem ſuum proferre in proſcenium ſecum, ſi certum eſt illi totis intonare tonitribus, ſi fulmen illud terrificum vibrare ſtatuit, quod ſibi ab ore jactat cadere quoties ſecum videlicet offenſus graviùs dignas *Jove* concipit iras: hiſtrionicam ſuam ſolus per me licebit exerceat, ego adverſùs tam ominoſa ſpectra ſilentio memet velut amuleto luſtrabo. Exiſtet tamen fortaſſis
D *Hercules* aliquis ἀλεξίκακος, qui ſuetus ejuſmodi portenta ſubigere, clavam quam et *Brixius* vi eripuit, viciſſim eripiat *Brixio*, ferulâ nimirum armatus aut flagro. Nam adverſùs [illegible] non dubitavit vel [illegible]. Porro fulminis præſtigium bellè compeſcat *Cacus*, talium terriculamentorum peritus artifex: qui ſi minus calleret artem, tamen quibus armis utendum *Caco* fuerat adverſus tale fulmen, ipſius *Caci* nomen admoneret. Etenim potiùs quàm fulminis afflatu miſeri mortales perierint, in os
E illud patulum triſulco hiulcans fulmine, non tantum me ire fas eſt. Spero, mi *Eraſme*, fore, ut te in Regum conventu ſimus viſuri *Caleti*, qui venturus haud dubiè ſis utrique Regum gratiſſimus; alioqui fuerit impudens, ſi nos amiculi tui vel exigamus, vel expectemus ut noſtrâ cauſâ ſubeas laborem tanti itineris, quorum potiùs officium fuerit ad te venire: id, quòd ni te illuc Regum cura pertraxerit, à Principe impetratâ
F in dies aliquot veniâ faciemus. Tu interea, mi *Eraſme*, vale, ac nihilominus quàm ſoles amicus *Brixio*, *Morum* ſimul quà ſoles charitate complectere: cui tu tam charus es, ut nec ipſe ſibi ſit charior. *Lupſetus* noſter magno auditorio ſumma cum laude ſua, nec minore ſcholaſticorum fruge, bonas literas in utraque lingua profitetur *Oxoniæ*. Succeſſit enim *Joanni Clementi* meo; nam is ſe totum addixit rei Medicæ, nemini aliquando ceſſurus, niſi hominem (quod
G abominor) hominibus inviderint Parcæ. Iterum vale: ac meo nomine *Dorpio*, *Neſeno*, *Vivati*, viris in re literaria primariis, ſalutem plurimam nuncia.

Apologia pro MORIA ERASMI, quâ etiam docetur quàm neceſſaria ſit Linguæ Græcæ cognitio.

Thomas Morus Martino Dorpio S. D.

SI mihi ad te venire tam eſſet liberum, quàm vehementer, mi *Dorpi*, cupio, tum iſta quæ nunc parum commodè committo literis, commodiùs tecum coràm ipſe tractarem, tum quo nihil mihi jucundius potuiſſet accidere, te ipſo interea præſens præſente perfruerer: cujus videndi, cognoſcendi, complectendíque, mirum pectori meo deſiderium inſevit *Eraſmus*, utriuſque noſtrûm amantiſſimus, tum utrique (uti ſpero) ex æquo charus. Nihil eſt enim quod ille majore cum voluptate faciat, quàm ut apud præſentes amicos ſuos abſentes prædicet. Siquidem cùm ſit ipſe plurimis, ídque in diverſis orbis terrarum partibus doctrinæ ſuaviſſimorúmque morum gratiâ chariſſimus, conatur ſedulò, ut quo in unum ſe omnes animo ſunt, eodem etiam inter ſe omnes conglutinet. Non ceſſat ergo apud univerſos ſingulatim amicorum quemque referre, & quo in cunctorum amicitias inſinuet, omnes cujuſque dotes quibus amari promereatur, exponere. Quod cùm ille aſſiduè faciat de omnibus, de nullo tamen ſæpiùs, de nullo facit effuſiùs, de nullo quàm de te, chariſſime *Dorpi*, libentiùs, quem ita dictum celebravit in *Anglia*, ut nemo ſit ibi literatorum virorum, cui non *Dorpii* nomen æquè notum celebréque ſit, atque *Lovanienſibus* ipſis, quibus eſt (ut debet eſſe) celeberrimum. Seorſum verò ita te depinxit apud me, ut jam olim pulcherrimam animi tui imaginem, planéque eandem apud animum meum præſumpſerim, quæ mihi poſteaquam huc appuli, ex elegantiſſimis opuſculis tuis eluxit. Itaque cùm me primùm ſcitem ab invictiſſimo Rege noſtro, in has partes legatione functurum; crede, mi *Dorpi*, mihi, non pro minimo itineris tanti precio ducebam, quòd oblata mihi videbatur occaſio, quâ tecum quoquo pacto congrederer. Verùm iſtam conveniendi tui facultatem, quam præbitam eſſe ſperaveram, negotii nobis demandati ratio præripuit, quæ me *Brugis*, ubi cum magnificis illuſtriſſimi Principis noſtri oratoribus res ut nobis tractaretur convenerat, alligavit. Quo fit ut nunc vehementer doleam (quum hæc legatio mihi multis alioqui nominibus arrideat) quâ tamen in re optaveram maximè fortunam adfuiſſe propitiam, ea me maximè ab illa deſtitui. Verùm (ut ad id tandem veniam quod me coegit in præſenti ſcribere) dum hic verſor, incidi fortè in quoſdam, qui mihi non alieni à literis videbantur; apud hos de *Eraſmo* & de te item ſermonem ingero: illum ex literis ac fama, te verò etiam aliàs noverant. Narrant mihi rem, ut parum lætam, ita nunquam credibilem, te videlicet in *Eraſmum* animo eſſe parum amico, ídque ex literis ad eum tuis liquere: quas (quoniam ad credendum ægrè me adduci videbant) poſtero die allaturos ſe eſſe pollicebantur; redierunt poſtridie, tum literas ad me ternas apportârunt, unas abs te ad *Eraſmum* ſcriptas, quas ille (quod ex ejus reſponſione

Epiſt. 2.

ſione colligo) non accepetat, ſed earum exem-
plar, id quod mihi nunc evenit, neſcio quo
monſtrame perlegerat. In his *Moriam* inſimu-
las, & ad ſapientiæ laudem invitas: inſtitutum
ejus de emendando *Novo Teſtamento* ex *Græcis*
codicibus tam parum probas, tam anguſtis limi-
tibus ut coarctet ſuades, ut penè in univerſum
diſſuadeas. Alteræ fuerunt ipſius, quibus tibi
breviter, utpote feſſus ex itinere, atque adeò
in eodem adhuc itinere occupatus, ſatisfacit co-
pioſiùs, idem ſe facturum profeſſus cùm *Baſileam*
delatus eſſet. Denique tertiæ literæ tuæ fuerunt,
quibus rurſus ad hanc *Eraſmi* reſpondes epiſto-
lam: has ego cùm præſentibus illis perlegiſſem,
quanquam erant aliqua non quæ mihi quidem
inimicum eſſe te illi perſuaderent (quid enim
poſſit eſſe tale, ut hoc perſuadeat mihi?) ſed a-
nimo tamen aliquanto magis turbido, quàm ex-
pectâram; tamen quia hanc opinionem illis ex
animo eradi potiùs, quàm confirmari cupiebam,
aſſerui, nihil ibi legiſſe me quod non ab amiciſſi-
mo pectore profectum videatur. At, inquit eo-
rum unus, non æſtimo quæ ſcripſerit, ſed meo
judicio neutiquam amicè fecit omnino quòd ſcri-
pſerit. Nam ſi *Moria* quenquam tam vehe-
menter offendit, quod ego nuſquam, nè *Lova-
nii* quidem, quanquam ibi poſt editam *Mori-
am* ſæpe multúmque verſatus audivi, præterquam
ab uno aut altero moroſiſſimis atque infantiſſimis
ſenibus, & quos ibi pueri quoque rident: quum
alioqui & hic & ibi tam grata fuerit omnibus, ut
multi multas ejus partes memoriter ediſcant eti-
am. Verùm quod cœpi dicere, ſi *Moria* quen-
quam tam vehementer offendit, ut *Eraſmus* ad
palinodiam quoque videretur invitandus: tamen
quum *Dorpius* non ita pridem acceerſitus ad *Eraſ-
mum* eſſet, idque (ut ipſe ſcribit) ſolus, quid at-
tinebat ſcribere? Si quid monendum putavit, cur
non præſentem præſens admonuit? cur non (ut
apud *Terentium* eſt) coràm quæ facto opus eſſent
imperabat, potiùs quàm cùm exiſſet, clamaret
de via, idque *Eraſmo* tam longè remoto, ut quæ
eum aut primùm, aut etiam ſolùm audire opor-
tuerat, ea & ſolus aliquandiu neſciverit, & po-
ſtremò non niſi per alios acceperit? Quã in re vi-
de (inquit) quàm ſyncerè faciat. Primùm quem
nemo accuſat, eum apud omnes defendere ſeſe
ſimulat: deinde quibus eum rationibus tuetur,
cùm neſcio an quiſquam audiat quæ contra eum
objicit (præter eum ſolum, qui ſolus debet)
publicè legunt omnes. Hæc cùm ille dixiſſet, a-
liique eorum alia, quæ nunc non neceſſe habeo
commemorare, ita reſpondi, atque ita à me di-
miſi, ut facilè intelligerent, nil ſiniſtri me de
te libenter audire, animóque eſſe in te prope-
modum æquè propenſo atque in *Eraſmum* ipſum,
in quem tam propenſo ſum, ut eſſe propenſiore
non poſſim. Nam quòd ſcribere ad eum, quàm
coràm rem tractare maluiſti; quocunque tu id
conſilio feceris, certè non feciſſe malo: & ego,
mi *Dorpi*, mihi pro mea de te opinione perſua-
deo; & ille certus animi erga ſe tui non dubitat.
At ſecundas iſtas literas tuas, quæ jam paſſim pa-
rum ſecundè leguntur, nullo omnino conſilio
tuo, ſed planè caſu quopiam in publicum ema-
naſſe crediderim. In quam ſententiam vel eò in-
primis impellor, quòd in his nonnulla ſunt hu-
juſmodi, ut planè mihi perſuadeam, te ſi velles

A emittere, fuiſſe mutaturum, utpote non ſatis
idonea, quæ vel ad eum ſcriberentur, vel abs te.
Neque enim quædam tam acerbè ad amicum
tantum, neque tam neglectim ad hominem tam
doctum: imò ſat ſcio & pro modeſtiſſimo inge-
nio tuo clementiùs, & pro eximia doctrina tua
ſcripſiſſes accuratiùs. Porrò jocis, ſcommatibúſ-
que, quibus plus quàm modicè ſcriptio tota ſca-
tet, non dubito quin uſurus fueris, aut aliquanto
B parciùs, aut certè, mi *Dorpi*, ſalſiùs. Namque
quòd *Moriam* inſectaris, quòd in Poetas inve-
heris, Grammaticos omnes ſubſannas, Annotati-
ones in ſacram Scripturam parum probas, *Græ-
carum* literarum peritiam non admodum ad rem
pertinere cenſes: hæc inquam omnia non magni-
facio, ut in quibus citra cujuſquam offenſam li-
berum cuique ſit ſentire quod velit: & ita abs
te ſunt adhuc diſputata, ut non dubitem quin in-
ter legendum multa cuique ſuccurrant, quæ re-
C ſponderi ex adverſo debeant. Porrò tantum ab-
eſt ut in horum quenquam nimium abs te dictum
exiſtimem, ut in quibuſdam etiam multa deſide-
rem, quibus optâſſem hoc ſcriptum tuum ad *E-
raſmum* prodiſſe inſtructius, quo major ei præ-
beretur occaſio ſua ex diverſo caſtra majoribus o-
pibus communiendi. At iſtuc certè me nonnihil
cõmovit, quòd *Eraſmum* in eo libello tuo videns
aliquanto ſecus, quàm te atque illo eſt dignum at-
tingere: quippe quem ita tractas, tanquam mo-
D dò contemnas, modò velut è ſublimi derideas,
interdum quaſi non admoneas, ſed tanquam pa-
truus aut triſtis cenſor objurges: poſtremò ver-
bis ejus aliorſum detortis, Theologos omnes, at-
que adeò Univerſitates quas vocant, in eum con-
cites. Nec in eam partem accipi hæc mea ſcripta
volo, quaſi adverſùs te, quem planè credo nihil
horum ullâ in eum malignitate feciſſe, ego, cui
nimirum ipſi patrono opus ſit, in patrocinium
ſuſcipiam illum, quem certè majorem & habe-
E ri apud omnes, & eſſe ſcio, quàm ut in eorum
ordinem redigi debeat. Sed quoniam te amo,
famæque tuæ benè cupio, idcirco admonere te
eorum volui, unde anſam apprehendunt hi, qui-
bus modeſtia tua, ut verè cygneus animi tui can-
dor non ſatis exploratus eſt, quã famæ te & tuæ
nimis avidum, & alienæ inſidiantem putant. U-
tinam, *Dorpi*, quemadmodum *Æneas* ſeſe apud
Vergilium circumſeptus nebulâ *Carthaginenſibus*
immiſcuit, ac ſe ſuáque facta in tapetibus depi-
F cta ſpectavit: ſic utinam non viſus ipſe videre
poſſes, quo vultu poſterior hæc epiſtola tua le-
gatur. Sat ſcio longè majores mihi gratias ha-
bendas duceres, qui te ſyncerè admoneam ut
mutare poſſis: potes namque mutando efficere,
ut hanc omnes (id quod ipſe facio) non emiſſam
tibi, ſed elapſam judicent, quam eis qui quæ te
coràm adulati laudant, eadem clàm etiam ipſi
lacerant. Quanquam profectò miror ſi quiſ-
quam uſque adeò adulari in animum inducat ſu-
G um, ut iſta vel te præſente collaudet, quæ ut
cœpi dicere, utinam per cancellos tranſpicere
poſſis, quo vultu, quâ voce, quo affectu legan-
tur, cùm apud *Eraſmum* non ſemel inculcas *Theo-
logos Noſtros*, *Eraſmum*, & *Grammaticos Veſtros*:
quaſi cùm ipſe ſublimis in Theologorum ordine
conſideas, illum deorſum inter Grammaticulos
detrudas. Et ſedes tu quidem inter Theologos
meritò; nec ſedes modò, ſed præſides quoque:
nec

nec ille tamen in Theologorum ſoliis, in Grammaticorum ſubſellia depellendus. Quanquam Grammatici nomen, quod tu frequentiùs quàm facetiùs irrides, *Eraſmus* opinor haud aſpernabitur, imò (ut eſt modeſtus) quanquam meretur maximè fortaſſis, nec agnoſcit tamen: quippe cùm ſciat, Grammaticum idem omninò ſignificare quòd literatum, cujus officium per omnes literarum ſpecies, hoc eſt, per omnes ſeſe diſciplinas effundit. Quo fit, ut qui Dialecticen imbiberit, Dialecticus: qui Arithmeticen, Arithmeticus vocari poſſit, tum in cæteris artibus ad eundem modum. At literatus, meâ certè ſententiâ, niſi qui omnes omninò ſcientias excuſſerit, appellari nemo debet: alioquin & infantibus licèt Grammaticorum nomen attribuas, quicunque ex *Alpha* & *Beta* literarum formas edidicère. Quòd ſi tu eos tantùm Grammaticos eſſe vis, quos ais ferulas ſceptrorum vice geſtantes, in antro plagoſo regnare: tum Philantia ac Moria ſtultiores arbitrari, ſe omnes nôſſe diſciplinas, quod voculas intelligunt ipſas & orationum ſtructuram. Ego medius fidiùs, mi *Dorpi*, etiam eos quanquam procul à diſciplinis eſſe concesserim, tamen aliquanto propriùs acceſſiſſe puto, quàm Theologos illos, qui & ſtructuram orationum & voculas ipſas ignorant: ex quo genere, & ego aliquot, & tu (ut opinor) plures (quanquam uterque ſedulò diſſimulamus) agnoſcimus. *Eraſmus* certè neque illis ex Grammaticis eſt, qui tantùm voculas didicerunt; neque ex his Theologis, quibus præter perplexum quæſtiuncularum labyrinthum nihil omnino cognitum eſt: ſed ex illo Grammaticorum genere, quo *Varro* atque *Ariſtarchus*: ex illo Theologorum, quo ipſe tu, mi *Dorpi*, hoc eſt, ex optimo, ut qui nec illas quæſtiunculas ignoret, & quod tu quoque abundè feciſti, longè utiliorem bonarum literarum, id eſt ſacrarum maximè, tum cæterarum quoque peritiam adjunxerit. Sed pergo: In epiſtola tua in qua illud quoque ejuſdem fermè notæ eſt, *Si unquam Decretales Eraſme videris, quaſi Decretales epiſtolas: quas tu vidiſſe te ſignificas, ille videlicet nuſquam videre potuerit.* Jam illud quale eſt quod in eum objicis, æquum ardeæ perturbatam eſſe & imperitis: item omnia perturbata, quoties in diſceptandi palæſtram deſcenditur. Et illud præterea: *Non enim potes, Eraſme, dijudicare inter Dialecticum & Sophiſtam quid interſit, ſi utramque artem ignores:* Et paulò pòſt, *Niſi fortè tibi Sophiſtæ ſunt, omnes quibus diſputatione videaris inferior, hoc eſt, omnes Dialectici.* Itáne quæſo, *Dorpi*, putas perturbata *Eraſmo* omnia diſputanti fore, neque aut quid Dialecticus ſit, aut quid ſit omnino Sophiſta, noviſſe, & eum neſcire ſolùm, quæ fermè pueri ſciunt omnes? At Rhetoricam opinor vel tu propriam ei ac quodammodo peculiarem eſſe concedes: quam ſi tribuas, neſcio quî poſſis Dialecticam tam prorſus adimere. Siquidem rectè cenſuerunt non infimi Philoſophorum, qui tantum cenſuerunt Dialecticam à Rhetorica differre, quantum pugnus diſtat à palma: quòd quæ Dialectice colligit aſtrictiùs, eadem omnia Rhetorice copioſiùs explicat: útque illa mucrone pungit, ita hæc ipſâ mole penitùs proſternit obruítque. Sed age, nihil ſit Dialecticæ cum Rhetorica commune. Ergo quia non in ſcholis diſputat, quia non in puerorum corona rixatur, quia jam (quod tu quoque poſtea facis) quæſtiunculas iſtas valere ſinit, nunquam eum putas illas decidiſſe: ſed exiſtimas in diſputando inferiorem eſſe Dialecticis omnibus. At hîc vide quàm oppidò abs te diſſentiam. Ego nec illiteratum quidem quempiam mediocri ingenio præditum, longo tamen intervallo minoréque quàm ſit *Eraſmicum*: hunc inquam ego non omni Dialectico reor inferiorem in diſputando fore, modò res de qua diſceptatur, utrique ſit nota, quum quod arti deeſt ingenium ſuppleat. Nam & ipſa Dialectices præcepta quid aliud, quàm quædam ingenii ſcitura ſunt, ratiocinationum videlicet formæ quædam, quas ratio ferè ad rerum diſquiſitionem utiles animadvertit? Neque enim quenquam eſſe puto, qui dubitet, quin has ipſas quoque, ſi volet, quæſtiunculas non in rixoſis illis concertationibus, ubi rationem clamor vincit, unde conſpuentes invicem conſputíque diſcedunt, à quibus moribus modeſtia ejus pudórque abhorret: ſed aut calamo, aut gravi ac ſeriâ diſputatione ita tractabit, ut non ſolùm non omnibus inferior, ſed ſupremis etiam aut par aut ſuperior ſit futurus: tantum abeſt ut *Eraſmus*, cujus & ingenium & doctrinam mirantur omnes, unus futurus ſit in diſputando omnibus prorſus Dialecticis, hoc eſt, etiam pueris inferior. Sed mitto iſta omnia, nempe minoris momenti, ut in quibus literarum duntaxat æſtimatio ventiletur. At illud certè odioſius eſt, quòd *Hieronymi Huſſitæ*, *Creſconii*que Grammatici, utriuſque videlicet hæretici, mentio abs te non ſatis temperanter injecta eſt: quippe quos quibuſdam ita referre videris, tanquam conferre velis. Quid quòd nonnulla tam acerbè tractas, tanquam nihil agas aliud, quàm ut in eum primò *Lovanienſes* Theologos, deinde quotquot ubique ſunt omnes, poſtremò Academias univerſas extimules, ínque eam rem quibuſdam illius verbis longiſſimè à propoſito detortis abuteris. Nam (ut à poſtremo incipiam) quum ille dixiſſet, non omnes Theologos damnare *Moriam*, ſed eos ſolos hàs excitare tragœdias, qui dolent bonas renaſci literas, foréque ut nec *Hieronymianam* editionem (quam tu Theologis placere ſcripſeras) comprobarent ii, qui *Moriam* damnaverant: ibi tu protinus arreptâ lepidâ jocandi anſâ, *Nova* (inquis) *gloria, ſi edas quod pauci probabunt*; quaſi verò relinquantur pauci qui probent, ſi ex tanto digniſſimorum Theologorum cœtu, unus aut alter moroſiſſimi ſenes, nec ullo minùs digni quàm quod profitentur nomine, eximantur: & tu tamen, *Dorpi*, longiùs eundem tam feſtivum jocum perſequeris. Ais enim: *Age non probabunt Theologi* (ſic ille dixit ſcilicet;) *qui quæſo probabunt ergo? Juriſconſulti? an Medici? an Philoſophi denique? ut ſaltem falcem immittant alienæ meſſi? Sed Grammaticis tam paras.* Sedeant itaque Grammatici in ſolio, cenſores omnium diſciplinarum, & novam nobis Theologiam parturiant, naſcituram tandem aliquando cum ridiculo mure. Verùm nec metus eſt, nè nolint ſtudioſi illorum ſe ſceptris inclinare; Sceptra enim ſunt ferulæ, quibus plagoſo regnant in antro: & Philantiâ, & Moriâ ſtultiores, arbitrantur ſe nôſſe omnes diſciplinas, quòd voculas intelligunt ipſas, & orationum ſtructuram. Ergo non eſt

opus

opus Academiis : ſchola *Zuollenſis*, aut *Daventriana* ſuffecerit. Et certè hæc eſt ſententia magni viri *Hieronymi Huſsita*, *Univerſitates tam prodeſſe Eccleſia Dei, quàm Diabolum.* Nec Grammaticos vel tantillum commovet, quòd damnata fuerit ea ſententia in Concilio *Conſtantinenſi* : quippe in quo certum ſit neminem fuiſſe non amuſum, aut qui non ignoraverit *Græcè*. Injurius tibi *Dorpi* ſim, ſi jocum ſæpiùs interpellem tuum, in quo jamdiu, mirum quàm ſuaviter te oblectâſti. Sed ſi ſatis jocatus es, audi nunc jam *Dorpi* : Nemini obſcurum eſſe poteſt tua ipſius verba legenti, te ad hanc Univerſitatum mentionem ſine ulla prorſus occaſione deſcendiſſe, totúmque hunc locum tibi copioſè, ac perquàm diſertè ſanè, ſed extra controverſiam tamen, eſſe declamatum, nec eſſe ullâ reſponſione opus. Neque tamen ambigendum puto, quo in Univerſitates affectu *Eraſmus* ſit, in quibus & didicit & docuit, non ea modò quæ tu Grammatica vocas, ſed cùm alia multa, multò magis *Chriſtianis* omnibus utilia, tum eas etiam ipſas (quas tu nunc tam magni facis, quàm poſthac parvi facturus es) quæſtiunculas. Quis neſcit quàm diu *Pariſiis* ille, quantóque in precio fuit, tum *Patavii*, cùm *Bononia* præterea (ut nihil interim de *Roma* dicam, quam ego tamen vel Principem Academiarum eſſe omnium duco.) Jam *Oxoniâ Cantabrigiá*que tam charum habent *Eraſmum*, quàm habere debent eum, qui in utraque diu cum ingente ſcholaſticorum fruge, nec minore ſuâ laude verſatus eſt : utraque eum ad ſe invitat, utraque eum in ſuorum Theologorum numerum (quoniam eo honore alibi eſt inſignitus) tranſplantare conatur.. Sed tu quanti noſtras Univerſitates facis, haud ſcio, qui tantum *Lovanio Pariſiiſ*que tribuis, ut cæteris videaris mortalibus, præſertim ex Dialectica, nihil omnino relinquere. Ais enim, niſi *Lovanienſes* ac *Pariſienſes* Theologi eſſent Dialectici, fieri videlicet, ut Dialectica toto exulet orbe, exulaveritque multis jam ſeculis. Ego in utraque Academia fui abhinc ſeptennium, non diu quidem, ſed interim tamen dedi operam, quæ in utraque traduntur, quíque ſit utrobique tradendi modus, ut ſcirem. Et profectò, quanquam utramque ſuſpicio, quantum tamen quivi vel præſens audiendo, vel abſens inquirendo cognoſcere, nihil hactenus unquam accepi cauſæ, quamobrem vel Dialectica meos liberos, quibus optimè conſultum cupio, in alterutra earum edoceri potiùs, quàm *Oxonia* aut *Cantabrigia* velim. Non negabo tamen (neque enim libenter quenquam ſuâ gloriâ fraudaverim) noſtros permultum *Jacobo Fabro Pariſienſi* debere, quem ut inſtauratorem veræ Dialecticæ, veræque Philoſophiæ, præſertim *Ariſtotelica*, fœliciora paſſim apud nos ingenia, ſanioráque judicia conſectantur, ut per eum virum *Lutetia* gratiam nobis referre quodammodo accepti olim beneficii videatur, cùm per eum apud nos diſciplinas inſtaurent, quas ipſi à nobis initiò acceperunt : quod uſque adeo in confeſſo eſt, ut id *Gaguinus* quoque, nec detractator *Gallica* laudis, nec buccinator noſtræ, in annales ſuos retulerit. Atque utinam & *Lovanienſes*, & *Pariſienſes* quoque ſcholaſtici omnes, *Fabri* commentarios in *Ariſtotelicam* Dialecticen reciperent; Eſſet ea diſciplina (ni fallor) & minùs u-

A triſque rixoſa, & paulò repurgatior. Miror tamen cur *Lovanienſes* ac *Pariſienſes* in Dialectices commemoratione conjunxeris, qui uſque adeo inter ſe diſcordant, ut nè nomine quidem conveniant, cùm alteri *Realium*, alteri *Nominalium* nomen affectent. Quanquam ſi *Ariſtotelem* utrique recipiunt, ſi utrique tradunt, ſi non alia de re quàm de ejus mente tot inter ſe rixas excitant, jam cùm *Pariſienſes* aliter, aliter eum
B *Lovanienſes* interpretantur, nec aliter modò, ſed contrà quoque : qui ſcire poſſis utris potiùs accedendum cenſeas? Sin ad Dialecticen pertinent hujuſmodi lites, ſed nihil ad *Ariſtotelem* tamen, jam non *Ariſtotelicam* tantùm Logicam (quod tu ais) ſed aliam præterea, aut alteri aut utrique profitentur. Sin autem quæ in tanta controverſia ſunt, nec ad ipſam Dialecticam attineant (nec attinent certè, ſi ad eum non attinent, modò is Dialecticam perfectè tradiderit) jam
C hoc egregiè fuerit abſurdum, ut diſcatur Dialectica, de rebus ad eam rem neutiquam ſpectantibus tot annos digladiari. Et profectò, *Dorpi*, propemodum adducor ut credam, magnam illam opinionum partem de quibus tam diu tantâ contentione, velut pro aris fociſque dimicatur, aut ad Logicam parum pertinere, aut ad eam perdiſcendam non admodum conferre. Nam ut in Grammatica ſuffecerit eas obſervationes didiciſſe, quibus poſſis & ipſe *Latinè* loqui, & quæ
D ab aliis *Latinè* ſcripta ſunt intelligere, non autem anxiè innumeras loquendi regulas aucupari, literáſque inter ac ſyllabas conſeneſcere : itidem in Dialectica ſatis eſſe crediderim, dictionum naturam, enunciationum vires, tum ex his collectionum formulas edoctum, Dialecticam protinus, velut inſtrumentum ad cæteras diſciplinas accommodare. Atque hoc nimirum ipſum ſpectavit *Ariſtoteles*, cùm Dialecticam ſuam decem illis ſummis ſive rerum ſive nominum gene-
E ribus, deinde enunciationum tractatu adjunctis, poſtremò collectionum formulis, & quæ neceſſariò demonſtrant, & quæ ſuadent probabiliter, & quæ callidè cavillantur, abſolvit. Ad hæc tanquam aditum introitúmque quendam *Porphyrius*, quinque illas univerſa amplectentes, ſeu res ſeu voces appellare malis, adjecit. Porrò ejuſmodi quæſtiones, quibus rudia adhuc, & aptioribus imbuenda detinentur potiùs quàm promoventur ingenia, neuter eorum propoſuit, *Por-*
F *phyrius* etiam ex profeſſo abſtinuit. At nunc abſurda quædam portenta ad certam bonarum artium nata perniciem, & luculenter ab antiquis diſtincta commiſcuerunt, & ad veterum puriſſimas traditiones, ſuis adjectis ſordibus infecerunt omnia. Nam in Grammatica, ut omittam *Alexandrum* atque id genus alios, qui quanquam imperitè, tamen Grammaticam utcunque docuerunt. *Albertus* quidam Grammaticam ſe tradicturum profeſſus, Logicam nobis quandam, aut
G Metaphyſicam, imò neutram, ſed mera ſomnia, mera deliria Grammaticæ loco ſubſtituit : & tamen hæ nugaciſſimæ nugæ in publicas Academias non tantùm receptæ ſunt, ſed etiam pleriſque tam impenſè placuerunt, ut is propemodum ſolus aliquid in Grammatica valere cenſeatur, quiſquis fuerit *Albertiſta* nomen aſſequutus. Tantum autoritatis habet ad pervertenda bonorum quoque ingeniorum judicia, ſemel ab ineptis

tradita

A tradita magiſtris, deinde tempore corroborata perſuaſio. Quo fit, ut minùs mirer, ad eundem modum in Dialecticæ locum nugas plus quàm Sophiſticas irrepſiſſe, quæ cultoribus ſuis argutiarum nomine tam vehementer arrident, ut mihi nuper his de rebus obiter loquenti quidam Dialecticus (ut ferebatur doctiſſimus) aſſeruerit, *Ariſtotelem* (referam ipſius verba; nequeo enim aliter tam nitidum eloquentiæ florem B aſſequi) *niſi groſſo modo ſcripſiſſe: Et nunc ſunt* (inquit) *pueri in Parvis Logicalibus ſuis tam ſubſtantialiter fundati, quòd bene credo certè, quòd ſi Ariſtoteles à ſepulchro ſuo reſurrexerit, & argueret cum eis, illi bene concluderent eum, non ſolùm in Sophiſtria, ſed etiam in Logica ſua.* Reliqui hominem oppidò quàm invitus, niſi quòd aliquanto (ut tum res erat) occupatior fui, quàm ut vacaret ludere. Cæterùm liber ille *Parvorum Logicalium* (quem ideo ſic appellatum puto, C quod parum habeat Logices) operæprecium eſt videre, in ſuppoſitionibus quas vocant, in ampliationibus, reſtrictionibus, appellationibus, & ubi inquam tam ineptas, quàm etiam falſas præceptiunculas habet, ut ex quibus adiguntur inter has atque ejuſmodi enunciationes diſtinguere, *Leo animal eſt fortior*, & *Leo eſt fortior animali*, quaſi non idem ſignificent: & profectò tam ſunt ineptæ, ut utraque propemodum nihil ſignificet, quanquam ſi quicquam, haud dubiè D idem: tantundémque inter ſe differunt, *Vinum bis bibi*, & *bis vinum bibi*: hoc eſt, ſecundùm hos Logiſtas multum, ſed re verâ nihil. Jam ſi quis non aſſas modò, ſed aduſtas quoque carnes ederit, eum volunt verum dicere ſi ſic enunciet, *Ego crudas carnes comedi*: non autem ſi ſic, *Ego comedi crudas carnes*. Tum ſi quis parte relictâ mihi, partem ſibi pecuniæ meæ ſuſtulerit, mentiar, videlicet ſi dixero, *Spoliavit me denariis*. Sed nè deſint mihi verba quibus apud Judicem E querar, licebit dicere, *Denariis ſpoliavit me*, & in àliquo caſu (ut aiunt) poſſibili poſito: hæc erit vera, *Papam verberavi*, quum eodem manente caſu hæc erit falſa, *Verberavi Papam*: nempe ſi is qui nunc Papa ſit, puer olim à me vapulaverit. Digni herclè qui talia jam ſenes docent, ut quoties pueros docent, toties ipſi vapulent. Quid quòd hanc falſam aiunt, *Omnis homo pater eſt, qui habet filium*, niſi omnes prorſus homines jam habeant filios: quoniam videF licet huic æquipollet, *Omnis homo eſt pater, omnis homo habet filium*. At hanc interim veram affirmant, *Pater erit Sortes, quando Sortes non erit pater*: & hanc, *Pater manebit Joannes, quando Joannes non manet pater*: quod quis ſic audire poteſt, ut ſibi non interim credat ænigma proponi? At hæc verba, *Sum* & *Poſſum* regnant planè, & quoniam (ut aiunt) ampliativa ſunt, pomœria ſua ultra ipſos naturæ fines longè latéque proferunt. Nam hanc veram aſtruunt, *Omne quod erit* G *eſt*: ſed eam tamen callidè interpretantur; aiunt enim, *Omne quod erit eſt*, ſignificare, *Omne quod eſt, quod erit eſt*: atque hoc pacto cavent nè Antichriſtus, qui olim erit, jam ſit; nam quanquam omne quod erit eſt, & quanquam Antichriſtus erit, tamen non ſequitur, Antichriſtus eſt, propterea ſcilicet quòd Antichriſtus non eſt ens quod erit. Quòd niſi hanc plus quàm ſubtilem propoſitionis hujus expoſitionem circumſpexiſſent acuti in Dialecticis argutiis Theologi, rempublicam *Chriſtianam* haud dubiè jam olim Antichriſtus invaſiſſet non ſine magno cæterorum omnium periculo. Nam ipſis non video quid poſſit imminere diſcriminis, quippe quum fateantur has etiam veras eſſe: *Antichriſtus eſt amabilis*, & *Antichriſtus eſt amaturus*; quanquam profectò nec Antichriſtus, nec ſupremus ipſe judicii dies, rerum naturam magis poterit, quàm hæc Dialectica ſubvertere, quæ docet, has enunciationes eſſe veras: *Vivum fuit mortuum, Futurum fuit præteritum*: quibus nimirum fit, ut mortuorum reſurrectio, non (ut ipſi loquuntur) *in fieri*, ſed *in facto eſſe* videatur. Jam iſtæ non minùs mirandæ, ſed ſunt amœnæ quoque, ac plauſibiles, quum ſint veræ ſcilicet, *Virgo fuit meretrix*, & *Meretrix erit virgo*, & *Meretrix poſſibiliter eſt virgo*. Non facile dictu eſt, Dialecticis tam benignis, utræ magis, virginéſne an meretrices debeant, debeant certè utræque plurimum. Poetæ ergo nugas, Dialectici ſeria tractant. Poetæ fingunt ac mentiuntur, Dialectici nunquam niſi vera loquuntur, nè tum quidem quum hanc eſſe veriſſimam affirmant, *Homo mortuus poteſt celebrare miſſam*: quòd quanquam non audeo aſſerentibus eis, ac propemodum etiam jurantibus, non credere, (neque enim tot doctoribus tam irreſragabilibus fas eſt refragari) hactenus tamen (quantum memini) neminem unquam reperi, qui ſe narraret mortuo celebranti miniſtràſſe. Hanccine Dialecticam docet *Ariſtoteles*? hanc *Hieronymus* laudat, hanc probat *Auguſtinus*, quam (ut ait *Perſius*)

Non ſani eſſe hominis, non ſanus juret Oreſtes?

Miror herculè homines acutuli quonam pacto ſenſerunt illas enunciationes ſic intelligendas eſſe, quomodo nemo in toto orbe præter eos intelligit. Nec ſunt Artis illa vocabula, ut ſint eis quaſi in peculio, & ab eis ſi quis volet uti, ſumenda mutuò. Communis nimirum ſermo eſt, niſi quòd quædam deterius reddunt, quàm à cerdonibus eadem acceperunt. A vulgo ſumpſerunt, vulgaribus abutuntur. At regula quam vocant Logices, in eos ſenſus tales propoſitiones docet interpretandas. Quæ (malùm) regula in angulo quopiam ab his compoſita, qui vix loqui ſciant, univerſo terrarum orbi, novas loquendi leges imponet? Grammatica rectè loqui docet, nec ea tamen inſuetas loquendi regulas comminiſcitur, ſed quæ plurimum in loquendo videt obſervari, eorum loquendi rudes, nè contra morem loquantur, admonet. Nec aliter quicquam Dialectica facit, quæ ſana eſt. Nempe hic ſyllogiſmus, *Omne animal currit, Omnis homo eſt animal*, ergo *Omnis homo currit*: non ideo ſyllogiſmus eſt, quia ritè ſecundùm Dialecticæ normam colligitur ac formatur in *Barbara*, ſed quia poſtremam orationem ad præmiſſa conſequi docet ratio, quæ regulam ob id ipſum talem fecit. Alioquin aliter eam factura, quaquà verſus ab ipſa rerum natura flecteretur. Ipſi quoque eodem modo in hac propoſitione, *Meretrix erit virgo*, nè dicant ſic interpretandam, *Meretrix quæ eſt, vel quæ erit*, quia ſic jubet regula, ſed rationem affectant ab ipſa re, quare fieri debeat talis regula. Nam ſi recta eſt interpretatio, neceſſe eſt eam aut ab ipſa re quæ enunciatur, aut ex proprietate

prietate ſermonis emergere. Ergo cùm tam A
multis eorum qui *Latinè* jam olim locuti *ſunt*,
neque ingenium defuerit, neque eruditio, nec
ſermonis proprii fuerit minor quàm iſtis eſt (uti
credo) peritia; quomodo evenit ut ex illis ne-
mo potuerit intelligere hanc veram eſſe, *Me-
retrix erit virgo:* aut inter has diſtinguere, *Num-
mum non habeo*, & *Non habeo nummum?* Quan-
quam nemo negaverit, tranſpoſitiones vocabu-
lorum diverſum ſæpe ſenſum gignere. Neque B
enim idem eſt, *Bibas priuſquam edas*, & *Edas
priuſquam bibas*. Sed hoc affirmo, quando ita
ſenſus variatur, omnes in idem mortales aſſenti-
re, trahente videlicet ratione, non Dialecticо-
rum jubente potiùs quàm perſuadente regulâ:
quorum officium eſt, ut more noſtro loquentes
quóvis nos veris rationibus impellant: Sophiſta-
rum verò, ut inſidioſis eò præſtigiis adducant
quò nos perveniſſe miremur. Nam hoc hebetiſ-
ſimum eſt acumen, & ſtultiſſima ſolertia, ſe di- C
ſputando pronunciare victores, & triumphum ſi-
bi decernere, quia nos neſcimus in quem ſen-
ſum ipſi clanculùm pacti ſunt, ſermones noſtros
contra communem omnium ſenſum accipere.
At hæc cùm nec Sophiſtica dici mereantur, ta-
men non pro Sophiſticis nugis dicuntur, ſed in-
ter Dialecticæ abſtruſiſſimos theſauros nume-
rantur: nec à pueris tanquam dediſcenda diſcun-
tur, ſed à ſenibus quoque in ipſa Theologiæ pe-
netralia inſpiciuntur. His quidam Theologicas D
perplexitates infarciunt, ex his propoſitiones
tam ridiculas effingunt, ut ridenda materia nuſ-
quam oriri poſſit uberior, niſi quòd multò ma-
lim eos qui ſic ineptiunt, ad ſanitatem converti,
quàm ex inſanorum deliriis ipſe capere volupta-
tem. Quanquam quid hæc dico tibi *Dorpi*, cui
non dubito has nænias non minùs diſplicere,
quàm mihi ſi poſſes mutare, & fortaſſe poteris
adjutus à tui ſimilibus, modò ne ſtatuas tecum,
illorum obſequi ineptiis, quos multò magis par E
eſt tuo parere judicio. Sed ad epiſtolam tuam
revertor, ut oſtendam nullam ex *Eraſmi* verbis
anſam tibi datam, quâ eum (id quod facis) di-
ceres. *Lovanienſes* Theologos, multóque adhuc
minùs, cæteros omnes imperitiæ damnare, ſi-
quidem cùm ille dixiſſet, ſe valere ſinere, non
omnes quidem Theologos, ut qui priùs in eadem
epiſtola multos dixerit eſſe præſtantiſſimos: ſed
eos tantùm qui tales ſunt, ut certè ſunt qui præ-
ter Sophiſticas nugas nihil didicerunt. Hic tu F
ſtatim, *per Theologos iſtos puto*, inquis, *Lovanien-
ſes deſignari*. Quid ita, *Dorpi*, quaſi verò difficile
ſit, hujus farinæ, imò iſtius furfuris, aliquos u-
bique reperire? Bellè profectò ſentis de *Lovani-
enſibus*, ſi eos, & ſolos, & omnes putas ejuſmo-
di deſcriptione cognobiles, quòd ille neque ſen-
tit, neque dicit? Paulò tamen pòſt ſic dictum
accipis, tanquam non in *Lovanienſes* modò, ſed
in omnes quotcunque ſunt ubique gentium
Theologi diceretur: quod ille nec in alios o- G
mnes, nec in *Lovanienſes* ipſos eſt loquutus, tu
tamen perinde ac ſi neque illum neque temet au-
dias, videris in hæc verba non deſcendere, ſed
velut abreptus impetu animi efferveſcentis erum-
pere: *Nónne videmus abjectiſſimos opifices, imò
viliſſima mancipia clariſſimis eſſe prædita ingeniis?
Quid ergo ſibi volunt hæc in Theologos omnes detorta
vocabula? pingues, rudes, peſtilentes, & qui ni-*

A *hil habeant mentis. Nullius eſt artis probra dicere
in quoſvis; ſed neque honeſtum eſt, aut boni viri of-
ficium, ſi ſeveram Salvatoris noſtri ſententiam per-
pendamus: Qui dixerit fratri ſuo* Racha, *reus e-
rit Concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit
gehennæ ignis.* Ubi *Hieronymus*, *Si de otioſo ſer-
mone reddituri ſumus rationem, quanto magis de
contumelia, qui in Deum credenti dicit, Fatue, im-
pius eſt in religionem?* Sunt iſta quidem verba tua,
B *Dorpi*, non gravitatis modò, ſed ſanctitatis quo-
que plena, veréque ſevero Theologo digna, quæ
utinam in loco dicerentur ſuo. Sunt enim me-
liora quàm ut perire debeant. Quòd ſi deſuper
è ſuggeſtu librarentur in populum, nunquam ita
errare poſſent, ut non in aliquem in quo hærere
viderentur, inciderent. At nunc me miſeret, in
unum *Eraſmum* quòd declamas omnia: in quem
unum, eorum quæ declamas omnium, nihil
quicquam competit. Nam quod affers ex Evan-
C gelio, *Qui dixerit fratri ſuo, Fatue, reus erit ge-
hennæ:* nihil ad eum ſpectat, qui nominato ne-
mine velit aſſerere eſſe unum alterúmve in ma-
gno hominum numero fatuum: alioquin decem
gehennæ non ſuffecerint ei qui dixit, *Stultorum
infinitus eſt numerus*. Porrò quod quæris, *Quid
ſibi volunt hæc in Theologos omnes detorta vocabula?*
hoc mihi de te, *Dorpi*, quærendum eſt. Nam
quæ ille dixit in paucos, ea tu ſolus in omnes de-
torſiſti: quod te inſtituiſſe facere vehementer
D admiror. Siquidem ut *nullius eſt artis* (ſicuti tu
dicis) *probroſa in quoſvis dicere*, ita nullius eſt ar-
tis (quod tu facis) benedicta malè narrando
corrumpere: quippe quæ non malè ſcripta ſunt
in merentes, ea tu conaris quo malè ſcripta vide-
rentur, ad immerentes inflectere: quod in qua-
vis re, quàm facile factu ſit, ipſe facilè vides.
Nam profectò ſi quis ea quæ tu ſcripſiſti, ad hunc
excutiat modum, nil abs te tam circumſpectè
ſcriptum eſt (quanquam omnia circumſpectiſſi-
E mè) ut non alicunde poſſit obnoxium eſſe calu-
mniæ: veluti illa ipſa epiſtola, quæ abs te, ut
noviſſimè, ita accuratiſſimè ſcripta, in editio-
nem *Quotlibeticorum* digniſſimi viri *Adriani Flo-
rentini De trajecto:* in qua cùm & opus magnificè,
& Authorem copioſè laudaveris, utrumque (ut
ego certè puto) tam ex animo, quàm verè: ta-
men ſi quis incideret interpres paulò malignior,
videri poſſis alterâ manu panem, alterâ lapidem
porrexiſſe: primò quòd ut ejus operis editionem
F curares, nullo tuo in eum librum ſtudio, nec ni-
ſi aliorum precibus atque adeò opplorationibus
adduci potuiſti, quaſi in rem quam ipſe non ma-
gni feceris, aliorum affectibus operam tuam in-
dulſeris: deinde quòd te ſcribis ſeria ſtudia tua
ſepoſuiſſe tantiſper dum *Quodlibetica* corrigeres
illa, perinde ac ſi illa ſeriis in ſtudiis non eſſent
numeranda: cùm tamen magiſter *Joannes A-
thenſis*, vir tantæ & doctrinæ pariter & judicii,
non gravabatur operam in eam rem ſuam vel in-
G tempeſtâ nocte frequenter (ut ais) accommo-
dare, tanquam velut obſtetrices excitari de nocte
ſolent, quum mulieres parturiunt, ita hoc opus
emendari non potuerit interdiu. Quid quòd e-
juſdem *Adriani* dum æquitatem laudas, æqui-
tatem ei *Lesbiam* videris attribuere, ad *Lesbiam*
nimirum regulam alludens, quam plumbeam fu-
iſſe meminit *Ariſtoteles*, non æquam ſemper,
ſed ad rerum inæqualitates flexibilem? Nec me,
mi

mi *Dorpi*, putes hæc eò dicere, quòd te putem A
tale quicquam ſenſiſſe, aut ſic denique vel in vi-
ro tanto, vel tali opere famæ commendando
luſiſſe. Nam & virum multis modis audio mul-
tum eximiæ laudis aſſequutum, & opus ipſum
cenſeo in ſuo certè genere perfectum. Sed hæc
omnia eò dico, ut oſtendam, nihil tam muni-
tum eſſe, in quo locum ſibi non poſſit invenire
calumnia, quando tuis etiam ſcriptis tam accu-
ratè, tam circumſpectè limatis; tamen impe- B
trandum eſt ut cum favore legantur. Quan-
quam *Eraſmus*, nè quiſquam prorſus ullam oc-
caſionem poſſet arripere, quàm dicat eum in o-
mnes, ea quæ tu objicis ei, dixiſſe Theologos,
vel eo caviſſe videtur quod ait, *Quotidie re ipſâ
experior, quàm nihil habeant mentis, qui præ-
ter Sophiſticas nugas nihil didicerunt.* Non dicit,
Quàm nihil habent mentis omnes Theologi: ſed ne-
que, *Qui Sophiſticas nugas didicerunt:* ſed, *Qui
nihil præterea.* Quamobrem cùm ſic ſcribis, *Por-* C
ro quòd hypotheſin facias, Eraſme, *noſtros Theolo-
gos ſolis ſophiſmatum meditationibus eſſe occupatos,
totâ erras viâ.* Hic tu, mi *Dorpi*, totâ erras viâ,
cùm hypotheſin facis: *Eraſmum* talem hypothe-
ſin feciſſe de omnibus Theologis veſtris, quam
ille de uno tantùm facit, aut altero: neque
quicquam dicit in quo ſit neceſſe omnes Theolo-
gos veſtros includi. Quare nec id quidem ad
rem facit, quod protinus adjeciſti, *Dic age,
quidnam eos quamvis ſanè poeſeos ignaros, arce-* D
*bat ab Evangelius, Paulinis epiſtolis, totáque Biblia
evolvenda?* Nihil ſanè, *Dorpi*, modò ipſi non
arcerent ſeſe: quod aliqui faciunt, qui vitam u-
niverſam quæſtiunculis conſecrantes, Bibliam
certè, velut nihil ad rem pertineat, nunquam di-
gnantur inſpicere. Atque ille aliquos hujuſmodi
putat eſſe, non omnes: ut intelligas, id quoque
te ſine cauſa ulla ſubnectere, *Proferatis ego mul-
tos hinc qui, rejectis libris, ſolâ memoria vi cum quo-
vis de textu Scripturæ certabunt.* Cave credas *En-* E
dymionis ſomnium dormire Theologos, quo tem-
pore vos literis invigilatis: aut ingenio carere,
quicunque non poetantur, aut rhetorizant. Ne-
mo, *Dorpi*, negat eſſe qui rejectis libris de Scri-
pturæ textu certare poſſint. Imò plus ſatis ubi-
que reperias eorum, qui libris non rejectis modò,
ſed etiam nunquam inſpectis, cum quovis in
Scripturis exercitatiſſimo ſint parati de quovis
Scripturæ textu, non memoriæ, ſed Moriæ vi
certare pertinaciſſimè. Neque negabo tamen, & F
apud vos & ubique eſſe, qui è Scripturis multa
memoriter teneant: ex quibus eos qui non in
hoc ſolùm collocârunt operam memoriæ ut man-
darent, quod illiterati etiam monachi fratréſque
faciunt, ſed vel multò magis ut intelligant, qui
tantam ſermonis facultatem paraverunt ſibi, ut
pernoſcendis *Hieronymi*, *Auguſtini*, *Ambro-
ſii*, cæterorúmque id genus lucubrationibus pa-
res eſſe poſſint: eos, inquam, ego in Theolo-
gorum albo meritiſſimo jure collocandos puto, G
etiamſi verſus nunquam fecerint, tam herclè
quàm ſi diſputatiunculis iſtis non totos centum
annos inſumpſerint, ut nè dicam, ſi in univer-
ſum neglexerint. Sed tu quoque, ſi vera vis fa-
teri, non inficias ibis, ex Theologorum, qui vo-
cantur, numero eſſe rurſus aliquos, qui Scri-
pturæ libros ita rejiciant, ut rejectos nunquam
reſumant; qui ita ſeſe totos Theologiæ huic di-

A ſputatrici devoveant, ut non ſolùm non poeten-
tur, ac rhetorizent, verumetiam ſanctiſſimos
patres, antiquiſſimos quoque Scripturarum in-
terpretes propemodum flocci faciant, certè (quod
ſatis conſtat) eorum in ſacras literas enarratio-
nes negligant, unáque ipſarum ſacrarum litera-
rum ſtudium, poſtremò quæcunque ſunt opti-
ma, piiſſima, maximè *Chriſtiana*, veríſque Theo-
logis digniſſima: ea inquam omnia, quòd ſint
B (ut ipſi vocant) poſitiva, contemnant, neque
eorum quicquam dignum putant, ubi ipſi nervos
intendant ſuos, homines ad quæſtiunculas nati,
res tanto videlicet intervallo majores: ex quibus
ipſis tamen maximè quæſtiones conſectantur e-
juſmodi, quæ vel ad fidei pietatem, vel ad mo-
rum cultum minimè omnium pertineant. Ego
itaque ut prius illud Theologorum genus vene-
ror ac ſuſpicio, ita hoc poſterius herclè non ad-
modum magnipendo: adverſùs quos tamen non
C eſt conſilium Poeſim aut Rhetoricam defendere,
quippe qui à Poeſi Rhetoricáque tam longè pro-
pemodum abſim, quàm illi ipſi. Abſunt autem
ipſi tam longè ferè quàm ipſa Theologia: à
qua tam longè abſunt, ut à nulla re abſint, præ-
terquam à communi hominum ſenſu, longiùs:
vel ideò maximè, quòd ad inſignem rerum o-
mnium inſcitiam, acceſſit omnigenæ ſcientiæ
perverſa perſuaſio, quâ ſibi adeò blandiuntur,
ut omnium hominum ſcripta, ac ipſas etiam ſa-
D cras literas, ut quicquam audierint quapiam oc-
caſione prolatum, qui locum nunquam vide-
rint, nunquam librum inſpexerint, quid ea ver-
ba præcedat, quid ſequatur neſciant, imò ad ip-
ſum quod citatur, ſitne an non ſit, unde citatur
ignorant: ſe tamen ſolos arbitrantur idoneos,
qui protinus in quemcunque libeat ſenſum inter-
pretentur. Ex quo genere cùm in multos inci-
derim, unum ſaltem ex quo cæterorum indoles
agnoſci poſſit, non pigebit herclè velut ſpecimi-
E nis loco referre. Cœnavi olim apud *Italum* quen-
dam mercatorem, non minùs doctum, quàm
divitem (erat autem ditiſſimus:) fortè aderat
in cœna religioſus quidam Theologus, diſputa-
tor egregius, qui recens è continente venerat,
ut quæſtiones aliquot quas præmeditatus adve-
xerat, *Londini* diſputaret, experturus videlicet
in ea diſceptandi palæſtra, quid *Angli* præſta-
re poſſent, ſimul nomen ſuum jam apud ſuos ce-
lebre, apud noſtros quoque propagaturus. Is
F quas Concluſiones (ut vocant) affixerit, tum
quanquam bellè diſputatio proceſſerit homini,
quanquam longum eſſet, non gravarer profectò
narrare, ſi tam ad hanc rem pertinens foret,
quàm feſtivum fuit. Cæterùm in cœna nihil à
quoquam dici tam bene munitum aut libratum,
tam circumſpectè potuit, quod non ille vix pro-
latum aliquo ſtatim ſyllogiſmo convelleret, quan-
tumvis res de qua ſermo erat nihil ad Theologiam
pertinens, ad Philoſophiam tantundem, quan-
G tumvis denique ab univerſa ejus profeſſione eſſet
alienum: niſi quòd initio cœnę fecerat, nè ali-
enum eſſe quicquam ab ejus profeſſione poſſet
(profeſſus eſt enim, ſeſe in utramque partem de re
quacunque diſputaturum.) Paulatim cœpit mer-
cator ad quæſtiones magis Theologicas deſcen-
dere. De Uſura proponebat, de Decimis quæ-
dam, De Confeſſionibus, quæ in aliena paro-
chia fratribus eſſent factæ. In omnibus nihil erat

Theologo penſi, utram ſuſtineret partem: ſed
utramcunque aliquis aſſeruiſſet, illam oppugna-
bat; ac viciſſim quancunque alius negaverat,
hanc ille protinus aſtruebat. Tandem per jocum
mercator ſermonem de Concubinis injecit, cœ-
pitque defendere, minus mali unam quampiam
domi habere, quàm fòris per multas diſcurrere.
Ibi rurſus Theologus inſtare, oppugnare feroci-
ter, non quòd uſque adeo concubinam videretur
odiſſe, ſed nè cum quoquam ei quicquam con-
veniret, ſive quòd hominem fortaſſis varietas
oblectabat. Cæterùm aſſerebat ſeſe concluſio-
nem famoſam cujuſdam limpidiſſimi doctoris,
qui fecit illum ſingulariſſimum librum qui intitu-
latur *Directorium Concubinariorum*, plus eum
peccare qui unam domi concubinam, quàm qui
decem foris meretrices haberet: ídque cùm ob
malum exemplum, tum ob occaſionem ſæpiùs
peccandi cum ea quæ domi ſit. Reſpondit mer-
cator, doctè meherclè, & acutè, quæ & longum
recitare fuerit, & apud te ſupervacaneum. At
cùm olfeciſſet, Theologum non perinde in ſcri-
pturis atque in quæſtiunculis illis exercitatum,
cœpit hominem ludere, argumentaríque inter-
dum per locos ab authoritate. Effingebat enim
extemporè ſententiolas quaſdam breves, ſuæ
parti quæ viderentur aſtipulari: cúmque ipſe o-
mnes nuſquam antè auditas, pro libito fuiſſet
commentus; hanc tamen ex epiſtola quapiam
D. *Pauli*, illam ex *Petri*, rurſus aliam ex medio
citabat Evangelio: ídque tam diligenter, ut nè
capitulum unquam dum citabat omitteret, niſi
quòd ſi quis liber in ſedecim capita diſtinguèba-
tur, ille datâ operâ citabat ex viceſimo. Quid
ille bonus Theologus interim? ad cætera certè
ſtrenuè, & tanquam ſpinis ſeſe ſuis obvolvit. At
perſonatas illas authoritates vix herclè huc atque
illuc vitabùndus evaſit, ſed evaſit tamen; tan-
tum valet ars exercitatióque diſſerendi. Nam
cùm quid in ſacris continebatur literis, omninò
neſciret; neque dubitaret, quin quod inde ci-
taretur, ibi eſſet, non deſerre verò cederéque
authoritati Scripturæ nefas duceret, ac loco
depelli, vincíque turpiſſimum: tantis circumſe-
ptus anguſtiis, vide obſecro quâ aſtutiâ tandem
Protheus ille è mediis retibus elapſus eſt. Statim
ut aliqua ſententia quæ nuſquam erat, tanquam
è ſacris literis adverſùs eum citabatur: Bene ci-
tas, inquit, domine, ſed illum textum ego ſic
intelligo: & jam interpretabatur non ſine aliqua
diſtinctione bimembri, quorum alterum pro
adverſario ſtare diceret, altero ipſe effugeret.
Quòd ſi quando mercator inſtabat moleſtius
contendere, ejúſque textus non illum verum eſ-
ſe ſenſum quem Theologus affirmabat, jurabat
homo tam ſanctè, ut quivis poſſit credere, *Ni-
colaum de Lyra* eum textum ſic interpretari. Pro-
fectò, mi *Dorpi*, in illa una cœna plus quàm vi-
ginti poculenti textus, totidémque poculenta
gloſſemata, inter pocula, atque ex poculis tan-
quam è ſerpentis dentibus terrigenæ illi fratres,
& nati ſunt & perierunt. Quid tu ais ergo *Dor-
pi*? Tu iſtiuſmodi homines ſacrarum inanes lite-
rarum, quæſtionibus illis Theologicis quan-
tumcunque diſtentos, Theologorum cenſes vo-
cabulo inſigniendos? Non opinor, quanquam
herclè (ut verè dicam) animi ambiguum tui
hæc tua me verba faciunt. Non perſuadeas *Eraſ-*

A *mo*, tibi enim demum eſſe Theologum, qui Bi-
bliæ ſeriem ad literam intelligat, nec eum item,
qui morales ſenſus æquè atque alter *Origenes*, no-
vit eruere. Multa reſtant diſcenda, ut intellectu
difficiliora, ita & utiliora gregi, pro quo mor-
tuus eſt *Chriſtus*. Alioqui qui ſciemus ut ſacra-
menta ſunt adminiſtranda, quænam ſint eorum
formæ, quando abſolvendus peccator, quando
ſit rejiciendus, quid præceptum ſit reſtitui, quid
B ſervari poſſit: & innumera hujuſmodi? Multum
niſi erro, longéque minore operâ bonam Bibliæ
partem ediſceres priùs, quàm vel unius perplexi-
tatis nodum diſcas diſſolvere, cujuſmodi pluri-
mi cotidie occurrunt, ubi vel in quatuor verbis
diutiſſimè hærendum eſt: niſi tu has etiam voces
Theologorum nænias, quæcunque ad ſacramen-
ta pertineant, ſine quibus tamen ſancta Dei Ec-
cleſia catholica profitetur ſalutem hominis peri-
clitari. Crede mihi, *Dorpi*, niſi tute hæc ſcribe-
C res, nunquam adduci poſſem hæc te ſentire, ut
crederem: ſcilicet iſtæ neotericorum quæſtiun-
culæ (nam de iis agitur) non intellectu tantùm
difficiliores, ſed gregi quoque, pro quo mor-
tuus eſt *Chriſtus*, utiliores ſunt quàm exactiſſima
cognitio ſacrarum literarum omnium. Hui ex
quantulo culice quàm ingentem elephantem fa-
cis? Nam eam rem primùm tam difficilem pu-
tas, ut *Eraſmus* minore operâ bonam Bibliæ
partem poſſet ediſcere, quàm unius perplexitatis
D nodum diſcat diſſolvere, cujuſmodi plurimos quo-
tidie in ſcirpo quærunt; ubi tam diu in tenaci,
nè dicam ſordido quatuor verborum luto hæren-
dum eſt, dum poſſes amœniſſimum ac ſaluberri-
mum totius Bibliæ pratum à capite penè ad cal-
cem ſenſim perambulaſſe. Hactenus ergo pericu-
lum erat, nè quæſtiunculas iſtas non didiciſſet;
nunc ut video majus quippiam timendum eſt, nè
tam longè ſupra captum ejus ſint, ut apprehen-
dere nè ſufficiat quidem. Quid ille poſſit, omit-
E to quærere: verùm hoc ſcio, quoſdam noviſſe
me, ad cætera planè ſtipites, ingenio certè pi-
ſtillo quovis obtuſiores, qui in hujuſmodi tamen
argutiis non modò promoverint, ſed ſodales ſuos
quoque multò melioris ingenij, nec minoris in-
duſtriæ, equis (ut aiunt) albis in diſputando
præceſſerint: ita quovis importunè prorumpit
audax & inverecunda ſtultitia, quum ingenuam
animi indolem, & ſanum plerunque judicium,
nugandi remoratur pudor. Sed eſt profectò, *Dor-
F pi*, quod meritò gaudere debes, nec tuis viri-
bus acceptum, ſed bonorum omnium largitori
Deo referre: cujus eximia in te benignitate
profluxit hæc tam rara felicitas, ut in ſacris li-
teris omnia tibi tam facilia videantur. Neque e-
nim in hoc libro quem ſignacula ſeptem clauſe-
runt, cuncta reperires aperta, niſi ille tibi agnus
librum reſignâſſet, qui aperit & nemo claudit,
claudit & nemo aperit. Sed hic ipſe liber, *Dor-
pi*, qui tam facilis tibi videtur, *Hieronymo* certè
G viſus eſt difficillimus: *Auguſtinus* putavit im-
penetrabilem; neque quiſquam eſt antiquorum
omnium, qui ſe fateri eſt auſus intelligere, ut
cujus intellectum putant altiſſimo Dei conſilio
vel ob id ipſum profundiùs abſtruſum eſſe, ut cu-
rioſos oculos provocaret, & ſemotis ac labore
eruendis obicibus ſegnia excitaret ingenia, quæ
alioqnin obvios expoſitóſque theſauros ipſâ ſecu-
ritate torpeſcerent. Jam (ut omittam) interim
quàm

quàm non ſit vulgaris eruditionis opus, quàm A
non cujuſlibet ingenii, quæ à moribus interdum
primo aſpectu abhorreant, ea tamen commodè
ad mores ac tam fœliciter appellere, ut non ali-
unde eò tracta, ſed ad ipſum nata videantur.
Quam rem nonnulli nunc tam ineptè moliun-
tur, ut cùm hactenus ſint progreſſi, ut rem ab
ipſius magis loco detraxerint, quàm ad ſuum
perduxerint, quum neque in re conſilium ſit,
neque in verbis *Venus*: ſit nimirum uti tota illa B
mora'izatio (quam vocant) ſine ulla gratia ſpi-
ritúque frigeſcat. Sed hæc (ut dixi) omittam.
At certè ipſum literalem ſenſum tantum conti-
nere difficultatis puto, quantum neſcio an quiſ-
quam omnium comprehendere poſſit. Neque
enim cuiquam ſentio literalem horum verborum
ſenſum intellectum eſſe, *Dixit Dominus Domi-
no meo, Sede à dextris meis*: niſi ei qui ea Pro-
pheram de ipſo *Christo* vaticinatum intelligat;
quod, exceptis Propheris, nec *Judæorum* quiſ- C
quam, quanquam in hos libros univerſam ope-
ram ſuam collocabant, intellexit, priuſquam
Christus eis hunc ejus literæ ſenſum aperuit: qui
tametſi Apoſtolis & diſcipulis ſuis interpretatus
eſt Scripturas (neque enim, quòd ſciam, quæ-
ſtiunculas iſtas cum eis diſputavit unquam) non
auſim tamen affirmare, univerſæ Scripturæ ſen-
ſus, eis ipſis aut præſentem tradidiſſe, aut per
Spiritum Sanctum poſtquam aſcendit infudiſſe.
Nam ut multa ſunt ibi quæ de *Christo* Prophetæ D
cecinerant, quorum alios omnes ſubterfugit in-
tellectus, quouſque ea omnia ipſius vita, paſſio,
reſurrectióque declaraverant: Ita mortalium im-
pares eſſe vires puto ad indagandum, utrùm ad-
huc in eiſdem lateant aut de finali judicio, aut
aliis de rebus nobis incogitabilibus, neque ulli
hominum aut hactenus cognita, aut antè co-
gnoſcenda myſteria, quàm eventus eadem tem-
poribus ac momentis ſoli præviſa inſcrutabili
Dei providentiæ patefecerit. Sed eſto *Dorpi*, ſit E
Scriptura facilis, difficiléſque quæſtiones: nihil
impedit tamen, quin illius cognitio harum poſ-
ſit eſſe diſciplinâ fructuoſior. Quanquam enim
ſaltare, atque in gyrum ſe colligere (quod ſal-
tatriculæ quidam ac circulatores faciunt) diffi-
cilius eſt, quàm ambulare, & dentibus panem
facilius eſt quàm teſtacea fragmenta conterere:
neminem tamen eſſe puto, qui rectos illos vul-
garéſque naturæ uſus velit hujuſmodi inanibus o-
ſtentis permutare. Quamobrem utra ſpes ſit F
difficilior, non admodum magni facio: at quòd
utiliores etiam quàm ſacrarum cognitionem li-
terarum, quæſtiunculas iſtas eſſe vis gregi, pro
quo mortuus eſt *Christus*, ferre profectò non
poſſum; quas ſi cognoſcendas aſſereres, haud
refragarer; ſi veterum lucubrationibus exæqua-
res, non tolerarem; nunc verò cùm ancillas
iſtas coquinarias ipſi Bibliæ ſacroſanctæ litera-
rum omnium reginæ non confers modò, ſed
præfers etiam, dabis mihi *Dorpi* veniam, con- G
tinere meherclè non poſſum, quin illo *Terentia-
no* procul illas omnes abigam, *Abite hinc in ma-
lam rem cum iſtac magnificentia fugitivæ: adeò pu-
tatis vos aut veſtra facta ignorarier?* Neque pro-
fectò ſatis admirari queo cùm ea verba lego, qui-
bus eas ita magnificè attollis, tanquam uti (a-
pud Poetas) in *Atlantis* humeros cœlum, ita

in perplexas hujuſcemodi quæſtiunculas, hoc eſt
arundinem, in univerſum prorſus inclinata in-
cumbat Eccleſia, alioquin videlicet periclitatu-
ra, nè tota ſemel collaberetur in cineres. Ais e-
nim, *Alioqui quî ſciemus quomodo ſint ſacra-
menta adminiſtranda, quænam ſint eorum formæ,
quando abſolvendus peccator, quando rejiciendus;
quid præceptum ſit reſtitui, quid ſervari poſſit?*
Itáne putas, *Dorpi*, iſta quæ tu nuſquam alibi
quàm apud Neotericos quæſtioniſtas invenire vis,
antiquos omnes ſanctiſſimos Patres nec minùs
etiam doctos ignorâſſe omnia? *Hieronymus,
Ambroſius, Auguſtinus*, ad ſacramentorum
formas cæcutiebant?' Ergo tota Eccleſia plus
quàm mille annos (nam plus quàm mille anni à
paſſione *Christi* numerantur ad *Petri Lombardi*
tempora, è cujus ſententiis, velut ex equo *Tro-
jano*, univerſum iſtud quæſtionum agmen erupit)
tot annos ergo, imò tot ſecula univerſa *Christi*
Eccleſia aut ſacramentis caruit? aut iſta non ha-
buit? Quando recipiendus peccator, quando
rejiciendus, tam diu fuit incognitum? & item
quid præceptum eſſet reſtitui, neſciebant? Nam
quid ſervari poſſet, concesſerim apud veteres non
fuiſſe tam acutè, quàm apud iſtos diſputatum.
Sed ut *Zachæus* veritus nè malè parta parcè red-
deret, quadruplum ſe redditurum profeſſus eſt:
ita veteres illi patres, ut vel plus ſatis quiſque re-
ſtitueret hortabantur. Non erant illi fateor hac
in re, quàm iſti ſunt, tam in definiendo ac di-
ſtinguendo curioſi. Sed ego tamen illorum (ut
Terentius ait) æmulari malo negligentiam poti-
ùs, quàm iſtorum obſcuram diligentiam: apud
quos anxiè res diſputatur, & quæritur non tam
quid reſtitui debeat, quàm quid ſervari poſſit:
non quàm procul à peccato ſit abſcedendum, ſed
quàm propè ad peccatum ſine peccato poſſit ac-
cedi. Jam qui conſilium convaſatori dat, nimi-
rum tanquam alienæ pecuniæ frugi diſpenſator,
obſervat ut in reddendo citrà ſubſiſtat potiùs
vel mille paſſus, quàm ultra latum (ut aiunt)
unguem promoveat. Ego certè, mi *Dorpi*, nec te
(ut puto) refragante contenderim, quæcunque
ſunt ad ſalutem neceſſaria, id eſt, ſine quibus
ſalvi eſſe non poſſumus, ea primùm ab ipſis ſa-
cris literis, deinde priſcis eorum interpretibus,
ad hæc communi ab antiquis patribus quaſi per
manus traditâ conſuetudine, poſtremò ſacris Ec-
cleſiæ ſanctionibus, abundè nobis tradita. Quòd
ſi quid ſuprà quàm in his eſt, homines iſti acuti
curioſius addiderunt, ut multa concedam com-
moda eſſe atque utilia: ita planè ejus eſſe gene-
ris puto omnia, ut ſine eis vivi poſſit. At for-
taſſe dices, non omnia apud veteres tam inventu
prompta, támque in numerato eſſe, quàm apud
iſtos recentiores, qui omnia cognata quaſique
ſimilia in capita quædam, veluti in ſuam quod-
que tribum, deſcripſerunt. In hac re, *Dorpi*,
fortaſſe accedo tibi, fateórque nonnihil eſſe
commodi, velut in domeſtica ſupellectile, ſic in
re literaria quoque ita ſeorſum habere ſingula
quæque diſtincta, ut ad quodcunque velis, illi-
co manum poſſis abſque errore porrigere. Eſt
iſtud quidem, ut dixi, commodum: verùm hoc
tanto commodo quidam tam utuntur incommo-
dè, ut propemodum præſtitiſſe videatur, hoc
ipſo etiam commodo caruiſſe. Neque aliud quic-

quam magis in cauſa fuiſſe puto, quare vetuſtiſſimus quiſque ſacrarum literarum interpres à tam multis tam diu neglectui habeatur, quàm quòd infœlicium ingeniorum corrupta judicia primùm ſibi, deinde aliis quoque perſuaſere, nihil uſquam eſſe mellis, quod non in illos ſummularum alveos congeſtum ſit. Ideóque fit ut illis contenti ſolis, cætera omnia per incuriam contemnant. In ejus animi quendam etiam ipſe jam olim in quadam bibliopolæ taberna incidi. Erat enim ſenex, & qui alterum (ut aiunt) pedem habebat in ſepulchro, & certè non multò pòſt utrumque: jam Doctoratus (quem vocant) honore plus quàm annos triginta fuerat inſignitus: Dico fortè apud eum, beatum *Auguſtinum* aliquando putâſſe, dæmonas omnes ſubſtantias eſſe corporeas. Ibi ille ſtatim ſupercilium contrahere, & temeritatem meam rugoſâ fronte compeſcere. Tum ego, *Non dico* (inquam) *hoc ipſe, pater: nec Auguſtinum in ea re defendo. Homo erat, errare potuit: credo ei quantum cui plurima, ſed nemini uni omnia.* Jam verò cœpit homo excandeſcere, vel ob id præcipuè, quòd tanto patri calumniam tantam intenderem: *Num putas me* (inquit) *non legiſſe Auguſtinum? Imò* (inquit) *priuſquam tu naſcereris.* Me jam ſuis ſævis dictis protelâſſet, niſi commodè fuiſſet paratus res. Nam ut erat in taberna, ſumo in manus libellum *Auguſtini De divinatione dæmonum*, verto ad locum, atque oſtendo: ubi locum ſemel atque iterum legit, ac tertiâ demum lectione me adjuvante cœpiſſet intelligere, tandem admirabundus: *Certè* (inquit) *valde miror quòd Auguſtinus dicit ſic in iſto libro: quia certè non dicit ſic in Magiſtro Sententiarum, qui eſt liber magis magiſtralis quàm iſte.* Qui ſunt ex hac farragine, qui neque veterum quenquam, neque Scripturarum quicquam legunt, niſi in Sententiis, & earum commentariis: hi perinde mihi videntur facere, ac ſi quis authoribus omnibus qui *Latinè* ſcripſerunt omiſſis, conſtructionum præceptis ab *Alexandro* petitis, reliquum ex *Perotti Cornucopia*, & *Calepino* conentur ediſcere, quòd perſuaſum habeat, in his omnia *Latinæ* linguæ vocabula ſeſe reperturum: & profectò reperiet plurima, eadémque electiſſima; nempe ut apud recentiores Theologos, priorum dicta authoritatis loco leguntur inſerta, ita hic quoque veteres poetæ atque oratores, aliquot etiam qui nunc nec extant quidem. Sed neque hæc unquam faciunt *Latinum*, nec illa, mi *Dorpi*, Theologum, ſi ſola ſint, etiam ſi decem millibus ſpinoſiſſimarum quæſtionum fuerit inſtructus, quibus miror cùm ſit talis, qua in re poſſit uſui eſſe, diſputando fortaſſe adverſùs hæreticos: nam hoc nomine præcipuè ſeſe ſolent venditare. At hi aut docti ſunt, aut indocti. Si indocti (ut eſt multò maxima pars) neque acumina iſta, quibus ſolus valet, neque verba tam inſpeta, quibus iſte ſolus aſſuevit, intelliget. Neceſſe eſt ergo talem diſputationem tantum fructûs conſequi, quantum, ſi quis *Turcam* quempiam patriæ duntaxat linguæ peritum, compoſitâ oratione, ſermone *Gallico* (nam eum ſolum elegantem *Galli* putant) exhortetur ad fidem. Sin docti hæretici, ídque in illis ipſis quæſtionibus (neque enim ferè accidit ut aliàs ſint hæretici)

A quando jam redarguentur; quis erit diſputandi finis, quum ex illis ipſis quæſtionibus, quibus oppugnantur, eiſdem quoque referendi miniſtratur inexhauſta materia? ut propemodum eis accidere videatur, quod nudis inter acervos lapidum pugnantibus, ut quo feriat neutri deſit, quo ſe defendat neuter habeat; nempe quidam qui in ſcholis inter primos leguntur, & ſunt non minùs quàm habentur acuti: ut omittam interim B quòd quaſdam quæſtiones de Deo tam ridiculas excogitârunt, ut putes ridere; propoſitiones tam blaſphemas, ut cenſeas irridere. Certè contra fidem tam graviter objiciunt, tam ſegniter objecta diſſolvunt, ut prævaricatores agere, & fidem joco tueri, ſeriò oppugnare videantur. Hæretici ergo cum talibus compoſiti, quales antea dixi Theologos, cùm ſint in eodem docti ludo, quando ſuccumbent? non citò herclè opinor, ſi non unum magis lignorum faſciculum C vererentur, quàm multos ſyllogiſmorum faſces pertimeſcerent. Sed idoneus erit ſaltem qui concionetur ad populum. *Hercules* hoc ipſum eſt quod aiunt, *Bovem ad Ceroma.* Nam cùm nihil didicerit præter quæſtiones, quæ ſunt ad aures populi perquam inſolentes, miniméque omnium idoneæ, ediſcendus eſt ei nimirum ſermo quiſpiam ex ſermonibus Diſcipuli, aut *Veni mecum*, aut *Dormi ſecurè*, res per ſe ineptæ: quas dum homo tractat ineptior, utpote nec ad D id munus aſſuetum, & qui totam illam verborum congeriem ex alieno ſtomacho declamet, neceſſe eſt ut concio tota frigeſcat. Quamobrem planè non video quæſtiones iſtæ quid faciunt ei quem ſolæ poſſident, niſi quod eum ad cætera omnia reddunt inutilem: ut cui ſi quid ex his proponatur ſubtilibus magis, quàm ſolidis diſputationibus, in quibus ſe antè millies exercuit, jam domi ſuæ eſt, jam criſtas erigit, velut gallus qui in ſuo ſterquilinio ſuperbit. At E extra illa ſepta, ſi paulò producatur longiùs, ignota rerum omnium facies tenebras ac vertiginem offundit. Nec etiam Dialectica, rerum cæcitate labanti, quantumvis fortis, quantumvis acuta ſuccurrit, quæ ut cognita rerum natura varias inde ſpecies, multas argumentorum formas elicit, ita rebus ignoratis ipſis ipſas captiunculas, quas & penitus & ſolas per tot annos imbibit, quum ſeſe jam ſenex è ſcholaſticorum contubernio, ubi eadem aſſiduè ventilantur, quapiam oc- F caſione ſubduxerit, jam intra biennium univerſa illa acumina, numeroſa nimium videlicet, evanida, nullo rerum ſubnixa pondere, tanquam nebula fumúſque diſparent: idémque nimirum uſu venit ipſi, quod de Anima pueri ex *Ariſtotele* ſubinde citari ſolet, ut ipſius anima fiat denique velut tabula raſa, in qua nihil omnino depingitur: & mirum in modum verſâ rerum vice contingit, ut qui priùs omnes ſapientiæ numeros in argumentoſa loquacitate poſuerat, jam ſenex infan- G tiſſimus omnibus riſui foret, niſi ſtultitiæ ſuæ ſuperciliosum ſilentium ſapientiæ loco prætexeret. Imò potiùs hoc ipſo ridiculus, quòd qui fuerat *Stentore* modò clamoſior, nunc vitio tam longè diverſo taciturnior piſce reddatur, & inter loquentes ſedeat,

Mercurii ſtatuæ truncóque ſimillimus Hermæ.

Denique, ut quid ego hac de re tota ſentio ſemel intelligas,

intelligat, neque Theologos omnes taxo, ne- A
que imperitorum quæſtiones omnes condemno,
verùm eas quæ nihil ad rem pertinent; quæ
ſunt hujuſmodi, ut neque quicquam eruditioni
conferant, & multum implerati detrahant: eas
inquam non improbandas modò, ſed deſpuen-
das quoque cenſeo. Cæteras verò, quæ tractant
aut humana graviter, aut divina reverenter,
tum utrumque adhibitâ modeſtiâ quâ veritatem
inveſtigare ſeſe magis quàm altercari probent: B
modò nè quenquam ſibi totum vendicent, ne-
que quenquam nimis diu detineant, & ſuo ſe
pede metiantur, neque ſe melioribus conferant,
nedum anteferant: has inquam ſic inſtitutas,
admodum libenter amplector, hactenus tamen,
ut eas tales eſſe fatear, quibus non inutiliter ex-
erceantur ingenia; tales eſſe pernegem, in qui-
bus ſalus univerſæ recumbat atque innitatur Ec-
cleſiæ. Jam Theologos non eos vitupero, qui
has deguſtârunt, imò laudo etiam qui ad altio- C
rem ſacrarum literarum peritiam, ad melio-
rem priſcorum, & ſanctiſſimorum, & doctiſſi-
morum patrum eruditionem, has quoque non
abjiciendas acceſſiones adjecerunt. Verùm hu-
juſmodi Theologos (ut ex animo dicam) non
probo, qui quæſtionibus cujuſque generis non
inſeneſcunt modò, ſed immoriuntur quoque,
qui ſeu ingenii ſterilitate quadam impediti, ſeu
puerili ſcholaſticorum plauſu incitati, neglectis
antiquorum omnium literis, poſthabitis etiam D
ipſis quorum ſe doctores profitentur Evangeliis,
nihil omnino præter quæſtiunculas didicerunt,
partim per ſe inanes his qui cæterarum rerum o-
mnium inanes ipſi ſunt: idque jam ſenes, at-
que ideo deplorati, qui neque Scripturas com-
modè tractare incognitis veterum ſcriptis que-
ant, neque ad eas cognoſcendas (quâ nunc
ſunt *Latinæ* linguæ penuriâ) pares eſſe poſſint:
redire verò ad Grammaticam, atque inter pue-
ros, imò verò à pueris etiam diſcere, hoc non E
ſolùm diſpudet, ſed etiam ſerum eſt. Neque
mirum eſt tamen, eſſe aliquos in tanto Theolo-
gorum numero tales. Nam quis ordo obſepiri
tam diligenter poteſt, ut non ambitione, pre-
cio, gratiâ, aut aliis malis artibus aliquis indi-
gnus irrepat, qui cùm ſit in editum receptus,
quàm poteſt plurimos ſui ſimiles in eundem lo-
cum ſuo ſuffragio ſublevat? Ita fit ut nullus or-
do ſit qui non indignis abundet. Nam ut in Se-
natu *Romano* fuerunt, quorum majeſtatem nul- F
li Reges æquabant: ita rurſus erant quidam a-
deò tenues atque inglorii, ut miſerè inter ſpe-
ctacula vulgi compreſſu eliſi perierint. Quan-
quam ut nec illorum fulgori iſtorum humilitas
offuit, nec iſtorum tenuitatem Senatorium no-
men exemit contemptui: ita nec indignis Theo-
logis iſtorum nomen eripit contumeliæ, nec e-
orum contemptus, aut erga ſingulos qui verè
ſunt, honoris quicquam adimit, aut erga uni-
verſos quicquam reverentiæ ac majeſtatis immi- G
nuit: cujus ego certè tam conſervandæ atque
amplificandæ ſum cupidus, quàm quiſquam vivit
etiam cupidiſſimus. Nam de *Eraſmo* ſtultum
fuerit idem polliceri, quum nemo neſciat, in
ſacrum Theologorum ordinem nihil perperam,
aut dici aut fingi poſſe, ut non propriè ac pe-
culiariter ipſius agatur negotium. Habes igitur

hac in re animum, mi *Dorpi*, meum; nec du-
bito herclè quin etiam (ſi tuis es quem ego me-
cum fingo) tuum: quem ſi probas, eſſe *Eraſ-
mi* puta; ſin minùs, tantùm meum, imò nec
meum diutiùs quàm tu voles futurum. Neque
enim quicquam animo eſt unquam tam obſti-
natè obfirmatum meo, ut non paratus ſim eo
jubente mutare, quem ſciam nunquam quic-
quam ſine ratione juſſurum. Sed hæc hactenus.
Ad reliquas epiſtolæ tuæ partes ero tanto brevi-
or, quanto in hac ſui vel æquo verboſior: u-
trumque etiam meritò. Nam ut ea de quibus
antè diſſerui, *Eraſmus* nunquam vidit, ita de
quibus deinceps ſum dicturus, & ipſe ſcripſit, &
ſe diligentiùs pollicetur ſcripturum; tum quæ-
dam ſunt hujuſmodi, ut in his divus etiam *Hie-
ronymus* non ſuo ſolùm exemplo quaſi præjudicio
Eraſmi partem tueatur, ſed totam litem quo-
que tanquam editâ in ſcriptis ſententiâ, ſecun-
dùm eum pronunciaverit. Nec enim quicquam
eſt quod tu nè quicquam in Scriptura mutetur, è
Græcorum fide codicum prohibes; quod non o-
lim adverſùs beatum *Hieronymum* & objectum
ſit, & ab eo validiſſimè confutatum. Niſi hoc
videri novum vis, quòd tranſlationibus, ut ais,
quæ multæ olim fuerant, ejectis omnibus, nè va-
rietate codicum fideles vacillarent, hanc unam
à ſanctis patribus acceptam, ab *Hieronymo* ca-
ſtigatam, atque ad nos uſque tranſmiſſam com-
probavit Eccleſia: non uno aliquo conſilio, ſed
perpetuâ conſuetudine ad eam recurrendi, quo-
ties in ullo conſilio de fide nodus incidiſſet. Ne-
que enim alioquin fieri potuiſſe ut cæteræ o-
mnes interierint, atque hæc ad nos ſola perve-
nerit, niſi id non fortè accidiſſet, ſed adhibitâ
à majoribus noſtris induſtriâ fuiſſet curatum.
Primùm, mi *Dorpi*, nemini dubium eſſe puto,
quin hæc ipſa editio ante *Hieronymi* tempora
(neque enim alioquin ipſe hanc potiſſimùm ca-
ſtigâſſet) & recepta ſit ab Eccleſia, & aſſiduo ci-
tandi uſu comprobata: quod ego vel ſolùm in
cauſa fuiſſe puto, quare ad nos uſque ſola dura-
verit. Cur ergo *Hieronymus* auſus eſt mutare
quicquam, idque non aliis modò & optimis &
ſanctiſſimis viris approbantibus factum, ſed ip-
ſo quoque *Auguſtino* adhortante ut fieret? Mu-
tavit verò *Hieronymus*, ut ipſe fatetur, ſi quid
in ſenſu fuit, quo *Latinus* codex diſcreparet à
Græco: hoc ille putavit utilius, quàm ea quæ tu
Eraſmo ſuades ut faciat, videlicet ut ea tantùm
annotet quæ commodiùs ac ſignificantiùs inter-
pres vertere potuiſſet, ſenſum verò ſi quando
diſcrepet, manere patiatur, nec mendæ mani-
feſtæ *Latinos* admoneat. Quod Divus *Hierony-
mus* non uſque adeò curandum cenſuit, ejus tu
præcipuam curam habendam putas: quod ille
judicavit potiſſimùm, ab eo tu potiſſimùm de-
terres. Sed hic occurris ac fateris, id ab *Hiero-
nymo* rectè factum, quòd videlicet tunc opus e-
rat, dum adhuc vulgata hæc editio non ſatis eſ-
ſet emendata: at nunc repurgatis vitiis ſuperva-
caneum iterum purgandi laborem fore. Nam ſi
opus tam nunc eſſet, quàm tunc erat, non eſt
ratio cur minus bene mereretur, à quo nunc
idem denuo fieret, quod tunc *Hieronymus* fecit.
Primùm, neminem eſſe omnium puto (di-
cam enim audaciùs) neque *Hieronymum* quidem

 ipſum,

A ipſum, qui profiteri auſus ſit, ſe tam certum ſui, ut in vertendo nihil eum poſſit omninò ſubterfugere (uſque adeò non deerit vel mediocribus interdum poſt meliores etiam in quo verſentur utiliter.) Ergo quis vertendi finis erit, inquis? facillimus: ſi evenerit, ut quiſquam tam commodè verterit, aut ab alio non optimè verſum, alius ita correxit, ut his manentibus integris, non inveniant poſteri quod mutandum cenſeant. B At periculum eſt interim, nè variæ tranſlationes dubios faciant animos fidelium, utram credere debeant veriorem: quod ipſum in cauſa fuiſſe cenſes, ut reliquæ omnes de induſtria rejectæ ſint, hâc unâ ſervatâ, nè fideles vacillarent; qua in re uſque adeo ego abs te diſſentio, ut quod tu majorum curæ tribuis, ego temporum aſſignem incuriæ, quâ nimirum non illæ tantùm tranſlationes, ſed multa etiam alia perière. C Alioquin etiam ſi unam in Eccleſiis tenendam recepiſſent, reliquas tamen quid neceſſe fuit abjicere, ex quibus non erat periculum nè fideles vacillarent? Imò quemadmodum nunc Evangeliſtarum variâ narratione, ſeries rerum in luculentiorem pervenit notitiam, ita tum ex diverſorum collatione interpretum ſtudioſo Lectori daretur occaſio, ſi quem aut verbum ſefelliſſet æquivocum, aut orationis decepiſſet amphibologia, aut ſermonis proprietas impoſuiſſet, ex reliquis conjiciendi quid verum ſit. D Quod ſanè utiliſſimum eſſe & *Auguſtinus* ſentit, & *Origenes* experimento didicit, & *Jacobus Faber Pſalterii quincuplicis* editione docuit. Atque hæc ideo dixi, ut oſtenderem etiam ſi divi *Hieronymi* labor adhuc maneret integer, non illum tamen reprehendendum eſſe, quiſquis, ſi quid ab illo quoque præteritum inveniſſet, hoc ipſe velut relictas à meſſore ſpicas colligeret. Nunc verò quis non putet codices *Latinos* nihilominus atque olim è *Græcis* eſſe corrigendos, E quum ita ſint rurſus infecti mendis, ut nè veſtigia quidem *Hieronymianæ* emendationis appareant? Quod uſque adeò in confeſſo eſt, ut ipſe tu quoque qui id maximè negas, idem fatearis tamen. Nam cùm ideo maximè contendas, corrigendi laborem fruſtra ſumi, quòd *Hieronymi* caſtigationes aſſeris magnâ patrum diligentiâ ſervatas eſſe integras: tum in proximo ferè verſu ſubdidiſti, *Reſponde jam Eraſme, utram probet editionem Eccleſia? Græcámne, quâ non utitur, an* F *Latinam, quam ſolam citas, quoties ex ſacra Scriptura aliquid definiendum eſt; vel præterito Hieronymo, ſi quando aliter legat, quod quidem non raro contingit?* Imò tu nunc reſponde, *Dorpi*, ſi ut ipſe dicis, & verè dicis, non raro legat aliter *Hieronymus* quàm vulgaris habet editio, quomodo poteſt eſſe verum quod antè dixiſti, eandem editionem ita manere correctam ut ille correxerat? Neque enim quenquam arbitror G eſſe crediturum, illum quicquam contra ſuam ipſius correctionem propoſuiſſe legendum. Tam ergo nunc opus correctione eſt, quàm olim fuit. An verò tantundem liceat, hoc reſtat inquirendum. Quanquam nec inquirendum hoc, nec dubitandum videtur, quin emendati codices tam nunc ſint Eccleſiæ utiles, quàm olim fuerunt. Sed Eccleſia nunc, inquis, iſtam e-

A ditionem comprobavit. Atqui eadem Eccleſia eodem modo eandem editionem ante *Hieronymi* correctiones approbaverat: id quod jam antè reſpondi. Quanquam non pigebit eandem orationem tuam, quam tu tam invictam cenſes, denuò excutere, nè me prætervehi quicquam diſſimulanter putes. Videris ergo mihi ſic colligere, *Auguſtinus* nec Evangelio duxit eſſe credendum, niſi Eccleſiæ compelleret authori- B tas: At Eccleſia comprobavit in hac tranſlatione verum eſſe Evangelium: Conſequitur ergo, ſi quid ſit in *Græcis* codicibus diverſum, ut verum in illis Evangelium eſſe non poſſit. Hæc eſt (quantum perſpicio) argumentationis tuæ ſumma, quæ mihi videtur ejuſmodi, quam non ſit difficile ſolvere. Nam primùm Eccleſia ſic in *Latinis* codicibus contineri credit Evangelium, ut fateatur tamen è *Græco* tranſlatum. Credit ergo tranſlationi. Sed magis archetypo credit, Evangelium in *Græcis* C eſſe verum: in *Latinis* verum eſſe credit eatenus, quatenus fidit interpreti, in quo (ut opinor) nunquam tantam habet fiduciam, quin eum labi cognoſcat humanâ fragilitate potuiſſe. At in Conciliis citatur ex *Latino* codice, quaſi ideo fecerint, ut de induſtria fidem archetypis abrogent *Græcis*. Apoſtoli nónne citabant ex Prophetis ſecundùm tranſlationem *Septuaginta* Interpretum, omiſſâ interim *Hebraici* textûs veritate, dum *Græcis* ſcriberent? nec ideo ta- D men *Hieronymus* factum putavit eſſe præjudicium, quaſi *Græca* tranſlatio quàm *Hebraica* litera Apoſtolorum cenſeretur authoritate ſyncerior. Ego certè hoc perſuadeo mihi, idque (ut opinor) verè, quicquid ab Apoſtolis nobis traditum eſt, non eſſe jam à quovis meliùs verſum, quàm ab ipſis Apoſtolis præſcriptum. Idcóque fit, ut quoties in *Latinis* codicibus occurrat quicquam quod aut contra fidem aut mores facere videatur, Scripturarum interpretes E aut ex aliis alibi verbis, quid illud ſibi velit dubium expiſcantur, ad unius Evangelium fidei, quod per univerſam Eccleſiam in corda fidelium infuſum eſt, quod etiam prius quàm ſcriberetur à quoquam, Apoſtolis à *Chriſto*, ab Apoſtolis univerſo mundo prædicatum eſt: dubios hujuſmodi ſermones applicant, atque ad inflexibilem veritatis regulam examinant, ad quam ſi non ſatis adaptare queunt, aut ſeſe non intelligere, aut mendoſum eſſe codicem non dubi- F tant: cujus morbi medelam cenſent aut à diverſis interpretationibus, tanquam medicis, implorandam, quod tibi jam periculoſum videbatur; aut velut à fonte quodam ab ea lingua repetendam, unde ea ſcriptura in *Latinum* fluxit eloquium. Verùm tu, mi *Dorpi*, concedis, olim rectè feciſſe eos qui *Latinos* quanquam ab Eccleſia receptos atque approbatos codices, è *Græcis* emendaverint: ſed idem tamen negas nunc rectè fieri, propterea quòd veriſi- G mile ſit, ipſorum libros *Græcorum* aut de induſtria fuiſſe depravatos ab ipſis, jam olim ab Eccleſia *Romana* deſciſcentibus, aut poſtea ſaltem per incuriam vitiatos. Neque enim eſſe credibile, ſi *Latinorum*, quibus perpetua fides fuit, codices paulatim tamen labefactati ſunt, incorruptos adhuc reſtare *Græcorum*, apud quos ipſa jam olim fides corrupta ſit. Hæc ratio *Dorpi* non

flexit

flexit *Hieronymum*, quò minùs *Inſtrumentum Ve-* A
tus ex *Hebræo* ſermone transferret: quanquam
ſi quid hic valere debet, ibi magis debuiſſet, quum
nemo neſciat, *Judæos* ex profeſſo infeſtiores fu-
iſſe hoſtes *Chriſtianis*, ut quibus in univerſo repu-
gnabant, quàm *Græcos Latinis*, quibus cum com-
muni *Chriſtianorum* nomine convenerant, licèt
in quibuſdam diſſenſerint. Et profectò (ut verè
dicam) videtur mihi neutiquam credibile, ullam
gentem in depravandos libros unquam conſpi- B
rare voluiſſe, ut nè dicam, nec potuiſſe quidem.
Quæ enim ſpes eſſe potuiſſet, neminem ab ea re
alieno animo fore, aut clàm id fore conſilium,
quod ſi reſciſceretur (ut erat neceſſe quum à
Judæis ad *Chriſtum*, à *Græcis* ad *Latinos* aliqui
nullo non die profugerent) nónne prævidebant
fore quum nihil aſſequerentur, ſuæ præterea
parti ſeſe præjudicium allaturos? ſi ſe fateren-
tur eam fovere cauſam, quam ſibi conſcii eſſent
non aliter poſſe ſe, quàm codicum depravatione C
defendere. Sed de *Judæis Hieronymus* viderit.
Græcos certè ab hac falſitatis ſuſpitione liberat
vel iſtud, quòd in his de quibus eis nobiſcum
fuit controverſia, eorum libri cum noſtris con-
ſentiunt, nec de litera unquam, ſed de intellectu
literæ quæſtio fuit: quanquam nemini poteſt
eſſe dubium, eos ſi mutare voluiſſent quicquam,
non ea primùm modò, ſed ſola quoque fuiſſe
mutaturos, quæ pro nobis, contra eos tamen
faciunt: quæ ſi falsâſſent, non fuiſſet cauſa cur D
in aliis idem facturi putarentur. Nunc verò quid
comminiſci quiſquam poſſit, cur alia falſare
voluiſſent, cùm hæc ipſa reliquerint integra,
quæ vel ſola falſare voluiſſent. Sed incuriâ fal-
tem vitiatos eſſe credi poteſt, præſertim ſi hoc
noſtris contigit, quibus veriſimile eſt libros fi-
dei, ſicut fidem ipſam, majori ſemper curæ fu-
iſſe. Poſſem hic opponere non *Hieronymum*
modò, ſed *Auguſtinum* quoque, quorum uter-
que cenſet emendatiores eſſe *Græcos* codices, E
quàm *Latinos*. Sed ratione malo quàm autho-
ritate contendere: Hoc certè aſſero, neminem
eſſe tam cujuſquam libri incurioſum, ut ita
tranſcribendum locet, tanquam penſi non ſit
habiturus, vitioſúmne an emendatum referat:
quum alioquin poſſit operæ & impenſis parcere,
ſi omnino nè ſcribatur curet. Perſuadeo ergo
mihi, *Græcos* etiam curâſſe ut diligentia in
tranſcribendis ipſorum libris adhiberetur, quod
nemo dubitaverit qui libros eorum diligenter F
inſpexit. Hoc præterea rurſus affirmo, apicu-
los, diſtinctiones, & accentuum notas in cauſa
eſſe, quò minus facilè apud eos in ſcribendo erre-
tur: nec ab hoc affirmando deterreor, quòd tu
hoc argumentum in adverſam partem retorſiſti:
propterea quòd (ut ais) faciliùs erratur ubi mul-
ta ſunt obſervanda. Verùm ego contrà cenſeo,
ibi minùs facilè errari ubi facilè erratur, ut e-
go quoque Dialecticorum more ænigma pro-
ponam. Verùm ſic opinor tamen, imò ſic ex- G
perior, quemadmodum in planitie dum feſti-
namus intrepidè, ubi nemo caſum expectat, ſæ-
pe labimur, quum à præcipitio ſalvi ſenſim, nec
niſi certo atque explorato greſſu deſcendamus:
haud aliter evenire ſcribendo, ut ad exemplar
perplexum ſcriptor eò tranſcribat veriùs, quò vi-
delicet attentiùs, quum ex pulchro codice ipſâ ſe-
curitate labatur. Quanquam & noſtros vitiatos
eſſe, & eos remanſiſſe ſynceros, vel hinc eluceſcit,
quòd in noſtris eadem nunc vitia deprehendi-
mus, quæ *Hieronymus* olim cenſuit emendanda.
In illis eadem adhuc videbis verba, ex quibus ea
Hieronymum conſtat emendâſſe. Ergo quas ille
mendas olim ejecit, nunc non licebit ex iiſdem
codicibus rurſum expungere? & quum religiones
quas vocant *omnes*, fas ſit ſæpiùs renaſcentibus
vitiis reformare, libros ſemel purgatos repullu-
lantibus mendis nefas repurgare ducemus? Jam
quòd quæris quid ſit quod *Latinos* codices non
ſinat incorruptos, deinde tibi ipſi reſpondes, *quid
niſi chalcographorum incuria pariter & imperitia?*
& illicò ſubjungis: *Vide jam utros invenies vitio-
res? qui Græcis imprimendis ſint idonei, an qui La-
tinis: & ſcies utros codices cenſere debeas caſtigatio-
res.* Quid tu his verbis *Dorpi*, velis, non intelli-
go. Neque enim te vereri puto, nè in Annota-
tionibus in Scripturas *Eraſmus* impreſſis utatur
libris: quum neque ſcriptorum codicum deſit
copia, neque in eam rem impreſſis uti, etiamſi
velit, poſſit, cùm *Novum Teſtamentum*, in quod
ejus deſudat labor, nunquam hactenus, quod ſci-
am, *Græcè* chalcographorum typis excuſum ſit.
Quòd ſi hoc voluiſti dicere, quum chalcographi
Græcas imprimant literas quàm *Latinas* depra-
vatiùs, idem in veteribus etiam utriuſque lin-
guæ ſcriptoribus accidiſſe. Semoveamus iſtos,
Dorpi, qui literas ſic *Latinas* imprimunt, ut
Græca magis quàm *Latina*: ſic viciſſim *Græ-
cas*, ut *Arabica* magis quàm *Græca* videan-
tur. Comparemus in utroque genere qui u-
tcunque poſſint, cujuſmodi *Aldus Manutius
Romanus* erat in primis, & nunc *Joannes Frobeni-
us Baſilienſis*: hos atque ejuſmodi chalcographos
audeo affirmare, quod ipſe quoque experimentis
comperio, veriùs ac ſynceriùs *Græca* quàm ipſa
Latina referre. Quòd ipſum multáque itidem
alia ad hanc rem facientia, multò certiùs ipſe
legendo quàm audiendo intelliges, ſi te quoque
aliquando ad *Græcam* linguam pernoſcendam
converteris; id quod valde opto: nam ſuaſurus
fruſtra ſim, quod nec *Eraſmus* perſuaſit, adver-
ſùm quem, imò temet adverſùs ipſum ſedulò te
defendis, nè cogare videlicet ex *Græcarum* co-
gnitione literarum proficere. Quamobrem ut
ad eas te literas pro animo iſtoc tuo tam adver-
ſùs eas offirmato, hortari ſuperſedeo, ita pro
meo in te amore optare tibi non deſinam: nec
ſpem tamen unquam depono, fore aliquando,
nec id quidem haud multo pòſt, ut ceſſanti-
bus hac de re diſputationibus, in quibus aſſi-
dua tua illa in ſcholis victoria, non patitur
te libenter cedere, quod (ut video) jam ne-
mo poteſt alius, ipſe nimirum perſuadeas ti-
bi, cùm iſtos Imperatores tuos quibus nunc
militas, quorumcunque interim gratiam tam
magnæ eruditionis parti præfers, aut maturi-
ore judicio neglexeris; aut certè etiam illis
ipſis utile & tibi & eorum conſiliis fore per-
ſuaſeris, quo videlicet *Græciſtas* iſtos ſuis i-
pſorum gladiis confodias, majoréque adverſùs
eos authoritate diſſeras quàm nunc, cùm de re
tibi tam in totum ignoratâ diſputas. Qua de re
tamen cùm perinde ſcribas, ac ſi ſupervacaneam
putes operam quæ in *Græcas* literas impenditur:
mihi

mihi profectò non perſuades, ea te ſentire quæ ſcribis. Neque enim ſimile veri ſit, te vel eà prudentià commoditates ejus linguæ non videre, vel eo in bonas artes omnes ſtudio non concupiſcere, præſertim cùm abs te quoque dum negligendam diſputas, propemodum afferantur cauſæ, quibus incitari maximè ad eam conſequendam poſſis. Nam ſi (ut tute veriſſimè certè ac ſapientiſſimè dixiſti) unaquæque lingua eà præcipuè dote præſtat atque excellit alias, ſi contingat ei ut majorem bonarum diſciplinarum theſaurum in ſuis literis velut arculis contineat. Quis hac unà ratione tuà neſciat, *Græcam* eſſe eam quæ ſummopere ſit cùm ab univerſis mortalibus, tum verò ſeorſum à *Chriſtianis* amplectenda, utpote à qua & omnes diſciplinæ reliquæ, & *Novum Teſtamentum* ferè totum nobis fœliciſſimè ſucceſſit: niſi tu illam hoc tranſlationum cotidiano proventu velut aſſiduo partu, effœtam nunc tandem atque exhauſtam putas. At primùm ex his ipſis commentatoribus *Ariſtotelis*, quos tu in illa oratione commemoras, quæ ſive ut *Laurentium* vituperes, ſive ut laudes *Ariſtotelem* (nam utrumque acriter ex æquo facis) elegantiſſimè certè ſcripſiſti, *Alexandro* inquam, *Themiſtio*, *Ammonio*, *Simplicio*, *Philopono*, *Olympiodoro*: quotuſquiſque ex his inquam eſt, excepto uno *Themiſtio*, qui non adhuc ſuà tantùm linguà legatur, niſi quòd *Alexandri* problemata in *Latinum* venêre ſermonem. Ex reliquis ſi quid *Latinè* legitur (neque enim ignoro, haberi & *Alexandri*, & *Simplicii* fragmenta) id totum ejus generis eſt, ac tam parum *Latinum*, ut à *Latinis* propemodum minus quàm ipſa *Græca* intelligantur. Neque jam de Poetis aut Oratoribus dico quicquam, ſed neque de aliis Philoſophis, aut aliis etiam ejuſdem *Ariſtotelis* commentatoribus verbum facio ullum: quanquam vel unus *Joannes Grammaticus* tantum habet acuminis, tantum eruditionis, præſertim *Ariſtotelicæ*, ut ſi cum eo poſſis ipſius linguà loqui, reduceret te, ſatis ſcio, unus ille cum Grammaticis omnibus, quibus nunc parum propitius videris, in gratiam. At ex antiquis *Chriſtianæ* doctrinæ ſcriptoribus, cùm multò maximam partem *Græcè* conſtet ſcripſiſſe, perpauci pro tanto numero verſi ſunt: quidam verò ita verſi, ut potiùs videantur ſubverſi. Ad *Ariſtotelem* ipſum venio, quem & ego ut ſupra multos, ita cum multis amo, quem tu in memoratà oratione tuà videris non ſupra multos modò, ſed pro multis quoque, atque adeò pro omnibus amplecti. Hic ergo ipſe non poterit totus tibi ſine *Græcarum* peritia literarum innoteſcere. Nam ut omittam illud, Nihil ejus tam commodè verſum eſt, ut non idem ipſum ſuis ipſius verbis acceptum in pectus inſinuat potentiùs. Et illud item, quòd quædam opera ejus adhuc *Græca* feruntur, quorum titulos neſcio an *Latini* habeant. Certè ex his ipſis operibus quæ nunc habent, ſic habent quædam, ut etiam non habeant: æquà ſorte ipſum etiam *Meteorologicorum* opus tam conſtat eſſe, quàm dolendum eſt: quum neſcio an ullus ex tam multis ejus viri laboribus dignior ſcitu ſit, aut ipſa rerum natura ab ulla ſui parte mirabilior, quàm ab ea quæ ut nobis proxima circumfuſáque undique,

A ita magis ignorata atque incerta eſt, quàm aſtrorum poſitio, motuſque ſyderum, quæ tam porro ſemota ſunt. Sed hoc opus tamen ſpero propediem fore, ut à *Thoma Linacro* noſtrate, illuſtriſſimi Regis noſtri medico, *Latinis* donetur auribus, utpote cujus jam nunc duos libros abſolvit: perfeciſſétque nimirum opus, atque edidiſſet univerſum, niſi *Galenus* eum exoràſſet, ut quum dux atque imperator Medicæ rei ſit, B vel ſepoſito interim *Ariſtotele*, *Latinus* ejus operà prior ipſe redderetur. Prodibit ergo *Ariſtoteles* aliquanto ſeriùs, ſed prodibit tamen nihilo incultior: præterea nec incomitatus; nam *Alexandri Aphrodiſæi* commentarios, in idem opus unà vertit, initurus apud *Latinos* omnes immortalem gratiam: in quorum non vulgarem utilitatem, Philoſophi præſtantiſſimi operi tam egregio præſtantiſſimum interpretem ſic adjunxerit, ut ejus labore demum à *Latinis* poſſit C intelligi: quod hactenus à nemine (ut ego certè ſuſpicor) qui *Græcè* neſcierit, intellectum eſt. Nam quum ipſe jam olim idem *Ariſtotelis* opus audirem *Græcè*, eodem mihi perlegente atque interpretante *Linacro*, libuit interdum experiendi gratià vulgatam etiam tranſlationem inſpicere: è cujus lectione mentem illicò ſubiit ejuſdem Philoſophi de Phyſicis ſuis dictum. Nam ut illa ſic ait edita, ut tamen edita non ſint: ita hæc quoque ſic verſa videbantur, ut nullo D pacto verſa viderentur, uſque adeò, ut quæ *Græcè* callebam probè, eadem ipſà verſa non intelligerem. Neque eſt quòd à *Latinis* interpretibus ſperari poſſit auxilium, quum *Albertus* quoque, quem ad æmulationem *Alexandri Magni*, *Magnum* vocant, quíque ſe Periphraſten *Ariſtotelis* profitetur: Paraphraſtes veriùs verò in eo opere judicari debeat, ita cùm ſit ejus officium *Ariſtotelis* ſenſum aliis verbis referre, affert prorſus (ut aiunt) ex diametro diverſa. At E *Gaitanus* (nam is quoque facit commentarios) deſcribit nobis, unus terræ pugillus in quot pugillos aquæ liqueſcit, & aquæ item pugillus unus in quot pugillos aeris diſſolvitur, & quò non ulterius ad eundem modum progreditur? Sed tamen dum has tam immenſurabiles menſuras metitur, ad *Ariſtotelis* interim ſenſum nè gry quidem. Infinitum, mi *Dorpi*, fuerit explicare, quàm multa deſunt ei cui *Græca* deſunt. Neque tamen ignoro, & alios multos, & te inprimis F ipſum, ſine *Græcis* literis ipſam doctrinæ arcem verſus eouſque provectum, quò multi non poſſint etiam *Græcè* docti ſudantes atque anhelantes aſcendere. Sed hoc unum tamen auſim affirmare: ſi cæteris diſciplinis tuis tu *Græcas* præterea literas adjeceris, quantum nunc alios & *Græcè* peritos exuperas, tantum tunc te etiam ipſum ſuperabis. Sed de his hactenus. De *Moria*, quoniam *Eraſmus*, qui eam olim meo patrocinio commendavit, eandem rurſus tuendam ſuſcepit, G tibi non eſt neceſſe multa differere, quum res alioqui per ſe facilis reddita ſit, partito labore facilior. Itaque non dubito quin ille ſit ea dicturus, imò in illa brevi epiſtola jam nunc dixit, quæ ſufficere apud omnes debent: ita ego quæ dicam, quantulumcunque apud alios valitura ſint, apud te (ut opinor) invalida eſſe non poſſunt. Et primùm miror, quid hæc ſibi tua verba volunt,

Ecce

Ecce repentè infauſta Moria tanquam Davus inter-
turbat omnia. At quomodo nunc *repentè?* qua-
ſi nunc primùm *Moria* repentè prodierit, quæ
jam plus annis ſeptem ſepties interim novis excu-
ſa formis in clariſſima luce verſata, in omnium
ſinus recepta ſit. Aut quamobrem quæſo *infau-*
ſta? quæ quàm fœlicibus auſpiciis proceſſerit,
nónne vel hoc abundè demonſtrat, quòd non
debuiſſet toties in tot exemplaria diffundi, niſi
tam multos inveniſſet quibus impensè placuiſſet?
nec hos ex fæce vulgi: neque enim eas merces fa-
cilè diſtractas eſſe mirarer quæ placerent indo-
ctis, quorum ubique turba ſcaturit, ſed doctiſ-
ſimis. Nam eam niſi doctis placere vel hoc indi-
cio eſt, quòd non niſi docti intelligunt: quod ip-
ſum fortaſſe fuit in cauſa, ut hi duo aut tres
Theologi, quos *Moria* commovit, iraſceren-
tur, quòd ab aliis perſuaſi credunt, plus ab ea ip-
ſa dictum, quàm dictum ſit: alioqui fors non
ſuccenſuri, ſi ea ipſa quæ dicuntur ipſi intellige-
rent. Sed tu, mi *Dorpi*, putas nullos rideri po-
tuiſſe Theologos, quanquam tales eos eſſe qua-
les *Moria* joco deſcribit, ipſe propemodum ſe-
riò fateris, quum ais, *Aſpera facetia, quibus*
multum veri admixtum eſt, acrem ſui memoriam
relinquunt. Verum eſt herclè quod dicis. Non
tam acriter haſtuliſſent facetias iſti Theologiſtæ,
niſi quàm erant aſperæ, tam etiam veræ fuiſſent.
Ergo cùm tales ſint, quales ipſe fatearis eſſe, pro-
bas? non opinor: Vituperas ergo? apud te cer-
tè ſeriò facis, faceréſque palàm, niſi in animum
induxiſſes tuum, nemini eſſe adverſus; & ita te
comparare ſtatuiſſes, ut te omnes prorſus cujuſ-
cunque modi ſint, docti, indocti, boni malíque
laudant, cui (ut ais) volupe ſit, ſi vel catelli
caudâ velut amicitiæ ſymbolo blandiantur. Facis
tu profectò, mi *Dorpi*, cautius: ſed nec ille ta-
men deterius, qui in malos apertè ac ſimplici-
ter, quod *Gerardus* facit *Noviomagus*, invehi-
tur: quanto minùs qui, quod *Eraſmus* facit, ſum-
ptâ *Moriæ* perſonâ, & prudenter magis, & mi-
nus licenter jocatur? cujus cùm jocos ſaléſque
non feras, & παλινῳδίαν eum velis: In Satyris
Noviomagi tamen (ut ſcribis) nihil inveniſti
quod mutari velles: quum tamen illæ Satyræ
ſint mordaciores ubi ſunt leniſſimæ, quàm *Mo-*
ria ubi mordet maximè, meritóque; nam id
Poeſeôs natura poſcit, quæ niſi ſit acerba, non
eſt Satyra. Itaque operæprecium eſt audire,
quàm Satyricè in Monachos ubique ac fratres
invehitur, ut illorum ſuperbiam, luxum, inſci-
tiam, compotationes, ingluviem, libidines, hy-
pocriſinque deſcribit, non minùs eleganter quàm
acerbè, nec minùs etiam merito. Nam licet
multi illis ſint opprobriis indigni, non deſunt ta-
men aliqui, in quos ſingula quadrant, quidam
etiam in quos univerſa concurrant. Quamobrem
non miror, nihil in eis reperiſſe te quod mutari
velles, ſicuti nec ego certè. Sed hoc miror, cur
abs te non poſſit impetrare *Moria* ut impunè jo-
caretur in Theologos, quum illæ abs te obtine-
ant Satyræ ut tam acriter objurgent religioſos,
atque in his Theologos etiam. Sed omitto *Ge-*
rardi Satyras. Si quis tuas, mi *Dorpi*, excutiat
epiſtolas, nihilne reperire poſſit quo tu ullum
hominum genus aliquo mordaci dicto perſtrin-
xeris? An illud edentulum prorſus eſſe putas,

A quo in memorata epiſtola ad *Menardum* Abba-
tem, reſpergis Antiſtites? qui dum illum lau-
das, alios hoc pacto deploras, *Heu me, heu miſe-*
ros eos, qui non religioſos agunt, ſed caballis ſtipa-
ti, Cæſaris triumphos nobis referunt: quos ſatius
foret humi repere, quàm inferos equites properare ut
pedites timeant ſeriùs illuc pervenire. Hæc mihi,
Dorpi, tam mordax facetia uſque adeò tibi
blandita videtur, ut ideo de equis potiſſimùm
B locutus videare, nè tam bonum dictum perde-
res: alioqui opinor vides, non uſque adeò ma-
gnum facinus eſſe, ſi abbates equitent, & be-
ſtiis in quos creati ſunt uſus utantur. Audivi eti-
am, nec alios Antiſtites equitare ſemper, & il-
lum tuum interim, ut in illum etiam ipſum penè
jocus tuus recidat, à quo eum cupis in alios aver-
tere. Sed ita ſua cuique blanditur ratio, tam
bene ſuus cuique crepitus olet, ut cùm ad ali-
orum jocos frontem contrahimus, ut velut aſpe-
C ros non patimur: noſtros neque magis feſtivos,
& magis mordaces amplectamur. Sed hæc in
religioſos Antiſtites jocatum te negabis, verùm
deploraſſe potiùs, præſertim cum ab illa in-
auſpicatâ interjectione auſpicatis, *Heu.* Ego
certè quacunque figurâ proferatur jocum, puto
quod ita dicitur, ut nemo ſine riſu audeat.
Quanquam quid refert joco an ſeriò mordeas?
imò refert adeò, quum nemo ferè ſit qui jo-
coſo in ſe dicto non arrideat, nemo ſit qui fe-
D rat. Alioquin ſi deplorare licitum, jocari ve-
titum putas; facile *Moriæ* fuerit toti orationi
jocosè interjectionem dolendi proponere, & mu-
tatâ figurâ, Theologos eoſdem, quos antè de-
riſit, iiſdem verbis denuò deplorare. Neque
enim facilè decernas, utrum deplorandi magis,
an ridendi ſint. Sed in Antiſtites fortaſſe quid-
vis licere debet, etiam mediocres: at in Theo-
logos utut ſint, licere debet nihil. Nam eò ferè
tendunt, quæ in hac noviſſima ad *Eraſmum* ſcri-
E bis epiſtola: ais enim, *Miraris tantos conciviſſe*
motus tuam Moriam quæ pluribus placet, non Theo-
logis modo, ſed Epiſcopis etiam. Atque ego te de-
miror Eraſme, qui pluris facias Epiſcoporum in hac
re judicium, quàm Theologorum: Siquidem Epi-
ſcoporum noſtri ſeculi vitam, mores, eruditionem
dicam, an inſcitiam, noveris: quorum ut ſunt cer-
tè nonnulli tanto digni faſtigio, ita mira eſt pauci-
tas. Hic tu, *Dorpi*, cùm Theologos ægrè leviſſi-
mo joco patiaris aſpergi, Epiſcopos apertis op-
F probriis magna cum authoritate perfundis, ut in
quibus non tantùm eruditionem requiris, & car-
pis inſcitiam, ſed vitam quoque ac mores con-
tumelioſè condemnas. Sed Theologos plurimum
refert (ut ais) integræ apud populum eſſe autho-
ritatis: quaſi nihil referat, apud populum quales
æſtimentur Epiſcopi, qui quem locum teneant in
Eccleſia *Chriſti*, quàm longè ſupra Theologos tu-
os, non eſt ignotum tibi, qui Pontifices liquidiſſimè
noviſti in Apoſtolorum ſucceſſiſſe locum. Neque
G cautiùs proſpexiſſe potes tibi, quòd nonnullos fe-
ceris Epiſcopos tanto dignos eſſe faſtigio; cùm
nec ipſe *Moriam* credas indignorum vitia dignis
imputare Theologis, quæ tamen vel hoc te vincit,
quòd nihil impedit per eam multos dignos eſſe
Theologos. At Epiſcoporum per te bonorum non
modò paucitas, ſed etiam *mira paucitas*. Sed done-
mus hoc tibi, nihil eſſe mali, Pontifices vel ridere
dicteriis,

dicteriis, vel maledictis inceſſere, modò nè ſacroſanctos Theologorum magiſtratus attingas. Quid ad hoc dicis? quòd illos ipſos Theologos non nomine quidem, ſed deſcriptione tam evidente, ut non ullo nomine deſignari potuiſſent expreſſiùs, ita mordes, ut penè laceres in proœmio quod in *Pyrgopolinicem Plauti* fabulam lepidiſſimè conſcripſiſti. Verùm interim *Plauti* me nomen admonuit eorum quæ tu ſparſim per epiſtolam tuam cùm in cæteros Poetas, tum in *Terentium* nominatim ex *Auguſtini* verbis congeris: quæ res longiorem diſquiſitionem flagitat, quàm ut à me in hac diſputetur epiſtola. Sed hoc tamen abs te quæro, utrùm ibi illis hoc voluiſſe videtur *Auguſtinus*, *Chriſtianis* videlicet non eſſe legendum *Terentium*. Quòd ſi ab eo perdiſcendo non deterreat, nihil adverſus Poetarum lectiones facit ille locus. Sin *Auguſtinum* id egiſſe putas, ut à Poeſeôs ſtudio *Chriſtianos* averteret, rurſus abs te percunctor, ipſéne *Terentium* adhuc docendum cenſeas? Quòd ſi cenſes, quid attinet id tam citare diligenter, cui non putes eſſe parendum? Sin docendum neges, ab *Auguſtino* videlicet perſuaſus: miror profectò quo pacto acciderit, ut tandem nunc primùm tam ſerò perſuaſerit ille, quem te non dubito tam diu antea legiſſe: nec interea tamen abſtinuiſſe à legendo *Plauto*, nec à legendo tantùm, ſed nec à docendo, exhibendo, agendóque publicè, Poetâ nihil quàm *Terentius* caſtiore, imò nè tam caſto quidem. Quid quòd ejuſdem *Militem glorioſum* facetiſſimo prologo locupletâſti? *Aulularia* verò non proœmium modò, ſed qui Comœdiæ defuerat finem adjeciſti: qui mihi, ſeu ſermonis elegantia ſpectetur, ſive ſales, ſales verè *Plautini*, nullâ parte totius Comœdiæ videtur inferior. Cujus rei vel hi ipſi verſus erunt indicio, quibus (ut dixi) Theologos iſtos amuſos quos nunc tueris, ita bellè deſcribis, ut nemo derideat ſalſiùs, nemo inſectetur vehementiùs. Nam quid his carminibus (referam enim) vel magis facetum poſſit eſſe, vel magis elegans?

Primùm omnium qui ſunt amuſi, & literis
Non proletariis malè inaugurati, eos
Ablegat hinc in maximam malam crucem.
Siquidem ſtomachabundi oblatratores facere
Pergant etiamdum. quod nunquam non factitant,
Clamoribus ampulloſis infremere, &
Venena livoris effunditare ſui,
Et obloqui, & obgannire, & dentibus omnia
Arrodere carnivoracibus, & ſicut canes
Solent. quibuſlibet allatrare ſibi obviis.
Eos homines (ſiquidem & ipſi homines)
Quam illiterati ſint, quam ſint agrarii,
Mihi ſedulò juſſit Plautus *hinc abigere.*
Sin fortè ſint profectò, niſi comprimant ſibi os,
Nihil quoque graxint, minatus eſt fore ulmeos,
Ubi hoſpitio excipientur Acherontico.

En, mi *Dorpi*, quàm neque Poetis abſtinendum putâſti, & amuſos illos Theologos quàm bene ſuis coloribus depinxiſti? Quòd ſi te neges tunc fuiſſe Theologum (ſiquidem ſcripta ſunt abhinc ſeptennium) certè vix ſeſquiannus eſt elapſus, quòd eadem recollecta edidiſti, jam certè Theologus: quadriennio poſt habitam luculentiſſimam orationem tuam de aſſumptione Deiparæ

A Virginis. Quid ergo refert an Theologus effeceris, an priùs facta, Theologus edendo comprobaveris? imò refert adeo. Nam ad ſcribendum impetu plerunque trahimur: intermiſſa quum retractamus, certum adhibetur judicium. Ergo, mi *Dorpi*, dum è dentatis *Gerardi* Satyris, quibus Monachorum ſpurciſſima deſcribit vitia, nihil mutandum cenſes: dum ipſe religioſorum Antiſtitum ſic misereris ut rideas,
B ſic rides ut mordeas, cæterorum Epiſcoporum, præterquam mirè paucorum, inſcitiam, vitam ac mores acerbè vituperas: dum Theologos iſtos ipſos, quorum in moriam, *Moriam* jocari nefas ducis, ipſe amuſos vocas, oblatratores, ſtomachabundos, literis non proletariis malè inauguratos, ampulloſis infrementes clamoribus venena livida effundentes, obloquentes, obgannientes, dentibus omnia carnivoracibus arrodentes, in obvios quoſque, ſicut canes ſolent, alla-
C trantes, illiteratos, agrarios, poſtremò vix homines, in maximam malam crucem cenſes ablegandos. Dum hæc, mi *Dorpi*, facis, quomodo tibi non venerunt in mentem tua illa tam bene conſulta conſilia, quibus *Eraſmum* nunc tam amicè ac tam prudenter admones? ubi tunc illud *Saluſtii*, *Extremæ eſſe dementiæ nihil aliud quàm odium ſe fatigando quærere*? ubi tunc illud *Cornelii Taciti*, *Aſperæ facetiæ quibus multum veri admixtum eſt, acrem ſui memoriam relinquunt*? quo
D tunc fugit illud *Epicteti*, *Ne putes omnibus jucunda audito*? Profectò, mi *Dorpi* chariſſime, ſic eſt à natura comparatum, ut modum ſemper ab aliis exigamus, libertatem omnes indulgeamus nobis. Novi ego qui *Reuchlinum*, Deus bone, quem virum! non ſatis æquo animo ferrent, quòd in æmulos ſuos, videlicet imperitiſſimos doctiſſimus, in ſtupidiſſimos vir prudentiſſimus, in vaniſſimos nebulones homo integerrimus, ab iiſdem in tantum laceſſitus injuriâ, ut ſi manu ſe
E vindicâſſet, ignoſcendum ei videretur: novi inquam qui non ferrent, quanquam ejus etiam ſtudioſi, quòd ſtilo contra illos liberè, ac magis liberè tamen, quàm verè affectus ſuos effunderet. Novi itidem eos ipſos qui hæc non ferebant, paulò pòſt tamen in rebus & minoris momenti, neque ad ſe tam propriè pertinentibus, multò etiam atrociùs excandeſcere. Tanto nimirum proclivius eſt alienis affectibus quemque temperare, quàm ſuis. Ergo non licuit, inquis, mihi vel Sa-
F tyras atque Epiſcopos quoque vel joco vel ſeriò dicere? modò vera, neque nominato quoquam. Imò verò, mi *Dorpi*, uſque adeò licuiſſe tibi cenſeo quod feciſti facere, ut mihi nihil unquam in vita melius feciſſe videaris, modò ea nè deſit æquitas, quâ tibi quod laudi ducis, idem in alio non vitio verteris. Iſtud ergo totum de *Moria*, mea (mi *Dorpi*) ſententia, & ſine cauſa mones, quum nihil ſit quod moneri debeat, & ſi quid eſſet, poſt tot annos etiam ſerò mones.
G Nam quod in calce prioris epiſtolæ tuæ poſuiſti, reconciliatum iri Theologis iſtis *Eraſmum*, quos *Moria* commovit, ſi *Moriæ* laudibus *Sapientiæ* laudem opponeret, mediocrem mihi riſum mediusfidius excuſſit. Sapiunt ſcilicet, ſi hoc *Moriæ* encomio *Moriam* ſic putant eſſe laudatam, ut laudari cupiant eâdem figurâ *Sapientiam*. Quod ſi cenſent, quid iraſcuntur? cùm ſint ipſi

A ipſi quoque à tam laudata *Moria* tam abundè laudati. Præterea, non video quo pacto veris ſapientiæ laudibus iſtorum in ſe invidiam *Eraſmus* lenire poſſit, quin potiùs velit nolit multo acerbiorem redderet: quippe cùm eos tam ex ſapientiæ contubernio cogeretur ejicere, quàm nunc coactus inter periſtiſſimos *Moriæ* myſtas aſcribere. Hæc ſcribenti mihi ſupervenerunt literæ, quibus ad ſe meus me Princeps revocat. B Hæ me adhuc ſcripturientem coegerunt, ut ſiſterem aliquando, atque iſtam finirem vel invitus epiſtolam: quæ cùm tam longa ſit, ut brevior fortaſſe fuerit,

Scriptus & in tergo nec dum finitus Oreſtes:

neſcio tamen quo tecum colloquendi ſtudio adhuc cupiebat increſcere. Quanquam jam nunc nihil intactum reliquimus, certè, quod ſciam, nihil per diſſimulationem prætermiſimus. Neque enim iſtud reor expectaturum quenquam, ut C *Moriam* à blaſphemiarum atque impietatis etiam ſuſpitione defenderem, tanquam ea *Chriſti* religio malè audierit. Nam hoc & in prioribus literis tuis ita poſuiſti, ut planè te oſtenderes contra animi tui ſenſum alienam referre ſententiam: & in hac epiſtola poſteriore, cùm cætera omnia, quanquam illa quoque magna ex parte non tua, tum in quibus hærere aliquis potuit color pro hoc ingenio atque hac doctrina tua, magnificè atque ampliter excolueris: hanc D tamen de impietate calumniam conſultò, velut impiam ipſam ſacrilegámque, ac non manifeſtariam modò, verùm futilem quoque atque ineptam prorſus omiſiſti. Ea ergo de re nihil erat mihi dicendum, de cæteris dixiſſe me puto. Nihil ergo reſtabat aliud de quo tractare volueram. Sed niſi Principis me interpellâſſent literæ, ſcripturus fortaſſe fui iiſdem de rebus pleniùs. Verùm ut non ingrata eſt hæc epiſtolæ complicandæ neceſſitas, quòd vereor nè quâ nunc E eſt longitudine, tibi poſſit eſſe moleſtiæ: ita non lætor ademptam mihi facultatem, quâ hæc eadem liceat ſub incudem revocare, atque hunc rudem & informem fœtum meum ſæpiùs lambendo refingere: quod facere profectò animus erat, ad te, doctiſſime *Dorpi*, ut cultior aliquanto veniret, cui me meáque omnia probata eſſe cupio: quorum nunc ruditati non ideo ſolùm veniam dabis, quòd properus iſte diſceſſus effecit, nè mihi vel relegere liceret: ſed ob id F quoque quòd iſta ſcribenti mihi non modò libraria nulla, ſed nec liber ferè ullus affuit. Quanquam nè nunc quidem ingrata tibi qualiacunque fore in tua humanitate prima ſpes eſt, ſecunda in mei ipſius induſtria, quâ me ſedulò caviſſe confido, nè quicquam in his eſſet quod tuas aures meritò poſſit offendere, niſi mihi (ut homo ſum) meorum amor impoſuit. Quòd ſi uſquam incidat culpam admonitus, agnoſcam ingenuè, nec tuebor meam: nempe ut quos amo ſi quid eorum G interſit non gravatim admoneo, ſic ab amicis ipſe admoneri valde medius fidius gaudeo. Neque hoc me fugit tamen, *Eraſmo* quædam ex ſtomacho te non objeciſſe tuo, ſed ab aliis accepta potiùs pertuliſſe: ut tu viciſſim intelligas, me multa his in literis, illis per te potiùs reſpondiſſe, quàm tibi, quem ego non ſolùm ut amantiſſimum diligo, & doctiſſimum ſuſpicio, verumetiam ut A optimum virum revereor. Vale, chariſſime *Dorpi*, veréque tibi perſuade, neminem eſſe tui magis vel in *Holandia* tua ſtudioſum, quàm ſit *Morus* apud toto diviſos ab orbe *Britannos*, ut cui non minus charus es quàm ipſi es *Eraſmo*. Nam charior eſſe non potes, nè mihi quidem. Iterum vale. *Brugis*, XXI. Octobris.

Thomas Morus Petro Ægidio S. D.

B Pudet me propemodum, chariſſime *Petre Ægidi*, libellum hunc de *Utopiana* republica, poſt annum fermè ad te mittere, quem te non dubito intra ſeſquimenſem expectâſſe: quippe quum ſcires mihi demptum in hoc opere inveniendi laborem, neque de diſpoſitione quicquam fuiſſe cogitandum, cui tantùm erant ea recitanda, quæ tecum unà pariter audivi narrantem *Raphaelem*: quare nec erat quod in eloquendo C laboraretur, quoniam nec illius ſermo potuit exquiſitus eſſe, quum eſſet primùm ſubitarius atque extemporalis; deinde hominis, ut ſcis, non perinde *Latinè* docti, quàm *Græcè*: & mea oratio quanto accederet propiùs ad illius neglectam ſimplicitatem, tanto futura ſit propior veritati, cui hac in re ſoli curam & debeo & habeo. Fateor, mi *Petre*, mihi adeò multum laboris his rebus paratis detractum, ut penè nihil fuerit relictum: alioquin hujus rei vel excogita- D tio, vel œconomia potuiſſet ab ingenio neque infimo, neque prorſus indocto poſtulare, tum temporis nonnihil, tum ſtudii. Quod ſi exigeretur, ut diſertè etiam res, non tantùm verè ſcriberetur, id verò à me præſtari nullo tempore, nullo ſtudio potuiſſet. Nunc verò quum ablatis curis his, in quibus tantum fuit ſudoris exhauriendum, reſtiterit tantùm hoc, uti ſic ſimpliciter ſcriberentur audita, nihil erat negotii. Sed huic tamen tam nihilo negotii peragen- E do, cætera negotia mea minus ferè quàm nihil temporis reliquerunt: dum cauſas forenſes aſſiduè alias ago, alias audio, alias arbiter finio, alias judex dirimo: dum hic officii causâ viſitur, ille negotii: dum foris totum fermè diem aliis impertior, reliquum meis, relinquo mihi, hoc eſt literis, nihil. Nempe reverſo domum cum uxore fabulandum eſt, garriendum cum liberis, colloquendum cum miniſtris. Quæ ego omnia inter negotia numero, quando fieri neceſ- F ſe eſt (neceſſe eſt autem, niſi velis eſſe domi tuæ peregrinus) & danda omninò opera eſt, ut quos vitæ tuæ comites aut natura providit, aut fecit caſus, aut ipſe delegiſti, his ut te quàm jucundiſſimum compares, modò ut nè comitate corrumpas, aut indulgentiâ ex miniſtris dominos reddas. Inter hæc quæ dixi, elabitur dies, menſis, annus. Quando ergo ſcribimus? Nec interim de ſomno quicquam ſum loquutus, ut nec de cibo quidem: qui multis non minus ab- G ſumit temporis, quàm ſomnus ipſe, qui vitæ abſumit fermè dimidium. At mihi hoc ſolùm temporis adquiro, quod ſomno ciboq; ſuffuror: quod quoniam parcum eſt, lentè, quia tamen aliquid, aliquando perfeci, atq; ad te, mi *Petre*, tranſmiſi *Utopiam*, ut legeres, & ſi quid effugiſſet nos, uti tu admoneres. Quanquam enim non hâc parte penitùs diffido mihi (qui utinam ſic ingenio

Epiſt. 3.

nio atq; doctrinâ aliquid eſſem, ut memoriâ non uſquequaque deſtituor) non uſque adeo tamen confido, ut credam nihil mihi potuiſſe excidere. Nam & *Joannes Clemens* puer meus, qui adfuit, ut ſcis, unà, ut quem à nullo patior ſermone abeſſe, in quo aliquid eſſe fructûs potuit, quoniam ab hac herba, quâ & *Latinis* literis & *Græcis* cœpit evireſcere, egregiam aliquando frugem ſpero, in magnam me conjecit dubitationem. Siquidem quum, quantum ego recordor, *Hythlodæus* narraverit *Amauroticum* illum pontem, quo fluvius *Anydrus* inſternitur, quingentos habere paſſus in longum, *Joannes* meus ait, detrahendos eſſe ducentos, latitudinem fluminis haud ſupra trecentos ibi continere. Ego te rogo, rem ut revoces in memoriam. Nam ſi tu cum illo ſentis, ego quoque adſentiar, & me lapſum credam: ſin ipſe non recolis, ſcribam, ut feci, quod ipſe recordari videor mihi; nam ut maximè curabo, nè quid ſit in libro falſi, ita ſi quid ſit in ambiguo, potiùs mendacium dicam, quàm mentiar; quòd malim bonus eſſe, quàm prudens. Quanquam facilè fuerit huic mederi morbo, ſi ex *Raphaele* ipſo aut præſens ſciſciteris, aut per literas; quòd neceſſe eſt facias, vel ob alium ſcrupulum, qui nobis incidit, neſcio meâne culpâ magis, an tuâ, an *Raphaelis* ipſius. Nam neque nobis in mentem venit quærere, neque illi dicere, quâ in parte novi illius orbis *Utopia* ſita ſit. Quod non fuiſſe prætermiſſum ſic, vellem profectò mediocri pecuniâ meâ redemptum: vel quòd ſuppudet me neſcire, quo in mari ſit inſula, de qua tam multa recenſeam: vel quòd ſunt apud nos unus & alter, ſed unus maximè vir pius & profeſſione Theologus, qui miro flagrat deſiderio adeundæ *Utopiæ*, non inani & curioſâ libidine luſtrandi nova, ſed uti religionem noſtram, fœliciter ibi cœptam, foveat atque adaugeat. Quod quo faciat ritè, decrevit antè curare, ut mittatur à Pontifice, atque adeò ut creetur *Utopienſibus* Epiſcopus, nihil eo ſcrupulo retardatus, quòd hoc antiſtitium ſit illi precibus impetrandum. Quippe ſanctum ducit ambitum, quem non honoris aut quæſtûs ratio, ſed pietatis reſpectus pepererit. Quamobrem te oro, mi *Petre*, ut aut præſens, ſi potes commodè, aut abſens per epiſtolam, compelles *Hythlodæum*, atque efficias, nè quicquam huic operi meo aut inſit falſi, aut veri deſideretur. Atque haud ſcio, an præſtet ipſum ei librum oſtendi. Nam neque alius æquè ſufficit, ſi quid eſt erratum, corrigere: neque is ipſe aliter hoc præſtare poteſt, quàm ſi quæ ſunt à me ſcripta, perlegerit. Ad hæc fiet ut hoc pacto intelligas, accipiátne libenter, an gravatim ferat, hoc operis à me conſcribi. Nempe ſi ſuos labores decrevit ipſe mandare literis, nolit fortaſſè me, neque ego certè velim *Utopienſium* per me vulgatâ republicâ, florem illi gratiámque novitatis hiſtoriæ ſuæ præripere. Quanquam, ut verè dicam, nec ipſe mecum ſatis adhuc conſtitui, an ſim omninò editurus. Etenim tam varia ſunt palata mortalium, tam moroſa quorundam ingenia, tam ingrati animi, tam abſurda judicia, ut cum his haud paulò feliciùs agi videatur, qui jucundi atque hilares, genio indulgent ſuo, quàm qui ſemet macerant curis, ut edant aliquid, quod aliis aut faſtidientibus, aut ingratis, vel utilitati poſſit eſſe, vel voluptati. Plurimi literas neſciunt, multi contemnunt: barbarus ut durum rejicit, quicquid non eſt planè barbarum: ſcioli aſpernantur ut triviale, quicquid obſoletis verbis non ſcatet: quibuſdam ſolùm placent vetera, pleriſque tantùm ſua: hic tam tetricus eſt, ut non admittat jocos; hic tam inſulſus, ut non ferat ſales: tam ſimi quidam ſunt, ut naſum omnem, velut aquam à rabido morſus cane, reformident: adeò mobiles alii ſunt, ut aliud ſedentes probent, aliud ſtantes: hi ſedent in tabernis, & inter pocula de ſcriptorum judicant ingeniis, magnáque cum autoritate condemnant utcunque lubitum eſt, ſuis quenque ſcriptis, veluti capillitio vellicantes, ipſi interim tuti, & quod dici ſolet ἔξω βέλους· quippe tam leves & abraſi undique, ut nè pilum quidem habeant boni viri, quo poſſint apprehendi. Sunt præterea quidam tam ingrati, ut quum impenſè delectentur opere, nihilo tamen magis ament autorem: non abſimiles inhumanis hoſpitibus, qui quum opiparo convivio prolixè ſint excepti, ſaturi demum diſcedunt domum, nullis habitis gratiis ei, à quo ſunt invitati. I nunc, & hominibus tam delicati palati, tam varii guſtus, animi præterea tam memoris & grati, tuis impenſis epulum inſtrue. Sed tamen, mi *Petre*, tu illud age, quod dixi, cum *Hythlodæo*: poſtea tamen integrum erit hac de re conſultare denuò. Quanquam ſi id ipſius voluntate fiet; quandoquidem ſcribendi labore defunctus, nunc ſerò ſapio. Quod reliquum eſt, de edendo, ſequar amicorum conſilium, atque inprimis tuum. Vale, dulciſſime *Petre Ægidi*, cum optima conjuge; ac me ut ſoles ama, quando ego te amo etiam plus quàm ſoleo.

Thomas Morus Germano Brixio S.

NOn adeo tenerè mihimet *Brixi* faveo, ut quod nemini unquam contigit mortalium, id dedigner ac doleam non contigiſſe mihi. *Epiſt. 4.* Quis enim ullo unquam ſeculo tam inoffenſè tranſegit vitam, ut ei nullus aliquando inimicus exorietur, quum haberet amicos? Quamobrem, quando illud mihi video communi mortalitatis ſorte negatum, ut penitus inimico caream; gaudeo ſaltem fortunæ beneficio, amicos mihi perquam egregios, inimicum verò contigiſſe talem, quem neque amicum quiſquam velit, neque inimicum curet; ut qui neque juvare benevolens, neque nocere poſſit iratus. Et tamen mihi certè ſuccenſerem, ſi vel talis merito me odiſſes meo. Nunc verò eo æquiore animo fero, quòd non dubito quin omnibus inclareſcat facilè ineptum iſtud ac pluſquam muliebre jurgium, non aliunde quàm ex animi tui morbo natum. Quin eò quoque minus mihi diſplicet hoc certamen, quòd ut nihil inde boni poteſt accidere, ita, præter chartæ jacturam & temporis, quorum ego neutrum ſtatui multum perdere, nihil alioqui queat alterutri noſtrûm magni evenire mali; quando tales uterque ſumus, ut neque mihi quicquam tu nocere poſſis, neque tibi quiſquam; quum ſis ejuſmodi, in quo nihil fieri detrimenti queat. Quâ unâ fiduciâ te impulſum video, ut

quaquâ

quaquà verſus apud literatos omnes (ſi qui tamen tam nugaces nugas dignabuntur legere) libello illo tam elegante, tam egregio indolis tuæ ſpecimine, moríſque tuorum tam gravi teſte temet ipſe traduceres, ut qui ante ſatis docuiſſes, cujuſmodi poeta ſis, nunc demum, edito in id libello, qualis etiam vir ſies oſtenderes. Oſtendiſti verò tam inſigniter, ac temet ita depinxiſti graphicè, ut ego tot tantáque in te probra ſpargere, quàm quibus tute temet totum oblinis, neque ſi velim, queam; neque ſi queam, velim. Et tamen ut ejuſmodi laudibus te geſtire doces, ea videatur una atque unica via placandi propitiandíque tui, ſi quis in te fœdis velit probris debacchari. Verùm ego non uſque adeo tuam amicitiam ambio, ut non ea potiùs mihi dicta cupiam; quæ vel uni placeant bono atque honeſto viro, quam quæ trecentis *Brixiis*: eóque præclaram illam ac divitem probrorum tuorum ſupellectilem, quâ te ſic oſtentas ac jactitas, haud contrectabo; neque, quoad abſtinere licebit, attingam: tantum, ſi quid in ea fuerit jucundioris inſaniæ, quod qui perpenderit ridere poſſint, odiſſe non debeant, eo non gravabor Lectoris levare faſtidium; quod neceſſe eſt multum ſubeat in legendis ejuſmodi rixis, ac nihil unquam profuturis jurgiis. Cætera verò, quibus te conſpurcas fœdiùs, aut prorſus valere ſinam, aut ſicubi cogar attingere, ſic attingam leviter, ut omnibus faciam perſpicuum, non minus libenter me tua probra contegere, quàm tute, *Brixi*, detegas, ac velut inſigne præ te feras. Nam quæ vitio vertis mihi, tam inſulſæ ſunt calumniæ, ut non fuiſſem dignatus reſcribere, ſi non hoc unum duntaxat diluere viſum eſſet; quod tu tam frequenter inculcas, quàm nunquam probas, hujus tui jurgii authorem eſſe me. At iſtud non dicere, *Brixi*, verùm docere debueras. Quam ſi eam rem ſatis declarare videbantur *Epigrammata* mea, ea ſaltem abs te tuo libello conveniebat adſcribi; nè vel illis videreris impudens, quibus meum carmen non eſſet in manibus. Et feciſſes haud dubiè, niſi ſenſiſſes è re non eſſe tua, meos verſus legi. Qui ſi cominus conferantur tuis, etiamſi cui videantur alii, quod videntur tibi, tuorum ſcilicet ſplendorem carminum reverituri: hactenus tamen adverſariorum luce fruerentur, ut res redderetur illuſtris, & ipſos magis objurgatos eſſe, quàm victos; & tibi non ſatis commodam anſam nunc demum debacchandi rurſus arreptam. Quæ res, quo fiat dilucidior, quando te libenter oblivíſci video, præclari iſtius duelli caput tibi redigam in memoriam. Sed ita redigam, ut potiùs omittam quædam quæ ad rem meam faciant, quàm ut ob cauſæ commodum attingam quicquam, quod abſque gentis cujuſquam contumeliâ tangi non poſſit.

Quum ergo tumultus eſſet olim *Lodovico* Regi veſtro cum *Romano* Pontifice, ac Princeps noſter invictus *Henricus* ejus nominis Octavus, ab illa ſacroſancta ſede rogatus, labantibus eccleſiæ rebus ferre ſtatuiſſet auxilium; naves aliquot emiſit in mare, quæ claſſem perquam potentem, quam *Lodovicus* adornârat, arcerent atque compeſcerent. Quæ

A quum ſibi mutuò occurriſſent, reliquis omnibus utrinque bonâ fortunâ ſervatis, duæ tantùm (quæ primo congreſſu protinus, injectis harpagonibus, ita ſunt colligatæ, ut tabulatis igne correptis, dirimi non potuerint, triſte belli præludium) perierunt. Hanc navalem pugnam, quum tu ita deſcripſiſſes verſibus, non ut vera falſis involveres, ſed ut rem fermè totam meris mendaciis fingeres, atque ex
B arbitrio tuo concinnares novam: quum Regis noſtri pietatem, nomine depravares invidiæ; *Angliám*que totam velut fœdifragam atque perjuram, maledictis falſis perquam petulanter inceſſeres: quum *Herveum* pluſquam *Herculeum*, mendaciis pluſquam Poeticis in mare deduceres: quum noſtras naves, quibus æquor inſtraveras, unâ tu invectus *Chordigerâ*, parvâ comitante catervâ, fretus *Herveo* bellipotente disjiceres, ac veluti muſcas quocunque tibi li-
C bebat abigeres; pleráſque verò, fluctibus, homo crudelis, immergeres, quas paulò tamen poſtea *Neptunus* miſericors incolumes remiſit domum: quum *Regentem* noſtram, lepuſculi more fugientem, tu generoſus canis inſequereris *Chordigerâ*: quum *Chordigeram*, cui remigii nullus uſus erat, validis remigum lacertis impelleres, nè tibi periret operoſum illud hemiſtichium, *Validis impulſa lacertis*: quum *Herbei* clamoſo flatu proflares vela: quum navis adverſæ ducem, virum
D magni nominis & loci præterires tacitum; ídque ex arte videlicet: quum *Herveum* fermè factitium, caneres non fortiter modò, verùm etiam prodigioſè pugnantem: quum eum in *Regentem*, in qua nunquam pedem poſuit, in medios hoſtes imperterritum intruderes: quum *Regentem*, occupatis ejus ſpeculis, horrendâ editâ ſtrage, victam vinctámque traheres: quum è victa nave non ſatis obſervatus in victricem jaceres ardentis flammæ bolidem,
E (quæ res fuiſſet victis vinctiſque difficilis) quum *Herveum* adhuc in *Regente* relictum memoriâ lapſus (quæ res mentientibus facilè ſolet obrepere) ſubitò velut bicorporem; in conflagrante *Chordigera*, mediis in flammis, faceres longis logis concionantem; non in aliud (opinor) mortem differens, quàm ut interea te, videlicet alumnum *Phœbi* ſuis aliquando fatis vatem vaticinarentur futurum: quum Heroes univerſos in cinerem decoqueres, me-
F ritóque adeo decoqueres, qui maluerunt exuri quàm in *Regentem* ſeſe transferre quam cœperant, quam victam vinctámque trahebant, paſſíſque ad ſydera palmis: quum *Herveum* deſcriberes, ſuis ſuperſtitem ſociis, jam jámque evolaturum ad ſuperos, (nimirum quicquid mortale gerebat excocto flammis, maximéque mortalium, pernicioſis affectibus, cujuſmodi ſunt ira cum primis & odium) tum demum ita purgatum, divi opinor *Laurentii*
G (ad cujus exemplar fortiſſimi viri pectus effinxeras) exemplo provocatum; captam navem fingeres, & tot egregia deditorum corpora, per invidiam atque vindictæ libidinem, nullo ſuo fructu concremantem ſecum: quum demum non homines tantum ac naves uſque adeo devorares ignibus, ut nè Deus quiſpiam è machina (quod fieri ſolet in tragœdiis) unum ſaltem ſervârit incolumem; qui te rei quam decantas ordinem

nem doceret; verùm etiam flammis illis corriperes,

Sydera cum cœlo, cúmque ipſis piſcibus æquor:

Nec illud brevi hyperbole, ſed pluribus verſiculis accuratiſſimè ſtolidis, pulchrè videlicet æmulatus *Ovidium*, hoc etiam vincens, quòd quum ille ab Solis equis abſque rectore deerrantibus, orbis finxerit incendium; tu perquam. ſcitè ſcilicet, cœlum, terras, ac mare comburas à conflagrante naviculâ; quum ſic victo *Naſone* ferox, *Maronem* quoque laceſſeres; & quoniam is èffinxerat demiſſam à *Jove* pluviam, quæ flagrantem *Æneæ* claſſem reſpergeret atque ſervaret, tu perditis jam atque conſumptis incendio navibus, imbrem è cœlo copiosè deplueres, nè, velut aqua perennis è pumice ſcaturit; ſic ignis ex aqua jugiter eructatus, flammas ejacularetur in cœlum. Hæc ita cum tractares, ipſe caſu tuum nactus librum; haud ſcio an etiam tum excuſum typis, quum tam immania portenta viderem, tam fœda, tam pudenda mendacia, fictiones tam abſurdas, purpureos aliorum pannos, hinc atque inde inſutos illi tuo craſſiſſimo bardocucullo, quibus nè locus non eſſet, habitum totum in eam compoſitum formam, quam non ſani eſſe hominis non ſanus juret *Horeſtes*, uno atque altero Epigrammate me ſignificavi, in narratione tua fidem rerum, in poemate deſiderare conſilium, tum plures abs te congeſtos, quàm pro horrei tui modulo alieni farris acervos. Eodem tempore Epigramma luſeram in noſtratem quendam, qui ut parum tempeſtivè, ſic non admodum feliciter, affectabat gallicitatem. Quo in Epigrammate, ſi quid eſt mordacius, id in ridiculum recidit affectatorem, non in *Gallos*; de quibus, ut maximè torqueas Epigramma, non aliud excuties dictum, quàm quòd heri, ſitis in miniſtros paulò duriuſculi. Quod nec vos opinor admodum diffitemini, & ego ſicut non inſector in vobis, ita quum ſui cuique genti ſint mores, in illo noſtrate diſplicuit quòd apud nos præter conſuetudinem noſtram, durius tractaret veſtitatem. Hæc ego quum illâ tempeſtate ſcriberem, quà belli fremitu flagrabant omnia, etiamſi quid aſperius mihi veniſſet in mentem, non credidiſſem certè, nec tam iniquum quemquam, nec ipſum te tam improbè faventem tibi, ut libris in nos debacchari; tamen exigeretis à nobis, uti nè verſiculo quidem viciſſim tangeremini. Quamobrem ſi ego prior in te ſcripſi, provocâſſe convincar; ſin tu prius in nos, quid habes quod iſti tam inhoneſto facto poſſis honeſtè prætexere; cum ipſe librum Epigrammate rependerim, tu rurſus Epigramma jocoſum retaliaris, mirum quàm virulento volumine? Ad hæc, cum ego ſtatim illa mea rebus nondum pacatis luſerim; tu nunc tot annis poſtea, in ſumma pace arctiſſimâ neceſſitudine conjunctis Regibus, mirâ concordiâ conglutinatis populis, poſt ſancitam ſanctiſſimis utrinque ceremoniis ſaluberrimam * * * * * * * * * nunc exoriris denique qui ſopitas atque obliteratas ſimultates renoves, coaleſcentia divellas vulnera, & obductas cicatrices refrices, qui nobis in os ingeras, fœdas noſtrorum fugas, diſperſas & obrutas claſſes, invidiam, fœdifraga perjuria; quas res ipſe fœdè confingis. Atqui hæc abs te omnia videri vis concinnè fieri, quòd me ſtrenuus videlicet nunc aggrederis, qui tecum ſim olim aliquando luctatus. At cui non perſpicuum eſt, quàm ridiculè ſit facturus athleta, qui prodiens in palæſtram, ſemélque univerſos provocans, quum fortè ſit dejectus à quopiam, tandem ſoluto cœtu dimiſſóque ludo, aliquot poſt annis redeat denique, atque rebus animiſque omnium immutatis, & in quidlibet potiùs quàm ejuſmodi certamina verſis, inopinus aſſiliens, antagoniſtam, quo cum olim luctatus eſt, de repentè corripiat medium, provocatum etiamnum ſeſe clamitans; quaſi vel provocet qui provocanti reſpondeat, vel initum ſemel certamen duraret æternum? quàm ridiculè ſit inquam ejuſmodi facturus athleta, cui non eſt perſpicuum, etiamſi fors congreſſu fuerit ſuperior? Quòd ſi ſic inſiliens, cum huc atque illuc verterit ſeſe, brachiáque jactans ac tibias, alios ejectis pugnis, alios calcibus feriat, atque in his fortaſſis etiam prioris ludi agonothetas, denique ubi diu fruſtra ſeſe torſerit; quum proſternere non poſſit adverſarium, nè fruſtra proceſſiſſe videatur, in vultum conſpuat, crapuláque ac ſanie totum ebrio ejectâ ſtomacho convomat, itaque geſtiens, tanquam re præclarè geſtâ diſcedat, egregium ſcilicet triumphum in ganeis ac popinis acturus; hiccine paleſtrita coronandus? an dignus potiùs fuerit, cui talos aliquis & crura perſtingat? Jam quis non videt *Brixi*, quàm tu ſis huic athletæ ſimilis? Quanquam hoc fortaſſe diſſimilis, quòd non athletico certamine, totam gentem noſtram, ſed hoſtilibus provocâſti conviciis; niſi fortè contendas perjurium non habendum pro contumelia, quod ſimile eſt ac ſi diſputes, aſinum non habendum pro quadrupede. Quà in provocatione, quum ego tecum uno atque altero telo, ſed exarmato, non tam dimicarem quàm luderem (Nam is videbare quem non eſſet operæ precium lædere) tamen neſcio quo pacto (ut facilè penetratur puſtula) tanto cum dolore ictum recepiſti, ut nunc demum tot elapſis annis, toties factâ firmatáque pace, tam multis modis conſtabilitâ concordiâ, tam neceſſariâ junctis affinitate Principibus (quæ res una debuit inter utrinſque populos priſtinas omnes ſimultates tollere) tu tamen, tanquam neque prior provocâſſes, & adhuc duraret bellum, in me repentè rurſus inſurgas, & omnibus in amorem, amicitiam, ſocietatem, ac jam quoque hoſpitalitatem mutuam intentis, hoſtilibus armis invadas; & telis non acutis admodum, ſed (quod amplius eſt quàm inter homines non omninò barbaros ac ſylveſtres belli jura permiſerint) impetas venenatis; non ſtupidè minùs quàm improbè clamitans interim, te prodire provocatum, tanquam reſponſurus eſſes ad ea, quæ nos in te, dum tibi reſponderemus injecimus: quæ certè fuerunt ejuſmodi, ut ea reſpondendo non poſſis, quantumlibet ſudaris, effugere. Quod quum verum eſſe ſenſiſſes, ſic inſtituiſti libellum tuum, ut tuam defenſionem timidè, ac velut obiter attingens, totus in me confodiendum con-

converterêris; qua in re quum quicquid tibi vi- A
rium fuerit intenderis, quid aliud effeciſti deni-
que, quàm ut effutitis infacetis facetiis, evomito
furiali veneno; me tandem, quum non potuiſti
lædere, nè nihil egeris, perſpuiſti; atque ita de-
mum diſceſſiſti victor ac triumphator egregius?
Verùm in me quàm lepidè dicax fueris mox vi-
debimus. Interea penſitemus iſto tam operoſo
libello, in quo elaborando plures perdidiſti dies,
quàm liber habet verſiculos, quanto cum artificio B
quæ tibi ſunt objecta dilueris. Ego igitur quum
in te taxâſſem alia furto ſubrepta veteribus, a-
lia perabſurdè tractata, omnia denique ſic abs
te narrata, ut neque in rebus veritas eſſet, ne-
que in verbis fides: ad primum ſic reſpondes;
tanquam ego ſim criminatus quod tui verſiculi
nimis redoleant antiquitatem: à quo ego cri-
mine (nè quid excuſando te torqueas) facilè
re abſolvo. Nam quòd idem crimen alibi rur-
ſus attingens obiter, rurſus diſſimulas obje- C
ctum furtum, rurſus velut objectam æmula-
tionem defendis, ac non contentus ſi repre-
henſione careas, laudem etiam ab re tam il-
laudata vendices, quòd ita videlicet veteres æ-
mulatis ſis; quòd eorum aſſiduè veſtigiis inhæ-
ſeris, quòd *Herculi* denique clavam è manibus
eripueris, non potui herclè ſine riſu legere, è
facto tam pudendo tam magnificè vendicatam
gloriam. Nam quum omnia peſſimè ſis imi-
tatus, quum aliorum vel hemiſtichia vel inte- D
gros verſus, uno interdum verbulo malè com-
mutato, interdum nè commutato quidem,
paſſim uſurpes pro tuis, hoc non eſt opinor æ-
mulari *Brixi*, ſed contaminare, fœdare, pol-
luere; hoc non eſt *Herculi* clavam vi eripere,
ſed repoſitam furto ſubripere: Quanquam ne-
gare non poſſum quin hoc ſit veterum inhæ-
rere veſtigiis. Verùm enimverò *Brixi* nimis
inhæres importunæ, quum ſic inhæres veſtigi-
is; ut eorum decutias calceos, quibus tuos E
pedes haud quaquam æquales, obveſtias. Nec
tibi ſatis patrocinii fuerit, ſi quid tale de ſe
dixit *Vergilius*. quale tu de temet jactas (Ne-
que enim cujuſque eſt *Corynthum* petere:) Ille
de ſe dixit, quod abundè præſtitit; tu de te
gloriaris in eo, quod præſtare non ſufficis,
niſi ſimile putes eſſe pereuntes *Ennii* verſicu-
los, *Vergilii* poematis æternum victuris inſe-
rere, & æternos *Vergilii* verſus tuis infulcire
pereuntibus. Illum aliorum carmina interclu- F
ſiſſe melioribus: Te ſplendidiſſima quæque ve-
tuſtiorum ſordibus immiſcuiſſe tuis. Illum ſic
certare cum *Græcis* ut ubique ſeſe parem pro-
bet, plerumque etiam ſuperet: Te cum *La-
tinis* congreſſum non hoc agere, ut emuleris
aut certes, ſed ut ex inſidiis aliquid auferas,
quod in tuam ſupellectilem conſeras integrum,
ſi clam fore furtum ſperes; alioqui, velut equi
furtivi, caudam atque auriculas amputes, ut vel
deformato poſſis uti potiùs quàm tareas. Quà G
in re adeo te induſtrium præbes ac planè fru-
gi furem, ut frequenter nè vel hemiſtichio alie-
no contineas manum, ſi quod tibi videatur
eximiè bellum, mirè abſurda commenta, fi-
ctiones ineptiſſimas, quas locus aut res neque
petit, neque patitur, à cœlo ad terras uſque:
ſed quæ neque cœlum (quod aiunt) neque
terram attingant acceſſas. Quam ſi in expli-
canda pugna, ſi tempeſtate repræſentandâ,
vel ſi quid aliud erit ejuſmodi, veterum quem-
piam proponas æmulandum tibi; ſic illius ver-
ba pleraque, ſic verſus plerumque totos, in
verſus inculcas tuos; ſic quicquid variaris, im-
mutas in deterius, ut ſi quis partes conferat
ſeorſum, hinc nihil illi ſimilis, hinc ille ipſe
videaris. Sin utrinque ſimul contempletur to-
tum; tum verò videri poſſit; irâ quapiam Su-
perorum, mirâ metamorphoſi, pulcherrimus
heros quiſpiam in ridiculum commutatus ſi-
mium.

Ergo quum objecta tibi tua furta, ratione
tam elegante, nempe diſſimulatione, diluiſſes,
ad tam pudenda mendacia (quibus *Chordi-
gera* tua non aliter ſcatet quàm cadaver ver-
mibus) velut *Ajacis* clypeum aut *Palladis* ægida
poetices opponis privilegium, quo videlicet hi-
ſtoricâ lege tradendæ veritatis eximitur. At
ego profectò *Brixi* ut poeticen auguſtam ſanè
ac perquàm liberam, divam, non adeo an-
guſtis limitibus obſepſerim, quin ut verbo-
rum, ita rerum quoque fingandarum detur
licentia, modò ſumpta pudenter; ita planè non
patiar, ut quidlibet impudenter ementiens, i-
démque tractans abſurdè, totam rerum ſeri-
em, atque adeo ſummam invertat atque de-
mutet. Quam ſi alioqui ſtatueris, omnibus
prorſus Hiſtoriæ legibus tam abſolutè libe-
ram, ut & debellâſſe cantiret, qui non con-
flixerint: & viciſſe pronunciet, qui victi ſint;
hoſtéſque fugâſſe, qui fugerint: jam non *Di-
donis* tantùm miſeranda fata (quæ tu pro fi-
ctis affers) irriſerimus (quæ neſcio an ſatis
confutata, certè trahuntur in dubium non ſat
indubitatæ fidis autoribus) verùm etiam falſa
eſſe bella omnia, falſa fictáque conjugia, aut
Æneam certè à *Turno*, *Turnum* à *Pallante*
ſuperatum, omnia denique contra geſta, quàm
ſunt à *Marone* tradita, crediderimus. De
Vergilio videlicet accedentes tibi: de *Homero*
verò *Dioni* homini tam infenſo Poeticæ, ut
totum *Trojanum* bellum contenderit, atque
ipſam propemodum *Trojam*, figmentum eſſe
Homericum: ídque obſtinatè contenderit, in-
finitis victus argumentis. Quod non alio con-
ſilio feciſſe videtur, quàm ut id ipſum infen-
ſus ageret, quod agis nunc ipſe propitius; hoc
tantum diverſus, quòd quam rem ille ſtudio
conabatur, ut nemo Poetas haberet in precio,
hoc tu procures imprudens, non faber fabro
invidens, ſed arti prorſus ipſi ſuam invidens
gloriam, ipſíque adeo tibi tuam, ſi quantus
habere poſtulas, tantus verè vates eſſes, cui an
non præcipuam gratiam decuſſeris, ſi nemo ſua
facta dignabitur Poeticis verſibus commendari
memoriæ? Nemo certè dignabitur, qui men-
tem habeat, qui quidem habeat perſuaſum,
habenda pro fictis omnia, quæcunque Poeta
cecinerit: ídque eo fatente ipſo cecinit.

Cæterùm hac in parte (ut verè tecum lo-
quar ac liberè) non unus es, qui res nobiſcum
geſtas à vobis, ſi non falſò recenſeas (nam id
dicere apud tam teneras aures religio eſt) at
certè nimirum recenſeas liberè. Prodiit opuſ-
culum *Pillei Turonenſis* ſatis canoris verſibus.
Nam reliqua libens prætereo, nè is quoque
ſe provocatum clamitet; cujus in libello ta-

men quiſquis adverterit, in re narranda quàm A paſſim utatur *Brixania* poeticè, quàm honoratis titulis, noſtram exornet *Angliam*, quàm venerandis epithetis inclytas honeſtet *Hiſpanias*, is opinor certè judicabit, ſi quis *Pilleum*, aut *Hiſpanus*, aut *Anglus*, non tantum epigrammate remorderet, nihil habiturum cauſæ *Pilleum*, cur ſe queratur laceſſitum eſſe, quum prior læſerit. Quòd ſiquis tam iniquus eſſet uſquam, ut contra ſentiat, non B dubitâſſem, vel ipſe eam ſubüſſe calumniam, ſi liber olim mihi veniſſet in manus. Nunc verò non eſt conſilium antiquatis amicitia nova ſimultatibus tumultuari de integro. Quamobrem omiſſo libro, titulum tantum proponam; cum, ut ex ungue liceat æſtimare leonem; tum ut ſi cui libeat legere, nomen habeat ſaltem, quo veſtiget librum. Is ita inſcriptus eſt, *De Anglorum è Galliis fuga, & Hiſpanorum è Navarra expulſione*. Quis non C vel abſque cribro divinet facilè, cujus farinæ reliquus ſiet liber, quum iſtiuſmodi ſurfuris legat titulum, qui cum reliquo libro tam concinnè concinit, quàm ab hiſtoria tota diſcordat? Nam quis non rideat, quòd *Anglos* prælio jactat è *Galliis* eſſe fugatos? Quos opinor ſatis conſtat (ut nihil amplius dicam) certè non fugatos è *Galliis*; quòd ſi fugatos ſentit ab *Aquitanis*, quomodo fugari poterat ab iis, cum quibus nec eò ventum eſt, ut D liceret congredi? At iſtud multò adhuc magis inſigniter eſt ridiculum, quòd *Hiſpanos* buccinet *Navarræ* poſſeſſione depulſos, qui *Navarram* tum ingreſſi, perpetuò poſt poſſederint, hodiéque poſſideant. Sed donentur iſta poeticè, quâ *Pillei* Muſa, quod ad fictiones attinet, ita bellè refert tuam, ut nuſquam terrarum ſit ſimia ſimiæ ſimilior. Quin & it opinor hanc obtundet Poeticen, per quem haud ita pridem *Pariſiis* excuſus eſt E faſciculus temporum, verè comburendus faſciculus; ut in quem congeſta ſint ligna quædam, quæ niſi noſter Princeps tam bene ſibi conſcius eſſet, ut ſe ſuáque facta non dubitet clariùs latiúſque teſtata, quàm ut ſint obnoxia latratibus invidorum, potuiſſent aliquem forſaſſis ignem inter duos populos accendere. Nam ei libello cum alia quædam nuper indita ſunt ſeditioſa mendacia, tum coronis adjecta multò ſeditioſiſſima; quâ legitur Prin- F ceps veſter, jam ab hinc biennio fuiſſe moturus adverſus *Turcas*, niſi ei fuiſſet infidelitas Regis *Angli* ſuſpecta. Quis hæc ferat, qui nôrit neque de tali expeditione tum fuiſſe cogitatum vobis, neque quenquam aut minus fuiſſe ſuſpectum Principi veſtro quàm noſtrum; aut qui minus commiſerit, quare ſuſpectari debuerit? Jam quid illo ſcriptore vel dici vel fingi potuit impudentius, qui veſtrâ linguâ perſcripſit, *Jacobum Scotorum* Regem, interea G dum Rex noſter in armis eſſet in *Gallia*, *Britanniam* ingreſſum, rebus feliciter geſtis, ingente cum gloria ſeſe recepiſſe domum? Nec reveritus eſt ſcriptor improbus, totius orbis conſcientiam, quâ ſatis ſupérque cognitum omnibus ſciret eſſe mortalibus, ſuſos fugatóſque *Scotos*, ipſum Regem cum tota fere nobilitate peremptum, corpúſque ejus quod moferetur *Chriſtianæ* communionis expers, inſepultum jubente Pontifice tot annos adſervatum.

Hæc atque alia quædam ejuſmodi, quum huc ſubinde proficiſcantur iſtinc, tamen poſtquam, tam alta pax coaluit, maluimus conticeſcere, patique potiùs ingeſtas indies contumelias, quàm cum aliqua animorum offenſione regerere; ſimul ſperantes fore, ut *Paulus Æmilius*, tam ſanctus & incorruptus enarrator Hiſtoriæ, ut jurejurando putes obſtrictum; tam elegans, ut niſi recentiora reſcriberet, videri poſſit haud infimus antiquorum, res utriuſque populi (quas quidem inter ſe geſſere) ſynceræ fide ſit aliquando traditurus poſteris. At tuus liber, quando mihi jam tum in ipſo rerum tumultu fuit oblatus, haud quaquam exiſtimavi majoribus victimis expiandum piaculum, ſi librum eum, qui & tam acerbus eſſet & impudenter mendax, Epigrammate ſaltem per ludum jocúmque perſtringerem. Et tu tamen, qui (ut es undique mirè facetus) ludis in dominationem meam, niſi qui te attigerim, me viciſſim tangi paterer, quum totam gentem meam & convitiis improbis & mendaciis impudentibus prior exagitâſſes, tam indignè tuliſti, vel joco contra tangi ſacroſanctam Majeſtatem tuam, ut annos aliquot in hoc unum totus perdius ac pernox incubueris, ut aliquando poſſes accurato volumine cum Epigrammate pluſquam extemporali confligere. Quâ in re quum duo tibi propoſueris; primùm, ut tua defenderes, deinde ut inveheretis in mea: alterum tam præclarè præſtitiſti, ut ex his quæ tibi objecta ſunt, alia diſſimularis, alia non intellexeris; illud verò quod magis erat, quàm ut præterire; notius, quàm ut diſſimulare; verius, quàm ut evitare potueris, tamen definitione declinâſti commodè: ut quicquid ego te mentitum argueram, tu non mentitum quidem te, ſed finxiſſe contenderes. Quamobrem quum hoc congreſſu ſentiam tam acutum eſſe te, ut renedia bipenni, fictum à falſo diſſeces; hoc eſt, ita temet erroneo mendacio explices, ut implices ultroneo, haud ampliùs tibi moleſtus fuero, quin hac ſanè parte perviceris: modò hoc unum inter nos conveniat, quòd alioqui juratis evincam teſtibus, qui abs te exuſti, adhuc ſuperſunt tamen, tuáſque fictiones arguunt, atque derident; conveniat inquam, excepto duntaxat hoc uno, quod unum poteras uno clauſiſſe verſiculo, nempe quòd duæ naves incenſæ ſunt; cætera quæ volumen tuum tanto decantat hiatu, eſſe abs te ficta omnia. Nunc igitur à tuis caſtris ita rejectus, atque depulſus, impellor ad mea tutanda refugere. In quibus horreo, nè tam acrem hoſtem, tam indignè provocatum, tam capitaliter offenſum, tam recenti victoriâ ferocientem, ab ſuis uſque munitionibus, à me tam ignaviter oppugnatis, ab illo defenſis tam fortiter, ad mea uſque caſtra me perſequentem, quæ ego tam effuſâ fugâ repetiverim, nequeam ſuſtinere. Quod quo magis exhorream, machinæ illæ tuæ me commovent; quibus in me tam validè non iſta torques minutula, quæ quum conjicerentur in te, nè declinare quidem fermè dignatus

dignatus et veterum compilatos verſus canoris A fingit inſertos; ingenii ſtuporem tenuibus verborum bracteis (per quas pellucet totus) obductum, & (quam laudi quoque ducis tibi modò vocetur fictio) mendaciſſimam petulantiam: ſed barbariſmos ac ſolœciſmos, & non ſatis conſiſtentes ſyllabas: res bone Deus, quàm atroces, quàm impias, quàm (ſi cum illis conferantur) inanes! Nam quæ re objectas iſta ſunt, cæterùm verbis & conviciis meris, B ſtultum, inſanum, furentem vocas; idque plus quam centies: ſed ea convicia ſunt Mopſopii ſales tui, in hoc adhibiti, ut inſulſum per ſe libellum tali condimento reddat inſulſiorem. At ſyllabis illis & ſolœcis omninò me fortiter oppugnas, ac ſtringis. Sed eſt adhuc Brixi quiddam, quo me conſtringis duriùs: verùm tu profectò præter æquum ac bonum durior; qui non oppugnâſſe contentus, poſtules præterea, quo me armorum genere defendam ipſe præſcribere, C ita pro imperio jubes, ne quid ex iis, quæ tu impingis mihi, rejiciam in *Frobenium*. Qua in re vide quàm ſis incivilis, atque adeo injuſtus etiam: qui quum ſcires opus impreſſum eſſe *Baſilea*, quum ipſe morarer in *Anglia*, nec dubitare poſſis, quin eo tempore fuerim occupatior, quàm ut mihi liceret è *Londino Baſileam* quotidie bis tranſcurrere; quicquid errati tamen inveneris in opuſculo, potiùs quàm excuſori quicquam imputes, omnia D improperare malis authori.

Enimverò ſi legem, quam in me tuliſti, ferre debes & ipſe, futurum non dubito, quin ſi quid tuorum poſthac excudatur uſpiam, ubi tibi non ſit acceſſus ad impreſſorum prælum, ſatis in te nobis hujuſmodi miniſtrabis telorum, qualia nunc in nos tanquam uno quoque planè transfixurus, intorques. Cujus rei ſatis inſigne documentum hic ipſe quoque libellus exhibet, quo mihi tam ferociter aliena E impingis errata, ut interdum etiam impingas tua, qui quum excuderetur adſiſtente te, & ſubinde raptas à prælò formas reformante, tamen abſoluto volumine; ſi non aut tute librarii lápſus emendâſſes, aut alius quiſpiam tuos, futurum fuerat, ut errores neque pauciores, neque minùs ferendos tuus haberet liber, quàm quibus nunc inſulsè ſic inſultas in meo. Quanquam nè nunc quidem, ita repurgâſti tuum, quin hinc atque inde nævos aliquot F quovis fœdiores polypo reliqueris.

At ego hac in re ſic meam cauſam tutari poſſum, ut nec in *Frobenium* quidem ullam culpam derivem, etiamſi ipſe literis ad me datis, à ſuis ceſſatum operis fateatur, ac pollicetur ſeſe diligentiùs excuſurum denuò. At ego certè quicquid eſſet, etiamſi corrupta quædam ſine mea culpa videbam, illi tamen protinus imputare non poteram, conſcius exemplar à me nullum, quod ſequeretur accepiſſe G *Frobenium*: neque enim eorum ego carminum, præter ea quibus Regis auſpicia veneratus ſum, eáque quibus in te luſeram vel edidi ferè quicquam, vel edere adhuc decreveram. Quòd ſi vel amici mei, vel pueri ſibi deſcripſere libellum, aut apud me ſervatum negligentiùs, aut apud quempiam fortaſſe, cui non in hoc credideram, atque ita contigerit, ut quibus liber adriſerit, putârint evulgandum: neque miri quicquam eſt, ſi aliquid mendarum ſubſtruxerit ſcriptor, aliquid adſtruxerit typographus, exemplari videlicet uſus & corrupto nonnihil, & fortaſſe perplexo. Neque æquum ipſe feceris, ſi vitio vertas mihi quicquid alienus uſpiam vel error vel incuria perverterit, atque ex aliena imperitia me condemnes inſcitiæ: Niſi protinus pronuncies illiteratum, & doctis prorſus omnibus explodendum, ſi quis indiligentiùs occluſerit literarum ſuarum capſulas.

Quòd ſi dubitari non poteſt, quin alienis mendis infectus ſit liber, utpote & excuſus typis, & ante non ab uno tranſcriptus, haud facilè adducor ut credam, quin & ipſe me tacitus abſolvas apud te, de quibus apud alios, tam apertâ calumniâ traducis; ſin tibi penitùs inſederit fixa, atque obfirmata ſententia, quicquid inemendatum reperiſti, vitio prorſus id contigiſſe meo, quid aliud, quàm laterem lavem, ſi tibi me purgare contendero. Vide ergo, quàm civiliter agam tecum. Etenim quanquam (ut vides) poſſum apud æquos obtinere Judices; ut quæ mihi impingis, eorum pleraque deriventur in alios (niſi quæ res nulli unquam libro contigit, nuſquam ut typographus, nuſquam ſcriptor erraverit, id nunc demum contigiſſe videatur meo) Tu quanquam in quibus, ut certiſſimis exultas maximè, in his te vel calumniari maximè, vel certè maximè falli, certiſſimis mihi liceat argumentis evincere; partim productis authorum teſtimoniis, quibus erit perſpicuum recta eſſe plurima quæ reprehendis; partim prolatis illis ipſis chartulis, quibus olim edidimus pauca illa, quæ diximus, quibus liquidò conſtiterit, aliter à me compoſita quædam & edita, aliter poſt excuſa *Frobenio*: ſive id exemplaris cujuſdam perplexitate contigit, ſive evenit incuriâ, ſive è meo deſcribenti libro, placuit ſcriptori quidpiam, quod ipſe interſito verſu mutaveram: quis enim ſatis divinare poſſit, quàm multis caſibus irrepat mendum, aut quâ fortunâ propemodum omnibus obtingat authoribus, ut vetuſtis etiam collatis exemplaribus lectio nonnunquam variet? Quanquam hæc, ut dixi, poſſum; ego tamen, *Brixi*, quandoquidem tu jam civiliter temet in te tuendo geſſiſti, ut in eam rem nihil fere prorſus attuleris, quod quidem ad rem pertineat, ſeu te ingenuus quidam ſic obſtupefecit pudor, ut non poſſes cogitata proloqui; ſeu feſtinatione præpeditus es objurgandi mei, ſtatui tecum ſimili contra civilitate contendere: & quod ad errata pertinet, hujuſmodi defenſionem meam in præſente prætermittere; utpote cum erga te inutilem, cui nullo poſſet unquam pacto ſatisfieri, tum erga cæteros omnes minimè neceſſariam, quorum ego neminem fore ſuſpicor, cui tu perſuaſeris, ea mihi prorſus imputanda, quæ taxas: ſed Lector æquus haud dubito, quin quidvis potiùs comminiſcatur ex ſeſe, quam ut me præſumat tam inſigniter inſcitum, ut neque poſitionem in carmine, neque ſolœciſmum in ſermone cognoſcam. Quòd ſi mei lapſus eſſe vincerentur maximè, tamen quando ipſe librum non edidi (quæ res manifeſtior eſt, quàm ut

liceat tergiverſari vel tibi) quo jure poſſis objicere, ſi quid adhuc meditanti ſubductum eſt atque vulgatum ei, qui dicere poſſit illud *Ovidii*:

——Emendaturus, ſi licuiſſet eram?

Quo mihi verſu, ſi cuiquam alii, meritiſſimè licet uti: nam ego totum librum, præter ea quæ jam olim ediderām, preſſurus eram perpetuò; ut qui nec illa ipſa fueram editurus, niſi literatoribus quàm ipſe ſum, magis arriſiſſent quàm mihi; cui nihil meorum unquam ſalſum viſum eſt admodum, niſi quòd nunc ex tua bile ſentio aliquid habuiſſe ſalis, quo frictus es. Quòd ſi librum aliquando publicare ſtatuiſſem, certè quædam immutâſſem, non quòd errorem ſyllabæ tam valde magni penderem, quòd eſſent aliqua minus aliquanto ſevera quàm vellem. In ſyllabis verò ſi quid hallucinatus eſſem, quanquam non fuiſſem gravatus emendare; tamen in una fortaſſis & altera, non nimis anxiè me torſiſſem, præſertim ſicubi commodè mutare ſine ſententiæ damno non poſſem; quandoquidem non eos duntaxat authores, qui tanto te doctrinâ ſuperant, quanto tu illos ſuperbè deſpicis: verùm vetuſtiſſimos quoque non uſquequaque ſervâſſe reperio, eodem tenore ſemper eaſdem ſyllabas, qua ex re natus eſt nimirum acervus ille communium. Poſtremò vel eo minus hæc me remordet cura, nè quis ea putet mea eſſe omnia, quæ tu carpſiſti, quod in his ipſis videam nonnihil ejuſmodi, ut quanquam non ſit meum, tamen pro meo me non puderet agnoſcere: Neque quicquam dubito, quin cuique interlegendum ſuccurrant exempla, quibus eorum pleraque, quæ tu pro ſolœciſmis in nos adnotâſti, repetiantur purè putéque *Latina*. Porrò, futurum denique, ut ſi quid reprehendiſti rectiùs, id in me tamen certè non poſſis impingere, qui nec aderam caſtigationi, nec exemplar unde excuderetur exhibui, nec librum prorſus edidi. Contra verò, in quibus ipſe aut deciperis aut calumniaris ultrò, quæ ſunt haud dubiè ſupra dimidium, temet ipſe traduxeris, vel ignorantiæ vel ſycophantiæ, utrobique certè inſignis impudentiæ, qui tam ſuperbè, tam nullâ cauſâ, tam longo tibi expenſa tempore, ad eum ſcribens, quem jam ſecundò provoces, atque ad inquirendum in te quoque arrogans, ac ſecurus excites: tamen tam multa, quæ recta ſunt, vel imprudens per inſcitiam, vel per invidiam prudens, reprehendas. At tu quum hunc ad modum ſtrenuè mea omnia velut uno deflaviſti ſpiritu, de te ſecurus, & meras efflans glorias; jubes ut excutiam viciſſim tua, nimirum certus, ita tibi pulchrè inſtructa omnia, ut nè *Momus* quidem, vel ſyllabam poſſit invenire quam vellicet.

Ego profectò *Brixi*, multò velim libentiùs eos libros excutere, è quibus aliquid excuti poſſit boni. Quanquam & hunc tuum etiamſi nihil inde frugis vel expectavi vel reperi, tamen quoniam in me ſcriptus eſt, eo legi ſtudioſiùs, quòd quæ mutari conveniat, quæ vel amicis interdum commendat amor, vel nè quòd offendant, obticent, ea plerunque ſolet inimicus iratus effundere. Itaque ſic attentus legi, ut quò tu me vocas (nempe uti in ſyllabis excutiendis eſſem curioſus) eò nuſquam reſpexerim;

A ſi quid verò ineſſet rerum, id certè non indiligenter expenderim. Et tamen quantumvis abhorream ab eo, ut otioſus occuper aucupio ſyllabarum, certè monoſyllaba illa *meus*; quam in *Chordigera* deſideraveram, in *Antimoro* quoque ſedulò quæſita, nec mihi tantùm quæſita, ſed multis, adeo nuſquam inventa eſt, ut libelli titulus, etiamſi brevis, tamen videatur omnibus dimidio longior eſſe quàm debet; opúſque
B tuum, non *Antimoron* appellandum, ſed *Moron*, eóque juſtiùs, quo tu inſulſiùs in meum nomen affectas haberi ſalſus, quaſi non in *Hermolaum Barbarum* fortuna dederit hoc ſcurrandi genus, vel impenſè barbarus, & in *Thomæ Mori* nomen *Germano Brixio*, qui verè germanéque *Moro* ſit verè germanéque germanus. Eum ego librum quum perquam attentus inſpicerem, nihil aliud vidi quàm delira convicia: quæ vel rectè ſcripta reprehenderent, vel mihi a-
C lienos lapſus objicerent, vel tuum caput rectà repeterent. Porrò, multa tam bellè competebant in me, ut potiùs quadrare videantur in quemlibet. Latratus audio pluſquam caninos, ſed elatratos inaniter; morſus pluſquam rabidos, ſed qui temet unum mordeant; virus pluſquam vipereum, ſed uni tibi noxium. Quæ quum ſint ejuſmodi, non miror admodum vereri te, nè fortè non ſuſtineam legere, quæ nemo certè durare queat; ut perlegat, niſi hæc omnia (qui *Brixii*
D leporem) amœnis condulcarentur deliriis. Quæ mihi tam vehementer in *Morico* iſto adrident *Antimoro*, ut quum primum mihi dabitur ocium, ſim curaturus, ut accuratiùs aliquanto, quàm nunc excuſus eſt, excudatur denuò, fortaſſis & illuſtretur commentariis: tantum abeſt, ut iſti gloriæ tuæ invideam, quâ tibi factus videre Deus, ſi *Mori* diſpuibile tibi nomen exſibiles, ac venerabile nomen *Brixii* libro iſto tam elimato, tam erudito, tam lepido, tam feſtivo, tam ſacro deni-
E que æternæ conſecraris infamiæ. Cujus libri dotes admirandæ, nè quid oſcitantem fortè Lectorem lateant, nos exempli causâ quaſdam indicabimus, ut his, veluti ſtimulis, excitatus, penitiùs in librum penetret; atque advertat attentiùs, quàm lepidi joci, ſales, delitiæ, mel, & ſaccarum, ac planè lacteum ſuadelæ flumen ex amne *Gallo* ſcaturiat. Exordiar igitur unde tu exorſus es, ab endecaſyllabis illis quos ſcripſiſti *Macrino*. In quibus tanquam in operis frontiſpicio inſignem
F ſtuporis tui titulum præſcripſiſti. Nam quum initio *Macrinum* ſtentorem tibi feciſſes *Homericum*, eundem etiam *Neſtorem*, olim Poetam optimum, jam verò & Oratorem derepentè prodeuntem, tam venuſtum, tam vehementem; ut ſuâ ſuadâ, cui tot charites, tot lepores *Venus* afflaverat, ita quólibet tuum propelleret animum, ut illi reluctari non poſſis flagitanti, uti quàm primùm exiret *Antimorus*, eóque ipſius auſpiciis volumen emiſeris, cujus
G hortatibus non valuiſti reſiſtere: paulò poſt oblitus tui, negas eum unquam flagitando atque orando extorquere potuiſſe, ut elephantis ille præclarus partus ederetur ante completum novennium. Verùm nè *Venus* inventi tui deperiret tibi, libellum tam venuſtum ſupprimenti duntilè, quando ſcommata, niſi ſtatim retorta non habent gratiam, coactus es properare, & quò libellus adverſus epigramma poſſet ſubitò paucis annis exire,

exire, neceſſe tibi fuit, ſingulis fere biduis, A
ſingulos verſus abſolvere. In quibus quum nè
tantulum quidem tibi ſuffragetur ingenium ut
vel primam paginam potueris eo tenore pro-
gredi, quin tibi ſtatim tam inſigniter excide-
res, ac memoriâ lapſus, ipſe ſic pugnares te-
cum, ut quem tam potentem oratorem fece-
ras, qui te in ſuam ſententiam impulerit, eun-
dem proximo fere verſu diceres, nihil perſua-
ſiſſe; cujus impulſu librum te ſcripſeras edere, B
quando videlicet non potuiſti tam mellitæ
ſuadelæ reſiſtere. eum protinus affirmares, nun-
quam tam commodè potuiſſe dicere, ut librum
tibi poſſit elicere. Quum igitur, quod dicebam,
Bruxi, in ipſis offendas foribus, & tam diu li-
matis; ac relimatis verſibus, tam longo la-
bore, non alia ſcribas deliria, quàm quæ ſu-
bitò ſolent effutire moriones; quis non aſſentiat
illis verſiculis, quibus Lectorem tibi velut vo-
luptatis illecebrâ concilians, promittis ei par- C
vo è carmine ſedulò legenti magnam demum
voluptatem fore? Erit haud dubiè, niſi quis
adeo ſit agelaſtos, ut nè ad id quidem rideat,
quo uno ferè movent riſum hi, quibus natura
negavit ingenium: nempe nihil ut dicant quod
conſiſtat ſecum, ſed diverſa omnia atque pu-
gnantia, tanquam vigilantes ſomnient. Quan-
quam non diſſimulabo eſſe quidem, qui putent
non eſſe ſtultum iſtud, ſed naſutum, tanquam
lepidè volueris irridere *Macrinum*: quem tam D
dulcem oratorem, tam vehementem facias,
ita denique tibi vim adferentem ſuâ ſuaviloquen-
tiâ, ut quod unum tibi venuſta illa Suada ſua-
deat, perſuadere non poſſit. Ego certè non
ita ſuſpicor. Nam & is videtur *Macrinus*
eſſe, qui tuo ſit amore dignior, quàm quem
ridere debeas: & reliquus liber ad diverſam
longè virtutem propiùs, quàm ad ejuſmodi va-
fricies accedit, eóque cauſa non erat cur arte
ſic laborares tegere, quàm diu tibi tuus liber E
hæſit in manibus; nam ut ſcommatibus gratiam
deterit mora, ſic iſtius generis omnia, tempus
& labor commendant admodum. Nam ſi quid
dicas inſigniter ſtolidè, id quo majore conatu par-
turieris, eo pepereris gratius.

Quin mirè facetum & illud, quòd veritatem
quoque tuis mendaciis aſſeris iterato mendacio,
dum rurſus *Herveum* ſervantem facis patriam, rur-
ſus victorem tuâ tubâ buccinas, rurſus noſtras
rates agitantem vexantémque decantas, quæ F
tam vera ſunt omnia quàm tu. Jam verò pro-
batio quam adfers, mirifica eſt: Ais enim ea
quæ narras, *Anglorum* teſtata funeribus. Si
aliorum funera loqueris, quàm qui in *Regente*
perierunt, tam vera ſunt illa funera, quàm vera
fuit illa victoria: ſin eos exprobras peremptos,
quos *Regentis* incendium abſumpſit, non adeo
ſtultus ſum (quantumvis tu me ſtultum voces)
quin tuum iſtud acumen ſentiam piſtillo quo-
vis obtuſius; quo ſic nobis exprobras exuſtam G
navem, quaſi dum arderet noſtra, veſtra in-
terim alſerit, aut quaſi eo victorem probes
Herveum, quòd etiam prior arſerit. Hoc *Bri-
xianum* acumen eſt. Hæc eſt *Brixiana* victo-
ria. Sed operæ precium eſt videre, quanto
cum artificio tractes eum locum, in quo ego
inter Principis noſtri laudes commemoro reſti-
tutam ab illo reformatámque rempublicam quo-

A rundam ante ſceleribus, avaritiâ, rapinis, delatio-
ne, calumniis deformatam. Ergo quum ſtatuiſſes
nihil meorum relinquere ab ineptis intactum ca-
lumniis, in hunc locum præcipuè tumultuaris
ineptiſſimè. Hunc miris merſiſque ſycophantiis
exagitas. In hunc præclaras omnes atque admi-
rabiles effundis ingenii tui virulentias. Hic te-
merarius tibi viſus ſum, qui rem tantam meis
viribus tam longè imparem, ſim auſus aggredi.
B Quaſi mihi Principis enarrandas laudes omnes
deſumpſerim, at non potiùs, quod erga ſupe-
ros quoque, citra culpam, pro ſuo quiſque facit
affectu, id ipſe fecerim in venerandis Princi-
pibus, ut tam felicia principatûs auſpicia, pri-
mo ſtatim die tam ſalutaria, quum idem cer-
tatim facerent omnes, ego quoque pro mea
virili qualicunque poteram carmine concele-
brarem. Qua in re, ut nihil dubito, quin &
uberiùs laudari potuiſſent à peritioribus, &
C digniùs à præſtantioribus; ita neque meo ſatiſ-
feciſſet officio, quod feciſſent alii; neque mea
carmina cuiquam obſtiterunt, quo minùs &
alii fecerint, & quibus facere libuiſſet, licuerit.
Denique quiſquis juſſerit à nullo noſtrum laudari
Principem, niſi qui parem præſtare ſeſe tantæ
rerum moli poſſit, is admirationis prætextu,
Regis virtutibus invidet; quas, quum omnes
prædicare debent, omnes ſemel jubet contice-
ſcere. At hic *Apellem* nobis (ſi ſuperis placet)
D revocas ab inferis, quod quidem tibi facile eſt,
ſi, quemadmodum ſcribis, tam familiares ha-
beas infernales furias; ipſe tam egregius pictor
interim, ut quum iſtud in primis ei ſit curan-
dum, quiſquis os cujuſquam pingendo velit
exprimere, uti eas partes, eum reſpiciat ſi-
tum, qui ita ſit cuique proprius, ut is repræ-
ſentatus faciem reddat maximè cognobilem;
tu ſic depingi Regem poſtules, ut amabile decus
reverendi vultûs, ídque adeo tam rarum, ipſi-
E que ſuum, quóque uno maximè poſſit agnoſci,
delere prorſus è pictura jubeas. Nam tibi cæco
prorſus pictori, videor vel ſtipite planè ſtupldi-
or, qui non præviderim, eas fuiſſe laudes o-
mittendas, quas ferè ſolas, vel publicâ causâ,
vel ſuâ Principem referebat audire; utpote ta-
les, quas (ut fatent) non fuiſſe *Brixiano* more
poeticas, qui nihil poeticum cenſet niſi fictum;
ita nemo fuit *Anglorum*, qui non ſuo bono ſen-
ſerit eſſe veras; nec quiſquam adeo ſine ſenſu
F vivit, ut non ſentiat eſſe verè regias, niſi tu
nobis aliud invenias magis regium, quam re-
gnum ab omni parte fatiſcens, reficere, proſpe-
rúmque rurſus ac felix reddere. At nec præſen-
tis honor Principis quicquam deceſſori detrahit,
cujus adverſa valetudo fuit in cauſâ, nè annis ali-
quot ante mortem proximis, vel publicis rebus
poſſet, vel domeſticis ſufficere: eòque nec mi-
randum, nec ipſi certè imputandum, ſi quo-
rundam perfidiâ, quibus ille nimis credidit,
G ſit labefactata reſpublica, quam filius ejus ferè
collabentem, feliciter exortus erexit; ídque
tam celeriter, ut correptis coercitiſque repentè
maleficis, quorum ſcelere calamitas illata fue-
rat, omnia reformârit illicò, priuſquam ſe pa-
teretur inſigniri diademate. Nec ſibi viſus eſt,
neque ſuo certè cuiquam contumelioſus in pa-
trem, quòd illius valetudine, aliorum malitiâ la-
bentem, erigeret patriam, aut quod ſeverè animad-

verteret

verteret in eos, quorum perfidia, in patriæ perniciem, feſellerat patrem; aut quum quædam etiam patris inſtituta, quanquam non incommoda populo, majore tamen commodo reſcinderet, bonúmque mutaret in melius. Et tibi videtur immanis impietas, ſi quod patris felicitati negavit morbus, hoc filii ſtatim regia virtus effecit, ſi patriæ compilatores, deceptores patris, everſores legum, in patriæ bonum, in legum robur, in patris honorem coercuit; aut ſi quid denique prudentiſſimo patre prudentior filius, in adminiſtranda republica vidit acutius? Quæ quum Princeps ageret non ad præſentem tantùm rerum ſtatum feliciter, verùm in futurum quoque tam ſalutare ſanciret exemplum, ut facilè declararet ſeſe, principalium eſſe artium omnium Principem, non fuiſſem profectò deterritus, quo minus ea laudâſſem, etiamſi culpæ quæpiam recidiſſet in patrem: Nec à nobis unquam tantum patris impetrâſſet pudor, ut ejus facti laudem ſubriperet filio, quo facto nullo unquam ſæculo Princeps ullus quicquam fecit laudatius, aut quod magis publicæ intereſſet rei, commendari memoriæ. Nec fortunæ unquam tribuiſſem tantum, ac nè naturæ quidem, uti vanum alterutrius fulgorem, tam inclytæ virtutis veræ præferrem gloriæ. Quibus enim parentibus naſcamur illis in manu eſt. Virtus una verè commendat bonos.

Nam genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco.——

Quâ *Naſonis* ſententiâ neque *Maro* quicquam, neque *Homerus*, quos opponis mihi, aut verius unquam dixit, aut ſalubrius. Quorum etiamſi utrunque valde ſuſpicio, nunquam tamen hactenus apud me valebunt, ut ambobus hac in parte tribuam, quantum uni tribuam *Platoni*: qui optabile quidem cenſet, quantáque poteſt cautione curandum, ut filii naſcantur honeſtis parentibus, quod velut ſeminarium quoddam indolis atque virtutis indatur occultè naſcentibus: & tamen, ut fortunatiores aliquanto cenſet, bonos prognatos bonis; ita multò laudatiorem judicat, mali patris bonum filium, idque adeo meritò. Nam ſi ſit eo turpior quo magis claro patre degeneret, an non viciſſim convenit, eo plus cuique laudis eſſe, quo magis in diverſum tractus improbi parentis exemplo, ſuâ ipſe virtute benefactíſque claruerit? Hæc igitur quum ſenſerit, haud dubiè non alium poetam exturbare ſuâ debuit urbe *Plato*, quàm tui palponem ſimilem; qui vel à fortunæ jubes, vel à naturæ commodis adulari Principibus, à virtute laudare non ſuſtines; quæ, vel cum diſpendio popularis auræ laudanda ſit, & contra vulgi receptos ſenſus, cui ferè placent peſſima, mellitis numeris eſſent opiniones bonæ ſenſim inſerendæ pectoribus.

Quamobrem, ego quod dixi, etiam ſi quæ culpæ pars hæſiſſet in patre, non reticuiſſem tamen filii laudes, quæ tum fuiſſent eo certè ipſo cumulatiores, quòd paternum errorem emendare potiùs quàm imitari delegiſſet: atque id ita feciſſem, rationi uni parens atque obtemperans, etiamſi Poetas omnes, ſi vulgus univerſum ſentirem longè ſentire diverſa;

A tantum abeſt, ut nunc ea non obticuiſſe pœniteat, quorum reprehenſio ad eos pertinet, qui patris fide ad ſuum quæſtum, & malum publicum ſunt abuſi; gloria verò & immenſa & æterna pertingit ad filium, qui tam celeriter affectis pœnâ nocentibus, ac reſtitutâ republicâ, patrem ſimul & patriam pius in utrunque vindicavit. At tu laudator egregius, quæ potiſſima regiæ laudis portio ſit, quam
B & privatim & publicè, velut omnium laudum Principem, & ei Principi in primis propriam, totus agnoſcit populus, quæ adeo patri nihil detrahit, ut præcipuum ei decus adjiciat, quòd pater ſit ejus Principis, qui regnum verè regiis adminiſtret artibus; eam cenſoriâ virgulâ jubes expungi, non ob aliud opinor, quàm quòd vera ſit: adeo nihil tibi placet, niſi poeticum tuum, ex ficto falsóque conflatum totum. Nam Poeſis tua (teſtante
C temet) id ſi ſuſtuleris, nulla Poeſis erit. At Princeps quum ea faceret, non in tenebris occultè, quaſi benefacti puderet; ſed in clariſſima luce, in oculis tractaret omnium, in privatis, publicis judiciis, in comitiis, in ampliſſimo totius regni conventu, cum plebe, cum proceribus, quum omnis ætas, ordo, ſexus, rem tam illuſtrem videret, tum ſalubrem ſentiret, tam egregiam laudibus in cœlum veheret; ego videlicet, quod potiſſimum
D prædicare debebam, ſolum ſolus omitterem; ut quod nunc dictum inceſſit *Brixius*, id indictum rident etiam pueri, quibus ipſis vel ſtupidiſſimus, ſi non ſenſiſſem; vel improbiſſimus, ſi non probâſſem; vel invidiſſimus, ſi non laudâſſem, meritò videri poteram? Et tamen hunc locum tu neſcio ineptiùs exagites an invidioſiùs: adeo cæco præceps impetu, ut te non ſentias inſcitiæ propemodum notare Principem noſtrum; atque adeo, quum
E ei parem facias, patris inſcitiæ notare etiam tuum. Nec interea tamen (quod tibi certè perpetuum eſt) quicquam conſiſtis tecum. Nam primùm ita curam ei tribuis camœnæ latiæ, ut tamen leges ignoret carminis; mox adeo facis inſcium, ut nè quid verba quidem ſibi velint, ſciat: & tamen tuum Regem cum eo copulas, ut ex equo ſint ambo *Cecropia* numine plena deæ. Numnam hæc pulchrè cohærent? Sed non eſt iſtud novum, ut altero
F quoque verſu excidas tibi. At me condum laudatorem vocas, & parcum ipſe laudator adeo non profuſus, ut eam laudem, quam *Vergilius* tribuit paſtoribus, tu quum velles applicare Principibus, aliquid tamen tanquam nimis ſumptuoſa foret abraſeris, atque in deterius, quod ſemper imitando ſoles, immutaris. Nam quum illius verſus ſic habeat in paſtores duos, *ambo florentes ætatibus*, tuus habet in duos Reges, *ambo pares ætate*: atque ita *Vergilius* in
G illis exprimit ætatis florem, tua laudatio quum his aptetur Principibus, qui verè florent ætate, tamen ſic eſt anceps, ut duobus poſſit convenire decrepitis ac ſilicernis ſenibus. Porrò, quam de virtute quoque ſubjungis, non admodum prodiga laus; quandoquidem, ita virtutem utrique tribuis, ut tibi relinquas liberum, utrique, ſimul ac libebat adimere. Nam quum pronuncias *pares virtutibus ambos*, neutri tamen

affirmas

affirmas ineſſe : ſunt enim pares (ſi neſcis)
tam qui pariter carent, quam qui pariter ha-
bent. Nec tamen iſtud eò dico, quòd in eam
partem te ſenſiſſe cenſeam ; ſed ut oſtendam, ſi
quis ad eum modum tuas excutiat laudationes,
quo tu calumniaris meas : quàm facilè locus re-
periatur obnoxius. Nec ego tamen hic *Apelles*
atque *Alexandros* evoco, non cherilos, pugnos,
exilia, neque tales tibi moveo tragœdias, qua-
les tu mihi cies. Quòd ſi & res minus eſſet il-
luſtris, & Princeps noſter tam eſſet inſcius, quàm
tu eum facis, in quantum fors periculi conjeciſſes
me ; quum vix fieri poſſit, ut qui verſatur in pub-
licis negotiis, non aliquem habeat aliquando,
qui libenter optet calumniari ; ſi vel res pateretur,
vel ignoratione Principis liceret abuti ; præſer-
tim ſi qui ſint, qui rurſum cupiant rerum ſtatum
in deterius trahi : ut quem nunc ægrè ferant, ma-
gis in ſummam proſperare publicè, quàm ſeor-
ſum ſibi ? Verùm hi, ſi qui ſint hujuſmodi, ſic
rem viderunt ipſi non clanculariis machinis, ſed
actam & tractatam publicitùs, ſic in ſuis artibus
ſentiunt præſtare Principem, qui iterum atque
iterum prorepentes viperas, ac velut poſt hyemem
novo ſole apricantes ſeſe, & calumniæ vetus virus
denuò tentantes effundere, denuò retudit, com-
preſſit, eliſit ; ut facilè ſentiant noxiis votis ſuis
nullam relictam ſpem. At tu quum iſtiuſmodi
ſcribas, *Brixi*, quæ ſint non abſurda modò atque
inepta, verùm ſceleſta quoque, & (quoad per
te fieri poteſt) pernicioſa ; tamen *Deloinum*,
Budæum, *Laſcarem*, viros literarum & virtutis
gratià toti commendatos orbi (quorum nomi-
nibus major debebatur honor, quàm ut libello
contaminares iſtiuſmodi, tanquam gemmas col-
locares in luto) nominas ; eóſque tecum velut
in partes attrahis : quos & caſtigatores prædicas,
& conſultores adhibitos inconſultiſſimis conſi-
liis. At ego, quamquam de ſyllabis illis ac ſo-
lœciſmis quos objectas mihi non poſſum ſpon-
dere quod ſentiant, quorum, ubi me audierint,
nec in illis quidem detrectabo judicium ; certè
tales eſſe eos perſuaſum habeo, & philoſophicæ
rei ſcientià, & rerum prudentià publicarum, ut
ſi tu cujuſquam eorum calculum hac ſanè parte
poſſis extundere, quo ſe (quod ad regias laudes
attinet) ſentire teſtetur tecum ; ego tibi & in
reliquis concedam omnibus, & laudem ultrò
deferam, qui nunc aliud ſuſpicari non poſſum,
quàm quod videtur omnibus, illas inferni furias
(quas ſcribenti tibi fateris adfuiſſe) tale tibi
inſpiràſſe conſilium, quod, ſeu furorem ſpectes,
ſeu virulentiam, haud obſcurè tartaream refert
originem. At aliquando tandem, velut per an-
trum *Trophonium* emergens ab inferis, exhilara-
tus, in jocum ſolveris, & riſu canis irritati, me-
am ſubſannas epiſtolam, quâ libelli delationem
confero in pictorem, cujus podagra fecerat, uti
ſeriùs aliquanto, quàm ſtatueram, veniret ad
Regem. Hæc tibi cauſa non placet, homo ſuper-
ſtitioſè Poeticus ferre non poteſt, ut dicantur ve-
ra ; & civilitate pluſquàm aulicà deridet, ſi quis
apud Principem de re nihil obſcœna, verbis uta-
tur iiſdem, quibus utitur populus. Quis ita ri-
dentem non rideat?

Porrò, quid illud ſibi ſcomma velit, non in-
tellego ; videtur enim ſapere neſcio quid ſalis re-
conditi, quo ſignificas meis officere ſtudiis cu-

A ram rei domeſticæ ; quo dicto neſcio an tuis
arte vendices prærogativam ; quaſi tibi nulla
ſit domus, ſed, liber & expers curarum, alie-
nas paropſides velut paraſitus obambules ; eó-
que neceſſe ſit tuum poema præcellere, quod
ocium & cibus excolat alienus. Ego certè de
te ſentiebam honeſtiùs, hodiéque ſentio ; quan-
quam libellus tuus (ut verè dicam) & *Pyr-
gopolinicen* refert & *Artotrogum*. Neque video
B quid ad rem pertineat exprobrare mihi, quòd
habeam domum, niſi tu domum non habe-
as. Nam alioqui jocus ille feſtivus, & (ut
Plautinus ait paraſitus) dictum de dictis me-
lioribus in te recideret. Certè quemadmo-
dum te perſuadeo mihi non eſſe planè para-
ſitum (quantumvis iſtud liber præ ſe ferat
tuus,) ita verè te ſuſpicor *Cynicæ* ſectæ Phi-
loſophum, non à latratu tantum, verùm e-
tiam quòd ubique te video ad divitias ludere,
C ubique ad mendicitatem, ubique ad famem
applaudere. Nam ita ludis in liberos meos,
ut eorum deſcribas miſeriam, ſi tantùm ver-
ſus meos hæreditate, ac non etiam nummos
eſſent habituri ; quaſi tui ſint futuri ſolis pa-
ternis verſibus felices. At ego liberis tuis, ſi
quos aut habes, aut habiturus es unquam, lon-
gè laqueos, longè mendicitatem deprecor, quæ
mala tu facetè ſcilicet ominaris meis ; atque
ex animo precor, ut uberior eis affulgeat ali-
D cunde fortuna, quàm ex verſiculis tuis, quorum
ego neminem eſſe uſquam tam inſanum cenſeo,
qui trecenta millia redimat teruncio ; quæ
quidem hujus generis ſint, cujus effutiviſti ha-
ctenus.

Ejuſdem ſalis & illud eſt, quòd lupo temet
aſſimilas famelico, tanquam, niſi meo bono
Reges duo ſanxiſſent pacem, me miſerum ag-
nellum ſemel devoràſſes integrum : nunc verò
nefas ducis factâ pace litigare, eóque libellum
E iſtum nunc demum edidiſti blandulum. Sed
illud demum divinum fuit inventum, quòd di-
ras omnes, ac bellas illas charites inferorum
furias, tam formoſulas amiculas adfinxiſti tibi,
quibus cum luſites atque ocium oblectes tu-
um, imitatus videlicet quoſdam non imperitè
ridiculos, qui quum eſſe ſibi quædam vel cor-
pore deformia, vel moribus fœda ſentiant,
quæ vel obnoxia dicteriis ſint vel criminatio-
nibus, homines ſcurrandi ſolertes in ſua vicia
F ludunt ipſi, ut quando evitare non poſſint op-
probrium, anſam ſaltem carpendi præripiant
æmulis, ipſique potiùs de ſe triumphum du-
cant. Ita quum tu videres *Antimorum* tuam,
non *Moriam* modo, ſed *Maniam* quoque
ſpirare, quando nemini futurum videbas am-
biguum, unde ſit ille furor emiſſus, maluiſti
in tuas furias ipſe præludere, quaſi eas ultrò
ſeſe offerentes tibi, amico videlicet tam ne-
ceſſario & juratiſſimo myſtæ, fueris emiſſurus
G in me.

Illud opinor nemo leget unquam, qui non
inſignem ingenii tui notam judicabit, & planè
Brixianam facetiam, quòd quum te dignis verſibus,
ad tuam ipſius me pinxiſſes effigiem, veritus nè
nondum ſatis expreſſiſſes te, *rabulam* adnotâſti in
margine, quòd talem me diceres eſſe in patria.
Ego *Brixi*, qualis domi ſim non dico, nè ſimilis
tibi ſim ; cujus gloriam, ſive quam ipſe tibi tri-
buis,

buis, non mereor, ſive quam tribuunt alii, non affecto. Tu verò qualis domi ſis effeciſti tandem foris, ut cognoſci poſſis. Quem (quum te videri velis à ſecretis eſſe Reginæ) non pudet ejuſmodi rabiâ rabire in conſiliarium Regis, quâ nec in rabulam quidem quiſquam rabit niſi rabula.

Et tu quum hunc in modum toto te libello geſſeris, operæprecium eſt videre quomodo ſumptâ ſcilicet auguriis perſonâ, divines fore, ut me pro hoc tam amico in me officio ſis habiturus inimicum, cujus tu pudendos lapſus, piâ curâ, tollas in autoris honorem, relaturus tamen ab ingrato malam gratiam; atque ita tractas iſtud admirabile atque ex intimis rhetorices penetralibus depromptum ſchema, ut fere concionantis quoque perſonam induas, & injectâ frequentiùs mentione *Chriſtiani*, atque identidem peccatoris nomen inculcans, tanquam animæ res agatur, propemodum ſolœciſmorum velis agam pœnitentiam, quòd appropinquet (credo) regnum cœlorum. Ego certè, *Brixi*, tuum illud augurium de me non dubitabo fallere: qui nunquam tibi ſtatui inimicus eſſe. Nec uſque adeo ſum inhumanus, ut tam amicum in me officium non agnoſcam, hominis tam officioſi in famam meam, ut editis atque excuſis in me famoſis libellis, aliena errata pro meis mihi inſuſurret in aurem; tam indulgentis in honorem meum, ut potiùs quam me non impetat falſis calumniis, ſuum ipſe nomen veris inhoneſtet opprobriis; tam propenſi in ſalutem meam, ut Principem meum, vel impietatis inſimulet, vel inſcitiæ, ni me prorſùs exterminet. Nec uſque adeò ſum ſtupidus, ut non ſentiam quanto precio redimendus ſit ejus viri favor, qui ſit tam prudens, ut altero quoque verſu obliviſcatur ſui, tanquam lethæum poculum interbiberit; tam generoſa palma, ut non erigat modò ſe adverſus maledicta aliorum, verùm ipſe quoque ſeſe oneret ſuis. Tam fortis & invictus pugil, ut *Herculi* ſurreptâ clavâ, perpetuò pugnet ſecum. Tam oculatus ac linceus, ut non videat ſua in ſe redire ſcommata; tam urbanus, ut inſanum, ſtultum, furioſum, canem, rabulam, habeat in facetiis; tam placabilis ac tranquillæ indolis, ut fidefragos, perfidos, & perjuros inclamans tamen abſtineat convitiis tantus adſertor Poetices, ut eam contemni poſtulet, præmonens, nè quis ambiat ab ea laudari, quæ ſibi vetat credi. Tam vehemens orator, ut defendat eum provocare, qui reſponderit, provocatum verò, qui priór læſerit. Tam pulchrè olivam mediis gerens in armis, ut in media pace de bello litiget. Tam æquus ut inſaniat, quòd ipſius liber verè ſit taxatus mendacii ab illo, cujus totam gentem eodem libro falſus inſimulârat ante perjurii. Tam fructuoſus Encomiaſtes, ut Principes à corporis dotibus laudari poſtulet, à fortunæ muneribus ferat, à virtute non ſinat, niſi ſi quid dicatur in genere, ſic ut dici poſſit in quemlibet: Si quid verò factum ſit ejuſmodi, ut id viri, mulieres, pueri, lapides propè collaudent, ejus rei *Pythagoricum* indicat ſilentium. Tantus *Apelles*, ut (niſi tabula ejus cum favore ſpectetur) duos videatur Principes ex eadem propemodum denigrare fidelia. Tam anxiè *Chriſtianus*, ut niſi mihi duo Reges ab illo (precibus opinor) impetrâſſent veniam, nunquam potuiſſet obtinere *Chriſtus*, quin acerbè olim debacchatus in nos, quoniam uno ſit repercuſſus verbulo, me miſellum agniculum homo plus ullo lupo famelicus totum deglutiret. Tam lepidus denique, tam feſtivus, tam ſolers, & undique tam conſummatæ ſapientiæ, ut ſibi ipſe familiares eſſe fateatur infernales furias. Eas ergo quum habeas, *Brixi*, domeſticas; ut ſis fortaſſis ambiendus aliis, ſicubi ſint, quibus cum ejuſmodi ſodalibus libeat ludere, ego te profectò nec inimicum horreo, nec amicum expeto. Nam hoſtem tuum nihil timendum eſt, nè (quod tu minaris) unquam invadant furiæ, nempe trabalibus clavis arctiùs ferruminatæ tibi, quàm ut à tam charo capite queant avelli quóquam. Amicis verò ac familiaribus ejuſmodi peſtis poſſit nocere contagium. Contra, inimicus ipſe tibi non ero: neque enim eum odiſſe poſſum, cujus ſic obſeſſi miſereor; imò adamarem certè, ni vererer nè me redamares mutuò, ut qui frequenter audierim, quàm ſit moleſtus ac noxius amor ejuſcemodi ſpectrorum. Proinde quoad licet, erga te ſic neutro memet affectu geram, ut nec dignaturus unquam ſim albus nè ſis an ater inquirere. Quanquam nec opus eſt iſtud inquirere; tam atrum enim tuum te atramentum reddidit, quàm carbo eſt. Tantum nè tam grati officii prorſus oblitus videar, quo meorum verſuum mendas adnotâſti ſedulò, nec eas cujuſquam pateris errores haberi quàm meos, diris interim tute ac furiis (ſi vera fateris) obnoxius, utrique noſtrûm ſupplex quod ſit ſalubre comprecor; uti ſuperi mihi tibíque tam propitii ſint, amborum vicia ut corrigant, ac mihi ſolœcam orationem caſtigent, tibi perpurgent ſolœciſmos ingenii; mihi barbara verba velint è ſermone tollere, tibi barbaros iſtos mores è pectore; denique benigni largiantur & mihi ſanos pedes in carmine, & tibi ſanum caput in corpore.

Thomas Morus *paulò ante ſuam condemnationem, quàm arctiſsimè carceribus incluſus, omnique ſublato inſtrumento ſcribendi, carbone hanc inſequentem Epiſtolam exarâvit, atq; ad intimum ſuum amicum* Antonium Bonuiſum, *mercatorem* Lucenſem, *jam tunc quidem* Londini *agentem, nunc* Lovanii *ſepultum, mittendam curavit. Anno Dom. M. D. X X X V.*

AMicorum amiciſſime & meritò mihi chariſſime, ſalve. Quoniam præſagit mihi animus, fortaſſe falsò, ſed tamen præſagit, haud diu ſuperfuturam ad te ſcribendi facultatem: decrevi, dum licet, hoc ſaltem epiſtolio ſignificare, quantum in hoc fortunæ meæ deliquio, amicitiæ tuæ jocunditate reficiar. Nam antè quidem, vir ornatiſſime, tametſi mirificè certè, ſemper amore iſto in me tuo delectatus ſum: tamen recordanti mihi annos jam propè quadraginta *Bonuiſæ* domûs, non hoſpitem, ſed alumnum fuiſſe te, verecundia mea profectò fecerat, ut ſincera illa, quam alioqui ex amicitiæ noſtræ ita cogitatione deglutiêbam, paululum quiddam pudore quodam ruſtico tanquam neglectæ viciſſitudinis ſubaceſceret, Verumenimverò nunc hac ego me cogitatione conſolor, quòd bene viciſſim mihi merendi de te nunquam ſe præbebat occaſio. Ea ſiquidem amplitudo fortunæ tuæ fuit, ut commodandi tibi nullus mihi relinqueretur locus. Conſcius igitur mihi non officii neglectu vicem non rependiſſe me, ſed *Epiſt. 5.*

quia

quia deficiebat occaſio: cum jam te conſpiciam, A etiam ſublatâ rependendi ſpe, ſic in me amando & demerendo perſiſtere, imò adeò progredi potiùs, & curſu quodam indefeſſo procurrere, ut pauci ſic amicos fortunatos ambiant, quomodo tu proſtratum, abjectum, afflictum, & carceri addictum *Morum* tuum diligis, amas, foves & obſervas, cum priſtini pudoris mei qualiquali amicitiâ me abluo, tum in hujus admirabilis amicitiæ tuæ ſuavitate conquieſco. Et neſcio quo pacto tam fidelis amicitiæ proſperitas videtur mihi in hoc improſpero claſſis meæ naufragio propemodum paria B facere: certè (tollatur indignatio non amati minùs, quàm metuendi Principis) quod ad reliqua pertinet, plus quàm paria; quippe cum illa ſint inter fortunæ mala numeranda omnia. At amicitiæ tam conſtantis progreſſionem, quam tam adverſus fortunæ caſus non eripuit, ſed ferruminavit fortius, amens profectò fuerim, inter fortunæ bona ſi numerem. Sublimius haud dubiè bonum eſt, atque auguſtius, peculiari quadam benignitate C proveniens, amicitiæ tam fidelis, & fortunâ deflante conſtantis, rarò conceſſa fœlicitas. Ego certè non aliter accipio atque interpretor quàm eximiâ Dei miſeratione curatum, ut inter tenues amiculos meos, tu vir talis, amicus tantus, tam longo tempore patereris, qui magnam iſtius moleſtiæ partem, quam mihi ruentis in me fortunæ moles invexit, tuâ conſolatione lenires ac relevares. Ego igitur, mi *Antoni*, mortalium omnium chariſſime (quod ſolum poſſum) Deum Opt. Max. qui te mihi providit, obnixè deprecor, ut quando tibi talem debitorem dedit, qui nunquam ſolvendo ſit futurus, beneficentiam iſtam quam mihi quotidie tam effuſus impendis, ipſe tibi pro ſua benignitate dignetur rependere; tum ut nos ab hoc ærumnoſo & procelloſo ſeculo, in ſuam requiem, pro ſua miſeratione perducat, ubi non erit opus epiſtolis, ubi non diſtinebit nos paries, ubi non arcebit à colloquio janitor: ſed cum Deo Patre ingenito, & unigenito ejus Filio, Domino & redemptore noſtro *Jeſu Chriſto*, atque utriuſque Spiritu, ab utroque procedente paracleto, gaudio perfruemur æterno: cujus interea gaudii deſiderio faxit omnipotens Deus ut tibi, mi *Antoni*, mihique, atque utinam mortalibus undecunque omnibus, omnes hujus orbis opes, univerſa mundi gloria, nec non iſtius quoque vitæ dulcedo vileſcat. Amicorum omnium fideliſſime vale. Familiam tuam totam, herili in me affectu ſimillimam, *Chriſtus* ſervet incolumem.

Thomas Morus: *fruſtra foret ſi adjiciam* Tuus; *nam hoc neſcire jam non potes, quum tot beneficiis emeris: nec ego nunc talis ſim, ut referat cujus ſim.*

AUCTARIUM EPISTOLARUM EX LODOVICO VIVE.

Joannes Lodovicus Vives D. Joanni Epiſcopo Lincolnienſi, à confeſſionibus inclyti Britanniæ Regis. S. D.

Epiſt. 1. Audio pacificatorias aliquot legationes ultro citróque inter Principes miſſas ac remiſſas: quod reſponſi ferant, ignorari. Mihi verò bellum hoc nec humanis viribus excitatum, nec hominum voluntatibus videtur geri. *Galli* nihil magis cupiunt, quàm pacem: vos à bello abhorretis. Cæſar quietem exoptat, & à tot bellum averſantibus, bellum trahitur; pacem deſiderant, nec uſquam eſt illam reperire. Quis non videat, eſſe voluntatem aliquam, quæ humana plus poſſit polleátque, cujus imperiis hæc agantur? quum pax inveniri non queat, quærentibus eam iis, in quorum manu videtur reſidere: quum votis exoptant, quos nos præſtare poſſe credimus. Non inter ſe belligeratur hominum genus, ſed cum *Chriſto*, ideo pace indignum eſt. Non eſt pax impiis, non eſt concordia ſuperbis, ſolus bonus bono amicus eſt: malus nec bono amicus eſt, nec malo. Ferunt paci orbis propemodum aliud non obſtare, quàm quòd neutra pars velit eam prior petere. Quid poteſt arrogantius, aut ſuperbius dici, quàm hoc, verè ex diaboli ſchola? qui propterea ſempiternus erit hoſtis Deo, quòd ut veniam petat, nunquam animum inducet. Quanta eſt veri ignorantia? Si quis res ipſas acutiùs perſpiceret, intel- F ligeret nihil eſſe magnificentius, nihil amplius, honoratius, excelſius, quàm ultrò, & priorem venire ad poſcendam pacem. Quid enim eſt aliud, *Faciamus pacem*: quàm, reprimamus cædes, depellamus latrocinia, conſtituamus concordiam, reducamus & confirmemus humano generi commercia, religionem, literas, diſciplinas, tranquillitatem, ſecuritatem, gaudia, mundo novam quandam & hilarem faciem: diſcutiamus triſtitiam orbis: vivant boni, & vigeant: malorum verò & G conſceleratorum hominum coerceatur audacia? Hoc qui prior dicat, qui alterum ad auxilium tantæ & tam præclaræ rei advocet, non video cur inhonoratior habendus eſſet: ſi non inimicus homo ſuperſeminaſſet zizania, & veras rerum naturas corrupiſſet, ac pro ſolidis ac germanis virtutibus laudibúſque, depravatiſſimas opiniones humanis mentibus ingeſſiſſet. Narrant *Hiſpani* nautæ, eſſe in novo iſto Orbe, quem repererunt, inſulas

inſulas quaſdam, inter quas ſi bellum incidat, ho-
neſtiſſimus & ſit, & habeatur, qui pacem ab hoſte
roget : alterum ſceleſtum, & omnibus in commu-
ne hoſtem, qui rogatum neget : & indigniſſimè
eos ferre, quorum hoſtes in poſtulanda pace ipſos
anteverterint, officio pulcherrimo, ad illorum ſen-
tentiam, atque ampliſſimo. Quid nobis literæ?
quid humanitas prodeſt? quid tot artis vitæ?
tanta educatio? quid magiſterium Dei omnipo-
tentis? cum inter hæc tam admirabilia corruptiſ-
ſima geramus naturæ judicia. Illi rudes & Barba-
ri populi, citra literas, citra cultum omnem, &
pietatem, veras ſanáſque opiniones à recta & pura
natura edocti ſunt. Verùm noſtra hæc mala in-
vexerunt duo inexhauſta vicia, illis hominibus in-
cognita, ambitio & avaritia; quæ ad ſummum
profecta, efficiunt, ut nihil ulli ſufficiat, quum ali-
quid ſemper deſit altiſſimo gurgiti cupiditatis.
Itaque nec nôs illæ opes jam capiunt, nec ulli bo-
nores explent. Animalcula, quibus & in alimen-
ta viventium, & in ſepulturam mortuorum di-
midium agri jugerum ſufficit : cogitatione per
terras omnes ac maria circumvagamur, omnia tur-
bantes, concutientes omnia, dum animi libidini-
bus obſequimur : nec nos fragilitatis noſtræ, &
quorſum evaſuri ſimus, vel quotidie cadentium
numerus, vel ipſi corporum noſtrorum morbi ad-
monent. Quis non ceù monſtrum deteſtetur, in
tanta naturæ infirmitate tantam ineſſe ferocitatis
ac malitiæ firmitatem? Geramus bellum, & vinca-
mus *Turcas*, devoraturo & victum acciſum, & vi-
ctorem laſſum. Sic minorum animalium pugnat
aquila dirimit, ut utrunque abſumat. Si naturâ
conſtitutum eſſet, ut iſti corpuſculo non niſi
magna terrarum & maris ſpacia poſſent ſatisface-
re : illa eſſet forſitan culpanda; ſi noſtri tuendi cau-
ſâ, hos tumultus longè & latè excitaremus; nunc
ſacculus iſte anguſtus, tam exiguis rebus non ple-
nus modò, ſed etiam redundans, tam citò peritu-
rus, quantas movet tragœdias? Providentiſſima
nâtura, quæ ut nemo homini homo noceret, cor-
pora nobis tribuit pauciſſimis explebilia : quo
fraudes atque injurias mutuas juſtiùs tanquam no-
ſtro ipſorum teſtimonio condemnaret, & ſcelera
nobis eſſe unis imputanda convinceret. Cæterùm
nos obliti naturæ, obliti Dei, in mutuum exitium
concurrimus. Hæc quotidie audimus, ſed rimoſis
auribus : quotidie cogitamus, ſed fluxâ mente,
eóque vitiorum ventum eſt, ut jam & morbos pro
ſanitate complectamur; remediáque rideamus,
tanquam ſenum delirantium inventa. Verùm
hanc aſtutam & inſipidam ſapientiam, Dominus
oſtendet eſſe meram inſaniam : & palàm, in illo
ſuo die, quum juſtitia convertetur in judicium :
& occultiùs aliquanto, quum unuſquiſque hoc cor-
poris involucro ſolutus, ſiſtetur tribunali ſuo, judi-
cis juſti & ſeveri. Quin etiam in hac vita inter-
rogetur ſeorſum reputatio cujuſvis horum, qui
magnâ arrogantiâ profitentur humanam ſapien-
tiam : qualis ſapientia ſit, noctes & dies odio, invi-
dentiâ, tumore, elatione animi, iracundiâ, fraudi-
bus, impoſturis, terrore agitari, lacerari, diſtor-
queri? neque diurnâ pace, neque quiete nocturnâ
perfrui. Hæc videlicet eſt ſapientia hominum,
hæc magnitudo, per alienam perniciem miſerum
eſſe. Huc uſque provectus ſum juſto dolore, ob
mala ætatis hujus, quum *Chriſtiana* gens ejecto
reſpectu omni charitatis Evangelicæ, & *Chriſti* ſui

A immemor, viribus ſuis ad ſe perdendum abutitur :
nec unquam ipſa in apertius aut majus ſeſe ad-
duxit diſcrimen, imminente occaſioni ſuæ hoſte
potentiſſimo abalienato *Chriſto* à tam fœdo &
deſertore populo : qui relictis ejus ſanctiſſimis
ſignis, ad vitiorum omnium & idololatriæ
caſtra perfugit, tranſlato Dei honore ad ho-
mines & metalla; ut qui accuratius tractamus,
quæ ſunt mortalium hominum quàm quæ Dei,
B viventis in ſecula ſeculorum. Idcirco ita vivimus,
& agimus, velut filii abdicati, ut repulſi à tutela &
cura Dei videamur, dimiſſi noſtræ ſtultitiæ : cujus
unius operâ ſunt clades, & ruina, & miſeria om-
nis *Europæ* totius. At inter hæc, labiis Deum pa-
cis honoramus : quum corda infecta ſint hoſtili
inter nos & cruento odio, non Principes modò,
ſed privati etiam, qui maximam & arctiſſimam
amicitiam præ ſe oſtentant : ut nunc veriùs, quàm
ætate ullâ aliâ, dici poſſit, *omnis homo mendax*.
C Nec ad homines ſolùm, quod utique ferendum eſ-
ſet, *aliud gerimus ore apertum* (ſic ut inquit ille) *aliud
clauſum pectore* : ſed erga Deum quoque, nefariâ
oblivione, non reputantes illum cogitatus noſtros
acutiùs inſpicere, quàm nos ipſos. Loquimur
tanquam Filii Dei, vivimus tanquam ejus hoſtes.
Sed finem faciam, præſertim apud te, qui hæc ne-
que ignoras, & correcta velles. Utinam melio-
ribus monitis non tanta eſſet objecta ſcelerum
noſtrorum moles. De conjugio meo aliàs ad te
D ſcripſi. *Rogerdus Patus*, ſororis tuæ filius, & *An-
tonius Barcherus*, cliens tuus, mirâ alacritate in
ſtudiorum ſtadio decurrunt : nihil illis opus vel
incitatoribus, vel frigida, quod ſcio multò tibi
gratiſſimum eſſe. Vale mi Pater, octavo die Julii
M. D. XXIIII. *Brugis*.

*De Europæ ſtatu ac tumultibus Joannes Lodo-
vicus Vives Adriano VI. Pontifici
Maximo* S. D.

E BEatiſſime Papa, & vicarie Dei omnipotentis, *Epiſt. 2.*
deterruit me ratio negotiorum tuorum, nè
quid ex quo auditum eſt te Pontificem Maximum
eſſe deſignatum, ad te ſcripſerim. Nam inter tot
gratulantium epiſtolas & voces, nullum putavi
fuerit meis locum futurum. Nunc tandem re-
miſſo illo animorum fervore, qui novis magiſtra-
tibus atque honoribus ſolet excitari, maturum
mihi viſum eſt pauca verba Sanctitati tuæ ſcribere,
F jam Principi Sacerdotum, & pietatis *Chriſtianæ* :
qui ad Decanum *Lovanienſem* ſcripſi, qui ad Epi-
ſcopum *Dertuſenſem*. Neque enim dignitate mo-
veor, tametſi in terris ſummâ ac præſtantiſſimâ :
quam tamen indignis quoque contigiſſe homini-
bus ſcimus omnes. Vir optimus venerabilem red-
dit optimum honorem : & tum demùm proſe-
quuntur homines juſtâ reverentiâ dignitatem,
quum in illo eſſe vident, quem etiam privatum
ſuſpicerent & adorarent. Rident, qui ſceleſtum
G hominem, & facinoribus obrutum, ſanctiſſimum
patrem nominaturi ſunt : & dant eum titulum
non ſententiæ animi ſui, ſed conſuetudini loquen-
di : pudétque vicarium *Chriſti* eum nuncupare,
quem ſuum nemo vellet. At quantâ veneratione
perfundi putas illos, qui ſanctiſſimum de ſolis mo-
ribus nominâſſent Pontificem Maximum, vete-
rum illorum ſimilem, in eremo, ſemi-nudum, & ſo-
lùm oleribus victitantem. Perſtringit oculos no-
ſtros

ſtros fortunæ ſplendor, non cogit animos. Tu A quidem ad faſtigium rerum humanarum ſolâ vitâ innocentiſſimè actâ evectus, oſtendiſti locum adhuc eſſe virtuti, ejúſque reſpectum non prorſus humanis mentibus excidiſſe. Et ut liceat verum dicere, ſuperiorum Pontificum vita effecit, ut maximum in terris ornamentum ipſe ornâſſe videaris. Excogitantur tituli conſuetorum diſſimiles, quibus adearis tu illorum Pontificum, quos noſtra videt ætas, diſſimilimus. B Nè pigeat hæc audere, quem non piget aliter vivere, quàm vixerunt illi; niſi velis homines contrarios mores eiſdem laudibus honeſtare. Non impetrabis hoc à libertate publicâ; ut interea dum tu illorum vitam actionibus tuis reprobas, nos eam oratione noſtrâ comprobemus. Sed de tuis laudibus & aliàs audies, & ab aliis doctiùs, atque accuratiùs. Nunc à me paucula more meo ſimpliciter quidem ac imperitè accipies, cæterùm amoris & obſervantiæ in te meæ C pleniſſima. Nam niſi me opinio ac judicium animi mei de humanitate ac manſuetudine tua vehementer falſum habuit, confirmatum tamen plurimis experimentis non rejicies *Romanus* Pontifex epiſtolam ejus cujus Epiſcopus *Dertuſenſis* non es aſpernatus: neque enim te ſic mutavit tanta dignitas, ut virtutes ſummas ac ſingulares, quas in te unicas ſemper laudavimus, ſemper admirati ſumus, quæque te ad iſtum ipſum honorem perduxerunt, vel ademerint, vel minuerint. Pa- D tieris igitur te paucis admoneri, ab aliis forſan peritiùs; à nullo profectò amantiùs, quàm à me: at quàm prudenter aut commodè, ipſe exiſtimaris; qui ut recto monitori auſcultare, ita non capi à pravo didiceris. Idcirco qualiſcunque hæc admonitio futura eſt, in te non erit periculoſa: nam & bona proderit, & non oberit mala. Quo die nunciatum nobis eſt te ampliſſimis comitiis Pontificem ſummum declaratum eſſe, alii quidem omnes incredibili tenebantur lætitiâ: Ego E verò, qui felicitatem humanam non opibus aut potentiâ metior, non tam gaudebam, quàm amici vicem eram ſollicitus. Gaudebam equidem, contigiſſe virtuti aliquod ex iſtis noſtris præmiis; ſi modò non omnia ad ſubtilem illam exactámque philoſophorum, & *Stoicorum* præcipuè, ſeu *Chriſtianorum* veriùs formulam redigimus. Gaudebam datam aliquando non ambienti, quod ambienti ſoleret: valuiſſe tantùm virtutem, quantum opes, fraudem, impoſturam. Gaudebam tibi, F quæ meritus es, contigiſſe: & optimo viro maximum eſſe mandatum honorem. Tum etiam datam tibi occaſionem oſtendendæ, ſeu, ut aptiùs dicam, exercendæ probitatis & prudentiæ tuæ: rebus præſertim adeò collapſis, & tantâ materiâ benefaciendi. Sed hinc mea naſcebatur ſollicitudo, eſſe rem *Chriſtianam* in eum ſtatum adductam, hinc bellis, hinc turbis ab hominibus pravè ſentientibus excitatis, ut reſtitui priori gradui non minùs ſit operoſum & difficile, quàm pulchrum, & omni G laude digniſſimum. Tum etiam unde aliis gaudium naſci ſolet, inde mihi cura ſuboriebatur, quòd præceſſoribus tuis melior eſſes. Ita enim res ſunt à multis illorum tam diu adminiſtratæ, ut quum tibi diſplicituræ ſint, tamen hoc uſu & aſſuefactione tam diuturnâ mutari à te vix poſſint: & tamen mutandas eſſe tu ac omnes divi atque homines cenſemus, mutari omnes cupimus, actu

in primis. His de cauſis & rationibus non æquè tibi gratulandum cenſeo, cui contigit altiſſimus in mortalitate locus. Atque excitandus es, ut modicus iſte animus & verè ſanctus, res ampliſſimas incipiat cogitare, & iſto faſtigio congruentes: adhortandus, nè defatigeris in negotio tam vario, tam difficili, tam moleſto, quo minùs dies ac noctes in id incumbas, quomodo tanto muneri ſatisfacias, & actionem ad ſuſceptam perſonam attemperes: nè quum tota tua ſuperior vita ſumma ſit tibi cum laude acta, & ad perſonas quas ſuſtinebas, convenientiſſimè; nunc in poſtremò actu, quod procul abſit, deficias, quum plauſus excitandus eſt. Duo ſunt, quæ à te poſtulantur, atque expectantur: quies ab armis inter Principes, quies à tumultibus inter privatos. Reliqua in præſentia omittam: de his duobus paucula quædam diſſeram liberè, ut cœpi. Equidem ſcio alia auditu jucundiora; & poſſem dicere, ſi vellem: ſed hæc quæ dixi, ac dicam, uſu potiora invenientur. Nemo ex me quærat: quod tu non apud Pontificem eſſe putas, qui hæc & meliora conſulat? Ego verò & plurimos; ſed magnitudo Pontificatûs facis, nè unquam nimis multi conſultores eſſe videantur: præſertim ubi Pontifici licet, auditis omnibus, quod optimum factu ſit, eligere: nec cogitur, ut quenque audivit, extemplò id exequi. Nec illâ quæſtione velim premi: An non meliùs hæc Pontifex ipſe? Certè meliùs multò: ſed conſilia omnia, & admonitiones tollat è vita neceſſe eſt, quiſquis non vult prudentiorem moneri à minùs prudente. Quis Princeps conſuli ſibi patietur, nè dicam moneri ſe, ſi conſultores omnes hoc ipſo quod conſulunt, peritiores ſe ac prudentiores eſſe præ ſe ferat, & profiteatur? Itaque audies ipſe, quæ non ignoras: & hoc magis ad perficienda, quæ ſanctiſſimè cogitas excitaberis, quum idem alios quoque cupere intelliges: & erit hic animo tuo ſtimulus non ſegnis, quòd videas optare homines, intus exteriúſque tranquillitatem. Neque nunc verò ſic, ut aliis temporibus, quum ſola vota faciebant, & optare poterant magis, quàm ſperare. De te autem tanta eſt in mentibus omnium opinio, tanta fiducia, ut ſperent facilè quod optant: confidant futurum, quod ſperant: factum propè credant, quod confidunt. Commovit anteacta vita tua hanc de futuris expectationem: ut integrum jam tibi non ſit, aliter agere, quàm quod omnes ſperant, quàm quod univerſis conſenſus pro te publicus ſpopondit; niſi cunctos velut efflagitantes creditores fallere ſemel ſuſtineas: quod facere non potes ſine magna invidia, etiam iſtius tantæ celſitudinis, de qua tam malè multi ſuſpicabuntur, ut ejus vitio mutari credant mores eorum, qui illuc aſcendunt. Omnes quæ ſcripſeris, quæ geſſeris nôrunt. Si tu, quod omnes ſibi promittunt, remedium non affers tantis malis, quæ poterit eſſe in poſterum ſpes? quem fieri optabunt *Romanum* Pontificem, ut feſſis labefactíſque rebus ſuccurrat? Meliorem te? At nullus ſperatur. Parem? Difficile inventu: ſed mutabitur honore; nam pejoris quid attinet vel meminiſſe, ſi meliorem corruperit fortuna? Hic fidem Dei atque hominum implorabis, ſi quod ſueris privatus optimus, non ideo liceat nunc tibi ſimilem eſſe præceſſorum tuorum. Hæc eſt conditio rerum: ſic ingreſſus es in vitam, ut naturæ leges mutare non poſſis. Sapientiſſimi viri

dictum illud eſt, duriorem eſſe conditionem ſpe- A ctatæ virtutis, quàm incognitæ. Benefacta pro debitis exigimus, quæ aliter eveniunt, ut decepti ab his infeſto animo reprehendimus. Mediocris virtus illi, à quo nulla certè expectabatur, magnæ laudi vertitur; qui verò ſui expectationem aliquam fecit, non niſi ampliſſimis illam factis implet. Quanquam gaudere nimirum debes, obtigiſſe tibi materiam, in qua ingenium, probitas, prudentia tua poſſint eniteſcere, ac exercendo au- B geri. Nam illa torpent, ſi quieſcant: & vires amittunt, ut ventus in plano concitatus; aut ignis, cui nihil ſit obvium, quod incendat. Optabant veteres illi bellum, ut virtutem in eo, vigorémque animi & corporis oſtentarent. Optari poterat tibi, ſed longè diverſâ ratione. Illi enim vaſtando, ſternendo, occidendo, eladem ſtragémque longè faciendo ac latè, magnam laudem, elatum nomen, immortalem parari gloriam arbitrabantur: ut eorum memoria ſacroſancta eſſet mortalibus, C qui magnam mortalium partem deleviſſent: & ii eſſent humano generi chari, qui adeò homines oderant, ut plurimos de poſſeſſionibus, de fortunis, plurimos de vita dejeciſſent: & grati bonis hominibus eſſent, quibus ſolis bellum faciebant, latronibus & conſceleratis comitati ac adjuti. Quanto tu rectiùs, atque ad ipſam hominis naturam accommodatiùs? amicum te fore hominum genti exiſtimas, ſi eos inter ſe feceris amicos: gratum omnibus; ſi odium ſuſtuleris: ſi effeceris, ut ſuæ cuique for- D tunæ, uxor, liberi, amici grati ſint; quod ſola pax præſtat. Quanto id humanius, rectius, melius, quod non ſolùm *Chriſtiani* optimum & ſanctiſſimum factum nominârunt, ſed ethnici quoque, *Senecæ* omnes, *Cicerones*, *Platones, Socrates*? Decet hoc magis & bonum virum, & *Chriſtianum*, & Epiſcopum, & Principem Epiſcoporum. Sed profectò ad tantam impudentiam non progrediar, ut etiam de officio tibi tuo præcipiam. Non differam, quid te deceat; nec ex humanitate tua E tantum mihi licentiæ arrogabo: cui fuerit ſatis, quid abs te ſperent homines, indicâſſe. Quanquam nè hoc quidem ignorare te arbitror: niſi dignitatum gradus, per quos ad iſtud culmen perveniſti, omnem privati hominis cogitationum memoriam ſenſúmque excuſſerunt. Recordare quid privatus à novo Pontifice optaris: facilè conjicies quid à te deſideretur. Utinam Principes omnes aliquando in privata vita verſati eſſent, quanto faciliùs ſubditorum neceſſitatibus obſecundarent? F & diſcerent ſuccurrere miſeris, non ignari & ipſi malorum. Nunc contrà, nati & educati inter regias opes, indulgentiſſimâ ſemper uſi fortunâ, calamitates civium quia non intelligunt, rident. Ita pro nihilo habent propter ſuam vel rixulam, vel ambitionem, vel avaritiam, vaſtari agros, villas, & oppida excindi, populos, gentéſque unicâ belli procellâ abſumi, florentiſſimas nationes, & firmatiſſima regna funditus interire. Non putant ſe Reges, niſi has afferant humano ge- G neri ſtrages. Hinc nomen, hinc gloriam parari ab aſſentatoribus audierunt; qui in publico bono egeni, malis publicis magni atque potentes ſunt. Nec videre poſſumus ſine gemitu, nec referre ſine lachrymis, greges ſenum & parvulorum abjectos mediis foris, & ante ſacras ædes lamentantes. mediocres; interdum etiam amplas ſuas fortunas direptas ab hoſtibus, non- nunquam ab amicis militibus; &, quod indignius eſt, combuſtas. Nam ſi raptæ tantum eſſent, hominibus ſaltem prodeſſent: nunc nova ratio gerendi belli excogitata eſt, ut incendantur omnia. *Galli* noſtra incenderunt, nos nunc victores *Gallica*: illi rurſus per occaſionem collectâ manu noſtra; finisque ſit brevi nominis *Chriſtiani*, ſpectaculum *Turcæ* gratiſſimum, cum nos ipſi miniſtri ſimus votorum illius, niſi quòd mitiorem illum credo, quàm ut ſic vellet in nos ſævire; aut certè saniorem, quàm ut vellet perdere, quæ victor poſſidere poſſet. Quæ ſic unquam belligeravit *Barbaria*, ut nec ſibi pateretur prodeſſe victoriam, nec hoſti? Hoc illorum eſt, qui perditi ſpem omnem & cogitationem vitæ abjecerunt. At nos pulchrum id, ſi Deo placet, & magnificum ducimus. Hoc demum putamus vincere, ſi ſentiant ſe victos eſſe, qui vincuntur: & verum fiat vetus illud à crudelitate quorundam deductum: *Quid victis aliud quàm mœror?* Feros & Barbaros populos *Græci Romani*que devicerunt, ereptâ tantum injuriæ licentiâ: & opibus, & artibus, & moribus locupletiores, inſtructioréſque ex victoria reliquerunt; ut præſtaret ab ejuſmodi magiſtris vitæ vinci, quàm illos vincere. Et illa inter ſe gentiles: quibus incerta erat animorum immortalitas, nihil dictum de charitate, non unum audierant humani generis parentem; non à divino magiſtro commendatam atque adeò juſſam patientiam, prohibitam vindictam: non audierant ab oraculo, nihil prodeſſe homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. Nos *Chriſtianos* à Deo ipſo hæc omnia edoctos, & inter quos vel leves eſſe rixas deſtomachabatur *Paulus*, nihil pudet tantas ſtrages edere, hominum etiam immerentium, ita ut mitiùs pugnaturos appareat cum urſis aut leonibus, quàm cum *Chriſtianis*. Et iſta faciunt, qui inter hæc non exhorrent patrem appellare *Chriſtum*: quum ipſi *Chriſti* filios, non fratres, ſed hoſtes eſſe ſuos arbitrentur. Nec tremunt, quum prælium inituri vota *Chriſto* faciunt, nullius rei magis inimico, quàm belli: nempe unius amicitiæ prædicatori & commendatori unius diſciplinæ pacis magiſtro, ſolius charitatis legiſlatori. *Hoc eſt*, inquit, *præceptum meum, ut diligatis invicem.* Quid igitur Præceptori charitatis cum tot animis odio tumentibus, & exulceratis? ut ſi quis, quæ *Chriſtus* præceperit, cum iis quæ nos agimus conferat, commentitiam nos & ridiculam agere fabulam juret, quum ſacris interſumus, quum *Chriſtiani* & dici & haberi volumus. Scio quid jam dudum iſta legens cogites: Vellem, ſi per illos liceret. Fortaſſis rem invidioſam dicam, ſed certè non minùs veram, & ad præſens inſtitutum in primis utilem. Hæc tibi ſcribuntur uni: quo apertiùs & ſimpliciùs loquar, eo me exiſtimare debes tui decoris & publici commodi ſtudioſiorem, qui contemptâ propriâ utilitate, etiam cum invidia moneam, quæ in rem eſſe tuam communémque videantur. Sunt, Beatiſſime pater, nonnulli docti homines, qui proximi & probati Principibus, magnâque apud illos autoritate, quum de bello conſuluntur, ita de juſto & injuſto bello diſſerunt: ut facilè ex eorum oratione anſam Principes, alioqui in ſuos affectus proni & præcipites, arripiant exiſtimandi quodlibet bellum modò placeat juſtum eſſe. Prætextus & colores nunquam deſunt,

ſunt, dum non deſit facultas, & occaſio. Qui ſi aliter cenſerent, ac diſputarent, injectâ in Principum animos religione, cohiberent ac revocarent homines ad arma proclives, & affectionibus impulſos. Tuum eſt, Pater ſanctiſſime, ex præceptis noſtræ pietatis, quorum interpres mundo præſides, docere & Principes & Principum conſultores, bellum hoc inter fratres, & quod plus eſt, initiatos eodem baptiſmate, iniquum, ſceleratum eſſe, contra fas, contra pium: nec ſecus, quàm ſi membra corporis ejuſdem inter ſe dimicent, ex *Pauli* doctrina, juxta quam apud Deum jam non eſt *Græcus*, aut *Judæus*, aut *Gallus*, aut *Hiſpanus*, quiſquis per *Chriſtum* renatus eſt; ſed nova creatura. Quod qui cogitant, & exequuntur, pax ſuper eos. Si tu ita doceas, primùm tantus Theologus, deinde vir optimus, tum Princeps noſtræ religionis: ſi ita ſtatuas, vicarius in terris maximi Dei: quis in contrarium vel tantæ eruditionis diſputare, vel iſtius edicti niti, aut ſine impietate poterit, aut ſine noxa audebit? Sed hoc loco ſint iſta nobis ſatis dicta. Nunc nè te publico bono occupatum diutius interpellemus, paucis de quiete religionis noſtræ agendum eſt: & eò parciùs ac modeſtiùs, quòd apud ſummum Pontificem, & virum tantâ doctrinâ verba facimus. Vides qualicunque cœperint affectu, progreſſos tamen eſſe homines quoſdam extra vetita ſepta, & firmata partim divinis legibus, partim antiquo Eccleſiæ conſenſu ac ritu auſos impetere. Huic malo quemadmodum ſubveniendum ſit, non crediderim te ignorare. Verus verbum eſt, civitatis imperandi prudentiſſimæ imperium eiſdem artibus retineri, quibus initio partum ſit. Repetamus origines illas magnitudinis hujus Eccleſiæ; quid nobis modò faciendum ſit, ibi videbimus. Quorum vel tutiùs, vel commodiùs exempla poſſumus ſequi, quàm eorum quibus ita opitulata eſt virtus divina, ut hæc ex parvis initiis tam aucta nobis reliquerint? Omni memoriâ tumultibus Eccleſiæ occurſum eſt, indictis conventibus patrum, quod Generale Concilium vocamus: hæc una eſt medicina, morbis etiam, qui deplorati putabantur. Ibi expoſitis vel querelis, vel rationibus, quibus adducti erant, qui parum rectè ſentirent, cognitis morbis præſentia remedia adhibebantur. Nulli morbi periculoſiores ſunt, quàm qui latent. Nulla ſanies noxia magis, quàm quæ non exprimitur. Multas inimicitias ad capitale odium adultas ſcimus, quod vel occultæ creverint, vel purgare virus expoſtulando aut jurgando non licuerit; Coiiſſe in amicitiam videmus, qui rixa aliqua conceptum dolorem effuderunt; hinc illud vulgare, Amantium iras eſſe amoris redintegrationem. Ferunt aliquot & noſtrâ & patrum memoriâ Pontifices, Concilium non ſecus ac venenum devitâſſe, quòd dicerentur vereri, nè aliquid ſuæ potentiæ fortunæque, conſtitutis cleri moribus, detraheretur. Malè cuſtodit potentiam metus. Etſi ſæpe ſuſpectus quis ſit, pro manifeſto habetur. Quale argumentum eſt innocentiæ, refugere cœtus, & libera judicia? non exiſtimare ſe tutum fore, ſi de meliore rerum ſtatu conſulatur? Neque id ignorant multi: idcirco ſignum conſcientiæ interpretantur, etjam ubi culpa nulla ſubeſt. quod in diſquiſitionem prodire non audent. Tibi verò nihil tale metuendum eſt. Primùm in iſta animi

A tui moderatione, quæ libentiùs lætiùsque ſine tanto fortunæ ſtrepitu viveret: deinde in moribus ſanctiſſimis ac orbi univerſo ſpectatiſſimis: poſtremò in conſcientia mentis tuæ; quæ quum non terret, omnia undique ſecura ſunt. Ergo expedit indici commune toti *Chriſtianæ* genti Concilium, eò loci, ad quem ſi quis non venerit accerſitus, non loco videatur diffiſus, ſed conſcientiæ. Ibi humanis omnibus ſepoſitis affectibus, ſumptis tan-

B tummodo *Chriſtianis*, hoc eſt divinis, de tota cauſa graviùs & accuratiùs cognoſcatur. Quæret aliquis: Quid igitur? an non graviſſimè eſt jam & diligentiſſimè cognitum? Ut maximè ſit: quid tamen illis facias, qui hactenus privatis tantum premi ſe autoritatibus, nullâ publicâ, nullâ ſatis gravi exiſtimant? Iſtis eſt aliquid dandum: & non contemnenda tot animarum millia, pro quibus Dominus paſſus eſt. Quanto tumultu, quibus apparatibus una *Turcarum* civitas oppugnaretur?

C ex qua alii diffugerent nè baptizarentur, alii baptizati ſuum ſemper retinerent *Mahumetem*, pauci boni eſſent: Ecce tibi tot civitates baptizatas, deflexas de via, ſuſcipiatur laboris aliquid, ut ſenſim redeant in viam: præſertim cum facilis ſit initio opera, quæ nulla proficiet, ſi res (quod avertat Deus) invaleſcat, & tempore vires atque incrementum ſumat. Neceſſaria res eſt conſilium, etiam ſi hæc tempeſtas non incidiſſet. Eadem operâ multa poterunt fieri compendia,

D multis obviam malis ibitur. Alia ſunt etiam complura ſuper quibus oportet in Eccleſia conſultari. In eo conſilio magna cum placiditate animi ac commoditate, quemadmodum faciendum eſſe probe nôſti, de iis ſolis & inquiratur & ſtatuatur rebus, quæ ad ſummam pietatis ſpectent, ad ſanctos mores. Alia quæ in utramque partem diſputata, contentionem poſſent ſcholis ſuppeditare: nec ullam facit, quomodocunque definiantur, vel religio jacturam, vel bonorum morum inſti-

E tutio: in gymnaſia, & diſputantium circulos, liberáſque opiniones, & ſectarum placita referantur. Nè dum omnia mordicùs apprehendimus, non tam dicta videamur damnare, quàm dicentem: & quum aliquid fortaſſe dubium pro certo atque explorato, aut indifferens pro neceſſario tradimus, feneſtram pravis & verſutis hominibus, ſiniſtréque omnia interpretantibus aperiamus, ſuſpicandi pleraque omnia eſſe talia, nóſque incomperta pro certis affirmare; quæ ſuſpicio quantum ha-

F ctenus adverſarios adjuverit, dici non poteſt: dum enim quivis tanquam ruenti Eccleſiæ conatur opem adferre, atque illam ceu *Atlas* quidam fulcire, fragiles & putres bacillos ſubjecit, qui etiam inter admovendum confracti ſunt. Ea dixerunt atque aſſeverârunt, quæ partim ambigua pro certiſſimis tradita, partim frivola pro ſolidis; aliàs ridicula pro maximè ſeriis, pro veriſſimis vaniſſima, ex cœno quorundam libellorum hauſta, pondus ac robur ſuæ cauſæ detraxerunt, addiderunt

G contrariæ; ut non aliter viderentur facturi, ſi prævaricari, & acuto vafróque ingenio adverſariis cauſam prodere in animum induxiſſent: alii concionibus, alii privatis colloquiis, alii ſcriptis. Ex quibus fuere quidam, qui nec ſuis, nec adverſarii perpenſis viribus, cum fortiore congreſſi, vehementer cauſam totam afflixerunt: quum ex illis omnes cenſerentur; alii ad hoc inducti ſunt, pietate quidem, ſed inconſulta, & zelo Dei, ſed non ſecundú ſcientiam:

nonnulli quòd ea ſit ipſorum exiſtimatio de re, A
ut neminem eredant adfuturum, ſi abſint ipſi.
Quemadmodum dixiſſe olim quendam accepimus: *Si ipſe eam, quis manebit? ſin verò maneam, quis ibit?* Sunt qui nonnihil vel à populo captabant
auræ, vel auri à potentibus; rati juxta *Pauli* ſen-
tentiam, quæſtum eſſe pietatem. Inter hæc
quis locus ad ſcribendum magno viro, & aliquid
allaturo utilitatis? quum tanta turba etiam cla-
ros occultet, dum nemini omnes vacat cognoſce- B
re; nec ſit, qui optimum quenque & legi dignum
judicet; unoquoque ſe, aut eum cui addictus at-
que adjuratus eſt, reliquis præferente, nec con-
tentus ſua ſuffragia extuliſſe, aliena promit: inju-
riámque interpretatur non modò ſi cui ſecundus
habeatur, ſed etiam ſi ſecundus exiguo ſubſe-
quatur intervallo. Ita res geritur privatis com-
modis, non publicis; nec ſpectatur quantum
quiſque poſſit juvare in commune, ſed quantum
pecuniæ rediturum eſt, vel nominis. Ergo C
magni viri partim indignitate deſpondent animos,
partim deſperatione profectûs tacent. Prima
debebat eſſe cura, ni ego fallor, ac nunc debet
eſſe, nè quilibet paſſim ſcribat. Deligantur pru-
dentiſſimè, atque acerrimo judicio, qui hoc agant;
& qui ſcribent, aſſumant ſecum judicium in con-
ſilium, non impetum; *Chriſtum*, non humanam
libidinem; cœleſte præmium, non divitias:
laudem à Deo, non ab hominibus: eorúmque
ſcripta Concilium univerſæ eccleſiæ accuratiſſimè D
examinet; ut communi conſenſu, quæ videbun-
tur, approbet ac confirmet; reliqua partim re-
jiciat, partim, ſi ambigua fuerint, vel obruat
ſilentio, vel tanquam materia detur ingeniis
exercendis. Hæc ego, beatiſſime pater, multis
prætermiſſis, & aliud in tempus dilatis, Sancti-
tati tuæ auſus ſum ſcribere; non fiduciâ ingenii,
aut prudentiæ meæ, quaſi meliora ipſe mihi in-
venturus viderer, quàm alius quivis; ſed probita-
tis, & manſuetudinis animi tui, quæ ultrò ad ſe E
plurimos invitat; tum amore publicæ *Europæ*
totius concordiæ; quam non poſſum non ingemi-
ſcere, ſic inter ſe diſciſſam & tanto omnium
damno conflictari: populum, quem *Chriſtus* ſan-
guine ſuo redemptum, unum in corpus charitate
velut glutino quodam coagmentari præceperat.
Poteram de tuis laudibus longiſſimam oratio-
nem contexere, nihil admonendo: id forſitan
aliis Pontificibus gratius fuiſſet. Sed eò liberi-
or, & procul magis omni aſſentatione fuit ani- F
mus, quod ad te hæc mittenda erant: & nulla
opum ſpe ducebar, tametſi tibi ampliſſimæ ſup-
petunt, tantum amore in te veteri ac confirmato,
& obſervantia in iſtius tuæ dignitatis non ditio-
nem, ſed majeſtatem. Tuum erit, boni conſu-
lendo præſtare, nè mihi vel inconſultus amor,
vel immodica pietas fraudi ſint, néve commo-
ruiſſe videar, dum bene mereri ſtudeo. Reli-
quum eſt *Chriſtum* maximum obteſtari, ut quæ-
cunque ſtatueris, approbet, felicitérque evenire G
ſinat. Vale, beatiſſime Papa & verè ſancte.
Lovanii, duodecimo Calend. Octobris, Anno à
Chriſto nato, Milleſimo quingenteſimo vige-
ſimo ſecundo.

A

Joannes Lodovicus Vives Henrico VIII.
Regi Angliæ inclyto, De Franciſco
Galliæ Rege à Cæſare
capto S. D.

INcredibiles animi mei erga majeſtatem tuam Epiſt. 3.
& obſervantia & amor efficiunt, ut quem-
B admodum feliciſſima tibi opto omnia, ſic eve-
nire vehementer gaudeam. Opinione verò meâ,
de virtute ac prudentia tua, jam olim adducor,
ut occaſionem tibi aliquam, & quaſi materiam
ſuppeditari cupiam, quâ ingentem iſtam animi
ac probitatis tuæ lucem proferas, tum ad glo-
riam tuam, tum ad cæterorum Principum ex-
emplum. Præſentis verò temporis occaſio com-
potem me voti mei videtur effeciſſe. Cepit *Ca-
rolus* Cæſar *Franciſcum Galliæ* Regem, venis tu
C quoque in aliquam ejus gloriæ ſocietatem. Nunc
ſpero annixuros vos, atque eam navaturos ope-
ram, ut intelligant omnes non præſentes modò,
ſed etiam poſteri, ad quos tantæ rei fama di-
manabit, non tam vos iſtum in veſtra habuiſſe
poteſtate, quàm vos ipſos; nec in jus ac ditio-
nem conceſſiſſe temeritatis fortunæ, quin vos
potiùs in illam dominatos: nec his tam pro-
ſperis rebus factos inſolentiores; ſed meminiſſe
inconſtantiæ rerum ſecundarum, varietatiſque
D caſuum humanorum, ac reputâſſe cum animis
veſtris, quod illi accidit, potuiſſe cuique ve-
ſtrûm, quod prohibeat Deus, accidere. Quip-
pe omnia omnibus ſunt communia: nec hu-
manæ ſorti exemptus quiſquam eſt. Quocirca
& bona ſpes eſt, vos moderatè victoriâ uſuros,
nec ſævituros in gentem innoxiam, & præſidio
deſtitutam; neu florentiſſimum *Chriſtiani* or-
bis regnum vaſtaturos, & tanquam univerſæ
Europæ alterum eruturos oculum. Quid enim
E populus commeruit, ſi Regi viſum eſt bellum
ſuſcipere? etiam conſiliariorum omnium, ut
ferunt, adverſâ voluntate. Equidem quan-
tum ad utilitatem veſtram, veſtrorúmque po-
pulorum attinet, non tanti facio captum eſſe
Regem, quòd bellum erit deinceps aut nullum,
aut certè facilius; ac proinde brevius; quanti
exemplum documentúmque æſtimo, quod vos
hinc pro acumine veſtrorum judiciorum, próque
rerum uſu ac prudentiâ ſumetis. Principio,
F nè ulli fidatis ſucceſſui; tum nè adeo facilè ſu-
ſcipiatis bella. Conſideretis varios belli caſus
& *Martem* incertum; ut victi, fugati, incluſi,
obſeſſi, victorem ſuperârint, obſeſſorem cepe-
rint; poſtremò quantum regno univerſo, tot
gentibus ac populis, noceat hominis unius vel
ambitio cæca, vel audacia inconſulta. Nam
quis poſſit dicere, primùm quantus mœror ad
primam auditionem capti Regis cunctam *Gal-
liam* invaſerit? ſilentium ubique, ſolitudo, vaſti-
G tas; hinc quæ animorum conſternationes, qui
terrores ſubiti, diurni, nocturni? quæ ſuſpiciones
periculorum omnium? ut nulla ſit aura, quæ non
eis videatur eſſe armatorum hoſtium irruentium
fremitus. Jam quæ cogitationes, & quàm anxii
animi in eventum belli hujus? Quid fiet *Gal-
liæ*? nihil eis venit in mentem præter everſiones,
populationes, fugam, cædem, ſtragem, in-
cendia, interitum, & ruinam omnium; omnia
atrocia

atrocia atque infanda; videlicet, quia manſuetudinem veſtram ignorant: & metuunt nè tantum ſuadeat libido, quantum permiſerit fortuna; quum contrà nihil dubitem, quin hoc vobis lubebit moderatiùs, quo immoderatiùs licebit. Sed in tantis *Galliæ* malis nemo eſt adeò vel animo ferus, vel illorum voluntate hoſtis, qui non eorum vicem miſereatur: vel quia ſunt *Chriſtiani*, vel homines, vel quod idem cuivis alii potuiſſet accidere. O quæ materia benefaciendi, & cujus tum ad Deum meriti, tum ad homines gloriæ? Si tu & *Carolus Cæſar* legatos illuc primo quoque tempore mitteretis, qui illos veſtris conſolarentur verbis, bonáque ſpe, ac recreatiore eſſe animo juberent, vos non cum gente de vita certare, ſed de ditione ac finibus, quos malitis ipſi jure & amicorum diſceptatione recuperare, quàm vi & mutuis cladibus, nullas cædes, nullas populationes paſſuros vos in *Gallia* à veſtris militibus fieri: nec ſecus vos illos curaturos, quàm ſi uterque veſtrûm in *Franciſci* locum ſucceſſiſſet, in quem locum charitate ac benevolentiâ juxta leges omnes humanas divináſque oportet vos ſuccedere, ut eos ceu orphanos tueamini, quibus patrem ademiſtis. Sic apud *Romanos*, gentem imperandi callentiſſimam, ii duces, qui nationem aliquam aut populum imperio ſubegiſſent, in clientelam illum ſuam ac patrocinium recipiebant, nec alios vel benevolos æquè, vel beneficos populos ille experiebatur, quàm cum quo Imperatore arma contuliſſet. Itaque amiſiſſe *Gallos* Regem unum, reperiſſe defenſores ac patronos duos: nec poſtea Regem defuturum, & in hanc ſententiam alia, quæ vos tanto meliùs me excogitare poteritis, atque explicare: quanto & judiciorum acrimoniâ & prudentiâ plus valetis, polletíſque. Simul non arbitror ignorare vos, quantum id eſſet momentum ad efficienda quæ concupiſcitis: delineretis veſtrâ illâ animi moderatione ac manſuetudine populos omnes *Galliæ*, detraheretis illis cogitationem omnem reparandi belli, ac tuendi ſui, & quaſi excuteretis arma de manibus. Nam ſæpenumero ex deſperatione rerum in magna & fortiſſima facinora venitur: eodémque ſunt loco, magnus animus, & perditus. Quid quod confirmaretis potentiam veſtram: quæſita vobis per clementiam illam moderationémque ingenti veſtrorum ſubditorum & obſequioſiſſimâ benevolentiâ, quâ nulla ſunt validiora Principi munimenta. Nec ulla eſſet natio, quæ non vos ſibi Reges exoptaret, tanquam numina cœlitùs demiſſa. Nam quid magis eſt divinæ naturæ, quàm benefacere, prodeſſe, juvare, ſervare quàm plurimos? Præter hæc omnia, ſatisfaceretis *Chriſto*, cujus reſpectus hoc debet ob oculos veſtros crebrior obverſari, quòd ad tribunal ejus brevi (quid enim longum eſt in hominum vita?) ſiſtendi eſtis, depoſito omni fortunæ veſtræ ſtrepitu, nihil à quovis privatorum diſcreti ac differentes; ubi tantum vobis prodeſſe poterit vita piè ac innocenter tranſacta. Non addam plura, nè præcipere videar prudentiæ vel tuæ, vel tuorum conſultorum: & in primis D. Cardinalis, viri in gerendis publicis negotiis exercitatiſſimi. Hæc ſcripſi *Oxoniæ* in literato ocio, à regia & negotiis procul. Ridebis forſan ſententiam hanc meam, ſeu quòd verè intelliges eſſe ejus, qui de alienis, nec ſatis perſpectis atque exploratis cenſet rebus: ſeu quòd id admoneam, quod tibi tanto antea præclariùs venit in mentem. Utinam ſupervacaneus ſim monitor, & currentem (quod dicitur) exhorter. Ego verò facere aliter nequivi, quin hæc ad te ſcriberem, adductus cum amore maximo in te meo, tum publicâ quiete, & *Chriſtianorum* pace, cui ſemper & favi unicè: & niſi mens hæc, quod nolit *Chriſtus*, mutetur, favebo. Si quid erratum eſt, ſpecioſâ erroris cauſâ veniam meretur. Impartiat tibi D. *Jeſus*, lenem illum ſuum & mitem ſpiritum, quo ſervandis juvandíſque hominibus maximam ac ſolidiſſimam gloriam, opéſque ampliſſimas ſitas eſſe arbitreris. *Oxoniæ* tuæ, duodecimo die Martii. Anno à *Chriſto* nato, M. D. X X V.

De pace inter Cæſ. & Franciſcum Galliarum Regem: Déque optimo regni ſtatu.

Joannes Lodovicus Vives Henrico VIII. Regi Angliæ inclyto, S. D.

QUantum & majeſtatem tuam, & reliquos omnes Principes, quibus cum fuit mihi uſus aliquis, hortatus ſum ſemper ad pacem: tantum hoc tempore pacis audito nomine ſum lætatus, tum publici commodi gratiâ, tum etiam Principum ipſorum quibus ego & multis nominibus optimè cupio: & illo potiſſimùm, quòd publica ſalus cum ipſorum ſalute, ac ſanâ mente conjuncta & complicata eſt, ut divelli non queant. Eſt enim Princeps in republica, quod animus in corpore: & imago quædam autoris illius rerum naturæ. Videre eſt, quàm turbatum atque affectum ſit corpus, animo affecto. Hoc incitato, quæ faces micant in oculis flammarum? quanta oris diſtortio? & atrox agitatio corporis totius? Eodem languente, & demiſſo, univerſum corpus ad eundem continuo habitum componitur. Sic Princeps affectus ſuos omnes in civitatem transfundit: & ad ejus exemplum tota ſeſe comparat multitudo. Quocirca illud eſt optimo Principi curandum, & in quem tantum nomen meritò competat, ut talem ipſe ſe & publicè & privatim præbeat, quales velit ſubditos habere: poſitúmque ſeſe arbitretur in refertiſſimo theatro, ubi nullum ejus vel factum vel dictum occultum ſit. Nec tenebræ, aut ſolitudo obſtat, quo minus in vulgus dimanet, quicquid egerit; nam lux Principatûs omnia reddit conſpicua: intentáque tot in ſe unum ora fallere, ut maximè velit, non tamen poteſt. Loquax enim fama, vel abditiſſimos receſſus explorat ac patefacit. Porrò quicquid vident placere & approbari dominanti, hoc omnes ſequuntur, in hoc ſine judicio ruunt: tanquam ſatis ſit illum ſaciendum judicaſſe, penes quem ut ſummam poteſtatem, ita etiam ſummam prudentiam conſiliúmque eſſe interpretantur. Sunt qui ignorent eſſe, quæ æmulantur peſſima: ſed morum ſimilitudine placituros ſe ſperant ei, in cujus manu eſt fortuna, opes, dignitates, honores, &c. quæ mortales avidiſſimè expetunt. In hoc numero primas partes obtinent aſſentatores, graviſſima peſtis potentium: ut qui præcipuum aditum ad ſapientiam intercludant,

eludant, edoceri, reprehendi, quæ non minus neceſſaria ſunt Principi, quàm reliquis hominibus: videlicet & ipſi homini, & cui majore rerum uſu eſt opus, quàm privatis, quantò plura atque ampliora unius providentiâ & conſilio tenentur. Nullus hominum citra doctrinam atque admonitorem, ſatis inſtructus eſt ad ſapientiam: magiſtris, rerum uſu, oſtenſoribus errorum, ac emendatoribus indiget, ad rudem per ſe animum excolendum, quos omnes aſſentator abigit à Principe; tanquam non ille reliquorum mortalium more ac modo editus ſit, ſed magnus jam & abſolutus, quicquid agat. Quum contrà, cui tot deliciæ, voluptates ſummum in omnes jus addant, in omnem licentiam calcaria; huic oportet frænos injici, queis præceps & effuſus animus retineatur: alioqui ſéque ac ſua peſſum rapiet, ſi omnes cadentem impellant, nemo fulciat. Magnum regni columen ſunt amici prudentes, ac liberi, quibus moderata potentia ſuſtentatur. Réxque ſive prudentiæ verecundiâ, ſive melius ſuadentis monentíſque oratione atque autoritate, ſeſe ad ſtudia virtutis convertit. Tum populo utitur ſui ſimili, hoc eſt optimo: regnúmque quietum agit, minimè ſtudioſum rerum novarum. Nam Rege malo, mali ſunt ſubditi; inter malos verò concordia haud diuturna: cum Princeps ſuperbè imperat, ſubditi contumaciter parent. Malos regere acerbiſſimum eſt: acerbius etiam, ſi rector ipſe ſit malus: nec ulli parent libentiùs, quàm boni bono. Ergo regni vinculum majus aut firmius nullum eſt, quàm bonitas: nam imperia dura, aut immoderata citò diſſolvuntur; magíſque violenta ſunt, quàm duratura: quoniam nihil ſtabile Principem cum ſubditis conjungit: nec aliud ad disjunctionem expectatur, quàm occaſio. Nullum animal invitum retinetur perpetuò, ſi liceat effugere: nihílque magis à coacto laboratur, quàm ut citiſſimè quicquid remoratur, abrumpat. Maximum eſt animorum glutinum inter bonos; nec ſecus bonus vir bonum imperantem audit, quàm ſeipſum. Quapropter illud in primis eſt ſapienti Principi laborandum, quíſque ſempiternum imperium & ipſe dum vivet poſſidere, & hæredibus tradere per manus cupit, ut ſe ac ſuos bonos faciat: ipſéque ſit gubernandi periciſſimus; & parere modeſtè, atque obedienter ſubditos doceat. Mira dictu res, imò verò abſurda; beluarum rectores nihil potius aut prius, quàm fera ingenia manſuefaciunt, & juſſis obtemperare docent: ita demum exiſtimantes ſe illis pro arbitrio uſuros, ſine incommodo, aut periculo. Nam niſi feritatem deponant, ac domentur, rectoris magiſtrique vocem aſpernati, in illum potiſſimùm naturæ ſuæ ſævitiam convertent. Sic equi geſtandis ſeſſoribus, aut oneribus aptantur: ſic tauri jugo cervicem præbens: elephantis magnæ turres impoſitæ: leonibus quidam pro canibus uſi ſunt. Hominum rector homines rudes ac ſylveſtres adhuc, nullâ prius curâ adhibitâ, ſecurus tractat; cum moroſius aut intractabilius nullum aliud ſit animans: nec cui domando, ſi virtus abſit plures ſint artes neceſſariæ. Violentiâ ſe quidam, & terrore abundè munitos, inſtructóſque ad hoc arbitrantur; quæ ut ſervilia ſunt, non liberalia; ita populum totum in ſervilem naturam ac conditionem deformant: nihilque agunt, aut dicunt liberis dignum; & velut ne-

A quam mancipia, non aliud magis aut crebriùs meditantur, quàm fugam à Domino crudeli. Qui generoſiori ſunt pectore, occaſionem undique venantur aſſerendi ſui. Ita nullum faſtigium debiliore fundamento nititur, quàm regnum metu. Nec ullæ opes ſatis firmæ ſunt, quas multi timent. Ipſéque formidatus pejore ſit oportet conditione, quàm multitudo territa. Siquidem nemini fidere, non loco, non tempori, non hominum cui-
B quam tutò ſe credere ac committere, omnia ſuſpecta habere: hoc non regnare eſt, ſed claudi carcere. Notæ ſunt *Auguſti* & *Trajani* voces, *Nolle ſe nocentibus imperare: Imperium depoſituros, ſi reipublicæ eos eſſe Principes non expediret.* Quantam quietem in illorum animis fuiſſe convenit, qui ſe non haſtis, aut ſatellitio, ſed ſubditorum benevolentiâ tutos ſcirent? Ego verò hujuſce rei ex te ſummo conjecturam, quem magis ac ſæpiùs tuorum pietate, quàm ſatellitio ſtipatum video.
C Quàm raro tu cuſtodibus uteris? idque quum facis, magis pompâ quadam, ac more majorum, quàm quod opus eſſe credas. Sic enim illi te claudunt, ut nulli non apertus ſit aditus ad te. Nec magis vivis in aula ſatellitibus uteris, quàm pictis in aulæis. Iſtuc demum eſt liberum ac Regem eſſe: eúmque fructum percipis fiduciæ ac ſecuritatis tuæ, ut nemo tuorum ſit, qui non capiti ſuo citiùs noceri velit, quàm tuo pedi. Hæc quidem ſi probitas conglutinavit, ut ſpero, ſem-
D piterna erunt. Non eſt enim amicitiarum certius aliud, vel diuturnius glutinum, quàm virtus. Nam inter malos benevolentia tamdiu durat, quamdiu utriſque utilis eſt; fructu adempto, amicitia diſſolvitur. Inter bonos verò, ubi nullus eſt reſpectus commodorum, ipſa virtus, quæ conjunxit, conſervat: nec dirimi niſi cum ea poſſunt. Quocirca omni ſtudio Principibus laborandum atque annitendum eſt, ut ipſi boni, ſuos quoque bonos faciant. Hæc una aptiſſima eſt ars manſuefaciendi
E hominis, hæc copula, quâ fortiſſimè & rectus & rector cohærent. Quippe virtus amicitiam gignit. Amori autem nihil difficile, aut grave; ſive fortunæ, ſive liberi, ſive ſanguis & vita pro amico in diſcrimen adducenda ſint, dulcis eſt nihílque magis juvat in magna amicitia, quàm magna amoris argumenta, & quoad res patiatur, indubitata ſigna oſtendere. Qui boni non ſunt, diligere ſe ſimulant rebus proſperis, in periculo primi deſerunt. Præter hæc omnia, virtus quieta & moderata eſt,
F nec rerum novarum ſtudioſa; ita fortunæ contemptrix, ut corporis & divitiarum rationem non habeat; cuncta animo innixa ac ſuffulta. Quòd ſi *Chriſtiana* pietas accedat, hoc eſt abſolutio omnis virtutis, imò verò virtus unica in diſceſſum tota incumbens, & peregrinationem quandam hanc vitam eſſe rectiſſimè cenſens, facilè cujuſvis imperium perfert. Quantulum enim ejus intereſt, quid de fortunis aut corpore Princeps ſtatuat, modò animæ proſpectum ſit? Ecquid refert mor-
G talis? unum aut alterum annum victuri, ſub quali eos humano Principe tranſigat? cum alterum cœleſtem habeat Principem, ad quem per neglectum mundanarum rerum citiſſimè properat. At vir malis ſupervacuarum rerum vel rudis vel negligens, unicam vitæ hujus cogitationem animo volvens, facilis ac pronus eſt & Principi & rerum ſtatui mutando. Quoniam inquieta eſt mali hominis mens, nec unquam præſentibus rebus acquieſcit: novare

novare ſubinde cupit omnia, ut qui inſomnia la- A
borant, identidem ſe in lecto volutant, & locum
novum quærunt: quaſi in loco hæreat vicium, &
non in morbo. Nactus virtutem, uſque adeò eſt
eâ contentus lætúſque, ut eam rerum conditio-
nem ac ſtatum, in quo ipſi licet illam colere, &
amet, & retinere ſtudeat. Simul non ignarus
mutationem rerum, tumultum, cædei, rapinas,
cladem, aliáque immania & infanda ſecum im-
portare, vehementiſſimè tantam crudelitatem, B
exhorret. Stultus aut impius, qui mentem in
futura non mittit, rebus modò, quæ adſunt, quæ-
que videt, impellitur, quantumcunque res noven-
tur; cætera putat fore præſentibus ſimilia, & ſe
loco meliore. Simul atrox animus, aut honorum
vel pecuniæ cupidus, per cædes & mala publica
ad explendam libidinem rapitur; nec intereſſe
retur, quà ſit eundum, ſed quò. Quamobrem aut
ego vehementiſſimè fallor, aut Principibus &
magiſtratibus, quo populus dicto ſit cum magna C
reipublicæ quiete ac ſalute audientior; nihil ma-
gis expedit, quàm teneram ſtatim ætatem curare
rectis ac ſanis opinionibus imbuendam, ut ſciant
qui ſit uſus, quod præmium, qui finis uniuſcujuſque
rei; quantum & quatenus de unaquaque ſumen-
dum, quanti ea æſtimanda. Habeántque tanquam
probi aurifices, velut *Lydium* quendam lapidem,
quo precium & indicaturam ſingularum rerum,
quas vel expetimus, vel averſamur, cognoſcant;
pecuniæ, poſſeſſionem amicorum, honorum, no- D
bilitatis, dignitatis, imperii, formæ, virium, vo-
luptatis, ingenii, eruditionis, virtutis; ac religio-
nis; nè inverſis rerum æſtimationibus, maxima
negligant, minima & abjecta conſectentur: de
pecunia, de umbris & ſomniis, quæ ipſi ſibi con-
fingant, graves moveant tragœdias; pietatis, pru-
dentiæ, ac verorum bonorum vel obliti, vel ſe-
curi. Hi ſunt qui pecuniæ, aut voluptatibus, aut
ambitioni dum metuunt, patriam, bonum atque
honeſtum deſerunt; publica produnt, dum ſer- E
viunt privatis: ſtultam quandam excogitant ima-
ginem libertatis, quâ non ſiunt liberi, ſed mali.
Porrò in adultis & jam inſtitutis, cura literarum
ac religionis priora omnia & certiora reddet;
non religionis, quæ exterioribus ſignis ac cere-
moniis tota collocetur, quum inter hæc animus
ſit impurus ac impius; nec literarum, quæ ad pu-
gnam & contentiones compoſitæ, pertinaces red-
dunt homines, non prudentes: cæterùm ſtudio-
rum, queis mores componuntur, inſtituitur vita; F
& religionis, quæ animos ad cœleſtia ſublatos,
cunctos ad curam honeſtatis convertit, & ad cœ-
leſtium bonorum amorem inflammat. Religio-
ni nemo eximitur. In literis autem partim con-
cionibus adjuvabitur vulgus, partim libris patriâ
linguâ conſcriptis, de rebus legi & cognoſci di-
gnis; quibus bonæ horæ non anilibus tranſigan-
tur fabulis, nec geſtis rebus nihil ad exemplum
pertinentibus. Sed primùm omnium pecuniæ
admiratio detrahatur, compeſcatur luxus, incite- G
tur ſobrietatis ſtudium, accendatur mutua cha-
ritas, non per peccata quæſtum fieri; ſed unicam
virtutem eſſe lucrum. Denique ab eis rebus de-
terreantur homines, quarum causâ ingentia flagi-
tia deſignantur, & capitalia ſcelera. Tali populo
feliciſſimum futurum eſt regnum tuum; cujus tu
non tam eris laborioſus rector, quàm lætus ſpe-
ctator atque exhortator. Ipſi enim ſeſe regent;

A & ii erunt, quos monendos magis habeas, quàm
caſtigandos. Vides ſummam adminiſtrandi im-
perii in bonitate verti, tanquam in cardine; ut is de-
mùm habiturus ſit principatum jucundum ac ſta-
bilem, quiſquis effecerit cives probos, facillimè fa-
cturus tales exemplo ſui. Nemo fert enim exi-
gere quenquam ab aliis, quod ipſe non præſtet;
nec fruſtra dicitur, *Vitam maximè perſuadere.* At
vel rectori curæ huic, vel ſubditis virtuti vacare,
B niſi in pace non datur; bello enim univerſa, velut
tempeſtate, confunduntur. Unicum tempus con-
ſervandæ bonitatis populi, eſt pax. Nam ea qui-
bus homines meliores ſiunt, pace vigent, langue-
ſcunt bello: literæ, religio, leges, juſtitia, nego-
tiatio, quies, opificia honeſta per civitatem con-
tractio, atque occupatio omnium, & utilis.
Bello enim, velut in affecto corpore, nullum mem-
brum officio ſuo ritè defungitur. Literæ quæ ocio,
& quiete, & favore Principum, tanquam ſalubri
C quadam aluntur aurâ, neceſſe eſt turbatis omni-
bus, & Principum animis aliò avocatis ægræ ac
mœrentes conticeſcant; præſertim quum ſint
ſuapte naturâ voce gracili, in ſtrepitu armorum,
tubarum, bombardarum. Et intermiſſis com-
merciis, multíſque neceſſariò indictionibus, om-
nium benignitas coarctatur: unde ſuſtentari ſolet
ordo ſtudioſorum hominum. Ad hæc vileſcit ho-
nos ille, qui eſt velut actio, & vita quædam eo-
rum quæ inter homines exercentur, & quo artes
D florent ac adoleſcunt. Jam religio quæ poteſt
eſſe, efferatis animis tanto aliorum in alios odio?
& imbutis madefactíſque cruore ac ſævitiâ, qui-
bus humana atque divina omnia permiſcentur;
ut tam quiſque aptiſſimus bello videatur, quàm
religionis & bonæ mentis habet quàm minimum.
Jocus & ludus ſunt in militia, domos diripere, fana
ſpoliare, virgines rapere, ſolidas urbes atque oppi-
da incendere; magna dementia, propterea cor-
rumpere, quod retinere non valeas. Hæc ſunt
E belli decora, profuiſſe nemini, nocuiſſe quamplu-
rimis; nullo reſpectu aut recordatione præſiden-
tis mundo Dei. Ita gerunt in pollutis corporibus
cæcos animos, ut Dei juſtitiam non videant, &
admoneri indignè ferant. Qui dicunt Deo, *Re-
cede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* At
quâ inſolentiâ, & ore quàm importuno divinas
leges negligunt, humanas aſpernantur? ut hoc
demum videatur eſſe verè ac germanè militare,
nihil arbitrari æqui ac boni propter ſe eſſe ſanci-
F tum; nullo ſe juri eſſe ſubditum: ſe in vagina
leges omnes incluſas cum ferro geſtare; quicquid
conſcelerato animo collibuerit, id ſolum eſſe jus
atque æquum: nec ſibi modò in populum tantum
licere, ſed in ipſos quoque Principes; quòd hi ſuâ
operâ & viribus Reges ſint. Quis ſervus emptus
de lapide, quod dicunt, tam obedienter domini
imperata executus eſt, quàm memoria noſtra
Reges *Francorum*, quicquid *Helvetiis* venit in
mentem? Scilicet illos unos præſidium ac ſtabi-
G limentum regni ſui ducebant eſſe: non facturi,
ſi manum ab aliis gentibus voluiſſent continere,
nec ultrò vicinas nationes bello laceſſere. Prin-
cipes etſi alia omnia in bellum invitarent, illud
unicum deberet retrahere, nè ipſis res eſſet
cum militibus, hominum genere iniquiſſimo,
atque inſolentiſſimo. Neque verò tales ſunt ſo-
lùm in alienum Principem, ſed etiam in ſuum,
cujus dignitatem, opes, præſidia omnia in ſe ſolis
collocata

collocata eſſe putant, & poſſe quocunque velint A ſecum transferre; quæ porrò in pace nè cogitant quidem, quoniam populus adeſt, proceres quieſcunt, propinquæ nationes & Reges pacati ſunt: ipſi milites ad togam, & paganum cultum atque habitum redacti, neceſſariis ad vitam operibus deſtinentur, magíſque illis ad meliorem mentem vacat. Quod ſi peſtis hæc celſitudinem quoque principatùs pertingit, & infeſtat, reputare convenit, multò acerbiùs humiliora premi ac dive- B xari: quippe populus non tantum premitur ab iis qui militiæ ſacramento ſunt rogati, ſed ab iis etiam omnibus qui ſe illis adjungunt, vel adjunctos ſimulant, ut per militarem licentiam impunè poſſint malefacere, intentis iis penes quos ſumma eſt poteſtas in cogitationem bellorum; nec in eos audent animadvertere qui ſe quoquo modo milites profitentur, nè ſeditionem incommodiſſimo tempore moveant. Poſtremò multitudo gravata indictionibus & tributis, excluſis per bellum terrâ & C mari commerciis, in ſumma egeſtate ac miſeria vitam trahit, tam exhauſta & perdita, ut quiete ac pace deinceps redditâ, vires tamen longo etiam tempore recipere non valeat. Permulti ceſſante artis quæſtu, aut invalidi mendicant, aut latrocinantur validi. Præſertim ingenti licentiâ atque impunitate ſcelerum, quam belli tempore neceſſe eſt contingere, quum quiſque ita ſanctiſſimus ac honeſtiſſimus habetur, ut animus eſt ei promptiſſimus flagitiis ac facinoribus patrandis: tan- D quam in ejuſmodi dexteris poſita ſit regni ſalus, quæ maximam malam perniciem regno adferunt. Ergo boni præſentem rerum ſtatum mœſti oderunt, mali ſceleribus aſſueſcunt, ac proinde impunitatem diligunt. Jura illis, leges, judices, inviſa ſunt: & his ipſi infeſti. Quam regni faciem neceſſe eſt tum eſſe? terrerentur indubiè Principes, ſi eam velut in tabella depictam cernerent. At verò quantum Principis causâ bello turbato ſunt omnia, tantum in pace ea, quæ nobis chariſſima E eſſe par eſt, illi ſunt accepta referenda. Animus diſciplinis excolitur, religione in Deum ſe attollit, artibus ac negotiatione corpori miniſtratur victus, juſtitia publica, quies per civitatem paratur, in qua certè cuique fortunæ, grati liberi, conjunx, domus, res familiaris: quæ in bello & incerta, & plerunque etiam gravia ſunt. Hæc omnia in pace Principi debentur, tanquam legum animæ, ſponſori publicæ fidei, ſequeſtri concordiæ: unde qui hanc violant, contra pacem Do- F mini Regis dicuntur feciſſe, Tu es, per quem & in publico, & in privato, & ad menſam, & in lecto tuti ſumus: tu nobis omnibus legum nomine ſpondes; alioqui præſtaret in ſolitudine ac ſpeluncis degere, quàm inter homines, quorum rari boni ſunt: idcirco probum & quietum Principem jure hæc omnia conſequuntur: laus à literatis, qui ſuum illi ocium debent. Quo nomine clariſſimus fuit *Auguſtus Cæſar*: concelebratúsque ab omni ſcriptorum genere, quibus ille feſtâ pace G toto orbe diffusâ, altiſſima fecerat ocia; nactúsque eſt eam gloriam, quæ eſt per gentes rariſſima, conciliato ſibi tanto amore, Senatu ac populo *Romano*: ut mortuo, quum jam nulla erat adulandi neceſſitas, oſtenderint, quantopere dilexerant vivum, effuſis omnium animis in honeſtanda memoria defuncti, nullus honorum modus, nullus finis, veriſſimis omnia affectibus, ut quando præſentiâ Parentis patriæ orbabantur, recordationem retinerent ſempiternam, eámque tempus ipſum circulis ſuis novam ſubinde reduceret: tantúmque in omnium animis valuit optimi Principis memoria, ut quatuor in ejus gratiam continuos Principes orbis terrarum perpeſſus ſit, quales nemo ſervos pateretur. His accedunt opes, quibus ſi abundent ſubditi, Rex ipſe inops dici non poteſt: ut nec opulentus, ſi ipſe ſolus poſſideat. Fallitur Princeps, qui majores putat futuras ſuas divitias, ſi coacervet, quàm populi, aut firmiores. Nam & infinita adeo multos contrectare neceſſe eſt, & ea omnia parata ſunt moderato Principi, ſi uſus poſcat. Quid quod tutiùs, nempe minore cum invidia, mediocres ſuas opes quiſque cuſtodit? His accedunt vota bonorum hominum pro ſalute unius, & amor omnium effuſiſſimus in illum, per quem fortunis ſuis fruuntur. Sed hæc, atque alia, quæcunque dici poſſent, ſuperat, quòd Rex ſic adminiſtrando regno, officio ſuo ſatisfacit: quippe ſive pictorem, ſive paſtorem, ſive caligarium, ſive fabrum, aut alium quemcunque nemo non tum ridet, tum etiam odit, qui explere munus ſuſceptum non queat; adeo & in magnis & in parvis, non præſtare quod quiſque profitcatur, turpe atque inviſum habetur. Ita fit Princeps expreſſiſſimum Principis mundi ſimulachrum, qui ſalutare imperium in omnes univerſitatis partes diffundit, bonitatémque illius qui non percipit, ſuæ id modò culpæ aſſignet. Ille enim optimus, tranquillo atque æquiſſimo regimine cuncta diſponit, potentiámque nemo experitur, niſi conjunctiſſimam bonitati. Non ultro terret: nec quantum nocere poſſit, minatur, ſed quantum prodeſſe valeat, oſtendit; omnéſque beneficiorum magnitudine ad ſe invitat. Hoc Principi non licet in bello imitari, quum terror oſtendendus eſt, & quacunque poſſis hoſti nocendum, minandum quoque: & dum times, ſævire cogeris, inviſus hoſtibus, ſuſpectus ſociis, ſubditis gravis. Quapropter retinenda ante omnia eſt pax, tanquam aptiſsimum tempus, tum gubernando regno, tum etiam confirmando. Pacem nactus es primum Dei dono autore & conciliatore pacis totius ac concordiæ: hinc probitate tua & conſiliis D. Cardinalis, magni cum primis viri ac prudentiſsimi. Fortaſsis rebus turbidis non vacavit pacem cum bello conferre, occupatis univerſis ſenſibus curâ & meditatione belli, dum vel caves tibi, vel inſidiaris aliis. Nunc quietus utrumque expende: confer amorem hunc cum illo odio, hanc communionem gentium cum illa diremptione: vide, an curas & ſollicitudines belli hac ſecuritate commutares? hanc certationem officiorum, illis perpetuis inſidiis? Sumptus belli infiniti; pacis moderati, & tolerabiles: bonus in pace populus, ac proinde obediens, promptúsque; bello efferatus, improbus, omnia detrectans: artes manſuetæ pacis, & pacidiſſimo iſti tuo ingenio mirè congruæ; in bello ſanguinolenta omnia, atque inhumana, Princeps ipſe terrens ſemper, ac timens. Et fuit quidem bellum illud ſegne ac torpidum; longè alium ſenſiſſes ludum, ſi res utrinque incaluiſſet. Hæc quæ involuta, & ſumma quadam propoſui, ipſe ſi ingenio tuo acutiſsimo atque exercitatiſsimo evolveris, atque explicaveris, quod mihi in tam longa epiſtola facere non libet, ſcribenti ad te, à quo ipſe hæc poſſem longè copioſiùs ac meliùs edoceri: pro-

profectò

fectò invenies, quanto labore bellicum illud tempus fugiendum ſit, hoc verò pacatum retinendum conſertis (quod dicunt) manibus,& toto niſu:nec ſuſcipiendum bellum facilè, nec certa pax ſperatâ victoriâ. De nulla re magis aut crebriùs deliberandum eſt, quàm de bello, in quo non licet bis peccare: & ad quod Princeps deſcendere vix debet, etiam inevitabili neceſsitate preſſus, omnibus primò remediis tentatis, & fruſtra conſumptis. Nullum eſt tam felix bellum, quo non ſit potior iniqua pax, ſive curas, ſive ſumptus, ſive diſcrimina conſideres & contempleris. Itaque de jure ſuo citiùs decedat Princeps, quàm de ſumma periclitetur: & tantam fortunæ plagam levi lateris inflectione decliner. Varii ſunt belli caſus, & exiguo momento maximas res volvit; unde *Mavortem* veteres nominârunt. Bellum in cujus manu eſt ſuſcipere, non eſt deponere. Initia belli penes Principes ſunt, exitus penes fortunam, ſeu veriùs Deum, cujus voluntatem erga nos non ſine cauſâ ignoramus; videlicet neſcii quàm apud eum gratioſi ſimus. Itaque non ſecus, quàm pecunia noſtro arbitrio aleæ expoſita, illicò alieni ſit juris, incertum cui ceſſura ſit; Ita Princeps & tota ditio in ſortem eventus conjicitur moto bello. Hinc etiam dicimus, *belli aleam*, & *de ſumma rerum certari.* Quàm multos pœnituit belli vel proſperè cœpti? quàm nullum pacis, aliquo ſive incommodo, ſive etiam injuriâ redemptæ? Nec ulla reſpublica inſtabilior eſt, quàm quæ ſæpe movet arma. Quoties in extremum diſcrimen *Athenæ* venerunt? à *Perſis* exuſtæ, à *Lacedæmoniis* oppreſſæ ac ſpoliatæ mœnibus, à *Philippo* fractæ, ab altero *Philippo* afflictæ, à *Mithridate* acciſæ, à *Sylla* propemodum deletæ. Bellatrix illa *Roma* à *Tatio* capta eſt, à *Porſenna* obſeſſa, à *Gallis* incenſa, à *Pyrrho* territa, ab *Annibale* concuſſa, ſuis denique armis dilacerata. Dicet aliquis, *Armis & bello creſcunt regna:* Sed eiſdem quoque pereunt. Minus forſan eſt in pace ſplendoris & gloriæ, falſæ illius quidem; ſed & plus quietis: minus controverſiæ, ac periculi, & proinde firmitatis plurimum. *Non laboro*, inquit *Theopompus*, Rex ſapientiſſimus, *quàm amplum filiis regnum tradam; cæterùm quàm manſurum ac ſtabile.* Nihil ab aliis repetis, ſed nec abs te alii. In quorum utroque eſt periculum; ſive cum fortiore congrediaris, ſive cum debiliore: quippe nihil eſt tam infirmum, cui ſuæ ad nocendum vires deſint; deſtitutóque facultate omni juvandi ac benefaciendi, multum adhuc ad lædendum ſupereſt: tanto videlicet promptius eſt malefacere, ſeu robore ſuo, ſeu imbecillitate noſtrâ. Habes inclyte Rex, quæ mihi addictiſſimo atque amantiſſimo Majeſtatis tuæ viſum eſt hoc tempore, de bello & pace ad te ſcribere. Tu hæc animi illâ manſuetudine & lenitate accipies, quâ reliqua mea ſoles: imò verò, quâ benevolè admonentes auſcultas, quáque in re omni uteris, non *Britanniis* tantum, ſed exteris quoque nationibus cognita atque explorata. Studia profectò mea, quorum ocia tu ſolus ſecundum Deum facis, hanc ſcribendi opportunitatem non potuerunt tacitam præterire. Unum illud, priuſquam finem dicendi facio, adjiciam, quod abs te non oportet ignorari: tametſi vel audire te, vel conjecturâ conſequi non dubito. Gentes omnes, quantum famâ & hominum ſermonibus intelligimus, à te expectare, ac propè ſuo jure exigere, ut qui pacis initia & ſpem mundo

A oſtendiſti, eam tu idem abſolvas: adducto in concordiam *Carolo Cæſare*, autoritate & amicitiâ cum illo tuâ, ne flos illi pacis ſpeciem ad lætitiam quandam videatur oſtendiſſe perbrevem, ſine fructu. Utinam gaudium hoc *Chriſtiano* orbi ſolidum præſtes, ut gloria quietis *Europæ* redditæ, univerſa tibi uni debeatur: & compoſitis Principum diſcordiis, ac tumultibus ſedatis, de religione, pietate, *Chriſtianis* rebus conſulatur; quare quantum orbis

B indigeat, vides. Equidem non intelligo, quid magis defenſorem fidei deceat, aut quemadmodum poſsis tibi majore obſequio *Chriſtum* demereri. Quem precor, ut ea ſemper cogites, agáſque, quæ ſaluberrimè ac feliciſſimè tibi & regno tuo ceſſura ſint. *Brugis*, octavo Octobris, anno à *Chriſto* nato, M. D. XXV.

C

Ioannes Lodovicus Vives clariſsimo viro D. Deſiderio Eraſmo Roterod. præceptori ſuo colendiſſ. S. D.

Nunc primùm renunciat mihi *Laurentius* Decanus, *Stephanum* comitem iturum iſthuc: ſi quid vellem mandare, diſceſſurum eum hinc cras ſub ſolis ortum; itaque accipies à me, quæ in mentem nunc veniunt. Nam habebam in animo literas tibi ſcribere longi ſubſellii, ut ait ille, ſi tabellarium inveniſſem, à quo eſſem ſubmonitus tempeſtivè. *Lovanio* pridiè quàm illinc abirem, *Epiſt. 6.*

D dedi regenti *Lilii* literas ad te, μετὰ ... credo eſſe redditas. Et ſignificabam tibi, me iturum poſtridie *Antuerpiam*, ubi inveni *Ioannem* ſuum, in conventu mercatorum; quem paulò poſt requiſivi, ut ad te ſcriberem: jam nuſquam erat, miratúſque ſum nihil eum attuliſſe mihi abs te. Cúmque *Antuerpiæ* non convaleſcerem, veni *Brugas*, ratus me non manſurum hìc ſupra hebdomadas duas: jam ſextam hìc erò; uſque adeo infixus hærebat hic morbus: maxima tamen pars

E abiit; & quod reſtat, non me magnopere terret; ſed cum hìc hactenus deſedi, manebo hìc Regem, & *Morum*, ut videam quo pacto ſit mihi vivendum poſthac. Pecuniâ Reginæ me huc uſque alui, & alo. *Moro* ſcripſi me prolixè collocuturum cum eo, cum venerit; ſuſpicari poteſt quid velim, ſed non apertè quicquam, quum nollem te inconſulto; tametſi conſilium tuum propemodum novi, ut parem ocium ad vitam ſtudioſam, undecunque queam; quod, cum alia præſtitero

F omnia, non eſt in manu mea præſtare: quòd ſi in eo ſolo ſita eſt fortuna, non eſt *ſua quiſque fortunæ faber*, ut dicebat *Appius*. Habes quæ hactenus egerim, quæque ſim brevi acturus; ſcio quæ ſubeat animum tuum cogitatio. De *Auguſtino* quid? ſex libros habeo paratos, hoc eſt recognitos; nam alii permulti ſunt ſcripti; quos ſex poſſem mittere, ſi, qui exſcriberet, haberem. Cæterùm ſi non mittantur hoc Auguſto, mittentur ante hyemem, ut ſpero. Scit Deus quantum ea res me angat;

G ſed vis me ... ; malui differre *Auguſtinum*, quàm vel immori labori, vel evadere inutilem aliis laboribus oppreſſum morbis, & ſine ullo inſtrumento vitæ. Hæc enim recuperare difficilè poſſem ſemel amiſſa; illum dilatum facile erit in manus ſumere, cum volam. Rogo te etiam atque etiam, ut ſi non vel tempori, vel ſorti, vel fato imputandam hanc culpam cenſes, mihi ſaltem hanc facias hujus errati gratiam, ſiquidem per me

per me erratum πέμπω πρὸς σὲ καὶ παροιμίας ἄλλας, quæ inter legendum occurrerunt: fac ut per hunc eundem qui has ad te pertulit, reſcribas nobis, ſi modò vacat: & ſi ſcripto aut non potes, aut non vis, verbo certè effice, ut de tua valetudine ſtatúque rerum tua mortalium tum intelligam, quas ego non minus charas habeo curóque quàm meas. Vale præceptor omnium chariſſime. *Brugis* X. Julii, M. D. XXI.

Vives Eraſmo.

Epiſt. 6. EXpectatiſſimas tuas literas accepi his diebus ſuperioribus, quæ mihi quòd abs te eſſent, non potuerunt eſſe non gratiſſimæ: quod verò nec te valere, nec res tibi ex animi tui ſententia procedere ſignificarent, maximâ me dius fidiùs moleſtiâ me, ſeu mœſtitiâ potiùs affecerunt. Voluiſſem, quum hìc noviſſimè fuiſti, mecum eſſes collocutus, narrâſſem tibi quæ audivi: etſi ea ipſe nec vera eſſe puto, nec veriſimilia; ſed ut magis quorundam animos haberes exploratos, quos tibi incognitos non eſſe ſat ſcio: & quæ forſitan ſi ex me audiſſes, minus nunc rumoribus iſtis, quos in *Germania* quoque diſſipatos ſcribis, moverere. *Lutherianum* te hìc exiſtimari certum eſt; ſed ab eiſdem, quos ipſe quum adeſſes, non ignorabas, ſi quid eſſet odii & invidiæ plenum, tibi ſolitos impingere; nec faciliorem viam exiſtimant minuendæ famæ atque exiſtimationis tuæ, quàm ſi te cum *Luthero* conjungant. Qui hæc conantur, non ſunt illi quidem multi, ſed aſſiduò clamant, & inculcant, nihílque omittunt quod ad hoc perſuadendum putent facere; & maximè vellent perſuaſum Cæſari ac Principibus, tametſi hoc quantum intelligo, non apertè agant, neque directè, ſed obliquè, & per occaſionem: in aula ſunt theologi aliquot *Pariſienſes*; hi quod in te probant ſolum eſt, quod de *Luthero* ſemper te pronunciâſſe dicunt ambiguè: ſed iſti facilè te ferunt, modò *Lutherus* opprimatur. Eſt *Auguſtinianus* quidam tractus per hoſce dies ex *Antuerpia Bruxellam* in jus; eò convolârunt ὁ χωλὸς καὶ ὁ κύμβαλος iſtos audio criminosè quibuſdam convitiis locutos eſſe de te; quod jam faciebant, antequam *Lutherus* naſceretur; nunquam ſic *Oreſtes* inſanivit aut *Hercules*, ut iſti duo, ſed incredibiliter ſaxicida: cujus omnia, ſive loquatur quid, ſive agat, mera ſunt ſaxa; homo dignior tragœdiâ, quàm illi veteres. ὁ ἄγγελος ῥωμαῖος, homo aperto pectore neque ſua, neque aliena celat; quæritur, affectum ſe multis injuriis abs te, ſed non potuiſſe tamen veterem amorem; dixítque ducem *Alba* tibi eſſe infenſum, quòd in *Hiſpaniam* ſcripſeris ad *Barbyrium*, *Hiſpanos Luthero* favere, ut eredantur *Chriſtiani*: quod credibile non eſt, nam non puto te id ſcripſiſſe; & quanvis per jocum ſcripſeris, quis ea potuit ad illum perferre? deinde ipſe collocutus ſum cum ejus filio, qui narrabat patrem incidiſſe nonnunquam in ſermonem de te, nullam tamen ejus dicti feciſſe mentiônem; quo tamen eſſet animo, non potuiſſe cognoſcere; nam ipſe in neutram partem ulla prodebat ſigna: & eſt hic ſodalis κῆρυξ, non taciturus, ſi quid compeririſſet: nam neque tacuit hæc duo: prius, dixiſſe te *Antuerpiæ* bibliopolæ, ut venderet libros *Lutheri*, nihil veritus diploma; alterum, *Lutherum* quum ne recantaret, incitaretur, reſpondiſſe non id eſſe ſibi

A integrum inconſultis iis quibus authoribus & impulſoribus negotium hoc ſuſcepiſſet; ſuſpicari ſe te eſſe inter reliquos, & de primis unum nominatum; hic eſt omnis fons rumoris in *Germania* ſparſi, quem tu etiam quum adeſſes, ferè totum videras: nam qui de te ſic ſentiebant, antè tanquam de *Chriſtiano*, aliis nominibus non addicto, in eadem adhuc ſunt ſententia; ac planè fama vires acquirit eundo; nebula hæc eſt, quam ipſe
B procul ſpectans ingentem: putas aliter dicturus, ſi propiùs admotam cerneres, & tangeres; nec mirum, homines de rebus quæ procul aguntur, ſic mentiri, quum hìc quotidie narrentur nobis *Bruxellæ* & *Mechliniæ* agi, quæ nè ſunt quidem unquam cogitata. Itaque commoveri te hiſce vocibus nihil oportet: qui hic te *Lutherianum* vocant, & qui in *Germania* minimè *Lutherianum*, utrique iidem ſunt, & eandem rem agunt; ſed pro qualitate & theatri & ſpectatorum mutant perſonam,
C in invidiam tamen conantur trahere, & munitum omni aliâ parte hac tentant invadere. Aulicis tuis amicis vellem ſcriberes, qualis tibi calumnia per ſceleſte inimicos homines intentetur, ut ad *Delonum*: & ſi tibi quicquam eſt amicitiæ cum Cæſareo confeſſore, cui fides in aula non minor quàm *Chriſto*: & ipſe eò ibo poſt ſolutum *Auguſtinum*, ubi calore meo non parum hujus nebulæ diſſolvam; nam neque me infimum omnium cenſet, & ago ut ſim de familia *Fernandi*: ſed hoc *Harpo-*
D *crati*, nè ſi emanârit, impediri poſſit; ἀγγελῶ ſi commodè poſſes per occaſionem honorificè nominare, redderes ἴσον αὐτ· nam queſtus eſt mihi, te non retuliſſe gratiam περὶ τοῦ ζῇ in *Stunicam*: intelligis puto: vide quibus moveatur, aut potiùs quid de te ſentiat, quum tantopere cupit laudari abs te; iſti verò alii mordent acriùs morituri, ut quædam beſtiæ; nam hanc juventutem conſtat eos non habituros: quæ tota eſt tua, hoc eſt bonorum ſtudiorum, & *Chriſti*: ſaxicidam collegæ
E oderunt, & ferunt, tantos ſpiritus ſumpſit ingreſſu hujus domus *Cameracenſis*, & arbitrantur eum plurimum poſſe, quod puerum ſectetur. O homines umbris exterritos! quaſi vel quem ſequitur, aliquid poſſit; vel ille quantum dominus poteſt, poſſit. Decretum animi tui eſt, quale ſemper fuit, *Chriſtianum*: & indubiè paratum eſt tibi à *Chriſto*, ingens illius & copioſum præmium, quandoquidem tam mala tibi ab hominibus refertur gratia: tamen etſi quantum ad hos ſpectat,
F prout fuerit tui ſtudioſus vel ſecus novus Pontifex, leniet, aut aſperiores reddet horum voces; ſed quæſo te, vis tu communem bonorum hominum ſortem recuſare? per *Chriſtum* rogo te etiam atque etiam, mi *Eraſme*, nè te angas animo, nè præcipites ſenectutem tuam, demiſſis in imum pectus iſtis rumuſculis: nam cui & *Chriſtus* ipſe, & boni omnes & innocentia conſcientiæ tantopere favent, non eſt à malis nocere facile: tibi enim quum culpâ vacaveris, quæ eſt una bono viro in vita præ-
G ſtanda, quem tibi exitum ſtatuat Deus, curandum non eſt: ſed ego hæccine tibi? *Varanum*, & *Thaleum*, & *Mauritium* habeo auditores, & charos, ſed commendatione tuâ priores illi erunt chariores, & hic poſtremus: ſi modò charior poteſt eſſe. De *Auguſtino* abſolvi tredecim libros, ſeptem ſunt recogniti & tranſcripti: ſex alii premuntur aliquandiu; interim aliquid accreſcit, juveniliter ſtatui mihi tam brevem diem, non expenſo nego-

tio

tio tam longo, & vario, & recondito, uſque adeo A
multis hiſtoricis rebus, fabularibus, naturalibus,
moralibus, theologicis referto, quæ tu non igno-
ras; explicarem rationem totam laboris mei, niſi
ad te ſcriberem: Pero à te nè ægrè feras paulò
ſeriùs expectatione tuâ mitti, modò omnino *Au-
guſtino* indignum opus exeat: verberâſti animum
meum illo tuo verbo, *Non ero tibi toties flagitando
moleſtus.* Videris enim nolle me poſthac admo-
nere utilitatis meorum ſtudiorum; incitatio enim B
iſta tua, & etiam ut tu voces, efflagitatio, quid
aliud eſt quàm calcar, quod me alioqui ceſſantem,
ad egregia opera ſtimulat? & efflagitationem
hanc nominas? quid ergo præceptoris vocabis mo-
nita? vis eſſe tam in amicos & diſcipulos civilis,
ut mœrore eos afficias, quum vident ſecum velut
cum leviter notis, aut tibi paribus agere: nondum
& agendo & dicendo potuit tibi *Vives* perſuade-
re, te nihil poſſe facere ſibi moleſtum, niſi quum,
nè ſis moleſtus, times. Tale eſt illud in ſuperſcri- C
ptione, *Amico meo obſervando; nec obſervando, ſed
etiam, ſi diis placet, in primis obſervando.* Si poſthac
ad hunc modum permiſeris iſtum ſive *Joannem*,
ſive *Livinum* ſcribere, rejiciam literas. Cui ob-
ſervandus ego ſum, is non eſt *Eraſmus*: per omnia
jura amicitiæ, & univerſa tua in me beneficia, &
ſi qua ſunt mea in te officia, te precor, ut me uta-
ris familiarius. Gaudeo te ſic eſſe in *Germania* ex-
ceptum; quanquam mihi nihil novi id fuit. Gau-
deo quoque habere te iſtic *Volcum*, cujus ut puto, D
extat carmen de te genethliacon feliciſſimum meâ
ſententiâ: ſaluta eum nobis, ſi ita tibi videtur; &
Buſchium, ſimul & *Rhenanum*, ſi iſtic adeſt. *Mau-
ritius* ſalutem tibi plurimam; ſalvebis & à *Joanne
Clemente*, qui non ibit in *Italiam* ante proximum
ver: is dicit multum doluiſſe, quòd ſe inſcio pro-
fectus ſis *Baſileam*; nam ſi reſciſſet, comitatus eſſet
te, & manſiſſet iſtic hyemem totam. Agebam
de conducendo aliquo, quum commodè me *Fran-
ciſcus* bibliopola ſubmonuit, miſſurum ſe quàm E
primùm iſtuc ad te neſcio quos libros: ſi quid vel-
lem perferri, adjuncturum ſe reliquæ ſarcinæ;
itaque juſſum eſt illi committere ſeptem libros
recognitos jam à me: incipiat excudere *Froben-
ius*, ſi ſic tibi videtur, decem alios uſque ad deci-
mum quintum, mittam haud dubiè ante Quadra-
geſimam. Reliquum per *Franciſcum* ipſum, quum
ibit ad mercatum *Francfordienſem*. Ex iſtis ſeptem
poteris cognoſcere, ſi quid modò vacat legere a-
lienum, quam rationem commentariorum ſum F
ſecutus; etiamſi reliqui præter octavum, nonum,
decimum, & decimum octavum minus habent &
operis & operæ; quoniam non ita ſunt varii; &
magna pars eorum quæ in illis tractat, paſſim eſt
cuivis obvia. Cura rogo te, ut excudantur aliquot
centena exemplarium iſtius operis à reliquò *Au-
guſtini* corpore ſeparata: nam multi erunt ſtudioſi
homines, qui *Auguſtinum* totum emere vel no-
lent, vel non poterunt, quia non egebunt, ſeu quia
tantum pecuniæ non habebunt. Scis enim feret G
deditis ſtudiis iſtis elegantioribus præter hoc *Au-
guſtini* opus nullum fere aliud legi ejuſdem auto-
ris. Vale iterum atque iterum, mi optime præ-
ceptor. *Lovanii* XIX. Januarii, Anno à *Chriſto*
nato, M. D. XXII.

Vives Eraſmo.

EPiſtolam tuam accepi *Baſilea* ſcriptam pridie *Epiſt. 7.*
Nonas Februarias: & accepi non reſignatam
prorſus, ſed ſigno ita luxato & obſcurato, ut facile
eſſet deprehendere, fuiſſe apertam in via. De
Civitate Auguſtini gaudeo ſeorſim edi, & habeo
tibi ingentem gratiam, qui hoc curaris: ſed velim
etiam, & cum reliquis *Auguſtini* operibus
excudatur, nè deſit hoc membrum corpori
ſuo; quod credo *Frobenium* facturum, ut &
ſeparatim aliquot, & conjunctim aliquot impri-
mat. Voluiſſem lectis nonnullis paginis in iis li-
bris quos miſi, judicium ad me ſententiámque
tuam perſcripſiſſes, ut ſciſſem quid vitandum
mihi, quid ſequendum, quid tenendum eſſet; ego
enim in hoc opere brevitate quantum potui, ſtu-
dui placere: incurrerunt quidam loci in quibus id
præſtari non potuit, ut quum erant res non admo-
dum Theologis noſtris cognitæ: ſicut hiſtoriæ,
fabulæ, Philoſophica, præcipuè *Platonica*. Ideo
in octavo & decimo libris longiór fui forſan quàm
oportebat; tum ut recondita illis aperirem & pro-
ferrem, tum ut *Platonica* prorſus non ignorarent,
viderént que hæc nihil *Ariſtotelicis* cedere, & in-
ciperent alios quoque magnos authores velle co-
gnoſcere: nec tamen omnia conjeci quæ potu-
iſſem; multo plura prætermiſi quàm attuli: in aliis
libris facilè inſtitutam ſervavi brevitatem, quo-
niam hiſtoriæ ex ſacris libris petitæ notiores
ſunt, etiam vulgò, quàm ut debeant fuſiùs expli-
cari; & theologica argumenta non ſum multis
executus, attigiſſe contentus, alioqui nullus fuiſſet
modus: nec gloriæ tam ſervivi, quàm forſan pu-
tas; etſi nonnihil quoque eſt ei datum: ſed neque
tempus, neque operis ratio magnopere me de glo-
ria ſiverunt cogitare; plus enim voluiſſem tem-
poris ad opus quod totum auræ tribueretur & no-
mini. Deinde neſcio quo pacto commentarii
niſi ſint in ſacras literas, non habent genium il-
lum, qui magnum excitare nomen poſſit: opus
ingentis gloriæ totum futurum eſt authoris ipſius,
non debet in alium ſcribi. Verùm ita eſt à nobis
quantum licuit, elaboratum, ut non diffidam fore
quin Lector me & tibi, quo authore opus ſuſcepi,
& *Auguſtino*, & gloriæ ſervire voluiſſe cognoſcat;
quæ jocatus ſum in interpretem non omiſi, &
alioqui in præfatione, etiamſi non monuiſſes, erat
animus oſtendere, cujuſmodi homines in *Augu-
ſtinum* ſcripſiſſent, ídque faciam & propinabo il-
los Lectori belliſſimè ridendos; tum in opere
ipſo interſpergo velut floſculos ex eorum com-
mentariis, & *Paſſavantii* additionibus, quorum Le-
ctor ſuavi odore reficiatur, minúſque ſentiat
vix moleſtiam. Ex iis quæ nunc mitto, cognoſces
quam ego illorum invidiam metuam: vitam *Au-
guſtini* mallem ipſe adderes; nam ego non confido
meo judicio eam collecturum, quo tu ſoles omnia;
& injuriam fecero ſancto, ſi quid tu de illo eſſes
ſcripturus, ipſe ſcriberem; ineptiiſque meis in
cauſa forem, quo minus vita illius, eloquentiâ tuâ
illuſtrata veniret ad poſteros: ego verò te potiùs
rogo atque hortor ut eam ſcribas. Mitto hic de-
cem libros ab octavo ad decimum ſeptimum; re-
liquos quinque ſub Paſcha, aut paulò pòſt miſſu-
rus: confecti ſunt maxima ex parte, nunc reco-
gnoſco; & in chartam mundiorem deſcribendos
ſtatim

ſtatim curabo: autographum ſervabitur apud me in ſanctuariis; neque enim neſcio quàm à me damnosè peccaretur *Frobenio*, ſi cui facerem copiam; ſed velim quoque ut is viciſſim neminem admittat ad lectionem eorum quæ excuderet, prius quam abſolverit totum opus, nec id dico ſine magna cauſa. Video te ſemper omnia vitæ tuæ præſidia in innocentia ponere; quâ unâ fretus magnus ille orator, & in reipublicæ procellas tempeſtatéſque ingreſſus, facilè ſe ſimultates omnes contemnere profitebatur: & profectò fieri aliter nequit, quo minus Deus tibi bene velit, ut qui cogitas non eſſe hanc ævi noſtri brevitatem dignam ut ob eam tuendam tumultus & tragœdias excitemus. De *Aleandro* non dubito ita eſſe ut ſcribis; tametſi ipſe cum *Leodio* rediret *Bruxellam*, jurârit mihi, ſe dignitatem tuam apud magnates omnes ſemper eſſe tutatum: nunc ad *Hiſpaniam* cucurrit ad novum Pontificem, de quo omnes optima & maxima ſperant, atque ominantur; faxit *Chriſtus*, ut is creatus ſit in remedium tantorum malorum eccleſiæ ſuæ. Quod iſtic metuunt tibi amici nè aliqui ſtringant in te ſtyli aciem, hoc, ut *Cicero* reſpondit, beneficium eſt. Quid enim amplius & copioſius, quàm *Eraſmo*, & pro *Eraſmo* dicere? O quàm facilis, & quàm non vera modò, ſed etiam veriſimilis eſt defenſio innocentiæ! tu quam vitam conſcientiæ tuæ maximo rerum omnium teſti approbas, diffides te aliis approbaturum vel inimico Judici, ut ille *Scipio*. De monacho nigro doleo te tam ſerò in ſententiam meam veniſſe: illud veriſſimum eſt, vitandum amicum qui obeſſe poteſt, prodeſſe non poteſt. *Stunicam* longas in te parari & atroces invectivas narravit mihi *Vergara*, recitavítque illius epiſtolam miſſam ad ſe *Româ*, quâ id ſe facturum minatur; epiſtola eſt *Hiſpanè* ſcripta quâ reſpondet literis *Vergara Latinis*. Nam id miratur *Vergara* illum vulgari ſermone reſcribere *Latino* talem epiſtolam: nec *Thraſo*, nec *Pyrgopolynices* ſcripſiſſent nondum cum aliquo *Hiſpano*. De *Stunica* ſum collocutus, quin odiſſe ſe illius mores dicat, arrogantiam, jactantiam, maledicentiam, invidentiam ſuprà quam explicari poſſit & credi. Scripſit etiam virulentiſſimum librum in *Fabrum*; is liber animos multorum irritavit, alienavítque ab eo amicos pleroſque: quin & aiunt illum non poſſe pati aliquos eſſe inter ſe amico animo; laborare ſemper & anniti, ut eos non tantum disjungant, ſed etiam committat: hoc dixerunt mihi, quos ipſe ex conjunctiſſimis infeſtiſſimos inimicos reddiderat. *Megeram* dicas, non hominem; ab hujuſmodi moribus prædito magna laus eſt vituperari, cui placere nemo poſſit, ſine ſuſpicione ſimilitudinis morum: mihi unicus ille verſiculus venit in mentem, quo te cohorter;

Tu nè cede malis, ſed contrà audentior ito.

Forſan longè aliter dicerem, ſi iſtic eſſem, ſed tamen non ſuademus, quod nos faceremus in ſimili rerum ſtatu collocati, ſed quid faciendum eſſet: peracta tibi eſt majore ex parte vitæ fabula; quod ſupereſt, plauſui da totum, non ſpectantium modò & præſentium, ſed *Chriſti*, cui tot labores ſunt tibi deſudati, ſed conſcientiæ tuæ: & ſi quid ſpectantibus quoque tribuis, poſterorum potiùs, quàm præſentium. Illi enim ſublatâ invidiâ, certíſque affectibus purum te verúmque *Eraſmum* conſiderabunt, reddéntque meritas tibi laudes, tanto copioſiùs quanto iniquiores tibi tui ſeculi homines fuerunt, virtúsque tua minus eſt ab iis cognita, inter quos verſabatur, quod *Socrati* videmus contigiſſe: rogo te etiam atque etiam, nè te affictes; cogitéſque, ſi te unum ſpectes gloriámque tuam, te ſatis vixiſſe, & intereſſe jam tuæ poſteritati: arguere enim ex nonnullorum bonorum judiciis potes, qualis de te apud naſcituros populos futurus eſt ſermo: quòd ſi reputes, pro lucro deputabis id quod poſthac vives, vivéſque ſecurus & lætus; atque id demum erit vivere ſine anxietate, ſine ſolicitudine; faciétque te ætas tua multis canis munita multorum latrantium contemptorem; & ipſe velut fatis exemptus, & in excelſo quodam exiſtimationis bonorum hominum poſitus loco, infra te videbis omnia. Sed ego jam incipio oblviſci ad quem ſcribo. Credo te accepturum à *Moro* literas per *Clementem*, qui his proximis diebus profectus eſt in *Italiam*, tranſiturus *Baſileam*; ut dicebat, poſtremis ad me literis. *Morus* nihil de morbo ſuo ſcribit, credo revaluiſſe. Nam prioribus jam ſe convaleſcere ſignificabat. Initio Quadrageſimæ veni *Brugas*, quòd Quadrageſima *Lovanienſis* incommoda mihi eſt ſemper in oppido tam mediterraneo, ubi piſces nec edimus niſi jam putres, & non ad ſtomachum meum paratos: paucis àntequam venirem diebus obierat nobis *Petrus Laurinus*, quod dolui haud ſanè mediocriter. Decanus te ſalutat, qui ſuperiore hebdomade profectus eſt *Bruxellam*: narravítque mihi ſalutari te ab Abbat. S. *Bavonis Gandenſis*, qui hiſce Calendis Januariis paravit tibi in adventum tuum ſtrenas aureas, neſcio quid rerum, pecuniam credo. De *Ferdinando* nihil adhuc procedit, & ut lentè ac frigidè id ambio, neſcio an procedet, Dux *Alba* offerebat non contemnendam prorſus conditionem, ſi per fratres reſcire licuiſſet: cupiebat enim ille impensè nepotes illos ſuos, quos habet in *Hiſpania* ex primogenito filio à me erudiri: cúmque ageret de mittendo ad me cubiculario quodam ſuo, qui rem mecum tranſigeret, offerrétque ducentos aureos ducatos annuos mercedis nomine, intervenit Frater quidam *Dominicanus*, rogátque Ducem ecquid *Lovanium* mandet? ſe poſtridie iturum eò. Nihil, inquit Dux, opportunius; quæſo te loquere cum *Vive*, & ex eo cognoſce, an vellet hac mercede inſtituere nepotes meos; & ſimul nobilis quidam *Bertrandus*, is qui te *Andrelaci* inviſit, dat ei literas ad me, quibus certior de toto negotio fiebam: venit frater *Lovanium*, colloquitur mecum plus decies, nec de Duce verbum ullum, nec literas *Bertrandi* reddit. Dux ubi me videt cunctari, aut admonitus forſan à fratre me recuſare, præficit jam hinc pueris *Severum* monachum: ignarus ego harum rerum omnium, venio *Bruxellam*, ibi expoſtulat *Bertrandus*, quod epiſtolæ ſuæ nihil reſponderim: cui malum, inquam, epiſtolæ? Seriò inquit, cui epiſtolæ? Seriò, inquam: tunc narrat, multis præſentibus, rem ordine, quorum plerique affirmabant ſe interfuiſſe, cum Dux illa mandaret fratri, ſe dolere impendio, quòd conditionem ſim aſpernatus: fuiſſe futurum ut nuſquam magis ex animi mihi mei ſententia vixiſſem, quàm ſecum, hoc eſt cum hominibus mei amantiſſimis, jam integrum non eſſe mutari: quod inter Ducem & *Severum* conveniſſet. Bona, inquam, verba: ego ſcilicet aliquid aſpernarer, quod mihi à Duce offerretur? cum

ſemper

ſemper avidiſſimè quæſierim occaſionem aliquam oſtendendi, quàm eſſem animo in Ducis obſequium propenſiſſimo. Agere me illis gratias de ejuſmodi in me animis, & non tam ægrè ferre interceptam eam conditionem, quàm animum ſceleratum fratris: & hæc patimur à fratribus, quid facturi ab alienis? jam non contenti eruditionem impetere, etiam in fortunas noſtras invadunt. Deus ipſe vindex erit. Vale etiam atque etiam, mi præceptor. *Brugis*, Cal. Aprilis. M.D. XXII.

Vives Eraſmo.

Epiſt. 8. Literas tuas quas ſcripſiſti XIII. Cal. Aprilis, accepi Non. Maiis, neſcio quemadmodum tam lentè perlatas. Cancellario reddidi quas ad eum ſcripſiſti; qui ubi legiſſet ſuperſcriptionem inter reſignandas eas revidens, ad nos converſus (aderat enim *Narciſus* medicus) erravit inquit *D. Eraſmus* in nomine; nam ſcripſeras prius *Gulielmum*; deinde hoc deleto, ſuperſcripſeras *Mercurinum*: ſed haud dubiè mihi ſubriſus ille non tam ex ea cauſa videbatur oriri, quam ipſe prætendebat, quàm gaudio tuarum ad ſe literarum: tum legit duplicem, ut mihi quidem videbatur, epiſtolam; alteram non ſcriptam manu tuâ, nec literâ *Italicâ*, eámque legit priorem: Dehinc quam vel tu, vel aliquis tuorum ſcripſit; & legit attentè, nec perfunctoriè; tum quæſivit ex me, an quid aliud ad ſe ſcripſiſſes? negavi aliud me ad eum habere: atqui inquit, *hæ literæ* aliquid videntur aliud ſignificare: reſpondi, me id neſcire: loquitur hic, inquit, de via quadam, nec explicat quæ ſis; quæſivit *Narciſus*, quomodo valeres: reſpondit ille, te calculo affectum ſcribere; tum ſubticuit, atque ita eo ſalutato abii. Nondum venerat Cardinalis *Leodienſis*, venit noctu; poſtridie cum ad eum eſſem profectus, inveni eum in veſtibulo domûs parantem ire ad Cæſarem, reddique literas ſuas, quas viſus eſt accipere libens, dixítque ſe lecturum: & conſcendens mulam, reſignavit eos; cœpitque legere: illinc rediens offendi *Hilarium* noſtrum pulſantem noſtras fores, qui nunciavit te bene valere; quod equidem gaudio non mediocriter. De adventu huc tuo nihil dicebat ſe habere certi, præterquam quod non dubitaret te haud diu abfuturum: multi te cupiant adeſſe; etiam ii qui plurimum poſſunt in hac aula, ac penes quos putatur eſſe cenſura ingeniorum ac ſtudiorum; niſi fucum omnibus faciunt, & vehementer ſimulatas gerunt voluntates, quod in nulla aula novum eſt, nec in hac rarum. Hodie loquar *Coronello*, quem nondum conveni, ex quo huc venit: ſi quid ex eo cognovero, quod credam tuâ intereſſe abs te non ignorari, addam his literis, ſi modò non miſero; ſin miſero, ſcribam per alios. *Vergara* ſalutat te, qui narravit mihi, *Hiſpanum* quendam, qui nunc agit *Romæ*, *Mirandam* nomine, ſcripſiſſe de tribus aut quatuor locis Annotationum in novum Teſtamentum tuarum, ſed modeſtiſſ. ac honorificentiſſ. monens potiùs id agit, quàm reprehendens, aut objurgans: opus aiebat ſibi eſſe dicatum; dicebant hic in aula eſſe qui haberent: ſi nanciſci poſſum dabo huic *Hilario* ad te. *Coronello* ſum locutus, & quidem prolixè ἵνα μὴ ἀγλωττίαν αἰτιάζῃς. Primum recenſuit occupationes ſuas in *Lutheranos*; ideo dicebat ſe non potuiſſe reſcribere tuis literis, quas mihi oſtendit reſponſurum ſe antequam *Brugis* abeat. Vereri judicium & cenſuram tuam, propterea non poſſe expedire rationem aliquam reſponſionis. Verſari ſe in anguſtia & inopia rerum ac verborum, ſed verborum potius: te, ſi ita ſenſit ut mihi eſt locutus, & dejeravit ſe ex animi ſententia loqui, alterum *Hieronymum* aut *Auguſtinum* putat, ſéque ſtudioſiſſimum tui nominis eſſe ait; admiratorem tuorum monumentorum, quæ puriſſima eſſe & *Chriſtianiſſima* prædicat, de pugnaturum pro illis non ſecus ac pro Evangelio *Chriſti*. Tum ego; Qui ſunt igitur qui illum ceu *Lutheranum* inceſſunt? Nulli, inquit, ſunt, nihil jam loquuntur, ſunt ſtupidi qui ita judicant. Hæc confabulationis ſumma; diremit nos hora cœnæ. Libellum *Mirandæ* non habeat *Bruxellæ*: dicunt eſſe, ſi poſſum, alicunde eum tibi expiſcabor. Hodie venit ad me famulus quidam *Leodienſis Hiſpanus* qui olim mihi miniſtravit, narravitque *Leodienſem* tradidiſſe literas tuas Dominico cuidam *Italo*, quem hic apud eum *Aleander* reliquit, ac ſuſpicor eſſe *Aleandri* propinquum. Hic Dominicus ubi legiſſet literas, dixit iis qui aderant; *Eraſmus* excuſat, cum nemo accuſet: & queritur de *Aleandro*, cum hic honorificè ſemper de illo ſit locutus, ac literas ſcripſerit Pont. benevolentiæ in eum pleniſſ. *Pratenſis* hodie aut cras profecturus eſt in *Britanniam* legatus perpetuus; dixítque mihi, *Leodienſem* oſtendiſſe ſibi tuas literas, eſſéque ſollicitum quod æger ſignificares te ſcripſiſſe. Cancellarium tibi impendio favere dixerunt mihi homines etiam ex vulgo aulæ; has literas vides centonibus coagmentatas. Nam ut quicquid cognoverant, ita ſcribebam; ſed tu hujuſmodi mavis quibus certior de omnibus fias, quàm accuratas illas, in quibus nihil ſit præter civilitates: tum apud me eſſet heri *Hilarius* venit ad me *Hiſpanus*, de *Leodienſi* familia; narravítque ipſo *Hilario* audiente, nullum hodie vivere ſub cœlo hominem, cujus *Leodienſ.* ſit amantior, quàm tui; habere ſemper opera tua in manibus, lectitare ſedulò & admirari, propugnare te, ſi quis calumnietur, non ſecus quàm aras & focos: ſe crebro cœnis & prandiis interfuiſſe, ubi excitatâ de te mentione, ita te tuúmque nomen & eruditionem adverſus *Italos* quoſdam defendiſſet, ut facilè appareret, te illi eſſe quàm chariſſ. *Hilarius* tuus diligentiſſ. fuit in requirendis reſponſis ab iis ad quos ſcripſeras: ſed genius hujus aulæ eſt mirus dilator & procraſtinator. *Auguſtinus* meus adventu amicorum aulicorum depoſitus eſt tantiſper è manibus, ubi primum hinc abierint, convolabo *Lovanium*, ibi quam citiſſimè addam extremam manum; deſunt enim quinque libri tantum. Nam *Frobenius* habet XVII. Commendo tibi *Hilarium* hunc condiſcipulum. Olim *Pariſiis* meum, quem arbitror alioqui tibi eſſe commendatiſſimum. Vale. *Brugis* vigeſimo Maii. Anno à *Chriſto* nato, milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo.

Vives Eraſmo.

Epiſt. 9. Abſolvi tandem *Chriſto* gratia XXII. Lib de *Civ. Dei* quorum quinq; poſtremos qui reliqui erant, per hunc juvenem *Colonienſ* mitto cum epiſtola nuncupatoria ad Regem *Britanniæ* cum præfatione, & de veteribus interpretibus, poſtremò de de *Gothis*: quæ quatuor initio operis ponentur:

ſunt enim ceu præmia quædam? In præfatione
ipſa paucula quædam attigimus de immenſa tua-
rum laudum materia; utinam tam eleganter &
doctè, quàm verè quàm ipſe ſentio magnificè, ea
tu leges prius quàm imprimantur, & cenſurâ tuâ
omnia temperabis, addes & mutabis, quæ videbun-
tur, modo nè minora facies quàm diximus, alioqui
nihil futura; tum ſi quid erratum non modo in
Græcis & orthographia, ſed etiam vel in hiſtoria,
vel fabula, vel philoſophia, vel theologia, vel
dictione, tibi omnia trado emendanda, appro-
baturus non ſecus, quæ in hoc egeris opere, ac
ſi feciſſem ipſe, & habiturus maximi beneficii lo-
co, videlicet quòd & me docueris, & mea reddi-
deris meliora. Annotatiunculas nil dubito quin
marginibus addiderint, ſecuti meum exemplum
ex primis duobus aut tribus libris, vel etiam ſuum,
ut ſunt ea in re exercitatiores. Tum Indicem col-
ligere non erit difficile, de quo tibi jam aliis ſcripſi
literis per *Georgium*. Si ſignificabis mihi quid me
velis de *Colonienſi* libro facere, quandoquidem
jam mihi non eſt admodum uſui futurus, niſi fortè
aliàs ut rurſus accuratiùs hoc idem opus edatur.
velim iterum ad antiqua exemplaria *Auguſt.* con-
ferre: voluntatem de hoc tuam curabis mihi per-
ſcribendam. De pecunia rem totam tui & *Fro-
benii* arbitrii facio, tu ipſe ſcis, ut non ſim ejus avi-
dus, & mihi vivendum eſt iniquiſſimis tempori-
bus, & in regione ubi ſumptus magni, & quæſtus
nulli, duntaxat ingenio liberaliore digni; ſi quid
miſerit, cures per certum aliquem, & ſine dilatio-
ne mihi reddendum: plura hìc non loquor, nè ſu-
ſpiceris me morem mutâſſe meum, quem tu ſcri-
ptis etiam editis teſtificatus es; ſed fac memine-
ris etiam tui: ſcis quid mihi mutuaris, cum hìc eſſe-
mus. Venio ad literas tuas, quas accepi nudius
(ut puto) quartus aut quintus, datas abs te poſtri-
die Trinitatis, miſſas mihi ab *Antuerpia*. Nam
tuum iſtum per quem jubes me opus mittere non
vidi, nec huc venit. *Petrus Ægidius* ſcripſit *Corrado*
illum diverſis itineribus ac lentiùs rediturum ad
vos, quam rem nos in præſentia vitandam duxi-
mus: nec *Carolus* qui ſe perfecturum dixerat, cum
adeſſet *Georgius*, ſatis certus eſt cum diſcedet. Ita-
que hunc *Joannem Andernachum* conduxit *Corra-
dus*, & cum eo tranſegit, quemadmodum credo te
ex ejus literis intellecturum. Nam mihi nec quæ-
rere, nec ejuſmodi curare ocium fuit occupatiſſimo
in poſtremo opere ac præfationibus recognoſcen-
dis adornandiſq;, deinde corpore nonnihil affecto.
De *Stunica* nihil multis diebus audivi, ſpero tibi
non defutura ſtudia digna ſtudiis, ingenio, eru-
ditione, probitate tuâ. Libellum *Carranæ* miſi
ad te per *Georgium*; ſed video jam tibi tranſmiſ-
ſum. Particulam tuarum literarum oſtendam do-
ctori *Jodoco* per occaſionem: quòd feciſſem, etſi
non monuiſſes. Jubes me literas neſcio quas *Mau-
ritio* tradere. Ego verò ut neque juvenem tuum,
ita nec literas vidi ullas tuas, præterquam ad me
ſcriptas: non dubito quin *Petrus Ægidius* curârit,
quod me jubeas. *Mauritius* abeſt in *Britannia*.
Habet hìc binas à *G. Thaboo*, qui percupit ex te
ſcire, an tibi ſint, quas ad te in Quadrageſima de-
dit, redditæ. Salutant te *Cranevoldius*, *Laurinus*,
& *Fevinus* noſtri; tui etiam, *Vaulterus* conſiliarius
Flandriæ, & *Ruffaldus* noſter, qui negotii tui non
eſt immemor; etiam hodie ad patrem ea de re
ſcripſit. Potes huic reverenti aliquot codices dare

A ex impreſſis, ſi ita videbitur, ad me ut perferat. Sal-
vebunt à nobis iſtic tui & eo nomine noſtri quo-
que, ac inprimis *Frobenius* cum tota familia. Vale.
Lovanii XIIII. Julii M. D. XXII. à *Moro* ac-
cepi his diebus binas, quibus ſignificat ſe optimè
valere, Superis gratia.

Vives Eraſmo.

B IN maxima ſollicitudine ſum & ero, donec factus *Epiſt.* 10.
fuero certior, an ſit vobis redditum quod reli-
quum erat libri: id miſi per juvenem quendam
Colonienſ. Corradi conſilio XV. die Julii, quoniam
de profectione aliud ſtatuerat *Carolus*, quàm dixiſ-
ſet cum hic erat *Georgius*. Nihil ſupereſt mitten-
dum per *Hilarium*, quem nondum vidi; dicunt
profectum *Antuerpiam*, & rediturum brevi. Per
eum cogito hanc epiſtolam mittere, quam ſcribo
non omninò confirmatus aut ſanus, ſed paulò libe-
C rior dolore quàm his diebus fui. Nam ex quo *Au-
guſtinum* perfeci, nunquam valui ex ſententia; pro-
ximâ verò hebdomade & hac, fracto corpore con-
cto, & nervis velut laſſitudine quadam & debilitate
dejectis, in caput decem turres incumbere mihi vi-
dentur indicendo pondere, ac mole intolerabili:
iſti ſunt fructus ſtudiorum, & merces pulcherrimi
laboris; quid labor & benefacta juvant? Quod de
puerpera dicis, tam bellè in me congruit, ut quar-
to die poſtquam *Auguſtinum* depoſui de manibus,
D novum librum inſtituerim, adeò inquies, avis pa-
ſcitur opere: ſed crede mihi totos duos aut tres
menſes reparandis ingenii viribus volo impendere,
ut eæ per quietem & ceſſationem revocentur, ſicut
in novalibus. Cupio videre *Carranza* quem in mo-
dum reſponderis: & alia quæ diceris iſtic conſcri-
pſiſſe multa inprimis & magna. In *Carranza* planè
eram falſus; nam impoſuerat mihi finis epiſto-
læ, quam ſolam ex toto legeram opere. Literas
tuas ad *Morum* ac *Cantuarienſem* miſi hodie in
E *Britanniam*; brevi accipient. Nam eò nunc rede-
unt frequentes ex mercatu *Antuerp.* Gratulor
tibi favorem ampliſſimis ordinis, ingenium & eru-
ditionem tuam ita propenſum, ſi modò verum eſt
quod hìc narravit mihi quidam à *Corrado* audi-
tum, de annua penſione oblatâ tibi honeſtiſſ. mi-
ror te invidere gaudium hoc mihi amantiſſ. tui, ut
ejuſmodi ad me ſolum non ſcribas: ceu vero vel
ipſe minùs gauderem quàm alii, vel ſi tacendum
eſſet, non poſſem continere; ſed utcunque ſit, tuis
F omnibus incrementis, & felicitate meritis tuis
digna lætabor, undecunque reſciam; ex te mallem,
quò certior eſſet in certiore nuncio lætitia: pecu-
niâ egeo quidem, approbabitur tamen mihi quic-
quid tu & *Frobenius* ſtatueris; ſi quid mittitis, ju-
bete quàm primùm reddi. Si quid vis ad *Vergara*
ſcribere, mitte huc ad me. Proximo menſe cogi-
to in *Britanniam* tranſmittere: ſi quid mandas,
ſcribe per *N.* cum redibit è mercatu *Francfordi-
enſi*: ſimul te oro per eundem mittas mihi literas
G aliquas ad amicos illic tuos commendatitias, ſal-
tem ut ſciant me amicum eſſe tuum, quo me pluris
faciant; etſi non eſt conſilium manere ibi ſupra tres
menſes, aut ad ſummum quatuor; qua de re puto
me tibi locutum eſſe *Brugis*. Me tenet tantum
ſcholarum tædium, ut quidvis facturus ſim citiùs
quàm ad has redire ſordes, & inter pueros verſari.
Ruffaldus ſalutat te impenſiſſimè, qui dicit ſe bre-
vi cum patre congreſſurum, & à præſente im-
petraturum,

petraturum, nè tibi ſolutio hæc diutiùs differatur, αὐτὸς εἰρωνικὰ ταῦτα. mirum de rebus omnibus ſilentium: favor bonorum in te ardentior, quàm unquam; πολλοὶ τῶν ἀκμαζόντων ἐτελεύτησαν, καὶ οἱ ἀκμάζοντες θανάτῳ σκοπεῖσθαι μέλλουσι. Spero te viventem adhuc viſurum ſtudia hominum in te, qualia meritis tuis debentur, & interfuturum tuæ poſteritati; iſtis te debes temporibus ſervare. Nam narravit nobis te affligere valetudinem tuam immodicis ſtudiis. Hic omnes tui te impatienter jam deſideramus; & precamur Deum, ut incolumen te nobis reddat. Hic apparamus Bellum majoribus animis quàm gerimus; atque utinam utrinque fieret minoribus: aliquot *Hiſpanorum* militum millia dicuntur in *Britanniam* applicuiſſe, ut admiſceantur ordinibus *Britannis*; multum de Pontifice novo ſperatur. Hactenus perſriſcit; putant ferè ut incaleſcat hoc Cæſaris congreſſu, qui ad littus *Cantabricum* appulit XVI. die Julii. Vereor nè ille non tam ſe eſſe Pont. *Rom.* meminerit, quàm veteris hujus juris in ſe, ut priſtinæ authoritatis pondere in ſententiam hujus trahat; quod ſi illi qui ſit & non qui fuerit, in mentem veniat, ſpes eſt magna pacis: ſed hæc relinquamus fatis. De *Graphæo* & aliis rebus puto ad te ſcribi per *Petrum Ægidium*, & alios qui ſciunt. Nam ego domi ſemper abditus nihil audio; aut tam ſerò, ut citiùs ſit illuc perlatum, quàm ad me. His diebus vacationum *Clava* venit *Gandavo* huc, tantum ut *Græcum* aliquem audiret. Vide ſtudium ſenis, & non erubeſcimus juvenes dormire. Vale etiam atque etiam mi præceptor. *Lovanii* die aſſumptionis Virginis, M. D. XXII.

Vives Eraſmo.

Epiſt. 11. DE ratione nè fallatur *Frobenius*, res ſic habet: *Franciſcus* dederat antequàm liber exiret XX. aureos florenos, ſub finem Januarii dedit ſex; hanc ſummam ipſe accepi, tum & tres libros: aiebat juſſum eſſe à *Frobenio* dare mihi XXXII. florenos aureos, ſed ex his detraxiſſe octo, qui debebantur tibi. Quæ ille de me ac meo nomine ad vos ſcripſit, nihil me moverunt: nemo magis eſt, ſi qua eſt fides, imperitiæ meæ conſcius meipſo, nec minus diſſimulator; idcirco leviter angor gloriam non contingere, cum non meruiſſe ſciam. Ita velim mihi propitium *Chriſtum*, ut credo aſſecutum me nominis opinionem meritis majorem, & tam immodicè favere mihi famam ſæpenumero admiror. Itaque quod ille dixit, non ægrè fero, cum in hac parte feliciùs ſuccedat, quàm optare me par eſt, incorruptius mea æſtimantem. Quid, quod ſi maxima mihimet ipſe de me perſuaſiſſem, & me optimos ac doctiſſ. libros ſcribere arbitrarer, non ignoro tamen peculiarem genii ſavorem eſſe, à quo vita monumentis literariis inſpiratur: & fortunam eſſe, quæ rebus precium & æternitatem donet; nóſque conſilia præſtare, non eventa; ideo ſapientis eſſe, poſtquam quæ in manu ſua ſita ſunt, quàm poſſit induſtriè ac diligenter diſpoſuerit, fortuitis æquabilem ſe præbere; ſiquidem aliud in vita præſtandum non eſt bono viro, præter culpam. Hæc quidem me conſolarentur, ſi in vera eruditione ac ſapientia obſcurus eſſem: nunc autem & clarior ſum, quàm plerumq; vellem, nè meam à rebus omnibus inopiam tam multi ſpectarent, ac ſcirent: & imperitiam meam tantam eſſe video, ut illam profiteri præ pudore cogor, ut quod alii deprehenſuri ſunt, ipſe minore culpà præ me feram. Scripſi tamen primùm ætatis calore impulſus, deinde quia tenet inſanabile multos ſcribendi cacoethes: ſed meum ſanabo, ut ſpero; nam ſimul ut primum emiſero librum, quem his diebus ad Reginam *Angliæ* compoſui, in longas me abdam ferias, & ocium innoxium, tum quod hoc ad pinguem vitam beatámque compendioſiùs, tum nè me toties voce prodam meâ, velut ſorex, & laceſſam fortunæ atque exiſtimationis aleam: poſtremò, quòd, ut *Appius* conſulebat, ſatius eſt ceſſare, quàm nihil agere. Tum nemini faceſſam negotium ex iſtis qui nomina noſtra quæſtibus ſuis metiuntur, & cenſent. Et hæc quidem ut maximè, verum *Franciſcus* ſcripſerit. Nam an ita ſit, tempus, ut ſpero, declarabit, & poteſt *Frobenius* ab *Hilario* ſciſcitari: De *Auguſtino* ſcio illum vendidiſſe plurima exemplaria, & ipſe novi qui emerint: qui verò de *Londino* audet tam impudenter mentiri? Ubi ipſe faſſus mihi eſt ſe paucis diebus ſupra triginta *Auguſtini* exemplaria diſtraxiſſe, certè *Lupſetus* negabat ſe in *Anglia* vidiſſe *Auguſtinum* ullum meum venalem: in eadem *Anglia* ſupra quadringenta mea *Somnia* affirmavit mihi vendidiſſe ſe. Forſan non vendibile putat nomen, quod confert cum tuo aut *Budei*. Quid? nuſquámne eſt hic alius, quem ſocium ſibi *Frobenius* adjungat? O miſeram ingeniorum gloriam, ſi aliter conſtatura non eſt, niſi ejuſmodi nebulonibus libuerit! Ego verò & gloriæ jam nunc & ſtudiis omnibus renuncio, ſi hac neceſſariò eundum ſit. Pudet literariæ conditionis, ſi exiturus liber non ſit, niſi illiteratorum avaritiæ approbetur: ut *Kemponum* & *Brechterum* & *Torrentinorum* plena ſint omnia! *Ciceronem* vix unus habeat. Nunquam Deus immortalis tam iniquè cum ſtudiis egerit, ut aliter exercere ſe nequeant, niſi per *N.* quæſtum: quem ego puto in me eſſe inclementiorem, quòd cum *Antuerpiæ* me aliquot dies latitando eluſiſſet, neſcio cujus pecuniæ, quæ de ratione ſupererat, gratiâ, dixi miniſtris illius, defeſſum eſſe jam me perferendis ipſius præſtigiis & eluſionibus, quibus me tam impudenter ludificaretur. Valeat gloria; ſi tantam importat ſervitutem, ut unicum verbum loqui liberè non ſinat, cum ii qui gloriam non ſectantur, dicant quicquid libet. Vellem ſcripſiſſes an ſit *Frobenius* illa opuſcula impreſſurus; alioqui ſignifica per primas literas; mittemus aliò. Neque verò tam me immodicè ipſe amo, ut cum damno *Frobenii* velim ex ejus officina prodire quicquam meum: non eſt ſic ille de me meritus; itaque nè putet me ſibi iratum fore, ſi mea non ediderit, faciat quod maximè in rem ſuam eſſe credet. Sed nimio plura de nugis, & de te. De titulo: ego verò ſexcentos commiſero in ſcribendo ſolœciſmos bene adultos, etiam *Egmondano* ridiculos. modò nè βαρβαρισμὸν unum in dando: non tam miſerè Grammaticos metuo. *Romæ* non dubito quin ſis omnia reperturus commota & turbata, præſertim *Rhodo* capta. De *Turca* timent omnes, nè impetum convertat in *Siciliam* & *Italiam*. De *Budæi* munere non tam lætum eſt, quàm de valetudine ejus triſte; ad illum his diebus ſcripſi. Quum hæc ſcripſiſſem, factis literis amicorum certior, opuſcula mea non eſſe à *Frobenio* excuſa, & *N.* dicere te authore rejectum à *Frobenio* librum, qua de re

ſcripturum te mihi per famulum, quem paucis diebus huc mitteres; & quanquam non magni tuâ refert, quid ipſe de hoc facto credam: tamen ſi qua eſt mihi apud te fides, velim exiſtimes me illud non credere, non & ſi quis dixiſſet ſpectatiſſimæ fidei, quanto minùs à *N.* profectum: tantum adjeci, ut ſcires *N.* nondum mutâſſe mores. Si dicam me non aliquantum doluiſſe, mentiar; ſed minus forſan quam alii ejuſmodi rebus ſoleant. Ex tuis literis aliqua erat ſpes; nam ſcribebas *Frobenium* libentiùs mea impreſſurum, ſi *N.* acciperet ſocietatem, quaſi ſubſignificares impreſſurum: nunc intelligo, nec me; nec mea eſſe tanti, ut in tanta librorum varietate locus ſit tam exiguo libro ullus, niſi ad primam præconis vocem vendatur: & ſi illum vendibiliorem feciſſet *Frobenii* officina, ut ſomnium fecit, & in *Germania* tam lata támque diſerta ſtudioſis, in qua quid non diſtrahitur? Opuſcula quædam mea curavit iſtic *Beatus* edi, quorum nè unum quidem exemplar hîc vidimus. Equidem falſum me opinione comperio. Nam qui ut me non in orcheſtra ſedere ſciebam, ſic ad quatuordecim aſcendiſſe jam vel arbitrabar, vel cupiebam, nunc in plebiis de poſtremis me eſſe ſentio. O quàm verè cenſu diſtinguuntur ordines, etiam hujus civitatis! Hem huccine reciderunt illa tam magnifica, *Clariſsimus & undiquaque doctiſſ.* Sed hæc quoque videris fors: cum qua qui nimium habent negotii, hi demum fœliciſs. ſunt. Ego nullâ ratione ſubtrahere me potui *Hiſpanico* itineri, quod puto me cras aut perendie ingreſſurum; quod velit *Chriſtus* mihi proſperè ſuccedere: per *Britanniam* proficiſcar, & ibi & in patria amici in te hominis officium præſtabo. *Chriſtum* precor ut te ſervet diutiſſimè incolumem, & lætum: ubicunque fuero, illinc te de meis rebus certiorem faciam. Vale mi præceptor, & memineris ſemper amicitiæ noſtræ: méque *Chriſto*, cui tam gnaviter ſervis commenda. *Beatum* ſaluta mihi, & *Frobenium*. X. Maii. M. D. X X I I I. *Brugis.*

Vives Eraſmo.

Epiſt. 12. EX *Britannia* diſceſſi menſe Aprili tantum ad ducendam uxorem, jus à Principibus & Cardinale eò redire ad finem menſis Septembris. Quod faciam, ni neceſſitas aliqua & vis major impediat, aut cauſa maximè ſontica: ita enim ſunt homines illi de me meriti, ut iniquum ſit me non obſecundare eorum voluntati, quum illi multis in rebus indulgeant meæ. Feriis eucharistiæ ſubjeci cervicem jugo muliebri, nondum mihi quidem gravi, & quod cupiam adhuc excutere, ſed eventum Deus viderit. Hactenus nec mihi factum diſplicet, & iis omnibus qui nos nôrunt, mirificè placet; ut aiunt, nihil hîc eſſe multis annis actum tantâ omnium approbatione. De illis hominibus in quos οἱ φίλοι σοὶ ἐγκαλοῦσι, malum deploratum: ſed propemodum ἐν τούτοις χρόνοις ἀναγκαῖον, quibus peſſum iere omnia. ἀλλὰ ταῦτα ἐάσθω. Tu niſi agas quid minimè convenit, nihil egeris: ſin egeris, corrumpes, quod eſt in illo malum optimum. O magnæ difficultates, in quas te nomen implicat tuum, ut non videaris poſſe cum decore ceſſare, quin publicis rebus publica perſona interponaris, nullo tanto temperamento, quin alterutros offendas, & forſitan utroſque. Fac memi-
A neris verſum *Ennii* de *Maximo*. Salutaris à *Claymondo*, & ferè illâ academiâ nihil audivi multis diebus gratius, quàm opera tua noſtris quoque *Hiſpanis* eſſe cordi: ſpero fore, ut illis & ſimilibus aſſuefacti, manſueſcant, exuántque barbaritas aliquot de vita opiniones, quibus acutâ quidem ingenia, ſed ignoratione humanitatis, ſunt imbuta, quas alii aliis velut per manus tradunt. Nunciatum erat nobis in *Britannia*, te in *Burgundiam*
B migrâſſe, ut vino illo puro ac generoſo curareris à calculo; alii te in *Britanniam* venturum affirmabant: & audivi à quodam, fuiſſe te indubiè venturum ſi eſſes acceſſitus, quod utinam illic reſciſſem, ea te res non diutinè fuiſſe remorata, veniſſes gratus optatúsque Regi, Cardinali, & toti nobilitati: ſed ſi id ſtatuis, incipe ſimul aliquid καὶ ἐκείνων μελετᾶν, aliter nonnullis corrugabis frontes, quorum inprimis convenit tibi eſſe exporrectas: ſed non dubito quin hiſce de rebus, ut prudentiùs poteſt, ita co-
C pioſiùs ſcripſerit ad te *Morus*. Me verò, mi præceptor, ſcis paratiſſimum eſſe, ſi qua in re poſſim tibi eſſe uſui, quanquam vires exiguæ, ſed voluntas ingens. *Frobenium* mihi ſalutabis, & *Rhenanum*. Vale etiam atque etiam, mi domine. *Brugis*, X V I. Junii. M. D. X X I I I I.

Vives Eraſmo.

PAlæſtritam te fecerunt iſti, volueris, nolueris; *Epiſt.* 13.
D ſed ſic ἀνταγωνιστὴν vincis, ut ſpectatores cognoſcant te ei parcere, quem potueris proſternere: & ſic conveniebat, nè in ſe traherent victoriam illi, quorum plauſus eſſet orbis gemitus. Regi eſt heri tuus liber redditus de *Libero arbitrio*: ex quo inter ſacra legit pagellas aliquot, & oſtendit ſibi perplacere: ait ſe perlecturum; indicavit mihi locum, quo dicit ſe impensè delectatum, quum deterres homines ab immodica perſcrutatione adytorum divinæ illius majeſtatis. Regina etiam
E mirificè de hoc ipſo te opuſculo, etiam loco diligit; juſſítque hic tibi ſalutem ſuis verbis aſcribi: ſimul agi gratias, quòd vir tantus & de tanto argumento loquuturus, ita te demiſeris, & rem tractaris tantâ modeſtiâ. Quid Rex cupiat te in *Pſalmos* annotare, cognoſces ex *Montjoio*, cui Rex peculiariter ſcribendum mandavit; ſimul ſignificavit mihi, ſe expetere colloquium tecum: de quo non dubito quin egerit cum *Moro*, ut eſt apud eum multus & gratioſiſſimus: ex ejus literis
F id intelliges. Quàm feliciter agerent literæ, ſi hæc procella non incidiſſet! O illum tuum novum colluctatorem imprudenter præfervidum! dum vel ingenio, vel argutiis, vel nominis dulcedini indulget, dictu facilè quantum obfuerit optimæ cauſæ, pro qua primùm prodierat, ut non ſibi ſolùm fidem abrogârit, ſed paratam objecerit invidiam iis omnibus qui aliquid auſi ſint mutire de dictis illis melioribus. Gaudeo te recognoviſſe epiſtolas *Hieronymi*; nam in illis erant quædam
G ψευδεπίγραφα, quale in tua epiſtola ad me, *Publium* mimographum, pro *D. Laberio* itidem mimographo. Sed hæc quis etſi agnoſcat, non ignoſcat in iſta eruditione & tot elegantiſſimis doctiſſimiſq; ingenii monumentis: verùm ego tua omnia ſic vellem exacta, ut nullam reperiret anſam vel ipſe *Momus*: equidem cum te admoneo, ſic ipſe admoneri videor, vel reprehendi potiùs; ut illi qui *Catonem* reprehenderunt. *Linacer* reliquit

homines

homines magno doctorum omnium mœrore, A
quibus omnibut benè cupiebat, & favebat ex animo
pluſquam, apud eum valebat opinio ingenii &
eruditionis, quàm ſuſpicio ſimultatum ἁπλῶς ὅπη
πάντα. Editur liber ejus *De Emendata conſtructione*,
in quo meminit tui honorificè, ut ſentias
eum non amâſſe modò, ſed etiam reveritum
te. *Franciſcus Byrchmanus* rogârat me, ut
libellos meos recognoſcerem, quos cuperet apud
Frobenium imprimi: nunc ſcriptum eſt mihi, cum B
neſcio quid cauſificari, *Frobenio* non vacare.
Miſeret me tui, cui toties fuerit cum ejuſmodi homine
negotium. καθ' ὃ ἡμᾶς ἔγραψας mendacium
in *Colloquiis*: quærendus mihi erit alius, nè toties
cogar huic homini ſuccenſere ab eo falſus. Si
Frobenius vult recipere mea imprimenda, libens
ad eum mittam, modò nè admiſceat ſe *Franciſcus*
negotio: ſin ſecus invenies alium. Etiam miror
tam raros nunc prodire veterum libros excuſos in
Germania: iſta vel pro *Luthero*, vel in *Lutherum* C
excuſſerunt de pectoribus ſtudioſorum omnem aliarum
literarum curam, tanta eſt ſpectandæ
pugnæ iſtius dulcedo. Vale mi domine. *Londini*,
XIII. Novemb. M. D. XXV.

Vives Eraſmo.

Epiſt. 14. EPiſtola hæc tanto erit brevior, quòd neſciebamus
ante in iter jam dediſſes, ut rumor vulgârat:
primùm te jam eſſe *Coloniæ* ante Calendas D
Septembris. Is reſedit; excitatus eſt alter, ex
literis tuis, ut ferunt, ortus, te hîc adfuturum ad
Calendas Octobris: quicquid ſtatueris, precor tibi
feliciter evenire. Ad poſtremas tuas literas
reſpondi, dedíque epiſtolam *Petro Ægidio*: nil
dubito quin ſit reddita, duntaxat mercatu hoc
Francfordienſi. Opuſcula *Frobenius* ſi non ſtatuit
imprimere, velim remittat. *Auguſtinum* audio excudi.
Velim certiùs id à te cognoſcere. Idque ſi
ita ſit, mittam ad *Frobenium* paucu las aliquot re- E
cognitiones meas in *Commentaria Civitatis* breves
admodum, ut nec ternionem impleant. *Britannos*
ſcito feciſſe pacem cum *Gallis*: puto eſſe tempus
hoc, ſi quod aliud, commodiſſimum tibi veteribus
amicis reviſendis; ego illuc non cogito ante proximum
annum. Qui has ad te perferet, eſt *Genuenſis*
quidam negotiator, tui multo obſervantiſſimus,
& cupidiſſimus videndi tui. Utinam quod
commodo tuo fiat, brevi te videamus hîc valentem
ac lætum. Vale, vigeſimo Septembris, *Brugis*, F
Anno M. D. XXV.

Vives Eraſmo.

Epiſt. 15. DE *Franciſco* nimis multa: non eſt ille tanti. A
Frobenio iniquum eſſet poſtulare, quod foret
ei damnoſum. Mea opera non diſtrahi, mirandum
non eſt; quippe non ſolùm carent genio, ſed etiam
ingenio, & peritiâ, & nomine, denique iis rebus
omnibus quibus commendari libri ſolent: G
quæremus alium, cui minus doleamus nos impoſuiſſe,
quàm *Frobenio*; excudendis monumentis
tuis præclarè de literis merito, mihi verò præclaram
ipſe videor famam conſequutus, ſi quod in
epiſtola tua ſcribis, ex animi ſententia dicis, & non
das meis auribus: nec aliam gloriam quæro, quàm
tibi & tui ſimilibus, ſi qui modò ſunt, placere;
quæ enim poteſt eſſe major? aut quid magnificentius?
unus *Plato* inſtar eſt mihi totius populi *Athenienſis*
(inquit poeta ille & muſicus) mihi cane &
muſis: cujus judicio veriùs poſſunt ætate hac accommodari
illa, quàm tuo? Quocirca ſupervacanea
eſt illa admonitio in extrema tua epiſtola;
*Nos bene fortunantibus Muſis ac Gratiis, amicitiam
perenniter tueamur*: non ſum tam negligens,
ut patiar elabi amicitiam uſqueadeo decoram mihi
atque honorificam; conſertis eam manibus,
ſicut dicitur, retinebo. Nam de te nihil addubito. B
Ante quartum diem *Chriſto* adjuvante dabo me
in iter *Britannicum*: illinc ſcribam ad te longiùs;
nunc enim nihil eſt ſcriptione dignum. De pace
puto iſthuc eſſe jam perlatum; hoc eſt, de quiete
& vocatione ad flagitia, ſi qua erant per belli anguſtias
excluſa aut intermiſſa: utinam contingat
pax à *Chriſto* animis noſtris & eccleſiæ ſuæ, illa
quam mundus dare non poteſt. Diſſecta omnia
tanquam factionibus, ſed cataſtrophe approbanda
Chriſto, & ab illo uno expectandus plauſus: etiam C
χαίρειν ταῦτα ἐκ ἐχθρῶν, & quod quis miretur magis,
utrunque. Salutat te multò officioſiſſimè *Fevinus*
noſter. Vale plurimum præceptor opt. XIIII.
die Feb. M. D. XXVI. *Brugis*.

Vives Eraſmo.

EGo ad te literas dedi ex *Britannia* benè longas Epiſt. 16.
multis de rebus, more meo; dolerem, ſi non
D crederem eſſe ad te perlatas: tuas jampridem nullas
accepimus; occupationibus id tuis adſcribo. Nam
tibi iter tuum rectà eunti de ſemitis νῦν ἐλαύνεις.
Itaque cogeris pauliſper deflectere, ut moleſtiam
dimoveas, quæ iter remoratur. Poſſem referre
tibi præclara aliquot hominis illius facinora;
Verùm malim non agi inter vos de vita, ſed de
ſententia: reliqua κατὰ τὸ λαθεῖν ἐνδέχεται. Olim
ad te deſtinaveram ſcribere, ſed neſcio,
quemadmodum excidit, ut libros omnes tuos
E cures, dum vivis, redactos in certos aliquot tomos
excudi. Non dubito, quin aliquid tibi tale
in mentem multò antea venerit; & hoc animo
moliaris: ſed eo facies celeriùs, cum intelliget
alios quoque impensè cupere: Multæ ſunt
tuorum operum editiones atque impreſſiones, ſi è
vita diſcedas, ut tibi eſt, ac nobis omnibus diſcedendum,
priuſquam omnia collegeris, & quæ ſit
poſtrema judicii tui mens declaraveris, quâ &
te profitearis ſtare, & alios velis idem facere,
F quicunque ſunt tecum ſenſuri, magnopere timeo,
nè magna ſequatur operum tuorum confuſio ac
perturbatio, unde periculum ſit, nè pereat tibi
tua gloria; ſed hoc fortaſſis ad te leve: ſed certè
fructus quoque ſtudiorum tuorum, cum hærebit
Lector incertus, quid demum ipſe vel probaris, vel
improbaris; nam nunc qui editiones diſtinguunt,
utcunque ſenſum animi tui deprehendunt:
poſteri verò quibus editiones ſeparare non licebit,
confundentibus omnia typographis, maximâ mo-
G numentorum tuorum utilitate fruſtrabuntur:
adde iis, quæ ut alia aliò deferuntur, complura ſunt
abs te edita, quorum titulos nè audiverunt quidem
homines tui nominis perſtudioſi, & qui plurimum
ſe per opera tua profeciſſe ſentiunt, ac præ ſe ferunt:
inter quos ſunt nonnulli, qui ex me quærunt
quo fine exiſtimem introductam abs te diſputationem
illam ἰχθυοφαγίας, de Voto, & Vi præceptorum
in opere tituli *Puerilis*, & quod videtur

A pueris ſcriptum rem tantam neutiquam intellecturis : reſpondeo, quædam, quis ut illis ſatisfaciam, neſcio ; mihi utique non ſatisfacio : nam alieniſſima videtur mihi & loco & perſonis illis diſſertio. ἵνα δοκῶ μὴ τὸ πρῶτον τυφλώττειν. Itaque non videtur fuiſſe faciendum ; præſertim cum offenſione multorum συνίστι τινῶν · ſed nihil dubito, quin tibi facti tui pulcherrimè conſtet ratio, quam non gravaberis primis literis, quas ad me dabis, B uno aut altero verbo ſubjicere ad eximendum & meum & meorum amicorum ſcrupulum. *Curtius* venit heri *Lovanio* : narrat *Vincentium* tuum & *Goſcalcum* agere animam. *Ecmondano* multa & dira eſſe ; anginam comminatam, & comminari atrociora indies : itaque vereor nè non tollat. Tum & *Latomum Camaraci* vivere, quanta ruina Academiæ, proſtratis tot & talibus columnis? *Rhenano* & *Frobenio* tuo multam ex me S. ſimul & *Cantiunculæ*, ſi iſthic adſit. Salvebis à *Laurino*. C Cura valetudinem tuam, mi præceptor, & nos ama. Sexto Auguſti. *Brugis*, anno à *Chriſto* nato, M. D. X X V I.

Vives Eraſmo.

Epiſt. 17. EXpectanti mihi abs te quotidie literarum aliquid, ſeculum penè præteriit : & multæ ad te ſcribendi occaſiones è manibus elapſæ, dum aliquid ſemper puto recepturum me, cui reſpondeam ; nam bis aut ter ſcripſeram, & de tuo ſilentio D ſuſpicari cogor, vel non eſſe tibi literas redditas, vel occupatiſſimum te fuiſſe : ſive hoc ipſum in cauſa fuit, cur non ſcripſeris, ſive quid aliud : ego verò æqui ac boni facio, modò & rectè valueris, & noſtri non omnino obliviſcare ; ídque ſatis mihi eſt recordatione tuâ conſignatum eſſe tuo in pectore. Ut id verò literis quoque ac velut ſyngrapha teſtificere, nihil laboro. Quid iſtuc de rebus tuis adferatur *Lutetia*, neſcio. Nam Decanus ait ſe habere tuas literas, quibus conquereris E περὶ τῶν ἐμῶν πραγμάτων; atqui nobis quotquot illinc veniunt ſcholaſtici, mirificum favorem nunciant omnium erga te, & eorum qui infenſiſſimè erant odiſſe ſoliti. In *Hiſpania Enchiridion* tuum cœpit loqui noſtrati linguâ, & quidem ſecundo populo, qui ſolebat eſſe in poteſtate τῶν ἀδελφῶν. Idem cogitant facere de *Paraphraſibus*. Vehementer mirantur quidam vel huc non redire te, vel certè in *Galliam* proficiſci. ἵνα ἴδοιμι βίον διατελεῖς οἶδα, τοὺς ἕνεκα ταῦτά μοι λέγοντας. Vellem conſuleres quieti F tuæ ſenectutis. Nam iſtius temporis, quod ætati tuæ reſtat, magnus erit pietati ac literis uſus, te libenti ac læto ; exiguus, commoto & conturbato. Amabò, mi præceptor, ſi quid vidiſti eorum operum, quæ te abſente edidi, perſcribe ad me ſententiam tuam, imò verò magiſtri & patris reprehenſoriam admonitionem ; nam nihil eſt quo me magis ſentiam proficere, duntaxat cum reprehenſio venit à prudenti amico : nec imprudentis G quidem aut inimici nocet. Utinam propiùs adeſſes, & conſulere liceret te ἀσκητὸν χρηστῶν. In *Britanniam* propediem proficiſcar, *Chriſto* ſecundo : ſi quid mandas, ſignifica, & curabitur ; & ſi nihil peculiariùs ſcripſeris, illa ἐκεῖνα quæ tu mandata cupis, non ignoro : dicta puta. Cura valetudinem tuam, & nos ama. Salvebis officioſiſſimè ac reverendiſſ. à *Laurino* & *Fevyno* tuis. Vale. *Brugis*, X V I I I. Martii, M. D. X V I I.

A

Vives Eraſmo.

ALiquando tandem literarum aliquid abs te ; *Epiſt.* 18. quæ ut expectatiſſimæ ac deſideratiſſimæ, ſic etiam gratiſſimæ fuerunt ; & hoc gratiores multò, quàm admonitio illa, imò verius ſcribendi inſtitutio, geminam mihi ob oculos perſonam poſuerit, præceptoris eruditione, patris affectu. De B Colloquiis rectè habet, mihi planè jam pridem ſatisfactum abunde eſt, vel ipſo facto tuo, quòd mihi & aliis plurimis majoris erit momenti ac roboris, quàm multæ aliorum & accuratæ rationes. Illúdque à primo valere apud me debere exiſtimavi, quod *Pompeio* ſcribit *M. Tullius* : *Nec ſi ego quod tu ſis ſecutus, non perſpicio, idcirco minus exiſtimo te nihil niſi ſummâ ratione feciſſe.* ἀλλὰ τί μοι καὶ Λεντύλῳ, aut quorſum de illo ? Liberum arbitrium non perdidimus, quod tu aſſerueris : non facilè C credas, quantopere ſentio adjuvari me admonitionibus tuis, quantámque de eis ipſis tibi gratiam habeam ; & etiam atque etiam te rogo, ut ita pergas facere, cum quid aliud meum videris : nihil ego beatius eſſe cenſeo, ſive in hoc ſcriptionum genere, ſive in reliqua univerſa vita, quàm admonitorem aliquem habere amicum & prudentem ; utinam eſſes frequentior. Sed ut conſilii mei rationes & cauſas cognoſcas, ſcito feſſum me ab *Auguſtino* veniſſe ad opus illud conſcribendum, D cum omninò ſtatuiſſem aliquid Reginæ mittere : itaque non vacavit ſtylum expolire, ſi modò expolire potuiſſem, quantumlibet eſſem conatus. Tum rationem habui quibus ſcribebam, nempe fœminis, & potiſſimum cui dicabam ; ita enim demiſi me, ut illa me intelligeret, cui opus concinnabam ; & cui me ſtudebam approbari. Sed verè illud dicit *Horatius* ac ſcitè, *Tres mihi convivæ* : ita nulla eſt phraſis nec bona adeo, quæ non alicui diſpliceat ; nec mala, quæ non placeat : permulti ita cenſue E runt, probare ſe vehementer in eo opere ſimplicitatem dictionis, & inaffectationem ; nam ſic loquebantur : verùm ego, neque enim aliter fas eſt, malim me *Eraſmo* approbari ut athletam *Herculi*, quàm univerſo conſeſſui ſpectantium. Itaque parebo poſthac conſilio tuo. Mitto ad te libellum quendam meum, in quo inſunt nonnulla magis aliquanto à cura ſcripta ; & de hoc ſententiam ad me tuam perſcribes, cum vacabit, cum licebit : oportet me ſemel verecundiæ terminos tranſ F greſſum, bene ac gnaviter eſſe impudentem. Fœminas ais à me duriùs tractatas : hoc tu dicis, homo qui nobis *Hieronymum* reſtitueris? quid muliere effrenius ? Si paulum modò habenas remittas, ibi verò nullus erit modus aut moderatio. Sed patrocinabitur eâdem oratione *Cato* & mihi, & legi *Oppiæ*. Neque verò illa ſunt mihi vel exempli causâ, vel rei augendæ dicta. Sed quòd eum ad modum exiſtimem illis vivendum ; & indubiè facient, ſi duarum rerum meminerint, *Chriſtianas* G eſſe ſe, ac eundem hominem unumquanque ipſarum, & ſuum maritum eſſe. De ſcabie quanto *Hieronymus* plura, & apertiora ? ſi modò quâ de ſcabie loquaris, intelligo ; nam non ſatis aſſequor, uti nec illud περὶ ἀμαξίου ζῆν. Meorum libenter facio mentionem : quotuſquiſque non facit ? An non *Seneca* ? non *Quintilianus* ? non *Catullus* ? *Tacitus* etiam ſoceri vitæ juſtum volumen dicavit. Ter omninò, ut arbitror, meorum memini, bis

matris,

matris, ſemel ſocerûs. Sed nec ſocrum dico eſſe, neque tum adhuc erat: in hac veritate ſum adductus, & meâ ſententiâ digna hiſtoria, non minus quàm permultæ, quæ ab aliis memoriæ ſunt traditæ: in matre excuſat pietas; & id feci modicè, veritus invidiam; & non ignarus hominum ferè ingenia libentiùs maledicentiam audire, quàm laudes. Communionem illam cum *Cicerone* riſi ſuaviter: protinus venit mihi in mentem illa quoque apud *Martialem*,

Quod ſcribo carmen Muſis & Apolline nullo.

Itaque habeo duas. Hactenus ad tuam epiſtolam. Jam de actis *Hiſpaniæ* in rebus tuis. Miſi ad te nuper, quæ mihi erant illinc ab *Alphonſo Virveſio* ſcripta: credo eſſe tibi reddita; nam data fuerunt *Eraſmo Eſqueto*, qui ſolet ad te alia, ſicuti audio, permulta tranſmittere: quæ, ſi non accepiſti, longa eſſet retexenda fabula? Summa tamen hæc erat, delatum eſſe nomen tuum à mendicantibus ad ſummum Quæſtorem, Archiepiſcopum *Hiſpalenſem* itum eſſe in conſilium & diſquiſitionem in Quadrageſima: ibi nihil eſſe aliud actum, quàm audita contra te fratrum crimina: Pro te verò orationes duorum *Benedictinorum*, & fratris *Dionyſii Auguſtiniani*, & mediam quandam *Caſtelli* cujuſdam *Minoritæ*. Itaque ampliatum eſſe te in diem poſtridie Aſcenſionis Domini. Huic conſilio erant deſignati ex univerſa *Hiſpania* ſelecti doctiſſimus quiſque, & minimum corruptus affectu: inter eos, *Virveſius* homo [illegible]. Puto *Coronellum*, *Lermam*, *Dionyſium* non defuturos ſtudioſiſſimos tui, hoc eſt veræ pietatis, atque eruditionis. Aderunt etiam Epiſcopi, quos eò mittet Cæſar. Hæc tibi fuſiſſimè expoſui. Poſtea accepi literas à *Vergara*, *Scepero*, & *Virveſio*: quæ in illorum literis ad te pertinent, ea curavi tibi in hac epiſtola deſcribi. *Sceperus* hæc: Hic magno animo monachi bellum adverſus *Eraſmum* ſuſcepere. Id moliuntur, in id vigilant, ut omnium *Eraſmi* librorum lectio *Hiſpanis* interdicatur. Obſtamus interea ſtudioſi aliquot, qui Cancellarium precibus fatigamus, ut doctiſſimi & optimi viri patrocinium ſuſcipiat: & facit id ſanè, ſed aliorum id munus eſt. Præeſt inquiſitioni (ita vocant) Reverendiſſimus D. *Hiſpalenſis*, vir ſanè bonus, & qui horum impetum aliquandiu compreſſit; ſed ſatisfacere omnibus nequit, & mira eſt illorum rabies. Jam aliquot diebus publicè quoque legi in cœnobiis deſitum eſt, ut in *Eraſmum* ſinguli quid excuderent. Prolati ſunt aliquot articuli, quos illi hæreticos & ſchiſmaticos vocant. Tuetur *Ludovicus Coronel.* adeſt *Canarien.* Epiſcopus, & alii aliquot. Nos interea dolemus, opem quòd ferre afflictis rebus minimè queamus. Nam confeſtim magnum audentibus periculum immineret. Sed quid ego hoc apud te hominem *Hiſpanum*, qui hanc tyrannidem ſatis cognitam habes? Nolo ergo ad te longior eſſe; nam abundè tibi omnia narrabit D. *Ludovicus Pratenſis.* *Vergara* verò eſt recentior, nempè ex ante diem pridie Idus Aprilis cum *Sceperi* literæ datæ ſint menſe Februario. Is ergo ad hunc modum, In *Eraſmum* conſpirârunt nuper monachi noſtri, non omnes quidem, ſed plerique. Quo enim quiſque iſtorum ordo longiùs abeſt à mendicitate, hoc minùs illi eſt iniquus. Res ad magiſtratus relata eſt, atque hactenus quidem ſummo cum *Eraſmi* favore procedit. Princeps meus

A hominem ſibi penitùs tuendum ſuſcepit. Favet illi etiam Cæſar apertiſſimè. Favent magiſtratus ipſi, favent denique boni omnes. Adverſarii quoniam vident nihil ſibi hâc contentione, niſi commune odium, quæri, paulatim jam frigere incipiunt, libentérque, quantum exiſtimo quod cum bona omnium pace fieri liceret, factum mutarent. *Virveſius* incluſit faſciculo meo haſce omnes literas, quas ad te tranſmittam, ut intelligas non
B eum eſſe, qui tibi in ſuſpicionem venire debeat, tanquam non ſatis bonâ fide tibi faveat, aut cauſam tuam prævaricabundus ſuſceperit, de quo narrant mihi omnes qui ex *Hiſpania* veniunt atrociſſimas ſimultates ſuſceptas illi eſſe cum fratribus tuâ causâ: nec ullum ſimpliciùs aut ſynceriùs, doctrinam tuam vel amplecti, vel tueri: & eſt alioqui concionator, uti aiunt primi nominis, mirâ gravitate morum, & vitâ inculpatiſſimâ, homo digniſſimus; quem propiùs cognoſcere & a-
C mare velis, & referre, ſicut amicus noſter ſolet dicere, in Calendarium amicorum tuorum, illorum inquam ſelectiſſimorum, ac præcipuæ notæ; & quidem loco honeſtiſſimo: adducitur ad venerationem tui, & ad te defendendum ornandúmque, quantum pro virili poteſt; non aliâ utilitate aut ratione, quàm quòd doctrinam tuam cenſet derivatam ex vero ac puro fonte *Chriſtianæ* pietatis. Noli, quæſo te, ſpernere tales patronos optimæ illius cauſæ, quam ſuſcepiſti. Recentiſſimæ ſunt
D *Alvari* literæ negotiatoris illius, qui tibi penſiones tuas ex *Anglia* ſolebat mittere: is nunc duxit uxorem *Burgis Hiſpaniæ*; ſcribit pronunciatum iri ante quindecim dies, ut eſt hominum opinio ac ſpes, pro te ἢ κατὰ τῶν ἀδικῶν· & eos qui doctrinæ tuæ favent poſtulâſſe à quæſitore, ut in *Thomæ* ac *Scoti* opera inquiratur: velle ſe horum placita ad examen revocare, ſit nè aliquid contrarium vel myſticis literis, vel veteribus noſtræ religionis ſcriptoribus: poſtulant de eo ſibi jus dici, & ut
E hæreſin damnari; quæ hac de re accipiam ab aliis certiùs atque explicatiùs, faciam te certiorem. Simul miſit mihi *Alvarus Hiſpanam* epiſtolam *Virveſii* ad *Minoritam* quendam magnæ in *Hiſpania* autoritatis ac nominis: ea epiſtola circumfertur per *Hiſpaniam*, & legitur cum maxima omnium approbatione; eſt elegantiſſimè ſcripta noſtrâ linguâ: eam ego in *Latinam* converti, tantùm intelligi ut abs te poſſit. Vale plurimum, mi præceptor & pater. *Brugis* feſto *Margaretæ*. Anno
F à *Chriſto* nato, Milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſeptimo.

Vives Eraſmo.

IN *Seneca* quæ habeo, alia ex vetuſtis ſunt mihi codicibus annotata, alia judicio meo ex eo ſenſu, quem mihi videbar partim ex verbis, partim ex propoſiti argumenti ratione colligere. Sed qua- *Epiſt. 19.*
licunque ſint, malo authorem illum legi & cogno-
G ſci multò digniſſimum ex tua caſtigatione in ſtudiorum manus venire, quàm ex mea. Neque enim dubito, quin exiturus ſit dignus tuo nomine, modò ipſe velis operi & præeſſe, & adeſſe: nec ulli alii fidas rem, in qua nonnulla exiſtimationis tuæ pars vertitur, & magnus legentium fructus. Nam quomodo nunc eſt, nec *Sibyllæ* quidem ipſæ interpretantur, aut ἱεροφάντης quiſpiam. *Aldriſii* nomen antequam epiſtolam hanc tuam legerem, omninò

omninò non audieram: Apud *Morum* nullum A
vidi *Senecam*, qui vel ſtigma unum haberet cor-
rectum. *Ciceronianum* tuum deguſtavi veriùs,
quàm legi. Et ipſe ex *Italia* literas accepi ab ho-
mine non amico modò, verùm & nonnihil pro-
pinquo, qui me hortatur, ut duos totos annos
nihil niſi *Ciceronem* legam, & eum æmuler in
ſententiis, in verbis, in figuris: ita futurum,
ut longè poſt me & alios permultos & *Longolium*
relinquam. In quo riſi puerilitatem iſtam imi- B
tationis, quæ multorum ingenia velut furor
quidam invaſit. Me nominatum abs te eſſe lon-
gè fuiſſet gratiſſimum. Sed ſenilis hujus *ἀμαρτήματος* facilè tibi gratiam facio, etiam ſi me con-
ſultò prætermiſiſſes, quandoquidem compertum
habeo nihil abs te inimico animo eſſe factum.
Nec mirandum eſt, te oblitum fuiſſe mei, quum
occupatus eſſes tot colligendis ex omni ordine &
claſſe, ut illud mihi in mentem veniret, dum
illa percurrerem, quòd *Ciceroni* oratores recen- C
ſenti dixit *Atticus*: quanquam non me tibi exci-
diſſe arbitrabar. Sed aliò referebam conſilii tui
rationem. *Budaeum* aut quenquam prorſus offen-
ſum eſſe illo tuo dicto, qui quidem dialogorum
artem non ignoret, vehementer miror: tametſi
hæc diſcordia inter vos non eſt, ut puto, nova,
ſed vetus, & poſt priorem illam reconciliatio-
nem verbis & epiſtolis ultrò ac citrò inter vos
exaſperata, compreſſa tamen tantiſper, nunc
ſe per occaſionem profert alieno amiculo con- D
tecta. Ita *Alecto* hæc vel *Ate* res hominum in-
feſtat, ut nihil publicum, nihil privatum, quie-
tum relinquat. Inter Principes bella, inter lite-
ras diſſidia, in humanitate ipſa rabies, in reli-
gionis unitate diverſitas, in charitate pietatis
odium ac ſævitia. Utinam dignetur aliquando
Chriſtus mitiore ſuo aſpectu tantis malis finem
imponere, & turbatis hominum rebus quietem
ſerenitatémque adferre. Et tamen, ſi quos opor-
tebat concordes eſſe, ii ſumus nos qui earum ar- E
tium ac diſciplinarum ſtudio tenemur, quæ plu-
rimis ſunt inviſæ ac oppugnatæ magnâ authori-
tate fretis & magnâ potentiâ. *Hieronymum* ſa-
lutabis meis verbis. Si non libenter ſcribit, ni-
hil eſt quod ſe defatiget reſpondendo meis literis.
Doleo mea opera officinæ iſti fuiſſe vel damnoſa,
vel parum quæſtuoſa. Poſthac dabitur à me o-
pera, ut nè ampliùs ſim ei moleſtus: & ſi qua
poſſim, non deſim ejus utilitatibus; id quod li-
bens recipio me pro virili parte mea facturum. F
Quòd verò illi ſcripſeram, in cauſa fuit *Fran-
ciſcanus* quidam, qui nuper *Baſileæ* fuit tui videndi
gratiâ. Is narravit *Hieronymum Frobenium* cupe-
re mea ab ſe excudi. Sed nihil mirabor eum &
mentiri, cum tam multi qui iſtinc veniunt,
mentiantur. Nam quod quæris, quis ſit ille men-
dax? Eſt qui aliud hic nobis ait, aliud, ut ipſe
ſcribis, iſtic vobis. Sed amabò, mi præceptor,
poſthac nihil ego te iſtis de rebus, nec tu, ſi vi-
detur, ad me. Nam non videris mihi, quoties in G
harum rerum mentionem incidis, ſine aliquo
loqui ſtomacho. Nec tu me tantopere proferen-
di nominis cupidum exiſtimes; malim uni aut
alteri in virtute prodeſſe, quàm nomen abſque
aliorum utilitate per orbem quantus quantus eſt
diffundere. Neque enim ignoro, quàm iniqua
res eſt hæc gloria, quæ merita non ſpectet; quàm
inanis, quàm nihil habet ſolidi, quod prehendas,
ut non diutiùs eâ delecteris, quam dum plauſu &
vocibus circumſonantibus extra te pulſus aliena
audis, & vides, non es; nam ad te reverſus ni-
hil invenis. Deinde quantum habet huic mellis
guttæ admiſtum fellis. Si non aliunde, certè ex te
poſſem exemplum & documentum ſumere. Po-
ſtremò cogitandum eſt nos peregrinari, ſeu po-
tiùs ad obeundum vadimonium pergere, brevi ad
forum & Judicem perventuros, quantoſcunque
in via flexus conemur facere. Ibi nec humana
ignominia premet cauſam dicentem, nec ſuble-
vabit gloria, tanquam teſtimonium vel laudatio
provinciæ. Sed quem Dominus commendârit,
is demum erit probatus. Neminem video tam
peruſtum gloriâ, quem non hæ cogitationes refri-
gerent. Itaque rogo te, mi præceptor, nè poſthac
de nomine aut gloria ad me ſcripſeris. Nam ju-
ratus tibi confirmo me minùs multò hiſce nomi-
nibus moveri, quàm poſſis credere. Publicis
commodis multum tribuo: hæc libentiſſimè ad-
juvem, ſi quâ poſſim; & felices eos eſſe cenſeo,
qui his profuerunt. Veriorem tibi gloriam lau-
démque cenſeo contingere, quum aliquem legen-
dis ingenii tui monimentis meliorem factum vi-
deo, quàm quum illa omnia audis, *Facundiſſ. Do-
ctiſſ. Maximum. Jupiter* & *Juno* utinam aliquan-
do litent non priſcæ illi *Veneri*, ſed *Chriſto* verti-
cordio. Salvebit à me *Rhenanus*, & *Cantiuncula*,
ſi eſt *Baſileæ*, Vale etiam atque etiam, *Brugis*
Calendis Octobris, M. D. XXVIII.

Vives Eraſmo.

ANtuerpiæ quum eſſem menſe Junio, ad te de *Epiſt.* 20.
recognitione *Auguſtini* mei ſcripſi, dedí-
que eam epiſtolam ad te mittendam. Poſtea ac-
cepi tuas literas bene veteres, datas ad me *Fribur-
go*, quò dicebas te *Baſileâ* migrâſſe; quod tibi
optimè vertat: utinam huc accederes propiùs, ſi
modò id tibi non diſſuadent rationes rerum tua-
rum. *Auguſtinum* propè recognovi: ante men-
ſem Octobrem tradam abſolutum *Franciſco*, qui
confirmavit mihi ſatis me tempori daturum, vel
ſi ad Calendas Novembris, ſi maturiùs aut literas
tuas accepiſſem, aut *N*, de eo me admonuiſſet,
jam pridem librum haberet *Frobenius*. Archiepi-
ſcopus *Toletanus* graviſſimè ægrotavit, ut propè
haberetur in tota *Hiſpania* pro mortuo, & ita erat
huc ad quoſdam ſcriptum: ſed revaluit, & in ad-
miniſtratione rerum *Hiſpaniæ* adjunctus eſt *Au-
guſtæ* à Cæſare diſcedente; queis duobus additi
ſunt dux *Albæ*, & magiſter equitum nuper mor-
tui filius: ita ut hi tres ſint velut admonitores &
conſultores, illa imperatrix, & rectrix omnium.
Quod memineris mei in præfatione *Auguſtini*,
gratiſſimum eſt, quia abs te profectum, & facis
pro amore noſtro mutuo, alioqui non multum
moror nec mentiones mei, nec famam nominis,
quo nihil eſt vel inanius, vel amariore conditum
felle. Etiamſi orbis totus tanquam in theatro me
admiretur, mihi applaudat, non ſentio me pilo
meliorem factum, aut feliciorem, miſeriorem
ſæpe, ac pejorem, cum tumultus ille abducit me
ipſum à me: nec poſſum in me ipſum oculos meos
& cogitationem reflectere intentam in plauden-
tes. Itaque aliquando famam procul aſpectam
admirabor, ſequebar nunc propiùs admotam, &
propè contrectatam: Intelligo rem eſſe veriſſi-
mam.

mem, vaniores qui captant; ſi quà hominum moribus prodeſſe queam, id demum ſolidum eſſe arbitror, & permanſurum. Hæc dixi, nè tu mihi toties famæ ſpeciem tanquam illectamentum quoddam objicias, cui ſcito me nihil omnino tribuere, nec eà magis moveri quàm aurulà tenuiſſimà; magis movebis me publicis utilitatibus oſtendendis, de quibus feliciorem te judico quàm de nomine & fama longè & latè pervagata, quæ tibi meritò quidem contigit: ſed ſi illa duo ſejungantur, *mereri*, & *conſequi*, utique prius longè prætulero. Archiepiſcopi munus exiguum eſt præ illius in te & amore & veneratione ingenti: ſed mittet aliquando plura, quanquam ſat ſcio te donorum fontes, nempe egregias erga te voluntates pluris facere quàm ipſa dona. Credo audiviſſe te Cæſarem ſolviſſe *Barcinna* cum claſſe inſtructiſſima, in qua ſint triremes quadraginta, naves onerariæ ſeptuaginta, celoces decem: his vehi, præter comitatum aulicum & florem nobilis juventutis *Hiſpaniæ*, ſocios navales ad decem millia totius *Hiſpaniæ* lectiſſimos. *Maſſiliæ* ſcribunt viſam eam claſſem legentem oram *Gallici* maris quinto die menſis Auguſti: ſunt qui addant ad ſeptimum diem ejuſdem menſis tenuiſſe *Genuam*, atque ibi deſcendiſſe; ſed hoc incertum. D. *Jeſus* ſervet eum, atque eam largiatur illi & facultatem & voluntatem, ut res *Chriſtiani* orbis in meliorem ſtatum reponat. Vale etiam atque etiam. *Brugis*, XXX. Auguſti. M. D. XXIX.

Vives Eraſmo.

Epiſt. 21. CONvenit me hìc *Gandavi Grynæus* tuus, qui viſus eſt mihi & tuà & optimi cujuſque amicitià multò digniſſimus, illà probitate oris, & pudore virgineo: illo animo bonarum artium ſtudioſiſſimo, magníſque progreſſibus in literis. Ei me quum pro more meo, tum juſſu tuo, familiariter præbui horam unam, & alteram, id eſt, quandiu voluit: amicis in *Britannia* meis commendare illum non potui, quòd illinc revertens modò me adiit. Hæc exaravi tibi inter medios ludos celeberrimos, qui in comitatu Cæſaris fiunt, ideóque epiſtola hæc erit brevior quàm vellem. Ego ad te rariùs ſolito do literas, quòd non dubitem te & negotiis occupatum & ætate & gravitate valetudinis defeſſum, minùs libenter ad exercitium hoc ſcribendi epiſtolas venire. Sed nec amicitia noſtra fulcimentis illis indiget quibus vulgares permultæ. Rogo te etiam atque etiam, ut poſthac quoties mihi ſcribes quemadmodum & corpore & animo ſis affectus, paucis verbis ſignifices; nam exiſtimo id pro amore noſtro mutuo debere ad curam peculiarem meam pertinere. Vale. *Gandavi*. XII. Junii. M. D. XXXI.

Vives Eraſmo.

Epiſt. 22. EPiſtola tua data ad me quinto die Januarii gratior mihi fuiſſet, ſi te rectiùs valere nunciâſſet, ſed tam affecta tua in ætate iſta valetudo non potuit mihi non moleſtiſſima eſſe ad audiendum: Precor tibi ſanitatem; aut, ſi hoc non eſt *Chriſto* viſum, certè robur & animi & corporis, quo tolerabiliores fiant tibi cruciatus. Æſtate ſuperiore graviter & periculosè ægrotavi è colica. Podagra facta eſt mihi adeò familiaris, ut jam minùs ſit ex aſſuefactione gravis: eam puto me contraxiſſe è frigore potiùs, quàm ulla alia de cauſa. Iſta ſunt ſuavia munuſcula, quibus nos corpus hoc noſtrum pro aſſiduo & ſollicito ſui miniſterio remuneratur. Quod temperamentum, aut quæ circumſpectio ſuffecerit: ſi literæ de aliquo ſcriptæ, ad eum ipſum mittantur? quod eſt planè, ut ait *Cicero*, tollere è vita vitæ communionem. Ego verò te non arbitror in amicitia refrixiſſe, nec rariùs te mihi ſcribere conqueror, quæ etiam querela in me recideret, qui non minus raras ad te dem literas & meis permultis epiſtolis tum ad te, tum ad amicos alios teſtatus ſum, non æſtimare me amicitias ex officio quodam levi ſcribendi, quod interdum diligentiùs præſtant qui minùs diligunt, præſertim ubi nihil ſit inter nos negotii, quod ſcriptionem deſideret. Sed meum conſilium fuit deterrere *Carvialum*, nè poſthac ſi quid adverſum te ederet, admiſceret nomen meum; intelligens planè ex mea epiſtola id mihi gratum non futurum. Id verò nè quis ſuſpicetur parum convenire inter nos, quod minimè deceret, ſive ob amicitiam & familiaritatem aliquando noſtram in utriuſque monumentis teſtatam, ſive ob communionem ſtudiorum, nè non affectatores credamur ſapientiæ; ἀλλὰ φλυαρῶ. Tempora habemus difficilia, in quibus nec loqui, nec tacere poſſumus abſque periculo. Capti ſunt in *Hiſpania Vergara*, & frater ejus *Tovar*, tum alii quidam homines bene docti. In *Britannia* Epiſcopus *Roffenſis*, & *Londinenſis*, & *Thomas Morus*. Precor tibi ſenectam facilem. *Brugis* X. Maii M. D. XXXIIII.

Joannes Ludovicus Vives optimo atque erudițiſſimo juveni Gilberto Cognato Nozereno, D. Eraſmi Amanuenſi. S. D.

EX binis tuis literis, *Cognate* chariſſime, quarum priores miſit *Levinus Panagathus Antuerpia*, poſteriores attulit *Quirinus Hagius* civis, intelligere non potui, quod valde cupiebam, eſsént ne tibi redditæ quas *Londini* ad *Eraſmum* & te dederam. Satis ſuſpicabar non eſſe quòd nihil meminiſſes in tuis. De libris quos reddidit *Quirinus*, habeo & ago tibi gratias immenſas. Per ocium legam. De literis tuis faciam, quod me rogas: alias jam miſi ad *Carolum Montjoium*. Mi *Cognate*, ſæpenumero ſum te precatus ut ad nos vel hanc ob cauſam ſcriberes frequentiùs de *Eraſmi* præceptoris noſtri valetudine, rerúmque ſuarum ſtatu, qui mihi non minùs curæ eſt quàm meus ipſius, vel crederemus famæ, vel eà commoveremur. Hoc in præſentia vehementiùs à te peto & oro. Nam mihi ex *Antuerpia* ſcriptum eſt, de ſalute ſua, id quod vel cogitare abhorreo: Tametſi hæc & ſimilia nos de illo audire, novum non eſt: ideo minus movemur, quòd velut occalluimus. Sed quo crebriùs audimus, hoc nos magis terrent humani caſus, & communis mortalitatis reputatio. *Goclenius* me recreavit, qui nunciavit fuiſſe quidem ſparſum in *Brabantia* adverſum rumorem de *Eraſmo*, & malis modò jucundum, cæterùm ſe habere compertum omnia eſſe apud vos rectè, quod equidem *Chriſto* habeo & ago gratias quàm maximas. Me hìc cœlum iſtud ventoſum, denſum, humidum inclementer accipit, & victûs ratio multum diverſa à conſuetudine mea. Cætera cedunt

pro-

proſperrimè Deo gratia. Nam diligunt Principes, ac favent, idque re oſtendunt. Sed mihi certum eſt ad menſem Junium in *Flandriam* redire, ut aliis tibi literis meis ſignificavi. De te quid optem non ignoras ſententiam & votum animi mei, quicquid tamen ſtatueris, Deum velim tibi fortunare. Gratiſſimum mihi feceris ſi meo nomine dixeris ſalutem D. *Eraſmo* communi præceptori noſtro, & *Zaſio*, & *Glareano*, Vale etiam atque etiam. VI, Idus Martii, *Oxonia*.

Joannes Lodovicus Vives Damiano Goeſio ſuo S. D.

Epiſt. 24. QUòd epiſtolæ tuæ nondum reſponderim, mi *Damiane*, non voluntas in cauſa fuit quæ eſt erga te, ut potuiſti cognoſcere, profectò ſumma, ſed valetudo adverſa mea, quæ per ingentes dolores tum corporis, tum animi mei vires valde afflixit: neque nunc ſcriberem, niſi vererer nè quid tu de immutata mea erga te voluntate ſecus ſuſpicarere quàm res habet & ego vellem; cupio e-

A nim ut intelligas me in ratione iſta amicitiæ paria tecum facere, & tantopere amantem, non mediocriter redamare. Munus iſtud regium opto tibi feliciſſimè evenire, ut in eo diutiſſimè & cum ſumma gratia, atque animi tranquillitate verſeris. Quòd te ſcriptorum ex patria recipis, rem utique feceris mihi multò gratiſſimam: iter tibi proſperum precor. Fac quæſo ut per occaſionem Regi tuo, atque adeo beneficio illius in me, meo quoque, ſalutem dicas meis verbis reveren-

B tiſſimè atque officioſiſſimè: & gratias pro me agas, de ampliſſimo congiario, quo me ſuperiore anno proſecutus eſt; quod eo rerum mearum articulo contigit, ut non potuerit non & maximum & multò jucundiſſimum videri. Salutabis mihi D. Epiſcopum *Veſevienſem*. *Hedioni* non reſcribam nunc propter meam valetudinem; quin & multum deliberabo, quando, ac quemadmodum ſcribam, propter tempora & hominum ſuſpiciones. Gratulor tibi profectum in literis, non poſſum mo-

C vere manum in ſcribendo. Vale, *Brugis* XVII, Junii, M. D. XXXIII.

FINIS.

IN PHILIPPI MELANCTHONIS
EPISTOLAS
INDEX RERUM.

A

ABdia liber nothus. 237.B.
De Abdia hiſtoria cenſura. 913.A.
Abelis Symbolum fidei. 157.C.
Abſolutionem privatam retinent Lutherani, 97. A. quam aliqui mutârunt. 107.F.
Abortus, ob frigidum potum matrum. 239.B.
Academia præcipua pars reipublicæ. 533. B.C. 740.C.766 C. eâ extinctâ, religio & juſtitia moriuntur, ibid. Tubingenſis reſtaurata, ibid. habet ſodalitia, 770. A. Feriæ Academicæ in vindemia, 784.D. Lipſienſis Academiæ laus. 785. B. in Academiis Germanicis Sodalitia fundata. 535.E. Lipſienſem inſtaurat Saxo. 556.G.
Academiæ in Germania fundatæ. 430.F. 438.G.
Academiæ Lipſicæ & Wirtembergen. impediuntur. 515.C.
Acta Smalcaldenſis conventus, 13. D. Ratisbonenſis. 14.E. &c.
Actuum Cap.27. Verſ.40. ventilatur. 677.D.
Actorum Cap.15. Verſ.25. exponitur. 75.C. &c.
Adam vigeſimo quinto die Martii creatus. 553. D.
Adfines in ſecundo genere non nubant. 379.E.
De Adiaphoris diſſenſio, 101. &c. tolerantia. 104.G.
Adiaphora non damnant Lutherani, 170.D. 174.G. pro iis non deſerendæ Eccleſiæ. 175.B.
Adoleſcentes ante ἀκμὴν ſæpe valetudinarii. 580.F.
Adoratio in Sacramento ſumendo qualis. 605.A.
Ægrotis Euchariſtia danda. 247.B.
Ægrotantis magis grata ægroti oratio. 529.A.
Æqualitas non parit bellum. 55.B.
Alberti Dureri Pictoris dictum, 42.E. obiit. 660.
Alberti Marchionis facta bellica. 438.A. 440.E. & 471.A.
Albertus Marchio vaſtat Brunſwicenſes. 934.F.
Alcibiades quare cani caudam abſcidit. 744.A.
Aleſius Scotus cum Eccio diſputat, 777.A.B. ex Francofordia diſcedit, 805.B.D.G. Aulici eum puniri volunt, 806. G. In Pruſſiam accerſitur. 815.C.
Alfonſo regi Symbolum Pelicanus 162.D.
Altercando veritas amittitur. 669.E.
Ambiguitas in doctrinæ theſibus lites generat. 19.E.
Anabaptiſtarum dogma, de vindicta, 138.F. de eruditione. 144.
Anabaptiſtarum ſeditio. 629.G. Vide Monetarius.
Anarchia omnium malorum extremum. 82.E.
In Angliam exercitus Saxonicus mittendus. 316.C.
Ex Anglia literæ in orbem propagatæ, quas bella Gottica pene extinxerant. 21.A.
Angli ob religionem exulant. 455.G. 456.C.
Angli ob religionem exules, Witebergæ vivunt. 934.F.
Angliæ legati in Germania, de cauſa divortii Henrici octavi. 73<.G. 737.D.
In Anglia diſputatur de religione. 757.D.
Amnon Clivenſem dimittit Henricus octavus Anglus. 771.B.
Antarcticus polus ſplendidiſſimas habet ſtellas. 923.B.
Antinomorum dogma impium. 84.C.
Apes in mœſtitia omittunt operas. 43.A.
Apum hiſtoria, cura, &c. 216.C.
Apocrypha in Eccleſia quare leguntur. 132.C.
Apologia Lutheranorum caute loquitur. 120.A.C.
Apoſtoli cæremonias quando abrogârint. 75.G.
Apuleii ſtilus affectatus. 281.B.
Aquila fatalis Eccleſiæ. 431.B.
Arcus noctu bis viſus. 628.G.
Ariſtocratia proportioni Geometricæ reſpondet. 195.F.
Ariſtotelis eloquentia, flumen aurum vehens, 205.F. ſtili ejus character. 211.G.
Ariſtotelis laus. 166. A. Ejus de diſtributiva juſtitia conſilium explicatur. ibid.C.
Articuli religionis ab Henrico octavo editi. 21.G. 24.C. 26.A. &c. 27, 28, 29. De iis Melancthonis cenſura. ibid.
Articuli Lutheranorum in Juterboch. 104.B.
Attica lex, in Epiſtolis agere ἀνὰ ... 390.A.
Auguſtanus conventus incipit. 4.A. Principes qui interfuerunt. ibid. Prima ibi decreta. 5.E. Secunda. 6.A. Arbitri diſputationis ibi electi. 10.C.
De Auguſtano conventu. 169.D.
Auguſtani conventus ... terribilis. 409.F. 410.A. Collationis ejus Acta. 497.B. Qui Proteſtantes confeſſioni ejus ſubſcripſerunt. 498.D.
Auguſtani conventus acta. 595, 596.
Auguſtanus liber à Lutheranis rejectus. 245.E. 246.
Auguſti Cæſaris ſtatura. 643.E.

B

BAptiſmo Spiritus Sanctus adeſt. 249.E.
Bavarus rejicit librum Cæſaris Ratisbonæ. 17.E.
Bavariæ Dux Lutheranos deturbat. 446.D. Bavarus & Palatinus à Carolo magno oriundi. 459.B.
Belgæ regi Philippo parere recuſant. 919.E.
Belgæ naturâ præſtigiatrices. 951.F.
Bellum Cæſaris cum Lutheranis. 425.E.
Bella juſtiſſima non accendet Prædicator. 241.E.
Belli civilis incommoda. 686.G.
In Bello minimum ſit belli. 536.C.
Belligerandum ita cum hoſtibus, ut domi diſſipentur. 86.E.
Bona opera an neceſſaria ad ſalutem. 84.C.
Bona opera non eſſe neceſſaria quis docuit. 271.D. Vide & pag. 331.F.
Bona opera laudare, Melancthoni vitio datur. 742.A.
Bonnæ religio reformata. 91.B. 92.C. 108.F.
Brandenburgicus Elector fit Lutheranus. 776.G.
Brandenburgicus Elector reformat eccleſias ſuas, 49.B. nec Epiſcoporum authoritati detrahit. ibid.G. Vide 50. Uxori ritus pontificiæ religionis permittit. 51. D.
Brandenburgicus reformat eccleſiam. 302. C. Proficiſcitur ad Ferdinandum. 309.E. Conſilium de pace Eccleſiæ. 310.C.
Brandenburgicus Elector Joachimus moritur. 729.C.
Brentius non condemnat Oſiandrum. 84.E. 87.A.
Brentius ad Academiam Lipſenſ. invitatus. 556.G. & 567.B.
Britanni de religione conſultant cum Luthero. 174.A.
Brunſwicenſis Dux à Guelphis oriundus. 504.G.
Brunſwicenſis Dux à ſuis pellitur. 557.F.
Bucerus ſentit cum Luthero de corporali præſentia. 10.A.
Bucerus Argentorati docet. 545.A. Judicium ejus nolit publicari Lutherus. 545.B. 556.B. Sententia de Cœna. 581.B.
Bucerus Luthero diſſentit. 597.F. Confeſſio ejus de Cœna omnibus non placet.
Bucerus à Lutheranis diſſentit. 744.E. Confitetur præſentiam Chriſti in Cœna. 745.B.
Bucerus adjuvat Reformationem Colonienſem. 814.C.
Buda à Ferdinando Rege obſeſſa. 782. D. Recuperatur ab Hungaris. 792.A. 793.G. 799.A. Sed falſa fama. 804.A.
Burgundi Trajectenſ. & Leodienſ. ditionem occupant. 754.E.

C

CÆſar ex Mantua movit in Germaniam. 2.B. Non admittit Bavaros ad deliberationem de religione. 2.F. Auguſtam venit. 3.F. Mitius decernit de Lutheranis. 4.A. Ejus ſoror favet Lutheranis. 4.G. Confeſſionem Lutheranam edi vetat. 5.D. Rem totam mandat ſuo judicio committendum. 6.B. Nolit ſchiſma tolerare. 7.E. Urget Principes ut ſubſcribant, contra Lutheranos. 8.C. Petit ut omnia in priſtinum ſtatum reducantur. 11.E. Vult pacem. 13.E.G. Lutheranos fictè de pace egiſſe queritur. 14. A. Quid petiit à Lutheranis in conventu Ratisbonenſi. 14.F. Arbitros rei deſignat. 15.C. Synodum exoptat. 51.A.
Cæſar librum de capitibus controverſis Lutheranis Ratisbonæ offert. 15.E. Molitur Reformationem. 15.G. Liber ejus à Bavaro & Eckio rejicitur. 17.E.F. De eo judicium Lutheranorum. 19. per totum. Inviſit Papam. 38.A.
Cæſar, quæ Lutheranis concedit, 244.D. 591.D. Ejus cadaver effodere volunt Monachi, 273. D. Argentoratum venit. 335.D. Auguſtanis concedit Lutheraniſmo ſuo uti. 352.E. Paci conſulit. 409.B. Bellum parat. 417.A.
Cæſar belligerat in Germania. 43.B. Viam ad urbem Romanam

manam novit.432.B. progreſſus militaris.431.E. & 435. A.& B. 8.B. Mediolanum proficiſcitur.435.G. pacem inſtauris cum quibuſdam Lutheranis. 440.E. mitiſſimus. 543.C.
Cæſaris moderatio in conventu Auguſtano.682.E. 686.F. 687.C.
Cæſar ſynodum mantuæ indicendam vult, ad componendos articulos cum Lutheranis. 745.G. duo oppida Narbonenſia capit.750.F. contumaces Germanos bello caſtigare decernit,754.B. ſed non vult bellum.767.E. propoſitiones ejus Proteſtantibus ſactæ,in conventu Hagānoenſi.774.E. Ægrotat.809.B.
Cæſaris propoſitiones in conventu Spirenſi.826.F.
Cæſar mitiſſimè tractat Saxonem captivum.853.D. non vult Concilium cogi.867.E. Wittembergam obſidet.872.B.
Cajetanus vis incivilis.679.E.
Calculi dolores inediâ leniendi.908.D.
Calvinus, Zeno à Melanchthone dictus.923.D.
Calviniſmus Poloniæ invectus.265.E.
Camerarius Noribergam vocatus.635.F.G. & ut in Hiſpaniam cum legato proficiſcatur.649.C. motu conſilium.F.
Camerarius ſcriptis deformat Lutherum.658.G. ſolicitatione Melanchthonis in novum Teſtamentum ſcribit. 677.B.C. 678.D. Lutheri epitaphium ſcribit.866.F.
Camerarius urbe ſuâ obſeſsâ evadit.876.C. Ptolomæum edit. 731.D. Tubingæ docet.738.E. 742.C. Lipſenſis Academia eum vocat.785.B.
Campegius Cardinalis intereſt conventui Auguſtano. 3.G. mitiùs ſentit de Lutheranis.4.D.
Campegii Cardinalis acta cum Melanchthone.595.D.
Canonicos ſuis frui opibus vult Melanchthon.579.D.
Cantiones Miſſales veteres defendit Melanchthon.300.E.
Cantiones in Eccleſia non tollendæ.500.E. quæ. *ibid.*G.
Capnio moritur.74.F.
Cardinalis Sadoletus Melanchthonem laudat.519.G.
Caroli quinti erga victos clementia. 60. B. moderationem controverſiarum proponit.71.D. noluit armis opprimi Lutheranos.78.E. concedit Synodum.88.G.confirmat pacem Lutheranis.90.C. laudatur.93.C.
Caroli quinti laus.170.C. Vide *Cæſar.*
Carionis Chronicon emendat Melanchthon.698.G.
Caroloſtadius vult cum Luthero diſputare de Cœna.626.A.
Caſſianus Dux Chriſtianorum fugit è prælio.753.E.
De *Catecheſi* veterum Paparum negligentia.676.G.
Cenſus, Lucæ 2.5. ad Mariam non pertinuit.45.A.
Cervus in monte, in aere viſus.371.F.
Chriſtiernus Rex Daniæ exul.723.A. ad fœderatos Lutheranos in Saxoniam venit.754.F.
Chriſtus, ut Deus, invocandus.153.A.
Chriſtus Mediator quomodo.275.A. quomodo in corda noſtra mittatur.278.D. quomodo ſit λόγος *ibid.*
Chriſtus realiter præſens in Sacramento.605.B. Et ſubſtantialiter.606.C.
Cives de religione nihil laborant, ſed de dominatione.12.A. & 12. A.
Cives non patiuntur juriſdictionem epiſcopalem.685.A. atque ea ſola de cauſa Lutherum amant.686.D.
Clypeum quàm gladium abjicere turpius.154.A.
Clypeo Herculis quæ depicta.161.A.
Cochlæi ſcriptum contra Lutheranos.823.B.
De *Cœlibatu* Sacerdotum.28.A.
De *Cœna* Domini velitatio.80.E.
Ceremoniæ ſine fide non valent.95.G.
Ceremonias tolerabiles abolere eſt contra charitatem.500.D. quas ferendas eſſe judicat Melanchthon.*ibid.*
Collocutores Theologi qui de concordia inter Romanenſes & Lutheranos.525.G.
Collyrium optimum.621.F.
Coloniæ reformatio inchoata.547.E. & 569.E.
Colonienſis Epiſcopatus Lutheraniſmum recipit.25.B.
Colonienſis Archiepiſcopus reformat diœceſin.91.B.
Colonienſis Epiſcopus diœceſin reformat. 518. F. 814. C. E. conventus. *ibid.*
Cometa apparent.255.A.D. alius.350.A. alius.373.F. alius. 695.C.F. alius.707.A. alter.712. G. deſcriptio alterius. 752.E. alius.942.C.
Cometa planetas ſequuntur.695.F. & 696.G. diſtantia ejus à ſole.701.A.
Communes res dicantur novè, & novæ communi modo.42.C.
Comœdiæ veterum quales. 192.F. uſus. G. & 193. novæ author Menander.194.B. legendæ, & quibus maximè placent.*ibid.*D.
Conciones tam Lutheranicas quàm Papiſticas prohibet Cæſar.3.G.
Conciones eaſdem in Eccleſia ſæpius repetendas monet Melanchthon.42.D. 43.C. earum mutatio, ex ambitione Concionatorum nata.*ibid.*D.
Concionabundi juvenes ambitioſi.457.D.
Concordiæ publicæ quædam incommoda condonanda.251.D.
Confeſſio Lutheranorum Auguſtæ edita.5.D. confutatur.7.D.
Confeſſionem privatam probat Melanchthon.432.F.
Conjugium ſacerdotum diſplicet Regibus, quare.95.C.
Conjugium humanæ vitæ Academia.468.C.
Conſtantia Epiſcopum ſuum non admittit.760.D.
Contarenus Cardinalis ſenſum ſuum celat de controverſiis Lutheranis.18.C. fit durior.38 E.
Contritio quomodo antecedat fidem juſtificam.125.G.126.G.
Controverſiæ in religione faciunt literas contemni.21.A.
Conventus Lipſicus.44.F.
Conventus Spirenſis.672.B. Acta 673,674.F.
Conventus Auguſtani Acta.680.F. 681,682,685.
Conventus Smalcaldenſis Acta.767.E.
Conventu Haganoenſi diſputata. 771.F. Acta.774.C.
Conventus Ratiſbonenſis.780.E.866.A.G. Vide *Ratiſbonenſis Conventus.*
Conventus Spirenſis.794 A.C. 795.C. 796.C.
Conventus Colonienſis.814.E.
Conventus Lipſienſis Lutheranorum.826.E.
Conventus Wormatienſis.47.C. 72.C. Acta.952.A.D.
Cracovienſis Academia diſſipata.317.G.
Cranmerus ducit uxorem in Germania.328.C.
Cultus Dei vita bona.107.E.

D

D*ania* Lutheraniſmum recipit. 314. E. Rex moritur. 359. F.
Daniæ Rex Lutheri viduæ munera mittit.554.D. bellum Batavis parat.564.D.
Daniel Propheta injurias regias diſſimulat.568.A.
Decalogum in Eccleſia doceri nolunt aliqui.750.F.
Decretum Dei abſolutum, Stoica neceſſitas à Lutheranis dictum.923.D.& ſæpe.
Defenſor Eccleſiæ Imperatoris titulos.7.E.
Defuncti ſancti gratias agunt pro nobis, nóſque Deo commendant.41.B. pro defunctis in Domino gratiæ agendæ. *ibid.* C.
Democratia proportioni Arithmeticæ reſpondet.195.E.
De *Deſcenſu* Chriſti ad inferos judicium Lutheri.155.A.&c. de eo Hamburgi diſſenſio.154.F.
De *Deo* Evam domi inviſente lepida fabella.156.D.
Diabolus intrat corpora, & furores excitat. 454.G. de ea re exempla.455.A. precatione pellendus.*ibid.*D.
Diabolus cùm ſævit, ſibi cladem accerſit.546.B.
Diabolus vociferatur ſe ad conventum Auguſtanum profecturum.596.E.
Diabolus jacentibus inſultat.633.G.
Diaconos Lutherani habent.253.E.
Dialectices & Rhetorices cognatio.207.B.
Diſciplinæ ferociores impatientes.184.
Diſciplinæ laxatio populo placet.909.D. poſt eam difficilior omnium Statuum gubernatio.912.C. 916.C.
Diſputare inter arma ſtultum.922.E. 925.B.
De *Divortiis* Melanchthonis judicium.260.E. 261.A.
Dodrans duodecim digitis æqualis.643.B.
Dolor cordis eſt ſcelerum vindex.195.C.
De *Dominico* die Melanchthonis judicium.7.A.
Dryander Crannero commendatus.523.B.
Durerus (Albertus) obiit.660.B.

E

E*beri* hiſtoria Judaica.308.E.
Eccius poſtolat diſputationem cum Luthero.3.B. vim minatur.5.D.G. ſcribit contra Lutheranos.8.F. velitatio ejus cum Melanchthone.9.C. non admittit Cæſaris librum.17.F. gloriatur ſe poſſe Lutheraniſmum defendere.76. B.
Eccii ſophiſmata in conventu Wormatienſi. 76,77. & in Ratiſbonenſi.79.D. formula ejus concordiæ repudiata. 91.F. & 92.
Eccii opinio de juſtitia imputativa.108.G. contra eam Melanchthonis defenſio.127.E.
Eccii cum Melanchthone Wormatiæ diſputatio,576.C. contra ejus ineptæ Lutheran. propoſitiones.593.E. quid de Cæſare queritur.594.G.

Eccius

Eccius à Conventu Auguſtano Moguntinos Theologos excludit. 681. D. juſtitiam per fidem contingere fatetur. 685. E. quid dixerit in colloquio. 685. F.
Eccianus formula religionis à Lutheranis Principibus repudiata. 776. G. cum Melanchthone diſputat. 778. F. probat aliqua Lutheranorum. 778. F. 779. C. moritur. 804. A.
Ab *Eccleſia* Primitivæ uſu non licere diſcedere. 26. D.
Eccleſiam velut regnum politicum depingunt aliqui. 79. C. D. de ea diſcurſus. 81. B. definitio Pontificia. *ibid.*
Eccleſia audienda ut doctrix, non ut Judex. 86. C.
In *Eccleſia* ſemper eſt aliqua ſervitus. 103. D. 105. B. non deſerenda ob leves cauſas. 106. F. 107. E. G.
Eccleſia non patitur aſperiora pharmaca. 273. E.
Eccleſia eſt diſſimilium harmonicus concurſus. 196. D.
Eccleſia eſt altera patria. 754. C.
Eccleſiæ futuræ ſqualidiores in ſenecta mundi. 901. D.
Eccleſiaſtis 9. 1. exponitur. 77. B.
Eclipſis Solis mala ominatur. 697. F.
Eclipſis famem minatur. 760. F.
Eclipſis Solis ante Synodum Conſtantienſem. 922. B.
Edvardum VI. Angliæ Regem laudat Melanchthon. 493. F.
Electores ſeptem Germaniæ quando inſtituti. 510. A. 564. E.
Elevatio panis in Cœna, de ea judicium Melanchth. 243. A.
Eloquentia realis. 201. E. ejus laus. 205. &c. definitio. 206. G. defenſio. 207. uſus. 207. C.
Enthuſiaſmorum pericula. 139. D. E.
Epiſcopis juriſdictionem ſuam concedit Melanchthon. 9. F. ob quod à ſuis culpatur. 10. G. eorum dominationem minus tolerant civitates, quàm errores in doctrina. 21. A. 22. A.
Epiſcopis juriſdictionem à doctis concedi, fremunt indocti. 594. E.
Epiſcopis juriſdictionem concedit Melanchthon. 682. C. G. 686. D. quod malè habent ſui. 682. G. 683. A. 684. G. 685. A. ſed et ipſe Lutherus eam concedit: quâ conditione. 686. D. civitatibus eam excutere utile non eſt. 686. D.
Epiſcopis juriſdictionem concedunt Lutherani. 767. E. 772. A.
Epiſcopalem poteſtatem Eccleſiis utilem, cenſent Lutherani. 70. E. ſed ſucceſſionem non magni faciunt. 83. B. nec ordines ab iis collatos. 100. B. D. eam quâ conditione tolerent. 96. D.
Pro *Epiſcopis* inſpectores ſubſtituunt Lutherani. 939. C.
Epiſtolæ ad Romanos methodus. 141. A.
Eraſmus Lutheranos in tribus defendit. 6. E.
Eraſmus Cæſarem pro Lutheranis interpellat. 164. C.
Eraſmo Lutheranorum mores improbati. 540. C. cum iis non ſentit de libero arbitrio. *ibid.* E. 541. F. contra eum ſcribit Edvardus Leus. 575. A.
Eraſmus Melanchthoni offenſus. 541. C. 612. C. Luthero diſſentit. 622. G. 636. F.
Eraſmi Colloquia pueris legi Romæ prohibita. 753. B.
Eruditio ſecularis Prædicatoribus quàm utilis. 190. F.
Eruditionis & inſcitiæ fructus. 144. B.
Eruditio magnum decus Eccleſiæ. 148. E. ejus uſus in Theologia. *ibid.*
Eruditione extinctâ juſtitia labeſcit. 533. B.
Eruditione extinctâ religio commoritur. 543. B.
Exercitus Saxonicus in Angliam mittendus. 316. C.
Exercitus in aere viſus. 371. G.

F

Faber confutat Auguſtanam Confeſſionem, ſed parum feliciter. 7. E.
Ferdinandi Regis conſilium in Conventu Auguſtano. 6. B. ejus ludi equeſtres. 12. D. offert librum Auguſtanum Hungaris. 44. E.
Ferdinandi coronationem impedit Turca. 316. C.
Ferdinandus in imperio confirmatus à Papa. 387. D. vult Lutheranorum Legatos Tridentino Synodo intereſſe. 387. F. cedit ducatum Wirtebergenſi. 390. G.
Ferdinandus obſidet Budam. 782. D. Viennam intrans locuſtis obrutus. 837. G.
Ferdinandus Archidux copias ducit in Hungariam adverſus Turcos. 944. E. electio ejus à Papa confirmata. 961. B.
Feriæ non abolendæ. 500. E.
Ob *Feſtos* dies Eccleſia non deſerenda 84. D.
Feſtis Sanctorum concionantur Lutherani. 575. B.
Fides quomodo juſtificat. 129. E. 120. A. 125. F. rariùs populo prædicanda. 120. C.
Fidei imbecillitas triſtitiam affert. 668. D.
Flaciana factio. 455. F. 456. B. ut is grata. 465. B.
Florentina obſidio ſoluta. 2. C.
Fortitudo virtutum cuſtos 549. D.
Franciſcus Galliæ Rex accerſit Melanchthonem. 30. A. pacti conditiones cum Sabaudienſi. 38. A.
Francofurtenſis Conventus Acta. 231, 232. 761. D. 764. D.
Francorum prima ſedes in Germania ubi. 694. B.
Fredericus Palatinus Elector moritur. 942. C.
Fribergæ Conventui Lutheranorum Melanchthon non aſſentitur. 884. C. 886. E.
Furioſa non ſunt durabilia. 519. A.
Furores hominum calamitatum futurarum ſigna. 931. B.

G

Galli edicta contra Lutheranos. 244. E. vult Papam Synodo eſſe ſubjectum. 296. F.
Gallus Cæſari parat bellum. 391. D.
Gallus Proteſtantes incarcerat. 488. G. Germaniæ minitatur. 592. D.
Gallus Proteſtantibus mitior. 691. C.
Galli bello occupant ducatum Lucelburgicum. 817. A.
Galli ad S. Quintinum victi. 951. D.
Genebus urbs eſt Aurelianum Galliæ. 668. C.
Genevæ certamina de abſoluto decreto. 396. B. aliquis incarceratus, quòd Calvino diſſentiret *ibid.*
Genevæ multi nobiles exulant. 908. B.
Georgius Anhaldinus Princeps Lutheranus. 39. A. 40. A.
Germanicorum Hiſtoriographorum negligentia. 697. C.
Godefridi Bulionei patria. 392. E.
Gradus Academici in Germania. 722. C.
Græci Miſſam unam Dominicis & Feſtis habent. 597. A.
Granvellus nolit Lutheranos bello cogi. 52. A.
Granvelli conatus in Conventibus. 232, 233.
Granvellus Cardinalis Conventus Haganoenſis moderator. 774. F. 778. F. dehortatur bellum pro religione. 779. A. Melanchthoni ſuum Chirurgum mittit. 779. E.
Grynæus (Simon) moritur. 74. F.
Gubernatorum vituperatio populo placet. 909. D.

H

Haganoenſis Conventus. 771. E. Acta. 774. C. &c. 776. F.
Haſſus nondum in Lutheraniſmo firmus. 3. C. moderatè ſe gerit tamen. 8. A. ſpem pacis abjicit. 8. C.
Helvetii à reliquis Lutheranis diſſentiunt. 245. C.
Henricus octavus literatorum patronus. 20. G. illi res Lutheranicas exponit Melanchthon. 19. cui munera cum literis mittit Rex. 21. G. Proteſtantes caſtum mandat. 23. D. Articulos religionis edit. 22. G. 24. G. Papam vocat Antichriſtum. 28. F.
Henricus octavus Rex articulos religionis ſuæ mittit in Saxoniam. 345. A.
Henricus octavus Angliæ Rex: in eum invehitur Melanchthon. 366. D. illi artificem ſpeculorum commendat. 490. B. & alios. *ibid.* & *deinceps.* illi dedicat Locos communes. 491. F. eruditio Regis à Melanchthone laudata. 492. A. iterum cum culpat. 493. D.
Henricus octavus uxorem decollat. 738. B.
Henricus octavus Angliæ Rex Annam Clivenſem repudiat. 771. B.
Henricus II. Galliæ Rex Proteſtantes incarcerat. 47. E. non recipit Concilium Tridentinum. 48. F.
Henricus Galliæ Rex Angliam invaſurus moritur. 172. B.
Hermaphroditus parit. 693. F.
Hermolai Barbari laus. 198. B. 204. B.
Hilten (Johannes) falſa vaticinatur de Papa & Turca. 259. D.
Hilteneus falſa prædicit de Turcis. 442. C.
Hiſtoriæ laus. 163. A.
Hiſtoriographi quando Principibus neglecti. 527. G.
Holſatiæ Dux copias in Angliam ducit. 947. A.
Hoſtes domi diſſipandi, ut apes fumo. 462. A.
Hungaricæ civitates Lutheraniſmum recipiunt. 435. F.

I

Ieremias à ſacerdotibus excommunicatus, non deſiit eſſe Eccleſiæ membrum. 73. A.
Johan. 8. 25. bene expoſitus. 187. B.
Johannes à Laſco Fryborum miniſter. 855. C. in Angliam navigat. 915. G.
Illyricus falſò à Lutheranis accuſatus. 84. C. 86. G.
Illyricus Melanchthonem perſequitur. 963. C.
Illyricus Lutheranos incuſat. 134. A. quos Melanchthon excuſat. *ibid.* mendacii arguitur. 135. B. Principes metu ſeditionum terrendos ait. 134. F. gladios minatur. 136. D.
Imagines Chriſti & B. Virginis depingunt Lutherani. 907. B.

Lutheri dies natalis.507.G.
Impotentia conjugalis faſcino procurata.587.B.
De *Indifferentium* uſu non litigant Lutherani. 56.D. 58.B. 62.B. 84.D. 86.G. 101.F. 102.A.D.
Indoctorum audacia.144.B.C.
Infans in utero vagit.799.B.
Infantula recens nata, flammâ extinctâ, quæ eruperat ex alvo matris.937.A.
Injurias aliquando diſſimulâſſe prodeſt.552.F.
Innupti curis publicis inutiliores.391.C.
Inſpectores Eccleſiarum.98.E.
Inſpectores pro Epiſcopis ſubſtituunt Lutherani.939.C.
Interim, liber, ſive Sphinx Auguſtana.44.E.589.E.
Interpretatio Scripturarum penes quos. 79.C. E. 85.D. &c. & 130.D.
Cum *Invidia* poſt gloriam factorum certandum.639.G.
Invocatio abſentis tribuit illi omnipotentiam. 96.B.
Iſlebius error de bonis operibus.272.D.
Judæi, devictis opcribus, quid fecerint. 75.D. intelligunt cæremonias ad ſuam tantùm politiam pertinere.*ibid.*E.
Judæi conſcribunt exercitum, & invadunt Palæſtinam. 682. F.
Juliacenſem agrum exercitus duo populantur.813.A.
Juriſtæ ſacerdotia petunt inter Lutheranos.528.D.E.
De *Juſtificatione* imputativa diſſertatio.119.D.125.

L

LAbentes contra conſcientiam amittunt gratiam.836.G.
A *Laſco* Calviniſta in Polonia.271.A.
A *Laſco* (Johannes) in Anglia.522.A.E.
Latimerus martyrio coronatus.943.F. 959.F.
Ob *Lectionum* ordinem Eccleſia non deſerenda.84.D.
Leges non ſunt potentum arbitria.65.B.
Legibus velle ſolvi, fœderi humano contrarium.387.B.
De *Leone* ſe exarmante lepida fabula.98.B.
De *Liturgia* diſſentiunt Lutherani.297.E.
Liturgias Græcas Latinè donandas voluit Anhaltinus. 319. E. duos Canones habent.340.F.
Liber concordiæ Lutheranis a Cæſare oblatus. 78. G. de eo Authoris judicium.79.A. 80,81,82,83.
Libertas & ſervitus immoderata res peſſimæ.260.E.
Liberum arbitrium ante gratiam non valet niſi ad precandum.129.D. diſſertatio.*ibid.*
Lineam veſtem defendit Melancthon.316.D.322.B. tulit initio Lutherus.357.C.
Lipſicus Conventus.44.F.
Lipſienſis Conventus Lutheranorum.826.E.
Lipſiam obſidet Saxo. 430.A. ſigna imminentis lois ibi. 438. E.
Lis dabitur viro meliori, ubi teſtes non ſunt.644.C.
Literarum cognitio Principi neceſſaria. 33.C.
In *Literarum* inſcitia efferantur mores.139.B.
Literæ diſciplinæ vincula.175.G.
Literæ in odium vocatæ, propter controverſias in religione. 21. A.
Literaturâ extinctâ religio commoritur.533.B.
Λόγος quare Chriſtus dicatur.278.E.
Lucæ Cap.2.Verſ.5.expoſitus.45.A.B.
In *Luctu* apes omittunt operas.43.A.
Lugere bonos honeſtum.40.F.
Lugere hominis eſt, bene à natura inſtituti.118.G.
Lutherani ſententias mutant pro tempore. 3.C. eorum Principes frigidè cauſam agunt.8.D.10.A. 11.B. cauſa iterum ad Cæſarem rejicitur.11.E. 12.A. expetunt pacem honeſtam.11.F. quid Cæſari reſponderint de capitibus Smalcaldæ.14.B. poſtulata in conventu Ratisbonenſi. 15.A.C. capitula diſcordiæ cum Pontificiis. 16. *per totum.* 28.A. 95.B.C. 96.G. 99.G. literæ ad Cæſarem.18.
Lutherani in Germania & Pannonia reſpuunt Imperatoris librum Auguſtanum. 44.E. Theologi interpellant Gallum pro captivis Proteſtantibus. 47. F.48.F. profitentur ſe non appetere Eccleſiæ opes. 52. F. monaſteria tamen invadunt.53.B. eorum bona, parochis collata. 54,55. de indifferentium uſu non litigant.56.D. inſimulati, ſe tantùm ſimulare concordiæ ſtudium ſeſe excuſant.55,56. ut & de aliis criminibus.72 F.
Lutherani nolunt legatum Papalem eſſe judicem ſuum.74 B. non belligerant cum Eccleſiæ politia. 82. B. diſſenſio de dogmatibus.83.G. diſſertationes inter ſe, & cum Pontificiis 84, 85, &c. ſtant confeſſioni ſuæ Auguſtanæ. 85. F. Synodum expetunt.87.D. controverſiarum tria capita generalia.94.D.&c.
Lutherani: Contra eos præjudicia vulgi quæ.97.C. diſſentiunt aliqui inter ſe.*ibid.*D. 108.A. & de Ritibus, ſive Adiaphoris.101, 102, 103. pulſi è multis Eccleſiis. 104. D. 105.A. tolerant adiaphora. 104.G. 105. B. 106.C. dolent ea alicubi abolita.105.E. 107. litigantur de Ordinatione. 120.E. de dogmatibus aliis.122,123,125,137,&c.
Lutherani Epiſcopis ſua concedunt: Adiaphoras non damnant.170.D. 174.G. Eccleſiis pulſi in Suevia. 237. D. contra eos Galliæ Regis edicta.244.E. diſſentiunt Helvetii.245.C. Auguſtanam concordiam rejiciunt. 245.F. miniſtri à Communione reos arcent: & abſolvunt. 253.E.
Lutherani petunt pacem Francofordiæ. 231.D. eorum conſtantia in colloquiis cum Pontificiis. 233. A.C. in Auguſtana confeſſione ſcribenda diſſentiunt 235.A.
Lutherani Principes qui 253.F. diſſentiunt de doctrina Oſiandri.257 C. Eccleſias habent in Hungaria ſub Turcis. 268.E. aliquot in Hiſpania cremati.273.B. flagitant Synodum.273.D. Auguſtanum librum non recipiunt 273.G. languidiùs diſputantes bellum in patriam ſuam attrahunt. 280.E. eorum exercitus ab Imperialibus victus.281.C. de Liturgia diſſentiunt. 297.E. cantiones Miſſalea veteres defendit.300.E. pelluntur Suevia.316.
Lutherani diſſentiunt de Cœna. 406.E. exercitum conſcribunt contra Cæſarem.425.E. aliqui de dogmatibus quædam remittunt.432.F. vide & 434. D. progreſſus bellici. 438. 8. vocantur in Poloniam. 439.A. Brentæ diſſentiunt de Cœna 447.E. 465.B. quibus libris hærent 496. F. 497. E. G. imagines Chriſti & B.Virginis iis gratæ. 507.B.
Lutherani cremantur in Belgio. 556. C. & in Gallia. 565. F. Conventus agunt Principes.577 D. ineptæ propoſitiones contra Eccianas.593.E. Epiſcopis juriſdictionem concedunt.594.E. docti eorum ſententias ſuorum non intelligunt.598.A.
Cum *Lutheranis* diſputationes Papa ægrè concedit. 766.D. Conventus eorum Smalcaldæ. 744. D. nolunt Synodum Mantuæ indici. 745. G. Principes fœdus renovant. 747. D. Conventum agunt in Saxonia.754.F. Epiſcopis juriſdictionem concedunt.767.E. timent privatim cum Cæſare de religione agere.767 F. nolunt à Confeſſione Auguſtana recedere.774.D.
Lutherani quid reſponderint Cæſari, in Conventu Haganoenſi.775.A. quomodo ibi cum Theologis Romanis ſe geſſerint.776.G. 777.A.&c.
Lutherus Melancthoni iraſcitur.4.E. 5.A. 6.F. ægrotat. 2. C. reviviſcit.12.F.
Lutheri filius Paulus.270.D. vidua 322.D. cum Iſlebio lites. 304. E.
Lutherus in diſputatione iracundior 541.F. viduæ ejus munera mittit Daniæ Rex.554.D. mors.557.G. 558.
Lutherus ναζωραῖος.*ibid.*E. Theologus ſæpe à Melancthone appellatur. 627. B. 687. ipſe die Paſchatis iter incipit. 629.D. vehementior in diſputationibus & in ſcriptis.658. F. lis ei cum Camerario.658.F. Epiſcopis juriſdictionem concedit.686.D.
Lutheri ſtomachus Achilleus. 783. D. probat à ſuis acta in Conventu Ratisbonenſi. *ibid.*
Lutheri mors.866.F. 867.B.

M

MAgiſtratus eſt legis cuſtos. 161.F.
Magiſtros creant Academiæ Germanicæ.932.G.
Magnarum rerum conſilia non vacant periculis.87.E.
De *Malis* viris omnes malè merentur.913.C.
Malum bene poſitum temerè non movendum.151.D.
Mantua Synodus à Papa indicta.487.C.
Marci 13.23. exponitur.267.B.
Martyres Lutherani in Belgio.556.C.
Matrimonii commoda. 179. F. cauſæ. G. & 180. A. typus conjunctionis Eccleſiæ cum Chriſto.181.B.
In *Matrimoniis* conſenſus parentum.248.F, ſed vide 249. A. B. 260.E.
De *Matrimonio* in ſecundo gradu affinitatis.341.D.
Matrimonii ſtatus Philoſophicus. 391.C.
Mauritius Dux periclitatur in acie Turcorum.807.D.
Melancthon quædam in Apologia Lutheraniſmi pro tempore mutanda ſuadet. 3. C. confeſſionem ſcribit. 3. D. intereſt comitiis Auguſtanis. 4. F. conſultat Lutherum de quibuſdam articulis. *ibid.* G. 5.D. angitur: Confeſſionem Auguſtanam Imperatori exhibet.5.D. nondum certus de quibuſdam capitibus doctrinæ.6.F.

Melancthon

Melancthonis velitatio cum Eccio de quibus articulis. 9. B. multa concedit ei. 9. E. in aliis non aſſentit. 11. E. Worici cum oderunt, quare. 12. A. ſcribit Henrico octavo Regi literas multas. 20. &c. illi munera Rex mittit. 21. G.

Melancthonis cenſura de articulis religionis ſub Henrico octavo editis. 24. C. 25. F. quæ reprehendat in religione Pontificia. 25. C. &c.

Melancthonem accerſit Rex Galliæ, ut reſarciat res religionis. 30. A. ejus reſponſio. *ibid.* D. oſſa ſua caſu luxantur. 38. B. ejus natalis. 44. conciones edit. 41. G.

Melancthonis diſſertatio cum ſuis, de quatuor. 84. B. et de iiſdem cum Pontificiis. 86. F. non vult Eccleſiam deſeri ob Adiaphora. *ibid.* D. 86. G. adverſariis de doctrina nihil concedit. 96. B. ejus defenſio contra Eccium. 127. E. contra Illyricum. 133. ejus Loci communes, Lutheri doctrinæ epitome. 134. D. reddit rationem quare eos ſcripſerit. 140. D. 142. G. et de editione ſuorum ſcriptorum. 144.

Melancthonis ſtudia et ſcripta. 144. 145, &c. quos abuſus reformavit. 151. F.

Melancthon à ſuis et ab hoſtibus accuſatus, ſe purgat apud Cæſarem. 225. rationem Luthero reddit de Conventu Francofurtenſi. 231. et de Wormacienſi. 233. multa in ſuis libris corrigit. 235. C. ejus de Synodis judicium. 241. B. de elevatione in Cœna tollenda, conſilium. 243. A. & de uſuſi atollendis. 243. F. cum Illyricus ſugillat. 250. C. tollit Lutherus; quare. 340. D.

Melancthon timet ſibi de prædictionibus genethliacis. 270. C. In Britanniam vocatus, ideo non venit. *ibid.* Magdeburgum fugit. 281. E. et Northauſen. 282. F. metuit ſibi ob eclipſin Lunæ. 290. C. ſomnia ſua obſervat. 294 D. orationem componit, quam dicturus erat Anhaltinus Princeps. 311. F. 312. ſanguinem ejus ſitiunt aliqui. 325. F.

Melancthonis præſagium irritum de die judicii. 327. C. et de excidiis regnorum poſt 500. annum. 362. F. G. Ariſtocratiam laudat. 358. A. 362. G. et 413. F.

Melancthon opinatur Turcicum regnum ad Polonos fore transferendum, et inſignes inſtare mutationes. 387. A. 399. G. Gallus eum accerſit. 390. D. et Anglus *ibid.* E. genethliacis credit. 406. G. 394. D. et 404. G. et prodigiis. 400. D. et aſtris. 401. D. 402. E. G. 405. E. 457. D. 407. A. 409. D. 435. F. fugit. 415. B. 469. G. privatam confeſſionem probat. 432. F. et exorciſmos dæmonum per precationes. 455. D. Palatinus eum accerſit. 455. imperiorum ruinas impendere prædicit. 459. A. Palatinus erat. 460. F. laudat Angliæ Regem Henricum. 492. A. et filium Edvardum. 493.

Melancthon malè ominatur regnis. 510. A. Polonos in Lutheraniſmo erudit. 510. E. Lipſia illum odit. 572. D. ad Tridentinam Synodum delegatur. 527. B. illum laudat Sadoletus Cardinalis. 519. G. illi Eraſmus aliquando offenſus. 541. C. 622. C. contra eum ſcribit Oecolampadius. 543. A. exulat. 550. F. ruinam imperio ominatur. 564. B. D. F. geneſibus Principum credit. 564. F. G. Wormaciæ cum Eccio diſputat. 576. C. iraſcitur illi Brandenburgus, quare. 581. F. intereſt Conventui Auguſtano. 595, 596. credit eclipſibus. 697. F.

Melancthon credit inſomniis. 690. C. 698. F. etiam prædictionibus & oſtentis. 699. D. 708. A. geneſibus Regum. 716. G. 693. D. 694. D. ſecundò in Angliam vocatur. 717. E. Anglos irridet. 620. G. 621 A. ejus ſtatura. 643. C. occupationes diurnæ. 661. B. diſſuadet bellum. 661, 663, 665. ſollicitatur ad defectionem 665. G. papiſta à ſuis dicitur. 669. B. intereſt Conventui Spirenſi. 671. A. credit Mathematicis prædictionibus. 680. A. juriſdictionem ſuam Epiſcopis concedit, in Conventu Auguſtano. 682. C. G. moderatio ejus reprehenditur à ſuis. 683. A. E. 684. G. 685. D.

Melancthoni ſcribit Rex Galliæ. 719. E. nolit in Gallias proficiſci. 730. B. injurias diſſimulat. 735. D. quare in Angliam vocatus, non proficiſcitur. 738. B. conſulitur de reſtauranda Academia Tubingenſi. 740. A. ſex conventibus ineſt. 767. B. conſtantia in religione. 743. A. ob ſomnia, et quòd ludis intereſſe conſuevit, ridetur. 744. A B. Epiſcopis juriſdictionem concedit. 767. E. 772. A de ritibus indifferentibus non vult atrocius litigandum. 776. B. &c. conſilium ejus in Conventu Haganoenſi. 777. E. &c. pro ſuis contra Eccium diſputat. 778. F. timet ſibi ab aſtris. 779. F. diſputatio in Conventu Ratisbonenſi. 781. E.

Melancthon ſomniis credit. 806. A. Bonnam proficiſcitur, ad adjuvandā rem religionis in Colonienſi diœceſi. 812. D. &c. librum de ea re componit. 814. C. aſtris credit. 827. E.

Melancthon in exilio Serveſtæ commoratur. 874. F. accerſitur à Brandenburgo. 879. F. credit aſtris. 884. G.

Melancthon vanè ominatur de excidio Imperii Romani. 937. G. negat ſe Regibus conceſſurum, ni aliquid in Eccleſia conſtituant. 938. F. mutationes prædicit. 719. D. 778. C.

Melancthon in Angliam rurſus vocatur. 722. F. 915. F. 930. C. ejus moderatio. 920. D. E. malè ominatur de periodo Imperii Germanici. 925. D. de Quadrageſima ſententia. 953. G. eum expelli ſatagit Illyricus. 963. C.

μέριμνα ἀπτικὴν. 89. F.

Meſſia è Romanæ quædam. 643. C. &c.

Metenſes cives Lutheraniſmum amplectuntur. 60. G. pro iis ſcribunt Principes Germaniæ. *ibid.*

Militi quæ contemplanda. 196. G.

Miniſtri fugâ periculum evitent. 240. D.

Miſſas privatas culpat Melancthon: quare. 25, 26. earum beneficium aliis non applicandum. 27. B.

Pro *Miſſa* privata argumentum Gallicum. 95. E. refutatur. *ibid* F.

Miſſæ Canonem culpat Melancthon, et quare. 26. C. &c.

Miſſales cantiones veteres defenſæ. 300. F.

Miſſas privatas tollere, quare facile. 500. G.

In *Mœſtitia* apes omittunt operas. 43. A.

Moguntini contra Lutheranos edicta. 317. B.

Monaſteria invadunt Lutherani. 53. B. F. inde Concionatoribus ſtipendia aſſignant. 54. C. D. de pœnitentiæ fructu velitatio. 77. G. 78. A. 82. A.

De *Monaſteriis* quid actum inter Lutheranos. 526. D.

Monetarius Anabaptiſta bello captus. 630. F.

Mortui vident res noſtras. 862. B.

Mortuis feliciter quieſcere Melancthon optat. 657. B.

Mortuus reſpirat, et quædam prædicens, decumbit. 597. C.

Morus (Thomas) interfectus. 729. G. 734. E.

Mula parit. 270. G.

Muncerus Anabaptiſtarum pater, ſeditionem movet. 629. G. novis prophetiis fidit. *ibid.* quam grandia ſuis pollicetur. *ibid.* G. dira minatur. 630. D. victus prælio. 630. F. in ſuppliciis quæ faſſus eſt. 631. E.

Mutationibus ſemper aliquid incommodi ineſt. 105. D.

Muſicæ laus. 195. B. in templis. 296. D.

N

Navarræ regina Lutheranis favet. 495. C.

Navis quaſſata fruſtra ſcopulis ſupplicat. 78. B.

Nicolaus Herbus (Anglus) exul Witebergæ. 734. F. laudatur *ibid.* et 736. A.

Noriberga exules Academicos Lutheranos alit. 875. G.

Nuptias precibus celebrant Lutherani. 916. D.

O

Oculos quæ lædant. 621 E.

Oecolampadius ſcribit contra Melancthonem. 543. A. inter improbos reputatus. 540. D. moritur. 699. G.

Oligarchia harmonicæ proportioni reſpondet. 196. A. aptior Eccleſiæ *ibid.* B.

Opinio ſæpe vim adfert veritati. 24. B.

Oratio comata ſemper cinæda. 199. E. 100. A.

Orationis lumina, verborum ſplendor, & geſtus. 192. C.

Orator quis. 207. G.

De *Ordinatione* diſſentiunt ſecum Lutherani. 120. E.

Origenis περὶ ἀρχῶν ſcopus. 141. A.

Originale peccatum quanta mala invexit. 76. C.

Originale peccatum quid. 188. F.

De *Oſiandri* doctrina controverſia inter Lutheranos. 84. 119. eum non condemnat Brentius. 84. E. 87. A.

De *Oſiandri* doctrina diſſentiunt Lutherani. 257. C. locum quærit in Anglia. 328. C. ſententia de juſtificatione. 335.

Oſiandri dogmata Lutheranos turbant. 568. G. quænam illa erant. 569. B.

P

Palatina familia à Carolo magno orinnda. 459. B. 463. F.

Palatinus Elector fit Lutheranus. 776. G.

Palinus Romanus. 643. margine.

Papam Synodo ſubjectum fore Gallus vult. 296. F.

Papæ non ſemper indixerunt Synodos. 518. D.

Papa jus habet indicendæ Synodi. 745. D.

Partus monſtroſus. 887. G.

Patrum in Scripturis interpretandis autoritas. 130, 131.
Paulina methodus docendi. 237. *A.* 239 *F.*
Peccato nihil triſtius. 876. *F.*
Pecunia olim præda fuit è manubiis. 698. *A.*
Perſia regibus quare ignis præferebatur. 80. *G.*
Perſuadent vita dicentis, veritas rei, & ſobrietas orationis. 201. *F.*
Pes Romanus. 643. margine.
Petrus Martyr Argentorati docet. 546. *A.*
Phantaſma nocturnum. 718. *C.*
Philoſophorum barbara eloquentia defenditur. 198, &c.
Philoſophus quis 208. *A.*
Pici Mirandulæ legatio ad conventum Spirenſem. 672. *E.* Oratio ibi. 673. *C.*
Pietate vera nulla via major. 929. *F.*
Politicum non eſt multas poteſtates inſtituere. 40. *C.*
Poloni quidam recipiunt Lutherum, alii Calvinum. 265. *E.* factiones ibi ea de re. 271. *A.*
Populo prædicanda lex & pœnitentia, juſtificatio per fidem rarius. 120. *C.*
Populo placens laxatio diſciplinæ, & vituperatio gubernatorum. 909. *D.*
Portentum de ſanguineis ſpicis. 432. *D.* de infante in utero vagiente. 435. *B.*
Portentum in aere. 552. *A.* varia. 628. *F.*
Portentum de infantula, flamma extincta, quæ eruperat de alvo matris. 937. *A.*
Potentia & ſapientia natura cognatæ. 33. *C.*
Prædicanda populo quæ. 120. *C.*
Prædicatores ad bella non accendent. 241. *E.*
De *Prædicatoribus* monita. 190. *A.* ſecularis eruditio quid iis prodeſt. 190. *F.*
Prædictio falſa de augendo imperio Turcico. 442. *C.*
De *Præſentia* ſubſtantiali Chriſti in cœna Buceri judicium 581. *B.* Ea veteri Eccleſiæ ignota. *ibid.* *D.*
Præſentia Chriſti in pane qualis. 605. *A* & 606. *C.*
Precabantur Oratores initio orationum. 209. *E.*
A *Primitivæ* Eccleſiæ uſu non licet diſcedere. 26. *D.*
Primitivi Chriſtiani armis non decernebant de dogmatibus 500. *B.*
Principibus ignavis iraſcitur Deus. 32. *D.*
Principum inſtitutionis formula. 63. *D.* &c.
Principis officium. 141. *F.*
Principes boni libertatem dicendi amant. 78. *G.*
Principes metu ſeditionum terrendos: Novatorum vox. 134. *F.*
Principes literatos eſſe convenit. 161.
Principum in Eccleſia munera. 300. *F.*
Principes pro tribunali ſæpiùs ſedere, ſubditis gratum. 503. *A.*
Principes petulantiâ ſcriptorum non irritandi. 920. *E.*
Prodigium pugnæ aeriæ ſerpentum. 268. *G.*
Prodigia in aere. 362. *G.* 371. *F.*
Prodigium leonum in aere. 930. *B.* aliud. 930. *G.* aliud. 931. *A.*
Prodigium de infante in utero vagiente. 799. *B.*
Prodigia in Belgio. 722. *D.* 724. *C.* in Germania alia. 726. *G.* 727. *A.*
Prodigium. 736. *G.* alia. 908. *A.*
Prodigia ruinas portendunt. 170. *G.*
Propheta falſus de Papa & Turca. 259. *D.*
Proportiones Arithmeticæ, Geometricæ. 195. *E.*
Proprietas oratoribus ambienda. 209. 210.
Protector Angliæ capite plectitur. 874. *C.*
Proteſtatio Lutheranorum Spiræ. 673. *A.* unde nomen Proteſtantium.
Proteſtantes in Gallia incarcerati. 488. *G.*
Proteſtantes: Vide *Lutheranos.*
Pſalmus 102. 22. expoſitus. 187. *D.*

Q

De *Quadrageſimæ* jejunio Melancthonis ſententia. 953. *G.*
Quiete & abſtinentiâ multi morbi curantur. 757. *F.*
S. *Quintini* clades Gallorum. 951. *D.*

R

Ratiſbonenſis Conventus hiſtoria. 14. *E.* 780. *E.* 866. *A.* *B.* Acta. 78. *D.* 781. *E.* 872. *C.* *F.* Qui Principes aſſenſerunt Lutheranis. 784. *A.*
Regna Hungarica, Polonica, Germanica, eodem tempore formata. 509. *G.*
Regnorum uſitata periodus. 510. *A.*
Regnis fatalis annus quingenteſimus. 262. *F.*
In *Religione* Pontificia quæ reprehendenda. 25. *C.* &c. 26, 27, 28, 29. & 73. *D.* &c.
Reſpublica ſemel mota, non facilè quieſcit. 425. *F.* 441. *D.*
Rhetores mendaces præſtigiatores. 198. *F.* &c.
Rhetorices laus. 205. &c.
Riga à Moſcovitis obſeſſa. 255. *A.*
Ritus divinos ad alios uſus transferre impium. 26. *D.*
Ritus, utcunque inſtituti, non temerè mutandi. 40. *B.*
Ritus Romanos uxori permittit Brandenburgicus Lutheranus. 51. *D.*
Ritus Eccleſiæ conſervandi. 300. *E.* 302. *D.* *E.* nolit mutari Illyricus. 324. *C.*
Ritus humanos ſimiles eſſe neceſſarium non eſt. 355. *D.*
Ritus non ſine ſcandalo novantur. 501. *C.*
In *Ritibus* conſenſus non eſt neceſſarius. 58. *B.*
Ritus indifferentes tolerandi ad tempus. 776. *A.* *B.*
Ruſtici ſeditionem moventes quàm grandia ſibi pollicéantur. 629. *G.* novis Prophetis fidunt. *ibid.* dira minantur omnibus. 630. *D.* trucidantur. *ibid.* *F.* Ridentur. 631. *A.* in eos ubique animadverſum. 633. *A.* *B.*

S

Sabaudienſis Dux paciſcitur cum Gallo: Conditiones. 38. *A.*
Sabaudienſis bellum Helvetiis minatur. 947. *A.*
Sacerdotibus turpe non dicere quod ſentiunt. 78. *G.*
Sacramento adeſt Chriſtus, non propter panem, ſed propter hominem. 249. *F.*
Sacramentum (initio) circumferebant Lutherani. 302. *D.*
Sacramenta extra uſum inſtitutum non ſunt Sacramenta. *ibid.* & 340. *F.*
Sacramentarii. 565. *C.* *G.*
De *Sacrilegio* prodigium. 527. *B.*
Sadoletus Cardinalis Melancthonis fautor. 519. *G.*
Samoſateni hæreſis recrudeſcit. 467. *E.*
Sapientia & potentia natura cognatæ. 33. *C.*
Sapimus rectiùs poſt factum. 663. *A.*
Sarepta officina metallica. 252. *D.*
Saxoniæ Dux Luthero conſtans. 2. *D.* Friſios ad Lutheraniſmum ſollicitat. 3. *B.* enſem Cæſari præfert. 3. *F.*
Saxo ab Imperialibus bello captus. 281. *C.* inclinat pacificationi Eccleſiæ. 323. *G.*
Saxo Lipſiam obſidet. 430. *A.* à Cæſare captus. 432. *E.* liberatur 441. *A.*
Scripturas interpretari, penes quos. 79. *C.* *E.* 85. *D.* &c. & 130. *D.*
Serveti errores. 152. *E.*
Serveti dogmata. 708. *C.* et 710. *B.*
Scholaſticorum barbaries defenditur. 198. *F.* laudatur. 200. *E.* *G.* eorum Latinitas non Romana, ſed Pariſienſis. 202. *F.* vituperantur. 207. *D.* &c. 213. *D.*
Scholaſticorum doctrina unde compoſita. 884. *G.*
Scoti in tres factiones diviſi. 825. *B.*
Sicles ſibi cudi mandat Melancthon. 237. *B.* 259. *F.* & 267. *A.* ejus valor. 330. *B.* & 587. *F.*
Sigiſmundus Gelenius Norimbergam vocatus. 635. *D.* 640. *E.*
Smalcaldenſis Conventus Acta. 13. *D.* 767. *E.*
Smalcaldenſis Lutheranorum Conventus. 744. *D.* diſputationes & deliberationes. *ibid.* & 745.
Sol cruentus apparet, et in partes diviſus. 371. *F.*
Solâ fide juſtificamur: quis dixerit cloacam Antichriſti. 229. *D.*
Sola fides juſtificat: de ea theſi Melancthonis judicium. 250. *C.* 315. *E.*
Spectrum Spiræ viſum. 596. *E.*
Spectrum. 794. *A.*
Spirenſis Conventus. 570. *C.* 672. &c. 794. *A.* *C.* 795. *C.* 796. *C.* 826. *B.* &c. Acta. 673, 674. *F.* &c. finis ejus placidus. 833. *F.*
Sponſa illius qui aliam poſt ſponſalia compreſſit, non poteſt cogi ut adultero nubat. 460. *E.*
Sponſalia Pythagoreorum ad aras facta. 177. *G.* Lutheranorum cum precationibus. 181. *D.*
Stancari hæreſis. 260. *B.* 266. *D.* 274. *G.* &c.
Staphylus ſcribit contra Lutheranos. 270. *E.*
Ex *Stellis* conjectandum de morbis futuris. 251. *G.*
Studioſi minimè ambitioſi. 457. *D.*
Stylo juventus formatur, quàm utilis. 750. *C.*
Succeſſionem Epiſcopalem non magni faciunt Lutherani. 83. *B.*
Suenckfeldius enthuſiaſmos introducit. 139. *D.*

Suenckfeldii

Swenckfeldii errores unde. 358. D.
Swenckfeldius contra Lutheranos ſcribit. 940. E.
Suecia rex Lutheranis favet 494. C.
Sutor (inter Lutheranos) ſacerdos factus. 389. D. Redit ad ſutrinam. *ibid.*
Symbola cum Scripturis Judicea controverſiarum. 85. D. & 86. B.
De *Syneſii* Epiſtolis Melanchthonis judicium. 657. D.
Synodi coacti ad lites dirimendas. 87. F.
De *Synodis* Melanchthonis judicium. 242. B.
Synodus Mantuæ à Papa indicta. 487. C. ſed Lutheranis improbata. *ibid.* G.
Synodos non eſt neceſſe à Papa indici. 518. D.
De *Synodis* Nazianzeni ſententia. 684. C.

T

Tempeſtates aſtris ſignificatæ. 847. F.
Terræmotus ad Rhenum. 935. G.
Teſtes qui non producit, cauſa cadit. 644. C.
1 *Tim.* 2. 15. expoſitus. 186. B.
De *Traditionibus* diſquiſitio. 6. F.
Tragœdias coram populo agere, utile. 191, 192.
Tranſubſtantiatio cauſa Turcicarum victoriarum. 80. F.
Tranſylvani & Walachi recipiunt Lutheraniſmum. 369. A.
Tridentinæ Synodi ſeſſio prima prorogata. 256. C.
Contra *Tridentinum* concilium fœdus Papæ. &c. 246. E.
Tridentina Synodus diſſeritur. 849. E. Incipit. 851. F.
Tripolis à Turcis quater occupata. 922. G. 923. A.
Triſtitiam affert imbecillitas fidei. 668. D.
Tubingenſis Academia aucta. 709. E. 740. C.
Turca filii à patre deficiunt. 271. E. 272. B. 374. D. multa in Hungaria deſerunt. 337. A.
Turca Germanos trucidat in Hungaria. 440. C. 441. B. de iis prædictio falſa. 442. C.
Turca in Hungaria graſſatur. 557. G. 579. G.
Turci à Walachis profligati. 758. G. & in Hungaria. 800. C.
Turci trucidant plurimos in Croatia. 752. A. pugnæ hiſtoria. 753. D. ſævitia in Hungaria. 787. C. 825. F.
Turca pro pace ſupplices Reges Chriſtiani. 864. G.
Turci in Hungariam redeunt. 941. A. vincuntur. 944. D.
Tyrannis veritati inimiciſſima. 276. D.
In *Tyrannide* ſuperbia ſumma, cum timiditate maxima. 692. E.

V

Venetorum claſſis à Turcica circumventa. 754. E.
Verbum (Λόγος) eſt divina hypoſtaſis. 152. F. &c.
Veritas altercando amittitur. 669. E.
Obterſum lineam eccleſia non deſerenda. 84. D. arguuntur deſertores. 106. G. 134. F.
Vicinum moderationis via improbata. 95. D.
Vitrum Sidonæ conflatum. 252. D.
Vitulomonachus (monſtruoſum portentum) quid ſignificat, 628. F.
Vota impia impoſſibilia non ſunt ſervanda. 27. E.
De *uſuris* & contractibus diſſertatio. 243, 244.
uſura vorax mutationis impiorum ſignum. 915. A.
De *utraque* ſpecie diſquiſitio. 10. E.
E *Vulgi* applauſu pendere virum non decet. 856. C.
Vulnera glutinanda non multùm contrectanda. 313. D.
uxor apem imitetur. 182. C.
uxorem fratris ducere an liceat. 735. G. 737. D.

W

Walachi Turcam exeuunt. 256. A. 412. E.
walachi Turcas profligant. 758. G.
In *weſtphalia* papiſmus re-obtinet. D.
wittembergæ obſeſſa. 872. B.
wittberga obſidione Imperialium liberatur. 282. E. Academici redeunt. 288. C. ſed ob inopiam pauci. 312. A.
wormatienſis Conventus. 47. C. 555. A. hiſtoria. 83. colloquium Lutheranorum. 84. &c. differentia partium. 85, 86. finis cum tumultu. 87. B. Acta. 75. &c. 832, 833. A. 952. A. D.

Z

Zwinglianos damnandos contendunt Lutherani aliqui, 84. A. & Pontificii. 86. E.
Zwinglius bello occumbit. 697. B. 698. E.

IN

IN THOMÆ MORI,
ET
LUDOVICI VIVIS
EPISTOLAS
INDICULUS RERUM.

A*Driani* VI. Papæ laus.73.*A*.
Æſchines invidet Demoſtheni.8.*B*.
Ajax pecudes verberans, putat ſe Agamemnonem atque Ulyſſem feriſſe.6.*B*.
Alberti Logica improbatur.20.*G*.
Amicitiæ glutinum virtus.84.*D*. inter malos, amicitiæ fructu adempto, ea ſolvitur.*ibid*.
Angli pacem ineunt cum Gallis.105.*E*.
Animus magnus et perditus eodem ſunt loco.81.*E*.
Apocalypſis impenetrabilis.28.*G*.
De *Ariſtotelis* Logica judicium.20. et 21.*B*.
Aſſentatores potentium peſtes.82.*G*. quare.83.*A*.
Athenæ quoties bello oppreſſæ.89.*D*.
In *Auguſtinum* de C.Dei commentaria parat Vives.90.*F*. 92.*G*.93.*E*.94.*A*. quid in illis præſtitit.94.*F*. recognoſcit.182.*E*.
Auguſtum mortuum quomodo plangebat Roma.88.*A*.

Bellatores ſtragibus famam ſacroſanctam ambiunt.75.*C*. eorum barbaries.76.*B*.
Belli decora quæ.86.*B*. miſeria.80.*G*: 87.*C*. in bello non licet bis peccare.89.*A*. ultimum Principi refugium.89.*B*. incerta alea.*ibid*.&c.
Bellum Anglorum cum Gallo,pro Papa.5.*B*.
Bello non deerit prætextus, modò non deerit poteſtas.77.*A*.
Bonus honorem ſuum venerabilem reddit.72.*F*.
Ad *Bonviſum*, Mori literæ.68.*E*.
Brixius Angliam conviciis impetit.2.*E*. 50.*A*. ſcribit Antimorum.4.*E*. furit in B.Rhenanum.8.*D*. arguitur mendacii.50.*B*.*C*.
Budæus Eraſmo infenſus.111.*C*.

Cæſar Galliæ Regem bello capit.80.*C*. ingentem parat claſſem.113.*C*.
Chordigera Brixii, ſive navis Gallica.50.*B*.*E*. inde nomen poemati.51.*D*. de ea cenſura.53.*B*. 54.*B*.
Chriſtiani bello crudeliores Ethnicis.76.*D*.
Concilia generalia Eccleſiæ medicina.77.*E*. ea,ut venena,Papæ aliqui oderunt.*ibid*.*F*.

Dorpius ſcribit contra Eraſmum.15.*A*. &c. illum confutat Morus.*ibid*.&c.

Eraſmi laus.17.*D*. Academiæ eum charum habent.19.*C*. Anglicæ utræque eum invitant.*ibid*.*D*. ejus *Moria* Scholaſticos offendit.41.*A*.*B*.
Eraſmum adjuvat *Vives* in Adagiis colligendis.90.*D*.91.*A*. eum præceptorem ſuum vocat.91. 93.*B*.
Eraſmus pro Lutherano habetur.91.*C*. ſed ab invidis.*ibid*.*D*.*E*. ſuſpicio unde orta.*ibid*.*F*. excuſatur ab aliquibus.98.*B*. præſidium vitæ in innocentia ponit.95.*A*.*C*. exoptatur in Anglia.104.*B*. ejus liber de libero arbitrio,quàm acceptus Henrico Regi.104.*B*. ejus Enchiridion Hiſpanicè donatum.107.*E*. de ejus ſcriptis litigatur in Inquiſitione Hiſpanica.109.*C*. &c. penſiones habet ex Anglia.110.*D*. illi cum Budæo ſimultates ſecretæ.111.*C*. præ ætate valetudinarius.113.*G*.
Europæ ſtatus à Vive plangitur.72.*E*.

Fiſherus Roffenſis Epiſcopus incarceratur.114.*D*.
Frobenius Eraſmo & Vivi injuſtior.105.*B*.

Galliæ Rex à Cæſare captus.80.*C*.
Gilbertus Cognatus Eraſmi amanuenſis.114.*D*.
Gloria, quàm inanis.112.*G*.112.*G*.
Græcæ linguæ utilitas.39.*B*.&c. multa ei deſunt, cui hæc deeſt.40.*E*.

Grammaticorum plagoſum imperium.17.*C*.18.*G*.

Henricus octavus Angliæ Rex Papam juvat contra Gallum.49.*G*. reformat rempubl.61.*G*. laudatur.63.*B*. 80.*B*. 84.*C*. Illi pro liberatione Galliæ Regis ſcribit Ludovicus Vives.80.*C*. ſtudiorum Lud.Vivis patronus.89.*G*. 90.*E*.
Herveus navis Gallicæ capitaneus.50.*E*.61.*G*.
In *Hiſpania* qui rerum potiuntur.112.*F*.
Homini alendo quanta terræ portio ſufficiat.71.*C*.

Jacobus Faber Scholaſticos vult reformare.10.*D*. Dialectices & Philoſophiæ inſtaurator.19.*F*.
Jacobus Scotus bello ab Anglis peremptus.55.*G*. inſepultus jacet per annos multos.52.*A*.
Imperium iis artibus retinendum quibus eſt partum.77.*D*.
Imperia duriora citò diſſolvuntur.83.*D*.
Innocentia factorum vitæ præſidium.95.*A*.*C*.

Leodienſis Epiſcopus defendit Eraſmum.98.*D*.*E*.
Linacrus vertit Ariſtotelis & Galeni quædam.40.*A*.
Linacer obiit.104.*G*. liber ejus de Emendata conſtructione.105.*A*.
Lites omnia invadunt.111.*D*.
Ludovici Galliæ Regis cum Papa diſcordiæ.49.*G*.
Ludovicus Vives apud Anglum intercedit pro liberandò Galliarum Rege.80.*C*. ſtudiorum ejus patronus Rex Henricus VIII.89.*G*.90.*E*.parat commentaria in Auguſt.(de C.D.) 90.*F*.91.*G*.93.*E*. Eraſmo mittit quædam Adagia.90.*D*.91.*A*. Dux Albæ eum invitat.96.*D*. ducit uxorem Anglam.103.*F*. in Anglia verſatur.105.*C*.quanti fecit Eraſmi judicium.106.*A*. 108.*E*. abſolvit Commentaria in Auguſtinum.98.*G*. docet pueros.100.*G*.

Malus, nec bono amicus,nec malo.69.*G*.
Metus malè cuſtodit potentiam.77.*G*.
Metus debile regni fundamentum.84.*A*.
Militibus jocus eſt ſcelera perpetrare.86.*D*.
Miranda notat Annotationes Eraſmi in Novum Teſtament.97.*D*.
Morus ſe defendit adverſùs Brixium.2.3.&c. ejus Epigrammata à Rhenano laudata.8.*G*. legatur in Flandriam.14.*E*. de Ariſtotelis Logica judicium.20. Apologiam ſcribit pro Eraſmo.14.&c. fabella ejus de diſputatore ridiculo.26.*B*.&c. S.Scripturarum ſtudium, quæſtiunculis utilius eſſe defendit.19.*F*.literæ ejus ad Bonviſum,ex carcere.68.*E*.incarceratur.114.

Navale belli Anglorum & Gallorum.50.*A*.

Oxoniæ ſtudet Lud. Vives.81.*G*. de aere ventoſo, & victu conqueritur.114.*G*.
Pacis commoda.88.*E*.
Pacem optant Cæſar,Anglus,Gallus,ſed petere nolunt.69.*G*.
Pacis commoda.70.*F*. Barbari eam petere honeſtum ducunt.71.*A*.
Papæ diſcordia cum Ludovico Galliæ Rege.49.*G*. ei opitulatur Anglus.*ibid*.
Pauli Æmilii laus.56.*B*.
Pillei mendax hiſtoria.55.*C*.*F*.*G*.
Princeps in Republica velut anima in corpore.82.*D*. facta celare non poteſt.82.*F*.

Rege malo,mali ſubditi.83.*C*.
Regens nomen navis Anglicæ.50.*C*.61.*F*.
Regnum ſtabile,præſtat amplo.89.*E*.
Regni debile fundamentum metus.84.*A*.
Rhenanus laudat Mori Epigrammata.8.*G*.
Reipublicæ ſtatus optimus,81.&c.

Romæ

Romani victrix, quoties victa.89.*D*.

Sapientia falſa quæ.71.*G*.
Scholaſtici quæſtiunculis magis quàm ſacris Bibliis intenti. 28.*D*. in patribus parum verſati. 31.*D*. vituperantur. *ibid*. *F*. & 32.*A*.*B*. ridentur.*F*.
Scholaſticos reformare vult Jacobus Faber. 10. *D*. eorum quorundam ſtudia ridicula.25.*G*. 26.*A*. de iis jocus.*E*.
Scoti ab Anglis prælio victi.55.*G*.
Scribere omnes non debent 79.*C*.
S.*Scripturarum* difficultas.29.*B*, &c. earum ſtudium, utilitas. *ibid*.*F*.
Septuaginta Græca tranſlatio corrupta.36.*G*. ſed non à Græcis.37.*C*.*G*. emendatior Latina *ibid*.*E*.

Servi dominorum comitate corrupti.46.*F*.
Sophiſticæ argutiæ ridiculæ.21.*C*.&c.
Stunica invectivas parat in Eraſmum.95.*E*.
Studiorum merces ægritudo.100.*C*.
Subditi quomodo formandi.85.*F*.*G*.

De *Turca* timens ſibi Europæi.102.*G*.

Vincere quid ſit.76.*B*.*C*.
Vita maximè perſuadet.86.*A*.
Univerſitates tam prodeſſe Eccleſiæ, quàm diabolum. 19.*A*. Anglicarum laus.19.*F*.
Vulgata Scripturarum verſio. 34. *D*. iterum corrupta. 35. *E*. quomodo ei fidem habet Eccleſia.36.*B*.

FINIS.

I N D E X

Rerum, Verborum, Scripturarum.

ABbatum & Præpoſitorum officium. 1242. *a.*
Abraxas, deus Baſilidis. 1612.
Abuſus rei non tollit uſum ejus. 1072. 1224. *a.* 1962. *e.* 2102. *c.*
Abuſus in Eccleſia. Vide *Eccleſia.*
Abuti, non ſemper ſumitur in malam partem. 136. *g.*
Academiæ. In Germania tot ferè Academiæ, quot oppida. 755. *a.*
Angelopolitana ab Herneſto Duce Bavariæ fovetur. 121.
Cantabrigienſis. 112. 346. 369. V. *Cantabrigia.*
Colonienſis pertinaces habuit malarum literarum propugnatores. 343. 755. *a.* V. *Colonia.*
Complutenſis. 755. 778.
Erfordienſis. 336. 608.
Friburgenſis. 1339. *g.* 1536. *f.*
In Lypſienſi Crocus Anglus Græcas literas docet. 512. Pòſt Petrus Moſellanus; tum Jacobus Ceratinus. 993, *&c.*
Eam fovet Georgius Saxoniæ Dux. 617. 995.
Lovanienſis. 180. 186. 343. 635. *d.* 636. 750. *a.* 751. *a.* Ejus celebritas & frequentia. 736. *b.* 756. 994. 1067. 1090. Hieronymus Buſlidius in ea collegium trilingue exſtruxit. 180. 186. 736. 755. 756. 1113. 1405. Quidam illud tollere ſtudent. 1261. 1405. 1542. *g.* Eraſmus rogat Erardum Cardinalem Leodienſem ut illud locupletaret. 1435. In Lovanienſi Acad. qui præcipuè eminebant. 756. *a.* Lovanienſis Academiæ vetera privilegia confirmare negat Clemens Pont. 1067. Ibi bonis literis obnixè obſiſtitur. 1090. *c.* V. *Lovanienſes.*
Oxonienſis. 346. 369. 755. V. *Oxonia.*
Pariſienſis. 570. V. *Pariſienſis Academia.*
Accenſi qui. 463. *b.*
De Adagiorum ſcriptoribus. 749.
An ſi Adam non peccaſſet, homines jugiter in Paradiſo habitaſſent. 1458. *d.*
Nominis A D A M etymologia à Cypriano & Auguſtino notata excutitur, & frigida eſſe cenſetur. 1449, *&c.*
Adfero, mavult Eraſmus quàm *affero.* 778.
Admirari poſſumus quod non reprehendimus. 137. *a.*
Admonitio jocoſa non rarò perutilis. 2005. *b.*
Admonitores varii. 140. *c.*
Adoleſcentes facilè trahuntur ad vitium. 317. *d.* 318. *d.* 476. *f.* 625. *c.* De eorum educatione. 1500, 1501. 1699, 1700. 1865. *f.* An, ut ait Ariſtoteles, non ſint idonei diſcendæ morali philoſophiæ. 1699. *c.* Non ſunt ad monachiſmum alliciendi. 1283, *&c.* V. *Monaſtica vita.*
Adoptio. Nos non adoptione, ſed naturâ unum eſſe cum Patre & Filio, aſſerit Hilarius. 1641. *a.*
Adriani Barlandi encomium. 756.
Adrianus, Judæus, Hebraicæ linguæ peritiſſimus. 205.
Adrianus Imp. 1529.
Adrianus VI. Pont. Eraſmum conſulit de Lutheranis tumultibus ſedandis. 785. 1159. Monet eum ut quod in Novo Teſtamento fecerat, idem faceret in Veteri. 914. 921. In Scholaſticis diſciplinis educatus, iis favebat. 1487. Scripſit commentarios in iv. librum Sentent. 1487. *e.* Ei Pontificatum gratulatur Eraſmus. 1199. 1648.
Adropare, Arnobio quid. 1652. *a.*
Adverſa quæ dicenda. 883. *g.* 884. *a.* Salubriora ſunt proſperis. 884. *b.* V. *Afflictio*, *Calamitas*, *Mala.*
Adverſùs, pro *erga*, Seneca uſurpat in bonam partem. 1668. *g.*
Adulatio cicutæ ſimilis. 1717. *d.*
Adulatores fugiendi. 198, 199.
Adulatorem ab amico ut dignoſcamus, diligentiam adhibere oportet. 1765. *g.*
Ægidius. V. *Petrus.*
Ægidius Delphus penè totam ſcripturam carmine complexus eſt. 109.
Æmylius. V. *Paulus.*
Æones hæreticorum. 1612. *f.*
Æquitas quid. 843. *c.*
Æſtati pax comparatur. 619. *c.*
Affectus corporis quid. 1153. *e.*
Afflictionibus virtus redditur ſpectatior. 89. *a.* 501. *a.* 847. *c.* 849. *c.* 1058. *e.* 1386. *d.*
Nullum animal magis obnoxium afflictionibus quam homo. 1788. *b.*
Vulgus hominum non cogitat afflictiones immitti à Deo. 1898. *d.*
Quomodo Deus adſit ſuis cùm afflictionibus exercentur. 773. *b.* 858. *c.* 884.
Cur Deus afflictionibus ſuos afficiat. 1134. *e.* 1310. *g.* 189, *&c.*
Deus ſuorum afflictiones lenit & temperat. 1031. *c.*
Afflictum hominem non decent facetiæ. 486. *b.*
Afflictos quomodo ſe gerere oporteat. 847. 849. 853. *a.* 884. 1129. *e.* 1310. *g.* 1316, 1317. 1896, *&c.*
Quodnam ſit eorum præcipuum ſolatium. 883, 884. 1058. *d.* quodnam optimum remedium. 2062. *b.* 2093. *f.*
Dolet Eraſmus, quòd mundus tot plagis afflictus non reſipiſcat. 1898. *g.* 1918. *d.* 2061. *e.*
Afri temporibus Auguſtini fuerunt rudes Dialecticæ. 1577. *f.*
Africus ſtylus notatur. 1636. *g.*
Ager, unde dicatur. 1451. *d.*
Agricola. V. *Georgius*, & *Rodolphus.*
Agricolarum tumultus in Helvetiis. 955. *a.* 1021. 1340. *c.*
De Corn. Agrippa judicium Eraſmi. 1319.
Albertus Pius. V. *Pius Carpenſis.*
Alcyonius. V. *Petrus.*
Andreas Alciatus laudatur. 1047. *a.* 1086. 1163. 1386. Monet Eraſmum, ut rabulas negligat, nec eorum conviciis reſpondeat. 1410. 1546. Hectorem Hoxvirium ab Eraſmo commendatum humaniſſimè excipit. 1544.
Alea fugienda. 1570. *d.*
Aleander. V. *Hieronymus.*
Alexandri Magni impetus & ambitio damnatur. 101. Chœrili verſus quàm carò emerit. 1745.
Alexander, Eraſmi præceptor, laudatur. 1985. *g.*
Alexander, Archiepiſcopus S. Andreæ, diſcipulus Eraſmi. 832. 2068. Oculorum vitio laborabat. 834. Manum Eraſmi dextrè effingebat. 1514.
Alfonſi Fonſecæ Archiepiſcopi Toletani laus. 1582. *f.*
Algerus de Euchariſtia ſcripſit. 1658, *&c.*
Amantium iræ amoris redintegratio eſt. 1334.
A M B R O S I U S tumultus ſedat. 1585. *f.* Ex profano Præſide fit Epiſcopus. 1585, 1586. Theodoſium Imp. templo prohibet. 1586, 1587. (Quod factum cum facto Babylæ confertur. 1586) Juſtinæ Auguſtæ ſimili conſtantiâ reſiſtit. 1588. Reliquos Latinos Doctores in quibuſdam antecelluit. 1584. *g.* Eum Auguſtino cur poſtponant Scholaſtici. 138. *a.* Ei ſimilis, è Græcis, Gregorius Nazianzenus. 1446. Nullius ſcripta minùs obnoxia invidiæ. 1588. *c.* Unus Hieronymus alicubi minùs candidè de libris ejus ſentire videtur. *ibid. f.* Pleraque hauſit ex Origenis commentariis. 1589. 1645. *g.* De ſtylo ejus & ſcriptis cenſura Eraſmi. 1589. Ejus opinio de interdicto ſanguinis *Actor.* XV. notatur. 1837. *e.*
Ambroſius Leo, Nolanus medicus, quæ ſcripſerit. 531. *c.* Græcas literas jam caneſcens didicit. 532.
Amerbachius. V. *Bonifacius*, & *Ioannes.*
Amicitia ἀπροσηγορία refrigeſcit. 1754. *f.* 1755. *e.*
Amicitia inter bonos ſolida & conſtans, inter malos inſtabilis. 464. *a.* 479. *a.* 511. *d.*
De hominum amicitiis queritur Eraſmus. 1371. *e.*
Amicorum poſſeſſio optima. 149. 183. 751. *b.* 1074. *e.* 1519. *c.* 1521. *d.*
Amico ſincero nullum fidus felicius. 568. *e.*
Amicorum fidorum deſcriptio. 257. *b.* 301. *f.*
Amicus ſincerus & liber rarò, præcipuè regibus, contingit. 1765. *c.*
Amicorum officium. 1981. *e.*
Amici officium non fungitur qui ab amico verbum *Rogo* exſpectat. 510.
Amici abſentes literis conjunguntur. 1985. *a.*
Andreæ Ammonii altrix Britannia. 387. Multis offen-

ditur in Anglia.424. Ægrè fert fortunæ malignitatem. 426.*a*. Eraſmo equum donat.427.*d*. Poemata edit.433.*b*. Ejus carmen de Tornaci expugnatione ſummè laudat Eraſmus. 410. Sudore Britannico extinguitur. 386. V. *Mors*. Ejus laus. 413.*c*. 421. 1210.

Amor Platonicus non, ut ille Poetarum, cæcus fuit, ſed oculatiſſimus. 573.*c*.

Amor nonnunquam conciliatur malorum ſocietate, 1078.*ſ*.

Amori τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται. 1516.1523.

Anabaptiſtæ. 852.*g*. 1543.*f*. ἀναρχίαν invehere ſtudent. 1259.*g*. 1261.*c*. Reges creant, civitates vi & dolis occupant.1537.*f*. V. *Germania*.

Anabaptiſtæ in Weſtphalia trucidati. 1537. 1543.*g*. 1556.*e*.

Anabaptiſta quidam Baſileæ Joannem Baptiſtam ſimulat, qui tandem Lucernæ exuritur.1264,1265.

Ἀναπόδειξα quibus potiſſimùm accidant.1647.*a*.

ANDREÆ Apoſtoli reliquiæ Conſtantinopolim tranſlatæ.1807.*f*.

Andreæ Critii Epiſcopi Plocenſis laus.1127. Scribit libellum De Miſſa. 1440. Fit Archiepiſcopus Gneſnenſis. 1531.

Andreas Zebridovius peregrinas nationes inviſit. 1131. 1331.*g*.

Angelus Politianus, Leonis X. Pont. R. præceptor.88.*f*. Laudatur.274.581.

de Angelo Paradiſi cuſtode lepidafabula.307.

Angliam patriam vocat Eraſmus. 123.*e*. Ejus felicitatem prædicat.181.*e*.309.356. Ingreſſus Eraſmi in Angliam inauſpicatus. 311.*f*. Ædificia in Anglia ei videntur inſalubria. 1140. Latrocinia ibi compeſcuntur.356.*b*. De monachis quibuſdam ſumitur capitis ſupplicium.1543.*d*. In Anglia triumphant bonæ literæ.364,*&c*. 368,369. V.*Britannia*.

Dolet Eraſmus quòd non potuerit contumeliam, quam in Anglia acceperat, rependere. 497.*g*.

Anglos bellum adornare dolet Eraſmus,142. A Scotis infeſtantur. 1510.1520.

Anianus. V. *Chryſoſtomum vertens*.

Ἀντίκας & αὐτίκας quomodo differant.1063.

Anima. Optat Eraſmus ut Paulus conditionem animarum poſt mortem pleniùs aperuiſſet.1830.*e*.

Animantium diverſorum formas & ingenia ſpectare, Tho. Moro præcipua erat voluptas.536.*b*.

Animi bona appellationem Bonorum maximè merentur. 549.*c*. Quo pretio paranda.550.*c*.

Animi mala plura & graviora quàm corporis. 1788, *&c*. 1806.*e*.

Animus excelſus quis. 1144. *d*. 1146. *d*.1304.*c*.1799.*d*.

Anna Berſala Princeps Veriana Eraſmi & Batti patrona. 286.293.500. Quàm alacriter adverſa tulerit.502. Laudatur. 500. Eraſmus pecuniam ab ea impensè rogitat. 449.451.473.*g*. 501.*f*. Cur eum ſublevare deſierit. 478.*d*. 482.*b.e*. 484.*a*.

Annos tres veterum literæ prodiderunt,quibus confertur Anna Veriana.500.

Annum Poloni auſpicantur à Paſchali die.828.*d*.

Ἄνωθεν, Luc.1.3. ἀπ' ἀρχῆς, *retrorſus*. 19.*g*.

Anſâ eâ quiſque prehendendus quâ commodè teneri queat. 271.*b*.

Anthropomorphitæ.1599.*d*.

Antichriſti præcurſores appellantur, Lutherus, Eraſmus & Faber. 669.

Anticomaritas ſtolidè quidam dixit pro *Antidicomarianitas*, 1734.*e*.

Antiochiam Româ feliciorem cur dicat Eraſmus. 1807. *a*.

Antipodes priſcis inauditi.1691.*a*.

Antoninus. V. *Johannes*.

Antonii à Bergis, Abbatis D. Bertini, encomium. 503.

Antonii Fuggeri laus. 1358.

Antonius à Grimberga, Principis Bergenſis F. unà cum præceptore Adriano Barlando, in aulam Britannicam commigrat.623. *&c*.

Antonius Nebriſſenſis, Academiæ Complutenſis ornamentum. 755.

Antonii Sucqueti laus. 1261,1262.

Antuerpiæ templum exuritur. 1949.*c*. 1951.*g*.

Apelles, hæreticus. 1613.*d*.

Ἀφίημι, quomodo reddendum. 1063.

Apocalypſis nullo modo recipit paraphraſten, vix interpretem. 1079.*f*.

Apolecti & Selecti qui antiquis. 59.*b*.

Apophthegmata, Principibus maximè accommoda. 1770.*a*. 1773.*g*.

Apophthegmata qui ſcripſerint 1770.*d*.

Plutarchi Apophthegmata laudantur. 1770,&c.

Apophthegmatis optimum genus quod. 1773.*g*. V. *Proverbia*.

Apoſtolatûs vox improbata rectè loquentibus. 1892.*b*.

Vocabuli *Apoſtolus* ineptæ derivationes. 1579.*g*.

Ægrè fert Eckius, quòd Eraſmus ſcripſiſſet, Apoſtolos Græcitatem ſuam è vulgi colloquio didiciſſe. 833.*f*.

Apoſtoli cur impolitiùs loquuti ſint. 1343.*c*.

Librorum adminiculo eos uſos fuiſſe, non fuit indignum. 135.*g*.

Sermonis ruditas & barbaries in Apoſtolicis literis unde. 136.*b*. 1650.*g*. 1887.*a*. V. *Solœciſmi*.

Quantâ civilitate & manſuetudine in concionibus uſi fuerint. 762.*&c*.

Initio diſſimulabant Divinitatem Chriſti.1115.*a*.

Cur dicantur *filii excuſſorum*. 1645.

Cur pauperes eos eſſe voluerit Chriſtus.553.556.*c*. cur *Coelibatum*. 1208.*b*.

Apoſtolorum dignitas, arma, & præſidia. 1828.*e*.

Quantùm Epiſcopi & Sacerdotes ab Apoſtolorum moribus degenerarint. 1826, *&c*.

Aquinas. V. *Thomas*.

Ἀρχή. Οὐκ ἀρχὴν, quid. 778.*a*.

τὴν ἀρχὴν, abſque negatione, præterquam in Joanne non reperit Eraſmus.778.*b*.

Aretinus. V. *Chryſoſtomum vertens*.

Argumenti tractandi methodus. 1672.*d*.

Arianorum hæreſis.768.1595. 1633. V. *Chryſoſtomus*, & *Hilarius*.

Eorum curioſa ſubtilitas Patres ad arduas diſputationes adegit. 1633.*g*. 1821.*f*.

Videtur Eraſmus eis aliquantulùm patrocinari.1640 *d*.

Ariſtoteles laudatur. 1675.*a*. 1676.*a*. Ejus ſtylus qualis. 1658.*e*. Nuſquam non requirit lectorem attentum. 1770.*a*. Ejus ſcripta per L. Syllam ab interitu vindicata, 1676.*g*. Quot libros ſcripſerit. 1677, *&c*. quot interciderint. 1678, 1679. Libri Ariſtoteli aſcripti, de quorum tamen autore ambigitur.1679, 1680. Plura ex ejus ſcriptis extant Latinè verſa quàm quæ Græca reperiuntur, 1679.*d*. Qui Ariſtotelem interpretati fuerint.717.

De Aldina Ariſtotelis editione.1680.*d*. De Bebeliana. *ibid.e*.

Armis conſilium melius. 1504.*e*.

ARNOBIUS quo tẽpore floruerit.1651.*e*.Ejus antiquitas unde colligatur.1652.*d*. Erat Lactantii præceptor.1649.*c*. In ſomniis adactus fuit ut flagitaret baptiſmũ.1650.*c*. Ejus in Pſalmos Cõmentarios unde nactus fuerit Eraſmus.1648.*f*. Cur illius operis non meminerit Hieronymus.1652.*c*. Idẽ fuit cum eo qui ſcripſit Adverſùs Gentes. 1649.*g*. (Quod opus interciſſe putabat Eraſmus. 1652.*c*.) Quo modo tractandi uſus fuerit. 1651.*g*.*&c*. 1657.*a*. Et brevis eſt & dilucidus. 1648.*g*. 1652.*g*. Barbariſmi ejus nonnulli indicantur.1651.*g*. Ejus ſolœciſmi & impolities excuſantur.1649, *&c*. Nihil ſcripſit quod hæreſi eſt affine.1653.*e*. Quantum in eo emendando laborarit Eraſmus. 1654.*b*.

Artes quomodo repertæ. 1088.*g*.

Aſpera vaſtatur. 571.

Aſperum dupliciter dicitur. 1645.*d*.

ATHANASIUM vertit Joan. Reuchlinus. 997. Baſilius illi præfertur.1627.*g*. Ille præfertur Baſilio aliiſque Patribus.1871.*f*. Commentarii in Epiſtolas Pauli qui Athanaſio adſcribuntur, ſunt Theophylacti.1096.1870. De ejus ſcriptis.1870.

Atticiſmus & Atticiſare quid.126.*f*.

Avari, pecuniarum cuſtodes veriùs quàm domini. 527.*d*. Deus cujus lucri ſit avarus. 550.*f*.

Averroes, impius καὶ τρὶς κατάρατος. 532. Adverſùs eum libros XLVI. ſcripſit Ambroſius Leo. 531.

Auguſta, civitas Germaniæ.854. 1305. V. *Conventus Auguſtanus*.

Auguſtenſis Epiſcopus Lutheranus eſſe cenſetur. 1443.

Auguſtinenſes duo monachi Bruxellæ ſunt exuſti. 1076. 1278.1429.

Auguſtinus quidam Eraſmi amicus, 473. vafrè & perfidè

cum

cum illo agit. 488.498.*e*. V. *Eraſmus*.

Auguſtinus Eugubinus ſcribit in Eraſmum. 1950.*e*. Ejus lapſus nonnulli notantur. 1449, *&c*.

AUGUSTINUS, fons in Paradiſo à Mendicante dicitur. 769.*a*. Ei nimium tribuit Joannes Eckius, 137.*e*. & tribuit Scholaſtica. 138.*a*.

Nomen illi quàm aptum contigit. 1571.*d*.

Concubinam habuit; quâ ereptâ aſcivit alteram. 1572.*d*.

Fit Manichæus. 1572.*d*.

Non fuit omnino rudis linguæ Græcæ. 1481. Platonicâ philoſophiâ impenſiùs delectabatur: Ariſtotelicæ parùm deguſtabat. 1577. Dialecticam quàm exactè calluerit. *ibid*. In extemporali dictione quantum valuerit. 1578.*a*. Pleraque per notarios ex ore loquentis excepta ſunt. 1578. *a*. 1649.*e*.

Ejus ingenium, 1574.*e*. Manſuetudo, 1574.*f*. Clementia, 1575.*e*. ſobrietas, 1572.*g*. 1573.*g*. induſtria & vigilantia, 1573.*b*. caſtitas, 1573.*e*. moderatio linguæ, 1573.*e*. charitas in pauperes. 1574.*c*. A maledicentia & obtrectatione quàm abhorruerit, 1573.*g*. & à litibus. 1574.*b*. Cæſaris iram interceſſione ſuâ mitigat. 1574.

Quamdiu fuerit Epiſcopus. 1574.*e*. Ejus mors. 1576.*f*.

Quos hæreticos proſtraverit. 1575. Quâ manſuetudine erga eos uſus fuerit. 581.651.861.1151.1574.1575.

Lapſo, poſt ſatiſfactionem, aperit Eccleſiæ januam; relapſo non aperit. 767.

Liberum arbitrium probat ex eo quòd dicitur, *Nolite judicare, Nolite jurare, &c*. 1481. Minus tribuit libero arbitrio quàm Pontifici. 1640.

Obſtinatiùs infenſus fuit mendacio. 1780.*a*.

Quoſdam ejus errores notat Eraſmus. 1355.*a*.

Scriptor fuit obſcuræ ſubtilitatis & parùm amœnæ prolixitatis, 959. 1579. ἀναγκαιολόγος, 1027. ὀρθοδοξότατος. 1246. Solus præſtat omnes Chriſtiani ſcriptoris dotes. 849.

Cenſura Eraſmi de ejus libris De ſermone Domini in monte. 904.*b*.

Ejus Retractatio non eſt palinodia, ſed recenſio ſuorum operum. 1329.*g*. 1354. Non omnia retractavit quæ ſunt retractatione digna. 919.*b*. 1885.*g*.

Chryſoſtomus ei ſimilis fuit. 1446. Confertur cum Hieronymo. 134. 138, 139. Ei præfertur Origenes. 139.*g*. Eloquentiâ eum longè ſuperat Cyprianus. 1616.*f*. 1617.*a*.

Quodnam ex ejus ſcriptis ſit abſolutiſſimum. 1633.*e*.

De ſcriptis quæ falſò ei tribuuntur. 1580.*e*. 1583.*e*. Quantum ejus ſcripta depravarant ſacrilegæ manus. 1579. 1583.*e*.

Auguſtinum primus excuſit Joan. Amerbachius. 1578.

Ad Auguſtinum emendandum Joan. Frobenius Eraſmum inſtigavit. 1581. Et propemodum gratis Eraſmus operam ſuam impendit. 1047.*f*. Eum Ætnam ſuam & Athonem vocat. 1027.*e*. 1030.*c*. Quàm ſcatebant mendis priores editiones. 1177.*g*. 1578.*g*. 1583. *d*. Quid in eo opere præſtiterit Eraſmus. 1177.*f*. 1180.*a*. 1579. Quem ordinem ſequutus fuerit in digerendis Auguſtini voluminibus. 1581.*g*. 1582. *b*. Quem ſequutus fuerit ipſe Auguſtinus. 1581.*e*.

Pro Auguſtini editione optat Eraſmus ut impetretur privilegium Regis Galliæ. 1047. Ab eo opere pendebant facultates liberorum Frobenii. *ibid*.

Malè habet Dominicanos quod Eraſmus Auguſtini caſtigationem moliatur. 1582.*g*.

Objicitur Eraſmo, quòd Auguſtinum non legerit. 134.*c*. Cui objectioni reſpondetur. 138.*b*.

Aula. Vix ulla aula quæ prorſus abſit ab omni ſpecie tyrannidis. 535.*e*.

Aulicorum mores. 414.*g*. 486.*e*. 535.*e*. 1569. 1570. V. *Præcepta*.

Quibus rebus temporis tædium ſoleant fallere. 535.*f*.

Aulica vita quid. 531.*d*.

Auli Gellii locus excuſſus. 832.

Autor Latinis quid. 1198. 1354.*f*. V. *Pater*.

Autores qui præcipuè legendi. 464.*d*. V. *Libri*.

Autores quidam antiqui inter ſe diſſonantes. 1773. *e*.

Autores quidam recenſentur qui ludicra tractarunt. 1777.

Autores quidam magni ab aliis magnis autoribus reprehenſi & contempti. 270. *a*. 384.

Inter autores veteres multa phraſeos diſcrimina. 1065. c.

Autores veteres emendare, quàm arduum negotium. 1631.*b*.

Autores ſolent in uno aliquo opere quid poſſint oſtendere. 1633. *d*.

In eos qui autores veteres præ novis faſtidiunt. 1647.*e*.

Qui quibuſdam autoribus contigerint patroni. 501. *f*.

Autores eâ quiſque anſâ prehendendi quâ commodè teneri queant. 271.*b*.

B

BAalis prophetas quomodo pingebant quidam Lutherani. 1061.

Babylæ mors. 1705.*g*. Ei minùs feliciter ceſſit quàm Ambroſio, Imperatorem templo prohibere. 1586. 1803.

de Badio judicium Beraldi, 1166.*g*. Eraſmi. 1171.*g*. Eum cum Budæo confert Eraſmus. 1030. V. *Budæus*.

Baifius. V. *Lazarus*.

Baptiſmum, neutro genere, apud Auguſtinum. 1651.*b*.

Baptiſmus non eò felicior, quò pluribus ceremoniis peragitur. 1207. *d*.

Baptiſmum infantulis non ſalutis, ſed honoris causâ dari, dicunt Lutherani. 1101. *a*.

Cypriani error de Baptiſmo excuſatur. 1618.*a*.

Suſceptores & ſuſceptrices olim in Baptiſmo adhibebantur. 1651. *b*.

Joannem Baptiſtam ſimulat Anabaptiſta quidam Baſilie. 1264.

Barbariem pellendi optima ratio. 146.*b*. 611.*b*.

Barbariem quidam affectant. 546. *c*. 717. *c*.

Barbaries quanta undique fuerit paulò ante Eraſmum. 716. *e*.

Barbaries in Apoſtolicis literis unde. 136. *b*.

Barbari quibuſdam etiam Cicero, Maro, Livius viſi. 651.

Barbirius. V. *Petrus*.

Barbarus. V. Hermolaus.

Barlandus. V. *Adrianus*.

Baſilea, Eraſmo gratiſſima. 1301. Dicit Baſileam non minùs ipſi debere quàm ipſe Baſileæ. 1128. *f*. Cur illinc emigrarit. 1302. 1935.*c*. Eccleſiaſtæ illic cur ei infenſi. 1301. *c*.

Reformatio Baſileæ. 846. *a*. 851.

Baſileenſe concilium. V. *Concilium*.

Baſilides hæreticus. 1611. *c*.

Baſiliſcus, hæreticus. 1613. *d*.

Baſiliſcus martyr. 1604.

BASILII Magni laus. 1626, *&c*. Græcos Oratores eloquentiâ ſuperat, 1627. c. & Græcos Patres. 1627. *e*. Cuinam ex Latinis ſimilis fuerit. 1446. Inter ejus ætatis ſcriptores Eraſmo unicè placet. 1320. 1446. 1873. *f*.

Cenſura Eraſmi de ejus expoſitione in Eſaiam; 1871. déq; libro de Spiritu Sancto. 1874.

De Baſilii interpretibus. 1628. *g*. 1629.

Magnus illi tumultus à philoſophis ſuſcitatus eſt, quoniam *Cum Spiritu* pro *In Spiritu* dixerat. 1875. *d*.

Ejus humanitas. 1628. *d*.

Batus. V. *Jacobus*.

Beatus Rhenanus. V. *Rhenanus*.

Beatitudinis præcipuam portionem nulli ſecundùm Deum magis debemus quàm nobiſipſis. 549. *c*.

Beatitudinis circulus quibus rebus abſolvatur. *ibid*. V. *Felicitas*.

Beatorum nomen quibus competat. 1751. *f*. An illis quos vulgus beatos appellat. 1751. *g*.

Fortunatos potiùs quàm beatos reddant naturæ dotes. 549.*f*.

Nihil eſt ab omni parte beatum. 1178.*g*.

Bebelius. V. *Joannes*.

Bedda. V. *Natalis*.

Belli mala. 12.*e*. 62.*d*. 143. 629.*c*. 959.*d*. 1586.*g*. 1691.*e*. 1799.*a*.

A bello gerendo dehortatur Eraſmus, 91.*d*. 142.*g*. 370.*e*. 389.*b*. 401.*e*. 861.*g*. 1135, 1136. 1143, *&c*. 1798, *&c*. & Coletus. 708, 709.

Solitis belli nulla ſatietas. 895.*g*.

Principum fœdera cum Pont. Romano, bellorum cauſa. 964.*b*. 1146.*e*.

Julio Pont. R. mortem imprecatur Eraſmus, utpote belli ciendi cauſæ. 412. *b*.
Magna pars bellorum oritur ex inanibus vocabulis & titulis. 1804. *e*.
Bella inter Chriſtianos plùs quàm civilia ſunt. 1144. *e*.
Bellum quando licitum. 1145. *a*. *g*. 1799. *g*.
Bellum ſi quis jura admittant, craſſa ſunt, & Chriſtum degenerantem ſapiunt. 144. *e*.
Caſtrenſis vitæ forma. 418. *a*.
Bellum geminum. 91. *e*.
Opinionum calamitas bello gravior eſt. 1373. *b*.
Bembus. V. *Petrus*.
Benedicere, quid. 1085. *g*.
Benefacere malis multo periculoſius eſt quàm bonis malè. 465. *d*.
Benefacere aliis, fortunatorum hominum officium. 550. *f*.
Beneficium ingratis conferre præſtat quàm non intelligentibus. 378. *a*. 436. *e*.
Beneficium fœneratus quis. 1010. *b*.
Bene patientes erunt ut annuncient, locus difficilis intellectu iis qui Græcæ linguæ ſunt ignari. 475.
Berengarius. 1658.
BERNARDUS. Quodnam ex ejus operibus ſit maximè abſolutum. 1633. *e*.
Beroaldus. V. *Philippus*.
Berquinus. V. *Ludovicus*.
Bilibaldi Pirkheymeri felicitas, virtutes, ſcripta, mors. 1445, 1446. V. *Perkheymerus*.
Boethius quare dixerit Camœnas *Laceras*. 162. *f*. An Thomas ille qui in *Conſolationem* ejus commentatur, ſit Aquinas. *ibid.*
Bohemis communio ſub utraque ſpecie à Concilio Baſileenſi conceſſa. 673.
Tres ſectæ inter Bohemos. *ibid.*
Bombardicus pulvis fulmine tactus turrim Baſileæ disjicit. 1175, 1176.
Bombardici pulveris vis. 1176. *d*. Ejus inventionem ſceleſto & ingenioſo cacodæmoni tribuit Eraſmus. *ibid.* *f*. Ejus uſum in feſtis non probat. *ibid.*
Bombaſius. V. *Paulus*.
Bonifacium Amerbachium monet Eraſmus, ut mortem filiæ patienter ferat. 1315, &c. Juris profeſſionem Baſileæ ſuſtinet. 1381. Laudatur. 1086.
de Bonorum tribus ordinibus. 549. *e*.
Bona externa an & quid ad beatitatem conducant. 550. 551. 555.
Corporis & Fortunæ dotes *Bona* appellantur, quia Virtuti ſubſerviunt; quemadmodum Regum caduceatores *Reges* dicimus, quòd Regibus ſerviant. 556. *b*.
Cicero miratur opes à priſcis Romanis *Bona* appellari. 543. 546.
de Bonis operibus. 1139. *a*. 1231. *d*. 1188. *a*. 2080. *g*.
An juſtificent. 2057. *b*.
Boni in Eccleſia ſemper admixti mali. 1061. *f*.
Borzemus. V. *Joannes*.
Brentius. V. *Joannes*.
Breſith, Hebræis quid. 1644.
Britannia laudatur. 315. 356. 1298. V. *Anglia*.
In Britannia mos eſt ad idem poculum viciſſim invitare ſeſe. 534. *g*.
Litigandi mos qualis. 537. *c*. Olim ſacerdotes & theologi illic veſtiebantur purpurâ. 704. *c*. De Cancellarii Britanniæ dignitate & officio. 1503. *d*. Cur frequentibus peſtilentiis vexetur. 1140. Quo pacto ſalubrior reddi poſſit. *ibid.* Propenſiſſimo fuiſſe in Romanam ſedem animo, ait Eraſmus. 555. *a*. Lignorum pretium ibi auctum ob crebra hæreticorum holocauſta. 410. *g*.
Nautæ ſunt totius inſulæ dehoneſtamentum. 438. *d*.
Magna ibi ſcriptorum inopia. 401. *f*. 409. *f*.
In Britannia habuit quicquid habuit Eraſmus. 144. *g*. Plurimos ibi amicos habuit. 436. *a*. 511. 512. 785. *b*. Illic invenit omnia ejus meritis inferiora. 434.
Britanni laborem fugiunt, otium amant. 377. *a*. Oculis ſubcæſiis capiuntur, ut Germani nigris. 534. *d*. Sudore peſtilenti laborant. 386. *b*. V. *Sudor Britannicus*.
Britannorum fides. 820.
Britannica aula. V. *Henricus VIII*.
Brixius. V. *Germanus*.
Bruta fulmina quæ. 1155. *b*.
Bruxellæ exuruntur duo monachi *Auguſtinenſes*. 1076. 1378. 1429.
Buceri quidam liber damnatur. 1939. De libro quem ſcripſit ad primogenitum Regis Galliæ. 2110. *d*. ſcribit adverſùs Eraſmum. 2066. *b*. 2077. Eraſmus vocat eum *Bucephalum*. 2077. 2110. *d*.
Budæus. V. *Gulielmus*.
Bullarum gravis autoritas, gravior diplomatum Cæſaris. 1918. *g*.
Burgundiacum vinum admodum laudat Eraſmus. 1000. 1251, 1252. 1561.
Buſlidianum collegium laudatur. 1261. V. *Academia*, & *Hieronymus Buſlidius*.

C

CAbaliſtica ars. 584. 642. 739.
Cælius Calcagninus ſcribit De libero arbitrio. 1013. 1707. In Lutherum acriter invehitur. V. *Lutherus*.
Cælius Rhodiginus laudatur. 1020. *a*.
Cæſarem totius orbis eſſe monarcham, ineptè probat Pantalabus ex verbis Chriſti, *Date Cæſari*, &c. 640. De Cæſaris titulo. 1587. *b*. 1691. *b*.
Cæſaris res. 1336. *a*. 1356. V. *Carolus*.
de Caino fabula feſtiva. 307. Ejus prima culpa quæ fuerit. 306. *g*. Cur vetuerit Deus nè quis de eo ſumeret vindictam. 593.
Calamitas pro crimine nemini objicienda. 1596. *e*.
Calculus, tyrannus Mezentio & Phalaride crudelior; 785. 1513. podagrâ gravior, 796. *d*. & quovis alio cruciatu. 1208. *c*. Nihil habet contagii. 1815. *d*. Quo remedio adverſùs eum uſus fuerit Eraſmus. 798. *e*.
Caliſtio, hæreticus. 1613. *e*.
Calumnia. Patres ad quaſdam calumnias reſcribebant, ad quaſdam tacebant. 1547. *b*.
Nil tam circumſpectè dicitur quod non ab aliquibus rapiatur in calumniam. 1240. 1547. *a*.
Calumniæ an liceat reſpondere. 1410, &c.
Calumniatores quo ſpiritu agantur. 898. *d*. Eorum aſtutia. 2012. *d*. Quomodo erga eos nos gerere oporteat. 213, &c. 219, &c. 957. *d*. 2018. *g*. 1546, 1547. Si negligantur, quieſcunt: ſi quis iis obnitatur, magis ferociunt. 957. *d*. 2019. *a*. Calumniatorum quæ pœna. 600. *a*. Calumniator cane pejor & angue. 938. *d*. 1850. *c*. V. *Obtrectatio*, & *Convitia*.
Camerarius. V. *Joachimus*.
Caninga. V. *Hayo*.
Campegius. V. *Laurentius*.
Campeſter. V. *Lambertus*.
Cancellarii apud Britannos dignitas & officium. 1503. *d*.
Canonici, medium genus inter Monachos & non Monachos. 1292. *d*.
Canoſſa, Leonis X. Legatus, cultu profano in Angliam venit. 1323. *g*.
Cantabrigiæ, in quodam collegio cautum eſt nè quis utatur Eraſmi editione N. T. 108. *e*. Quibus ſtudiis ibi incubuerint paulò ante Eraſmum. 112. *e*. Joannes epiſcopus Roffenſis tria collegia ibi inſtituit. 1581. 1760. *d*. Ubi floret ſolidæ Theologiæ ſtudium. 751. *a*. 755.
Cantabrigia quomodo Eraſmo arriſerit. 408. *g*. 409. *f*. 410. *a*. 411. *c*. 412. *a*. 417. *c*. 434.
Cantelius monachus Florentium in ſodalitium ſuum pellicit. 1188.
Claudii Cantiunculæ encomium. 1867.
Cantus eccleſiaſticus fuit ante Ambroſium & Auguſtinum. 2153. *c*. V. *Muſica*.
Cantus promiſcuus in Eccleſiam à Lutheranis inductus. 2101. *f*.
Capito. V. *Fabritius*, & *Wolfgangus*.
Capnionis (ſive Reuchlini) Triumphus. 358. 359. V. *Joannes Reuchlinus*.
Caraffa. V. *Joannes*.
Cardinalium numerum & faſtum non probat Eraſmus. 1441. *f*.
Chriſtoph. Carleviti laus. 837, 838. 879.
Carmelitæ & Dominicani non patiuntur ſuos ordines nominari ſine honoris præfatione. 600. 731. 2068. *f*.

Eorum

Eorum decretum, Rem auſteritate faciendam eſſe. 1003. *e*.
Carmilianus, V. *Petrus*. 417, 418. 435.
Carmina in laudem Eraſmi. 76.
de Carnium eſu interdicto. 2027, 2028.
Carnotenſis oppidi fanum fulmine conflagrat. 1715. *a*.
Carolſtadius de Euchariſtia quid ſenſerit. 818. V. *Euchariſtia*.
Duo typographi qui ejus libros de Euchariſtia excuderant, in carcerem conjiciuntur. 818. 822.
CAROLUS Imperator eligitur, competitore Franciſco Gall. R. 560. *a*. 561. Laudatur. *ibid*. *f*. 1786. 1796. *c*. Germani metuunt nè tyrannum ſe iis præbeat. 572. Edicto maledicos libellos compeſcit. 751. *a*. Bellum inter ipſum & Galliarum Regem luget Eraſmus. 750. *b*. 759. *b*. 1080. 1135. *f*. 1163. 1720. *b*. 1798. *f*. Provocat Regem Gall. ad monomachiam. 1163. *b*. Gallos ſuperat. 970. Pontifex inter eos molitur concordiam. 1030. *g*. 1042. *e*. Pacem init cum Gallo hâc conditione, ut extinguat factionem Lutheranam, 930. *b*. 1108. atque Helvetios invadat, ſi nolint à Lutheraniſmo reſipiſcere. 1938. *f*. Generale concilium molitur. 868. *e*. Bellum gerit cum Turcis. 1080. De ejus victoriis rumores. 1537. *e*. Guletam expugnat. 1537. 1543. *f*. Accipit coronam à Pontifice. 1398. *e*. Ἐπιλαιόμαλ⊕ à quibuſdam pingitur. 1442. Eraſmus eum monet ut à bello & cæde abſtineat. 1786. *b*. 1796. *e*. Ejus aulam dicit eſſe pertuſum dolium, & ſemper ſitire, nihil dare. 1519. *a*.
Carolus Utenhovius commendatur. 1039. 1051.
Carpocrates magus. 1612. *f*.
de Cartuſianis. 1361. Eis licet ſacram veſtem deponere. 1292.
Caſſiodorus ſcripſit in Pſalmos. 1268. Eraſmi de eo judicium. *ibid*.
Caſum paternum Græci ponunt abſolutè, ſicut nos ablativum. 1646. *g*.
Caſus ſeptimus quis. 1098. *a*.
Caſus, repertor artium. 1088. *g*.
Κατηχεῖν, Luc. 1. 4. quid. 19. *g*.
Catechiſtæ & Catechumeni qui. 1612. *a*.
Catechizandi utilitas. 1896. *c*.
Catharina, Angliæ Regina, laudatur. 846. 883. ejus rogatu Eraſmus ſcripſit *Præcepta connubialia*. 780. 790. *d*.
Catholicum ſe eſſe, quibus rationibus Eraſmo conſliterit. 904. *g*.
Dolet Eraſmus, quòd multi ſint pro Catholicis cacolyci, pro Evangelicis dyſangeli. 1362. *b*.
Ceratinus. V. *Jacobus*.
Cerdon, hæreticus. 1613. *b*.
Ceremoniis inſtupuit mundus ante Lutherum. 1075. *d*. 1187. *a*.
Queritur Eraſmus Chriſtianos ceremoniis nimiùm involvi. 1024. *e*. 2028. 2033. *b*. 2039. *d*. 2040. *a*.
Vera pietas in iis non eſt ſita. 665. *a*. 733. *a*.
Pium eſt, Deum externis ceremoniis adorare. 1488. *g*.
Ceremoniæ Judaicæ cur paulatim, & non ſimul & ſemel, fuerint abrogatæ. 2023. *c*. 2114. *f*. Earum ſignificatio. 2039. *f*.
Cherubici qui dicantur. 1487. 1491.
Chorus. Nuſquam magis ineptierunt antiqui poetæ quàm in choris ſuis. 1743. *e*.
Χρηστὸν & χρηστότης Hilario quid. 1645.
Chriſtianos à bello gerendo abſtinere debere, multis argumentis ſuadetur. 242, 243. 1843, &c. V. *Bellum*.
Chriſtianorum omnia communia. 811. *d*.
Chriſtiani non ex profeſſione, ſed moribus æſtimandi. 1804. *e*.
Chriſtianorum mores in cauſa ſunt quò minùs Turcæ, Judæi, Græci, &c. reſipiſcant. 1608. Eorum diſſidia Turcis gratiſſimum ſpectaculum. 1798.
Chriſtianis ſtimulos addunt ethnicorum bene facta. 1694. *a*.
Philippus Imp. primus Regum Romanorum fuit Chriſtianus. 1624. *f*.
Non ſtatim non eſt Chriſtianus, qui à ſanctis viris diſſentit. 1452.
Chriſtophorus Longolius ubi natus. 1555. laudatur. 249. 548. 966. 968. 1212. 1259. 1524. 1555. Ciceronianam dictionem anxiè affectabat 1094. Cupit Eraſmus Commentarios ejus edi. *ibid*. Ejus de Eraſmo & Budæo cenſura. 247. Candorem in eo deſiderat Eraſmus, 1047. *a*. 1094. 1095. 1259. 1388. Nimiùm Gallus ei videtur. 623. ſtomachi ejus in Eraſmum cauſæ. 1106. *c*.
CHRISTUS quomodo ſponſus noſter, Dominus, & Medicus. 883. *g*. quomodo Pax noſtra dicatur. 1098. *d*. Quo ſenſu Stultitia ei tribuatur. 2012. *g*. Magus, Incantator, Peccatum, Maledictus, Prædo, Adulter, Temulentus, Hæreticus aliquo ſenſu dici poteſt. 2013.
Chriſtus quàm per omnem vitam beneficus fuerit. 1801. *c*. Scandalo vitando quæſtum tribuerit. 2023. *e*. 2037. *c*. Semet Judæorum affectibus attemperabat. 762. Cur parabolis uſus fuerit. 1005. *d*. Syriacè loquebatur. 1849. 1889. *a*. De ejus ſomno in navi. 1859. Quædam ad ordinem Reip. neceſſaria diſſimulabat, quædam ab ſe rejiciebat. 1237. *f*.
Quidam ex veteribus putant Chriſtum obiiſſe anno ætatis xli. 1493. *a*. Ejus mortem deplorandam, docent Scholaſtici. 1137. *f*. Ejus ſanguis æquè pro pauperibus ac pro Regibus effuſus eſt. 1799. *b*. Denuò patitur, quoties damnatur evangelica veritas. 1805. *a*. Nihil ab eo geſtum quod non quotidie geritur in vita noſtra. 1854. *f*.
Hilarius videtur ſentire Chriſti corpus ex ſubſtantia Virginis non fuiſſe conceptum, 1641. *a*. atque ejus corpus & animam nullis obnoxiam fuiſſe doloribus. 1631. *f*.
Ambroſius Syagrius accuſatur quòd dixerat in genealogia Chriſti eſſe peccatrices. 925. *c*.
Medicus quidam ineptus ait, Chriſti teſtamentum eſſe, *Creſcite & multiplicamini*, &c. 1054.
Expediebat imprimis ut orbis ſciret & crederet Chriſtum eſſe θεάνθρωπον. 1821. *c*. Evangeliſtæ, ſolo Joanne excepto, penè nihil de Divinitate Chriſti attigerunt. *ibid*. *d*. Apoſtoli initio eam diſſimulabant. 2115. *a*. Quid de Chriſto ſentiant Ariani, 1873. *f*. quid Judæi & Turcæ. 1874. *b*.
An Chriſtus ulli mortalium debuerit obedientiam. 912. *f*. An Mater ei nunc pro ſua autoritate poſſit imperare. 2137. *e*. 2060. *g*. Eum in negotio à Patre delegato debuiſſe Matri obedientiam, à quibuſdam perperàm docetur. 1137. *e*.
Chriſtus ſolus verè tranquillat animum. 1518. *e*.
Chriſtus, centrum; Sacerdotes, Principes, Populus, tres circuli eum ambientes. 1237, 1238.
Chriſto ſuum ingenium dicavit Eraſmus. 544. *g*. 545. *a*. 546. *d*. 549. *a*. Dolet, quòd mundus ſua tantùm quærat, non quæ ſunt Chriſti. 1038. *f*. 1040. *b*. 1273. *f*. Vult eum in omnibus vincere. 1191. *d*.
Chronologiarum uſus. 1686. *g*.
CHRYSOSTOMUS. Ejus patria, parentes, educatio, præceptores, ſtudia. 1592. Ad pietatis profeſſionem Euagrii exemplo potiſſimùm provocatur. 1593. Ad eandem ſuaſu ſuo pertrahit Theodorum & Maximum. *ibid*. Fit Lector, 1592, 1593. Diaconus, *ibid*. Presbyter, *ibid*. Epiſcopus, 1594. 1608. *a*. Quàm difficilem provinciam ſuſceperit, cùm Conſtantinop. Eccleſiæ Epiſc. factus fuerit. 1494. Malè illi convenit cum clericis ſuis. 1595. quos Serapion exaſperabat. 1596. Eutropii ſupplicium ei plurimum invidiæ conflat. 1595. Gainæ Arianis faventi fortiter obſiſtit. *ibid*. Severianum Epiſcopum civitate pellit. 1596. Eudoxia Auguſta, ei gravis. *ibid*. Exulat 1596. 1598. *c*. Ægrè fert quòd ludi publici exercerentur ad Eudoxiæ ſtatuam. 1597. Quæ ei vitiò verterunt nonnulli, excuſantur. 1597, &c. Origenis libros damnare recuſat. 1601. Concionem habet in vituperationem omnium fœminarum *ibid*. *d*. Synodus adverſùs eum cogitur Chalcedone *ibid*. *e*. Crimina illi objecta. *ibid*. *g*. Citatus appellat ad Synodum generalem: damnatur; ducitur in exilium: revocatur. 1602. Denuò coactâ ſynodo, 1602. *e*. deponitur, & primò in Cucuſon Armeniæ oppidum, tum in Arabiſſum deportatur. 1603. tandem, cùm Pityuntem verſùs ducebatur, 1603. *g*. in itinere moritur, cùm pridie per viſionem de morte admonitus fuiſſet. 1604. *e*. Eum martyrem appellat Eraſmus. *ibid*. *d*. Ob ejus damnationem grave diſſidium

ſidium oritur inter Epiſcopos. 1605. Quis fuerit ejus ſucceſſor, ambigitur. *ibid.b.* Fruſtra implorabat Rom. ſedis auxilium *ibid.d.* Ejus reliquiæ juſſu Imp. Conſtantinopolim deportantur. *ibid.e.* Ejus nomen in Epiſcoporum catalogum reponitur. 1605. *a.b e.* V. *Epiphanius.*
Chryſoſtomi ardens zelus, 1594. ſeveritas, 1597.*g.* hoſpitalitas. 1597.*b.e.* Cur ſolus cibum capere ſolitus ſit. 1597.*b.* Quo modo concionandi uſus fuerit. 1606. Ejus πολυμαθίαν taxat Eraſmus; 1320.1627.*f.* eam excuſat. 1607.*b.* Ab argutiis, epiphonematis & jocis abſtinuit. 1607.*c.* Phraſes quædam illi peculiares. 1609.*d.* Quam lectionem ſequutus fuerit in citando ſcripturas. *ibid.*e. Optat Eraſmus, ut ſacerdotes eum imitentur. 1591.1607.*d.* 1608.*b.*
Chryſoſtomum citat Auguſtinus. 1609. Ejus *Babylas* ſummè laudatur, 1705. Et Comment. in epiſt. ad Galatas. 1868. Opus imperfectum in Matthæum non eſt ipſius, ſed Ariani cujuſdam. 1609. Ferè totus eſt in Theophylacto. 1121. Ejus νόθα quædam recenſentur. 1474. 1478. 1480. 1591. 1609. 1866.*e.* 1867.*c.* Ex ejus ſcriptis quænam habuerit Eraſmus. 969. 1365.*d.* Eraſmi de eo judicium. 1446. 1605.*g.* &c. 1704.*g.* 1863.
Chryſoſtomum vertunt nonnulli. 960. 1121. 1353.*g.* 1365.*e.* 1366. 1478. 1480. 1591. 1862. &c. Sumptibus Epiſcopi Veronenſis Græcè editur. 1363. 1365. Quæ res Brixium ad eum vertendum pigriorem reddit. 1363.*c.* 1366.*a.* Franciſcus Aretinus & Anianus malè eum verterunt. 1478. 1591.
Cibi uſus moderatus præſtat jejunio. 655.*f.* 2042.*e.* 2055.*e.*
Ciborum delectus. 843.*e.* 1187.*a.* 1736.*g.* 1827.*f.* 1829.*f.* Ante Auguſtini ætatem nullus fuit. 1153. Nihil de eo Chriſtus vel Apoſtoli præceperunt. 1241.*f.* 1944.*f.* 2022.*e.*
Ciborum delectus & jejunium, ſi quis rectè utatur, conducunt ad pietatem. 2022. 2039.*f.* Quomodo primùm indici cœperint. 2022.*e.*
Ciborum delectum ſuperſtitiosè obſervare, Judaiſmum olet. 2028.
Num humanæ conſtitutiones de ciborum delectu, jejuniis, &c. obligent ad gehennam. 2030, *g.* &c. Num pueri, ſenes, ægroti, &c. iis obſtringantur. 2030.*e.* 2033.*e.* 2144.*a.* Jus eas relaxandi parochis potiùs tradendum, quàm Epiſcopis aut Pontifici. 2029.*g.* Divites plerunque invitant ad luxum, pauperes ſolùm gravant. 2028.*f.* 2038.*d.*
CICERO valetudinem imbecillem quomodo confirmaverit. 549. Tanta in eo Latinorum verborum peritia quanta in tota Roma. 553. Quanti illum æſtimarit Quintilianus. 1696. *e.* 1708.*c.* Vapulat Auguſtinus quòd eum vocarit Philoſophaſtrum. 139. Quid cum illo commune ſe habere fateatur Eraſmus. 127.8. Ejus myrothecia non conveniunt religionis negotiis. 1555. Solœciſmi & ἀνακόλουθα ei nonnunquam obrepſerunt. 1646.*f.* Eraſmi judicium de ejus libris Philoſophicis, 1770.*b.* De Officiis, 1693.*d.* Tuſculanis quæſtionibus, 1695. de ejus ſtylo, 979. *e.* 1030. 1039. 1092. 1096. 1170. 2328. 1555, 2556. 1739. doctrina, 1695.*b.* Sanctimonia, 1695.*d.* æterna ſalute. 1695.*f.* Quantum ab ejus præceptis aberrent Chriſtiani. 1693.e. Ejus libri De Oratore cæteros antecellunt. 1633.*e.*
Ciceronianorum factio in Italia. 979. 1030. 1096. 1118. 1328. 1433. 1739. Eam deridet Eraſmus. 1106. Non Ciceronianum appellari illis multo probroſius quàm appellari hæreticum. 957. 979.
Ciceronianus quis. 1121.
Cicutæ natura. 1727.*d.*
Circumciſio quid admoneat. 2039.*g.*
Clara, virgo, laudatur. 1900.*e.*
Clemens VII. Pontificatum adipiſcitur. 936. Eraſmus ei mittit Paraphraſin in Acta Apoſtolorum. 815. 937.*e.* Inclementer tractatur à Caroli militibus. 2263.*b.*
Clementia Principum in quibus rebus ſe oſtendat. 1148.*f.*
de Cœlibatu ſacerdotum Eraſmi ſententia. 775.*b.* 779.*a.* 902.*a.* 2026, 2027.
Cœlibes dici quaſi *cœlites*, an verè ſcribat Modeſtus. 1451.*c.*
Cœlibes evehere, proclivius eſt Principibus. 760.*e.*
Cognatus. V. *Gilbertus.*
Coitum quendam inter Deum & B. Virginem fuiſſe, quo ſenſu dixerit Eraſmus. 1089.
Gregorii decretum de lotione pedum poſt coitum improbat Eraſmus. 1830.*a.*
Colarbaſus, hæreticus ridiculus. 1613.*a.*
Colendi & *Cultus* multiplex ſignificatio. 1892.*e.*
Coletus. V. *Joannes.*
Collationarii fratres. 1284. Votis inſolubilibus non adſtringuntur. 1285.*b.*
Coloniæ nunquam in pretio fuerunt manſuetiora ſtudia. 755.
Colonienſibus delegatur Eraſmicorum voluminum examinatio 431.
Columbis ſimiles Chriſtiani. 1899.*f.*
Comœdiarum lectio, apprimè utilis. 1996, 1997.
in Compendia olim redigere ſolebant doctorum ſcripta monachi eruditi. 1661.*d.* 1870.*c.*
Complutum πάμμοδιον vocat Eraſmus. 771. V. *Academia.*
Concedere & *permittere* quomodo differant. 741.
Concertationes inter ſanctos incidere cur nonnunquam Deus permittat. 1599.*a.*
Concilium Baſilienſe communionem ſub utraque ſpecie comprobat. 673. V. *Conventus.*
Concionatoris officium. 331.*e.* 362.*e.* 698.*f.* 762, 763. 1607, &c. 1831.
Concionatorum conditio commodior hodie quàm olim fuit. 1607.*e.* Debent ſe ad vulgarem dictionem accommodare. 1649, &c. 1651.*d.* Iis carere, maximum malum. 1670.*g.* 1792.*c.*
ad Concionandum quomodo animum ſuum præparabat Vitrarius Franciſcanus. 698.*f.*
Concionari de charta, frigidum. 708.*e.*
Concionum diviſio non eſt neceſſaria. 698.*g.* Obtrectationes ab iis abeſſe debent. 721. 982.*b.* 1283.*e.* 1250, 2251. 1831. 1833.*f.* Periculoſius eſt eas indignè tractare quàm ſacram ſynaxin. 647.*f.*
Olim nemo dicebat pro concione, niſi diſpoſitis notariis qui ſermonem exciperent. 769.*a.*
Concionibus inſtruitur populus, non organis & muſicâ. 1792 *e.*
Concordiæ quantopere ſtudendum. 370.*e.* 540.*e.* Ad eam plurimum facit donorum quæ Deus hominibus diſtribuit, varietas. 330.*f.* Quàm impensè eam amarit Eraſmus. 997.*e.*
de Confeſſione peccatorum Eraſmi opinio. 585. 718.*d.* 764.*a.* 859.*g.* 901.*g.* 948.*a.* 1273.*c.* 1963.*b.* Ineptè de ea concionatur monachus quidam. 769. An fuerit à Chriſto inſtituta. 903.*d.* 914.*b.* 948.*b.* 1001.*c.* 1186.*d.* 1457. 1731.*b.* 1944.*c.* 2092.*c.* Cur Monachi eam tantopere urgeant. 1186.*e.* Onus erat vulgo grave. 651.*b.* Eam non eſſe neceſſariam, docet Oecolampadius. 903.
E confeſſionibus flagitia nonnunquam diſcunt Monachi. 732.*b.*
Confeſſio præcipua quæ. 1186.*c.*
Confiteri, vox ambigua. 769.*a.*
Confundendi verbum Apoſtolo quid. 1896.*g.*
Confundentes pro *erubeſcentes,* Arnobio. 1651.*f.*
Conjuges unde dicti. 1451.*d.* Eorum officium. 1240.*c.*
Conjugii incommoda. 971.*g.*
Conjugium ſacerdotum videtur ab Eraſmo non improbari. 775.*b.* 2026, 2027. V. *Cœlibatus.*
Conradi Goclenii laus. 611. 613. 756. Eraſmus eum Tho. Moro commendat. 752.
Conradus Pellicanus adverſatur Farello. 774. Objurgat eum Eraſmus, quòd rumorem ſparſerat, eum de Euchariſtia idem ſentire quod ipſe. 927. 929.
Conſcientiæ malæ cruciatus *Furias* appellarunt Poetæ. 467.*a.*
Conſcientiam quietam habent tam ſummè impii quàm perfectè pii. 2057.*c.*
Conſecratio. V. *Euchariſtia.*
Conſiliarius fidus prudénsque quantum de Republ. mereatur. 1738.*e.*
Conſilio præſtat quàm armis tumultus ſedare. 2439. *e.* 1504.*e.*
Conſilium bonum, à quocunque proficiſcatur, non repudiandum. 1200.*f.*
Conſolatio ſera, frigida. 1490.*e.*
de Conſpicillis vitreis. 834.*f.*
Conſtantia præcipuè celebris eſt Joanne Hus illic exuſto.

ſto. 1120.
Conſtantienſibus literas adimit Pacæus, tribuit temulentiam 529. V. *Pacæus*.
Conſtantienſis lacus. 1120.
Conſtitutio, aliud Juriconſultis, aliud Rhetoribus. 1891. *f.*
Conſtitutionum eccleſiaſticarum diſtinctio. 775. *a.*
Conſtitutiones humanæ quatenus nos obſtringant. 2030, *g.* &c. Eraſmi de iis ſententia. V. *Eraſmus*.
Conſuetudo paulatim & ſine tumultu antiquanda eſt. 2023, 1024. Neminem arctius alligat quàm voluerit is qui fuit ejus autor. 2031. *c.*
Contentionis impetus vires amittit, ſi obicem non offendit. 224. *g.*
 Contentiones inter eruditos luget Eraſmus. 747. 1834, 1835.
 Contentiones inter ſtudioſos ſedarunt in ſuis regnis Henricus VIII. Angliæ, & Franciſcus Galliæ reges. 559.
 Contentiones amarulentæ damnantur. 559. *b.* 584. 592. *f.* 612. 725. *a.* 733, &c. 747. 766. V. *Concertationes*.
Continentiam eſſe rem facillimam, negatur. 1132. *f.*
Contra quid ſignificet in illo Pſalmi loco, *Peccatum meum contra me eſt ſemper*, vix intelliget qui Græca non legerit. 475.
Conventus Auguſtanus. 1373. 1391, 1392. Quid ab eo actum ſit. 1398. *b.* 1441. *e.* 1443. *c.* 1488. *a.*
 Cameracenſis. 432. 1538.
 Piotrocovienſis. 1551. *g.*
 Spirenſis. 1055. *g.* 1057. 1133. 1136. 1333. 1434.
Convictores mali, periculoſi. 317. *d.* 476. *f.*
Convitia valde improbat Eraſmus. 559. *b.* 642. *f.* 662. *b.* 871. *b.* Ad quædam obticeſcere non licet. 859. *c.* ad alia, licet & expedit. 957. *d.* 1546, 1547.
Convivii deſcriptio. 207. *a.* 300. 305. *f.*
 Conviviorum frequentium incommoda. 1597. *e.*
De Copia qui ſcripſerint. 28. *f.*
Copus. V. *Guilielmus*.
2. *Cor. XV.* verſus 51. explicatur. 1193.
 Paulum Corinthiis Hebraicè ſcripſiſſe, ineptè à Stunicio aperitur. 1194. *a.* V. *Paulus*.
Cornelius quidam à Gallorum præſidiis ſpoliatur. 757.
Cornuta Moſis facies an rectè dicatur & pingatur. 1459. *b.*
Corporis & Fortunæ bona. 549. 552. 555.
 Corporis an Animi mala graviora. 1788, &c.
 Corporibus raris aura ſubtilis & colata peſtilens eſt. 809. *d.* Quomodo curanda ſint. 1290. *c.*
 Ingenia inſigniter felicia rarò ſortiuntur corpora robuſta. 1572. *g.*
Corpore Chriſti abutitur quidam maleficus in diabolicis ſuis ceremoniis peragendis. 505.
Crammerus. V. *Thomas*.
Critius. V. *Andreas*.
Crocus Anglus docet Græcas literas in Acad. Lipſienſi. 512.
Cromwellus. V. *Thomas*.
Croyus. V. *Guilielmus*.
Crux, communis omnium ad cœlum via. 884. *b.* 1060. *b.*
Culmum, urbs, exuritur. 1949. *d.*
Cultûs multiplex ſignificatio. 1892. *e.*
Cultus divinus vet. Interpreti *Servitus*. *ibid.*
 de Cultu divorum quid ſentiat Eraſmus. 901. *g.* 1191. *f.* 1377, &c. 1963. *a.* quid Sadoletus. 1348. *f.*
 Quis cultus divis gratiſſimus. 1186. *f.* 1191. *g.* 1377. *f.*
Curioſæ quæſtiones vitandæ. 1854. *c.*
in Curioſos diſputatores. 1633, 1634. 1638. *b.* 2046. *f.*
Curioſitas, vitium & pueris & ſenibus familiare. 1766. *e.*
Cutberti Tonſtalli laus. 27. *b.* 120. 148. 400. *d.* 783. 1509. Zelandiam deſcribit. 172. Faber illi vapulat. 173. Acriter in Lutherum & Lutheranos invehitur, monetque Eraſmum ut contra Lutherum ſcribat. 1158, &c. Molitur Annotationes in jus Cæſareum. 582.
Cygnis poetæ comparantur. 323.
Cynnaræ & Cynarus. 832.
CYPRIANUS quanti fecerit Tertullianum. 1618. *e.* Inter Latinos, ad Apoſtolici pectoris vigorem proximè acceſſit. 567. Eloquentiâ ſuperabat reliquos Africæ doctores, 1616. *f.* imò & ipſum Hieronymum. 1617. *c.* Eum cum Hannibale confert Eraſmus. 1619. Cur ei abſolutam Scripturæ ſcientiam detraxerit Hieronymus. 1618. *d.* Cur ejus operũ catalogum non texuerit. 1615. *g.* Cur memoret octo tantum epiſtolas ejus ad Cornelium. 1616. *e.* Libellus de montibus Sina & Sion ei falſo adſcribitur. 1450. *d.* Multa illi adſcripta, ſed nil niſi doctum. 1616. *b.* Ejus etymologia nominis *Adam*, frigida. 1450. Quatuor mundi plagas, quatuor ſtellas vocat. 1450. *c.* *Coprianus* ab æmulis dicitur, 1547. & *Caprianus*. 1588 1618. *c.*
 Emendatur ab Eraſmo. 567. 1618. *f.*
Cyrinus, Chalcedonenſis epiſcopus, Chryſoſtomi inimicus. 1601.

D

DÆmonarches, nobis perpetuus hoſtis. 151. *c.*
Dæmon oppidum Germaniæ, nomine Schiltach, exurit. 1525.
 Malefica confitetur, ſe per Dæmonem magnos ſaccos pulicum in Feiburgum miſiſſe. 1564. *d.*
Damianum à Goes Eraſmus ad ſe invitat. 1953. *d.*
Davidis calamitas gravior quàm Jobi. 1794.
Definiendi temeritas damnatur. 1633. *f.* &c. 1635. *b.*
Delectus ciborum. V. *Cibi*.
Deloinus. V. *Franciſcus*.
Deiphus. V. *Ægidius*.
Demetrius Chalcondylus. 1712.
Democratiam veterem antiquatam dolet Eraſmus. 571. *d.*
Demoſthenes quantum improbâ curâ & meditatione perfecerit. 549. Objectum ei eſt, quòd ejus orationes olerent lucernam. 1627. Eraſmi de eo judicium. 1707, 1708.
Deſtinatio duplex notatur, ſed abſurdè. 1891. *b.*
Detractio, pejor famoſis libellis. 601. *c.*
Deviare, inepto cuidam Theologo quid. 1198. *a.*
Vocis DEUS etymologia inepta. 1450. *f.*
 Deo imprimis peculiare dixit antiquitas, *Juvare mortalem*. 550. *g.* De Deo & Divinis rebus Senecæ opiniones. 1668. *e.* Monachi quidam negant eum eſſe incorporeum. 1599. *d.* Velut egregius choragus, nobis quæ cuique maximè expediunt partes delegat. 1381. *d.* 1403. *f.* 1411. *a.* Irati Dei & propitii quæ ſigna. 791. *d.* Sæpe magis propitius eſt, cùm immittit amara, quàm cùm delinit dulcibus. 884. *a.* 1311. *b.* Mala vertit ſuis in bonum. 1614. Plerunque iis velut ex machina adeſt. 1143. *e.* Omnia bona noſtra ei transſcribenda. 1147. *c.* 1148. *d.* 1149. *c.* 1427. *f.* Quæ ad eum proximè accedunt, veriſſimè ſunt. 610. *g.*
 An Deus Pater dici debeat *autor* Filii. V. *Pater*.
Diabolicarum artium nomina, differentiæ; & quibus olim pœnis ſingulæ coercerentur. 507, 508.
Diacones & *Subdiacones*, apud Auguſtinum. 1652. *a.*
Dialectica fuit antequam quiſquam de Dialectica præciperet. 1577. *f.*
 Dialecticæ rudes erant Afri, tempore Auguſtini, *ibid.*
 Dialecticæ profeſſores quâ dignitate ornati à priſcis Imp. 1504. *e.*
Dicendi varia genera. 462. *d.*
Dies nunquam non eſt. 1245. *f.*
 Diem in operas partiri ſtudioſum oportet. 509. *c.* 1723. *b.*
 de Dierum obſervatione. 2024. *g.*
 Singuli penè divi ſuos feſtos dies habent. 2025. *e.*
Digamia quare à veteribus prohibita. 767. *b.*
Digeſtum ridiculâ paſſim barbarie ſcatet. 508. *e.*
Dignitatis acceſſio ſæpe finit contentionem. 1519. *e.* V. *Honor*.
Dilfus. V. *Franciſcus*.
 de DIONYSII libris Eraſmi Lutherique judicium. 764. Recentior quiſpiam quàm Areopagites fuit. 1815. *g.*
Dioſcorus pateréque ejus à Theophilo fugati, excipiuntur à Chryſoſtomo. 1599. 1600.
Diſcubitus & convivii deſcriptio. 207. *a.*
Diſmæ, adoleſcentis cujuſdam, laus. 317. 456. 476. Studet Eraſmus eum ex otioſorum quorundam ſodalitio eximere. *ibid.*
Diſpraſcit pro *degenerat*, Hilario. 1645. *d.*
Divitiæ, Forma, Valetudo, &c. non adferunt Beatitudinem, abſolvunt tamen. 555. 1499. *e.*
 Divitias contemnere quis dicatur. 557. *b.* 1499. *d.* 1865. *e.*

Diviciarum dominus quis.1358.*f.*
Divitias habere, quid.1865.*b.*
de Divortio aliter Chriſtum, aliter Eccleſiam ſtatuiſſe, ait Eraſmus. 740.767.*b.*
Divorum cultum & invocationem non improbat Eraſmus. 901. *g.* Quis ſit eis cultus gratiſſimus. V. *Cultus*. Nullus Scripturæ locus eos invocare permittit. 1377.*f.* Singuli penè ordines, nationes & urbes Divos peculiares colunt.2025.
Non à Divis, ſed per Divos peti ſalutem.2108.*b.*
Divorum Vitæ, ſomnia ſunt & aniles fabulæ.1750.*b.*
Divorum errata notari maximè expedit.1453.*e.*
Doctoris titulus neminem (licèt aliter vulgo videatur) doctiorem reddit.502.*a.* 1088.*e.*
Doctos inter & indoctos quantum ſit diſcrimen. 1675.*e.*
Doctrinam ſuam qui aliis non impertiunt, avaris ſunt deteriores.527.*d.*
Dogmata quædam abſurda.677.1612,1613.
Dogmatum diverſitas. 904.*f.* Eorum triplex genus. 2092.*a.*
de Dominicanis. 586, *&c.* 600. Se Cherubicos vocant. 1487.1491. Non licet iis ſacram veſtem abjicere. 1292. Non patiuntur à quoquam attingi eorum vitia. 600.604.648.692.732.747.*a.* Eraſmi erant conjurati hoſtes. 648.688.691.694. Decernunt ut omnes ejus libri ejiciantur è bibliothecis. 945.*f.* Eos πλωχολυμέντες vocat. 720. 737. 742.*b.* 747.*a.* Eorum hypocriſis.747.*a.*
Dominicanis & Romanenſibus bellum paratur.610.
Dominicanorum quorundam inſignis ſtultitia & malitia. 2193, &c.
Dominicani cujuſdam ridicula inſcitia. 1040.*g.*
Dominici Crimani Card. erga Eraſmum humanitas. 1447. Extruit bibliothecam. *ibid.d.*
Donatiſtas docendos non cogendos voluit Auguſtinus. 585.651.
Dona ſua cur non ſingulis omnia, ſed aliis alia, Deus impertierit.330.*f.*
Donum Linguarum, 133.*f.* 136.*a.* 164.*a.* Prophetiæ. 136.*d.* In eorum locum ſucceſſit Cantus Eccleſiaſticus, ſacra Lectio, & Concio.1826.*c.*
Donatus. V. *Hieronymus*.
Draconis cujuſdam in nutricium gratitudo.1981.*a.*
de Ducati valore.390.*d.*
Durerus pictor laudatur. 1920.*b.* 1927.*c.* 1929.*e.*
Δυσωπία maximè fugienda.1769.

E

EBion, hæreticus. 1612.*g.* 1633.*g.*
Eboracenſi Cardinali adblanditur Eraſmus. 197. 1766.*d.* Quàm charus fuerit ac utilis Principi ſuo. 197.199.1766.*d.* Eum Regem alterū vocat Eraſmus 1913.*f.* Quibus in rebus Britanniæ profuit. 541. Laudatur. 197.365.369. 542. Quanta ejus fuerit in Flandria reverentia. 428. Regiâ munificentiâ excipitur à Carolo Imp.759. Rogat eum Eraſmus, ut ſtudioſum tranquillitati conſulat.612. Livinum ſuum ei commendat. 811, 812. Conjicitur in carcerem, & de capite periclitatur. 1436.*a.* 1474.*f.* Paulò antè Paræum in carcerem conjecerat, & minitatus fuerat Cantuarienſi.1474.
Ebria nautæ uxor.267.*b.*
Ebrietas & luxuria damnatur.771.*b.*
Eccleſiæ bono quàm miris modis Deus proſpiciat. 1614.*a.* Mortibus creſcit & invaleſcit.*ibid.d.*
Eccleſiæ autoritatem quanti fecerit Eraſmus. 960.*f.* Nec inſtituendi nova Sacramenta, nec condendi novam Scripturam jus habet. 1250.*b.*
Eccleſia quibus gradibus ad deteriora fuerit prolapſa. 1638.*a.* 2060. Abuſus in ea notantur.941.*b.* 943.*f.* 1075.*d.* 1078.*g.* 1312. 1487.*e.* 1962.*e.* 2023, *&c.* 2093. Eam reformare difficilius quàm condere. 2054.*a.* 2059.*e.* Quales Eccleſiæ reformatores optet Eraſmus. 1161.*g.* De ratione Eccleſiam reformandi. 1487.*e.* 1962.*e.* 2093, 2094. 2143, 2144. Quantum hodierna Eccleſia à primitiva differat. 2063, 2064. In Eccleſia ſemper bonis admiſcentur mali. 2062.*c.* 2094.*a.*
Eccleſiarum reditibus ali ſatrapas, iniquum. 1487.*g.* Neutiquam ſunt invadendi. 763.*b.*
Eccleſiaſticæ conſtitutiones variæ.775.*a.*
Erkius. V. *Joannes*.
Erſtaſis Piorum; 170.*e.* trium diſcipulorum.171.*b.*
Edvardus Foxus, Epiſcopus Erefordienſis, Anglorum Orator apud Germanos.1566.
Edvardus Leus ſycophantiis Eraſmum traducit. 366. 589.595, 596.616.911, *&c.* 1923. Quàm arrogans fuerit, incivilis, & vanæ gloriæ ſtudioſus. 742. 745.*a.* 746.*a.* Qualis fuerit cùm puer erat. 593.*g.* Alterum libellum adverſus Eraſmum adornat. 606. 630. Eraſmus orat Wintonienſem, ut eum coerceat. 606. poſtea autem libellum editum cupit. 667. Regis Angliæ Legatum agit in Hiſpania, 885. 963. ubi tumultus eiet. 885. 897. 960.*a*, *c.* 963. 1151. Germani libellos adverſus eum edunt: quod factum noluit Eraſmus. 610.620.661.683.1368. Cum eo expoſtulat Eraſmus, atque eum minis territat.742. Cur libellum ſuum diu preſſerit.742, *&c.* 746. Eraſmus obnixè laborat ut ederetur; 742, *&c.* monétque, ut rationibus non contumeliis rem ageret. 744.*b.* Eum excuſat. 745.*a.* Ejus liber excrementis humanis oblitus in bibliotheca Franciſcanorum reponitur. 841. Quibus conditionibus pacem inire velit cum Eraſmo.1122.*a.* Fit Archiepiſcopus Eboracenſis. 1948.*e.*
de Educatione puerorum.289.*b.* 1865.*f.*
Ἐλαττοῦν. 1885.*g.*
Eloquentia unde haurienda. 161. Quæ ad eam conducant.200.*e.* Sapientiæ copulanda eſt. 1676.*d.* Ejus vis; 183.*e.* laus 717.
de Eloquentia Sacrarum literarum.161.
Eloquentia an, & quæ, argumentis theologicis conveniat. 1555.*c.*
EMANUEL, Luſitaniæ Rex, laudatur. 1861.*d.*
Eobanus Heſſus laudatur.336.367.1468.1901, 1902. De ejus verſione Theocriti & Homeri.1409. Ægrè fert ſe in Eraſmi *Ciceroniano* prætermiſſum.*ibid.* Viſit Eraſmum. 1901.*c.* 1902.*c.*
Ephedri in palæſtricis qui.152.*b.*
Epimenidis pellis aſſervata in templo Sorbonico. 378. De ejus ſomno feſtiva fabula. *ibid.* Eum in Scoto renatum dicit Eraſmus.380.*a.*
EPIPHANIUS quo animo perſequutus ſit Chryſoſtomum. 1598.*g.* Theophilus Alexandrinus Epiſcopus ei vafrè imponit. 1599. Coactâ ſynodo libros Origenis damnat. 1600.*c.* Communionem Chryſoſtomi evitat. 1600.*f.* In aliena Eccleſia ſacra celebrat & ordinationem.1600.*f.* 1601.*c.* Moritur. 1601.*d.* Miracula quæ ei imputantur, futilia. 1598.*c.*
Epiſcopa Dominicano cuidam quid ſignificare videatur. 2041. 2197.
Epiſcopatus, nec Græca vox nec Latina.2041.2197.
Epiſcopius. V. *Nicolaus*.
Epiſcopos olim populus ſibi eligebat. 679. 2063.*g.* Si ſoli *Sacerdotes* vocabantur ætate Chryſoſtomi. 1593.*a.* Eorum officium. 1239.*e.* 1750.*d.* 1800. 1801.*a.* 1837, 1838. 2035, 2036. Olim in juſtis ſuppliciis intercedebat eorum autoritas. 1237.*e.* Olim ad eorum curam pertinebat, providere ut pueri literis imbuerentur.1631.*c.* 2064.*e.* Reges inter ſe tumultuantes debent in concordiam redigere. 1801.*g.* Oportet eos meminiſſe ſe non ſucceſſiſſe in locum Annæ & Caiaphæ, &c. ſed Apoſtolorum. 1804.*g.* Non debent tyrannidem exercere in populum. 2035, 2036. Quomodo tuenda ſit eorum autoritas. 1237.*e.* Quàm ardua res ſit inculpatum Epiſcopum agere, 1837.*d.* hodie præſertim, cùm plerunque & terrenis curis diſtringantur.*ib.g.* Quibus potiſſimùm vitiis ſint obnoxii. 1239.*c.* In eorum vitia non temere à theologo involandum. 331.*d.* 942.*d.* Eorum faſtus & pompa notatur. 1800.*g.*
Epiſtolæ brevitas quomodo excuſari ſoleat à pigris ſcriptoribus.1028.*d.*
Epiſtolarum religioni etiam in mediis bellis aliquid datur. 880.*e.* De iis qui Epiſtolas intercipiunt & inſpiciunt.824, 825. 880.924.*c.* 994.*g.* 1010.*f.* Mos geminum faciendi Epiſtolarum exemplar, ſi quid ſit ſeriæ.796.*a.* 843.*a.* 844.*f.*
de Epiſtolis conſcribendis edendiſque judicium Eraſmi, 3.459, *&c.* 1560.*a.* De quibuſdam qui ante

aum

rum de ſcribendis Epiſtolis præceperat, ejuſdem cenſura. 459.460.
Epiſtola nullum argumentum liberius. 1674.*d.*
Epiſtolæ obſcurorum virorum quomodo à monachis exceptæ. 1195.*f.*
Epphendorpius. V. *Henricus.*
Erardus, epiſcopus Leodienſis, laudatur. 1824, 1825.
ERASMUS quo die natus. 1215.*a.* Ejus genethliacon. 82.371. Anno CIↃIↃXIX egit annum quinquageſimum ſecundum aut tertium. 533.*d.* Utrum Gallia an Germania ſit ejus patria. 645. Nominis ſui duplex etymon adhibet. 424.*g.* Statura erat humili, 250.*a.* 1648.*c.* rariſſimæ textu æ, 1536.*g.* 1544.*d.* voce exili. 533.*c.* 1648.*c.* Quibus veſtibus utebatur. 498.*b.* 1061.*c.* Effigiem ſuam ære expreſſam Alberto Card. Moguntino mittit. 628. Cupit à Durero pingi. 1910.*b.* 1917.*c.* 1919.*f.* Effigiem ejus finxit Durerus, fudit Quintinus 864. De fuſili ejus imagine. 1921.*c.* 1922.*a.* 1926.*a.* 1927.*c.* Qualis pingebatur. 1062.*c.* Apologia ejus de annulo ſuo Terminum inſculptum habente cum hoc ſymbolo, CONCEDO NULLI. 2068.
Quadrageſima ſæpe ei morbum attulit. 496.*d.* Piſces, ei inſalubres. 955.*g.* 1055.*g.* Cerviſia Britannica ei non placuit. 416.*a.* 618.*e.* De vino parando quàm fuerit ſolicitus. 1561.*c.* 1562.*b.* Quale vinum ei placuerit. 805.*g.* 1125.*b.* 1221, 1222. Perdicum eſum ſe vix ferre ait. 1516.*g.* Hypocauſtorum nidorem non tulit. 936.*f.* 1000. 1002.*d.* 2011.*b.* 1057.*d.* 1084.*d.* 1085.*a.* 1086.*d.* 1216.*d.* 1223.*a.* 1932.*e.* Epulas elegantes amabat magis quàm multas. 611.*g.* Cibum & potum ſemper ſumebat ut pharmacum. 2211.*f.* Largiore ſomno utebatur, ſub auroram redormiſcens. 664.*c.* A cœna ceſſabat ab intentione. 2139.*e.* Stans ſcribebat. *ibid.d.*
Laborat glaucomate & *ſyncope*, 326.*g.* Inguinis exulceratione, (Chirurgi cujuſdam judicio, peſte, 227.*f.* 327.*d.* 549.*c.*) 326.*d.* 549.*e.* Stomachi cruciatu, 327.*g.* Stomachi profluvio, 1332.*a.* 1335.*e.* Febre, 320.*d.* 389.*b.* 452.*c.* 496.*d.* 670.*d.* Pituitâ, 329.*b.* 838.*g.* 855.*d.* 856.*a.* 931.*f.* 944.*b.* Podagrâ, 1332.*a.* 2335.*e.* 1951.*g.* 1952.*g.* Chiragrâ, 1950.*c.* 1951.*g.* 1952.*g.* Apoſtemate circa umbilicum, 1387.*e.* 1388.*f.* 1391.*e.* 1395.*d.* 1397.*f.* 1414.*d.* 1440.*b.* 1444.*a.* Calculo, 142.*f.* 414.*f.* 618.*e.* 785.*b.* 796 &c. 809.*c.* 936.*d.* 944.*b.* 1002.*d.* 1028.*a.* 1029.*c.* 2082.*b.* 2085.*b.* 1138.*e.* 1217.*c.* 1219.*f.* 1920.*g.* 1926.*a,g.* 1930.*f.* Quem æquiùs fert quòd nihil habeat contagii. 1212.*d.* Cui cauſæ eum imputarit. 618.*e.* 2000.*c.* 2221.*e,g.* Quo remedio adverſùs eũ uſus fuerit. 798.*c.* Calculus ei in calcem vertitur. 869.*g.* Suadent quidam ſectionem, ſed fruſtrà. 1479.*f.* Laborat exulceratione organorum urinalium, ità ut urinam gypſaceam emittat. 960.*e.* 961.*c.* 1029.*c.* 2199.*f.* 2322.*c.* Ejus conjectura de cauſis iſtius mali. 1138. 2139.*g.* 1930.*g.* Peſtem fugit. 321.*c.* 434.*f.* 476.*e.* 479.*c.* 487.*c.* 488.*g.* 514.*e.* Frigus colligit quatriduanâ navigatione. 512.*e.* Laborat exulceratione extremæ ſpinæ. 1959.*f.* Monachis eum decrepitum ſenem vocantibus oſtendit quàm adhuc vegetus ſit. 2074.*e.* Dolet, quòd per valetudinem nonnunquam non licuerit erga amicos humanitatis obire munia. 798.*b.* 826.*a.* 1397.*c.*
A puero humanioribus ſtudiis deditus fuit. 2072.*g.* Quàm fœcundo ingenio fuerit. 132.*f.* 154.*e.* Quàm ardenter literas amaverit. 480.*g.* Græcarum literarum ſtudio incumbit. V. *Græcæ literæ.* Hebraicas attigit tantùm, 323. idque jam ſenex factus. 115.*e.* Dicit, ſibi neque Cabalam neque Talmud unquam arriſiſſe. 542.584.739.1118. Quos autores præcipuè ſecutus fuerit. 1973.*g.* Hieronymi epiſtolas dicit ſe propriis articulis deſcripſiſſe. 1979. Legit Cantabrigiæ Chryſoloræ Grammaticen. 408. Lovanii cooptatur in ordinem Theologorum. 1913.*c.* Cur Græca nonnunquam ſcriptis ſuis admiſcuerit. 645. Poeticès famam, ab aliis tributam, 125.*g.* ſibi denegat. 126.129. Carmen illud maximè probat quod à proſa non longè recedit. 420.*d.* In quem finem ſtudia ſua potiſſimùm dirigebat. 544.*g.* 545.*a.* 546.*d.* 459.*a.* 567.*a.* 575.*e.* 576.*f.* 663.*c.* 764.*b.* 776.*a.* 794.*a.* 910. Facilitatem ſtyli (quam taxat Budæus, 35, 36. 38.) excuſat, imò defendit, 46, &c. 249.*f.* Nemo ferè ſcripſit iſtis temporibus qui non aliquid ejus ſtyli referret. 544.*f.* 576.*d.* Hæreticum eum vocant monachi propter elegantiam Latinitatem. 665.*b.* 666.*c.* 669.*a.* 916.*e.* Cur adeò celeriter & quaſi tumultuariâ operâ ſcripta ſua ediderit. 1876.*b.* Piget eum ſcripta ſua recognoſcere & perpolire. 417.*c.* 2555.*e.* Indefeſſa ejus diligentia. 451.*a.* 474.*f.* 498.*f.* 492.*b.* 637.*b.* 816.*b.* 831.*e.* 957.*c.* 1517.*d.* Quantis laboribus diſtringebatur. 959.*a.* 973.*a.* 1040.*d.* 1344.*a.* 1414.*g.* 1758. 1783.*g.* 1912.*g.* 1923.*c.* 1934.*c.* Vetera ſtudia cum novis ut coaleſcant, cupit. 608.*d,g.* V. *Theologia Scholaſtica.*
Ejus encomium. 18.40.*a.* 54.*d.* 57.*b.* 65.76, &c. 114.*a.* 115. 132.*c.* 145. 151, &c. 174.*g.* 203. 274. 282.*d.* 302.*b.* 309.*c.* 350. 373. 405. 424. 435.*c.* 552.*f.* 563. 580. 670. 685.*f.* 847, 848. 1017. 1338. 1341. 1347, &c. 1527. 1539, &c. Eum ſummè laudat Lud. Vives 753. Longolii de Eraſmo cenſura; 247. Budæi. 35.36. Hermolao Barbaro & Politiano præfertur: 245. 274. 753. Cum Budæo confertur. 146.*a,e.* 247, &c. Eraſmus & Budæus ſeſe inter ſe conferunt. 38. 39. 43. Hieronymus Aleander à quibuſdam ei præfertur. 814.*b.* Quantis titulis fuerit inſignitus. 509.*g.* Paulus Volzius eum appellat *Scholarum decuſſime*, 807. 1062.*d.* Batus eum Herculem vocat 1352. Bovillus cum hederæ comparat, 1360.*d.* & Soli. *ibid.g.* Cognomentum *Magni* illi tribuit Braſſicanus 1364. & Baytius 1402.*d.* Ter maximum eum vocat Zaſius. 1402. Totius eloquentiæ lumen appellatur. 2564. Pythagoræ & Proteo comparatur. 529. Se Vitis illi & Ficui *Judicum* comparat. 1218.*c.*
Qualis vir ſit, ipſe deſcribit. 310.*g.* 909, &c. 1841.*f.* Vitæ, actionum & fidei rationem dat 859, &c. 1186, &c. Uni Deo vivere cupit 1207. Quàm fuerit pietatis ſtudioſus. 909. 910. Quamobrem ſibi viſus fuerit eſſe Catholicus. 904.*g.* Ab hypocriſi ſe alienum aſſerit. 438.*g.* Romanæ Sedis ſtudioſum ſe profitetur 653.*c.* 654.*a.* Ab Eccleſia Catholica ſe nunquam diſceſſurum, ait. 727.*b.* 728.*a.* 858. 1191.*a.* Ægrè diſcedit à conſtitutionibus Eccleſiæ. 775.*a.* 859.*f.* 921.*b.* 918. 938.*b.* 960.*g.* 1179.*d.* Pietatem exoſculabatur, in quocunque pallio ſeſe proferret. 648.*b.* Quàm ſtudioſus fuerit publicæ pacis inter Chriſtianos. 91. 142, &c. 662.*g.* 750.*b.* 1235, 1236. 1245. 2247.*b.* 1232.*g.* 1487.*e.* 1756.*d.* 1798, &c. 1835. 1836. V. *Bellum.* Tumultus, bella & diſſidia lugt 1.849. &c. 856. &c. 861.*a.* 863.*c.* 867. 907. 908. 940. 979.*g.* 985.*e.* 1009.*c.* 1022.*d.* 1042.*c.* 1101.*a.* 1107.*d.* 1135, &c. 1158.*a.* 1163. 1267.*g.* 1172.*d.* 1356. 1442.*c.* 1610.*d.* 1654.*e.* 1675.*e.* 1720.*b.* 1797.*b.* 1757, &c. 1859.*a.* Se otioſius deſertiorum ait aliquam veritatis portionem quàm turbatorum concordiam 997.*e.* Tumultus odit. 653.*f.* 728. 764. Semper cavit, nè quem ſcripto læderet, 2004, &c. 2100.*f.* nè quid aut impiè ſcriberet, aut ſpurcè, aut ſeditioſè. 544.*g.* 559.*a.* 588.*d.* 2012.*a.* Admonet alios, ut immodicam libertatem temperent. 544.*b.* 566.*g.* 614.*b.* Profitetur ſe alienum à diſcordia & diſſidio, 4, &c. 7. 10.*a.* 540.*d.* 943.*d.* 948. 954.*d.* 997.*e.* 1150.*a.* 1218.*c.* 1226.*d.* uſque à maledicentiis & conviciis. 369.*d,g.* 542, &c. 559.*a.* 567.*a.* 584. 592.*f.* 747. Iræ celer erat, at placabilis. 1968.*f.* Rationem reddit cur nonnunquam fuerit ſtomachantior. 747.*b.* Quid ejus animum à contentione revocarit. 567.*b.* Se ab invidia alienum dicit, 43.*f.* 51.*e.* 632.*g.* 1273.*b.* 1275.*a.* 1529.*d.* Budæum aliòſque ipſi præferri, æquo animo fert. 1310. 1431.*f.* 1519.*e.* 1564.*g.* 1748.*f.* 1930.*a.* Se alienum dicit ab ambitione. 96.*c.* 100.*e.* 283.*c.* 208.*d.* 210.*f.* 238.*d.* 848.*c.* 852.*a.* 910.*e.* 1067.*d.* 1084.*e.* 1217.*c.* 1191.*a.* 1211.*g.* 1305.*g.* In aulis Principum ſe à pueritia ad annum uſque quinquageſimum militaſſe dicit. 1569.*e.* Principes ſalutare ſe non ambire dicit. 802. 809.*a.* Ab aulis principum abhorruit. 131.*d.* 211.*f.* 357.*a.* 613.*a.* 661.*d.* Amplam fortunam non ambiit. 208.*d.* 210.*f.* Aditum ſibi ad ampliorem fortunam ſponte præcludit. 848.*e.* Gloriam mundanam ſe non ſitire aſſerit. 909. 910. Honores nec ambit, nec omnino rejiciendos cenſet. 757.*b.* Pœnitet eum quòd honores repudiaverit. 845.*e.* 2211.*g.* Doctoratûs gradum ambit. 320.*f.* 449.*d.* 491.*f.* 497.*d.* 1998.*c.* & ſeqq. 502.*d.*

Eum

d. Bonis tamen ſe invitum accepiſſe dicit. 2000. d, e. g. Se vanæ gloriæ ſtudioſum non eſſe aſſerit. 45. d. 228. 140. 1. 633. f. 684. b. 909. e. Immodicas laudationes damnat & reſpuit. 322. d. 582. d. 632. a. 831. e. 909. 978. d. Seipſum elevat. 43. &c. 52. g. 55. g. 126. 204. a. 209. 310. b. 363. f. 373. a. 418. f. 486, 487. 569. f. 654. e. 684. e. 1564. e. 1825. a. 2044. a. 2047. d. Seipſum glorioſiùs commendat, 449. e. 453. e. & ab aliis commendari cupit. 294. g. 322. a. 449. Cupit ut Budæus in ſcriptis ſuis mentionem ejus faciat. 1120. e. Ab adulatione ſe alienum ait, 513. e. 1781. b. à curioſitate, 1768. f. à pertinacia. 911, &c. Jus ab eo diſſentiendi, eùmque corrigendi, aliis concedit. 745. a. Se ab ingratitudinis nota vindicat. 484. Non citò de quoquam opinionem ſiniſtram concepit. 908. f. Alienus fuit à vindictæ cupiditate. 1212. b. Nimium conſtans fuit in amicitiis tuendis. 968. d. 1768. f. Se ab immodeſtia vindicat. 1530. g. Modeſtè de ſeipſo loquitur. 1521. a, d. Ab avaritia quantum abhorruerit. 1212. a. 2067. Dignitates & opes recuſat. 1322. d. Odit luxum & vinolentiam. 771. Gaudet, quòd cœlibem vitam elegerit. 463. d. Veneri nunquam inſervivit. 1212. g. Mortis metum, quo afficiebatur juvenis, depoſuit ſenex. 328. e. 893. f. 1211, &c. Martyrium non timuit. 1852. b. quod quidam dicebant eum detrectaſſe. 822. d. 823. a. Vindicat ſeipſum à calumniis cujuſdam qui eum meticuloſum dixerat. 2084. a. 2099. a. 2108. g. Nonnunquam titillabatur in aliquam factionem concedendi deſiderio. 858. e. Certam de ſalute fiduciam habere cupit. 1212. e.

Seculi vitia redarguit. 22. f. 30. a. f. 143. 269. f. 368. b. 502. d. 508. d. 585, 586. 595. e. 612. a. 682. 747, 748. 791. 912. e. 1059. e. 1135, 1136. Abuſus notat in Eccleſia. 941. b. V. *Eccleſia.* Excuſat ſe quòd Epiſcoporum & Sacerdotum mores reprehendit. 1066. b. Queritur de moribus quorundam qui tumultuantur Evangelii titulo. 811. b. 817. a. 818, 822. g. 891. 950, 951. 1066. e.

Indigentiam ſuam deplorat. 437. d. 449, 450. 452. 462. b. 473. 498. b. 519. a. 520. Cupit fortunulas ſuas augeri. 1766. g. De nummis corradendis valde eſt ſolicitus. 452. 454. e. 474. 493, &c. 499. e. 513. f. 518. d. 519. a. 607. 843. 1007. e. 1021. f. 1083. 1109. d. 1117. e. Quibus argumentis ad id utatur. 440. &c. De penſionibus ſuis admodum ſolicitus eſt. 1389. e. Equo mercenario & vili pudet eum inſidere, 993. g. 994. d. Nihil æquè odio habuit atque appellari. 403. f.

Infortunia ſua narrat. 285. g. 323. d. 377. f. 458. f. 498. d. 501. 514. f. Miſerrimum eſſe ſe dicit. 291. e. Iter quod per frigus gelúque intenſiſſimum confecerat, deſcribit. 285. g. Aliud iter moleſtum deſcribit. 696. b. Profectionem ſuam à Baſilea ad Lovanium moleſtiſſimam deſcribit. 323. d. Spina dorſi ab equo conſternato diſtorquetur: Quod periculum ſi contingat evadere, vovet D. Paulo, ſe Commentarios in Epiſt. ad Rom. abſoluturum. 406. f. Narrat quomodo latrones illum nummis ſpoliaverint. 469, &c. Epumidem, in qua erant decem aurei, &c. perdit. 498. d. Pecuniæ jacturam quàm fortiter tulerit. 377. f. 458. f. Syngraphis quietantiis ſe deluſum fuiſſe ait. 843. f. Queritur quòd contumeliam in Anglia paſſus ſit, nec potuerit rationem referre. 497. g. Nautæ Britannici manticam ejus lucubrationibus onuſtam ſuffurantur. 438. b. Petrus Barbirius cum penſione fraudat. 1909. Se Stephano & Sebaſtiano graviora paſſum dicit. 852. 857. Literas ad eum ſcriptas quidam intercipiunt. 875. a. Faſciculus epiſtolarum ejus Thannis intercipitur. 880. Typographus quidam ob xenia non ſoluta librum ejus corrumpit. 1956. Senem quendam invidum qui gravi eum contumeliâ affecerat, vehementer exagitat. 465, &c. Suam conditionem pejorem eſſe quàm hiſtrionum dicit. 943. a. Se Tantalo apud inferos comparat. 876.

Queritur amicos ſuos in hoſtes verſos. 851. g. 856. g. 1376. e. 1404. d. 1438. a. 1444. e. 1465. e. De hominum amicitiis queritur, 1371. e. ingratitudine, 2081. a. 2090. a. & perfidia. 869. Libros fidiſſimos amicos vocat. 297. b. 302. f. Quidam jactantes ſe famulos & diſcipulos Eraſmi, amicos ejus impudenter emungunt. 1522, &c. 1520. b. Queritur quòd Jacobus Battos factus fuerit propenſior in Guilhelmum quendam quàm in illum. 486, 487. 491. Auguſtinum quendam ſubdolum & perfidum eſſe ſuſpicatur. 453, 454. 488. 492. Cum eo redit in gratiam. 495.

Eraſmi amicitia Budæo quanti æſtimata; 249. a. 754. quanti Budæi, Eraſmo. 183. 231. 754. Objurgatrices alter alteri epiſtolas mittunt. 211. 218. 227. Cujus rei cauſam reddit Lud. Vives. 754. a. Veretur Eraſmus nè joci Budæi, quibus in epiſtolis utitur, aliis convitia videantur. 231. d. 253. b. 255. a. Amicitiam inter eos ſtabilire ſtudet Vives. 754. Ægrè fert Eraſmus, ſe in Budæi Commentariis figuratè nonnunquam mordaci. 1370. a. 1371. a. 1372. b. 1481. a.

Ludov. Vives ſuſpicatur eum refrixiſſe in amicitia. 1532.

Quid ſenſerit de Adoratione in Miſſa; 1138. b. 1963. e. de Autoritate B. Virginis in Filium; 1837. e. [V. *Chriſtus.*] de Bonis operibus; 1238. a. 1231. d. 1288. a. [V. *Bona opera.*] de Ceremoniis Eccleſiaſticis; [V. *Ceremonia.*] de Cœlibatu & Conjugio ſacerdotum; 775. b. 1528. d. [V. *Cœlibatus.*] de Confeſſione; 764. 1528. d. [V. *Confeſſio.*] de Conſtitutionibus humanis; 1312. a. 1487. f. 1528. d. 1733. e. 1944. f. 2079. e. de Continentia; 1137. f. de Delectu ciborum; 1187. a. 1241. f. 1479. e. 1528. d. 1817. f. [V. *Ciborum delectum.*] de Divorum cultu; 2186. f. 1273. d. 1528. [V. *Cultus.*] de excommunicatione; 1826. d. de Feſtis diebus; [Vide *Feſti dies.*] de Jejuniis; 1479. e. 1528. d. 1735. f. 1944. f. 2144. a. [V. *Jejunium.*] de imaginibus; 1191. f. 1312. a. 1377, &c. 1962. e. de Indulgentiis; 1730. f. 1827. b. 1945. a. 2144. b. de Invocatione B. Virginis; 917. 1137. f. 1736. b. de Libero arbitrio; 1130, 1231. 1963. e. de Matrimonio & Divortio; 740. de Meritis; 1137. f. 1138. a. de Miſſarum nundinatione; 1312. e. 1962. f. de Muſica templorum 1312. b. 1792. e. de Peregrinationibus; 764. 1240. f. 1479. e. 1729. 1733. d. de Pont. Romano; 586. f. 652. de ejus Poteſtate; 1311. g. [V. *Rom. Pont.*] de Prædeſtinatione; 1231. f. de Votis monaſticis. 764. 1487. a. 1528. d. [V. *Monaſtica vota.*] Orat pro defunctis. 779. f. 1037. e. 1320. e. 1353. b. idque pium arbitratur. 1246. e. Invocat Coleti & Vitrarii animas. 710. b. Virginem Walſingamicam viſere ſtatuit. 416. D. Genovefæ opera ſe expertum ait. 496. 1994. g. Precationes ad Virginem matrem (quas Annæ Veriansæ miſit, 503. a.) alieno ſtomacho à ſe ſcriptas ait. 513. d. Scholaſtica quædam dogmata reſpuit. 1137. e. Fugit dogmatiſtæ perſonam in negotio religionis. 663. b. 772. b. 911. b. Dicit non eſſe ſuum dogma, Sanctos invocandos eſſe. 804. g. Beddam eum taxat, quòd ſcripſerit B. Virginem inveniſſe gratiam non ſuo merito, ſed favore Divino. 797.

Quantam familiam aluerit, & quanti. 1007. g. 249. d. De fideli famulo parando valde eſt ſolicitus. 1952. e. 1953. a. Servum abjicit. 399. e. In ancillam ſuam jocatur. 1309. Quantum in grammatophoros quotannis inſumſerit. 1366. f. Juvenem quem in Britanniam miſerat, miratur non redire. 488. 491. Nicolaum Cannium famulum ſuum peregrè agentem monitis inſtruit. 1298. Gilbertum Cognatum famulum ſuum ad ſe revocat. 1566. b. 1568. d. Ludovicum puerum ſuum Batto commendat. 495. Cubiculum quod habet latrinam deſiderat. 400. e. Cur frequentibus civitatibus delectaretur. 1306. e. Queritur de improbitate pulicum. 1394. g. Eos dæmones eſſe joco dixit. Gallum & gallinam Epiſcopo mittit. 1309. Domum emit Friburgi. 1321. a. 1331. f. 1335. d. Quantum pecuniæ in ea reparanda impendebat. 1567. e. Eam divendit. 1560. b. 1567. a. Cum Luſcinio & tribuno Friburgenſi de domo contendit. 1910, &c. Illyo Caminga cupit ei eſſe ὁμοβώμιος. 771.

Crebras à Principibus & Magnatibus epiſtolas & dona accepit. 774. 880. e. 886. d. 1122. b. 1215. g. 1383, &c. 1559. g. Maximos & integerrimos viros propitios habuit; tenebriones, malevolos. 1018. a. 1099. f. 1112. b. 1123. e. 1351. f. 1463. f. Totus orbis Chriſtianus illi favit. 128. a. Undique ambitur. 295. b. 938. b. 976. a. 999. e. 1028. a. 1032. a. 1041. d. 2104. b. 1223. d. 1383. f. Dicit, ſe non multò pro-

pen-

penſiorem eſſe in unam regionem, quàm in aliam. 977.*f.* Omnes nationes ſibi gratiores expertus eſt quàm ſuos. 978.*a.* Quàm honorificè ubique exceptus fuerit. 1216, *&c.* 1222.*d.* Angelopolitani eum expetunt & alliciunt. 121, 122. Anglorum erga eum benevolentiam adornatio belli minuit. 142.*f.* Quàm illis charus fuerit. 1999.*b.* Fatetur ſe apud eos habuiſſe quicquid fortunæ habuerit. 142.*g.* In Anglum propè transformatum ſe dicit. 516. Angliam patriam vocat. 123.*e.* In Angliam invitatus, 869. 875. 900. 1031. cur eam non adierit. 1031. Fortuna ejus in Britannia non reſpondit ejus votis. 96.*a.* 99.*f.* Dubitat utrùm Britannia an Gallia ſit ei dulcior. 511. 512. Galliam cupit relinquere. 491.*e.* Invitatus à Gallia, 225.*e.* 264.*d.* 275.*e.* 363. 388.*a.* 433. 755. cur Galliam non adierit. 1223, 1214. Eam adire recuſat, eò quòd fidem Catholico Regi obſtrinxerat. 275. Quos amicos habuerit in Gallia; 637.*d.* quos in Polonia. 1525. Invitatur in Hiſpaniam. 976.*e.* 1104. Cur Italiam adire cupiat. 502.*d.* Optat Romæ eſſe. 1022.*g.* 1219. Cur eam non adierit. 1219. Flandriam adire cur vereatur. 1362. In Brabantiam invitatur. 1303. 1562.*d.* 1921.*a.* Cur eam petere noluerit. 1083.*e.* Auguſtam invitatur. 854. Profectionem ſuam Beſontinam narrat, quámque honorificè illic excipiebatur. 930. Cur Cæſarem non adierit. 1218. Iter ſuum Baſileam deſcribit. 1214. *&c.* Sibi metuens, cupit Baſileâ aliò emigrare. 1055.*f.* 1057. Baſileæ jus civitatis non ademit. 1223.*a.* Nè Lutheranos probare videatur, Baſileam relinquere cogitat. 838.*g.* 852.*c.* 855.*b.* Oecolampadius ei diſſuadet, nè eam relinqueret 1936.*c.* Baſileâ demigrat Friburgum, à Ferdinando invitatus. 1131.*a.* 1909.*g.* De ejus emigratione. 1302. 1432, 1434. 1935, 1936. Rumores quoſdam de ejus fuga & metu ſparſos diluit. 1213. &c. Cogitat de commigrando à Friburgo ad Beſontium. 2561. Baſileam redit. 1536.*d.* Nullo loco ſtabilis, nullis certis ſtipendiis adjutus fuit. 114.*f.* Quamvis locum ſæpius mutarit, ſe tamen ab inconſtantia vindicat. 190.*b.* 291.*g.* 531.*g.* Cur Principes ipſum invitantes non adierit. 282.*d.*

Patroni ejus ac Mecœnates. 175.*b.* 186.*e.* 189.*e.* 292. HENRICUS VIII. Rex Angliæ. 71, *&c.* 95.*e.* 289.*e.* 291. 455. 546. Munus illi dat. 182.*e.* offert ſexcentos florenos quotannis. 1913.*f.* De ſalute ejus ſolicitus, eum in Angliam tanquam in portum tranquillum ſedulò invitat. 1548. Guil. Waramus Archiepiſcopus Cantuarienſis. 29.*f.* 60.*f.* 92.*g.* 96.*e.* 98.*e.* 99.*g.* 101.*b.* 123. 188.*b.* 208. 438. 515, 516. 520, 521. 774. 799. 921. 1005. 1519. 1521. 1844. Penſionem illi largitur. 142. Sacerdotium offert. 268. Dat ei XX. libras, 1006.*b.* & equum. *ibid.* *c.* Quem lepidè deſcribit. *ibid.* Mittit ei XXX. angelatos. 393. Veretur nè eum deſtituat. 430.*d.* Centum florenos ab eo accipit. 670.*e.* Sacerdotium ei pollicetur. 671.*a.* Thomas Cardinalis Eboracenſis. 289. 292. 428. 438. 774. Penſionem ab eo accipit. 318.*g.* De qua redimenda cogitat. 178.*d.* Thomas Cranmarus, 1498. mittit ei XVIII. angelatos. 2566.*a.* Joannes Roffenſis. 111. 292. 438. 515. 774. Joannes Lincolnienſis. 774. 1110. mittit XV. angelatos. 1566.*a* Epiſc. Wigornien. 430. 615. Cutbertus Tonſtallus. 434.*g* 438.*d.* 774. Tho. Cromveli⁹ ei mittit XX. angelatos. 1566. Ab Urſewico equū petit: 415.*e.* 417.*a.* accipit. 431.*e.* Ammoni⁹ ei equū dat. 427.*d.* Gulielmus Montjoyus. 60.*e.* 96.*b.* 100. 268. 515. Joannes Coletus. 309.*g.* Polydorus Vergilius dat ei quo equum emat. 1093.*c.* Tornacenſem canonicatum, à Ricardo Samſone paratum, 176. quare non obtinuerit. 118.*e.* Eum recipit, 428. & conflat in penſionem. 430.*c.* CAROLUS Imperator. 63.*g.* 70.*d.* 104. 123. 189. 275. Offert illi Epiſcopatum apud Siculos. 141.*a.* 428. Aſciſcit eum ſibi in ordinem conſiliariorum, 661.*e.* 943.*g.* 946.*a.* 970.*e.* 1082.*b.* 1283.*f.* jubétque ei numerari penſionem ducentorum florenorum. 954.*f.* 1267.*e.* Sed non numeratur. 771.*a.* 1007.*g.* 1008.*f.* 1010.*g.* 1083. 1109.*d.* 1110.*e.* 1267.*c.* 1905.*a.* 1921.*a.* 1922.*e.* 2049.*f.* Eraſmus cupit eam eſſe perpetuam. 943.*c.* 945.*f.* FRANCISCUS Galliarum Rex. 85.*g.* 192. 211.*g.* 219.*f.* 247.*b.* 275.*e.* 361, 362. Ei pollicetur CIↃ florenos annuos, ſi Galliam adire velit. 432. Iterum ab eo invitatus, moras nectit. 810. 815. 915.*f.* 924.*f.* 1080. 1082, 1083. Theſaurariam Turonenſem ab eo oblatam recuſat. 1003.*g.* 1011. 1060.*e.* 1905.*a.* Stephanus Pariſienſis Epiſc. 192. 274. Epiſcopus Baiocenſis. 63. 189. 192. Erardus Epiſc. Leodienſis. *ibid.* 206, *&c.* Albertus Card. Moguntinenſis. *ibid.* 358.*d.* 560. 572. Poculum aureum cælatum ei mittit. 583. 613. Philippus Epiſc. Trajectenſis. 189. 202. 209. Chriſtophorus Epiſc. Auguſtanus. 1499. Epiſc. Baſileenſis. 192. 195. 388. 394. 409. 1217.*a.* Franciſcus Archiep. Toletanus. 192. Guilielmus Croyus Card. Toletanus. 554. Alfonſus Fonſeca Archiep. Toletanus. 773. Dominicus Card. Grimanus 95, *&c.* Jacobus Sadoletus. 1348.*g.* 1552, 1553. Joannes Card. Lotharingiæ. 1025. Ennius Epiſc. Verulanus. 1000. Laurentius Card. Campegius. 774. mittit ei adamanta annulo incluſum. 578.*e.* Quantum eum ejuſque ſcripta coluerit. 577. Hugo Epiſc. Conſtantienſis. 1000. 1219. Epiſcopus Cameracenſis. 320. 478. 484, 485. Joannes Thurzo Epiſc. Uratiſlavienſis. 372. octo dierum iter ſuſcepit Eraſmi viſendi ergò. 338.*e.* Ei mittit quatuor horologia, quatuor auri puri particulas, & pileum ex Sabellinis pellibus confectum. 686.*d.* Aloiſius Marlianus Epiſc. Tudenſis. 727, 728. Conradus Epiſc. Wircenburgenſis. 2393. Bernardus Card. Tridentinus. 877. 999. Eum invitat. 1438. Andreas Critius Epiſc. Plocenſis annulum mittit. 1441.*b.* Petrus Epiſc. Cracovienſis. 1030. Monet eum ut aliquid de ſtudiis & laboribus remittat, 1534.*e.* & XXX. ducatos ei mittit. 1565.*d.* Staniſlaus Turzo Epiſc. Olmucenſis quatuor nomiſmata aurea ei mittit, 1550.*e.* & craterem inauratum. 2553.*g.* Georgius Cæſaris Maximiliani F. Epiſc. Brixinenſis. 876. Matthæus Card. aureum poculum ei mittit. 1955.*a.* Ei IↃ ducatos annuè offert, ſi velit Romam adire. 947.*e.* 1001.*f.* 1003.*a.* 1218. FREDERICUS Saxoniæ Dux duo nomiſmata illi mittit. 643.*a.* GEORGIUS D. Saxoniæ. 1400, 1401.*d.* Ei dono mittit argenti infecti maſſulas, 617.*f.* 628.*d.* & poculum. 776. SIGISMUNDUS R. Poloniæ ei munus mittit, cúmque ad ſe invitat. 1147. 1383. Chriſtophorus à Schydlovietz ei aurea munera donat. 1117.*a.* Dux Juliacenſis, poculum. 1391. 2419. Joannes Rinckius, poculum. 2443. Joannes Sylvagius Burgundiæ Cancellarius. 30.*b.* 51.*e.* Antonius à Bergis Abbas D. Bertini. 503. Canius Canonicus. 188.*a.* HERNESTUS Dux Bavariæ. 121, *&c.* 292. 201. 388. Theologi Lovanienſes. 174. Jacobus Piſo Hungarus ei nomiſmata mittit. 1128.*e.* Antonius Fuggerus, poculum, 2266.*c.* 1303. 1384. & vinum. 1358. Bilibaldus Pirkheymerus, munera. 1303.*d.* Germanus Brixius. 278.*b.* Gulielmus Comes ab Eiſenburgo ei pugionem mittit. 1327.*e.* Joannes Paumgartnerus, aurum infectum, 1319. & poculum inauratum. 1522.*f.* Viglius Zuichemius ei annulum donat aſtrologicis notis ſculptum, qui explicitus ſphæræ vicem exhiberet. 1326. LEO X. Pont. R. 71. 103. 106. Ei adblanditur Eraſm. 87. *&c.* 103. *&c.* 557. ADRIANUS VI. ei diploma mittit. 807. CLEMENTI VII. Pontificatum gratulatur. 813. Honorificum breve cum centum angelatis ei mittit. 1005. 1924.*b.* Bis mittit ducentos florenos. 1122. Eum Romam invitat. 99.*c.* 1011. 1921.*a.* PAULUS III. Pont. Præpoſituram Daventrienſem ei offert, ſed eam recuſat. 2568. Ab eo Cardinalis deſignatus eſt. 1538.*d.* 1544.*b.* 1557.*g.* 1955.*d.* 1959.*d.* Anna Princeps Veriana. 286. 293. 501. Ducentos francos ab ea emendicat. 439. 453. Ab eadem gemmam oculis confirmandis utilem efflagitat. 450.*b.* Rogat Battum ut cauſam ejus apud illam diligenter agat. 493. Cur à Battio invitatus non continuò advolaret. 487.*c.* 490.*f.* 492.*e.* 495.*g.* FERDINANDUS R. Hungariæ eum Viennam invitat ſalario CCCC. florenorum. 1029. 2033. 1432, 1433. quingentos pollicetur. 855. Ei mittit centum aureos. 1005. 1920.*d.* MARIA Hungariæ R. literas propriâ manu deſcriptas ei mittit. 1463. 1469.*g.*

Præbendam adipiſcitur. 73. *c.* quam in penſionem vertit 74. *b.* Abhorret à præbendis, nè res ei ſit curo capitulis. 603. *g.* Sacerdotium efflagitat. 449. *g.* Sacerdotium nanciſcitur. 104. *b.* Literas teſtimoniales de non-reſidendo cupit. 780. *b.* Epiſcopatus ei offertur, ſi velit in Lutherum ſcribere. 604. *d.* Decanatum ab Adriano Pontifice oblatum recuſat. 951.

Alexandrum (poſtea Archiepiſcopum S. Andreæ in Scotia) inſtituebat. 832. Joannes miniſter ejus & diſcipulus à patre alteri committitur. 436. *b.* Cujus diſceſſus Eraſmum malè habet. 377. *g.* 436. Ferdinando Principi conantur eum præceptorem dare. 365. Auguſtinum diſcipulum ſuum rogat, ut eum hoſpitio excipiat. 322. *g.*

Autores vetuſtos in lucem eruere & emendare ſtudet. 510. *c.* Quanti illi conſtiterit autorum emendatio. 843. *g.* 845. *e.* 853. *e.* 1049, 1050. 1064. Monet eum Cochlæus, ut ab emēdandis veterum libris ceſſet, & tractet diſciplinas ſuæ argumenta. 1268. *g.* Ejus operam in veteribus autoribus reſtituendis carpunt nonnulli. 1063, 1064. Arnobium ſuum Adriano VI. dicat. 807. 1199. Auguſtini opera recognoſcit. 666. 669. Queritur editionem ejus operarium conſpiratione tardari. 845. 849. Baſilium in Eſaiam vertit. 518, 519. Chryſoſtomum vertit 972. 1121. 1365. Cyprianus emendatur. 567. 572. Errata in editione Cypriani excuſat. 813. 1064, 1065. Quantum laborarit in repurgando edendóque Hieronymo. 92, *&c.* 97. *a.* 100. 211. 422. 424. 430, 431. 449. 451. 475. Iterum excuditur. 779. *b.* 790. Quartum recognitus, excuditur Lutetiæ. 1518. Irenæum edit. 828. 1129. Origenis fragmentum in Matthæum vertit. 798. 835. Agit cum eo Cantuarienſis, ut vertat Origenis commentarios in Pſalmos. 621. Ejus de Baſilio, Chryſoſtomo & Nazianzeno judicium. 1310.

Ciceronis *Officia* edit, 1693. & *Tuſculanas quæſtiones*. 1694. Emendat Curtium. 200. Euripidis *Hecubam* & *Iphigeniam* cur, & quanta cum cura, verterit. 1741, *&c.* Eas ab Eraſmo verſas, negatur. 813. 1065. Gazæ grammaticam vertit. 1711. *g.* Interpretatur Luciani *De Aſtrologia* commentarium, 517. *Convivium*, 1719. libellum *De mercede conductis*, 1717. *Saturnalia*, (quæ Warramo dedicat) 616. *Somnium*, 1715. *Timonem*, 1716. *Toxarim*, 1714. & *Tyrannicidam*. 1717. Commentarios edit in *Nucem* Ovidii. 1743. Quadraginta aureis conductus caſtigat Plautum. 814. 1064. *g.* Plutarchi quoſdam libros vertit. 391. *d.* 518. Quintilianum edit. 1119. Senecam emendat. 517. Secundam editionem molitur, 1043. 1049. 1064. cum prioris eum puderet. 1044. *a.* 1049. *f.* 1064. *f.* 1664. *d.* Amicum excuſat cui priorem editionem commiſerat. 813. 1064, 1065. 1664. *e.* Agit cum Aldriſio ut Frobenianum Senecam cōferat cum manuſcriptis Cantabrigienſibus. 1093. 1123. Cur ſecundam editionem non eidem dedicarit cui primam, 1663, *&c.* Quantum in ea laborarit, 1664, *&c.* 1674. *g.* & à quibus fuerit adjutus. 1665. *e.* Suetonium, Spartianum, &c. edit. 1688. Xenophontis Hieronem vertit. 1791.

Adagia primus Latinorum ſcripſit. 1483. *c.* 1747. *e.* Sed livore & plagio vindicat, contra Polydorum Vergilium, qui eum recuſarat tanquam ipſius *Adagia* compilaſſet. 748. Videtur Polydorum taxare, quòd *Adagia* ſua ex Eraſmianis decerpſerit. 1742 *c.* De *Adagiorum* Chiliadibus. 49, 50. 268. 276. 421. 497. *b.* 748. Quibus titulis à Budæo inſigniantur. 152. *e.* Idem in eas feſtivè jocatur: 242. *e.* cui reſpondet Eraſmus. 253. *c.* Excuduntur à Frobenio. 781. Prioris editionis Eraſmum pœnitet. 514. Aliquot centuriis aucta, iterum excuduntur. 1516. *b.* 1518. *c.* Quoties, & à quibus excuſa fuerint. 1747. *k.*

Antibarbarorum libros cur ſcripſerit. 1073.

Apophthegmata ſcribit. 1350. *g.* 1358. 1361. 1373. *g.* 1422. 1516, 1517. Ejus operis ratio & utilitas. 1770, *&c.* Cur & jocos nonnunquam Apophthegmatis immiſcuerit. 1774. *b.*

Cæſarum vitas recognoſcit. 339. *a.*

Ciceronianum, ſive *De phraſi Ciceronis*, ſcribit. 862. 864. Ejus libelli ſcopus & ratio 1170, *&c.* 1259. 1383, *&c.* 1739. Cur in eo aliquot prætermiſerit. 1016. 1044. 1050. *a.* 1259. 1482. Gallos offendit, 1030. 1034. 1050. *a.* 1166, *&c.* 1482. & Italos. 1049. *g.* Germani Brixii de eo judicium. 1167. *b.*

Colloquia ejus Lutetiæ interdicuntur. 842. *c.* 1019. *d.* 1102. *f.* 1281. *d.* Nicolaus Egmondanus ea hæreſeos damnat. 947. *a.* Eraſmus ea defendit. 867 1103. 1111. 1186. *a.* 1188. *d.* 1729, *&c.* Dolæ à Franciſcanis interdicuntur. 1568. Quàm avidè ab eruditis legantur. 1728. *b.* Eorum utilitas oſtenditur. 1729, *&c.* Quænam in iis damnarint monachi. 1735. *c.* Ea corrumpit Lambertus quidam ſcurra Dominicanus. 906. 916. 1101. 1104. *a.* 1070. *a.* V. *Campeſter.*

De ratione Concionandi ſcribit. 1535. *g.* 1541. *d.* 1958. *a.* 1960. *a.* Quo ſuaſore. 360. 1760. *c.* Ejus operis ratio & ſcopus. 1759, 1760.

De libello ejus *De Concordia*. 1560,

Connubialia præcepta (rogatu Reginæ Angliæ. 780.) ſcribit. 790.

Libellus *De Contemptu mundi*, ipſo invito, evulgatur. 1764. *d.*

Copiam ſuam defendit. 27, 28. *d.* Laudatur. 396. *c.* Eam locupletatam rurſus edit. 321. *a.* Duci Clivenſi commendat. 1299.

Elegantiarum Laur. Vallæ Paraphraſis, malâ fide evulgata. 1559. 1740.

Enchiridion edit. 399. *f.* Explicatum cupit Lyſtrius. 622. Hiſpanicè vertitur ab Archidiacono Alcorano. 829. 872. 1262. 1271. Germanicè, Gallicè, Tuſcè vertitur. 1262. Ab omnibus probatur. 923. Ab Eraſmo defenditur. 1232, *&c.*

Epigrammata edit. 1745.

Epiſtolas ſuas cur ediderit. 1. Cur nonnullas non ediderit. 1560. *a.* Cur & quaſdam amicorum, quibus reſpondet, admiſcuerit. 4. 1559, 1560. Alteram editionem parat. 620. *c.* 612. *c.* Dolet quaſdam ex ejus Epiſtolis editas fuiſſe. 620. *b.*

Libellus *De conſcribendis epiſtolis* ab Anglo quodam contaminatus, 1559. 1719. ab Eraſmo recognoſcitur, ac iterum editur. 1719 *g.*

Librum *De Euchariſtia* exorſus, 780. intermittit. 1104. *c.*

De ejus *Exomologeſi*. 903. *e.*

Inſtitutionem Principis Chriſtiani ſcribit. 1785.

Linguam ſcribit. 1790. *c.* Ea multis placet. 1126, 1127.

Liturgia Virginis Lauretanæ. 1792.

De ſinendo negotio Lutherano libellum ſcribit. 945. *b.*

De Matrimonio ſcribit. 1126. 1128. Ejus encomium Matrimonii à Collegio Sorbonico damnatur. 923.

De Miſericordia Dei ſcribit. 807. 910. &

De Modo orandi Deum. *ibid.*

Moriæ encomium omnibus eruditis placet. 527. *g.* 2006. Pſeudotheologis quibuſdam diſplicet. 2008, *&c.* Illud tuetur Eraſmus. 169 *g.* 517. *f.* 2003, *&c.* idque magnis & exemplis & rationibus. 1777. Ejus operis ratio & ſcopus. 2005, *&c.* Lyſtrius illi commentaria addit. 195 Georgius Haloinus Gallicè vertit, *ibid.* 527. *f.* Sed malè. 622. *b.*

De præparatione ad Mortem ſcribit. 1764.

De *N. Teſtamenti* priori ejus editione. 28. *e.* Quos tumultus excitarit inter Theologos Lovanienſes. 5, *&c.* Cavetur Cantabrigiæ à quodam Collegio, nè quis eâ utatur. 108. *c.* Eam defendit. 5. 108. 159, *&c.* 330. Novam editionem parat. 191. *a.* 197. *g.* 209. *d.* 329. *b.* 606. *b.* V. *Gulielmus Latimerus.* Quantum in N. T. recognoſcendo laborarit. 209. *d.* 1749. *c.* Ejus operis rationem oſtendit, 329. *c.* 911. *c.* 913, *&c.* 1843. *c.* 1845, *&c.* & utilitatem. 1846, *&c.* Breve Pontificis deſiderat, quo opus ſuum commendetur. 547. Leo x. illud laudat. 1845. Quàm avidè ab eruditis legatur. 557. *f.* 564. *a.* Ab Anglo quodam ſugillatur. 565. Tertiam editionem adornat. 669. *c.* 768. *b.* 1084. *b.* 1085. *c.* 1796. *g.* Quartùm recexit Annotationes in N. T. 828. *c.* 1120. *c.* Rationem reddit interpretationis ſuæ N. T. 1096. *c.* Ad quorum codicum fidem N. T. emendarit. 1846. Joannis Oecolampadii operâ ſe adjutum fatetur. 1847. Dicit ſe ex eo opere nec emolumentum nec gloriam venari. 1850. *a.* Interpretationem ſuam à frivolis Stunicæ objectionibus vindicat. 1877, *&c.* Defendit interpretationem ejus loci Joan. VII. *Nondum enim erat Spiritus Sanctus.* 1145, *&c.* De Annotationibus ejus in N. T. 98. *d.* 104. *f.* 431. *b.* Commendantur à Tonſtallo

ſtallo. 173. *d.* Quàm inſulſè & impudenter à quibuſdam damnentur. 344, *&c.* 612. *b.* Taxantur à Standicio perquàm ridiculè. 596. 612. *c.* Quibus teſtibus & approbātibus prodierint. 111. *a.* 913, *&c.* Novum Teſtamentum ab Eraſmo recognitum publicè damnat Nicol. Egmondanus. 719, *&c.* 735.

Paraphraſes ejus in N. T. laudantur. 107. *g.* 113. *g.* 189. *d.* 388. *d.* Pariſiis interdicuntur. 916. *g.* Bedda articulos in eis notat, 778. 797. eáſque calumniatur. 877. 893. Quo ordine in Evangelia Paraphraſes ſcripſerit. 1798. *d.* Scribit Paraphraſin in *Matthæum*, Cardinalis Sedunenſis hortatu. 1794. *g.* 1797. *a.* 1814. *c.* 1932. *g.* idque menſtruo fermè tempore. 1796. *a.* Eam Cæſar dicit ſibi gratiſſimam fuiſſe. 997. *c.* 1002. *g.* 1004. Eccleſiaſtes quidam eum temeritatis arguit, quaſi de ſuo adjeciſſet *Matth. xx.* hæc verba, *& baptiſmate quo ego baptizor, baptizari.* 1337. Paraphraſin in *Lucam* Henrico VIII. R. Angliæ dicat. 999. *a.* Paraphraſis in *Joannem* Ferdinando dicatur. 997. 1004. 1016. Paraphraſin in *Acta Apoſtolorum* Clementi VII. mittit. 815. Lovanienſes eum reprehendunt, quòd *Actor. xv.* poſuerit *Attaliam* pro Italia. 1956. *c.* Quàm difficile negotium ſuſceperit, cùm Paraphraſin ſcripſerit in Epiſt. ad *Romanos.* 1822. *f.* Quos ſecutus fuerit in Paraphraſi in Epiſt. ad *Corinthios.* 1831. *g.* Quàm raptim ſcripta fuerit. 510. Laudatur. 545. Scribit in epiſtolam ad *Galatas.* 835.

Panegyricum ſuum ad *Philippum* Burgundiorum Principem defendit. 1779, *&c.* Quàm tumultuanter eum ſcripſerit. 1781. *c.* 1783. *b.*

Edit libellum *De recta Pronunciatione Græci & Latini Sermonis.* 862. 864. 1046. 1258. 1737.

In *Pſalmum* I. ſcribit: 1751. in II. 1657. in IV. 1752. in XXII. 1344. *d.* 1524. 1753. in XXXIII. 1350. *g.* 1358. 1362. 1374. *a.* 1422. *e.* in XXXVIII. 1553. *f.* 1755. in LXXXIII. 1756. in LXXXV. 1340. *f.* 1343. *g.* 1757.

Ejus *De Querela pacis,* libellus. 201. 205. *e.* 209. *g.* 210. *b.* Hiſpanicè vertitur. 1079. *d.* Cur eum ſcripſerit. 1787. *f.*

Similia ſua ex quibus autoribus ſelegerit. 1726. *e.* Ejus operis rationem & utilitatem oſtendit. 1726, 1787.

Symbolum Apoſtolorum explicat, 1762. & *Precationem Dominicam.* 1763.

Viduam Chriſtianam dicat Mariæ Hungariæ Reginæ. 836, 837. 846. 1056. *b. d.*

Operum ejus nomenclatura & encomium. 67, *&c.* 83, *&c.* 152. *d.* 276. Quorum hortatu quos libros ſcripſerit. 921. Summa eorum quæ libris ſuis egit. 1181. *f.* Quantum ſuis laboribus rem Chriſtianam adjuverit. 1179. *f.* Quantum literis contulerit. 1385. *d.* Scripta ſua aliorum judiciis ſubmittit. 911, *&c.* 939. 1009. *f.* 1012. *a.* 1085. *c.* Se emendaturum pollicetur ſi quid in iis erroris ſit vel offendiculi. 1329. 1330. 1354. *e.* Loca quædam emendat. 1329. *f.* 1354. *b.* Scripta ejus laudantur. 1542. 1546. 1550. *c.* 1554. *b.* Pariſienſes laudant ejus opera & admirantur. 753. Paraphraſes aliique libri Gallicè vertuntur. 829. Berquinus quædam ex ejus ſcriptis vertit. 923. 1040. *c.* Atque ob id à Natali Beddam in ignem penè pertrahitur. 829. 832. 873. *a.* 974. V. *Ludovicus Berquinus.* Ægrè ferunt monachi Eraſmi libros in vulgares linguas verti. 829. *g.* 832. *f.* 872. *a.* 973. *g.* 1271. *b.* V. *Monachi.* Typographi aiebant, nullum nomen Eraſmico vendibilius. 1520. *a.* Acriter invehitur contra eos qui chartas ejus ſuffurati evulgarant. 1559. 1764.

Toſſanus & Budæus aliquot ejus lapſus taxant. 1480. *e.*

Judicium ejus quanti complures æſtimarint. 2091. *g.* Ille ſolus idoneus judicatur qui Germaniæ erroribus & ſeditionibus labenti opem ferat. 848. Cur ab eo negotio tamdiu abſtinuerit. 850. Qualem reformationem optarit. 819. *g.* Cupit quædam in Eccleſiâ mortua, quæ ſalvâ pietate mutari queunt. 815. *c.* 988. *f.* 1161. *e.* 1487. *f.* Invitant eum Helvetii ut Badenſi concilio intereſſet. 865. Cur non adfuerit in Colloquio Wormacienſi. 1213. Ad Conventum Spirenſem invitatur. 1333. 2076. *b.* Conventui Auguſtenſi intereſſe recuſat. 1391, 1392. 1431. *f.* Et tamen intereſt. 1334.

Offenditur quòd Oecolampadius eum citans *Eraſmum noſtrum* appellarit. 789. Expoſtulat cum Pelicano, quòd rumorem ſparſerat, Eraſmum de Euchariſtia idem ſentire quod ille. 795. Expoſtulat cum Vulturio Neocomo, quòd ejus mentionem faciens in libellis ſuis, ei invidiam conflaſſet. 2050. *f.* *&c.* 2053. V. *Vulturius.* Probat ſe cum Wicleviſtis de Euchariſtia non ſentire. 1085. *g.* Cur adverſùs eos non ſcripſerit. 2084. *f.* 2108. *g.*

Luthero ſe faviſſe negat. 7. 19. *c.* 566. 605. 650. Reſpondet iis qui objiciebant Lutherum quædam ex illius libris hauſiſſe. 8. *d.* 10. *f.* 542. Admonet Lutherum quid vitare eum velit. 650. Cur eum non refellerit. 651. Ejus cauſæ patrocinatur. 584. *&c.* Adriano VI. monenti ut Romam ſe conferat, & bellum indicat Lutheranis, 1201, *&c.* reſpondet. 787. Dolet, contra Lutherum convitiis & libellis rem actam fuiſſe. 9. 585. 594. 602. *f.* 651, *&c.* 657. *d.* 663, 664. Impulſu Cuth. Tonſtalli, 1158, *&c.* Pauli Bombaſii, 756. Pontificis, Regis Angliæ, & aliorum, ſcribit *Diatribam* De libero arbitrio adverſùs Lutherum 777. 797. 806. 811. *g.* 1066. 1087. 1185. *a.* Ejus negotii ſuſcepti rationem reddit. 810. 821. Cur eum librum ediderit. 952. *c.* 1005. *g.* Dicit ſe in ſua arena non verſatum, cùm eum librum ſcripſerit; 810. *b.* 811. *a.* 821. *d.* 1092. *c.* atque liberum arbitrium perdidiſſe, iſtum emittendo. 821. *d.* 835. *d.* [V. *Liberum arb.*] Cur opus illud nemini dicarit. 812. *b.* 1067. Dicat Card. Eboracenſi. 815. *Diatriba* æquiſſimis animis accipitur Wittembergæ. 801. [V. *Philippus Melanchth.*] Lutherus ei reſpondet. 789. *b.* 790. 1087. *g.* 1094. Eraſmus ſpatio duodecim dierum 790. *c.* 795. *a.* 796. ſcribit *Hyperaſpiſten.* 835. 963. *e.* 972. cúmque Georgio Duci Saxoniæ mittit. 867. 875. 879. Is autem eum culpat quòd non priùs in arenam contra Lutherum deſcenderit. 1073. Cum Luthero acriter expoſtulat. 1094. Quantum Lutheranis obſtiterit. 1012, 1023. 2109. *e.* 1359. *d.* Quibus argumentis quidam eum Lutheranum faciant. 1081. Quidam eum ceſſatorem putant in negotio Lutherano. 1013. *a.* 1018. *b.* 1964. *e.* 1966. *d.* 2122. *f.* Accuſatur apud Pontificem tanquam autor vel fautor iſtius negotii. 1038. *b.* 1040. *d.* Aleander miratur, cùm in Germania tot hominum millia ſint trucidata, Eraſmum adhuc ſpirare. 1052, 1118. *f.* 1379. *c.* 1931. *g.* Leonem & Leodienſem epiſcopum in eum irritat. 949. V. *Aleander.* Nicolaus Egmondanus precatur ut Eraſmus convertatur. 605. 688. 692. 735. *b.* 915. Eraſmi judicium de Lutheri dogmatibus. 949. *f.* déque nonnullis ejus diſcipulis. 950, *&c.* Hutteni colloquium cur detrectaret. 949. Lutherani, cum conſulendi gratiâ, Baſileam confluunt. 1225. Nicolaus Mallarius Lutheranus dicitur, quòd Eraſmum inviſerit. 1353. *d.* 1356. *a.* Quàm infenſi ei fuerint Lutherani. 1012. *d.* 1013. *c.* 1024. *a.* 1057. 1080. *a.* 1109. Hortatur fratres Germaniæ inferioris & Phryſiæ Orientalis, nè ad Lutheraniſmum deſciſcant. 2095, *&c.* Vide *Lutherani,* & *Lutherus.*

Apud Hiſpanos exoritur tumultus de libris Eraſmi. 773. *a.* 776. 799. Fingunt quidam, libros ejus, unà cum imagine, Romæ publicitus exuſtos fuiſſe. 807. 1007. *c.* Fingunt alii, eos (*tanquam hæreticos*) in Gallia exuſtos. 842. *c.* Alii, eos exuſtos in Brabantia. 1224. Alii, eos à Pont. condemnatos Romæ. 1225. Alii, eum, unà cum Oecolampadio, cæſum virgis & ejectum Baſileâ. 1512. Lovanienſes ſcholaſtici, ei moleſti. 429. 432. *e.* 620. *f.* Eis delegatur Eraſmicorum voluminum examinatio. 431. Eraſmo cum illis convenit. 195. 196. V. *Lovanienſes.* Galli eum verſiculis lacerant, quòd Budæum cum Badio contulerit. 857. 1025. Monet eum Lud. Berquinus, ut Budæo apologiam ſcribat; 1044. *g.* Idem ſuadet Tuſſanus: ſed Eraſmus id facere recuſat. 1406. *c.* Romæ quidam ei invident. 857. 1005. 1012. *a.* 1025. 1121. 1955. *d.* Pontificem in eum irritant. 1379. 1399. *c.* 1921. *a.* 1931. *c.* Itali paſſim in eum ſcribunt. 1958. Petrus Curtius arbitratus eum Italos ceu imbelles notaſſe, graviter in ipſum invehitur. 1955, 1956. Romæ excuditur *Defenſio Italiæ adverſus Eraſmum.* 1958. *c.* Caracciolo & Aleander adver-

adverſùs eum in aula Cæſaris moliuntur. 1008. 1919.*e.*
Ubique terrarum eum libellis & convitiis impetunt 776.*a.* 777.*a.* 780. 795.*a.* 955, 956. 1101.*f.* 1118. 1128.*a.* 1178.*c.* 1313, 1314. 1327.*g.* 1346. 1369. 1375. 1439.*f.* 1442.*b.* 1463.*f.* 1928. 1931. 1939. 1958, 1959. Quales fuerint qui ei detraxerunt. 113. 133.*a.* 135. *a.* 167. *d.* 182.*a.* *c.* 190.*b.* 239.*b.* 329.*c.* 344 *&c.* 352.*c.* 370. 542, &c. 558.*a.* 565, 566. 600.*b.* 608. *e.* 646. 653. *g.* 665. *a.* 856, &c. 981, 982. 1028.*b.* 1403. *g.* 2009. *d.* Sycophantiis penè obruitur. 361. *g.* 542, *&c.* 558. 620.*f.* 695. *b.* 746. *b.* 748, *a.* 780. 813. 849. 856, *&c.* Iis penè cogitur ab Eccleſia deficere. 899.*a.* 903.*a.* 924.*a.* 1012.*b.f.* 1113.*d.* 1040.*c.* 1085.*f.* Adverſarios ſuos veſpas, crabrones, pulices, graculos, picas, ranas, viperas, excetras, &c. vocat. 1528.*c.* 2076.*b.c.* V. *Monachi.* Quibus argumentis ſe ſoletur adverſùs eorum calumnias. 1351. *f.* 1502. *d.* Agnoſcit Deum fuiſſe qui cum adverſus malorum aſſultus firmabat, 856. *d.* eúmque ideo præcepiſſe adverſariis ut ei maledicant, ut hoc remedio eum purget. 1191.*f.* Multas eorum delicationes, ineptias, & calumnias enumerat. 1193, *&c.* Cupit autoritate Principum defendi, 954.*c.* 961.*f.* 962. 980.*g.* 985.*d.* 988. 993.*b.* 1004.*c.* 1008.*f.* 1032, 1033. 1108. 1253.*a.* 1438.*c.* 1791.*b.* 2070.*f.* & Magiſtratuum. 986. 1415.*f.*
Impudens de eo mendacium. 370.*a.* Objicitur, quòd Auguſtinum non legiſſet. 134. c. [illegible] ſuam, quam illi Budæus objecerat, 20. *b.* 25. c. 219. excuſat. 22.*b.* 27.*g.* 215. Quidam blaterant, eum nihil aliud eſſe quàm grammatiſten. 770.*a.* Alius Thomæ eloquentiam tribuit, Eraſmo adimit. 731. Lutherus dicit, eum nihil ſcire rei theologicæ. 2092.*e.* Eum cæcum vocat, affixum literæ, &c. 822.*a.* *ἄθεον*, Epicureum, ſcepticum, blaſphemum, 2095. *e.* Bedda eum non agnoſcit *συνθεόλογον* quod tamen Leo, Clemens, ac Adrianus, PP. fecerunt. 909. Vocatur *Balaam*, 852. 951. Pelagianus & palpo, 945. Deſertor Evangelii, 987.*a.* Sibi contrarius, 989. c. Piarum religionum hoſtis, 1058. *Doctor aſinus*, 852. *Errasmus*, 814. 1412. *Eraſinus*, 1412. *Araſmus*, 1412. 1881. *d.* *Behemoth*, 1416. Blaſphemus in B. Virginem, 1089. Hæreticus, 915.*c.* 973.*g.* 1079.*g.* 1195.*c.* 1258.*d.* 1359.*b.* Hæreſiarcha, 795.*a.* Hæreticus Luthero pejor, 1023. *f.* 1181.*b.* 1904.*d.* Antichriſti præcurſor, 669.*c.* 1905.*f.* Antichriſtus. 1294.*b.* Peccatum in Spiritum S. à Theologaſtro illi impingitur. 345.*b.* 1193. Accuſatur, quòd *Magnificat & Pater noſter* correxerit, 344, 345. 1193. quòd Reſurrectionem ſuſtulerit, 598.*c.* 768.*b.* quòd malè ſenſerit de Matrimonio, 598.*c.* déque Euchariſtia, *ibid.* 600.*f.* quòd cum Carolſtadio ſenſerit, 1118. quòd evangelium Joannis corrigere voluerit. 596. 612. Quidam ei ſubſtomachantur, quòd bella deteſtans ad pacem adhortetur. 1042.*a.* Fraterculus quidam obeſus *ὀρνιθοφαγίαν* ei vitio vertit. 591. *e.* Libellorum penè omnium ſuſpicio illi impingitur. 543, 544. 575.*f.*
Albertus Pius Carpenſis omnem ſolidam doctrinam ei adimit. 1013. 1379.*g.* 2043.*g.* Eum autorem & principem Lutheranæ factionis eſſe, libello edito aſſerit. 836. 1048. 1056, 1057. 1352. 1388. 1399. 1425 1484. 1488. 2044. Cui Eraſmus ſex diebus reſpondet, 836. 1050.*g.* 1052. Alterum librum adverſus Eraſm. operâ Sepulvedæ edit. 1442. 2066 *g.* Multa virulentè in eum loquitur Farellus (quem Phallicum vocat) 804. V. *Farellus.* Convitiatur ei Egmondanus. 723, &c. V. *Nicolaus.* Pantalabus eum calumniatur. 839. Doctor quidam Conſtantienſis ejus effigiem conſpuit. 1352. De fraterculo quodam Mendicante Eraſmi obtrectatore pertinaciſſimo & ineptiſſimo. 600. 729.
Adverſùs eum ſcribunt, Petrus Curtius, 1566. Sepulveda, 1388 1950. *d.* Dominicanus quidam Lovanienſis, 1488. Jacobus Latomus, 726. 956. Jacobus Stunica, 725. 814 911, *&c.* 956. 1008. Vincentius Lovanienſis, 765. 777. 780. 901. 916. 955. 1194. *c.* 1928. Edvardus Leus, Petrus Sutor, 916. 918. 956. 1088. (cujus libellus excudebatur autoritate Collegii Sorbonici. 934. 940.) Ludovicus Carvaialis Franciſcanus, 1375. 1383. Scaliger, 1566. 1941. *g.* 1945.*d.* 1958.*c.* Martinus Bucerus, 1066.*b.* 2077 *b.* Otho Brunsfeldius, 801 934. 1924. *e.* Ulricus Huttenus, 934. 986 1080. impulſu Henr. Epphendorpii, 1920. 1922. & amore prædæ: 1923. Ludovicus Minorita, 1058. Nicolaus *Clericus* in eum concionatur, 1023. 1047 Joannes Gacchus Franciſcanus, 981. 1178. Phryſius, 604. & Standicius Theologus Anglus. 596 915. Monachorum adverſus eum odium unde ortum. 665. V. *Monachi.*
Reſpondet, Latomo, 343. 358. *g.* 361. Carvaiali, 1383. Ludovico Minoritæ, 1058. Cenſuris Sorbonicis, 1329. *a*, *f.* Petro Sutori. 779, 780. 906 2069. Pœnitet quòd Sutorem reſponſo dignatus ſit. 1088. *b.* 1377. Eobano Heſſo nonnulla querenti reſpondet. 1407. Diluit calumnias cujuſdam qui eum arrogantiæ, livoris, atque impietatis accuſarat. 1529. Reſpondet objectionibus cujuſdam (quem *γραμματοδιδάσκαλον* vocat) qui nonnulla culparat in ejus verſione epiſt. ad Rom. 1888, *&c.* Reſpondet libello (Leonis Judæi, 2108. *d.*) cui titulus, *Doctiſſimi Eraſmi Roterodami & Martini Lutheri opinio de Cœna Domini*, &c. 2078, *&c.* *Spongiam* ſcribit adverſùs Huttenum. 932. 1080. 1904. *e.* 2072. Pœnitet eum quòd Stunicæ reſponderit. 946. 996. *b.* Joannis Eckii objectionibus occurrit. 135. Scribit Apologiam in eos qui illum traducebant, quòd verſiſſet, *In principio erat Sermo.* 626. Edvardi Lei virulentis ſycophantiis leniter & modeſtè reſpondet; 589 593. 626. & libellum ſuum Henrico VIII. mittit. 617. Hoochſtratum monet ut nimium calorem temperet. 738. De ejus ad Beddæ calumnias reſponſo. 892.
Apologias contra adverſariorum calumnias cur, & quàm moderatè ſcripſerit. 1375, 1376 1410. Jac. Sadoleto monenti, nè Ordinem quenquam lædat, 1341. *d.* reſpondet. 1345. c. 1374. *f.* Andr. Alciatus eum monet, ut rabulas ulteriùs reſponſione non dignetur. 1410. 1546. Jul. Pflug monet, ut rabulis contemptis, publicis Eccleſiæ malis mederi ſtudeat. 1485, 1486. Monachos acriter objurgat quòd ſcurras in eum ſubornarant: 2074. 2075. quos ſe prorſus neglecturum promittit. 2074. *e.*
Quàm ægrè cum Martino Dorpio certamen ſuſceperit. 4, *&c.*
De Apologia ejus adverſùs Fabrum. 125. 130. 172. 179. 188. 212. 284. 395. De eo quàm amanter ubique & honorificè loquitur & ſentit. 132. 174. 179. 182. 187, 188. 213, *&c.* 217. Dolet, ſibi cum eo ortam eſſe controverſiam. 200. 212. 233. *d.* 540 Litem inter eos componere laborat Budæus. 125. 219, *&c.* Budæo, qui ipſum reprehenderat quòd cum Fabro certaſſet, 125. 219. 229. reſpondet. 212. 233. Quàm fuerat pacis cum Fabro redintegrandæ ſtudioſus. 179. 199. 237. *e.*
Ejus cum Henrico Epphendorpio controverſia. 1933. *b.* 1940. *b.*
Auguſtini Eugubini errata quædam notat. 1448, *&c.*
Heliam quendam ſenem objurgat, quòd ſeipſum appellarat vivum cadaver. 800.
Scribit Epitaphium in obitum Dorpii, 934. Philippi Hanetoni, 1105. Joannis Frobenii: 1058. Cujus mortem immodicè luget. 1156. Solatur Amerbachium poſt mortem filiæ. 1315, *&c.*
Falſi de Eraſmi morte rumores ſparguntur. 589. *g.* 568. *b.* 807. 1512 *c.* Hinc Poeta quidam carmen elegiacum ſcribit, quo Eraſmum inter Divos collocat. 568. *b.*
Errarunt Patres; 1632. *e.* Errarunt Apoſtoli, errare poteſt Eccleſia, citra tamen diſcrimen fidei. 136. *f.*
Errones. V. *Mendici.*
Eſaiæ locus, *In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra*, explicatus. 1896, *&c.*
Ethicen in civitates domóſque invexit Socrates. 554.
Ethnicorum benefacta Chriſtianis ſtimulos addunt. 1694. *a.*
de Etymologiis plurium vocum. 1450, 1451. Etymologiæ quædam ineptæ. 1450, *&c.* 1579. *g.* 1580.
Evangeliſtarum typi, quatuor Fluvii in Paradiſo, & Ezekielis quatuor Animalia & quatuor Rotæ. 1807. *g.* Eos alicubi memoriâ lapſos, ſcribit Eraſmus. 133. 135.

Evangelium (quod Solonis, Lycurgi, &c. leges nunquam potuerunt) intra paucos annos totum orbem occupavit, 1810. *d.* idque fruſtrà obſiſtente mundo. 1811. *b. e.* 1812. *b.* Ad ejus exortum evanuerunt, magia, ſacrificia, &c. 1811. *d.* quamvis nihil habuerit in ſpeciem plauſibile, imò multa prorſus incredibilia, 1812. e. & per paucos ignotos & idiotas ſimplici & inconditio ſermone fuerit prædicatum. 1812. *f.* Sæviùs perſecutorum lacidis ſpargitur. 952 *g.* 1811, 1813.

Evangelium quomodo cum fructu legi poſſit. 1796. *d.* 1813. *e.* Evangelium pharmaco, Evangeliſtæ medicis comparantur. 1808. *&c.*

Evangelii prædicati & recepti effecta. 1761. *a.* 1810. *f.* Evangelium animum cohibet; Lex, manus. 1062. Ejus natura eſt, movere ſeditiones, 2118. *b.* & conjunctiſſimos diſtrahere. 2131. *a.*

Nihil in Evangelio de Chriſto narratur, quod non quotidie geritur in vita noſtra. 1854. *f.*

Evangelium Joannis cæteris cur obſcurius. 2004.

Evangelium quod olim ceremoniis & ritibus colebatur. 1818. *e.* &c. 1819. *e.*

Evangelia cur vix admittant Paraphraſes. 1795. *a.* 1814. *d.* Quo ordine Paraphraſes in ea ſcripſerit Eraſmus. 1798.

Evangelicæ pietatis propagandæ ratio. 1805. *e.*

Pſeudevangelicorum mores. 2053, *&c.* Dolet Eraſmus, multos pro Evangelicis dyſangèlos fuiſſe, pro Catholicis Cacolycos. 1362. *b.*

Euchariſtiam celebrarunt Chriſtus & Apoſtoli in quotidiano veſtitu. 679. *d.* In Evangelio Marci calix Euchariſticus conſecratus eſſe videtur pòſt quàm Apoſtoli biberant. 2086. *a.* Apoſtoli non ſemper conſecrabant Euchariſtiam quoties diſtribuebant panem, aut calicem porrigebant in memoriam Dominicæ mortis. 2087. *a.* 2089. e. *Nuſquam in Scripturis* invenitur, ubi Apoſtoli certò conſecraverint corpus Domini ſicut nunc conſecratur in altari, niſi 1 *Cor. xi.* 1478. *g.* Optat Eraſmus, ut Paulus apertiùs & copioſiùs de Euchariſtia diſſeruiſſet. 1826. *a.*

De verbis conſecrationis dubitat Eraſmus. 860. *b.* An, *Hoc eſt Corpus meum*, ſint verba conſecrantis, an panem jam conſecratum porrigentis. 602. *b.* 730.

Non idem nunc mos celebrandi Euchariſtiam qui olim fuit. 2063. *e. f.* Olim ſilentio peragebatur. 1660. *c.* Mos occinendi cantiunculam Virgini matri, dum celebratur Euchariſtia, damnatur. 1660. *b.*

Variæ quæſtiones circa Euchariſtiam. 1659. *d.* Variæ opiniones. 1658. *e.* Origenis ſententia notatur. 2478. Unde factum quòd tam obſcurè & diverſè de ea loquuti fuerint Patres. 1658. *g.*

In Euchariſtia eſſe veram ſubſtantiam corporis & ſanguinis Dominici. 1659. 2080, *&c.* Nullus locus adduci poteſt qui palàm huic ſententiæ adverſetur. 928. *f.* 2135. *b.* Argumenta contra realem Chriſti præſentiam Eraſmus vocat ſtupea. 918. *e.* Perſuaderi non poteſt, Chriſtum tamdiu paſſurum fuiſſe Eccleſiam hærere in errore tam abominando, ut cruſtulum farinaceum pro ipſo adoraret. 860. *b.* Scire quomodo tranſubſtantietur panis, non multum conducit ad profectum pietatis. 681. *b.* 1659. *d.* Corpus Chriſti in Euchariſtia nec lædi poſſe, nec inquinari. 1659. *e.*

In Euchariſtia nihil eſſe præter panem & vinum, aſſerunt, Carolſtadius, Zuinglius, & Oecolampadius. 779, 780. Quam opinionem refellere, Eraſmus ait eſſe difficillimum, 1033. *a.* & in eam ſe pedibus diſceſſurum, niſi obſtaret Eccleſiæ conſenſus. 1138. *e.* 2085. *a* In quibuſdam de Euch. dicit ſe ſubdubitaturum, niſi eum confirmaret autoritas Eccleſiæ. 1931. *a.* 1932. *b.* 2135. *d.* Cum Carolſtadio non ſentit. 2057, 2058. 2079, *&c.* nec cum Wicleviſtis. 2085. *g.* Pellicanus rumorem ſpargit, Eraſmum de Euchariſtia idem ſentire quod ille: 795. 917. 2107. quod vehementer negat Eraſmus. 927, 928. 2108. *a.* Reſpondet cuidam Eraſmos, qui libello edito ſcripſerat, Eraſmum ſentire, in Euchariſtia eſſe tantùm ſymbola corp. & ſang. D. 2079, *&c.* 2208. *f.* Eum de Euchariſtia malè ſenſiſſe, calumniantur monachi. 598. *e.* 600. *f.* 730. 865. V. *Eraſmus.*

Communio ſub utraque ſpecie à Concilio Baſileenſi Bohemis conceſſa, 673. ab Eraſmo probari videtur. 678. *f.* 775.

Sacerdotes, qui Euchariſtiam adminiſtrant, quomodo ſe gerere oporteat. 1660. *e.* Debet abeſſe omnis ſpecies cauponationis. *ibid.* Periculoſius eſt indignè tractare conciones quàm Euchariſtiam. 647. *f.*

Quanta cum puritate & reverentia ad Euchariſtiam accedere oporteat, 1659. *g.* 1660. 1826. *b.* A viſibilibus & carnalibus ad inviſibilia & ſpiritualia proficiendum 2081, *&c.*

Ruſticus, dum Euchariſtiam irridet, ſubitò exanimatus eſt. 1033. *a.* 2129. e.

Εὐδοκία, *Luc. ii.* 14. quid. 1097. *e.* Vis ejus vocabuli à quibuſdam interpretibus parùm intellecta. 2058. *g.*

Eudoxia. V. *Chryſoſtomus.*

Eugubinus. V. *Auguſtinus.*

Eunuchus Candaces Reginæ. 1856. *a.* Locus de eo *Actor. viii.* explicatus. 1070.

Euripides, qualis auctor. 1741. *e.*

Εὐθυμία unde ſperanda. 151. *a.* 2048. *e.*

Eutropius legem procurat quæ in ipſius caput recidit. 1595.

Exactiones Principum iniquæ taxantur. 2072. *d.*

Ἐξαπλᾶ Origenis, quid: &, num legendum primâ aſpiratâ an exili. 1626.

Excelſus animus quis. 1144. *d.* 1146. *d.* 1799. *d.*

Excommunicationis abuſus notatur. 1826. *d.*

Excuſſorum filii cur dicantur Apoſtoli. 1645.

Excuſſus, dupliciter dicitur. 1641. *d.*

F

FAber Stapulenſis mutato nomine agit Argentorati. 795. Vide *Jacobus*, & *Joannes.*

Fabricii Capitonis encomium. 14. *a.* 380.

Facetiæ. 18. 21. 24. 27. 33. 42. 59. 117. 151, *&c.* 172. 188. *d.* 189. *d. f.* 206. *b*, c. 207. c. 215, 226. 242. 307. 312. 378. 393. *e.* 413. 417. *a.* 418. 486. 519. *a, b.* 529. *f.* 583. *f.* 863. *b.* 908. *d.* 976. *f.* 978. *g.* 1054. *d.* 1085. *b.* 1264, 1265. 1326. *e.* 1353. *a.* 1357. *f.* 1743. *f.* 2075. e. V. *Jocoſa.*

Facetiæ hominem afflictum non decent. 486. *b.*

Famæ cur plumæ & pennæ à poetis tribuantur. 1502. *g.*

Famæ gravior quàm pecuniæ aut vitæ jactura. 747. Eam invidiæ fermento temperatam noluit Eraſmus. 872. *e.* 909. e. Ex ea neminem metiri decet. 384.

Farellus. 774. 790. Eum mendacem, virulentum & ſcandaloſum vocat Eraſmus. 798. Eum *Phallicum* vocat. 950, 951. 2119. c. Ejus ingenium quale. *ibid.* Humanas diſciplinas vocat inventa diaboli. 2127. *f.* Dicit Eraſmum rectè ſentire, ſed non audere profiteri; 989. cúmque minus tenere Theologiæ quàm uxorem Frobenii. 805. Prædicat Evangelium in monte Bellicardi. 1907.

Fauſtus Andrelinus qualis fuerit. 1090.

Felicitas vera quæ. 1157. *d.* Epicureorum de ea opinio refellitur. 552. Utrùm Peripatetici an Stoici meliùs de ea ſenſerint. 549. 552. 555.

Feneſtræ quales eſſe debeant. 1140.

FERDINANDUS Hungariæ R. Anabaptiſtas ſupplicio terret. 869. Fit archiſtrategus Auſtriæ, 1398. & Rex Romanorum. 1462. Cum Joanne Rege Hungariæ bellum gerit. 1534. Pacem inter eos molitur Sigiſmundus R. Poloniæ. 1909. Gratulatur ei Eraſmus quòd modico ſanguinis diſpendio Pannonios Bohemóſque ſubegerat. 1156. Laudatur. 1004. 1156. 1836. *a.* 1838. *a.*

Fermentarii. 1658. *b.*

de Feſtis diebus, eorúmq; obſervatione, ſententia Eraſmi. 679. *f.* 1187. *c.* 2025, 2026. Plurimos ex iis omnino tolli vult. 2026. *a.* Singuli pene Epiſcopi ſingulos feſtos dies adduot calendario. 680. 2025. *c.* Majus crimen quibuſdam videtur calceum die feſto conſuere quàm ſcorto adhærere, &c. 2025. *g.* V. *Dies.*

Feſtus prodit egregiè depravatus ex Aldi officina. 1559.

Fides Germanorum & Britannorum. 810.

FILIUS Dei perpaucis olim Judæis notus. 1696. *a.* Ejus Divinitas & Incarnatio altiſſima ſunt myſteria. 1814. c. V. *Chriſtus.*

in Flandria quanta Card. Eboracenſis reverentia. 428.

Florentiam à Clemente Pont. vexatam, dolet Eraſmus. 1419.

1429. 1442.
Florentii cujuſdam in monaſterium protruſi hiſtoria. 1384, &c. Ob lineam veſtem bis in vitæ periculum incidit. 1191. g.
Florìet, pro *florebit*, vulgo olim dictum. 1651. c.
Flos, neutrius generis Arnobio. *ibid. f.*
Fœdus inter Pont. R. Regem Hiſpaniarum, & Venetos. 411. a.
Fœminarum genus, querulum & avidum. 463. e. Bonis literis imbuendæ ſunt. 760. Quædam doctæ Fœminæ recenſentur. 846. f. 1744. c.
Hieron. Verveſius moriens famulos monet, nè quæ Fœmina corpus ejus exanime contingat. 1493. c.
Fonſeca. V. *Alfonſus*.
Forma, robur, opes, &c. non adferunt beatitudinem, abſolvunt tamen 555. f.
Formæ dignitas nonnullis multum autoritatis conciliavit. 555. f.
Fortunæ bona pleriſque ſerò contingunt. 549. g. An, & quid ad felicitatem conducant. 550. 552. 555.
Fortunatorum virorum officium. 550. e.
Fortunatum, & *Beatum* eſſe, differunt. 549. f.
Foxus. V. *Edvardus*.
Franciam Eraſmus geſtit relinquere. 491.
Franciſcanorum vita, vita ſutuorum. 698. c. Nigrum pallium ſumere, ita ſcelus videtur, ſacram virginem adulterare, non item. 1071. f. Eorum ordo cæteris incorruptior. 834. a. 885. Eum taxat Eraſmus. 1183. b. Quantum periculi ſit quicquam illis negare. 841. a. Tumultus plurimos moverunt. 834. b. 885. 1346. Duo illorum genera. 841. d. Cur Eraſmum odio habuerint. 981. a. 1494. Pro concione in eum debacchabantur. 981. e. 1313, 1314. Se *Seraphicos* vocant. 1487. 1491. Sex eorum alæ Seraphicæ. 1494. f.
Franciſcanorum quorundam inſignis inſcitia & malitia. 1193, &c. Unus ex iis Chriſtum & B. Virginem & Apoſtolos facit monachos. 1315. b. 1417. a. Idem in Eraſmum plurima inſulſa deblaterat; 1415, &c. quibus Eraſmus dedignatur reſpondere. *ibid.* Alius locum illum, *Conculcabis Leonem & Draconem*, de Luthero & Eraſmo interpretatur. 1314. Cum alio expoſtulat Eraſmus, qui pro concione convitia in eum proſuderat. 1178, &c. Alius ſimulans ſe famulum Eraſmi, amicos ejus emungit. 1513. d.
Franciſcani Obſervantes. 841. 1351. 1383. a. 1386. a. Eorum mores, 1494, &c. Quantum abſint à charitate quam profitentur Seraphicâ. 1495, 1496. Cavent nè quis proſpectus ſit in eorum monaſteria. 1495. d. 1543. a. Perſuadere ſolent divitibus morituris, ut teſtamento jus faciant omnibus & ſingulis de grege Obſervantium ad illorum ædes divertendi. 1495. b. Cœlum promittunt iis qui in veſte Franciſcana ſepeliuntur. 1494, 1495. b.
Franciſcana veſtis an arceat cacodæmonas. 1182. f. 1196. f. 1292. 1312. f.
D. Franciſcus 981. e. 1179. d. 1417. Dicis Eraſmus, quòd in ſomniis ipſi apparuerit. 1494. Quali habitu uſus fuerit. *ibid. e.*
FRANCISCUS Gall. R. Eraſmum ad ſe præmiis allicere conatur. 15. g. 53. c. 57. c. 61. d. V. *Eraſmus*. Bonis literis quantum faverit. 1402, 1406. a. Collegium trilingue Lutetiæ inſtituit. 1462. Laudatur. 12. c. 15. c. 58. b. 629. V. *Carolus Imp.*
Franciſcus Aretinus. V. *Chryſoſtomum vertens*.
Franciſci Deloini encomium. 277.
Franciſcus Dilfus commendatur. 1024.
Franciſcus Hulſtus. V. *Lutherani*.
Franciſci Philelphi judicium de Auguſtino & Hieronymo. 134. b.
Franciſcus Vergara laudatur 978. c.
Fratres Collationarii qui. 1384. Pueros vitæ monaſticæ fingunt. *ibid.*
Fratres Mendicantes. V. *Mendicantes*.
FREDERICUS D. Saxoniæ Lutherum ejúſque cauſam tuetur. 619. Imperium ab omnibus delatum recuſat. 619. 643. b. Oblata triginta florenorum millia reſpuit. 619. Scholam inſtituit. [illegible]. Legat Melanchthoni mille florenos aureos. [illegible]. Laudatur. 627. a. 628. 643. b.
Friburgi deſcriptio. 1261. f. 1331. d. 1339. g. 1434. f. 1444. d. Cœlum ibi plerunque pluvium. 1302. d.
Frigoris acerrimi deſcriptio. 285. g.
Frobeniana officina commendatur. 94. 380. 382. 563. 672. 827. 1257, 1258. Ejus princeps Lachnerus moritur. 189. 807. Ea prima apud Germanos auſa eſt Græcum autorem antea non evulgatum excudere. 1630. Ex ea Ariſtoteles Græcè, & Livius quinque libris auctus, prodeunt. 1358.
Joannis Frobenii egregiæ virtutes commendantur. 1256, &c. 2075. Monet Hieronymum Frobenium Eraſmus, ut rem typographicam & Pangeum adjuvet. 767. Diſſuadet ei quidam nè quid Lud. Vivis excudat. 801. V. *Lud. Vives*. Cupit Eraſmus ut Imperatorio interdicto contra adverſarios muniatur. 1917, 1918. Uxorem ejus plus tenere Theologiæ quàm Eraſmum, dicit Farellus. 805. Paralyſi correptus moritur. 855. 897. 900. V. *Mors.* morbi ejus & mortis deſcriptio. 1257, 1258. Epitaphium. 1258. Poſt ejus mortem officinæ ratio mutatur. 2050. g. Ejus liberi ab Auguſtini editione pendebant. 1047. f. Ejus viduam duxit Joannes Hervagius. 1477. 2075. g.
de Frugibus à Caino furtim de paradiſo acceptis bella fabula. 307.
Fuggerus. V. *Antonius*.
Fulvius & Rutuba, pictores inepti. 534.
Functio, quid ſignificet. 1892. c.
Furiæ poetarum, quid. 467. a.

G.

de GAlatis, ſeu Gallogræcis. 965. 967.
In epiſtola ad Galatas locus de Petro Pauli voce objurgato nondum ſatis à quoquam veterum explicatus. 366. c.
Galenus mendosè prodiit ex Italia. 1017. c. 1096. 1107. b. Ex eo colligunt proverbia, Eraſmus, & Joachimus quidam. 1027.
Gallia laudatur. 86. g. Quot eruditos viros habuerit. 363. e. 637. Eraſmus dicit, ſibi nunquam fuiſſe in animo, commigrare in Galliam. 968. b. In eam ſemper fuit propenſiſſimo animo. 1570. a.
de Gallicis ingeniis quid ſenſerit Eraſmus. 965. 967. Galli ſtupidi ac leves olim habiti. 1368. d. Gallicana grandiloquentia. 1635, 1636.
Gallicæ res. 410. 420. 428. Tumultus Gallicos luget Eraſmus. 86, 87. Galli vincuntur à Cæſare. 970. V. *Carolus Imper.* Gallorum rationes omnes conturbantur morte Maximiliani Imp. 246. a. f. 247. a.
Galli quidam nobiles religionis cauſâ exulantes revocantur. 1538. b. 1542. a. 1543. e 1556. f.
Monachi in Gallia quàm levibus de cauſis homines ad mortem trahant. 829. 873. a. 874. 1031. a.
Gandavum, urbs, laudatur. 1704. c.
Gaza. V. *Theodorus*.
Gelenius. V. *Sigiſmundus*.
D. Genovefæ area magnâ pompâ geſtatur. 1995. a.
Geographia pueris quando tradenda. 1698. f. Olim plus negotii habuit quàm nunc habet. 1698. f.
Geographi de gradibus diſſentiunt. 1698. d.
GEORGIUS D. Saxoniæ Lipſienſem Academiam fovet. 627. Maſſam argenti eidem Eraſmo mittit. 627. f. 628. b. Eum ceſſatorem putat in negotio Lutherano. 1964. e. Laudatur. 626. 628.
Georgius Agricola De ponderibus & menſuris ſcribit. 1319. c. Ejus dialogos De re metallica laudatur. 1702.
Germanum dici pro *γνήσιον*, Franciſcanus quidam ignorat. 1196. f. 1153.
in Germania quot oppida, tot ferè Academiæ. 755. a. Latrocinius cur adeò obnoxia. 672. d. 676. f. Sectis, erroribus, & diſſidiis miurè infeſtatur. 848. 936. 937. Eraſmus ſolus videtur idoneus qui ei opem ferat. 848. b. Veretur nè ca bellis inteſtinis collidatur. 1356. 1466. V. *Lutherani*.
Germanorum fides. 820. Eorum animi quales. 634. b. Surdas habent aures quoties de dando fit mentio. 1133. f. 1136. c. Luthero favent, Pontificem odio habent. 785. Metuunt nè Carolus Imp. tyrannicè ſe gerat. 572. Fremunt in Eraſmum. 937. Cur apud eos impunè tumultuabantur ſtudioſi, non alibi. 559.
Germanici Imperii titulus plus habet juris quàm autorita-

ſocietatis. 560.g.
Germania inferior ab Anabaptiſtis perditur. 1537.e. 1542.b. 1543.f. 1556.e.
Germano Brixio cur non reſcripſerit, rationem reddit Eraſmus. 637. Dolet, quòd Brixius & Morus tam acriter concertarint. 683.694. 710.725. De Brixii *Antimoro*. 637. 713. Monet Morum Eraſmus, nè ei reſpondeat. 710. Laudat & excuſat Brixium. 712. Mori cenſura de Brixii *Antimoro* & *Chordigera*. 712, *&c.*
In vertendis Græcis ſe exercet. 836. Chryſoſtomum vertit. 969. 1354.1863. Chryſoſtomi *Babylam* vertit. 1049. 1424. Eum ad vertendum Chryſoſtomum pigriorem incitat Eraſmus. 1365, 1366. 1423. Ejus de Eraſmi Ciceroniano judicium. 1267.b. Excuſat Tuſanum & Budæum 1363, 1364.
Gilbertus Cognatus Eraſmi famulus, 1562, *&c.* fit Canonicus Nozeretihi. 1564. 1566 e.
Gladius Evangelicus & Politicus: & eorum uſus. 1800. Chriſtus cùm juſſerit recondi gladium, nec abſtulerit, plus fecit quàm ſi abſtuliſſet. 1800.b.
Glareanus. V. *Henricus*.
Gloriæ cupiditas animi contentionem alit. 149.f. Ejus ſtudioſis poſteritatis potiùs quàm præſentis ſeculi habenda eſt ratio. *ibid.*g.
Gloria, D. Petro quid. 2034.d.
Goclenius. V. *Conradus*.
Graculus, an à *Gregatim volando* dictus; & unde. 2451.
de Gradibus diſſentiunt geographi. 1698.d.
Græca lingua Latinæ præfertur. 474. Ejus uſus & neceſſitas. 475. 514. 1646.b. 1712.g. 2015.d. Ejus ſcientia ad medicinam præcipuè conducit. 629.f. Quàm latè diffundatur. 136.b. Ejus imperitiam Apoſtolis tribuunt Patres. 136.f. Ejus ſtudium πολυπραγμοσύνη à quibuſdam veteris inſcitiæ patronis vocatur. 341.e. Concionator quidam Anglus ſtolidè in eam debacchatur. 346 f.
Græcorum codices emendatiores quàm Latinorum. 2018. e. An falſarint ſacros libros, ubi deſciverint à Rom. Eccleſia. 165. d. 2018. e. In quibus diſcrepent à Rom. Eccleſia. 166.b. 2018. d.
Græcis literis Eraſmus operam dat. 474. 479, 480. 497. d. 513. 1998. Quamdiu, & ſub quibus præceptoribus, iis diſcendis operam dederint Grocinus & Linacrus. 525 Eas in ſenectute didicit Guil. Copus, 629. Ambroſius Leo, 532. Joannes Coletus, 115. e. & alii. 629. Eas addiſcere, res eſt laborioſa magis quàm difficilis. 524, 525.
Græcorum librorum in Britannis paucitas, Latimeri ætate. 524. Agit cum eo Eraſmus, ut Epiſcopum Roffenſem Græcas literas doceat 522. 525.
Sancitum in Senatu Veneto, eligendum ſucceſſorem M. Muſuro, qui Græcas literas publicè doceat. 530.
Grammaticæ laus. 271. f. Ejus cognitio ad Theologiam conducit. 110. e. 271. d. 727. Eam profiteri, quàm arduum olim negotium fuerit. 1621. b. Ejus profeſſoribus qui honos olim ab Impp. delatus. 1504. e.
GREGORII M. decretum de lotione poſt coitum, ſuperſtitionem redolet. 1830. a.
GREGORIUS NAZIANZENUS, affectatè argutus. 1320. Ambroſio fuit ſimilis. 1446. Eraſmi de eo judicium. 1446. Eraſmi de eo judicium. 1446. 1627. g. Eum vertit Bilibaldus Pirkheymerus. 1446.
Gregorius THAUMATURGUS, Origenis diſcipulus. 1624. b.
Grecius. V. *Thomas*.
Grimanus. V. *Dominicus*.
Grinæus. V. *Simon*.
Guilielmus, nomen Eraſmo amicum. 5. Complures ejus nominis recenſet Eraſmus ipſi amicos. 59, 60. 552, 554. 570.
Guilielmi BUDÆI encomium. 15. f. 27. e. 29, 30, 31. 50. f. 145. 148. f. 231. 247. 277. 554. 753. 1166. e. 1171, *&c.* 1901. e. Præfertur Hermolao, Politiano, Vallæ, &c. 145. 753. Confertur cum Eraſmo. 146. e, f. 147, *&c.* Seipſum cum illo confert. 35, 36. Longolii de eo cenſura. 247. Ἐν τῷ γράφειν ἑλληνιστὶ primas ei tribuit Eraſmus. 2063. d. Eum Germanus omnibus præfert. 755. Eum confert cum Thoma Moro: 761. Quòd eum Badio contuliſſet, ægrè ferunt Galli; 857. 1166. & eum epigrammatiis lacerant. 1025. e. 1030. f. 1035. a. 1039. 1044, 1045. b. 1169. f. 1364. 1367. 1476. Budæus ipſe idem ſtomachatur. 1045. a. 1051. e. Eraſmus id factum defendit. 1171, *&c.* 1482.
Qualibus præceptoribus uſus fuerit. 155. d. Se αὐτομαθῆ καὶ ὀψιμαθῆ profitetur. 32. g. Quàm obnixè Philologiæ navaris operam. 150. d. Stylum ſuum, & ſcribendi rationem modúmque defendit, 34, *&c.* Styli ejus ſublimitas. 1636. f. Poſt cibum, niſi coactus neceſſitate, à legendo abſtinebat. 263.d. Dolore capitis crebrò laborabat. *ibid.*
Vitam aulicam averſatur. 57. e. Monet eum Eraſmus, nè literas deſerat, poſtquam in aulam aſciſceretur. 255. b. Amicos prædiis & pecuniâ chariores ducit. 149. d.
Liberos plures quàm libros ſe genuiſſe ait. 150. f. Quis ſit ſcopus illius libri quem *De Aſſe* ſcripſerit. 57. c. Ejus *Pandectæ* & *De Aſſe* laudantur. 146. f. 753. De ejus *Epiſtolis*. 1372. c. 1406. g. 1413. 1414. 1480. g. Eas edendas curat. 398. Græci autores ab eo verſi. 2423. g. In aliquibus manifeſtè lapſus eſt. 1480. g. Error ejus de Hieronymo, 220. d. notatur. 236. c. De ejus *Commentariis*. 964. 967. 1034. 1052. 1120. d. 1364. e. 1370. Rogat eum Eraſmus, ut in ſcriptis ſuis ipſius mentionem faceret. 1120. e. Ægrè fert quòd in Commentariis ſuis ejus mentionem non fecerit, 1370. e. ſed quædam in eum citra nomenclaturam torſerit. 1370. a. 1371. a. 2481. a.
Ἀγγλολογίαν Eraſmi carpit. 20. b. 85. e. Contentionem inter Eraſm. & Fabrum ſedare ſtudet. 119. Joci ejus paulo liberiores videntur Eraſmo. 227. d. 231. Amarulentiam ſuam excuſat. 256. 258. Sincerum ejus in Eraſmum amorem profitetur. 260. 965, *&c.* Rationem reddit Vives, cur Budæus & Eraſmus paulò acerbiùs epiſtolis luſerint, 754. & mutuam inter ipſos amicitiam firmare ſtudet. *ibid.* Nonnulli inter ipſos ſemina diſcordiarum jactant. 754. b. 1025. Budæus Eraſmo ſuccenſet. 335. 363. g. Penè objurgat eum, quòd Gallica ingenia cavilletur ut tarda, &c. 965. Eum φιλοσκωπτικὸν, ironem, & momū appellat. *ibid.* Candorem in eo deſiderat Eraſmus; 1047. 1368. f. 1370. a. 1373. d. 1481. a. Eraſmus dicit ſe à livore in eum aut malevolentia alienum eſſe. 1025. 1173, &c. 1367. b. 1403. 1406. 1476 g.
Rumor de ejus morte falſus. 1096. b.
Gulielmi Copi encomium. 15. f. Græcas literas in ſenectute didicit. 629.
Guilielmi Croyi, Card. & Archiepiſcopi Toletani, felicitas. 556. Laudatur. 583. 642. e. 682. Moritur. 682. 686.
Guilielmus Grocinus laudatur. 1220.
Guilielmus Latimerus Eraſmo ſuadenti, ut in N. T. recognoſcendo illi ſuppetias ferat, 606. & Joanni Roffenſi Græcarum literarum ſtudioſo menſtruam operam largiatur, modeſtè reſpondet. 522. Ejus laus. 525.
Guilielmus Montjoyus laudatur. 309. 554. 1427. 2009. A κενοδοξίας ſuſpicione abhorret. 433. c. Adagia ei inſcribit Eraſmus. 1432. f.
Guilielmo Neſeno obſiſtunt Lovanienſes. 1090.
Guilielmi Parvi, prædicatoris Dominicalis, laus. 56, 57. Eraſmo ſuſpectus eſt. 228. e.
Guilielmi Warami, Archiep. Cantuarienſis, encomium. 92 g. 96. e. 516. 528. 552. 554. 1742. e. 1844. 2009. c. Se Cancellariatu abdicat: 106. f. 119. c. Ei Card. Eboracenſis ſufficitur: 106. Quo in carcerem conjecto, ad Cancellariatum revocatur, ſed excuſat ætatem. 1475. a. Mortuus eſt pauper. 2510. d. Ejus mortem luget Eraſmus. 1498. Ei ſuccedit Thomas Cranmarus. *ibid.* 1510. d.

H

HÆreſis, quantum crimen. 2144. e. Eam nemini licet à ſe non depellere. 213, *&c.* 859. e. 889. g. 892. f. 1375. a. 1412. d. Hæreſeon diſtinctio. 741. b. Alia aliâ peſtilentior. 767. 2051. f. 3092. b. Hæreſes circa Divinas Perſonas ex humana philoſophia ortæ, 1875. f. ut & aliæ pleraque hæreſes à

968. *a.* Sed non ideo damnanda ſobria ejus cognitio. 1614. *g.* Longè aliter de hæreſi hæreticiſque olim ſtatuebant quàm nunc dierum ſtatuitur. 588. *a.* 651. *d.* Hæreſin impugnare, quàm glorioſum: 1159. *a.* non eſt cujuſvis. 1074. *g.* Eorum officium qui hæreſes impugnant. 1640, 1641. Non ſic oportet hæreſin exſecrari, ut ejus odio non auſimus admonere quæ recta ſunt. 953. *f.* Exempla quorundam, qui dum nimis acriter oppugnarent hæreſin, delati ſunt in alteram foveam. 1640. *a.* Hæreſes nonnunquam cedunt in Eccleſiæ commodum. 1391. *b.* 1633. *g.* 1638. *a.* 1658. *b.* 1821. *b. f.* 2062. *a.*
Hæreſis Luthero objicitur, 585. *a.* & Eraſmo. 733. *b.* V. *Eraſmus.*
Hæreticis proprium, ſimulatâ religionis ſpecie ſimplicibus imponere. 2099. *g.* Patres & ſcripturas ad ſententiam ſuam detorquent. 1508. *c.* An ſint morte plectendi. 651. *c.* 1036. *a.* 1425. *d.* 2051, 2052. 2064. *g.* 2111. *a.* Id ineptiſſimè probatur à Britanno quodam Theologo. 1198. *a.* Docendi potiùs ſunt quàm cogendi aut perdendi. 585. *e.* 652. *c.* 690. *c.* 718. *c.* 861. *d.* 1152. *f.* 1638. *c.* 1918. *g.* 2051, 2052.
Hæretici quidam abſurdi. 677. Nemo unquam fuit tam abſurdus, quin ſuos reperit ſectatores. *ibid.* Quorundam prodigioſæ opiniones. 767. *b.* Hæreticorum catalogus & quaſi genealogia. 1612, 1613.
Heyo Hermannus Caminga, Eraſmo iratus. 1942, 1943.
ab Hebraicis literis diſcendis cur deſtiterit Eraſmus. 583.
Quidam docent, Nihil diſcendum præter linguam Hebraicam. 820. *d.*
Standicus inepte aſſerit; Paulum Corinthiis Hebraicè ſcripſiſſe. 1194.
ad Hebræos Epiſtola an ſit Pauli, dubitatur. 779. 1840. *d.*
Helvetii nec vivunt medicè, nec bibunt modicè. 961. *d.* Eorum medici quales. *ibid.* 994. *e.* Eorum agricolæ tumultuantur, 955. *a.* 1340. *c.* monaſteria diripiunt, 956. *c.* 2918. *d.* imagines & aras deſtruunt, 1308. *c.* [V. *Imagines.*] cum proceribus confligunt. 1022. A Gallis vincuntur. 428. Armis inter ſe contendunt. 1133. *c.*
HENRICOS, VII. & VIII. Angliæ Reges, laudat Eraſmus. 73. *c.* 517.
HENRICUS VIII. encomium. 182. 198, 199. 267. *d.* 355, &c. 368, 369 535. 539. 617. 658, 659 942. 1228, 1229. De ejus parentibus, ingenio, educatione, ſtudiis, ſtylo, &c. 1269. Græcis literis favet. 346. Contentionibus inter ſtudioſos ſilentium indixit. 599. De libro ejus adverſus Lutherum 658. *d.* 659. 890. 1228. Eum ab ipſomet Rege ſcriptum fuiſſe, exiſtimat Eraſmus, 942. *b.* 946. 1229. & penè probat. 1269. Scribit Diſputationem Theologicam, An laicus obligaretur ad orationem vocalem. 942. *b.* Probat Confeſſionem à Chriſto fuiſſe inſtitutam. 903. Sedulò ad ſe invitat Eraſmum. 1548. [V. *Eraſmus.*] Divortium quod cum Catharina conjuge fecit, Eraſmus ſe nec probare nec improbare dicit. 1523, 1524. Ejus aula cæteris omnibus præfertur. 131. *e.* 181. *e.* 357. *a.* 365. *e.* 368. *c.* 375. *e.* 539. *a.* 622. *f.* 624. *e.* 625. *d.* 935. *d.* Aulicorum ejus catalogus & encomium. 131. 375. 539. Nulla de privilegiis quæſtio inter ipſum & cives orta eſt. 120. *c.* Minùs æquus fuit novis dogmatibus (i.e. Proteſtantium) quàm Epiſcopi aut Sacerdotes. 1505. *f.* 1510. *f.* Leone X. P. R. autore arma depoſuit, quæ Julii P. R. inſtinctu ſuſceperat. 90. *c.* Adornat colloquium cum Rege Galliæ in littore Caleſi. 628. 716. Clemens VII. P. R. per legatum ei pacem cum Gallo indicit. 1925. *b.* Bedda taxat Eraſmum, quòd eum vocarat *Angliæ, Franciæque Regem.* 1309.
Henrici Epphendorpii mendacia in Eraſmum. 1933. *b.* 1940. *b.*
Henrici Glareani eruditio & virtutes laudantur. 16. 800, 830. 1086. 1323. Uxorem ducit. 1000. Demigrat Friburgum. 1482.
Heracleon, hæreticus. 1613. *e.*
Herbornus. V. *Nicolaus.*
Hermannus Lethmannus laudatur. 750.
Hermannus Phryſius commendatur. 1033, 1034. 1665,
Hermolai Barbari laus. 274. 1065. In quibus eum hallucinatur. 1064.
Herodotus ſpectare maluit rerum gerendarum exemplum quàm geſtarum fidem. 1687.
Hervagius. V. *Joannes.*
Heſſus. V. *Eobanus.*
Heſychius vult omnes Pſalmos Davidis eſſe. 1349.
Hierarchiam Romanam laudat Eraſmus. 678. *b.*
HIERONYMUS eloquentiæ laude ipſi Ciceroni præfertur. 319. Eraſmus eum Auguſtinò præponit, refragante Eckio. 134. *b.* 137. Scholaſtici ei minus tribuunt quàm Auguſtino; & quare. 138. *a.* Apud Latinos eſt Theologorum princeps. 92. *d.* 97. *a.* 319. Ille unus inter Patres utrâque doctrinâ, ſacrâ & generali, juxta abſolutus. 475. *f.* Et præfertur Cypriano. 1617. *c.* Ejus nimius ardor notatur. 168. *g.* In riſu fuit immodicus. 1817. *d.* Minùs candidè de Ambroſio ſenſiſſe videtur: 1588. *f.* A communione Joannis Epiſc. Hieroſolymitani abſtinebat, quòd haberetur Arianus. 1599. Palladius eum inſimulabat, quòd cum virginibus nimiùm frequens eſſet. 1547. Solebat pectus tundere ante imaginem Crucifixi. 1213. *c.* Nonnulli ejus lapſus ab Eugubino notantur. 1458, &c.
Quibus autoribus aggreſſus fuerit tranſlationem S. Scripturæ. 168. *d.* 172. An fuerit autor Vulg. Interpretationis. 159. *b.* 164. *c.* 329. *g.* 1449. *a.* Quodnam ex ejus ſcriptis ſit maximè exactum. 1633. *e.* Locus ejus, de numeris Conjugii, Viduitatis & Virginitatis, nodoſus. 405. *Certales* & *Anabaſis* apud eum qui ſint, Eraſmus fatetur ſe non intelligere. 462. *g.* Alia quædam ejus loca expugnare non potuit Eraſmus. 779. *b.* Nodus de ento ab Abrahamo ſepulcro ab Hieronymo ſolvitur. 1456. Romam ex Apocalypſi *Babylonem* appellat. 762.
Philelphi de eo judicium 134. *b.* rejicitur ab Eraſmo. 137. *b.* Budæi judicium de Hieronymo, déque Eraſmi laboribus in illo inſtaurando. 152. *g.* Qui cum Eraſmo in illo reſtituendo ſudarint: 94. 97. *e.* De editione Hieronymi Eraſmica. 92. 100. 169. 318. 319. 389, 390. 475. 1518. V. *Eraſmus.*
Hieronymus Aleander. 757, &c. 761. 768. Nuncium agens apoſtolicum, adverſus Eraſmum irritatur, 769. 1021. aliòſque irritat. 949. *d.* 1040. 1941. *g.* Gravis ei fuit, optúmque ejus morofus cenſor. 812, 813. 1379. *a.* Coràm blandus fuit, abſens alius. 1011. 1021. Alios in Eraſmum ſubornat. 1959. *e.* 1961. *b.* Miratur, tot millibus trucidatis, Eraſmum adhuc ſupereſſe. 1379. *c.* Eraſmo à quibuſdam præfertur. 814. *b.* 1065. Multa ſcripſit adverſus Lutherum. 1012. Geminâ mitrâ inſignitur. 1948. *c.*
Hieronymi Buſlidii laus & epitaphium. 176. Legavit multa millia ducatorum ad inſtitutionem collegii trilinguis apud Lovanium. 180. *g.* V. *Lovanium.*
Hieronymus Donatus. 1210.
Hieronymi Weſtphali laus. 756.
Hilarion de paupertate gloriabatur. 2050.
HILARIUS in Phryſiam relegatur. 1633. *b.* 1639. *g.* Arianis obſiſtit. 1633. 1635. 1638. 1640. Eum Hebræi ſermonis rudem fuiſſe, oſtenditur, 1644. *a.* & Græcas literas leviter attigiſſe. 1644, 1645, 1646. De ſtylo ejus & ſcribendi ratione. 1635. *g.* &c. 1645. *e.* Intellectu eſt difficilis. 1631. *d.* 1635. *g.* 1636. *d.* Phraſes quædam quibus præter publicam loquendi conſuetudinem utitur. 1646. *d.* Nonnunquam *ἀνακολουθεῖ*. 1644. *e.* Cum Quintiliano confertur, 1636, 1637. & cum Plinio. 1637. *d.*
Videtur de Spiritu S. non ſatis orthodoxè ſenſiſſe. 1632. 1637. *g.* 1638. *f.* Chriſti Corpus doloris capax non fuiſſe ſentit. 1631. *f.* 1640. *f.* Alii ejus errores notantur. 1640, 1641.
De libris ejus *De Trinitate* Eraſmi judicium. 1633, &c. De Commentariis ejus in *Pſalmos*. 1642. *d.* Librum *De Synodis* è Græco vertit. 1637. *e.* Commentarii ejus in *Matthæum* ex Origene verſi. 1642. Cur nuſquam indicet quem fuerit ſecutus. 1635. *g.* 1642. *e.* 1642. *e.* Tranſlatione utitur diverſa ab ea quæ vulgò recipitur. 1646. *e.* De libris ejus qui interciderunt. 1643. Cum veneratione citatur ab Hieronymo & Auguſtino. 1643. Hieronymus eum immeritò taxat. 1644, 1645.

Quan-

Quantum in eum ſibi permiſerit ſciolorum temeritas. 1631, 1632.
Hippopotamus, in Ægyptiorum hieroglyphicis quid. 1149.*c.*
Hirundo in niveis quæſita. 1009.*d.*
Hiſpaniam ſummè laudat Eraſmus. 977.*c.* 1092. *Σπανία* à Paulo vocatur. 726. Saracenicæ tyrannidis veſtigia ibi cernuntur. 572. Ibi efflorescunt bonæ literæ. 976, 977.*c.* Ibi cautum eſt, nè cuivis quidvis excudere liceat. 1551.*d.* Ibi monachi tumultus concitant, 773. 776. 799. 862.*a.* 866. 962. 973.*c.* impulſu Edvardi Lei. 897. 960.*a.c.* 963, 964. 978. 1152. qui per Cæſarem & Archiepiſcopos temperantur. 885.
Hiſpani nonnulli bonarum literarum ſtudioſi. 753.*a.* 771. Hiſpani quidã libris Eraſmi offenduntur. 773. 776.*a.*
Hiſtrionum conditio quæ. 943.*a.*
Holcot, & Bricot. 1649.
Hollandia laudatur. 726. Malè tractatur à Danis, & à Gelriis. 1520.
Hollandicæ res. 1318. Eraſmo malè convenit cum cœlo Hollandico. 750.*a.*
Hollandorum mores qui. 479.*f.* 481.*f.*
Homo, animal calamitoſiſſimum. 1788.*b.*
Honorem mereri quàm obtinere, pulchrius. 551.*b.* An & quid conferat ad beatitudinem. 549. 552-555. Nec ambiendus eſt, nec omnino rejiciendus. 757.*b.* Cur amplectendus. 831.*f.* 845.*a.* 1211.*g.* Abſque virtute ſarcina eſt, non dignitas. 550.*d.*
Hoochſtratus. V. *Jacobus.*
Hoſpitalitas quam commendat Apoſtolus, quæ. 1597.*b,c.*
Hulricus Zuinglius. V. *Zuinglius.*
Hulſius. V. *Lutherani.*
Humanæ res incertæ. 143.*f.* 1833.*c.*
Humilis non eſt qui ſortem ſuam iniquo animo ferat. 519.*d.*
Humilitas cum Inverecundia à Cajeto an rectè copulata. *ibid.*
Hungaria à Turcis vexatur. 1133.*f.* 1136. 2434.
Huttenus. V. *Ulricus.*
Hyemi bella, æſtati pax comparatur. 629.*c.*
Hymni quos canit Eccleſia, cujus autoris ſint. 1643.*b.*
Hypocauſta. V. *Eraſmus.*

I

*J*Acobi nomen Eraſmo parùm ſelix. 972.
D. JACOBUS. Locorum communium qui in ejus Epiſtola tractantur, recenſio. 1840.*c.*
Jacobus Battus Eraſmo amicus eximius. 455. Eum impenſè rogat, ut ducentos francos à Domina Vericoſi pro ipſo efflagitet; 449. 453. 474. ut Ludovicum veſtiat. 452. 453. Ægrotat. 478. Queritur Eraſmus quòd Guilielmum quendam illi prætulerit. 486, 487. 491.
Jacobus Ceratinus, Moſellani in Acad. Lipſienſi ſucceſſor, laudatur. 993, &c. 1929. Græcum Lexicon auget. 1701.
Jacobi Fabri laus. 132. Inter eum & Eraſmum controverſia orta. 125. [V. *Eraſmus.*] Quàm intemperanter & indignè Eraſmum laceſſierat. 174. 179. 187. 200. 213. Molitur Apologiam adverſùs Eraſmum. 187.*c.* 212.*g.* 540. Vapulat à Tonſtallo, 172. & à Roffenſi: 351. 618. Quod factum noluit Eraſmus. 621. Pœnitet eum quod Eraſmum irritaverat. 398. Ejus de Triduo Chriſti opinio diſcutitur. 187. 215. De ejus in Paulinas Epiſtolas commentariis. 2020. Vertit Chryſoſtomi quædam. 1121. Grammaticis erat infenſus. 215.*e.*
Jacobus Hoochſtratus nimis acriter ſcribit adverſùs Capnionem. 738. Eraſmi ſententiam de matrimonio & divortio ſugillat. 740. Comitem à nova aquila contumeliis afficit. 841. Sed cogitur palinodiam canere. *ibid.* 958. In Lutheranos ſævit. 1429.*g.*
Jacobus Landavus. V. *Stunica.*
Jacobus Latomus contra linguarum ſtudium contráque Eraſmum ſcripſit. 343. 352. 555. 780. Eraſmus ei reſpondet. 361. 566.
Jacobus Lopis Stunica in Eraſmum ſcribit. 725. 757. 815. 911, &c. 978. 1000. 1079. 1082. 1877. Leo X. P. R. jubet nè ulteriùs nomen Eraſmi proſcindat. 756.*b.* Eraſmus ei reſpondet. 758.*a.* Cujus operæ eum pœnitet. 996.*b.* [V. *Eraſmus.*] Quoties illi impoſitum fuerit ſilentium. 912.*d.* 978, 1003.*a.* 1079. 1887.*f.*
Jacobus Landavus in eum velitatur. 996. Quàm abſurdè & ridiculè veterem N. T. interpretem à ſolœciſmis vindicarit, & Eraſmi interpretationem reprehenderit. 1877, &c. 1924.
Jacobus Middelburgenſis Apologiam ſuam pro Cæſare Eraſmi cenſuræ ſubmittit. 573.
Jacobus Oſorius. 874.
Jacobus Piſo. 338.
Jacobus Sadoletus laudatur. 1342, &c. Ejus bibliotheca incenditur, cum Roma diriperetur 1163. 1165.*c.* 1338. Scribit Commentarios in Pſalmum quinquageſimum. 901. Interpretatur Pſal. XCIII. 1340.*g.* 1341. Ejus commentarii in Epiſt. ad Romanos, nimis nitidi. 1555. A nonnullis non probantur. 1960.*e.* Quid de Veneratione Sanctorum & de Picturis ſenſerit. 1348.*f.* Monet Eraſmum nè populi ordinúmque ſtudiis ſe opponat. 1341.*d.* 1348.*f.*
Jacobus Spiegel, Maximiliano Imp. Secretarius. 1004.
Jacobus Tuſſanus maledictis verſiculis in Eraſmum debacchatur. 1051. Eraſmus eum increpat. 1058.
Jacobus Tutor, Eraſmo amiciſſimus. 455.*g.* Laudatur. 477. 479. Diſmam ei commendari cupit Eraſmus. 317. 456. 477. Commendatur. 477.*g.* 479.*d.* 480.*c.* 482.*c.*
Jacobi Wimphelingi Sletſtadienſis laudes, vita, mors. 1266.
Janus Laſcaris epigrammata in Eraſmum ſcribit. 1030, 1039. 1044. 1051.*f.* 1172.
an Idola pro diis coluerint gentes. 2136.*a.*
de idolothytis edendis. 1827.*g.* 2038.
Jejunium non admodum probat Eraſmus. 655.*f.* Perſuadendum cenſet potiùs quàm præcipiendum. 779.*a.* 2035, 2036.
Jejunium ac ciborum delectus ad duas res valent 2022.*a.* Superſtitioſa eorum obſervatio Judaiſmum olet. 2028. V. *Ciborum delectus.*
Jejunium Deo gratum quod. 2039.*g.* 2042.*c.*
Igni comparantur Chriſtus & ejus ſacerdotes. 1237.*d.* 1238.*f.*
Ignorantia populi unde, & quomodo ei ſuccurrendum. 1856.*b.*
Imagines priſci Chriſtiani abominabantur. 2064.*c.* De earum cultu Eraſmi judicium, 1191.*f.* 1378.*a.* 2054.*g.* & Sadoleti. 1348.*f.* Uſum imaginum tuetur Eraſmus. 3119.*f.*
Imagines à Lutheranis ejiciuntur. 822.*d.* 846.*a.* 870.*b.* 1135.*c.* 1935. 1962.*c.* 2054.*g.* V. *Lutherani.* Mirari ſe dicit Eraſmus, neminem Divorum ſtatuarum & imaginum everſionem fuiſſe ultum. 1308.*c.* 1935.*f.*
Imitari, *ἀκυρολογικῶς* ab Hieronymo uſurpatur, pro *Reddere*, aut *Exprimere*. 1637.*b.*
Immodica omnia ſunt incommoda. 555.*f.*
Imperatores Romani quomodo olim, 1689.*g.* quomodo nunc electi. 1691.*b.* Quomodo orta fuit & propagata eorum majeſtas. 1689.*f.* Quàm latè patuerit eorum imperium. 1690.*g.* De ejus extinctione & reſtitutione. 1691.*b.* An vetus illud imperium, quale fuit olim, renovandum ſit. 1691.*d.* V. *Cæſar.*
Impietatis crimen qui moderatè fert, leviter pius eſt. 316.*b.* 889.*g.* 892.*f.* 1375.*d.* 1412.*d.* 1531.*a.*
Impleta convivarum domus an rectè dicitur. 1881.*d.*
Impoſſibilia Juliano quæ. 203.*b.*
Incantatoris cujuſdam Aureliani hiſtoria. 505.
Incompoſiti qui. 1894.
Indulgentiæ unde ortæ. 1827.*b.* Eraſmi de eis ſententia. 1945.*a.*
Induſtria quantum valeat. 549.*e.* Ejus laus. 1970.*e.*
Infirmis obſecundandum, ſtultis & malitioſis non item. 1296.*b.*
Ingratis præſtat beneficium conferre quàm non intelligentibus. 378.*a.* 436.*e.*
Ingrati hoſpitis hiſtoria, ex Seneca. 1111.
Iniquus quid ſignificet, monachus quidam ignorat. 839.*f.* 843.*d.* 1072.*d.*
Injuriam negligere, optimum vindictæ genus. 467.*e.* 1799.*d.* 1800.*b.*
Inſcitia in fœmina, magnum malum. 760.
de Inſtitutione puerorum. 289.*b.* V. *Educatio.*
Inſtrumenta ſumi pro codicillis in quibus pacta ſcribuntur. 3255.*a.*

Inſtrumentum Vetus aptiùs dici quàm *Teſtamentum*. 1254.*f.*

Intelligibilia, quæ contemplatione mentis comprehenduntur, ſola verè ſunt. 610.*f.* Cur philoſophus iis non fruatur perfectè. *ibid.g.*

Intemperantiæ mala. 771.

Interpres debere eſſe linguarum peritus. 272. 475. Superiorum interpretum lapſus qui prodit, rem facit aliis utilem, ſibi periculoſam. 1423.*f.* 1424.

Interpres Vetus Bibliorum non fuit Hieronymus. 159.*b.* 164.*c.* 319.*g.* 940.*b.* 2018.*g.* Quis fuerit, ignoratur. 1889.*c.* 1894.*g.* An ejus interpretatio ex afflatu Spiritus S. prodierit. 161.*b.* 271.*g.* 940.*b.* 1889.*d.* Solœciſmis ſcatet. 1879, &c. 1889.*a.* Eam licet emendare, 159. 164.*g.* 271. idque abſque Concilii autoritate. 108, &c. 164. 2018.*g.*

Interpretaturus Scripturas, an neceſſe ſit ut Spiritu S. afflatur. 1889, 1890.

Quam Interpretationem V.T. ſequuti fuerint Græci Patres. 1609.*f.*

Interpretatio LXX. ab Hieronymo mendacium vocatur. 165.*c.*

Interpretatio N.T. Eraſmiana à nonnullis damnatur. 5. 108. 2017.*c.* V. *Eraſmus*, & *Stunica*.

Intimare, pro *Significare*, Hilario. 1646.*d.*

Inventio artium cui debeatur. 2088.*g.*

Invidentiâ nullum ſupplicium gravius. 466.*f.*

Invidi ſenis deſcriptio 466.*a.*

Invidia egregios conatus, non ſecùs atque umbra lucem, ſolet comitari. 542.*c.*

de Invocatione Sanctorum 804. 1052.*c.*

Joachimus Camerarius ſuſpicionem evulgatæ Eraſmi & Lutheri epiſtolæ à ſe depellit. 824. Eraſmus dicit eum plus curæ quàm naturæ habuiſſe 1469.*c.*

JOANNES cur Evangelium ſuum ſcripſerit. 1821.*b.* Myſteriis eſt refertiſſimum. 1814, 1815. Pars ejus de collo ſuſpenſa adverſùs morbos circumfertur à ſuperſtitioſis. 1819.*b.* Cerinthiani & Ebionitæ eum perpulerunt ut de Divina Chriſti natura ſcriberet. 1633.*g.*

Joan. I. 1. *In principio erat Verbum*. 596. IV. 11. verba Samaritanæ, *Puteus altus eſt*, &c. quomodo exponenda. 1069. VI. 63. *Caro non prodeſt quicquam*, exponitur. 2081. VII. 39. *Nondum erat Spiritus S.* excutitur. 1245, &c.

1. Epiſt. Joan. cap. IV. & V. quidam verſus quomodo habeantur in mſ. quodam Vaticano. 757. Cap. V. verſus ſeptimus in vetuſtis codicibus non habetur. 804.

Joannes III. Luſitaniæ R. laudatur. 1862.*b.*

Joannes quidam monachus, dum gladiatores dirimere tentat, interimitur. 1488.

Joannes Amerbachius Auguſtinum primus excudit. 1578.

Joannes Antoninus, medicus, è graviſſimo morbo convaleſcit. 1134.

Joannes Baptiſta, medicus Henrici VII. & VIII. 527.

Joannes Bebelius, typographus, laudatur. 1681, 1682.

Joannis Botzemi laus. 991. 1219. Lutheraniſmi ſuſpectus eſt. 991, 992.

Joannes Brentius. 404.

Joannes Capnion. V. *Joannes Reuchlinus*.

Joannis Coleti encomium. 306. 309. 311. 619. 702. 1710.*a.* 2047.*a.* Pater ejus bis in urbe Londinenſi præfecturam ſummam geſſit. 702.*f.* Ejus mater quanto animi robore fuerit. 1317. Nomen ejus ab Hebræo *Coheleth* derivat Eraſmus. 655.*f.* Stylus ejus laudatur. 311. In ſenectute Græcas literas diſcit. 315.*e.* Scotiſtas hebetes ac ſtupidos judicabat. 706. Thomam, arrogantem & mundanum. *ibid.* Monachorum & Epiſcoporum mores, cultum Imaginum, Collegiorum nimios ſumtus, Confeſſionem anxiam, Sacrificulorum preces quotidianas, anxiam & laborioſam ſapientiam non probabat 706, 707. Ad Venerem erat & luxum & ſomnum proclivis. 705.*d.* Iracundiæ remedium ex Enchiridio Eraſmi petit. 1205. Frugali victu utebatur. 703.*f.* Duriuſculus fuit in diſtribuenda pecunia. 607.*d.* Quindecim angelatos Eraſmo promittit, neque dat. 607.*b.* Monet eum Eraſmus, ut ſeipſum à mundanis negotiis ſemoveat. 607.*f.* Scholæ, quam extruit in cœmeterio D. Pauli, 1710.*d.* formam & leges deſcribuntur. 704.*d.* Magnificentiſſimas ædes ſtruit prope Richemundiam. 705.*a.* Defertur apud Cantuarienſem, & apud Regem. 708. Pacem iniquam bello æquiſſimo præfert. 708.*f.* Hydrope perit, 626.*a.* vel potiùs ſudore peſtilenti. 705.*b.* Ejus mortem luget Eraſmus. 619. 623, 624. 630. 648. Ejus animam invocat. 710.*b.* Ejus ſepulcrum. 705.*c.* Ejus vitam ſe literis mandaturum promittit Eraſmus. 624. quod præſtat 655.*d.* 702. Succedit in ejus dignitatem Ricardus Pacæus. 614. 623.

Joannis Eckii objectiones 133. ſolvuntur. 135. Eraſmi fuit hoſtis virulentus. 1939.*f.*

Joannes Faber commendatur. 588. 618. 633. 635. 639. 644.

Joannes Frobenius. V. *Frobeniana officina*.

Joannes Grolierius ſummè laudatur. 183, 184. Ejus amicitiam ambit Eraſmus. *ibid.*

Joannes Hervagius in Joannis Frobenii provinciam ſuccedit. 1477. 2075.*g.* V. *Frobeniana officina*.

Joannes Laſcaris, Româ relictâ, in Gallia agit. 548. Laudatur. 694.

Joannes à Laſco, præpoſitus Gneſnenſis, laudatur, 779, &c. 794. 828. 831. 1835. Se diſcipulum Eraſmi vocat. 830.*b.* In vincula conjicitur: dimittitur. 1534.

Joannes Manardus, Italus, laudatur. 1019.

Joannes Morus Thomæ pater. 1509.

Joannis Nævii laus. 1205. Mors. *ibid.*

Joannes Oecolampadius ſeipſum elevat, laudat Eraſmum. 403. Coram Crucifixo preces effundere ſolebat. 403.*e.* Tragœdiam meditatur. 404.*a.* Fit monachus. 592. 595. 631. Adverſatur Luthero. 774. 819.*g.* Taxat Eraſmum. 774. Chryſoſtomum vertit. 1354. 1478. Aſſerit in Euchariſtia nihil eſſe præter panem & vinum. 779, 780. Offenditur Eraſmus quòd Oecolamp. eum *noſtrum* appellarat, 789. 1842.*b.* quod ejus nomen libris ſuis admiſcuerat, 959. quódque dixerat, eum idem ſentire de Euchariſtia quod ipſe. 2057.*d.* Dicit Eraſmus, ſe poſſe in Oecolampadii ſententiam diſcedere, niſi eum moveret Eccleſiæ conſenſus. 1138. 1932. 1935.*a.* 2135.*d.* Docet confeſſionem non eſſe neceſſariam. 903. De ejus doctrina. 836. Ægrè fert Melanchthon, quòd Eraſmus eum cum indignis quibuſdam nominarat. 816. Eraſmus de quibuſdam ſe illi excuſat. 1934.*e.* Uxorem ducit. 863. Moritur. 1942. Ei ſuccedit Myconius. 1946.

Joannis Petri Caraffæ, Pont. R. apud Anglos Legati, encomium. 93.

Joannis Reuchlini, ſeu Capnionis, laus. 94. 98. 101. 283. 590. 1210. Judæus quidam & monachi ei machinantur exilium. 1914, &c. Ab ejus cauſâ alienus fuit Eraſmus. 587. Monet eum ut temperet à conviciis. 541. Græcè & Hebraicè prælegit Ingolſtadii CC aureorum ſalario. 610. De contentione inter eum & Hoochſtratum. 738. Judæis favebat. 739. Athanaſium vertit. 997.

Joannis Roffenſis Epiſcopi laus. 96.*g.* 353.*b.* 369. 515, 516. 521. 524. 921. 1581. 1760.*d.* Scribit libellum adverſùs Fabrum. 352. 618. Quem Eraſmi eſſe ſuſpicatur Sycophantæ. 544. Eo offendi Eraſmum ſuſpicatur Roffenſis, ſed falſò. 609.*d.* Agit cum Latimero Eraſmus, ut Roffenſem Græcas literas doceat. 522. 526. Cardinalitius galerus ei in carcere exhibetur. 1538.*e.* 1543. Supplicio afficitur. 1538.*e.* 1543. 1556. 1761.*b.*

Joannem Scotum, Argentinenſem typographum, qui Hutteni libellum evulgarat, Eraſmus mulctari cupit. 986. 1060. 1067.*c.*

Joannis Sixtini laus. 126. 129.

Joannes Sylvagius, Caroli V. Cancellarius, laudatur. 1783.

Joannes Thurzo, epiſcopus Vratiſlavienſis, octo dierum iter Eraſmi viſendi gratiâ ſuſcipit. 138.*c.* Moritur. 749.

Joannis Vitrarii, Franciſcani, vita. 698. Quibus modis animum præparabat ad concionandum. 692.*f.* Munuſculum ab adultero miſſum reſpuit. 701. Simoniacos Pontificis Commiſſarios palàm redarguit. 701. 1031. Sororculæ quædam moniales illum falciis præfocant. 699.*d.*

Joannes Zirka. 675.

Joannitæ. 1603.*c.* 1604.*f.*

Jobus,

Johan. V. *David.*
Jocoſa. 287. 289. *d*, *f*. 297, 298. 305. 325, 326. 342, 343. 354. *f*. 378. 431. *d*. 486. 488. 570, 571. 592. *a*. 821. *b*. 1007. *e*. 1011. *g*. 1022. *g*. 1318. *b*. 1353. *a*. 1357, 1358. 1541. *d*. 1544. *a*. 1870. *g*. 1967.
Jocoſa admonitio non minùs utilis quàm ſeria. 1005. *b*. 2007. *e*.
Jocos liberales non ſolùm licitos eſſe ſed & utiles. 1774. *c*.
Jodocus Jonas laudatur. 331. *d*. 338. *g*.
Joſephus hiſtoriographus, inſanabiliter depravatus. 1332.
de Ira. 1768. *e*.
IRENÆUS commendatur ab antiquitate, 1610. *f*. à pietate. 1611. *a*. Primùm presbyter, tum Epiſcopus Eccleſiæ Lugdunenſis. *ib*. *b*. Victorem Pont. R. ob negotium Paſchæ reprehendit. *ib*. *c*. De ejus doctrinâ & linguâ quâ ſcripſerit, *ib*. *e*. Figuris Græcis utitur Latinè loquens. *ib*. Eum rectiùs intelliget, qui Juſtinum Martyrem legerit. 1613. *g*.
Iſidorus à Theophilo cur depulſus fuerit. 1599. *g*.
de Iſocrate judicium Eraſmi. 1617.
Italiam cur adire cupiat Eraſmus. 502. *d*.
de Italorum ingeniis. 15. *f*. 29. *d*. 42. *g*. 43. *a*. 45. *b*. 126. *a*. 129. *c*. 309. *a*. 341. 347. 525, 526. 1063. *f*. 1305. Imbelles cur eos dixerit Eraſmus. 1956. 1958. Apud eos bonæ literæ nihil præter paganiſmum crepabant. 911. *a*. 975. *f*. 1034. *c*. 1739. *c*. Culpantur quòd bonas literas diſciplinis bonis non admiſcuerint. 755. *a*. Nihil illis placet niſi Ciceronianum. 975. 979. 1170. Eraſmo cur infenſi. 975. *f*. 1121. *c*. Cur Eraſmum & Budæum ex albo doctorum ſubmoveant, 1096. In Italis quibuſdam deſideratur ſermonis polities. 1556.
Italorum res. 411. 413. *a*. 413. *g*. 425. *a*. 1308. 1950. *f*.
JUDÆ Epiſtola cur ſeriùs obtinuerit autoritatem. 1839. *e*.
Judæi legis codicem quantâ veneratione proſequuti. 1818. *e*. Ante proditum Evangelium ſufficiebat iis ad ſalutem rudis quædam & confuſa de rebus Divinis credulitas. 1695. *g*. Perpauci eorum exactè noverant Filium ac Spiritum S. nec credebant reſurrectionem corporum. 1696. *a*. De eorum converſione, quidque eam impediat. 1608. De eorum ceremoniis. V. *Ceremoniæ.*
Judam proditorem quidam pro Divò coluerunt, 627. Salutem humani generis ei acceptam ferentes. 767.
Judicia ſtudioſorum qualia eſſe decet. 339. *f*. 340. *e*. Judicium vulgi quale. 943. *b*. Præpoſterum eſt. 1240. *e*, *&c*. 1788. *d*. 2093. *c*.
Judicium de ſententiis vel dictis alicujus quomodo ferri oporteat. 1152. *e*. 1153. *d*.
Judicio duci oportet in rebus agendis, non animi impetu. 141. *g*.
Julius Cæſar jocis admodum delectabatur. 1775.
Julius Pont. R. orbem ad bella concitavit. 90. Eum culpat Eraſmus. 144. 412. *b*. 416. 425. Librum *De Julio cœlo excluſo* ab Eraſmo fuiſſe ſcriptum Sycophantæ nonnulli conantur perſuadere. 521, 575. *g*.
Julius Pflug laudatur. 1396. 1399. *g*.
Jureconſultorum libri Augeæ ſtabulo ſimiles. 533. *b*. De induſtria ſuam artem difficilem reddiderunt. 1234. *a*. Quâ dignitate à priſcis Impp. ornati fuerint. 1504. *e*.
ubi Juriſjurandi neceſſitas, ibi humana infirmitas. 912. *g*.
Juris profeſſio, à veris literis alieniſſima. 536. *d*. Apud Britannos via eſt ad gloriam parandam maximè idonea. *ibid*.
Juris-prudentiæ laus. 69. *e*.
an Juſtificent bona opera. 2057. *b*.
JUSTINUM Martyrem qui legerit, rectiùs intelliget Irenæum. 1613. *g*.
Juſtum & *æquum* quomodo differant. 843. *d*.

L

LAboris maxima pars, laboris imaginatio. 1298. *e*.
LACTANTIUS, nimis nitidus. 1555.
Laici non ſunt arcendi à lectione Scripturarum. V. *Scriptura*. Eorum officium erga Sacerdotes malos. 1853. 2034. *e*.
Lambertus Campeſter Eraſmi *Colloquia* corrumpit. 1946 [V. *Eraſmus*.] Furtum committit. *Ibid*. *e*.
Lapſus aliorum qui prodit, rem facit aliis utilem, ſibi periculoſam. 1423. *f*. 1424.
Laſcaris. V. *Janus*, & *Joannes*.
Laſcivi autores fugiendi. 464. *d*.
Latimerus. V. *Gulielmus*.
Latini quidam autores Græcis æquantur. 1747. *f*.
Latomus. V. *Jacobus*.
Bartholomæus Latomus Latinam linguam regiis ſtipendiis Lutetiæ profitetur. 1540. Laudatur. 1542.
Latriâ non adoratur corpus aut anima Chriſti. 1138. *b*.
Latronum myſteria quædam narrantur. 469, *&c*.
Laudare eſt grati animi officium. 387. *b*.
Laudare defunctos, quando tutum. 1533. *b*.
Laudationes immodicæ invidentiæ ſtimulos excitant. 70. *f*. 381. *d*. 632. *e*. 978. *d*.
Laudationes quomodo accipiendæ. 127, 128.
Laudator nuſquam ferè non nocet; reprehenſor ſemper prodeſt. 170. *c*. 1087. *c*. 1779. *a*. Laudatori gratiam retulit, qui ſe præbuit laudibus dignum. 1515. *g*.
Quod à re laudata diverſum eſt, non ſtatim vituperandum eſt. 1598. *a*.
Laurentius Campegius Card. Eraſmum ſummè colit. 577. Laudatur. 579. In Germaniam delegatur ad componendum Lutheranum negotium. 936. 1080. 1083.
Laurentius Valla ab invidia mordacitatis aſſeritur. 269, *&c*. 385. Eum vindicat Eraſmus. 382, *&c*. Laudatur. 1209. 1973. *g*. 1986. *b*, *f*. Ejus Annotationes in N. T. laudantur. 271. 2020. Nonnunquam labitur. 1064.
Laus vera ea ſolùm eſt quæ de laudati ore procedit. 275. *g*. 320. *b*. 591. *b*.
Lazarus Baifius. 870. 1044. Ejus opus *De veſtibus* laudatur. 1063. 1173. 1177.
Lectionis varietas non officit ſtudio Scripturarum, ſed conducit. 330. *b*.
Legati munus non perinde laicis quàm ſacerdotibus convenire, Thomæ Moro videtur. 119. *g*.
Leges bonæ non rarò hominum perverſitate in Reip. malum vertuntur. 2069. *g*. 2070.
Leges quaſdam etiam à Deo proditas non omnes aſtringere ad culpam lethalem. 1032. *d*.
Leonis X. origo & educatio. 87, 88. Laudatur. 72. 545. 557. 649. 1842, *&c*. Leonum PP. virtutes percurrit Eraſmus, & Leoni X. adſcribit. 91. *a*. Eraſmum Henrico VIII. commendat. 103. Avidiſſimè legit & laudat ejus epiſtolas. 756. *b*. Sylvius quidam Benedictinus lenocinio nominis Eraſmi ei imponit. 1515 1520.
Leo Judæ Eraſmum ad contentionem provocat. 275.
Leonicenus, Italus, medicus celeberrimus. 1019.
Levinus cubicularii locum apud Mariam R. ambit. 1943.
Leus. V. *Edoardus*.
Lex Moſis manus cohibet; Evangelium, animum. 1061. *b*.
Libanius, Sophiſta impius, præceptor Chryſoſtomi. 1592. Laudatur. 1725.
Libellis qui nomen non præfigunt, gloria frui volunt, ſine invidia. 1068. *e*.
Libelli famoſi & convitioſi, ſeminaria ſeditionum. 987. *e*. Eos valde improbat Eraſmus. 8, 9. 180. *g*. 285. *c*. 343. *f*. 359. *g*. 542, *&c*. 559. *b*. 585. 592. *f*. 662. *b*. 710. 751. *a*. 766. 825. Alunt famelicos & ſordidos typographos. 949. *c*. 952. *b*. Cæſaris edicto coercentur, 751. *a*. 833. *g*. & Pontificis. 833. *g*. Eos edere, quantum crimen. 1061. *d*. 1151. *b*. Eos aliquando excuſat neceſſitas. 601. *d*. 747. *a*. Eorum autores apud ethnicos puniebantur capitis ſupplicio. 866. *a*. 987. *f*.
Liberi. Parentes plerique non meminerunt quare filii dicti ſint *liberi*. 1566. *d*.
Liber mendoſus, crux veriùs quàm liber. 1331. *d*.
Libertas Evangelica nimiis ceremoniis obruitur. 2024. *e*. 2040. *d*. V. *Ceremoniæ*. Libertas immodica damnatur. 9. 544. 984. *a*.
Liberum arbitrium quomodo probet Auguſtinus. 1481. *e*. De eo ſcribit Cælius Calcagninus. 1013. Eraſmi de eo ſententia. 1230, *g*. 1231. Cùm de eo ſcripſerit, dicit aliud dictaſſe animum, aliud ſcripſiſſe calamum. 835. *d*. Ejus Diatriba *De Libero arbitrio*

aequè

æquè accepta eſt Wittembergæ. 816. *d.* 1060. Hortatus eum Melanchthon, ne Lutherum in ea cauſa ulteriùs oppugnet. 816. *f.* Locus de Libero arbitrio diligenter excuti debet. 816. *c.* 1138. *a.*
Libris uſos fuiſſe Apoſtolos, annon fuerit indignum. 133. *d.* 135. *g.*
Qui libri ſuperbiam humanam maximè dejiciant. 910. *d.*
An liceat libros ſacros vertere in linguam vulgarem. 911. *g.*
Librorum magnitudinem priſci verſuum numero ſignabant. 1677. *a.*
In ſcribendis libris quis ordo ſervandus. 1672. *d.*
De dedicandis libris. 1663. *f.*
Ex amplitudine chartarum & elegantia formularum plurimum majeſtatis libris accedit. 1591. *a.*
Libri, amici commodiſſimi. 197 *b.* 302. *f.* 551. *e.*
Librorum oportet delectum fieri. 198. *e.* 509. 1706. *a.* 1961. *c.* Libri qui, & quomodo legendi. 141. *c.* 142. *b.* 509. 1697. *b.* Qui præjudicio laborat, minore cum fructu libros legit. 612. *d.* Quos libros potiſſimùm legere debeant qui in Republ. ſunt verſaturi. 1122. *e.*
Non ejuſdem eſt librum parere, & de eo judicare. 879. *c.*
Qui libris & diſciplinis inſenuerunt, cur ad ſplendida munia parùm ſint appoſiti. 1500. *f.* 1687. *b.*
Librorum amatores qui dicendi. 1996.
Libros vetuſtos in lucem eruere & emendare ſtudet Eraſmus. 510. *e.* 1332. *c.* Libris vetuſtis inſtructiſſima fuit Melenſium Canonicorum bibliotheca. 510.
Libri quidam inepti recenſentur. 1996. *c.* 1997. *c.*
Lilliana ſchola. 436.
Linacrus, V. *Thomas.*
Lingua effrænis, morbus pernicioſiſſimus. 1790. *a.*
Linguarum donum. V. *Donum.*
Linguarum peritia, 1706. *e.* interpreti neceſſaria. 272.
Linguæ ignotæ uſus in templis, indecorus & ridiculus. 1855. *f.*
Lingua Græca & Latina per univerſum Romanum imperium etiam vulgo notæ. 1855. *e.* Lingua Romana in provinciis etiam fuit vulgo communis, 1649. *d.* Sed parùm depravata. 1649, 1650.
Major eſt affectatio in linguæ cujuſpiam municipibus quàm in civibus. 1637. *a.*
Linguarum major cura fuit proceribus Eccleſiæ quàm Sophiſtices aut Philoſophiæ. 163. *e.* 475. 2017. *f.*
Quæ ſit optima via ad linguam Gallicam addiſcendam. 1053. *f.*
Literæ bonæ commendantur. 301. *d.* 480. *g.* 760. *b.* 905. *c.* 926. 1675. *a.* Earum Inſtauratores. 11, 13. 145. *f.* 716. Earum fautores laudibus ornat Eraſmus. 184. 186. *b.* 339 *b.* 617. 629. 977. Earum hoſtes acriter inſectatur. 261. *e.* 280, 281. *f.* 303. *b.* 339. *b.* 343. 363, *&c.* 532. *d.* 541, *&c.* 546. *f.* 558. *a.* 566. 602. *e.* 612. *a.* 617. *c.* 647. *d.* 755. *a.* 799. 979. *a.* 1745. *f.* 2002. *d.* Quibus technis & ſycophantiis uterentur. 543. 558. 603. *e.*
Sine Chriſto ſunt Sirenæi ſcopuli. 1066. Apud Italos nihil aliud quàm paganiſmum crepabant. 911. *a.* 975. *f.* 1034. *c.* 1127. Bonis literis tum ſuus eſt honos, cùm diſciplinis gravioribus admiſcentur, 755. *a.* & cum Chriſtum ſonant. 979. 1065. 1176. *a.* 1739. *b.*
Literarum profeſſoribus qui honores à priſcis Impp. delati. 1504. *e.* Eorum officium, 1706.
Literæ in Hiſpania efflorescunt, refrigeſcunt in Germania. 976. Eas in Hiſpania qui foverint. 977. *e.* Qui apud Italos & Gallos renaſcentibus literis opitulati ſint, quales fuerint. 543. 716.
Literarum ſtudium forminis etiam perutile. 760.
Literarum bonarum ſtudio totos quinque annos tribuit ſynodus Lateranenſis. 604. *g.*
Earum cultores cur συγκρίνειν velit Eraſmus. 611. 1035. *a.* 1058. *f.* 1120. *f.* 1170. *c.* 1373. *a.* 1421. *b.*
Literarum interitus Lutheraniſmum comitatur. 869. *f.* 874. *d.*
Liturgia Græcorum. 1825. *g.*
Livinum ſuum Eboracenſi commendat Eraſmus, 811, 812. & Veronenſi Epiſcopo. 1099. In illum transferri vult penſionem quandam, ſi quid ei accideret humanitus. 1008.
LIVIUS, Latinæ hiſtoriæ princeps. 1685. *e.* 1686. *d.* Ad primum guſtum ſubauſterus eſt. 1636, 1637. *a.* Quinque ejus libros de novo reperit Simon Grynæus in monaſterio Lauriſſeno. 1685. *f.* Spes & reliquos reperiendi. 1686. *g.* Illos quinque verè eſſe T. Livii. 1686. *d.* Livius iis quinque libris auctus ex Frobenii officina prodit. 1358. Chronologia Glareani multam lucem affert Livianæ hiſtoriæ. 1686. *f.*
Livor quid. 1529. *d.*
Locum commutare non eſt vitium, ſed perperàm commutare. 192.
Locus nullus ab illecebris tutus. 1501. *a.*
Lodovicus. V. *Ludovicus.*
Logium, Mercurii Salinum, Budæ, 152. *g.*
Londini natum & educatum eſſe, nonnulla apud Anglos nobilitatis pars. 1504. Nulla regio, quæ univerſa tot amicos Eraſmo peperit quot una urbs Londinenſis. 522.
de Longævitate. 1208. *f.*
Longanimitas, vox parùm Latina. 1895. *d.*
Longolius. V. *Chriſtophorus.*
Lotharingi bellum timent à Carolo. 389. 394.
Lovana licèt obnixè oppugnentur, tamen maximè invaleſcunt politiores literæ. 755, 756. 1090. Ibi trilingue collegium exſtruit Buſlidius. V. *Academia.* Illic erat Eraſmi bibliotheca. 404. Lovanienſium mores moleſtè fert Eraſmus. 419. 610. *f.* 636. 755. Cœlum autem & locus cum illic retinent. 755. *b.*
Lovanienſes Theologi Eraſmicam N. T. editionem incuſant. 5. Eis & Colonienſibus delegatur Eraſmicorum voluminum examinatio. 431. Articulos ex iis colligunt. 918. Tandem bene cum Eraſmo conveniunt. 195, 196. 583. *g.* 619. *a.* 621. *a.* 624. *e, f.* 626. *b.* 630. 723. Rurſus cum eo litigant. 584. *a.* 613. Cum iis expoſtulat. 765. 777. Eos graviter increpat. 901. Iis ſilentium imponitur à Pont. & à Cæſare. 961.
LUCÆ patria. 1806. *g.* Evangelium ſcripſit ex autoritate Apoſtolorum, 1807. *b.* idque poſt Marcum, ſed ante Joannem. *ibid. f.* Scripſit potiſſimùm Gentibus. 1807. *e.* Acta Apoſtolorum produxit uſque ad quartum annum Neronis. *ibid. b.* Vixit cœlebs octoginta quatuor annos. *ibid. f.* Oſſa defuncti ex Achaia Conſtantinopolin ſunt tranſlata. *ibid.*
Luc. I. locus, ἔδοξε κἀμοὶ παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν, &c. excutitur. 19. *d.* 23. *e.* II. canticum Angelorum, δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, &c. excutitur. 1096, &c.
Lucanus hæreticus. 1613. *c.*
Lucianus 1714. quo tempore floruerit. 1715. *g.*
Lucretiæ factum. 1668. *b.*
Lucubrationes nocturnæ fugiendæ. 509. *g.* Oculos lædunt. 834. *g.*
Ludere, quid. 1893. *d.*
Ludimagiſtri ſors, utut laborioſa, neutiquam tamen deploranda. 81. *a.* Munus hoc, inprimis honeſtum. 510. *e.* Secundùm Principes & Epiſcopos nemo magis meretur de Repub. quàm Ludimagiſtri. 336. *e.*
Ludovicum puerum ſuum Eraſmus Battó commendat. 495. V. *Battus.*
Ludovicus Berquinus quædam Eraſmica Gallicè vertit, 923. atque ob id factum periclitatur. 1045. 1048. *c.* 1108. 1931. Quod conſilium ei dederit Eraſmus. 1279, *&c.* 1521. Eraſmum amore ſuo gravat invidiâ. 1045. *g.* 1048. *c.* 1051. *g.* 1279. Comburitur. 1277. 1313. 1395. 1522. 1936. Quæ crimina ei impingebantur. 1279. *a.* Laudatur. 1278. *f.* 1313. 1522.
Ludovicus Berus laudatur. 380. 937.
Ludovicus Vives laudatur. 261. 640, *&c.* 756. 761. 935. Fortuna ipſi iniqua. 641. *c.* A Pariſienſibus amicè tractatur. 752. Eorum eruditionem & diſciplinam laudat. 753. Eraſmum & Budæum ſummis laudibus evehit. *ibid.* Amicitiam inter eos firmare ſtudet. 754. Frobenius queritur, ſe non poſſe vendere ejus opus in *De Civitate Dei.* 802. 1044. Eraſmus monet, ut quædam in eo corrigat. 986. Stomachatur Vives, quòd Frobenius illud excudere nolit. 1044. *d.* Scribit De Matrimonio. 835. In ejus ſcriptis quædam eſſe abſtruſiora, cenſet Morus. 641. *a.* Eraſmus eum ζῶον ἀμφίβιον vocat. 985. Suſpicatur Eraſmum refrixiſſe in amicitia. 1532.

Lupſetus.

Lupſetus. V. *Thomas.*

à Lutheraniſmi ſuſpicione ſeipſam vindicare conatur Eraſmus. 650, *&c.* 657. *b.* 758. 762. 1013. 1038. 1040. 1084.*c.* 1085.*f.* 1182.*b.* 1430. 1905.*c.* 2044.

Lutheranus quis. 10. De Lutheranis honorificè loquitur Eraſmus 1454.*a.* 1456.*d.* Aſperis remediis nihil adverſùs eos proficitur. 822.*b.* 952.*g.* 1066.*g.* 1075.*a.* 1076.*c.* 1116.1429.*f.* Uruntur in Hollandia.930. Nulla Principum coit amicitia, niſi hâc conditione, ut extinguantur Lutherani.930.*b.* Leo Pont. devovit omnes qui Lutheranos aquâ, igni, aut hoſpitio juvarent. 1050. Egmondanus & Hulſtus inquiſitores adverſùs eos in Brabantia, 1921.*b.* 1922.*b.* 1923.*b.* exautorantur.1924.*d.* Hulſtius gladio denuò armatur. 1927.*g.* Sex Cardinales deputantur qui de eorum rebus reſpondeant. 1922.*d.* Sententiâ Cæſaris in Auguſtano Concilio offenduntur. 1398. Principum & Pontificum in eos ſævitiam non probat Eraſmus, 867. 876. 879. 942.*a.* 1116.1429.*a.* 1487.*c.* 1905, 1906. ſed cohibet quantum poteſt. 950.*a.* 952.*g.* 988 *f.* 1038.*f.* 1059.*c.* 1076. 1112.*c.* 1925.*g.* 1933.*f.* 1107.*b.* 1115.*f.* 1126.*c.* Eorum res proſperè ſuccedunt 853.*a.*

Eorum nimium calorem damnat Eraſmus. 7.*c.* 762. Quàm impotentes fuerint quorundam ſpiritus. 820.*a.* Quàm forioſè ſe geſſerint. 1965.*d.* 2112.*a.* Turcis cur deteſtabiles.1056.*b.* Eorum mores arguuntur. 811.*b.* 817.*a.* 818.822.*g.* 890, 891. 950, *&c.* 984.*a.* 2053, *&c.* 2098, *&c.* Quantum diſcrepent à doctrina Chriſti, 951.*g.* quantum à praxi Apoſtolorum, 2054, *&c.* 2059.*f.* 2126.*a.* quantum ab ipſius Lutheri doctrina. 2056.*g.* 2121.*d.* De iis Lutherus queritur, & alii. 2098.*c.* Lutheranis nonnullis Lutherus delirat. 2122.*e.* Quantum abfuerint ab innocentia, 2106. à clementia & patientia, 2111.*f.* 2112. à manſuetudine & lenitate, 2115.*d.* à bona fide & veritate, 2116,*e.* à pietate & ſanctimonia. 2118. Eorum arrogantia.2125.*g.* Se pares Apoſtolis eſſe aiunt, & eorum reformationem ab Apoſtolis prædictam.2112.*e.* Inter ſeipſos diſſentiunt. 890.*f.* 1102.*e.* 2054.*d.* 2096.*b.* Suam diſſenſionem cum Apoſtolorum diſſenſione conferunt.2154.*b.* Eorum miracula & martyres.2136.*e.*

Eorum dogmata.818.*c.* 1159.*f.* 1161.*d.* 2096.*e.* 2102.*a.* 2132.*f.* 2139.*a.* Baptiſmum infantibus non ſalutis ſed honoris causâ dari, aiunt. 2102.*a.* nec neceſſarium eſſe. 2139.*a.* A nullo exigi poſſe quod non inſtituerunt Apoſtoli; 2132.*b.* Omnes Chriſtianos ex æquo Reges & Sacerdotes eſſe; 1159.*g.* Quædam ob hoc ipſum facienda, quia Pontificum edictis interdicta ſunt, 2130.*c.* Philoſophiam & diſciplinas omnes damnant, 2127.*c.* Quæ ſint illa quinque verba quæ in ore ſemper habuerint. 811.*b.* 950.*c.*

Eorum licentia. 984.*b.* Lutherus viſitatores miſit qui eorum licentiam cohiberent. 2098.*c.* 2119.*b.* Eos Wiclefianis pejores, dicit Tonſtallus. 1159. Anabaptiſtæ illis præferuntur. 2098.*b.* Eorum factio quibus præſidiis nitatur. 1116.*b.* Quâ ratione cogant homines ad ſuam religionem. 1946.*c.* 2105.*c.* 2106.*d.* 2133.*a.* Acriter in eos invehitur Eraſmus, quòd tumultibus, libellis, fucis & technis Evangelium propagare ſtuduerint. 2053. 2054. 2059. 2097.*d.* 2106.*d.* 2110.*a.* 2137.*e.* Seditioſi ſunt & tumultuabundi.2123, *&c.* Tumultuantur in Helvetiis, 1935.*c.* [V. *Helvetii.*] in Germania & Brabantia, 1927.*e.* Eraſmus dicit, eos ſolvere poteſtatem Principum, 2140.*c.* Epiſcopis & Magiſtratibus immorigeros eſſe. 2055.*g.* 2056. 2102.*d.* 2111.*e.* 2123.*e.* 2124.*b.* Quibus titulis Pontificem, Cardinales, Epiſcopos, Sacerdotes, Monaſteria, &c. ornent. 1120.*c.* 1182.*c.* Metuit Eraſmus, nè civile bellum ob eorum opiniones in Germania oriatur. 1425.*c.* 1429. 1433.*a.* 1441.*e.* Sub Cæſaris adventum ſe muniunt. 1470.*d.* 1477.*a.g.* Negant ſuppetias Cæſari & Ferdinando adverſùs Turcas.2111.*e.* 2119.*b.* Quale regnum exerceant. 2123.*f.* Quale reformationem oſtenderint.2094.*b.* Preces horarias cur ſuſtulerint. 2102.*e, g.* In imagines, aras, & ſtatuas ſæviunt. 1308.*c.* 1935. 1962.*c.* 2054.*g.* 2119.*f.* Imaginum demolitio, iis conſpirationis ſymbolum.2120.*e.* Quæ ſacerdotibus, &c. eripiunt, in ſubſidium pauperum & ſtudioſorum convertunt. 2184.*c.* Quomodò ſe gerant in templis. 2121.*a.* Eraſmus dicit, eos ſ[illegible] ſuſtuliſſe, ſed non vocaſſe ad meliora; 2054.*e.* 2055, *&c.* 2099.*a.* 2118.*d.* Omnia eis ceſſiſſe in diverſum; 2060.*e.* 2135.*g.* Nonnullos eorum qui Lutheraniſmum amplexi ſunt, ſeipſis deteriores factos; 2118.2119. 2130.*e.* Leviſſimum quemque eorum ſectæ accedere; 2133.*b.* Eos duo tantùm quærere, cenſum & uxorem; 869.*f.* 874.*d.* Ubi Lutheraniſmus, ibi literarum interitum eſſe, *ibid.* 890.*d.* 1029.*d.* 2104.*g.* 2129.*f.*

Admodum cupiebant Eraſmum in ſuas partes trahere. 2091.*g.* Cur eorum Eccleſiæ nomen non dederit. 890.*d.* 987.*c.* Quomodo ſe erga eos geſſerit.2099.*c.* Quantum iis obſtiterit. 1012. 1109.*e.* Monet Monachum quendam nè ad eos deſciſcat. 984. Admonet fratres Germaniæ inferioris & Phryſiæ orientalis, ne Lutheranæ ſectæ ſe involvant. 2095, *&c.* Uni Eraſmo imputant, quòd de Pontifice non triumphârint. 1012.*d.* 1013.*a.* 1082.*d.* 1087.*d.* Spargunt, eum præmiis corruptum adverſùs illos ſcribere. 1109.*g.* 2122.*c.* Reſpondet iis quæ ipſi objiciebant. 1227, *&c.* 2100, *&c.* Ejus opinionem de Libero arbitrio damnant. 1230. Miratur eos odiſſe quicunque diſſentiunt, cùm tamen negent eſſe liberum arbitrium. 1444.*f.* Quàm infenſi fuerint Eraſmo. 1013.*a.*

Lutheranum ſtomachum ſe habere dicit Eraſmus. 1081.

LUTHERUS. V. *Martinus.*

Lycurgus non ſolùm permiſit liberales jocos, ſed præcepit. 1774.

Lyſias Atticâ ſubtilitate friget. 1627.

M.

Magadizein. 1532.

Magicæ ceremoniæ. 505.

Magiſter. Vulgò nemo doctus videri poteſt, niſi *Magiſter noſter* appelletur. 502.*e.*

Magiſtratui gerendo quis idoneus. 991.*c.* 1787.*c.*

Magiſtratus favere videntur iis quorum intemperias non cohibent cùm poſſint. 902.*d.* 1061.*a.*

Magnatum officium. 550.*e.* Eorum dicta & facta in exemplum rapiuntur. 551.*a.* Licet illis delaſſatum animum riſu reficere. 616.*f.*

Magnificat. 1834.*g.* V. *Eraſmus.*

Maledicentibus quomodo occurrendum; 213, *&c.* 219, *&c.*

Malefica. V. *Venefica.*

Malefici ſceleſtiſſimi hiſtoria. 505.

Malis remedia adhibere licet, ſed licita. 2061.*e.* Malis remedium præſentiſſimum quod. 2062.*b.* 2093.*f.*

Mammæa, Severi mater, laudatur. 1624.

Manicare, pro *Manè commeare,* Vet. interpreti. 1886.*f.* 2904.*g.*

Manichæi, quales 1572.

Manna, mangæ, Hilario, 1646.*e.* & Arnobio. 1651.*g.*

Manſuetudo rarò contingit acrioribus ingeniis. 1574.*f.* Theologum maximè decet. 585.*e.* 762. 1575. Quali manſuetudine Chriſtus & Apoſtoli uſi fuerint. 762, *&c.*

Mantuanus. 1065.

Marcion hæreticus. 1613.*e.*

Marcus hæreticus. 1613.*e.*

Marcus Muſurus laudatur. 532. 629. 1209.

Mare jure naturali commune eſt. 262.*c.*

Margareta, Comitiſſa Derbiæ, laudatur, 1760.*e.*

Margareta, Regina Navarræ, laudatur. 970.*a.* Eam monet Eraſmus, ut Gallorum cladem Chriſtiano animo ferat. 970.*c.* 971.

MARIA. An Chriſtus in negotio à Patre delegato ei debuerit obedientiam. 1137.*e.* An nunc in cœlis pro ſua autoritate poſſit ei imperare. *ibid.* De ejus invocatione. 917. 1137.*f.* Coitum quendam inter Deum & ipſam fuiſſe, quo ſenſu dicat Eraſmus. 1089. V. *Chriſtus.*

Maria, Henrici VIII. filia, benè docta. 849.

Maria Hungariæ Regina Latinos codices habuit in deliciis. *ibid.*

Martialis quomodo legendus. 1697. c.

Martinus Bucerus. V. *Bucerus*.

Martinus Dorpius laudatur. 646. 750. a. 905. 933. 956. 2003. c. 2015. c. Cum eo certamen ægrè ſuſcipit Eraſmus. 4, &c. Cum Eraſmo convenit. 630. Buſlidii & Mori libellos adverſùs eum premit Eraſmus 1369, &c. Eum hortatur Eraſmus, ut Græcam linguam diſcat. 215. c. Ejus adverſùs *Moriam* Eraſmi objectionibus reſpondetur. 2003, &c. Eraſmi epitaphium in ejus obitum. 934.

Martinus LUTHERUS. Ejus nomen quid Germanorum linguâ ſignificet. 792. b. Scholaſticis literis magis quàm politioribus erat inſtructus. 344. 348. b. 649. Uxorem ducit, eámque indotatam; 780. ex qua Antichriſtum naſciturum, dicebat vulgus. 789. a. Pallium & barbam ponit. 780. Eraſmo probari cupit. 339. g. 348. De eo honorificè loquitur Eraſmus. 543. a. 584. 594. 609. 634. f. 649. f. 651. f. 656. d, g. 664. 718. 721. 770. a. 1059. c. 1138. a. 1160. g. 1454. a. Ejus ſpiritum miratur. 777. a. 790. f. Optat ut ſtylum ac animum temperet, 643. e. 656. c. 728. 762. 769. 1127. e. & civilius moderatiúſque agat. 609. 762, &c. 941. 1073. g. Monet eum, nè quid ſeditioſè aut iracundè ſcriberet, 584. d. 604. a. 650. 792. d. 2044. c. & ut parceret Rom. Pont. & Principibus. 850. d. Quædam hortatu ejus ſcribit plauſibiliora. 792. c. Confingunt quidam eum Eraſmi adjutum operâ. 542. 566. 575. 585. d. 649. d. Quod negat Eraſmus; 758, 759. 766. a. 769. & cur id conſtanter negârit, rationem reddit. 1227. f. Quædam Eraſmi dogmata Lutheranis ſimilia. 764. a. Dicunt monachi Eraſmum peperiſſe ovum, Lutherum excluſiſſe. 989. d.

Quænam ejus animum moverint ut ſeſe Papicolarum impudentiæ opponeret. 585. g. 695. c. 762. 769. 887. 2045. c. Quibus potiſſimùm dogmatibus ſe oppoſuerit. 586. c. 587. g. 943. f. Lutheri tempeſtas unde nata, & quomodo progreſſa. 887. 941. 975. c. 1346. d. 1429, 1430. Ejus opiniones quàm latè propagatæ. 809. g. 852. c. 855. d. 888. f. 947. f. Ejus ſucceſſus monachorum intemperiis imputatur. 887. 942. d. 997. d. 1346. 1478. a. Odium monachorum & ſedis Rom. ei favorem conciliabat. 1003. c. 1012. c. 1017. b. 2045. c. Initio ei totus mundus applauſit. 1070. c. Eraſmus ſuo diffidit judicio, cùm tot millia videt Luthero conſentientia. 1075. b. Ejus dogmata penè fatetur eſſe vera. 1138. a. 1226. c. Ejus cauſæ patrocinatur. 585, &c. Vehementiam ejus excuſat. 820. c. Dicit, corruptos mores Chriſtianorum flagitaſſe talem caſtigatorem. 817. c. 819. f. 1227. e. Dicit eum eſſe neceſſarium malum. 806. d. 822. d. 1040. d. Eum Pharaoni, Nabuchodonoſori, &c. comparat. 793. 858. c. 1075. Sperat Deum ex malis Lutheranis Eccleſiæ bonam ſanitatem donaturum. 793. 806. d. 809. f. 811. b. 819. c. 858. b. 989. a. 1003. f. 1013. c. 1076. f. Ait, Lutherum optimam fabulam ſuſcepiſſe, 1073. d. ſed egiſſe perperàm. 941. a. Malè ei metuit. 604. a.

In eum acriter declamat Cælius Calcagninus. 1014. Dicit eum initio modeſtum, poſtea arrogantem & pertinacem fuiſſe. 1014, &c. Ejus dogmata recenſet. 1015. b. Dicit eum ſubornaſſe ſibi adverſarios, quos expugnaret. *ibid.* d. Sophiſtam ac præſtigiatorem vocat, *ibid.* g. & antiquitatis contemtorem. 1016. a. Eum Maomethæ & Epicuro confert. 1017. Bene cecidiſſe ait, quòd Germania eâdem ætate quâ Lutherum peperit, Eraſmum dederit. *ibid.* f. Acriter adverſùs eum invehitur Tonſtallus. 1158, &c. Leonem Pont. adverſus eum incitant nonnulli. 653. 664. 720. 758. Ejus bulla in eum Eraſmo videtur inclementior. 653. b. 664. g. 720. a. 942. a. Uruntur ejus libri, 605. g. 632. b. in Britannia. 628. De edicto Cæſaris adverſùs eum. 942. a. Albertus Pius adverſùs eum & Eraſmum ſcribit. 1056. Egmondanus precatur, ut convertantur Lutherus & Eraſmus. 605. 688. c. 915. 1906. b. Idem cupit, ut Eraſmus teſtetur Lutherum victum eſſe à Lovanienſibus. 691. c. 724. Lutherus, Eraſmus & Faber, Antichriſti præcurſores appellantur. 669. Diſputant ſcribúntque adverſùs eum nonnulli. 604. b. 605. c. 653. b. Duæ tantùm Academiæ damnant aliquot ejus dogmata. 652. f. 1429. d. Monachi mendacia in eum evomunt. 1905. c. Gulam ejus dentibus demordere cupit Dominicalis quidam. 736. a. Dicitur aper ferus devaſtans vineam Dei. 1013. a. Eum Protea & ethicum vocat Tonſtallus. 1158. Caudex, ſtipes, fungus, &c. vocatur. 770. 1905. g. Ejus hæreſin non fuiſſe ab ipſo inventam, aſſerit Adrianus VI. Pont. 1202. b. Quales habuerit adverſarios. 666. 757. 766. b. 776. a. 851. d. Libros adverſùs eum ſcriptos nemo audet excudere. 1080. g. Nihil apud Germanos vendibile præter Lutherana & anti-Lutherana. 802. Typographi non audent quicquam excudere quod attingat Lutherum. 1009. g. Inimicos ſuos nobilitabat & ditabat. 1921. c. 1922. b. Nonnullos adegit ad evolvendos Patres. 609. b, 736. b.

Ejus cauſæ ſe non admiſcuit Eraſmus; 584. 614. 632. b. 665. c. 666. 727. 764. 769. licèt à multis ſollicitatus. 765. 890. 2091. f. Se neutri parti addicit; 775. b. 792. d. 941. f. 1078. c. Sed utramque in ſe provocat. 777. 779. 785. 790, 792. a. 795. 797. 801. d. 809. c. 814. f. 851. 857. 868. a. 898. g. 910. b. 941. 944. d. 947, 948. 954. b. 974. a. 980. 1012, 1013. 1017. g. 1057. 1079, 1080. 1082. d. 1085. f. 1102. b. 1224. c. 1226. g. 1404. 1425. c. 1430. 1932. f. Quinam erant qui eum inſtigarunt ut contra Lutherum ſcriberet, & quo animo id faciebant. 1074. b. Bombaſius ad id eum ſuadet, 756. & Montjoyus, 769. & Cantiuncula, 772. & Adrianus VI. 1201, &c. Cur ſtatim eum non refellerit. 651. 657. 690. f. 718. 724. 758. 766. b. 770. 785. 850. 950. a. 1073, &c. 2045. b. Difficile negotium cenſet adverſùs eum ſcribere. 758. a. 770. a. 772. b. Cæl. Calcagninus ſecùs exiſtimat. 1015. e. Epiſtolam ſuam ad Albertum Card. Moguntinenſem, de Luthero, editam dolet Eraſmus. 644. 649. 720. Lovanienſes quidam eâ offenduntur. 765. Eraſmus propter quorundam vitia cauſæ Lutheri ſuccenſet: 811. b. 816. a. Ejus maledicentiam & arrogantiam taxat: 1218, &c. Ejus incivilitatem & aſperitatem Chriſti & Apoſtolorum lenitati & manſuetudini opponit: 762, 763. Eum taxat ſcurrilitatis, 790. f. dicitque, eum miſcuiſſe perſonam Evangeliſtæ cum perſona ſcurræ; 792. c. 793. f. 890. g. 972. f. & per leves homines illum ad eam intemperantiam incitari. 792. e. Scribit adverſùs Lutherum. 777. Quare id fecerit. 952. c. 1006. a. 1008. d. 1115. g. 1127. g. Lutherus ei hoſtiliter reſpondet: 789. b. 796. 962. b. 1100, 1101. dicit tamen ſe ei pepercisse. 1102. c. 1115. c. 1117. Vocat Eraſmum cæcum, ignarum Chriſti, affixum literæ, &c. 822, &c. atheum, hoſtem Chriſtianæ religionis. 1115. c. Excuſat ſe quòd adeò vehementer Eraſmo reſponderat. 1094. g.

Quàm optarit Eraſmus Lutheranum tumultum compeſci. 763. 767. 941, &c. 950. 1075. f. Conſilium de eo ſedando Adriano VI. dat. 787. 1200. c. Quodnam remedium ſupereſſe ſperet. 793. a. 1425. b. 1488. b. Eum doceri & corrigi, non cogi aut perdi, æquum cenſet. 585. c. 652. c. 718. c. 720. 727, 728. 765. 861. d. 1905. c. Ejus judicium de ratione componendæ tragœdiæ (ut vocat) Lutheranæ. 633. 652, &c. 657. d. 719, 720. 727, &c. 765, 766. 777. b. 787. 861. d. 879. 941, 942, 943. c. 944. c. 1116. 1379. c. 1428. f. 1487. c. 2065. b. Judicium Julii Pflug de eadem. 1486. Linguas ac bonas literas invidiâ degravat. 793. g. 890. d. Idcirco ejus cauſam à literarum cauſa ſejungere ſtudet Eraſmus. 587. d. 603. d. 604. a. 633. g. 649. 656. 690. 764. 766. 769. 775. b. 786. 834. f. 989. 1077. 1099. g. 1103. b. 1123. f. 2045. c.

De ejus ſcriptis. 349. 543. 584. 1220, &c. Obſtitit Eraſmus, nè libri ejus cuderentur. 652. e. 656. 728. 1073. f. 2044. f. Eraſmo ineptè tribuitur ejus *Captivitas Babylonica*, 758. & libellus quem in Regem Angliæ edidit. 1158. e. 1229. Scribit acerbè adverſus Georgium D. Saxoniæ. 1390. 1434. Scribit de Miſſa. 1950. d. Ejus librum *De quatuordecim ſpectris* commendat Eraſmus. 2078.

Difficilius negotium egit cùm Eccleſiam reformaret, quàm olim habuerunt Apoſtoli. 2054. a. 2059. e. 2136.

2136.*b.* Fredericus D. Saxoniæ ejus perſonam & cauſam tuetur.619. Cur Pontificis judicio & Cæſaria fidei ſeſe non commiſerit.763.*b.* Eum inſidiis interceptum & extinctum, falsò ferunt. 737.*a.* Suorum pravos mores conatur cohibere. 1066.*c.* 1067.*b.* 1080.*c.* Negat ſe debere παλινῳδεῖν ob ſcandala à diabolo excitata. 815. Eraſmus dicit omnia penè illi ceſſiſſe in diverſum. 2062.*c.* 2133.*g.*
Penè videtur παλινῳδεῖν, 1024.*g.* 1027.*f.* ideoque à cæteris hæreticus ac delirus habetur. 1024.*g.* 1164.*c.*
Ejus ſententia de confitendo peccata damnatur à quibuſdam qui eam non intellexerant. 585.*a.* 718.*d.* Ejus de bello adverſus Turcas ſententia. 1390. Philoſophiam Ariſtotelicam appellavit diabolicam. 2127.*c.*
Zuinglius & Oecolampadius ei adverſantur. 774. 890. Melanchthon ſtuduit componere quod Lutherus turbavit.2059.*c.*2131.*d.*
Martinus Slapus commendatur. 1395.
Martyria morte nihil lætius.1208.*b.*
Marullus nihil ſonat præter paganiſmum.1065.
vocis *Mater* inepta expoſitio.1450.*g.*
de Matrimonio quæ fuerit Eraſmi ſententia. 740. 769.*a.* 1001.*d.* Inter Sacramenta propriè dicta à veteribus non recipiebatur. 1001.*d.* De Matrimonio ſcribit Vives.835.
Mauſoleum quàm multis famam dederit.1682.
Maximiliano Imp. Carolus ſuccedit. 560. Ejus mors Gallorum rationes omnes conturbavit. 246.*a,f.*
Maximiliani, Abbatis Middleburgenſis, encomium. 1864.*c.*
Maximus, pòſt Epiſcopus Seleuciæ, ad Chriſtum pertrahitur ſuaſu Chryſoſtomi.1593.
Medicinæ inſtauratores. 716.*g.*
Medicina animæ, Scripturæ 1808, &c.
Medicorum ſcopi duo.1809.*d.* De induſtria ſuam artem difficilem reddiderunt. 1234.*a.* Quantum eis debeatur.314.*a.* Quales eſſe debeant. *ibid. b.*
De Medico quodam Baſileenſi fabula lepidiſſima. 1054.*c.*
Medicum familia laudatur.500.*b.*
MELANCHTHON. V. *Philippus.*
Memoriæ ſublevandæ ratio.141.*f.* 509.*f.*
Menander hæreticus. 1612.*d.*
Mendacium an nuſquam permittendum,1780.*a.*
Mendicantes fraterculi, ipſi Pontifici Rom. ac Regibus formidabiles. 586.*a.* Quidam ex illis Eraſmo vitio vertit, quòd gallinas comedere ſoleret. 591.*c.* Alius concionabatur, Auguſtinum eſſe fontem illum in paradiſo unde prodierunt quatuor amnes, i. e. quatuor ordines Mendicantium. 769.*a.* Alterius inſignis inſcitia. 601.*b.* 730. 769.*a.* Eos πτωχοτυράννους vocat Eraſmus. 800.*a.* 887.*c.* 973. 1073. V. *Dominicani*, & *Monachi.*
Mendici quidam & errones quomodo abuſi fuerint nomine Eraſmi.1512,&c. 1520.
Mendici à Magiſtratibus maturè coercendi.1514.*b.*
Mens utrùm quicquam agat in corpore, nullo corporis organo.61 .*a.*
Meritum de condigno rejicit Eraſmus.1137.*f.*2060.*g.*
de Malè præpoſitionis ſignificatione.187.
à Metaphoris ſermonis dignitas propè univerſa proficiſcitur. 1726.*f.*
Metaphraſis & Paraphraſis differunt.954.*a.*
Metenſium Canonicorum bibliotheca vetuſtis libris refertiſſima. 510.
Militia ſapientia potior.1504.*c.*
Miniſtrorum moribus non vitiantur ſacramenta. 679.*a.* V. *Sacerdotes.*
Miræa quædam gravida infeſtant quàm ingentia.849.*a.* 856.*f.* 857.*d.*
Miracula à monachis conficta.1187.*d.*
Miſericordia in Principe. 1148.*c.*
Miſſa funditus ſublata Baſileæ. 846.*a.* 870.*b.* De Miſſæ abrogatione Eraſmi opinio.891.*g.* 1138.*b.*
Mneia *Mentionem* ſonat potiùs quàm *Memoriam.*1892.
Μνημονικὸν ἁμάρτημα nullis frequentiùs accidit quàm iis qui non loquuntur ex animo. 743.
Modeſtia abjicienda eſt ab iis qui volunt emergere.413.*d.* Avocat à juvandis ſtudiis publicis.527.*c.*
de Moguntini agri antiquitate libellus.630.
Monachatus non eſt pietas. 1253,1254.
Monachorum officium. 733.*a.* 859.*c.* 863.*d.* 1191, 1241,&c. 1345.*d.* Optimorum monachorum forma. 1245. Pii monachi quàm olim honorati ſint, atque etiamnum honorandi.1661,&c. Eorum ſolitudo non æſtimanda eſt numero convictorum, ſed ſeparatione malorum affectuum. 1662.*g.* Monachi eruditi olim in compendia doctorum ſcripta redigebant. 1661.*d.* 1870.*c.* De eorum veſtitu: 1241.*c.* Titulorum, veſtium & rituum varietatem inter eos damnat Eraſmus.1190.*c.* 1241,&c. Utrùm veſtem eis liceat deponere.1293,&c.
Joannes quidam Monachus, dum gladiatores dirimere tentat, ab iis interimitur. 1488. 2092.*g.* Theodorici cujuſdam Monachi pietas.1496.
Monachi infenſiſſimi erant Eraſmi hoſtes. 344.532.*d.* 558.565.*g.* 587.*c.* 594. *c.*596,&c. 602.*c.* 604.*g.* 646. 648. 730. 746.*b.* 751.*a.* 755.*a.* 765. 777.*a.* 780. 799. 839,&c. 866.*c.* 871.979.*a.* 1013.*d.* 1100.1151,&c. 1833.*f.* Ubique eum convitiis proſcindunt 741.857. Quomodo in eum conſpirarint. 1185.*a.* 1289.*d.* Eos Dodonæis lebetibus comparat.1385.*f.* Quibus technis adverſus eum uſi fuerint. 842.877,878. Ejus libros detorquent & depravant; 1155.*a.* è bibliothecis emovent; 834.*b.* 945.*f.* operam dant nè in vulgares linguas vertantur. 829.*g.* 832.866.*g.*872.*a.* 873.*a.* 973.*g.* 1271.*b.* Hæreſeos eum arguunt propter alteram Latinitatem. 665.*b.* 666.*c.* 1906.*a.* Libellorum penè omnium ſuſpicionem conantur illi impingere. 543, 544. Eos objurgat Eraſmus, quòd ſcurras in eum ſubornarant. 2074, 2075. Cur eum odio habuerint. 665.*a.* 671.*f.* 859, 860. 866.*f.* 885.*b.* 952.*c.* 982.*a.* 1507.*f.* Cimices, pulices ac pediculos ſuos eos vocat Eraſmus,1122.*c.* 1133.*c.* & eorum monaſteria σφηκιὰς crabronibus improbis differta. 844. 1528.*c.*
Pſeudomonachorum mores notantur. 190.*c.* 192.*a,g.* 195.*c.* 239.*a.* 278.*a.* 303.332.*f.* 344,&c. 368.*c.* 453.*b.* 506.*d.* 586,&c. 648. 670.*f.* 682. 684.*f.* 685.*a.* 694.732,&c.746,747.768.*a.* 831.*b.* 878. 917. 958. 981, 982. 1068,&c. 1103.*a.* 1182.*d.* 1187,&c. 1293,&c. 1312. 1345, 1346. 2056.*f.* Quibus potiſſimum vitiis ſint affines. 1239.*f.* Mundus eorum mores gravatè fert, 733.*b.* 735.*a.* atque eos cupit excutere.778.*a.*993.*c.* Maledicentiâ ſuâ penè omnes à ſe alienant.733,&c. 736. 751. Carne veſci, illis ſcelus habetur; fratrem linguis confodere, ſanctum. 566.*a.* 591.*c.* 646.*d.* 1241.*f.* 1829.*g.* Vitiis indulgere, leve ducunt; veſtem abjicere, abominandum. 1194.*c.* Eorum perverſa malitia, 594.*c.* 530,&c. 752.*a.* 1293,&c. 1252,&c. 1415.1529.*a.* ambitio. 1491.*a.* Religionis & Religioſorum vocabulum ſibi ſolis arrogant. 1253.*f.* Quomodo ſe gerant erga Principes, Epiſcopos & Pontificem ipſum. 958. 973.*c.* 974.*c.* 1128.*b.* 1151.*c.* 1181.*d.* 1215.*c.* Monachi Hiſpanienſes, ipſi Cæſari formidabiles. 864. In Principum capita monachi tyrannidem moliuntur. 1108.*f.* 1119.*a.* Eos πτωχοτυράννους vocat Eraſmus. 800.*a.* 887.*c.* 973. 1027. 1362. Quam obedientiam Pontifici præſtent. 1293.*d.* 1295.*d.* Debent Epiſcopis ſubjici.1190.*f.* Quomodo eos in ordinem redigi velit Eraſmus. 1190.*c.* Quibus terriculamentis populo imponant.1187.*c.* 1733.*a.* Quibus modis adoleſcentes in naſſam ſuam illiciant. 1183.*b.* Monachorum hæreſis quæ: 768.*a.* Eorum inſcitia. 344,&c. 532.597,&c. 601,&c. 658.*b.* 839.*f.* 843.*d.* 864.*b.* 1069.1072.1193,&c. 1252,&c. Præpoſtera ipſorum judicia. 1071.*f.* Nimium tribuunt theologiæ ſcholaſticæ. 919, 920. Bonas literas pejus oderunt quàm hæreſin aut magiam. 878.*b.* 1013.*d.* 1080.*d.* 1081.*d.* 1092.*c.* 1100, 1101.*f.* 1164.*a.* Monachus quò indoctior & ſtupidior, eò pluris inter ſuos habetur. 1361.*g.* Ciceronis & Senecæ temporibus coqui & apicii eloquentiores fuerunt quàm nunc ſunt monachi. 935. Miro applauſu excipiunt *Epiſtolas obſcurorum virorum.* 1195.*f.* Eraſmus eos vocat Ventres, 864.*c,e,f.* 973.*d.* 1013.*g.* 1072.*c.* 1351.*c.* γαστρόδουλας, 975. 1075.*c.* Carcinos, Planodorpios, Picas, Graculos, Upupas, &c. 1264.*b.* Dolet talibus belluis, velut Atlantibus, fulciri eccleſiam. 1041.*d.* 1042.*a.* 1883.*f.* V. *Carmelitæ*, *Dominicani*, *Franciſcani*,

Mendicantes.

Ex illis orituram eccleſiæ perniciem, olim prædictum. 974. g. Suum agunt negotium, non Chriſti. 2040. b. 1158. b. Quantillum apud eos valeant Scripturæ. 1071. c. Cur eas paucis notas velint. 1070. d. Philiſtæis comparantur, qui fontes Abraham & Iſaac terrâ oppleruntur. 1238. Cur confeſſionem tantopere urgeant. 1186. b. Cur tantopere ament Purgatorium. 1046. e. Eraſmus eos magis metuiſſe videtur quàm Lutheranos. 1011. c. 1030. g. 1111. a. 1132. c. 1189. g. 1906. f. Incendium Lutheranum iis imputat. 887. 891. c. 975. d. 1017. b. 1164. d. 1905. d. 2045. d. Dicit eos nimiùm ſuum tetendiſſe funiculum; 891. d. & Lutheranum malum exagitaſſe. 941. d. 1040. c. 1114. c. 1116.

Monachi duo Bruxellæ exuſti. 1076. 1278. Monachis ſolenne eſt, poſt extinctum hominem ſpargere rumores quòd in incendio cecinerit palinodiam. 1278. c. Adoleſcentes vivos defodiunt. 1294. c. Florentium quendam ad monaſticam vitam invitum protrudunt. 1284, &c. Reuchlino exitium moliuntur. 1914, &c. Eorum monaſteria nihil differunt à publicis lupanaribus. 1189. f. Eraſmus inſtare tempus credit quo minus illis futurum eſt licentiæ. 976. e.

Monachi & Monachæ jubentur ponere ſacram veſtem. 846. b. 852. c. Caſeorum & ovorum colligendorum jus iis ab Hermanno Comite à *Nova aquila* ademtum. 841. 958. Eraſmi ſcripta nonnullos ab inſtituto monaſtico deterrebant. 733. a. Is ut Lutheranus traducitur, quòd Monachos emendare ſtudeat. 993. f. Monachi quidem uxores ducunt, & deſerunt monaſteria. 983. c. 984. b, d. 1032. g. Monachi multis in locis in ordinem coguntur. 1928. d.

Monachum quendam obnixè hortatur Eraſmus nè monaſticam vitam deſerat. 984.

Monarcharum iniquæ exactiones damnantur. 1092. d.

An debeat eſſe unus totius orbis Monarcha. 839. 1691, 1692. V. *Princeps.*

Monarchia quomodo ariſtocratiæ præferenda. 840. b.

De Monarchia Cæſaris ſtolidè diſputat Pantalabus. 839.

Monaſteria, ergaſtola inſtinctu Satanæ indicta. 1361. d. In Gallia quidam de vita periclitatur, quòd dixiſſet pecuniam rectiùs impendi in ſubſidium orphanorum, &c. quàm in ſtructuram Monaſterii. 1031. a. 1190. a.

Chryſoſtomi ætate Epiſcoporum ædes *Monaſteria* dicebantur. 1593.

In Monaſteriis quorùm, ante inventas ſcholas, olim docebantur ſacræ literæ. *ibid.*

Monaſterium aliis paradiſus, aliis piſtrinum. 1663. f.

Monaſteria quædam diripiuntur; 902. c, g. 906. e. quædam incenduntur; 956. quædam in parochias vel in pædagogia vertuntur: 1928. f. Quod populari tumultu fieri, non probat Eraſmus. 1929. a.

Monaſteriorum reditibus non ſunt alendi ſatrapæ. 1487. g.

Monaſticæ profeſſiones, ſimulacra tantùm profeſſionis in Baptiſmo. 1856. f.

de Monaſtica vita. 520. g. 595. a. 692. f. 732. 2289, 2290. Ejus origo: 404. f. 731. b. 1242, 1243. laus. 984. An pubertas reddat idoneos ad eam ſuſcipiendam. 1295. b. Adoleſcentes non ſunt ad eam pelliciendi. 665. a. 733. a. 764. a. 775. b. 1182. c. 1242. c. 1283, &c. 1731. g. 1736. d. Ejus moleſtias pati, genus martyrii eſt. 1361. c. Eam deſerere non prorſus vetat Eraſmus. 1062. f.

Monaſtica vota. V. *Vota.*

Monomachias abolet Telemachus monachus. 1803. a.

Monopolia damnantur. 1861. g.

Montanus hæreticus. 1613. f.

Montjoyus. V. *Gulielmus.*

Monumentum, ùnde dictum. 1451. c.

Morbi plerique ab animo proficiſcuntur. 141. c. Trecenta eorum genera numeravit antiquitas. 1788. c. Multi morbi vincunt virgas, ungulas, ſecures & cruces. 1208. b. Morbi æquo animo ferendi. 1211. e. Ad morbos depellendos qualibus remediis utendum, & quomodo. 2061. e.

Morbi animi plures & graviores quàm corporis. 1788, &c. Inter corporis morbos quis maximus: 1789. f. inter animi, quis. 1790. e.

Motiones in quem uſum nutriant Principes. 2005. c. 2008. c.

Mori ſolum, an ſit miſerum. 1207. e.

Mors feliciſſima quæ. 1208. f.

Mors ſubita, piis & impiis communis; 1206. d. Felicior lentâ ægrotatione; 1207. Optanda potiùs quàm formidanda; 1206, &c. Superſtitioſa quædam adverſus eam remedia. 1206. d. Exempla quorundam qui ſubitâ morte perierunt. 1207.

Mortem nonnunquam parit ſubita & vehemens affectuum mutatio. 1208. a.

Martyris morte nihil lætius. 1108. b.

Mors Alberti Pii Carpenſis, 1352. Aldi, 1210. Alphonſi Valdeſii, 1519. 1523. Ambroſii Leonis Nolani, 779. Andreæ Ammonii Lucenſis, 132. 189. 198. 386. 1210. Angeli Politiani, 1209. Antonii Clavæ, 1362. Antonii Sucqueti, 1261. Baptiſtæ Caſalii, 906. 1929. Bilibaldi Pirkheymeri, 1445. Chriſtophori Longolii, 906. 1047. a. 1094. 1106, 1107. 1121. 1211. 1259. 1413. 1929. Chriſtophori Schidlovicii, 1498. 1519. 1521. 1557. Cœlii Rhodigini, 1019. Dorpii, 1109. Dureri, 1933. a. Fauſti, 132. 189. Franciſci Archiep. Toletani, 192. Franciſci Delfi, 1957. Franciſci Deloini, 906, 907. 939. 1926. 2070. Franciſci Molinii, 1109. Frederici Ducis Saxoniæ, 780. Guilielmi Croyi Card. Toletani, 682. 686. Guilielmi Grocini, 1210. Guilielmi Montjoyi, 1761. Guilielmi Neſeni, 816. Guilielmi Warami Archiep. Cantuarienſis, 1498. 1510, 1511. 1519. 1521. 1761. 1948. c. Henrici à Bergis Epiſc. Cameracenſis, 574. f. Hermolai Barbari, 1209. Hieronymi Buſlidiani, 176. 198. 202. Hieronymi Donati, 1210. Hieronymi Emſeri, 874. 875. Hieronymi Verveſii, 1490, &c. Jacobi Bartii, 1998. d. Jacobi Hoochſtrati, 829. Jacobi Wimphelingi, 1260. Joannis Atenſis, 939. Joannis Boczemi, 1957. Joannis Capnionis ſeu Reuchlini, 1210. Joannis Coleti, 614, 615. 626. 705. b. 1210. Joannis Fabri, 1430. Joannis Frobenii, 895. 897. 900. 1177. 1258. 1301. 1581. 2075. f. Joannis Mori, 1509. Joannis Nævi, 1205. Joannis Oecolampadii, 1942. c. Joannis Epiſc. Roffenſis, 1538. 1543. 1761. e. Joannis Sixtini Phryſii, 1270. Joannis Sylvagii Burgundiæ Cancellarii, 529. b. Joannis Turzonis Epiſc. Vratiſlavienſis, 749. Lachneri, 189. Laurentii Vallæ, 1209. Lentuceni, 1019. Marci Muſuri, 130. 189. 1209. Martini Davidis, 1957. Martini Dorpii, 829. 905, 906. 956. 1929. Maximiliani Imp. 245. a. Mercurii Gattinarii. 1393. 1442. Michaelis Arantii, 1109. Michaelis Bentini. 870. Nicolai Egmondani. 829. 962. 1032. Palæoti Camilli, 130. 189. Paludani, 1091. Papilionis, 907. 1108. Petri Ægidii, 1957. Petri Epiſc. Cracovienſis, 1532. 1565. Petri Marti, 1210. Petri Moſellani, 993. 1077. 1965. a. Petri Phædri, 1210. Philippi Beroaldi, 1209. Pici Mirandulani Comitis, 1209. 1950. f. Raphaelis Regii, 1209. Scipionis Carteromachi, 1209. Stunicæ, 1950. d. Thomæ Linacri, 801. 906. 962. 1929. Thomæ Mori, 1538. 1543. 1761. e. Udalrici Taſii, 1565. g. Viandali, 1957. Vincentii, 829. 962. 1032. Ulrici Hutteni, 2080. 1904. e. Ulrici Zuinglii. 1942. c.

Mortui non ſunt amiſſi, ſed dimiſſi, vel præmiſſi. 1490. f.

Exempla quorundam virorum celebrium qui ante ſenectutem mortui ſunt. 1209, &c.

MORUS. V. *Joannes,* & *Thomas.*

MOSIS faciem *cornutam* an rectè dixerit Hieronymus. 1459. b.

Mumpſimus pro *ſumpſimus* cùm ſacrificulus viginti annos uſurpaſſet, admonitus mutare noluit. 109. d.

Mundum non fuiſſe à ſummo Deo conditum, Simon magus ejúſque diſcipuli aſſerunt. 1612. c.

Munera debent eſſe apta iis quibus offeruntur. 1838. g.

de Munuſculis recipiendis. 1298. d. Munuſcula exigua non rarò delectant ſummos viros. 1725. a. 1746. a. 1755. g.

Muſica Divina. 1655. d. Muſicæ humanæ miracula. 1655. Muſica mundana. 1656. a. De Muſica templorum

judicium

judicium Eraſmi. 1792. *e*. 2112. *e*. Primitiva Eccleſia nullam ſpeciem Muſices recipiebat. 2064. *b*.
Mutare locum licet. 192.

N

NÆvius. V. *Joannes*.
Naſus dicitur, quaſi νῶος. 1451.
Natalis Bedda tumultum in Gallia molitur. 864. 870. 873. 877. 886. 892. 896. 900. 1047, &c. Luthero, Eraſmo & Fabro in actu publico convitiatur. 1051. Scribit adverſus Fabrum. 877. 1108. 1113. Liber ejus edicto Regio ſupprimitur. 877. 892. 962. 974. *d*. 1281. *b*. Rogat eum Eraſmus, ut admoneret ſi quid cum in N. T. editione offenderet. 939. Loci in quibus Eraſmus illi viſus eſt periculoſiùs ſcripſiſſe. 922. *b*. Paraphraſes ejus calumniatur. 877. 887. *c*. 1108. 1113. 1150, &c. 1188. *Articulifer* vocatur. 1155. *d*. Monet Eraſmum ut ſcribere deſinat. 921. *e*. Eum agnoſcit συμπρεσβύτερον, συνδιάλογον non agnoſcit. 909. *b*. Cum eo expoſtulat Eraſmus, 897. 908, &c. & eum ad reſipiſcentiam hortatur: 898. *a*. Monet Collegium Pariſienſe, ut Beddæ & Sutoris furores cohibeant. 888, 889. 893. 1113. 1150, &c. Lutheri incendium Beddaicis intemperiis imputat. 887. 1114. Bedda ad ignem penè quendam adigit, quòd quædam Eraſmica Gallicè verterat: 829. 832. 873. *a*. 974. 1108. *g*. qui poſtea à Rege liberatus Beddam aliόſque reos peragit. 974. *e*. 1280. *e*. Bedda Eraſmum taxat quòd Henricum VIII. vocarat Franciæ Regem. 1309. Intemperantiam Sutoris cohibere conatur. 1089. Lectionem Poetarum damnat. 918. *g*. *Emendam* facit. 1541. *g*.
NAZIANZENUS. V. *Gregorius*.
Nebriſſenſis. V. *Antonius*.
Negotiatores vix inter honeſtos cives recipit Cicero. 1588. *a*.
Nemo, libelli ludicri nomen, ab Hutteno ſcripti, Eraſmo aſcripti. 543. 575.
Neocomus. V. *Vulturius*.
Nicolaitæ volunt uxores eſſe communes. 677. 767.
Nicolaus, hæreticus. 1612. *f*.
Nicolai Beraldi encomium. 56. *b*. 1683. *a*.
Nicolaus Egmondanus. 1079. Convitiatur Eraſmo. 723, &c. 735. 915. 947. 1003. Scribit adverſus eum linguâ Hollandicâ. 1068. Precatur ut Eraſmus convertatur. 605. 688. 692. 735. *b*. Novum T. ab eo recognitum publicè damnat. 719. 735. Ei ſilentium imponitur. 988. *b*. 1011. *c*. 1068. *a*. 1079. *g*. Narratio concertatiunculæ quæ Eraſmo erat cum iſto apud Rectorem Acad. Lovanienſis. 690. *c*. 721. *g*. Stolidè & ridiculè citat locum Joannis. 1069. Autoritate à Pont. armatus indignè tractat nonnullos. 1059. Rem infeliciter gerit Lovanii. 1067. Vomitu præfocatur, ſtatim poſtquam in Nævium paralyſi abreptum vociferatus eſſet. 329.
Nicolaus Epiſcopius. 1309.
Nicolaus Herbornus. 1560. Eraſmum perſtringit. 1951. *c*.
Nobilis, numiſmatis ſpecies. 107. *b*. 118. *d*. 397. *c*, 413. *f*. 417. *d*, *g*. 519. *a*.
Nobilitas triplex. 1704. *a*. Sine virtute ſordet. 926. *b*. 1703, 1704. Vera quæ. 1504. *f*. 1703, 1704.
à Nominibus an ſemper abſtinere debeant qui vitia redarguunt. 732.
Norenbergæ primus Regis conventus celebrari ſolet. 542. *c*. Succenſet Eobanus Eraſmo, quòd Norenberg. Remp. & diſciplinarum ibi profeſſores traducere viſus fuerit. 1407, &c.
Notariorum aviditas notatur. 1297. *f*. Quidam eorum erant ταχυγράφοι, quidam καλλιγράφοι. 1624. Illorum mira celeritas. 1624. *e*.
Novæ Aquilæ Comes laudatur. 324. *g*. Hoochſtrati contumeliis lacitus eum ad palinodiam adigit. 841. 958.
Novum Teſt. Græcè ſimul & Latinè Eraſmus primus omnium edidit. 68. *f*. Reſpondet quibuſdam qui opus illud damnabant, utpote ſine Concilii autoritate ſuſceptum. 108, &c. 719, &c. V. *Interpres*, & *Interpretatio*.
Solœciſmi in prima N. Teſt. tranſlatione cui aſcribendi. 1651. *a*.
Novum Teſtamentum etiam ab idiotis legi, gaudet Eraſmus. 1804. *d*.

O

O Articulus grande myſterium continet. 1848. *c*.
Obediendum magiſtratibus, modò quæ præcipiunt calamitoſum faciant non impium. 1244. *d*.
Oblivionem nonnullis rebus inducit nimia celebritas. 1652. *c*.
Obſcœni autores, non ſecùs ac peſtis, fugiendi. 464. *d*.
Obſcœnitatem ſemper vitavit Eraſmus. 544. *g*.
Obſcurorum virorum Epiſtolæ magno applauſu à monachis excipiuntur. 1195. *f*.
Obſequium amicos, veritas odium parit. 384.
Obſervantes. V. *Franciſcani*.
Obſoletæ quorundam voces notantur. 1885. *f*.
Obtrectatio, quantum flagitium. 730, &c. 747. 897. 987. *d*. 1061. *d*. 1183. *c*.
Obtrectatores qui non caſtigat, irritat. 1018. *g*. Quomodo erga eos nos gerere oporteat. 1019. *a*. Si quis iis reſpondeat, magis ferociunt; ſi negligantur, conquieſcunt. 957. *d*.
Oculi ſubcæſii Britannis ſunt amabiles, ingenium arguunt feliciſſimum, & minùs infeſtantur vitiis. 534. *d*.
Oculis quæ proſint, quæ obſint. 834. *f*.
Multi ingenio præcellentes oculorum vitio laborarunt. *ibid*.
Odio, *odis*, *odire*, malè. 1885. *e*.
Oecolampadius. V. *Joannes*.
Offendiculum quatenus vitandum. 1827. *g*. 2023. *e*. 2037. *c*.
Operum fiduciam, religionis maximam peſtem vocat Eraſmus. 1231. *d*.
Opes contemnere, quid. 557. *b*. V. *Divitiæ*.
Ophitæ, hæretici. 767. 1612.
ex Opinione aliorum neminem metiri decet. 384.
Opiniones bellorum, an rectè à Vet. interprete dicatur. 1881. *e*.
Orare pro defunctis, pium arbitratur Eraſmus. 1046. *e*. 1188. *a*.
Oratio dici, quaſi *oris ratio*, frigidum. 1451. *e*.
Orationis virtutes tres. 163. *b*. De orationis virtutibus judicium Eraſmi, 31. 46. 477. *f*. Budæi. 35, &c. Id genus orationis potiſſimùm nobiſmetipſis proponere debemus, ad quod nos potiſſimùm natura compoſuit. 462. *d*. Orationis impuræ quæ cauſæ. 611. *c*. Orationis politiem quædam argumenta non recipiunt. 1555. *c*. Ad eam expoliendam plurimum conducit quotidiana lectio, 200. *c*. & præcepta. 611. *b*. In oratione teſtimonia citra neceſſitatem non ſunt incolcanda. 574. *c*. Orationis modus non is qui dicit, ſed is qui audit. 1776. *d*.
de Oratoribus Græcis Eraſmi cenſura. 1627. *c*.
Ordo neutiquam turbandus. 2022. *g*. 2034. *c*. Multùm refert quo ordine quid agatur. 1721. *g*.
Ordo univerſus non eſt deteſtandus ob paucorum improbitatem. 1178. *f*.
Organorum & vocum ſtrepitus, ad erudiendum populum inidoneus. 1792. *c*.
Oriculariun ſacrum, Budæo quid. 56. *g*.
ORIGENES. De ejus nomine & cognomine. 1619. De patre ejus, déque ejus indole, & martyrii deſiderio. 1620. Grammaticam profitetur Alexandriæ. 1621. *a*. Catalogus diſcipulorum ejus. 1621. *d*. 1624. *a*. Catechiſtæ munus ei deſignatur. 1622. *a*. quod priùs furtim & clàm geſſerat. 1621. *d*. Profanos libros vendit. 1622. *c*. An fuerit αὐτόχειρ ἐκτομῆς. 1624. *g*. Fit presbyter. 1622. *e*. Demetrius ei caſtrationem objicit pro crimine. 1622. *g*. 1623. πολυγράφος fuit. 1625. Queritur quòd Ambroſius, ejus ἐργοδιώκτης, eum nimiùm urgeret. 1624. *d*. Ejus libri damnantur ab Epiphanio, Theophilo, aliiſque. 1599, &c. Ejus operum diſtinctio. 1625. *e*. 1872. *b*. Ejus *Exapla* & *Tetrapla*, quid; & cur ità dicantur. 1626. Ejus fragmentum in *Matthæum*, malâ fide à Ruffino verſum, 1872. *d*. interpretatur Eraſmus. 798. 1872. Nonnunquam vim facit Scripturis. 767. Laudatur à Joanne Vitrario. 698. Origenis unicam paginam præfert Eraſmus decem Auguſtini. 139. *g*. Ejus mors. 1624. *g*.
de Orthographia quædam. 778. *b*.
Oſanna. In ea voce inſigniter lapſus eſt Hilarius. 1644.

Oſculandi mos apud Britannos.315.*f*.
Oſorius. V. *Jacobus*.
Oſſa, eadem Homero Dea quæ Maroni *Fama*.209.*a*.
Oſſum, pro *os*, vulgo olim uſurpatum.1651.
Ovidius parùm amanter à Seneca attingitur. 1670. *e*. Quodnam ex ejus ſcriptis ſit elaboratiſſimum.1633, *e*. Ejus *Nux* laudatur. 1743.
Oxoniæ Collegium trilingue à Ricardo Wintonienſi fundatur.281.
Oxonienſes initio bonis literis adverſari ſunt. 755.

P

PAcis laus.90. 355,356. 1108.*b*. Tria in eo requiruntur qui pacem inter Principes conciliaturus eſt. 1143.*e*.
Palladius à Socrate hiſtorico diſſentit. 1593.
Panegyricis Principes laudare an liceat. 1779, *&c*. 1783.*d*.
Pantalabus.839.*&c*.
Papa. V. *Pontifex Rom*.
Parabolæ pro tempore adhibitæ ſunt. 1070.*f*. Earum maximus uſus.1726.*f*.2005.*d*.
Παρηκολουθηκότι, Luc.1.3. quid.19.*d*.23.*e*.
Paradiſus. V. *Adam*.
Paraphraſis quid; & quomodo differat à Metaphraſi. 954.*a*.
Paraphraſten Evangeliis vix admittunt; & quare. 1795.
ὑπὲρ τὴν ἄνοδον, quidam interpretatus eſt; *apud Heſiodum*.130.*d*.
Parentes pieriq; non meminerunt quare filii dicti ſint *Liberi*.1566.*d*. V. *Educatio*, & *Patres*.
Parere. Satius eſt ter Martis aleam experiri quàm ſemel parere.1796.*g*.
Pariſienſes, ſpretâ pſeudotheologiâ, veram ac ſolidam Theologiam amplectuntur. 753.*a*. 1090. Ludovicum Vivem humaniſſimè excipiunt.753. Eraſmum ejúſque ſcripta admirantur.753.V.*Sorbona*.
Pariſienſis Academia in re Theologica principem ſemper locum tenuit.652.751.*a*. Quid in ea emendandum velit Eraſmus.1120.*g*. Franciſcus Rex collegium bilingue ibi inſtituit.1462.
Pariſiis ſævitur in Proteſtantes. 1538.*a*. 1541.*e*.
Parochis potiùs quàm Epiſcopis tradi convenit jus relaxandi jejunia. 2029.*g*.
Paſcha, *paſtha*, Hilario.1646.*e*.
Paſchaſius Carmelita in bonas literas debacchatur.1123.
Paſtoris officium.737. V.*Sacerdotes*.
Pater noſter.V. *Eraſmus*.
Vocis *Pater* inepta etymologia.1450.*g*.
Pater patriæ, titulus magnificentiſſimus.1143.*f*.
An Deus PATER commodè dicatur *autor* Filii.1198. 1354.*f*. 1737.*b*. Eum ſolum innaſcibilem eſſe, aſſerit Hilarius. 1640.*f*.
Patres quomodo liberos educare debeant. 1500, 1501. 1566.*e*. 1699.
PATRES parciſſimè de rebus Divinis philoſophabantur. 1633.*f*.1639. Quid eos perpulerit ad curioſas & arduas diſputationes.1633.*g*. Nunquã magis declararunt quid ingenio doctrinâque valuerint, quàm in conflictibus adverſùs hæreticos. 1159.*a*. 1161.*b*. Quibus calumniis reſpondere ſolebant, quibus non.1547.*b*. Nonnunquam Evangelici vigoris ſtudio plus exigunt quàm oportet. 740. 767.*b*. 887.*f*. In quibuſdam eorum quædam reprehenduntur. 1871.*f*. Alicubi labuntur in impium dogma.889.*a*. 1508.*c*. 1631.*e*. Eorum notari errata, maximè expedit.1453.*e*. Eorum ſcripta depravare vel immutare, temerarium & impium.1631,1632. Quantum in eos ſibi permiſerint eruditi. *ibid*. 1871.*b*.1874.*f*. 1876.*g*. Singuli penè diverſâ Bibliorum tranſlatione utebantur. 1646.*e*. De eorum nominibus. 1571. *d*. 1585.*b*. 1610.*e*. 1619.*d*. 1626.*g*. 1627.*f*. 1628.*d*. 1870.*a*. Eorum variæ dotes notantur.1571.*e*. 1584. *g*. 1590. 1598. *a*. 1627.*f*. 1734.*g*. Græci Latinis præferendi. 137.*a*. Quantum eorum induſtriæ debeamus.1647.*f*.
in Patriam utcunque meritam non fas eſt ferrum ſtringere. 1356.*f*.
Patroni Eraſmi qui fuerint.V. *Eraſmus*.
PAULUS quantâ lenitate & prudentiâ uſus fuerit.763.
Quomodo in omnia ſe verterit; quò homines transfiguraret in Chriſtum. 1832.*b*. 2023.*f*. 2037.*e*. Quomodo exercuerit autoritatem Apoſtolicam. 1826.*&c*. Quàm ſtrenuè ſe geſſerit adverſùs Philoſophos, Judæos, hæreticos, & pſeudapoſtolos. 1829,1830. Quibus armis & copiis orbem terrarum Chriſto ſubegerit.1828.*e*. Quomodo uſus fuerit Chriſtianâ libertate.2023.*f*. Quid tribuerit vitando ſcandalo.2037.*e*. Quanta fuerit ejus ſolicitudo erga diſcipulos. 1868.*e*. De diſſenſione quæ fuiſſe fertur inter eum & Petrum, opinio Hieronymi, Auguſtini, Chryſoſtomi, & Sorbonicorum Theologorum; 1868,1869. Eraſmi.2114.
Non omnes quæ ei tribuuntur Epiſtolæ, illius eſſe citra controverſiam dicendæ ſunt. 778.*b*. Ejus ad Corinthios Epiſtolarum ſumma. 1825, *&c*. Quædam ab eo dicta, ſi nudè ſumantur, videntur impia.893. 1154.*a*. Quædam ex ejus præceptis nunc ſunt abrogata. 1827.*d*. Optat Eraſmus, ut Paulus copioſiùs & explanatiùs tradidiſſet de ritibus Eccleſiaſticis, 1815.*g* de Euchariſtia, 1826.*a*. de Reſurrectione, & ſtatu animarum poſt ſeparationem.1830.*e*.
Quantum maxima pars ſacerdotum à Pauli praxi & moribus diſſentiant.1831.
D. Pauli Decanatus, dignitas apud Britannos ejus nominis prima. 703.*c*.
Paulus Bombaſius ſuadet Eraſmum ut adverſùs Lutherum ſcribat.756.
Pauli Æmylii hiſtoria Galliarum, opus plus viginti annis elaboratum. 61.*a*.
Pauli Volſi Curienſis abbatis encomium.81.*a*.
Paupertes cur fuerint Apoſtoli.556.*e*.
Paupertas, ingens impedimentum.550.*e*. Nonnulli ſancti de ea gloriati ſunt.2050. *a*.
Pax in Apoſtolicis literis quid.1097.
Peccatorum confeſſio. V. *Confeſſio*.
à Peccato immunis fuerit B. Virgo. 601. 730. 1194.*g*. 1642.*a*.
Lutheri dogma, Quicquid agimus eſſe peccatum, Eraſmo non probatur.728.*a*.
Peccatum in Spiritum S. Eraſmo impingit inſulſus monachus. 345.*b*.1193.*d*.
Pecuniæ, tam ſtudiorum quàm belli nervi.1323.*e*. Earum valor, nihil niſi publica Principum æſtimatio. 390.*d*.
Pelagianorum (inquit Eraſmus) hodie licet veſtigia deprehendere.768.
Pelargus.1946.
Pellicanus. V. *Conradus*.
Pelluvia ſuperſtitioſè in Africa obſervari.1829.*e*.
Penia, æmula & comes Philologiæ. 26.*d*.150.*d*.
Peregrinatio non ſemper vitio danda eſt. 192.*a*. Vera ſapientia citiùs ex philoſophia, coſmographia & hiſtoriis paratur quàm ex peregrinatione.1130.*f*.
Peregrinationes ad D. Jacob., Hieroſolymam, &c. non valde probat Eraſmus. 764. 1240.*f*. 1729, 1730. 1733.*d*. Peregrinatio ad Hieroſolymam quàm infeliciter cuidam ceſſerit. 1729.*g*.
Pericles tonat & fulgurat, ſed ſine arte.1627.
Pericula non ſunt accerſenda.1130.*g*.
Peripatetici Stoicis præferuntur, eò quòd ad popularem captum ſeſe magis demittant.555. Uteri de felicitate rectiùs ſenſerint. 549.552.555.
Perkheymerus laudatur. 1912.*c*. 1916.*d*. Scribit de Euchariſtia. 1931.*b*. Euchariſtia. 1931.*b*.1932.*a*. Prolemæum edit. 1929.*c*. 1931.*d*. De ejus verſione Nazianzeni 1446.V.*Bilibaldus*.
Permittere & *Concedere* quomodo differant.741.
Perſonis Trinitatis quas proprietates aſſignet Hilarius. 1645.*g*. V. *Hæreſis*.
Pertinacia, hominum ingeniis inſita.1641.*g*.
Pervicacia damnatur.1635.*b*.
Peſtem non formidare, non ſtrenui hominis eſt, ſed ſtupitis.321.*e*. Ad eam vitandam quæ facienda.377.*e*. 1140. Ejus indicia. 327.*g*. Ab ea tuti ſenes, judicio Plinii. 1790.*d*. Cur ea frequenter vexetur Britannia, cauſas aſſignat Eraſmus.1140.
PETRUS, etiam poſt acceptum Spiritum S. alicubi lapſus. 135.*e*. 1869. De ejus ſimulatione *Gal*. *ii*. Patrum quorundam & aliorum judicium. 1868, 1869. 2114. Eum *Principem Apoſtolorum* vocat Eraſmus.1001.

Poſteriorem Epiſtolam *γνησίαν* Petri eſſe probatur. 1839.*e.* loca difficilis in ejus Epiſtolis. 1839.*e.*
1 Petr. IV. 7. [illegible] quid ſignificet. 345. 1193.
2 Petr. III. 16. locus de depravatione Paulinarum Epiſtolarum exponitur. 1092.*a.*
S. Petri milium ordo à Leone inſtitutus, ab Adriano VI. ſublatus. 1361.
Petrum Ægidium monet Eraſmus, ut abſtineat ab animi perturbatione & intempeſtivo coitu, 398.*e.* & à nimio dolore, 401.*a, f.* & ab ineptiis adoleſcentiæ: 1129.*e.* nè patrem vitâ defunctum immodicè lugeat. 761. De patris ejus vita, moribus, conjugibus, liberis, obitu. 761.
Petrus Alcyonius multa è Græco in Latinum vertit. 531.
Petrus Barbirius Eraſmum penſione fraudat. 1909.
Petri Bembi laus. 1339.
Petrus Carmilianus, ineptus poeta. 417, 418. 435.
Petrus Epiſcopus Cracovienſis monet Eraſmum ut aliquid de ſtudiis & laboribus remittat. 1534.*a* Laudatur. 1531.*e.*
Petrus Faleo, vir novarum artium ſtudioſus. 65.*e.*
Petrus Lombardus notatur. 194.
Petrus Marſus. 1210.
Petrus Moſellanus, Græcæ Linguæ profeſſor in Academ. Lipſienſi, 993, &c. 1077. Laudatur. 343.*d.*
Petrus Phœdrus. 1210.
Petrus Sutor & Bedda in Eraſmum fremunt. 838. 845. 1048, 1049.*b.* 1108. In Eraſmum debacchatur. 2070. V. *Bedda*, & *Eraſmus.*
Petrus Toſſanus commendatur. 1023.
Petri Zutpenii encomium. 568.
Pflug. V. *Julius.*
Phallicus multa in Eraſmum blaterat. 804. Tumultus excitat in Burgundia. 809. V. *Farellus.*
Pharellus. V. *Farellus.*
Philelphus. V. *Franciſcus.*
Philippus Imp. primus Regum Romanorum fit Chriſtianus. 1624.*c.*
Philippus Beroaldus. 1209.
Philippi à Burgundia Epiſc. Ultrajectini encomium. 583.
Philippus Macedo. 1151.
Philippi, Maximiliani F., mortem luget Eraſmus. 1718.
Philippus MELANCHTHON laudatur. 340.*d.* 404. 949.*f.* 2137.*g.* Agnoſcit Eraſmum ſtudiorum ſuorum parentem. 339.*d.* Ejus Paraphraſin ſe [illegible] negat. *ibid.* Fridericus D. Saxoniæ ei legato relinquit mille florenos aureos. 780. Rex Galliæ eum evocat ad colloquium. 1556.*f.* Cur veritus fuerit Tindallus nè Gallia per Melanchthonem recipiat verbum Dei. 1520. Eraſmus eum ad palinodiam hortatur. 953.*a.* Lutherum tuetur, & monet Eraſmum nè doctrinæ ejus propter aliorum ſtultitiam iniquior ſit. 816. Nonnulli Lutherani ab eo diſſentiunt. 950. Dicit ſe eorum pigere. 1949.*f.* Etiam hoſtibus gratus fuit. 1487. In commentariis in Epiſtolam ad Romanos ſtudio dejicit ſtylum. 1555. Aliquando ſcholas publicas damnabat. 2125.*f.* Lutherum Atr., Melanchthonem, Litæ comparat Eraſmus. 2059.*e.* 2131.*d.*
Philologiam conjugem ſuam vocat Budæus. 150.*d.*
Philoſophiæ minor olim quàm linguarum cura. 163.*e.* V. *Linguæ.* Magni autores eam improbarunt. 1630. Non ideo damnanda eſt quòd à philoſophis ferè natæ ſunt omnes hæreſes. 779.*a.* 1614.*g.* V. *Hæreſis.* Ad Scripturarum cognitionem conducit. 1449.*e.*
Moralis Philoſophia præfertur naturali. 1634.*d.*
Philumene, puella Marcionis. 1613.*d.*
Phriſia, feliciſſima ingeniorum parens. 756. 772. 1326. Ubi luxus laudi datur, frugalitas vitio. 751.
Phryxæ meretriculæ factum ridiculum. 1777.*a.*
Picturæ quibus potiſſimùm rebus ſita ſit. 665.*a.* 678.*a.* 1239.*b.*
Pilapiana gens. 1514.
de Piſcium eſu. 948.*b.* 1241.*f.* V. *Ciborum delectus.* Eraſmo fuit inſalubris. 955.*g.* 1055.*g.* 1081.*c.* 2040.*g.* A quibuſdam non augendus. 2981.*d.* 2944.*f.*
Piſculenti dies. 2040.*d.*
Piſo. V. *Jacobus.*
Pituita an ab eo dicatur quòd petat vitam. 1451.*d.*
Pius Princeps Carpenſis laudatur. 1018. Omnem ſolidam doctrinam Eraſmo adimit. 2023. 2043.*g.* Scribit eum autorem eſſe Lutherani tumultûs. 2038. 2040. 2048. E ditione ſua pulſus exulat in Gallia. 1488. Alter libellus adverſus Eraſmum ſub ejus nomine editur. 2097.*d.* Mortuus in veſte Franciſcana effertur. 1353. 1488. 2067. In nomen ejus jocatur Eraſmus. 1353.*a.*
PLATO voluit uxores eſſe promiſcuas. 677. Fucum, diſſimulationem & mendacium quatenus toleraverit. 763. 818.*e.*
de Plauto cenſura Eraſmi. 1879.*f.*
Πλάνης D. Paulo quid. 1573.
in PLINIO reſtituendo qui laborarint. 1682.*f.* Quantum laborarit Eraſmus. 1684.*e.* In eum annotationes ſcribit Gelenius. 1957.*g.* Nullus liber dignior qui Regum manibus teratur. 1683.*e.*
de PLUTARCHO judicium Eraſmi. 1768.*a.* 1771. De ejus Apophthegmatis. 1770, &c. Opus illud quàm fuerit contaminatum. 1771.*d.*
Poculum Gratiarum Eraſmo ab Alberto Card. Moguntino datum. 583.
Pœnitemur, deponentaliter, Arnobio, 1651.*f.* & Vet. Interpreti. 1883.*g.*
Poetarum lectio periculoſa 68.*b.* Cygnis comparantur. 320.*a.* Commendantur. 344.*a.* 734. 1745.*c.* Apologia pro Poetis. 161.*e.* 162.*f.* 164.*b.* 918.*g.* 1978.*g.* Quantum diſtet eorum furor à furore iſtorum qui nihil niſi libellos virulentos gignunt. 344.*a.* Græcorum Poetarum & Oratorum lingua penè diverſa. 1908.*a.* E Poetis olim pueri diſcebant literarum elementa. 1708.*a.* Ex Poetis caſti deligendi. 1697.*b.*
Pogius, impius, indoctus & obſcœnus rabula. 270. 2010. Malè vertit Diodorum Siculum. 1645.
Politianus. V. *Angelus.*
Polonia (olim Sarmatia) laudatur. 1763. 1792.*e.*
Poloni cum Tartaris, Pruſſiis, Turcis, &c. feliciter bella gerunt. 2144. Eorum Rex Sigiſmundus paci inter principes conciliandæ ſtudet. 828.*d.* V. *Sigiſmundus.* Annum novum auſpicantur à Paſchali die. 828.*d.*
Polydorus Vergilius Eraſmo dat quo equum emat. 1093. Ejus opera ex officina Frobeniana prodeunt. 669. 1093. Vertit *Monachum* Chryſoſtomi. 1354. Eraſmus livoris & plagii ab eo accuſatus ſeipſum vindicat: 748. videtur eum tanquam plagiarium notare? 1747.*g.* 1748. monet eum, ut præfationem *Proverbiorum* retexat. 1007.*b.*
Polyphemus, nebulo. 1947.
Poncherius. V. *Stephanus.*
Pontanum quidam præferunt Auguſtino & Hieronymo. 979. Eraſmi de eo cenſura. 1065.*e.*
Pontificis Rom. autoritati debemus, inquit Eraſmus, & quod Evangelio credimus. 557.*f.* Eum primum præconem Evangelii vocat, & Epiſcoporum primum. 586.*f.* Qui ſtultè vel corruptè ei favent, maximè ei officiunt. 652.*b.* Quatenus ei mos gerendus. 634.*a.* 727. V. *Romanus Pontifex.*
Populum citiùs flectit exhortatio paterna quàm tyrannica exactio. 2035, &c.
Eſt & populo ſua quædam autoritas. 2037.*a.*
Quomodo Epiſcopi & paſtores ſe erga populum gerere debeant; 2035, &c. quomodo populus, erga eos. 2034.*d.*
Porrophagus. 1065.*d.*
Poſca Gallica, morborum peſſimus. 1789.*f.*
Poſteritatis potiùs quàm præſentis ſeculi à gloriæ ſtudioſis habenda ratio. 149.*g.*
Poſt triduum reſurrexiſſe Chriſtum qui dicit, non contradicit articulis fidei. 187. 215.
Poſtulatum, nomiſma rarius. 470.*a.*
Pothus hæreticus. 1613.
Præcepta Aulica, 414.*g.* 429.*f.* 1306.*f.* 1569. 1570. à Concionatoribus obſervanda, 332.*c.* de Jejunando, 2042.*f.* de Munuſculis recipiendis, 1298.*d.* à Magnatibus & viris fortunatis obſervanda, 550, &c. Moderationem ſuadentia, 449.*a.* 509.*d.* de curandis Oculis, 834.*f.* ad Pietatem ſpectantia, 883, 1078.*c.* 1243, 1244. 1429.*f.* 1634, &c. 2061.*c.* Rhetorica, 462.*c.* 788.*a.* 979. ad ſalutem conſervandam ſpectantia, 809. 1340. ad Studia, Vitam, Moreſque dirigendos inſtituendóſque pertinentia, 148, 242. 309. 697.*a.* 767.*a.* 781, *c.* 833.*d.* 881, 883. 1012.*e.*

1323.

1323. *d.* 1353. *f.* 1355. *c.* 1699. 1701. 1704. 1721, 1722. 1744. *d.* 1970, 1971. 1975. *d.* 2095. *f.* 2134. *f.* 2143. *d.*
Præcepta debent eſſe pauca, ſed optima. 611. *b.*
Præceptoribus plus debemus quàm parentibus. 1676. *c.* 1699. *g.* 1722. *e.* Eorum officium. 1711. *e.* Qui libri præcipuè ab eis prælegendi. 1697. *b.* In Præceptoribus deligendis ſumma cura adhibenda. 2093. *f.* Quales deligere oporteat. 509. *a.* 1722. *b.* Præceptoribus carere nonnunquam juvat. 147. *c.* 148. *a.*
Prædeſtinatio. Quæſtio de ea, imperveſtigabilis. 1231. *f.*
Præjudicio laborantes minimum fructûs ex librorum lectione reportant. 612. *c.*
Præpoſitorum officium. 1242. *a.*
Precatio Dominica an in ſeptem partes ſit dividenda. 1764. *b.* Eraſmus taxatur eam emendaſſe. 13. *f.* Eam explicat. 1763.
Preces. Nihil conſtat carius quàm quod precibus emitur. 520. *a.*
Presbyterorum officium quale fuerit Chryſoſtomi ætate. 1593. *a.*
Magna olim Presbyterorum dignitas: poſt turbâ eviluerunt. 1622. *e.*
Magis advigilandum nè quis mente mutilus quàm nè quis corpore mutilus Presbyter ordinetur. 1613. *d.* V. *Sacerdotes*, & *Theologi*.
Prieras. V. *Sylveſter*.
Principatus apud Chriſtianos quid. 144. *c.*
Principum officium. 15. *d.* 198. *d.* 335, &c. 550, 551. 1136. 1143, &c. 1148. 1237, 1238. 1420. *d.* 1687, &c. 1798, &c. Multùm refert ut ab optimis præceptoribus formentur. 569. *e.* 1785. Linguarum, rei Medicæ, Matheſeos cognitio à Principibus alienior vocatur. 551. *e.* Quantum utilitatis ex lectione librorum, præcipuè Hiſtoriæ, percipere poſſint. 1687, &c. Apophthegmata illis valde accommoda ſunt. 1770. 1773. *g.* Nullius conſilium debent aſpernari. 199. *c.* Eos oportet cæteros antecellere prudentiâ. 1683. *a.* 1785. Sinceri ac liberi amici rarò illis contingunt. 1765. *c.* Non derogat eorum majeſtati, qui eos officii admonet. 1239. *e.* Quomodo erga eos ſe gerere debeant aulici. 1569, 1570. Quibus potiſſimum vitiis ſint obnoxii. 1239. *d.* In eorum vitia non temerè à Theologo ſæviendum. 332. *d.* 942. *d.* Non ſunt exacerbandi convitiis. 1228. *d.* 1238. *e.* Quædam illorum actiones craſſæ ſunt, non tamen inſectandæ. 1238. *b.* In quem uſum Moriones in aulis nutriant. 2005. *c.* 2008. *e.* Eorum iniquæ exactiones taxantur. 1072. *d.* Principes illi ſplendidiſſimè regnant qui liberis ac felicibus imperant. 572. *d.* Quid faciendum quando regula Chriſtianæ charitatis cum Principum legibus pugnabit. 1237, 1238.
Publicitus intereſt, ut de Principibus etiam non optimis plùs quàm optimè ſentiant ſubditi. 1780. *b.* Eorum autoritati quis detrahere dicatur. 2036. *c.* Cur pauperes & humiles ab iis non ſint contemnendi. 1799. *b.* Populus ab iis pendet, ut inferior mũdus à corporibus cœleſtibus. 355. *b.* Argumenta eos ad benefaciendum ſtimulantia. 550, 551. In quibus ſe maximè oblectare debeant. 1136. *a.* Eorum favore ſtudia revireſcunt. 629. *b.* Quidam eorum literas odio habent. 1745. *f.*
An Principes deceat titulum ſuum bello aſſerere. 143, 144. 1691, *d.* 1692. Optat Eraſmus ut ſua cuique ditionis pomœria præſcribantur. 1692. *b.* Eorum cupiditas proferendi limites culpatur. 1803. *d.* Regiones procul diſſitas recuſare debent. 1146. *b.* 1691, 1692. Paci, non bello, ſtudere debent. 1798, &c. Adverſùs eos qui Principes inſtigant ad bellandum. 1799. *a.* 1803. *d.*
Evangelii doctrina Principibus apprimè neceſſaria. 1816, &c. Mos apud quoſdam eſt, ut Princeps nudatum enſem manu tenens adſtet Evangelicæ lectioni. 1819. *d.* Precum penſum quotidie abſolvere, non ſufficit Principibus ad veram pietatem. 1819. *f.* Gloriam & virtutes Deo transſcribere debent. 1147, &c. 1817. *d.* An iis liceat gladio plectere hæreticos. V. *Hæretici*.
An liceat Principem Panegyrico laudare. 1779, &c. 1783. *d.*
Quibus hieroglyphicis Principis imaginem expreſſerint Ægyptii. 1149.
de Principibus Romanis. 1688, &c. V. *Imperatores*.
Profeſſorum officium. 1706. V. *Grammatica*, & *Litera*.
vocis *Propheta* inepta derivatio. 1580. *b.*
Proſpera quæ dicenda. 883, *g.* 884. *a.*
Proſperitate adverſitas luctuoſior. 884. *b.*
Proverbia primus Latinorum ſcripſit Eraſmus. 1483. *c.* 1747. *e.* Idem argumentum tractat Braſſicanus, 1483. & Polydorus Vergilius. 748, 749. Proverbia aut Apophthegmata ſcribere, facile eſt; Chiliadas & libros, difficile. 1517. *a.* De Proverbiis ſcribendis. 1746, &c. V. *Adagia*.
Nulla natio quæ non aliquo eſt notata proverbio. 967. *f.*
PROVERBIA. Ἀρχεῖν σιωπᾶν, *ubi cathedram conſcenderis*. 1666.
Βατταλὸς ἰσχνός. 1298.
Βαβαὶ χαῖρ' οἰνοχόει. 1816.
Ἐν καρὶ τὸν κίνδυνον. 1726.
Ἐν τῷ πίθῳ τὴν κεραμείαν. 1725. 1741. 2047.
Ἐν φακῷ μύρον. 1849.
Θαλάττῃ ὕδωρ. 1705.
Κέγχρους ἐν λαχάνοις. 1538.
Μεῖζον τοὐπίσαγμα τοῦ ὄνου. 1259.
Οὐκ ἀνὰ Θυρίας. 1847.
Οὔτε πάντα, οὔτε πάντῃ, οὔτε παρὰ πάντων. 1525.
Πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε Βάκχοι. 1491.
Τὸ χελιδόνιον τυπτόμενον *rumpitur*. 888. *c.* 891. 1273. *b.* 1311. *f.*
Abſicere ubi cervi deponunt cornua. 909. *c.*
Amuſſim albam applicare ad album lapidem. 1895. *a.*
Apelles poſt tabulas latitans. 1778. *g.*
Aſinus in apes. 1327. *f.*
Bos clitellas. 1060. *a.* 1074. *f.*
Bovem ad ceroma. 1283. *a.*
Callipiden agere. 1325. 1329.
Cornicis oculi. 1063. *f.*
Dedi malum & accepi. 925. *f.*
E pumice poſtulas aquam. 2047. *c.*
Ex cicada Apollinem. Ex lumbrico monſtrum. Ex muſca elephantem. 1132. *d.*
Ex muſico retiarius. 822. *d.* 1067. *a.*
Fels croceum. 1544. *c.* 1866. *c.*
Formica camelus. 902. *c.* 1535. *c.*
Indormire mandragora. 922 *c.*
Inter ſacrum & ſaxum hærere. 902. *d.* 1288. *d.* 1756. *f.* 1918. *g.* 1951. *e.* 1954. *f.*
Leberide nudior. 1512. *a.* 1520. *a.*
Mali corvi malum ovum. 1063. *f.*
Malo nihil opus eſt præter occaſionem. 1275. *c.*
Mus in picem incidit. 1081. *a.* 1812. *c.*
Mutuum mali ſcabunt. 1125. *g.*
Oleum camino. 1170. *d.*
Præſtat eſſe ſabulum quàm ſuem. 832. *g.*
Pro theſauro carbones. 1094. *c.* 1952. *c.*
Paſſillo auriculis non multis opus eſt pluma. 1382. *d.*
Res redit ad incitas. 1463. *g.* 1947. *d.*
Sub omni lapide ſcorpius dormit. 1474. *a.* 1543. *c.* 1768. *d.* 1875. *d.*
Prudentis muſtra quæ. 1130. *f.*
Pruſſi à Polono ſæpius vincuntur. 1144, 1145.
Pſalmos omnes eſſe Davidis, aſſerit Heſychius. 1349.
Pſalmis Davidicis nihil olim popularius. 1650. *a.*
Eorum excellentia. 1655. *f.*
Quinam in Pſalmos commentarios ſcripſerint. 1344. *c.* 1754. *b.*
Cur monachi & ſacerdotes tanto cum tædio Pſalmos ſonent. 1656. *f.*
Ut Pſalmi cantarentur redacti in rhythmos in ſimul concinentes, Lutheranorum fuit inventum. 2101. *f.* Germanicis rhythmis compoſiti canuntur Baſileæ. 846. *b.* 852. *e.*
Pſeudevangelici. V. *Evangelici*.
Pſeudomonachi. V. *Monachi*.
Pſeudotheologi. V. *Theologi*.
Ptolemæus Geographus laudatur, 1697. Quo tempore floruerit. *ibid.* *f.* Cæteros geographos ſuperat. *ibid.* 1698. *e.* Eum edit Perkheymerus. 1929. *c.* 1932. *d.* Ejus de Gradibus opinio. 1698. *d.*
Ptolemæus hæreticus. 1613. *a.*
Pugna inter heram quandam & famulam. 322. *d.*

Pulcra;

Pulices. 1394. g. Malefica mulier fatetur ſe per dæmonem magnos ſaccos pulicum in Friburgum miſiſſe. 1564. d.
Pucus, aliud veteribus Latinis, aliud Hiſpanis atque Italis hodiernis. 1041. 1197.
Pyghardorum ſecta apud Bohemos unde orta. 674. Eorum opiniones. 675. b. Eraſmi de iiſdem cenſura. 679.
Pythagoras fabarum eſum interdixit. 677.

Q

Quadrageſima. In ea non licet cantare *Alleluja*. 2033. e. In Gallia duo de vita periclitantur, quòd coacti morbo ederent carnes in Quadrageſima. 1031. a. 1187. b. 1190. b. In Quadrageſima carnes publicè venduntur apud Italos. 2033. f.
Quanta & *Tanta* pro *Quot* & *Tot* malè dici. 1882. c.
Quaſi pro *Tanquam* Vet. interpreti, *ibid. f.*
Quia pro *Quòd* à Vet. interprete perperàm uſurpatum. 1881. f.
Quintiliani ſtylus. 1636, 1637.
Quintinus, elegans pictor. 197. 1115.
Quintus Curtius laudatur. 120.

R

RAchia. 2128.
Raphael Regius Marci Muſuri aſſiduus auditor. 1209.
Raphael Volaterranus quàm malâ fide verterit Baſilium M. 1629.
Reddere aut *exprimere*, & *imitari* differunt. 1637. b.
Reformatorum inter ſe diſſenſiones. 774. 890.
Quales Eccleſiæ reformatores deſideraverit Eraſmus. 1161. g.
Reformare Eccleſiam difficilius negotium quàm condere. 1054. h. 1059. e.
Eraſmi judicium de ratione reformandi Eccleſiam. 2487. e. 1962. e. 1093, 2094. 1143, 2144.
Regalis, nummi genus. 438. e.
Religio Monachis idem quod *Monachiſmus*. 1253. f.
Religionis Chriſtianæ ſumma. 680. f. 733. a.
Remedia malis depellendis qualia & quomodo adhibere liceat. 2061. e. &c.
Renunciandi vox ambigua. 1922.
Reprehendi ſatius eſt quàm laudari. 179. e.
Non ſtatim doctior habendus, qui alium reprehendit. 1878. e.
Nemo majore fide reprehendit vitia aliorum quàm qui ejuſdem eſt ordinis. 1069. a.
An liceat vitia liberè reprehendere. 2007. b. V. *Lapſus*.
Reprehenſio jocoſa nonnunquam prodeſt. 2005. b. 2007. e.
Reſumpta quid. 1052. e.
Reſurrectionem corporum perpauci Judæi credebant. 1696. e.
Reſurrectionem ab Eraſmo tolli, ineptè aſſeritur. 598. e. 768. b. 1193. g.
Quomodo Itali in concionibus Reſurrectionem aſſerere conentur. 1830. d.
Optat Eraſmus ut Paulus de Reſurrectione explanatiùs diſſeruiſſet. *ibid. e.*
Reſurrexiſſe Chriſtum *poſt tres dies*, ſynecdochicè intelligendum. 187. 115.
Retractatio quid. 1329. g. 1354. g.
Reuchlinus. V. *Joannes*.
Rex, viva lex. 1148. g. Ejus præcipuæ virtutes quæ. 1148. e. Quomodo eum expreſſerint Ægyptii. 1149. V. *Principes*.
Rhenani laus. 380. 1752. d. Edit annotationes in Plinium. 795.
de Rheno [illegible]. 1220.
Rhetores olim Sophiſtæ vocabantur. 1592.
Rhetorica præcepta. V. *Precepta*.
Rheuma, *rheuma*, Hilario. 1646. e.
Rhodiginus. V. *Calius*.
Rhodus à Turcis occupatur. 1276.
Ricardus Pacæus laudatur. 364. &c. 1020. excuſſerat 614. Scribitur in eum Apologia, *ibid.* V. *Conſtantienſes*. Succedit Coleto in Decanatum D. Pauli. *ibid.*
Ricardus Vintonienſis collegium trilingue Oxoniæ extruit. 281. 369.
Ridicula tractando ſunt ſeria. 1774. c.
Riſus quandoque etiam ſummates viros decet. 615. f. 1775. b. Riſus argutus & liberalis, nequaquam illicitus. 1774. c. 1777. e.
Ritus nec pios faciunt nec impios. 2101. d. Pro temporum ratione mutari poſſunt, idque præter id quod in ſcripturis continetur. *ibid. e.* Ritus hodierni quantum à priſcis differant. 2063, 2064. Optat Eraſmus, ut Paulus aliquantò copioſiùs & explanatiùs de ritibus eccleſiaſticis tradidiſſet. 1816. a. V. *Ceremoniæ*.
Rodulphus Agricola. 861. Ejus laus. 1985.
Roffenſis. V. *Joannes*.
Rogando cogit qui rogat bene meritus. 1757. b.
Rolandus, Caroli M. nepos, ſiti perit. 1357.
Roma paganica cum Chriſtiana confertur. 1823. Qui eam nunc incolunt, non ſunt priſcorum Romanorum poſteri. 967. Præſens ejus majeſtas, longè major quàm Hieronymi temporibus. 1824. Ejus laus. 1141. 1163. 1165. Capitur. 895. 1163. 1165. Eam ex Apocalypſi *Babylonem* appellat Hieronymus. 761.
Romanæ Eccleſiæ principatum tribuit Arnobius. 1653. f. Multitudinem articulorum & definitionum in ea improbat Eraſmus. 680, 681. De ratione conciliandi omnes Rom. Eccleſiæ 680. b, e.
Romanæ ſedis autoritatem Auguſtinus non agnovit. 167. b.
Romanenſes harpyiæ ſacerdotia faciunt litigioſa. 1960. d.
Romani nominis odium unde ortum. 634. b. 680. b.
Romanis cur Græcè ſcripſerit Paulus. 1812. c.
Plurima loca in capite I. epiſt. ad Rom. excutiuntur. 1890, &c.
de Romano Pontifice quid ſenſerit Eraſmus. 586. f. 633. f. 634. e. 652. e. 1230. Unde illi delata ſit autoritas. 664. a. Optat Eraſmus, ut Pont. cum ſuis ſub Chriſto vivant; 871. g. 1418. g. 1477. b. 1657. d. ut Chriſtum imitetur, 1801. e. ut nihil præſcribat niſi quod Chriſto gratum eſt. 1440. c. 1441. f. 1466. g. De ejus monarchiâ ſententia Eraſmi. 1001. b. 1079. b. An rectè vocetur ſummum Eccleſiæ caput. 1456. g. 1458. b. Ejus primatûs aſſertores. 946. b. 1798. et De poteſtate Pontificis Pariſienſes diſſentiunt ab Italis. 1076. Eum unum eſſe potiorem univerſis Eccleſiis & populo Chriſtiano, quidam cenſent. 775. b. Ejus autoritas valere non debet ad opprimendam veritatem & innocentiam. 889. g. Cur eum monuerit Gerſon, ne temerè vibret fulmen anathematis. 1154. d.
Eraſmus taxat nonnullos, qui dignitatem R. Pontificis ità tuentur ut in Chriſtum ſint contumelioſi. 1641. d. Magna de eo querimonia. 853. d. Eum excuſat Eraſmus. 654. b. 678. d. Quibus nominibus à Lutheranis inſigniatur. 1130. c. R. Pont. & univerſus clerus ambitioni & lucro dediti. 672. g. Ejus mos nunc cum hoc nunc cum illo Principe pangendi & repingendi fœdus, bellorum cauſa, judicio Eraſmi. 964. b. 1146. et 1434. d. 1921. a. Optat Eraſmus, ut Pontifex moliatur Eccleſiæ concordiam potiùs quàm privatam vindictam. 1057. a. 1798. e. An ei ſoli jus relaxandi jejunia ſit relinquendum. 2029. f.
Non licet impium Pontif. de ſolio præcipitare. 1230. d.
Nemo magis timet monachos quàm Rom. Pontifex. 975. e. V. *Pontifex*.
Ros, gen. neutro, Arnobio. 1651. f.
Ruffi cujuſdam hiſtoria. 1117.
Ruffinus nihilunquam vertit bonâ fide. 1332.
Ruſticana vita urbanæ anteferttur. 751. a.
Ruterii Epiſcopi Atrebatenſis encomium. 1724.
Rutgerum Reſcium monet Eraſmus nè collegium & profeſſionem deſerat. 971.
Rutuba & Fulvius, inepti pictores. 534.

S

SAbaudi cum Bernatibus diſcordant. 1357. 1398.
Sacerdotia ſacerdotiis accumulandi nullus finis. 1146. c.
Sacerdotum officium. 1237. 2491. V. *Concionatores*; *Miniſtri*; *Theologi*. Eorum conjugium Eraſmus videtur non improbare. 775. b. 779. a. 1061. d. 1241. a. 1026, 2017.

2027. V. *Cœlibatus.* Cum Regibus conferuntur. 2800. c. Chryſoſtomi ſeculo ſoli Epiſcopi *Sacerdotes* vocabantur. 1593. Difficillimum eſt cuiquam verè Sacerdotem agere qui libenter aliud eſt quàm Sacerdos. 1588. b. Quomodo populum inſtituere debeant. 1856. c. Iis præcipuè imputanda eſt populi ignorantia. 1856. b. 1857. e. Decorum ſalario. 1828. b. Eorum quædam vitia notantur. 1730. g. 1831. Eorum luxus & faſtus notatur. 1428. f. 1828. e. 2039. a. Acriter invehitur Eraſmus in eorum ambitionem, adulationem, &c. 1831. & ignorantiam. 1857. f. In illis cætera crimina præter libidinem levia ducuntur. 1241. a. V. *Euchariſtia.*
de Sacramentis quid ſentiat Eraſmus, additur libello Catonis. 946. c. Caro Sacramenti nihil prodeſt, ſi deſit gratia ſpiritualis. 281, &c.
Sacrificare pro defunctis, pium arbitratur Eraſmus. 2046. e.
Sacrificorum officium. 1660. e.
in Sacris nemo ſatis religioſè verſatur niſi qui perpetuò verſatur. 1381. a.
Sadoletus. V. *Jacobus.*
Salute nihil nobis oportet eſſe antiquius. 142. a. 289. a. 394. b. Quæ ad eam tuendam ſpectent; 180. b. 281. d. 394. b. 509. g. quæ ei officiant. 809. c. V. *Præcepta.*
de Sanctorum invocatione. 804. Cur Deus inter Sanctos interdum permittat humanos affectus incidere. 1599. a.
de Sanguinis interdicto, *Actor. xv.* Ambroſii ſententia. 2827. e.
Sapientia militiâ potior. 1504. c.
Satanæ tradi, quid. 1826. f.
Satisfactiones canonicæ unde natæ. 2827. b.
Saturninus hæreticus. 1612.
Scaliger ſcribit adverſus Eraſmum. 1566. 1941. g. 1945. d. 1958. c.
Scandalum. V. *Offendiculum.*
Schiltach, oppidum Germaniæ à dæmone exuſtum. 1525.
Scholarum autoritatem nimis auctam, queritur Eraſmus. 1919. b.
Scholas publicas olim non habuit Eccleſia. 2064. e. Aliquando eas damnabat Melanchthon. 2127. f.
Scholaſtica quædam dogmata damnantur. 1137. e.
Scholaſtica Theologia. V. *Theologia.*
Scholaſtici cur Hieronymo & Ambroſio Auguſtinum prætulerint. 138. a. Convertendis Turcis parùm ſunt idonei. 1234. In eorum curioſas & arduas diſputationes. 1634. V. *Curioſus.*
Scientias & diſciplinas humanas damnabant Lutherani. 2329. e.
Scipio Carteromachus laudatur. 1209.
Scirporum uſus apud Britannos Eraſmo videtur inſalubris. 1140.
Scoti Angliam infeſtant. 1510. 1520.
Scotiſtæ, vix purè Chriſtiani. 708. b. Eos hebetes & ſtupidos cenſet Coletus. 706.
Scottus. V. *Joannes.*
SCOTUS, ut olim Homerus, à diverſis regionibus certatim adoptatus. 378. Ejus diſciplinam & diſcipulos falsè deridet Eraſmus. *ibid.*
Scribit Eraſmus mori ſucco. 464. e.
SCRIPTURÆ laus. 1606. e. 1852, &c. Ejus autoritas non vacillat, (ut Eckius aſſerit, 133. d.) ſicubi memoriâ lapſus Evangeliſta nomen ponat pro nomine. 135. d. Ejus ſtudio non officit lectionis varietas, ſed conducit. 330. b. Nemo ſubmovendus eſt ab ejus lectione. 1069. f. 1850, &c. Cur eam paucis notam eſſe velint monachi. 1070. d. Vertenda eſt in linguas vernaculas. 1855. c. V. *Interpretatio.* Lud. Berquinus Lutetiæ comburitur, quòd ſcripſerit, in rem pietatis eſſe ut Scripturæ in linguam vulgarem verſæ legerentur à populo. 1277. Quomodo legendæ ſint. 1850. f. 1852. e. 1854. Non ideo damnanda eſt Scripturarum exacta cognitio, ſi quidam ſuo vitio eas ſibi vertant in perniciem. 1851. a. 1854. d. Medicinæ comparantur. 2808, &c. Earum utilitas, 1852, f. &c. fœcunditas. 2892. a.
De Scripturis canonicis Auguſtini regula. 166. g. An Græci falſarint eorum libros ubi deſciverant à Rom. Eccleſia. 165. d. Scribæ nimium ſibi permiſerunt in Scripturis. 1248. b. Nihil illis addendum vel detrahendum, etiamſi hæreticis anſam præbeat. 1249. f. Optimum eſt Scripturas eo ſermone legere quo primùm ſcriptæ ſunt. 1849. a. Quam lectionem ſequuti fuerint Græci Patres: 1609. f. Nulla fuit omnibus Patribus communis 1646. c. In Scripturis etiam minutiſſima neutiquam contemnenda. 1847, 2848. An cuiquam liceat inſtituere quicquam præter id quod in Scripturis continetur. 2101. e. 2138. g. Quæ certis Scripturis doceri non poſſunt, ſed ab hominis pendent conjecturis, non ſunt fortiter aſſeveranda. 602. c.
Secundus hæreticus. 1613. e.
Selandia. V. *Zelandia.*
Selecti & apolecti antiquis qui. 59. b.
Selene, Simonis magi ſcortum. 1613.
SENECAM cur tanto ſtudio ſibi vendicarint Chriſtiani. 1666. c. Hieronymus eum recenſet in *Catalogo Sanctorum.* 1666. Non fuiſſe Chriſtianum probatur. 1667. e. Satius eſt eum legi ut Paganum quàm ut Chriſtianum. 1668. a.
Quintiliani de eo judicium. 1668. e. 1669. a. 1670. f. 1671. d. 1672. g. 1673. e. 1674. a. Suetonii, 1669. d. Caligulæ, 1669. c. A. Gellii, *ibid.* Taciti, 1670. a. Eraſmi. 1670, &c.
Ciceroni diſſimilis eſſe ſtuduit. 1668. f. 1673. a. Quàm facili verſatiliq; ingenio fuerit. 1673. f. Alienorum ſcriptorum fuit parùm candidus cenſor. 1669. c. Vitia ita reprehendit, ut doceat magis quàm deteſtetur. 1671. a. Obſcœnus nonnunquam eſt. *ibid.* Jocos nimis affectat, 1671. e. 1673. c. & frigidas argutias. 1671. d. Peccat in petendis affectibus. 1671. e. Aſyndetis utitur, 1669. a. 1672. g. & fictionibus frequentiùs. 1672. Ordo & compoſitio in ejus ſcriptis deſiderantur. 1672. d. Eadem committit frequenter quæ reprehendit in aliis. 1673. b. Perperàm citat autores. 1673. e. Quæ in eo fugienda ſint, quæ ſequenda. 1668, &c.
Quænam ex ejus ſcriptis interciderunt. 1674. *Tragœdiarum* opus an illi adſcribendum. 1673. g. An opus *Epiſtolarum* ſit integrum, dubitatur. 1674. e. Ejus ſcripta prodigioſè depravata fuiſſe; ejuſque rei cauſæ. 1666, &c. V. *Eraſmus.*
Senis cujuſdam invidi deſcriptio. 466. a.
Senſibilia verè non ſunt. 610. e.
Septuaginta Interpretum tranſlatio ab Hieronymo mendacium vocatur. 165. c. Eam aliquot in locis ſequuntur Apoſtoli & Evangeliſtæ. 1455. g. Eraſmus eam Vulgatæ in multis præfert; 1455. f. Hieronymianæ in aliquibus, Eugubinus. 1458, &c. Cyprianus, Hilarius, Auguſtinus, &c. LXX. Divino Spiritu afflatos crediderunt. 1459. a.
Sepulveda in Eraſmum ſcribit. 1950. d.
Sera gratulatio non ſolet reprehendi: Sera conſolatio, frigida. 1490. e.
Seraphici. V. *Franciſtani.*
utrùm *Sermo* an *Verbum* verti debeat *Abyſs.* *Joan.* 1. *cap.* 596. 612.
de Sermone Prophetarum & Apoſtolorum. 136, 161, &c.
Servare, quid. 1254. e. Hieronymo quid. 1196. a. 1254.
Serviendi multiplex ſignificatio. 2892. f.
Servitus pro Dei cultu, an rectè. 1892. e.
SIGISMUNDUS Rex Poloniæ paci inter Principes conciliandæ ſtudet: 838. 899. Ad quod negotium hortatur eum Eraſmus. 1143. Laudatur, 1142. 1764. a. Cum Moſchis bellum gerit, 1534. Ejus pietas, celſitudo animi, clementia & prudentia. 1143, &c.
Sigiſmundus Gelenius ſcribit Annotationes in Plinium. 1957. g.
Silentium, *Eſai. xxx.* 15. quid. 1896. 1897. e.
Simon Grinæus laudatur. 1464. Britanniam viſit. *ibid.*
Simon magus, ejúſque diſcipuli. 1612, 1613.
Siſtinus. V. *Joannes.*
Slapus. V. *Martinus.*
Sobrietatem laudat Eraſmus. 771.
SOCRATES cur à contemplatione rerum naturalium homines ad mores revocarit. 1634. Ejus dictum, *Hoc unum ſcio, quòd nihil ſcio*, abſurdum. 1668. b.

Socrates hiſtoricus à Palladio diſſentit. 1593.
Sodales mali, periculoſi. 317. *d.*
Solœciſmi Arnobii excuſantur. 1649. &c. Non tamen imitandi ſunt his temporibus. 1650. *f.* 1651. *a.*
Solœciſmi qui in ſacris literis reperiuntur, non ad contumeliam Chriſti & Apoſtolorum ſpectant, ſed ad gloriam. 1883. *a.* 1886. *g.* 1888. *f.* Solœciſmi in prima tranſlatione N. T. cui adſcribendi. 1651. *e.* 1889. *a.* Plures in ea tranſlatione ſolœciſmi notantur. 1879, &c.
de Somniis philoſophatur Eraſmus. 300. *b.*
Somnii narratio *ibid. d.*
Sophiſtarum nomen Rhetoribus olim tributum. 1598.
Σωφρονεῖν 1 *Petr.* 4. 7. quid. 345. 1193.
Sorbonam *Σοφῶν* appellat Budæus. 18. *a.*
Sorbonicum collegium Eraſmi Paraphraſes damnat. 877, 878. 1150. &c. Monet eos Eraſmus, ut dignitatem ſuam & veritatem tueantur. 888, 889. 893. 1113. 1150, &c. Eorum cenſuris reſpondet. 1329. *a, f.* De iſtius collegii ſtatu, déque modo illic decernendi. 889. *d.* 893. 1045. *a.* 1188. *a.* 2070. *a.* Ejus autoritas ſecundùm Regem maxima. 894. *c.* 1150. *f.* Bedda cum ſuis conjuratis hortantur Eraſmum ut Facultatem Sorbonicam aperto Marte adoriatur. 1049.
Spectra quibus monachi populo imponunt. 1187. *a.*
Spiegel. V. *Jacobus.*
de SPIRITUS SANCTI Divinitate. 804. Argumenta eam probantia. 1639. *c.* Cur de ea nunquam ſcribat Hilarius. 1638, 1639. De ejus proceſſione ſententia Hilarii. 1632. *d.* Perpauci Judæi eum exactè noverunt. 1696. *a.* Hæreticorum quorundam de eo opiniones. 1147. *b.* Quid de eo ſenſerint Ariani, 1873. *f.* Judæi, & Turcæ. 1874. *b.*
Quæſtiones quædam de Spiritu S. curioſæ, nec neceſſariæ. 1634. *a.* 1635. *a.* 1639.
Berquinus damnatur, quòd ſcripſerit, rectiùs invocari Spiritum S. quàm Mariam Virginem. 917.
Quis ſenſus ejus loci, *Nondum erat Sp. S. Joan. VII.* 1245, &c.
Peccatum in Spir. S. V. *Peccatum.*
Spiritus, pro donis ejus. 1245, &c.
Standicius, Anglus, Epiſcopus de S. Aſino, debacchatur in Eraſmum. 596. 714. Quàm egregiè ineptus fuerit. 597, &c. 915. 1193. *g.* Inquiſitionis ſumma apud Anglos ei committitur. 1103. *c.* 1118.
Stephani Poncherii, Pariſienſis præſulis, encomium. 58. *a.* 273. 570. Summis laudibus Eraſmi virtutes, eloquentiam, eruditionem evehit. 274.
Stercoraniſtæ. 1658. *b.*
Stiburus commendatur. 1483.
Stoicíne an Peripatetici rectiùs de felicitate judicarint. 549. 552. 555. Peripatetici cur iis præferendi. 555. Eorum frigidæ quædam & ridiculæ opiniones. *ibid. d.*
Stoicum Sapientem nimis extollit Seneca. 1668. *d.*
Streperus pro *obſtreperus*, an rectè. 1355. *e.*
Studiorum ratio. 141. *e.* 1721, 1722. V. *Præcepta.*
Studioſorum otium quale. 1692. *g.* 1722. *g.*
Studium à cœna & ad lucernam oculos lædit. 834. *g.*
de Stultitia quam Deo tribuit Paulus. 170. *c.* 171. *a.*
Stunica. V. *Jacobus.*
Succeſſus rerum proſperus vel modeſtiſſimum ſpiritum poteſt corrumpere. 920. *c.*
Sucquetus laudatur. 1261, 1262.
Sudor Britannicus. 386. *b.* 1789. *c.* Spargit ſe per alias nationes. 1476. *a.* 1477. *c.* 1519. *a.*
Suetonius, hiſtoricus optimæ fidei. 1688. *a.*
Summularii. 1833. *d.*
Summus Pontifex nomen ignotum ætate Hieronymi, 168. *e.* & Auguſtini. 167. *b.*
Supercilium humanum qui libri maximè dejiciunt. 910. *d.*
Superſtitioſum divorum & imaginum cultum damnat Eraſmus. 1377, &c.
Sutor. V. *Petrus.*
Sylvagius. V. *Joannes.*
Sylveſter Prieras. 1016.
Sylvius quidam Benedictus Epiſtolis tanquam ab Eraſmo ſcriptis Leoni X. P. R. & Bombaſio imponit. 1514. 1520.
de voce *Synere* in A. Gellio Eraſmi judicium. 832.
Syrtus hæreticus. 1613. *e.*

T

TAbellarius Eraſmi nummis ſpoliatur 492. *g.*
Talmud Eraſmo non arriſit. 543. 584. 1118.
Tanquam pro *velut, ſive, ut*, à Seneca uſurpatum. 1668. *g.*
Tanta pro *tot* malè uſurpari. 1881. *a.*
Tatianus hæreticus. 1613. *e.*
Tecum, Hilario quid. 1646. *d.*
Telemachus. V. *Monomachia.*
Telones quidam, nomine Chriſtophorus Cinicampius, Muſis addictus, & Eraſmo amicus. 267. 314.
Tempeſtatis frigidiſſimæ deſcriptio. 285. *g.*
Tempori mos gerendus. 502. *d.*
Terentiana lectio apprimè utilis. 1700. *d.* 1996. Plus exacti judicii in una comœdia Terentiana quàm in Plautinis omnibus 1700. *f.*
Terminus, Eraſmiani annuli ſignum. 2067.
de Terminis agrorum. *ibid. f.*
Terram Oceano innatare, antiqui credebant. 1691. *e.* 1698. *g.*
Terriculamentis populum deludunt monachi. 1187. *a.*
TERTULLIANUS, Latinorum Patrum doctiſſimus. 1634. Contra mentis ſententiam fit Montaniſta. 1623. *f.* Ejus lapſum in Montaniſmum elevat Hieronymus. 767. Impudentiùs vim facit Scripturis quàm Origenes. 767. *b.* De eo cenſura. 767. 1616. *f.* 1617. *d.* Emendatur à B. Rhenano. 767. *a.*
Teſtamentum dici quaſi *teſtationem mentis*, frigidum. 1451.
Teſtamentum Chriſti medicus quidam Baſileenſis dicit eſſe, *Creſcite & multiplicamini*, &c. 1054. *c.*
Tetrapla Origenis unde dicta. 1636. *a.*
THAUMATORGUS. V. *Gregorius.*
Theodorus Epiſcopus Mopſueſtiæ Chryſoſtomi ſuaſu convertebatur ad Chriſtum. 1593.
Theodorus Gaza Demetrio Chalcondylo præfertur. 1711. Ejus Grammatica laudatur. 1711. In nonnullis hallucinatus eſt. 1064. Mendæ quædam ejus notantur. 1712.
THEODOSIUS Imp. ob Theſſalonicenſes interfectos templo prohibetur ab Ambroſio; poſt ſex menſes lacrymis & pœnitentiâ tranſactos ab anathemate abſolvitur 1586, 1587. 1803.
Theologia, interprete Hieronymo, eſt Regina illa quæ æterno Regi dextra adſtitiſſe dicitur *Pſal. XLV.* 901. *a.*
Theologiæ Scholaſticæ origo vel occaſio. 1638. *b.* 1833. *e.* Quid de ea ſenſerint, Eraſmus, 14. *c.* 16. *a.* 17. *a.* 21. *c.* 22. *e.* 45. *b.* 138. *a, d.* 170. 329. *a.* 351. *g.* 362. *c.* 370. *a.* 378, &c. 519. 521. 531. *d.* 564. 580. *a.* 594. *b.* 860. *c.* 911. *a.* 919, 920. 1137. *f.* 1189. *a.* 1233, &c. 1647. *f.* 1658. 1661. *e.* 2031. 2046. *c.* Budæus, 153. *a, d.* Beraldus, 563. *b.* Coletus, 2046. *c.* Vives. 753. In ea nihil humile vidit Eraſmus præter orationis filum. 910. *c.* Corrigi eam mavult quàm explodi. 608. *d, g.* 609. *a.* 627. *d.* 647. *d.* 859. *d.* 911. *a.* 1834. *b.* Nimium ei tribuunt nonnulli 919, 920.
Theologorum officium. 583. 588. *b.* 687. *f.* 737. *b.* 1791. *c.* 1831. V. *Concionator, Miniſter, Paulus, Sacerdos.* Quid ab eo agendum, quid vitandum. 331. *d.* 652. *e.* Eos maximè decet manſuetudo. 585. *c.* 651. *c.* 762. Eos ad fontes revocare ſtudet Eraſmus. 889. *b.*
Olim nullæ erant Theologorum ſcholæ. 1189. *a.*
Avaritia & ſuperbia in Theologo magis exſecranda quàm libido. 706. *f.*
Theologi odio laborant, & quare. 915. *a.* Eorum odia & contentiones amarulentas luget Eraſmus. 612. *g.* 1834. *f.*
Pſeudotheologi notantur. 2008, &c. 2014. *f.* 2016. *f.* 2019. *c.*
Theophania quæ. 153. *b.*
Theophilus Alexandrinus Epiſcopus, qualis vir fuerit. 1598. Ejus Epiſtolæ ad Hieronymum, & Hieronymi ad eum, confictæ. *ibid.* Cur tentarit opprimere Chryſoſtomum. 1598, &c. Epiphanio aliiſque imponit. 1599, &c.
THEOPHYLACTUS eandem operam apud Græcos præſtitit quam Beda, Remigius & Claudianus apud Latinos. 1870. In eo Chryſoſtomus firmè totus eſt. 1121.
verbo *θησαυρίζειν* abuſum fuiſſe Matthæum, miratur Eraſmus,

raſmus. 1344.
Thomas AQUINAS, Eraſmi judicio, parum expolitus autor. 580. Quid de eo ſenſerit Coletus. 706. Loci multi in quibus ille hallucinatus eſt, ab Eraſmo explicantur. 191.c. Ejus opinio de Eccleſia notatur. 170. Quoddam ex ejus operibus ſit maximè elaboratum. 1633. Excuſat ſeipſum Eraſmus, quòd à Thoma nonnunquam diſſentiat. 1841. Ei eloquentiam tribuit fraterculus, quam interim Eraſmo adimit. 731.
Thomiſtæ duo ex eodem ligno citiùs fingi poſſunt quàm unus celebris Poeta. 734.
Thomæ Becheti factum notatur. 1802.f.
Thomas Crammarus Warano ſuccedit in Archiepiſcopatum Cantuarienſem. 1498. Eraſmo mittit octodecim angelatos. 1966.
Thomas Cromwellus liberos dimittit Proteſtantes quos Morus conjecerat in vincula. 1502.g. 1505.e. Eraſmo mittit viginti angelatos. 1566.
Thomas Card. Eboracenſis. V. Eboracenſis.
Thomæ Greſi laus. 467.d. Ejus ſortem luget Eraſmus, utpote cui cum ſene invidentiſſimo & moroſiſſimo ſit vivendum. ibid.
Thomæ Linacri laus. 21.b. 35.a. 61.a. 309.515.532. In Eraſmum aliquid molitur. 402.c. Sacerdotio auctus eſt. 434. Ejus Grammaticam à Coleto rejectam, dolet Eraſmus. 518. Ejus verſio Galeni laudatur. 529. 532. 717. 1423. Verſio Proculi cur illi malè ceſſerit, 1423, 1424. Vertit etiam & emendavit Meteorologica Ariſtotelis. 533. 1423. Monet eum Eraſmus, nè lucubrationes ſuas premat, 655.
Thomas Lupſetus magno uſui fuit Eraſmo. 608. Coleti vitam imitabatur. 655.
Thomæ MORI encomium. 175. 309. 515. 533, &c. 638. 689. 712. 751. 1473.c. 1503, &c. 1681. 1717. a. Ejus corpus, vultus, mores, ingenium, vita, totumque, ſtudia, parentes, uxores, liberi, omnia, velut in tabula accuratiſſimè depinguntur. 534. 1503, &c. Ejus pater, Joannes Morus, laudatur. 1509. Ejus ſcripta laudat Vives. 640. Utopia ejus commendatur. 61.a. 61.b. 391, 392. Eraſmus eum confert cum Budæo. 762. Bonas literas quanti habuerit. 760. Quàm benignus fuerit erga eruditos. 960.a. Filios filiáſque quomodo educarit. ibid. 846. 1506. 1681.c. 1744.e. Domum ejus Platonis Academiæ confert & præfert Eraſmus. 1506. Totam ejus familiam ab Olpenio pictore expreſſam habuit Eraſmus. 1471.
Quænam officia obierit. 1509. Legati munus ei non arriſiſſe, & quare. 119.g. 386.f. 393. Regi ſuo eſt à theſauris. 751, 752. 759. Cur penſionem à Rege oblatam recuſaverit. 120.c. Cancellarius fit. 1475. Munus illud abdicat, non jure (ut ferebatur) ab eo ſubmovetur. 1502, &c. 1506, &c. 1509.g. 1510.g. 1512. 1946.d. 1948.e. Severitas ejus erga novorum (ut vocabantur) dogmatum autores excuſatur. 1505. Pinceſtianorum libris reſpondet. 1508.g. Iis valde fuit moleſtus. 1511.d.
Ejus carmen in effigiem Eraſmi. 177. Reſpondet fraterculo, qui eum reprehenderat quòd Eraſmum & Ægidium Caſtori & Polluci contuliſſet. 179. Brixius decretorum libellum adverſùs eum edit, 278.g. 637, 638, ubi Mori Epigrammata vellicat. 712. Cui ne reſpondeat, Morum monet Eraſmus. 710. Morus rationem reddit cur ei reſponderit; 713. libros autem excuſos apud ſe premit. 715.a. Aleander eum perſtringit. 1959.c. 1961.e. Eboracenſem parùm æquum habuit. 1503.
Ei Conr. Goclenium commendat Eraſmus. 751.
Ædes exſtruit in vico Chelſeico. 1506.a.
Ei longævitatem ominatur Eraſmus. 760.a. Sepulcrum ac epitaphium ſibi condit Morus. 1509, 1510. Capite truncatur. 1538, 1543. 1556.
Thurinus clariſſimum fumo perit. 1559.
Thurzo. V. Joannes.
Tigurini divorum imagines ejiciunt è templis. 822.
Timiditas bona quæ. 2084.e.
Tindallus veretur ne Gallia per Melanchthonem recipiat verbum Dei. 1510.
Tomi, Homiliæ, Scholia, quomodo differant. 1625.e.
Tonſtallus. V. Cuthbertus.
Tonſtrina, Schola garrulitatis. 1053.f.
Tornacum captum. 410.
Toſſanus. V. Petrus.
Traductio quid. 193.
Tranquillitas ab animo petenda eſt potiùs quàm à loco aut rerum inſtitutione, 595.b. 615.d. 628.d.
Tranquillo Parthenio Dalmatæ pro ſeipſo & Academia Lovanienſi reſpondet Eraſmus. 379.
TRIADIS repræſentatione utitur maleficus dum diabolicam ſuam artem exercet. 505. V. Deus, & Perſona.
Tribulantes pro afflicti, Arnobio. 1651.f.
Turca tres adornat exercitus. 1356. Expeditionem in Germaniam parat. 1360. Auſtriam & Moraviam miſerè tractat. 1398. Pannoniam & Syriam vaſtat. 1554. Hungariam populatur. 1434. Joanni Hungariæ Regi cum Ferdinando bellum gerenti auxiliatur. 1534. Sperantur cum eo induciæ. 1400. 1462, 1463.
de Turcis. 530. 1136. 1362. 1425, 1426. 1432. Quid de Chriſto & Spiritu S. ſentiant. 1874.b. Efficaciſſima convertendi eos ratio. 1134, &c. Quid eorum converſionem impediat. 1608. De bello adverſus eos Lutheri ſententia. 1390. Vitæ pietate potiùs quàm armis ſunt ſubigendi. 91.c. 1134. 1140. Diſſidia Chriſtianorum iis ſunt gratiſſimum ſpectaculum. 1798.e.
Quidam dicit, Turcas Monachorum & Pontificis tyrannidem conſopituros. 1137.a.
Tuſſanus Græca regio ſtipendio profitetur. 1421. Quoſdam Eraſmi lapſus publicè notat. 1430.c. Brixius ſtudet eum Eraſmo reconciliare, 1363. 1421. Laudatur. 1367. V. Jacobus.
Tutelaris vita qualis. 317.c. 476.f.
Tympanorum uſum in nuptiis & feſtis non probat Eraſmus. 1176.f.
Typographia, ars præſtantiſſima. 1696.d. Occaſio eſt depravationis librorum. 291.c.
Typographis bonis quantum debeamus. 1681.b. Mali, quæſtûs præcipuè rationem habent. 969.b. 1709.e. 1719.f. Queritur de iis Brixius, 969.f. & Eraſmus. 1087.c. Libellis convitioſis alantur. 949.e. 952.b. 1061.
Typographi, fermè inter ſeſe [illegible]. 367.a. Semper aliquid ab Eraſmo flagitabant. 1320.a. 1535.e. Triplex eis excudendi ratio. 1007.a.
Tyranni inter & Regis nomen olim nihil intererat. 1791.f. Erga Tyrannos quomodo nos gerere oporteat. 1230.

V

VAlentinus hæreticus. 1612.g.
Valetudo proſpera, divitiæ, honores, &c. an & quid conferant ad felicitatem. 549. 552. 555.
Vates optimus, vir prudens. 1190.c.
Udalrici Taſii laus. 264. 580.c. 917. 1504. 1339. Scripta. 581.c.
Venefica quædam octodecim annis commercium habet cum dæmone. 1512. Altera oppidum Schiltach ope dæmonis exurit. 1564.d.
Venefici Aureliani diabolicæ artes. 505.
Venetiæ, urbs omnium magnificentiſſima. 531.f. Quos illic amicos habuerit Eraſmus. ibid.
Veniam potiùs majoribus quàm minoribus deberi. 171.c.
Verbalia non ſemper ſonant actionem, ſed & officium. 1892.e.
utrùm Verbum an Sermo ab Abyſſ. Joan. I. verti debeat. 596. 612.
Verecundia immodica, quantum malum. 1769.
Vergara. V. Franciſcus.
Veritas, vulgo odioſa. 384. Ejus comites quæ. 1098.f. Eam celare nonnunquam expedit. 659.a. 726.d. 963. 970.e.
Eraſmus dicit ſe citiùs deſerturum aliquam veritatis portionem, quàm turbaturum concordiam. 997.a.
Hieronymus Verveſius Alphonſo fratri quàm ſimilis fuerit. 1490.g. Ejus in [illegible] ſedulitas. 1491. opum contemptus. 1492.b. mors. 1492.f. V. Feminæ.
Veſtem ſacram abjicere, aliis licet; aliis non item. 1292.
de Veſtitu religioſorum. 1241.f. 1290.

Vetus *Inſtrumentum* aptiùs dicitur quàm *Teſtamentum*. 1254. *f.*
Victoria ſpecioſiſſima quæ. 1157. *a.*
Victus frugalis laudatur. 771.
Vina quòt modis vitiant œnopolæ. 1111. *g.*
Vincentius Lovanienſis, Eraſmi obtrectator pertinaciſſimus. 729. *b.* 829. 1194. *e.* Eum *Buccatam* appellat Eraſmus. 729. *b.* 1194. *e.* 2091. V. *Eraſmus.* Moritur. 829.
Vindicta optima quæ. V. *Injuria.*
Vini Burgundiaci laus. 1090. 1221. 1221. 1561.
Vinolentia damnatur. 771.
Vinum Hippocraticum à doctis *Trimma* & *Aromatites* dicitur. 351. *e.*
VIRGILII *Georgicon* cæteris ejus poematis præſtantius. 1633.
de B. Virginis visceribus lepida narratio. 1081.
Virginitatem cur exigebant veteres. 767. *b.* Quæ ad eam conſervandam ſint utilia. 760. *b.*
Virginitatem ſervare, Hieronymo quid. 1196. *a.* 1254.
Viri viri, Hebræis quid. 1384. *a.*
Virtus nobilitatem illuſtrat. 926. *b.* Sola felicitatem præſtat. 555. *e, g.* Eam ſibi notam eſſe cur oporteat. 884. *c.* Ejus imaginem populo proponere potiùs quàm vitia inſectari debent Theologi. 332. *b.*
Ut ad eximias virtutes quis perveniat, quæ ſint neceſſaria. 550.
Vitæ inſtituendæ optima ratio. 141. *e.*
Vitâ humanâ nihil calamitoſius. 1788. *b.* 1799. *a.*
Vita ruſticana urbanæ præfertur. 752. *a.*
Vitia diverſis vitæ generibus cognata. 1239. *d.* Quando maximè deteſtanda. 1238. *g.*
Vitrea conſpicilla. 834. *f.*
Ulrici Hutteni libri & res geſtæ. 358, 359. Laudatur. 561. 611. 1750. Monet eum *Eraſmus* ad adverſùs ipſum ſcribat. 1489. Scribit mendacem & convitioſum libellum adverſus Eraſmum. 934. 986. 1061. 2072. Eum glorioſum & egentem militem vocat Eraſmus. 949. V. *Eraſmus.*
Ulrici Zuinglii mors. 1942. V. *Zuinglius.*
Volaterranus. V. *Raphael.*
Voluntas Dei pro *permiſſu* ſæpe ponitur in Scripturis. 1893. *a.*
Vomitus, gracili corpori gravis. 1444. *d.*
de Votis ſuſcipiendis ſententia Lutheri & Eraſmi. 768. 775. Nullum debet eſſe Votum inſolubile præter Baptiſmi. 1285. *c.*
de Votis monaſticis. 859. *c.* 1243. *g.* 1295. *c.* 2144. *b.*
Urbana vita ruſticanâ inſalubrior. 750. *a.*
de Urbanitate & jocis liberalibus. 1774, 1775.
Urinæ frigidæ remedium. 1138. *f.*
Urſini Velii laus. 372. 1439 Ejus carmen genethliacon in Eraſmum. 82. 371. Scribit de geſtis Ferdinandi Regis Hungarorum. 869.
Utenhorii [Nicolai] laus. 1703, *&c.* Epitaphia. 1705. V. *Carolus.*
Weſtphalus. V. *Hieronymus.*
Wiclevitæ, regum potentiâ oppreſſi potiùs quàm extincti. 787. Fingunt quidam, Eraſmum eorum opinionem probare. 865.
Wimphelingius. V. *Jacobus.*
Wirtembergenſis Dux profligatur. 572. 610.
Vulgata interpretatio N. T. an ſit Hieronymi. 159. *b.* 164. *c.*
Vulgi præpoſterum judicium. V. *Judicium.* Quàm difficile ſit vulgo placere. 943. *b.*
Vulgus tenax eorum quibus aſſuevit. 1093. *d.* Subtiles diſtinctiones non intelligit. 741. *b.*
Vulgo doctior habetur qui reprehendit. 745. *a.*
Ad Vulgi captum deſcendere ſapientem ſuum vult Plato. 555.
cum Vulturio Neocomo expoſtulat Eraſmus, quòd mentionem ejus in libellis ſuis fecerat. 2050. *f.* De eo vide plura. 2066. 2071. 2077. 2110, *&c.* 2137, *&c.*
Wolfgangus Capito. 1061.
Uxor qualis eligenda. 760, 761.
Uxores multi ducere videntur non ob aliud niſi quia legibus non licet.
Uxores eſſe communes voluit Plato, & Nicolaitæ. 677.

Z

Zd pro *ded* olim uſurpatum, 1646. & *Zabolus*, pro *diabolus*. *ibid.*
Zaſius. V. *Udalricus.*
Zebridovius. V. *Andreas.*
Zelandiæ deſcriptio. 172.
Zelus ſine ſcientia valde pernicioſa res eſt. 1260. *f.*
Zizka. V. *Joannes.*
ZUINGLIUS adverſatur Luthero. 774. 819. *g.* Taxat Eraſmum. 774. Aſſerit nihil eſſe in Euchariſtia præter panem & vinum. 779, 780. V. *Euchariſtia.* Eum ſeditioſum fuiſſe. 2127, 2128. Quomodo ſe geſſerit erga Epiſcopum ſuum. 2128. *b.* 2134. *b.* V. *Ulricus.*

FINIS.

I. 24

A011467485

Digitized by Google